5C.14.P1.3.

37
19 E
3

- MAG 1204

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

R. P. F. CLAUDII
FRASSEN
ORDINIS MINORUM
DISQUISITIONES BIBLICÆ.

Digitized by Google

DISQUISITIONES BIBLICÆ
R. P. F. CLAUDII
FRASSEN

ORDINIS MINORUM REGULARIS
OBSERVANTIÆ S. FRANCISCI
PROFESSORIS EMERITI, ET PARISIENSIS DOCTORIS
IN DUO VOLUMINA DISTRIBUTÆ.

EDITIO ALTERA

Plurimis Notis, & Additionibus Hiſtoricis, Criticis, Chronologicis Illuſtrata

PER P. F. N. W.

Voluminis Secundi in duas partes diviſi

Pars Prima.



LUCÆ MDCCLXX.

Ex Typographia Joannis Riccomini
CENSORIBUS APPROBANTIBUS.

a Lanatoribus Sac. Scripturæ Aracoelitanis dedixit F. Antonius M. de Valentano Minister Provincialis.

Digitized by Google

[illegible] by Google

LECTORI BENEVOLO

S. P.

ETſi diutius, quam erat dignum tua expectatione, ſtudiiſque noſtris Lector benevolentiæ, & amoris pleniſſime Lucubrationes a nobis elaboratæ, ac ſecundo *Diſquiſitionum Biblicarum* adjunctæ Volumini nos ipſos moratæ ſint, nec citius publici factæ juris libertatem nobis, Tibique, ſi quæ poſſit ex illis expectari, utilitatem exhibere potuerint, æquo id nihilominus animo te paſſurum opinor, cum in illis id omne, quod per Epiſtolam priori *Diſquiſitionum* Volumini præmiſſam, tuæque benignitati directam, atque per alias ad Literarum amatores datas, ſpopondimus, intueberis abſolutum. In prima ergo hujuſce ſecundi Voluminis parte Librum *Apologetici* ſecundum offendes, in quo ſicuti & in duobus immediate ſequentibus plura ad Vulgatæ Bibliorum verſionis defenſam exaravimus. Primum autem *Apologetici* Librum in altero *Diſquiſitionum* Volumine a pag. 230., uſque ad 286. ubi plures quinque Librorum Pentateuchi textus ab eodem Aggreſſore impetitos propugnare ſategimus, qui a Fraſſeno prorſus omiſſi fuerant. Idipſum in tribus hiſce noſtris *Apologetici* Libris tam in ordine ad Hiſtoriam Joſue, quam alios divinorum Bibliorum tum veteris, cum novi Teſtamenti Libros, qui aliqua perſtricti reperiebantur cenſura, præſtare curavimus, non quidem minutiora attendentes, ſed quæ negotium aliquod legentibus Cenſores Vulgatæ, & præſertim Sixtinum ab Amama, cum quo præciſe cauſa eſt, faceſſere potuiſſent, ejuſdem potiſſimum cenſuram inſectantes, ubicumque temeratum in Vulgata noſtra Dei verbum ore inverecundo effutie-

bat. Nonnullos equidem ex libro Joſue, aliiſque utriuſque Fœderis Scriptis ſacros textus, ſed ſparſim admodum, & raro in ſuo primo Volumine Diſquiſitionum vindicavir Fraſſenus, cui noſtras etiam adnotationes in Editione hac nova interſeruimus, ſed longe plures ab eodem nihilominus omiſſi cum ſint, nec a nobis ibidem ſuppleri potuerint, ne illius ordinem in priori Volumine compelleremur negligere, tribus hiſce Apologetici noſtri Libellis, quod ibi incæptum, hic abſolutum proponere, ſi non pro rei dignitate, cui longe impares nos ipſos fatemur, ſaltem pro ingenioli noſtri imbecillitate, curæ fuit.

Librum deinde Conciliatorii Biblici jam a Fraſſeno olim ex parte digeſtum, ſed parum diſtincta, & quod magis eſt, mutila quadam textuum congerie diſpoſitum, a nobis autem in hac editione per capita diſtinctum, & ad caput quodlibet ſuppletum, & illuſtratum in eadem priori hujuſce Voluminis parte contineri reperies, ubi quæcumque aliqua conſideratione dignæ, quæ in Sacris Bibliorum textibus ſpecie tenus occurrunt antilogiæ a Fraſſeno prætermiſſæ, ut ad æquam concordiam, miramque harmoniam reducerentur ſategimus; quamvis jam inſigniores Divinarum Literarum Commentatores, a quibus nos didiciſſe fatemur ingenue, hujuſcemodi labori manus admoviſſe non ſolum, ſed opus ſuſceptum ſumma cum laude perfeciſſe, numeriſque omnibus abſolviſſe nequaquam nos lateat. Veruntamen ad ingentia iſtorum volumina animum convertentes, nec facile omnium manibus teri poſſe dignoſcentes, peroptime, opportunum, gratumve Tyronibus præſertim evaſurum judicavimus laborem hunc noſtrum per quem negotio nullo, nulloque ſtudio, ut ita dixerim, ſi quam in ſcripturis difficultatem ex apparenti ſacrorum textuum ad invicem repugnantia repererint, ſolutio ſtatim habeatur in promptu. Eadem de cauſa, faciliorem nempe ſternendi viam ad Scriprurarum intelligentiam, atque difficultates, ſi quæ circa remporum rationes occurrant, elevandi, Libellum Chronologicum digeſſimus, in quo generaliora quædam de Re Chronologica exhibuimus principia, quibus vel tantiſper attentis, tempora a profanis Hiſtoricis enarrata

cum

cum temporibus Divinarum Scripturarum conciliari queunt, atque res geſtæ, diviniſque in codicibus deſcriptæ ſuis temporibus nullo labore reſtitui. Hoc a nobis in tabulis Chronologicis, quas nonnullis adnotationibus illuſtravimus, ad calcem hujus Libri, de quo ſermo eſt, jam ex parte confectum habes, quod magis perfecte conſumandi, ſimulque profanæ, & ſacræ Hiſtoriæ geſta invicem colligandi in animo erat, ſed voluminis hujus moles jam ultra debitum aucta ulterius progredi nequaquam permiſit. In tabulis hiſce noſtris tempora per annos Sabbaticos deſignare, atque per Jubilæos indicare ad rem Chronologicam majori luce, ſi poſſit, perfundendam opportunum arbitrabamur, de quorum annorum initio, & Epocha in noſtro hoc Libello ſub numeris XII. & XIII. diſputavimus. Communicato proinde animi noſtri conſilio annos Sabbaticos in Tabulis deſcribendi, cum Nobili Viro D. Joanne Philippo Dominico Sardi, & ab eodem hac de re habito verbo cum altero nobiſi viro D. Martio Micheli in Præſidentia Academiæ noſtræ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Joannis Dominici Mansi, quem honoris cauſa nomino, ſucceſſore meritiſſimo, ambobus autem Cathedralis Eccleſiæ Lucanæ Canonicis digniſſimis, Literarum in eadem Civitate promotoribus zelantiſſimis, meiſque Patronis, majori, quo poſſim, animi obſequio ſemper colendis, in ſacris, profaniſque ſtudiis verſatis quammaxime, ſumma, ſibique congenita benignitate *Diarium Trevoltienſe*, cui Gallice titulus *Journal des Sçavans Combiné avec les mémoires de Trévoux &c.* cum exhibuerint, copia percurrendi longam doctamque inter duos viros doctrina præclariſſimos concertationem *de anno Sabbatico* nobis facta eſt, ex qua firmiores in noſtra, aliorumve, quam ſequebamur, hypotheſi redditi ſumus; nec mirum id æquis, juſtiſque rerum Æſtimatoribus fiet, ſi utriuſque partis argumenta in laudato Opere Gallico Tom. LXIX. pag. 333. vol. II. & Tom. LXXI. pag. 16. Tom. iterum LXXV. pag. 84. & 308. ac tandem Tom. LXXVII. pag. 55. æqua lance perpenderint. Res noſtra ut planior fiat Tabulam ad calcem aliarum, in qua annorum Sabbaticorum, & Jubilæorum diſpoſitio deſignatur juxta methodum noſtram, quam in Chronologicis Tabulis inſectati ſumus

admo-

admovere curavimus. Hæc ſunt, de quibus te commonendum quo ad primam hujus ſecundi Voluminis partem arbitrabamur, humaniſſime Lector: de parte autem ſecunda nil ſupereſt addendum, cum tota, pauciſſimis exceptis, in diverſo Charactere exaratis, Claudii Fraſſeni ſit opus. Dum itaque unum obteſtamur, & exoramus, quod a tua urbanitate obtenturos confidimus, ut animo benigno nimirum labores hoſce noſtros ſuſcipias, & ſi quid minus apte vel a nobis dictum, vel Amanuenſium, aliorumve oſcitantia editum eſt, humanitati inerrantiæ neſciæ indulgere digneris, finem imponimus. R. P. F. N. W.

APOLO-

APOLOGETICI
PRO
VULGATA BIBLIORUM VERSIONE.
Liber Secundus.

§. I.

SI quæ in Libro Joſue deprehenſa ſunt, non perfecte cum Hebraica lectione convenientia, quæve inimicis Vulgatæ noſtræ aliquam detrahendi nobis, eidemque Vulgatæ verſioni anſam videbantur re vera exhibere, iam in priore volumine Biblicarum Diſquiſitionum ad veram æquitatis lancem perducta ſunt, nullamque propterea in eis mendam, quæ legitimum divinarum Literarum ſenſum inverteret, contineri, demonſtratum eſt. Leviora nihilominus adhuc in iſto, & reliquis utriuſque fœderis Libris ſanctis ſuperſunt, ex quibus jus ſibi capiant Catholico-Romanæ Comunionis inimici Vulgatum Interpretem vellicandi, ipſumque modo oſcitantiæ temeritatis modo, & etiam irreligioſitatis inſimulandi, ut tandem, ſi inferorum portæ adverſus Eccleſiam prævalere poſſent, Romano-Catholicos fideles non legitimam Dei revelatam doctrinam in ſuis Bibliis habere demonſtrent, quod ſiquidem pro eorum votis nequaquam eveniet.

Tres itaque ad Caput Joſue primum in Vulgatum Interpretem accuſationes Sixtinus inſtituit. 1. Quod ad ℣. 2. particulas iſtas [illegible] *vebattah, & nunc*, ſeu nunc itaque in Hebræo exiſtentes, a ſua expunxerit verſione Interpres Vulgatus, & quidem immerito, ait Sixtinus, Andreæ Maſii auctoritate ſuffultus, necnon LXX. Interpretum, a quibus jure meritoque voculæ iſtæ [illegible] tempus, & rei conſequentiam exprimentes, fuerunt appoſitæ. 2. quod ad ℣. 11. vocem [illegible], *leriſetab*, *ad poſſidendum eam* præterierit, quæ tamen, teſte Maſio, maximum habet ad permovendos populi animos incitamentum. 3. tandem, quod ℣. 14. vocem [illegible] *mikneb* perperam ſit interpretatus *jumenta*, cum potius *poſſeſſionem* ſignificet, nimirum bona, & divitias priſcorum, quæ minora, ac majora animantia complectebantur; jumenta autem ea ſola videntur eſſe animantia, quæ jugum ſubeunt; laboreſque, & molimina noſtra juvant. En accuſationes.

Quiſquis primo intuitu iſtarum levitatem dignoſcit: Vulgatus itaque ſacrum textum ad verſum ſecundum ita proponit = Moyſes ſervus meus mortuus eſt (loquitur Dominus ad Joſue) ſurge, & tranſi Jordanem iſtum, tu, & omnis populus tecum = deeſt ne integritas locutionis, vel ſententiæ in textu iſto? nonne ſtatim ex ejus lectione percipimus particulam iſtam *nunc itaque* in voce imperativi modi contineri? integram ergo, & ſatis elaram in Vulgati lectione ſententiæ intelligentiam habemus quæ ſiquidem lectio cum eadem ſit prorſus quæ in S. Hieronymi vetuſtiſſimo codice legitur, incertum eſt an in vetuſtiſſimis S. Doctoris exemplaribus, ex quibus ſuam adornavit ex Hebraico verſionem illæ voculæ extiterint, vel potius adjectæ poſtea fuerint ad venuſtatem orationis, & etiam, ſi velimus, ad vividiorem expreſſionem. LXX. Interpretum Codex intemeratus ſi adhuc perſiſteret, eaſdemque voculas præſeferret, dubio procul & in Hebraico ſonte antiquitus eaſdem extitiſſe compertum foret; aſt Divi Hieronymi ætate, ut pluries jam præmonuimus, verſio LXX. Interpretum variis fuiſſe depravationibus temerata ab ipſomet S. Doctore prædicatur. Verum ſupponamus etiam revera fuiſſe voculas iſtas prætermiſſas, nil tamen detrimenti in ſacra lectione exinde provenire ſatis innoteſcit.

Nec majoris mehercle ponderis alteram adinvenimus accuſationem Sixtini, qua in Vulgatum inſtat ob illius vocis ad poſſidendum præteritionem ad ℣. 11. habitam. Satis quidem palam fit in Vulgata Judæos fuiſſe jure quaſi hæreditario terram Chanaan poſſeſſuros; cum iſto in eadem legamus pacto = poſt diem tertium tranſibitis Jordanem, & intrabitis ad poſſidendam terram, quam Dominus Deus veſter daturus eſt vobis = nonne ſatis intelligimus terram illam fuiſſe poſſidendam in hac lectione; & voculas in Hebræo adjunctas meram repetitionem, a qua ſe abſtinere ſatius duxit Vulgatus Interpres = Quam Dominus Deus veſter daturus eſt vobis ad poſſidendum eam = legit Hebraica; quid vero deeſt in Vulgata ſi vox *ad poſſidendum* & ipſa præſefert, quamvis repetitionem omittat?

Ad ℣. 14. voce *jumenta* uſus eſt S. Hieronymus in ſua translatione ex Hebraico, quia fortaſſis recenſita nobiliore ſubſtantiæ, ſeu poſſeſſionis portione facillime in eadem & inferiorem partem contineri unuſquiſque

deprehendit. Satis unicuique notum ex Numer. Cap. 32. ℣. 16. Rubenitas, & Gaditas nedum jumenta, ſed & oves, & capras, aliaque pecora poſſediſſe; dum igitur eiſdem Joſue præcepit ut ad bellum procederent, eorum autem uxores, & filii, ac jumenta manerent in terra, quam tradiderat eis Moſes, intelligimus utique id omne in ea terra debuiſſe conſiſtere quod ad eorum poſſeſſionem pertinebat. Quid ergo quæſo deeſt ad legitimam hujus ſententiæ integritatem in Vulgata noſtra? Nihil certe. LXX. uſi ſunt voce [illegible], quæ juxta Schrevelium pari modo *jumenta*, *pecora*, & *poſſeſſiones* ſignificat.

§. II.

AD Caput 2. Joſue non pauca reprehenduntur ab Amama in Vulgatæ noſtræ lectione. Verſiculo 3. hæc verba *Exploratores quippe ſunt* expungenda contendit cum a Græcis, Chaldæis, & Hebraicis abſint exemplaribus.

Quam inepte tamen hæc opponuntur? Legit Vulgata noſtra = Exploratores quippe ſunt; & omnem terram conſiderare venerunt = LXX. autem habent = ut explorent enim terram venerunt = Hebraica denique legit [illegible] *chi lachpor et-col-haarets bau*, ideſt, ut vertit Pagninus = quia ad explorandum omnem terram venerunt = Quidnam in hiſce lectionibus quoad ſenſum diſcrimen? nullum profecto ni fallimur, cum unaquæque illarum homines illos exploratores terræ fuiſſe ſignificet, hinc S. Hieronymus etiam in ſuo codice eamdem habet cum vulgata lectionem.

Verſiculo 6. ejuſdem capitis cum verterit vulgatus noſter = operuitque eos ſtipula lini, quæ ibi erat = increpatur ab Amama Maſii innixo auctoritati, quod ab Hebraica lectione diſceſſerit, in qua ſcriptum eſt [illegible] *te pischte habets* videlicet in *linis ligni*; non autem legit [illegible] *hets piſctan*, ut Vulgatus interpretatus eſt.

Hujuſcemodi accuſationes vix erit, qui ſuſtinear, cum ex Hebræorum ipſis Rabbinis convellantur R. Kimchi in hebræo textu eam locutionem agnoſcit, quam vocamus hypallagen, proindeque legendum eſſe revera *in culmis*, vel lignis linorum, ſeu in *ſtipulis*, *calamis*, aut *arboribus linorum*, tradit etiam Vatablus, qui hoc in textu inverſam eſſe dictionem fatetur, cui conſentit & Druſius; cum itaque vox hebraica [illegible] *hets* lignum ſignificet, & arborem, cumque inter arbores, & ligna juncus etiam, & hyſſopus, quæ naſcitur in parietibus recenſeantur apud Hebræos, ut patet ex Libro 3. Regum Cap. 4. ℣. 33. patet arbuſta quælibet inter ligna recenſeri ab iiſdem; unde lignum lini, nihil eſt aliud quam calamus, ſeu ſtipula lini, ſi proprie loqui velimus; non igitur inepte, ſed ad legitimum ſenſum attendit vulgatus Interpres, dum ſub lini ſtipula exploratores a Rahab fuiſſe reconditos ex Hebræa convertit.

Ad ℣. 8. omiſſa a Vulgato fuiſſe hæc verba *ſuper tectum* Sixtinus conqueritur, quæ tamen in Hebræa ſunt, neque a LXX., neque a Chaldæo neglecta reperiuntur.

Veruntamen ſi de ſententiæ integritate, optimaque velimus intelligentia ſermonem habere, repetitionem verborum illorum prorſus inutilem agnoſcimus, cum ex contextu ſatis innoteſcat quod Rahab aſcenderit in ſolarium, ubi exploratores addebantur. En itaque Vulgatæ noſtræ contextum = Ipſa autem fecit aſcendere viros in ſolarium domus ſuæ, operuitque eos ſtipula lini... Necdum obdormierant qui latebant, & ecce mulier aſcendit ad eos, & ait &c. = Clariori ne poteſt locutione ſignificari quod mulier aſcenderit in ſolarium, ubi illi exſtabant? Quid ergo utilitatis in Hebraica lectione, quæ habet = aſcendit ad eos ſuper tectum = ? S. Hieronymus vim ſuæ verſionis ad integram veritatem exprimendam demptis etiam vocibus illis *ſuper tectum* optime noverat, proindeque repetitionem earum omiſit.

Eodem modo de alterius vocis hebraicæ [illegible] *mippenechem*, ideſt *a facie veſtra* omiſſione reſpondemus, ſatis quippe ex præcedentibus clare intelligimus terrorem in habitatores Chanaan irruiſſe ob Judæorum adventum. Quod ad ℣. 9. exprobrabat Sixtinus. Minus pariter timendum quod opponit ad ℣. 11. redundantem videlicet eſſe vocem illam *pertimuimus*; quamvis enim in hebræo habeamus ſolummodo [illegible] *vajiimmas lebabenu*, *liquefactum eſt cor noſtrum*, cum tamen, ut Druſius animadvertit, cordis diſſolutio in magno timore ſoleat evenire, hinc veritatem expreſſit clariori modo S. Hieronymus in ſua verſione oſtendens Chananæum animos ex tremore Judæorum fuiſſe diſſolutos; liquefactio enim cordis cum de homine magno amoris affectu perculſo dici etiam optime poſſit, hinc liquefactionis etiam cauſam in ſua verſione ponere S. Doctor per vocem illam *pertimuimus* ſtategit.

Verſiculo 15. ejuſdem Capitis 2. omiſſum clamat a Vulgato Sixtinus hunc textum = & in muro ipſa habitabat = immerito tamen cum aptiori verſione ſcripſerit S. Hieronymus = Domus enim ejus hærebat muro = (Civitatis) aptiori verſione diximus, cum ſit credibilius Rahab domum fuiſſe muro civitatis conjunctam, quam quod in muro habitaret ipſa Rahab, ut ſonare contendit Vulgatæ Cenſor hebraicam literam. Quamvis enim in urbibus populoſiſſimis homines reperiantur fortunæ tam tenuis, ut in fornicatis mœnium parietibus habitare compellantur, tamen Rahab domum habuiſſe ad mœnia quidem urbis conſtructam evidenter conſtat ex iis, quæ referuntur de ſolario, ubi linum habebat, & ſub eodem exploratores abſcondit; Non ergo videtur jure reprehenſa Vulgatæ noſtræ lectio.

Ad ℣. 19 minus appoſite hebraicam vocem [illegible] *nekiim* verſam eſſe *alieni* Sixtinus contendit, cum potius *innoxii* fuiſſe vertendam tueatur *alieni* quippe Hebraice ſcribitur [illegible] *nochrim*.

Leviora hæc ſunt quam animadverſionem mereantur. Ter eadem vox hebraica nekiim le-

legitur in ſacro textu a ℣. 17. uſque ad 21. S. autem Hieronymua eam ſemel convertit *innoxii*, ſemel *alieni*, & ſemel *mundi*, idque fortaſſis ad evitandam ejuſdem vocis tam frequentem repetitionem, cum ex contexto ſatis compertum ſit voces illas latinas *innoxii*, *mundi*, & *alieni* eſſe ſynonimas; fatemur tamen in aliquibus S. Hieronymi codicibus, & præſertim in eo, quo ſæpiſſime utimur haberi *innoxii* pro *alieni*, quamvis adnotet Vallarſius ad hunc locum, in Urbinate MS, pleriſque aliis cum editis libris tum MSS. haberi *alieni* pro innoxii. Senſus tamen legitimua in utraque voce ſatis habetur.

Ad ℣. autem 23. fatemur in hodiernis Hebræorum exemplaribus voculas illas *Quibus urbem ingreſſis* non haberi, quæ tamen in Hieronymiano codice leguntur, unde in pervetuſtis exemplaribus, ex quibua verſionem ſuam concinnavit S. Doctor, extitiſſe non eſt incredibile; verum quodnam inconveniens erit ſi dixerimus voculas illas explicationis cauſa additas a S. Hieronymo fuiſſe? quam maxime rationi congruere videtur, quod ex latibulis ſuis non deſcenderint exploratores donec Urbem ingreſſi forent, qui eoſdem inſequebantur, idque innuit Sacer textus per illa verba = & manſerunt ibi (in montibus) tres dies donec reverterentur qui fuerant perſecuti, quo mehercle reverſi ſunt niſi in Civitatem? Tandem ultima hujus capitis verba, quæ leguntur in Hebræo [illegible] *mippenenu, a facie noſtra*, quæque omiſſa ſunt a S. Hieronymo, ſatis intelligi ex contextu, integrumque ſenſum haberi in Vulgata, ex ſe clarum eſt.

§. III.

IN Capite 3. Joſue plurima adinvenit reprehendenda Sixtinus; ad ℣. primum propterea hæc Hebraica verba [illegible] *vajaſchem joſuah baboker, igitur conſurgens Joſue de nocte*, non apte fuiſſe translata contendit, cum vox *baboker* non *de nocte*, ſed de mane eſſet vertenda, ut legitimum ſignificatum eidem affigatur. Jam ſatis hac de re ſuperius ad pag. 253. Tomi primi Diſquiſitionum diſſeruimus; ſolum adjungimus quod Hebraica verba ſi ad literam deſumantur ſonant = Surrexit Joſue mane mane = ideſt valde diluculo, ſive ad primum auroræ crepuſculum, quod quidem tempus magis ad noctem, quam ad diem ſpectare unuſquiſque dignoſcit. Fatemur quidem vocem *baboker mane* ſignificare, ſed cum ei ſit adjuncta verbo, quod *mane conſurgere* ſignificat, jam hoc in loco vim habet ſignificandi *ſummum mane*, ſive *antequam dies eluceſcat*.

Perperam iterum in Vulgata ſcriptum eſſe Cenſor noſter tuetur ad hunc eumdem verſiculum = & morati ſunt ibi tres dies = cum non ad ripam Jordanis tres dies inſumpti fuerint, illac enim ſecundo die pervenerunt Iſraelitæ poſt receptum a Deo mandatum traiiciendi flumen, & in ejuſdem fluminis ripa ſemel pernoctarunt ſolummodo, ut ex Hebraico textu erudimur, atque Maſius, & Cajetanus animadvertunt.

Hæc tamen Sixtini cenſura ex ejuſdem Maſii verbis caſtigati poteſt, ita ſcribentis in hunc Joſue locum = Moneo autem iſta ut intelligat Lector Latini translationem, & ſi ia de ſuo *tridui* mentionem addiderit non temere quaſi abſurdam prorſus repudiandam, quod quidam glorioſi oſtentatores nimis libenter, & temere facere ſolent, ut Hebraice ſcire videantur = Hæc Maſii admonitio ſatis videtur ad Sixtini corripiendam audaciam; verum ſi exactius loqui velimus, non de ſuo Vulgatus Interpres, ſed ex Hebraica ipſa lectione, & ex veritate propterea triduanam manſionem ad ripam Jordanis ab Iſraelitica gente factam poſtquam e Setim diſceſſit, commemoravit. Videamus quæſo quid præſeferat Hebraicus textus [illegible] ..... [illegible] *Vajaſchem Jehoſuah beboker vajiſebu mehaſettim vajiabu hed-hajarden huvecol-beni Iſrael vajalinu ſcham terem jahaboru vaibi miktſeh ſcheloſchet jomim vajaberu haſoterim.... vajamer Jehoſuah el-haham hit kadaſchu chi machar jahaſeh jehovah bekir bechem niphlaot* = Et ſurrexit Joſue ſummo mane, & profecti ſunt e Sitthim, & venerunt uſque ad Jarden ipſe, & omnes filii Iſrael, & pernoctaverunt ibi antequam tranſirent; *& fuit poſt finem trium dierum* tranſierunt Præfecti ... dixitque Jehoſuah ad populum ſanctificate vos. Cras enim faciet Dominus in medio veſtri mirabilia = In hac hebraica lectione diſceſſum e Setim habemus Iſraelitarum, qui ſummo contigit mane, eorumque ad ripam Jordanis adventum, quo profecto ante meridiem pervenit populus, cum ſeptem circiter itineris milliaria Italica percurrerit, ad ripam pernoctarunt; facta autem die a Præfectis modus edicitur populo in Jordane transfretando ſervandus, & ipſemet Joſue ſanctificationem eiſdem præcepit, quia die craſtina Deus mirabilia facturus erat, hoc eſt Jordanis aquas diviſurus, ut ſicco pede Tribus Iſraeliticæ tranſirent. Supponamus modo exploratores ex Jerico reverſos fuiſſe die ſeptima menſis Niſan ad Joſue, eidemque ſtatim, quæ ſibi acciderant expoſuiſſe; Joſue autem præcepiſſe Judæis, ut cibaria præpararent, atque poſt diem tertiam ad tranſitum fluminis ſe diſponerent. Die octava valde diluculo movit e Setim, & ad ripam Jordanis pervenit ante meridiem ut dicebamus; pernoctavit ibidem populus; veniente autem die nona eos ſanctificari præcepit Joſue, & die decima tranſierunt; veriſſimum ergo eſt quod tribus diebus permanſerunt ad ripam, ſi dies ritu ſacro numerentur, tempus enim ante meridianum, quo ad ripam fluminis perveniſſe ſupponitur populus, ad diem 7. pertinebat. Hac ſiquidem in hypotheſi quæ ex Hebraico textu deſumitur, optime verificatur quod tribus diebus ad ripam permanſerint, ut Vulgatus noſter ſcribit; nec non in tuto ponitur quod Joſue populo enunciaverat Cap. 1. ℣. 11. quod ſcilicet poſt tres dies naturales, & integros eſſet Jordanem tranſiturus. Quod autem nonnulli poſſent

ex Cajetano, aliiſque obiicere adverſus hunc noſtrum temporis ordinem; ridiculum videlicet eſſe quod legimus in hebræo: *& dormierunt ibi antequam tranſirent*, ſi triduo ibidem fuiſſent commorati: dicimus leve quam maxime hujuſmodi eſſe objectum, quandoquidem vox hebraica וילינו *vajalinu* fatente Andrea Maſio, ſignificare poteſt *& manſerunt ibi*, aut *manere fecerunt ibi*: qua ſiquidem interpretatione uſus eſt Vulgatus noſter, idque indicat facer textus juxta hebraicam lectionem, in quo legimus perveniſſe populum ad Jsrden, & poſt tres dies locutos eſſe Præfectos. Alterum poſſet objectum proponi ex tribus diebus, quos in Montanis conſumpſerunt exploratores. Cum enim ſit certum ex Cap. 4. Joſue V̸. 19. Populum transfretaſſe Jordanem die 10. menſis primi, & tres dies ad ripam, priuſquam traiicerent, conſumpſiſſe, ut Vulgatus Interpres ſupponit, jam ad auroram diei octavæ ejusdem menſis revertimur: cum pariter Moſes obierit die 7. Menſis Adar, & per dies triginta luxerit populus ejus mortem, dies ſexta Menſis Niſan planctus tempus claudebat; tempore autem luctus nulli ferme operi incumbebant Judæi; Exploratores ergo ante ſeptimam diem menſis Niſan non videntur miſſi ab Joſue ad conſiderandam terram, & Civitatem Jerico, qui cum tres dies in Montanis latuerint, ante diem nonam ad ipſum reverſi non ſunt, ſive ante veſperam diei octavæ, die autem nona ſummo mane Joſue movit caſtra de Setim, ad ripam pervenit Jordanis, ſanctificationem ſtatim edixit; & die ſequenti, unica ibidem nocte commorantes, tranſierunt Jordanem; qua profecto in hypotheſi (dicere poſſunt adverſarii) optime componitur, quod dixerat popolo Joſue Cap. 1. V̸. 11. ſcilicet poſt tres dies integros Jnrdanem eſſe transfretandum, cum ſimul, & ſemel exploratores emiſerit dum populo cibaria parare præcepit; Exploratores autem non tres integros dies latuerunt, ſed ad veſperam diei ſeptimæ, in domo Rahab exiſtebant, ante dimidium noctis per feneſtram dimiſſi in Montana perrexerunt, ibidemque uſque ad occaſum ſolis diei octavæ, quo tempore perſecutores eorum Civitatem reverſi ſunt, moram fecere, deinde ad Joſue reverſi ad auroram diei nonæ e Setim populus diſceſſit; qua propter tres dies in textu hebraico recenſiti, non de tempore, quo ad fluenta Jordanis permanſerunt Judæi, ſed de tempore, quod inter exploratorum miſſionem cum præcepto de parandis Cibariis; atque tranſitum Jordanis interceſſit, ſunt intelligendi; nequaquam ergo tribus diebus ad ripam fluminis poſt diſceſſum e Setim permanſerunt Iſraelitæ ut perperam Vulgatus Interpres expoſuit: ita ferme doctiſſimus Maſius tempora iſta in ſuis ad Joſue Commentariis exponit, atque conciliat.

Duo in hac hypotheſi veluti inconcuſſa ſupponuntur; primum quod Moſes e vita diſceſſerit die 7. menſis Adar, cum tamen Talmudici de die exceſſus Moſis inter ſeipſos diſſentiant, multique non in menſe Adar, ſed in Sebet; qui ante Adar eſt, obiiſſe tueantur. Secundum; quod tempore luctus nulli prorſus rei operam darent Iſraelitæ, cum tamen R. Iſaias. R. David Kimki, R. Levi Ben-Gerſon apud Maſium loco citato, exploratores miſſos ab Joſue fuiſſe priuſquam luctus Moſes compleretur ſupponant, ex hujuſcemodi ſoppoſitionibus incertis valde quibus innituntur, qui Vulgatum redarguunt, ſatis firmum minime eruitur argumentum quo divini textus literalem verſionem compellamur expungere.

Ad V̸ 3. Ejuſdem Cap. tertii ex Maſii auctoritate Sixtinus ait non ſatis conſiderate Latinum vertiſſe vocem אחריו *acharau*, *præcedentes*, cum affixum referatur ad Arcam, eo quod ſit numeri ſingularis, unde *poſt eam* debebat vox illa converti. Maximus utique in hac Cenſura ſapientiæ fulgor elucet? Poſtquam Vulgatus poſuerat quod ſacerdores Arcam deferrent, ſi ſubjungit *ſequimini eos* nonne idem eſt, ac ſi dixiſſet *ibitis poſt eam?* In Vulgati lectione fortaſſis non intelligitur, quod populus Arcsm ſequi debebat? cur ergo in eum ſuceenſet Sixtinus?

V̸. 4. pariter vox במדה *bemiddah*, *in menſura*, quod fuerit a Vulgato prætermiſſa, cenſor noſter conqueritur, quaſi otium ibidem ageret. Verum unuſquiſque cognoſcit ſententiæ integritatem ibidem retineri; cum unum ſignificetur, idemque, ſi legamus cum Vulgato = Sitque inter vos, & Arcam ſpatium cubitorum trium millium = Sive dicamus cum Hebræis = interſtitium erit inter vos, & ipſam fere trium millium cubitorum in menſura =.

Carpitur etiam ad V̸. 5. Vulgatus noſter ab Amams eo quod vocem hebraicam ויאמר *vajiamer* non verterit *& dixerat*, ſed potius *& dixit*, cum in hoc caſu, inquit, videatur populus trajeciſſe Jordanem poſt dies quatuor.

Hæc tamen oppoſitio ſatis evulſa videtur ex iis, quæ ad V̸. 1. hujus Cap. diſputavimus; nona etenim die menſis Niſan hæc verba locutus eſt Joſue, nec tamen, ut oſtendimus, poſt quatuor dies tranſierant Iſraelitæ.

Ad V̸. 15. hujus Capitis diſſonantiam eſſe cum Lyra, & Benedicto contendit inter Hebræum, & Latinum: legimus quippe in Hebraica והירדן מלא על־כל גדותיו כל ימי קציר *vehajarden male al-col-ghedotau col jeme Katſir*: quæ verba ita fuiſſe transferenda contendit = Jordanis autem inundat ſuper totas ripas ſuas per omnes dies meſſis = Non apte proinde a S. Hieronymo eſſe converſa ſupponit, cum ſcripſerit = Jordsnis autem ripas alvei ſui tempore meſſis impleverat = Santes Pagnini rigidus hebraicæ literæ interpres *repleverat* vertit vocem hebraicam *male*; & ſane in hebraica litera nobis credendum proponitur quod Jordanis inundet quotannis ripas ſuas per omnes dies meſſis. Cum ab oppoſito in Vulgati lectione credendum nobis proponatur quod tunc temporis cum Iſraelitæ tranſituri eſſent, impletus erat Jordanis alveus ſuper ripas ſuas; quæ ſiquidem lectio juxta legitimum ſenſum a Spiritu Sancto intentum, congruentius videtur expreſſa, quam litera hebraica præſeferat.

V̸. 16.

℣. 16. cum ſcripſerit Vulgatus quod = aquæ Jordanis ſteterunt in loco uno, & inſtar montis intumuerunt = caſtigatur ab Amama, contendente magis intumuiſſe orationem Vulgati, quam Jordanem, cum nulla *montis*, nulla *tumoris* veſtigia in hebraico reperiantur.

Quis Cenſoris furorem non dignoſcat, & eorum audaciam, qui S. Hieronymi verſionem increpare non verentur; millies proteſtatus eſt S. Doctor, quod non literæ rigorem, ſed ſententiarum veritatem meliori, quo poſſet modo latinis vocibus expreſſam erat in ſua verſione propoſiturus. Quidnam diſcriminis eſt ſive dicamus = *ſteterunt aquæ acervo uno*, ſive dicamus *in loco uno inſtar montis intumeſcentes?* nullum profecto, cum in utraque lectione ſatis intelligamus ad Arcæ fœderis præſentiam aquas e ſupero Jordanis affluentes, ut ſcribit Maſius, tanta mole ſuiſſe coacervatas, cum continuo novæ prioribus ſupervenirent, ut ea moles ad urbem Adam uſque, quæ prope Sarthanam ſita erat, hoc eſt ad uſque Geneſaram continuo tractu extaret. Fatetur Maſius nihilominus Chaldæum, & Judæos aliter locum hunc fuiſſe interpretatos: Nempe eas aquas, quæ e ſupero deſcendebant, ita in cumulum unum proxime ad eum locum, ubi traiiciebant Iſraelitæ fuiſſe collectas, ut procul inde ab oppido Adam vicino Sarthanæ remanerent, neque propius illud alluerent, quam tum, cum uſitato curſu intra alveum ſuum dilaberentur: quod oppidum alioqui facile tanta mole reſtagnantes inundaſſent, ſi non cumulatim congeſtæ contigiſſent, ſed pro liquidi natura diffluxiſſent. Poteſt ne ita cæcutire vir aliquis ut non dignoſcat in Vulgati lectione non inepte poſitas eſſe phraſes illas *montis*, & *tumoris*, cum nil ſignificent aliud, quam aquas ſuper aquas conſtitiſſe, atque inſtar cumuli, vel acervi, vel montis, Jordanis undas ſuper alveum intumuiſſe? Quod autem adjungitur ab Amama eliſas eſſe a Vulgato voculas iſtas [illegible] *milmahala Kamu*, *deſuper*, *ſteterunt* inutile prorſus, nulliuſve roboris eſt ad ſententiæ integritatem in noſtra Vulgata ſatis expreſſam, infirmandam; quid enim deeſt in hiſce Vulgati verbis = ſteterunt aquæ deſcendentes in loco uno = ut idipſum non ſignificent, quod legit Hebræa per hæc altera verba = & ſteterunt aquæ deſcendentes ſuperne, ſteterunt acervo uno =? Nonne eo ipſo, quo dicimus aquas deſcendere, locum ſuperiorem, e quo dilabuntur ſtatim indicamus! ad quid duplex illa vox in latina oratione *ſteterunt?* ſi ſatis per unam aquas conſtitiſſe intelligimus?

Reprehenditur tandem Vulgatus noſter, quod tranſtulerit hoc eodem verſiculo = apparebant procul ab urbe, quæ vocatur Adom uſque ad locum Sarthan = cum in hebræo habeatur [illegible] *be Adom habir aſer mitſad tſarthan*; ab Adom urbe, quæ eſt ad latus Sarthanis.

Maſius ad hunc Joſue locum deceptos ſupponit LXX. ſeniores, atque legiſſe [illegible] *hadh*, *uſque*, pro *hir*, *urbe*. S. Hieronymus tamen in ſuo codice habet *uſque ad*, cujus lectio LXX. Interpretum lectioni apprime cohærens, quis opinetur num eorum codices mendoſi fuerint vel potius in recentibus Hebræorum exemplaribus mutationem ſubierit vocula iſta [illegible] *hadh*, atque in alteram [illegible] converſa fuerit? Fatentur Interpretes, inter quos Calmetus, ignorari ſitum, ubi Adom ædificata erat, notioremque eſſe Sarthanis locum; cur ergo legitimus hujus textus ſenſus non poterit eſſe, quod aquæ retroceſſerint in alveo Jordanis uſque ad locum Sarthanis, atque earum acervus apparuerit, vel conſpicuus fuerit ab Adom? ſive interim oppidum iſtud procul, ſive propinquum fuerit loco Sarthanis? Catholici Interpretes genuinum ſenſum in Vulgata noſtra reperiunt. Videatur Abulenſis quæſt. 37. in Cap. 3. Joſue.

℣. 17. tandem hujus Capitis Vulgatum objurgat Sixtinus, quod male vocem hebraicam [illegible] *hachen*; *accincti* converterit, cum, tradente Maſio, non ſoleat forma verborum *Hiphil* paſſivam ſignificationem inducere; quapropter vox illa interpretanda erat *parando*, vel *parantes*, quaſi videlicet Sacerdotes ſtarent in Jordane parando trajectionem populo. Omiſſa ulterius a Vulgato conqueritur illa verba = donec deſiiſſet omnis populus tranſire Jordanem = quæ in Hebræo revera leguntur.

Primam oppoſitionem retundit Vatablus legens *parati*, quod idem eſt, ac accincti, infinitivus enim inquit, eſt Hebræis pro participio paſſivo, ut admonet doctus inter Hebræos. Thargum etiam legit *præparati*, ut Druſius teſtatur. Symmacus pariter vocem illam vertit [illegible] *parati*, quam interpretationem, & S. Hieronymus per vocem *accincti* expreſſit. Quantum vero ad ſecundam objectionem dicimus ſatis expreſſam a Vulgato noſtro tam per verba Capitis tertii ultima, quam per prima Capitis quarti; quis enim non videat nullum Hebræorum fuiſſe derelictum, ſi ſcriptum eſt = omniſque populus per arentem alveum tranſibat; quibus tranſgreſſis. &c. = ℣. tandem 11. Capitis quarti legimus = cumque tranſiſſent omnes = deeſſe ne aliquid in Vulgata noſtra ad hiſtoricam veritatem dicere poſſumus?

§ IV.

NOn pauca ad Caput Joſue quartum in Vulgata noſtra Sixtinus offendit redarguenda. Omiſſam in primis clamat vocem [illegible] *hachin*, quam vertunt Pagninus, & Benedictus *præparatorium*, ideſt = ubi ſteterunt pedes Sacerdotum præparatorum, ſive accinctorum =. Satis autem (reſpondemus) ex Capite præcedenti Sacerdotes ſtetiſſe in alveo fluminis accinctos intelleximus; parum ergo ad integram lectionem, & ſenſum legitimum hæc particula juvare dignoſcitur: ſicut nec tantillum officere hiſtoricæ veritati intelligitur, quod adjunxit vulgatus Epithetum *duriſſimos* ad nomen ſubſtantivum *lapides*, quamquam in Hebraica Epithetum iſtud non habeatur, juxta Siatinum. Veruntamen diverſimode

hujuſ-

hujuſcemodi Epitheto LXX Interpretes, S. Hieronymus, Aquila, Symmacus, Bonfrerius, & alii judicarunt; vocem quippe Hebraicam *hachin* non cum nomine *Sacerdotum* connectunt, ſed cum nomine *lapides*, adeo ut ſenſum faciant = de ſtatione pedum Sacerdotum paratos duodecim lapides = non autem *hachin* cum etiam *firmos*, & *ſtabiles* verti poſſit, quid mirum ſi S. Hieronymus, eamdem duriſſimos eſt interpretatus?

Nullius pariter momenti inveniuntur Sixtini accuſationes in Vulgatum noſtrum dum clamitat, eodem verſiculo tertio prætermiſſas has voces *&* *transferetis eos* (lapides) *vobiſcum*: & verſiculo 5. pariter eſſe ſuppreſſam vocem *Tribuum*, cum in hebræa ſcriptum ſit = juxta numerum Tribuum filiorum Iſrael = quam retinuere LXX. Interpretes. Verſiculo tandem 7. repetita ſunt hæc verba in hebræa lectione *defecerunt aquæ Jordanis*, quam repetitionem, inquit Sixtinus, immerito Vulgatus ſilentio tranſmiſit.

Unica textus Vulgati lectione hujuſcemodi objectiones exſufflari non ambigimus, cum ad integritatem ſenſus a divino ſpiritu intenti nil deſiderari ſit manifeſtum = Elige duodecim viros ſingulos per ſingulas Tribus (legimus in Vulgata) & præcipe eis, ut tollant... lapides, quos ponetis in loco Caſtrorum ubi fixeritis hac nocte tentoria = his in verbis nonne lapides ab Iſraelitis tranſferendi fuiſſe intelliguntur, ut erigi poſſent in loco, ubi tentoria ea nocte figenda erant?

Majori adhuc claritate Vulgatus expreſſit duodecim lapides fuiſſe aſportandos juxta numerum Tribuum filiorum Iſrael, quamvis voculam illam Tribuum omiſerit ad finem ℣. quinti; in ℣. enim 4. ſcripſerat Vulgatus = Vocavit Joſue duodecim viros... ſingulos de ſingulis Tribubus, & ait ad eos.... portate ſinguli ſingulos lapides juxta numerum filiorum Iſrael = per hæc ultima verba, quis non intelligat filios Iſrael duodecim, qui fuerunt capita duodecim Tribuum, & in quorum ſingulis, ſingulæ Tribus ſignificantur?

Verba denique illa *defecerunt aquæ Jordanis* ſive bis, ſive ſemel dicantur, indicant æquali modo diviſum fuiſſe Jordanem, & inferiores aquas deſcendiſſe in mare mortuum, ſuperiores autem ſuperſediſſe donec filii Iſrael traſfretarent nil eſſe a Vulgato Interprete omiſſum propterea hoc in loco, quod ſententiæ integritatem temerare queat, compertum eſt.

Ad ℣. 13. ejuſdem capitis IV. acri cenſura Vulgatum perſtringit Sixtinus, quaſi ab Hebraica veritate protſus alienum; in hebræa quippe legimus = [illegible] *chearbahim eleph chalut ſe hatſaba haberu liphne adonai lamilchamah el harabot jerico*, quæ verba ad literam ſonant = Circiter quadraginta mille armati exercitus tranſibant ante faciem Domini, vel, coram Domino ad prælium per campeſtria Jericho = Neſcire in primis ſe, ait Sixtinus, utinam ſint in Hebræo textu verba illa *per turmas & cuneos*; injuſte alia *ad prælium*, & *coram Domino* prætermiſſa fuiſſe conqueritur.

Quantum ad primum attinet reſpondemus in primis per vocem *exercitus* ſatis poſſe ſignificari ſpectabilem ordinem, atque inſtructiſſimam aciem, qua procedebant illi 40000. bellatores; unde Vulgatus clariori fortaſſis expreſſione divini ſpiritus ſententiam expreſſit; veroſimillimum quippe eſt, quod armati illi non confuſa ad invicem permiatione, ſed recto pugnatorum ordine incederent. De verbis autem illis *coram Domino* en quo pacto ſcripſit Andreas Maſius in hunc Joſue locum = Illud vero *ante Dominum* interpre-
„ tetur cum Chaldæo *ante populum Domini*.
„ Neque enim probabile eſt illos inceſſiſſe
„ proxime ante Arcam. Ego tamen in mea
„ ſententia maneo, atque hoc *ante Domi-*
„ *num*, ſive coram Domino (eſt enim he-
„ braice [illegible] ac ſi dicas in conſpectu Do-
„ mini) plane eo ſenſu accipiendum arbi-
„ tror, quo illud de Nembrod Geneſ. 10.
„ ℣. 9. [illegible] (*gibbar tſajiad lipene*
„ *adonai*) *robuſtus venator coram Domino*;
„ nimirum, ut κατ' ἐξοχὴν inſignis præſtantia
„ roboris, & militaris alacritas illorum ſo-
„ ciorum commendetur; aut ſi id malis,
„ ſpectabilis ordo, acieſque inſtructiſſima,
„ qua illi procedebant noteτur, quod Latinus
„ ſenſiſſe videtur cum diceret *per tur-*
„ *mas*, *& cuneos*. Neque enim aliquin
„ *cuneorum*, aut *turmarum* ulla eſt in ſcri-
„ pturæ verbis notatio. Et in Regum hiſto-
„ ria Gabaonitæ narrantur ſuſpendiſſe ſeptem
„ Saulis Nepotes *in monte* [illegible] coram *Do-*
„ *mino* 2. Reg. 21. 9. quod profecto eſt,
„ ac ſi dicatur *illuſtri loco*, *& excelſo*, *atque*
„ *celebri* = Si hanc Maſii expoſitionem,
quæ a vero minime abludit, retineamus nonne ſatis Vulgatus expreſſit verba illa *coram Domino* in ſua verſione, dum recto ordine militari armatos illos inceſſiſſe deſcribit? Maſium citat hoc in loco Sixtinus tanquam Vulgati noſtri Cenſorem, cum tamen eidem potius favere dignoſcatur: Si tamen expoſitio Maſii minime arrideat, per vocem *exercitus* ſatis exprimi *cuneos*, & *turmas* adnotavimus. Vox denique illa *ad bellum* ſubintelligitur in Vulgati lectione ſtatim, ac exercitum armatorum recto ordine, & per turmas inceſſiſſe legimus; neque enim tali pacto milites diſponuntur, niſi cum ad bella procedunt. Nil ergo, quod factorum narrationi legitimæ requiratur, in Vulgati lectione deeſſe convincitur.

Quod tandem ad ℣. 24. Sixtinus caſtigat jam nullius eſt momenti, in correctis quippe Bibliis jam legimus affixum ſecundæ perſonæ, dum agitur de exſiccatione Jordanis, cum in ipſis habeatur *in conſpectu veſtro donec tranſiretis*. De maris autem rubri tranſitu ſcriptum eſt *donec tranſiremus*. In Bibliis nonnullis ante Sixti V. correctionem affixum legebamus perſonæ primæ etiam dum Jordanis transfretatio narrabatur. Id tamen ex Librariorum fortaſſis errato, cum vetuſti codices, & præſertim Hieronymianus, legerent *in conſpectu veſtro donec tranſiretis*.

Ad Caput Joſue 5. ſua perveniens cenſura Sixtinus exprobrat Vulgatum, quod reliquerit hæc verba = Omnis gens virorum

belli

belli, qui egreſſi erant ex Ægypto = Hæe altera etiam prætermiſſa conqueritut = quam juraverat Dominus patribus illorum ſe daturum nobis = & tandem ad ℣. 11. ejuſdem Capitis opinatur legiſſe Vulgatum finem verſiculi ſeqnentis, eo quod verterit *& polentam ejuſdem anni*, cum tamen in hebræo non habeatut [illegible] *Schanah*, *anni*, ſed [illegible] *bayom hazeh*, *ipſius diei*.

Qui ex Commentatotibus ad defectus Vulgatæ noſtræ ab Amama indicatos hoc loco verterunc animum, faſſi profecto ſunt ad ℣. *6.* ea deeſſe verba, quæ a Sixtino indicantur idque ex tranſcribentium errore derivandum, ut notat Vallarſius in codice S. Hieronymi ad hunc Joſue locum. Calmetus tamen quanquam fuſiorem textum Hebraicum, & LXX. Interpretum adfirmet, ſententiam tamen eamdem eſſe ac in Vulgata contendit; cujus opinioni quiſquis aſſentietur, ſi utrumque textam conſideret. Hebræa itaque juxta Pagnini verſionem ita legit = Nam quadraginta annis ambulaverunt filii Iſrael per deſertum, donec conſumeretur omnis generatio virorum bellatorum, qui egreſſi fuerant ex Ægypto, qui non aadierunt vocem Domini, quibus juravit Dominus, quod non oſtenderet eis terram, ſuper quam juravit Dominus patribus eorum, ut daret vobis terram fluentem lacte, & melle = Vulgata autem hoc modo ſententiam exprimit = Per quadraginta annos itineris latiſſimæ ſolitudinis incircumciſus ſuit donec conſumerentur, qui non audietant vocem Domini, & quibus antea juraverat, ur non oſtenderer eis terram lacte, & melle manantem = Quis non videat hoc in loco ſatis deſcribi integritatem ſententiæ? fatemur tamen ex amanuenſium errato prætermiſſa ea verba *ſuper quam juravit* &c. quæ tamen cum pluries in divina ſcriptura legantur, facillime unuſquiſque dignoſcit, quod Dominus terram tradebat Judæis ſuper quam eorum patribus juraverat. Alia autem verba *omnis gens virorum belli* in ℣. præcedenti quarto tam clare poſita ſunt, ur neceſſitate ulla eadem repetere in ℣. *6.* minime compellamur. Quod denique ad ℣. 11. Vulgatus noſtet legerit ſequentis ℣. verba, ut opinatur Sixtinus faſſum eſt, cum verſiculus 12. integer in Vulgata legatur, atque verba *præſentis anni* replicentur ibidem; alia propterea de cauſa poſita videntur ea verba *ejuſdem anni* in verſu 11. quamvis in Hebræa ſcriptum ſit *ejuſdem diei*.

Advertunt itaque Commentatores verſiculum 11. hoc pacto legi in Hebræa de verbo ad verbum = & comederunt de fructibus terræ a craſtino Paſchæ in fermentata, & toſtum in corpore diei hujus = in Craſtino igitur Paſchæ comederunt Judæi de fructibus terræ, ſpicas nempe igni toſtas, & manibus attritas, quæ ſiquidem eſſe debebant ejuſdem anni, quidquid alii opinentur, vox enim hebraica [illegible] *Kalui ſpicas igne toſtas* ſignificat, quod ſpicis virentibus tantummodo fieri ſolet; & ſane ubi Hebræa legit toſtum LXX Interpretes verterunt *nova*, ideſt ejuſdem anni frumenta; exprimitur ergo a Vulgato idem prorſus, quod in hebræa eſt indicatum. *Kalui* autem hebraicum vertit S. Hieronymus *polentam*, quia vox illa in *Toar*, id revera ſignificat, ut etiam Pagninus in ſuo Theſauro, aliique tradunt. Omiſit tandem S. Hieronymus verba illa *in corpore diei hujus*, quæ in hebraica leguntur veritate, quia ſatis indicaverat, quo die comederunt Iſraelitæ, in verbis præcedentibus, nempe in Craſtino Paſchæ: Nil ergo hoc in loco erroris deprehendi poteſt in Vulgati lectione, quidquid Sixtinus, aliique ſublaterent.

§. V.

ADverſus lectionem vulgati ad Caput *6.* Libri Joſue opponit in primis Sixtinus Maſii innixus auctoritati, perperam a Vulgato ſejunctam fuiſſe primam ℣. quarti partem a ℣. præcedenti, cum quo implicita eſt, & conjuncta; unde interpretatus ita videtut Hieronymus, quaſi ſeptimo die tantummodo Sacerdores deberent canere tubis; cum tamen res acta clare doceat ſingulis etiam præcedentibus ſex diebus buccinis inſonuiſſe Sacerdotes ante Arcam.

Fatemur profecto clariori quodam modo in Hebraico ad ℣. hunc quartum, expreſſum fuiſſe Sacerdotum ſingulis diebus clangorem buccinis emittendum, quam ſit in Vulgata. Numquid tamen deeſt in noſtra factorum integritas? minime certe, ſatis etenim clare a ℣. octavo, & ſequentibus intelligimus debuiſſe Sacerdotes ſingulis diebus canere tubis, ſepties autem clanxiſſe die ſeptima: integram ergo habemus in Verſione noſtra hiſtoricam veritatem.

Ad ℣. 5. hujus Capitis redarguit Amama iſtam S. Hieronymi interpretationem *cumque inſonuerit vox tubæ longior, atque conciſior*, contendens vocem illam *conciſior* in hebraica deeſſe.

Non diffitemut & nos vocem iſtam explicite in hebraico textu minime haberi niſi fortaſſis vocem *bajobel* non intelligatur *jubili*, vel *jubiliationis*, ut nonnulli revera intellexere, ut ipſemet Amama ad hunc locum confitetur. Cum itaque duplicem tubarum clangorem Hebræi agnoſcant ex Num. Cap. 10. quorum primum [illegible] *thekibah*, alterum [illegible] *therubah* vocant; primum per vocem continuam, & æquabilem, dum Cœtus congregandus erat, fieri; alterum pet vocem citam, atque conciſam emitti, dum accendendi erant militum animi ad prælium commonent; hinc Latinus Interpres ſonum *therubah* hoc loco expreſſit, quia milites ad victoriam ſuper Jericho conſequendam inſtruebantur per ipſum; qui ſonus idem eſt cum *ſono jubiliationis* nempe cum eo qui per vocem citam, atque fractam emittitur, ut exponunt Munſterus, Fagius, & Vatablus ad ℣. 15. Capitis 10. Numerorum; non acriter adeo redarguendus videtur S. Hieronymus ad hunc locum.

Redarguit inſuper Vulgati lectionem his conceptam verbis ad ℣℣. 9. & 13. *Reliquum vulgus ſequebatur Arcam*; quia videtur, inquit Sixtinus, Vulgatus exiſtimaſſe omnes

arma-

armatos nullo diſcrimine, vel ordine Tribuum anteceſſiſſe, inermes autem Arcam ſubſequutos; cum tamen poſtremum omnium eſſet Danitarum vexillum, ſub quo Aſeriani, & Nephtalitæ, aliique imbecilliores claudebantur.

Hac de re plura jam tradita ſunt pagina 266. col. 1. Tomi 1. Diſquiſit. Hoc in loco breviter dicamus verbum hebraicum מאסף *measſeph* converſum fuiſſe a LXX Interpretibus ὁ λοιπὸς ὄχλος *reliquum vulgus*, quam interpretationem fatetur Maſius non eſſe ſacræ Scripturæ verbis diſſentaneam, cum a vero minime videatur alienum, quod omnes ea quacumque Tribu, qui erant armis inſtructi, ornatique ante Arcam incederent; inermes vero & qui e Vulgo una circuire volebant, Arcam ipſam ſequerentur. Si autem ſupponamus etiam unamquamque turmam ſub proprio inceſſiſſe vexillo, atque Danitarum inſigne fuiſſe omnium poſtremum, ſub quo Seniores, atque imbecilliores colligerentur, nonne ſub illo Vulgus extitiſſe, ideſt imbecillium turmam, peroptime dicimus? Non igitur veluti a veritate alienus Vulgatus Interpres poſſe videtur hoc in loco reprehendi.

Non omittit Siatinus alteram verſiculi 9. partem Vulgati noſtri his conceptam verbis, *ac buccinis omnia concrepabant*, abſque cenſura, ait quippe, hoc in loco a Vulgato buccinas Vulgo etiam concedi, cum tamen ſoli Sacerdores ſeptem iis uti permiſſi ſint, ut patet ea ℣. 10., in quo populo præceptum erat ne clamaret, neque ejus vox audiretur.

Plurium ſiquidem fuit ſcriptorum ſententia, quod ſoli Sacerdores clangerent tubis, dum Civitatem Jericho circuibant, ſilentibus cæteris omnibus, qui Arcam ſequebantur.

Aſt minime deſunt, qui tueantur oppoſitum ex Catholicis præſertim, textibus hebraico, & græco inhærentes; in hebræa ſiquidem lectione hoc pacto ea exprimitur ſententia: והמאסף הלך אחרי הארון הלוך ותקוע בשופרות *vehamaſeph holech acharè haaron haloch vetakoa baſchopharoth.* Apud Græcos autem hoc legitur modo dicta ſententia πορευόμενοι καὶ σαλπίζοντες ταῖς κερατίναις Hebraica verba Pagninus ita convertit = Et aggregatus ibat poſt Arcam eundo, & clangendo tubis = Ad ℣. 12. in quo eadem ferme phraſis hebraica adinvenitur, tranſtulit idem Auctor = & recollecti reliqui ibant poſt Arcam Domini eundo, & clangendo tubis = Quid ergo mirum ſi Vulgatus populo Arcam ſequenti tubas concedit, ſi hunc ſenſum hebraica, & Græca tam clare præſeferunt. Quod autem ℣. 10. hujus Capitis juſſus legatur populus ne vocem emitteret, id intelligunt Expoſitorum plures de voce humana, non de tubarum ſonitu; qua de re videndi Toſtatus in hunc locum, aliique Commentatores Catholici.

Nullius autem momenti profecto eſt, quod in Vulgato ad ℣. 11. reprehendit Siatinus; quaſi expreſſerit ſolam Arcam, minime populum fuiſſe in Caſtra reverſam; verum tam clare deſcripſerat antea, populum una cum Arca gyrum Civitatis compleviſſe, ac diebus ſequentibus cæremoniam illam ab eodem fuiſſe frequentatam, ut riſum profecto moveat, qui ex Vulgati lectione ſe intellexiſſe ſolam Arcam eſſe reverſam adfirmaverit.

Ejuſdem indolis exiſtimanda videtur reprehenſio ad ℣. 16. contra Vulgatum noſtrum ab Amama inſtituta; quandoquidem nil facit ad veritatem hiſtoriæ, ſive hæc repetitio verborum *dumtaxat eo die circumiverunt urbem ſeptem vicibus* habeatur, ſive omittatur, cum ſatis, & abunde ex Vulgati lectione percipiamus ſingulis ſex diebus per ſingulas vices tantummodo Iſraelitas circumiviſſe Civitatem, ſeptimo autem die circum eam perambulaſſe; integram ergo ſententiam, legitimumque ſenſum in Vulgata noſtra reperitur.

Ad ℣. 17. non propria energia tranſlatam eſſe vocem tertiæ perſonæ fœminini generis præteriti *Hiphil* nempe החבאתה *hechbeata*, quæ ob duplicatam notam ה non ſimpliciter *abſcondere*, ſed *probe*, vel *diligenter abſcondere* ſignificat. Vulgatus tamen, ut opinamur, hujuſcemodi ſcrupoloſitates otioſis Rabbinis reliquiſſe credendus eſt, cum millies ſit conteſtatus ſolum ſenſum germanum nobis redditum a ſe fuiſſe ex hebraica lectione.

In ℣. pariter 20. hujus Cap. in Vulgatæ verbis *igitur omni populo vociferante, & clangentibus tubis* &c. Satis contineri parentheſim illam, quæ habetur in Hebræo = & fuit cum audiret populus vocem buccinæ ululavit populus clamore ingenti = unicuique manifeſtum eſt; unde a S. Hieronymo omiſſa fuit, quamvis apud Sanctos Patres antiquiores Hieronymo legatur, præſertim apud Luciferum Calarit. in Lib. *de non conv.* cum *Hæret.* non igitur adverſus Vulgati lectionem expoſtulandum.

§. VI.

Cauſam in Vulgatum confert Siatinus ad 7. Joſue Caput; in primis quod ad ℣. 11. hæc hebraica verba אשר צויתי אותם *aſcher tſivviti otam: quod præceperam eis* prorſus omiſerit. Quis tamen clare non videat in Vulgato etiam ubertim ſententiam haberi, nec deeſſe quidpiam ad verbi divini integritatem; per Vulgatum quippe divinum præceptum jam fuerat ad ℣. 17. Capitis 6. ne de anathemate Civitatis quidpiam ſibi Iſraelitæ ſurriperent; facile ergo tranſgreſſionem præcedentis mandati, quod Judæis præceperat Dominus, unuſquiſque facillime percipit, quin ea replicentur prædicta verba, pro quibus in Vulgatum Interpretem Amama ſuccenſebat. Pari modo ſatis clare Vulgatus expreſſit non in ſolo Achane fuiſſe reſtrictum anathema comburendum, cum ℣. 15. ejuſdem Capitis quicumque fuerit anathemate tinctus jubeatur comburi cum tota ejus ſubſtantia; dum ergo ℣. 12. ſcripſit Vulgatus *donec conteratis eum, qui hujus ſceleris reus eſt* indicare ſategit nedum res ea anathemate ſurreptas, quæ anathematis nomine facilius intelligi poterant, ſed furti reum pariter fuiſſe comburendum, divinæque juſtitiæ immolandum.

Ad

Ad ℣. 14. fatemur in Hebræo ſcriptum eſſe *deprebenderit Dominus* pro *ſors invenerit*, quæ ſiquidem hebraica verba repetita leguntur ad *cognationem* ad *proſapiam* ad *domum*, quæ replicatio a Vulgato prætermiſſa eſt. Nunquid propterea non ſatis intelligimus ea omnia a Domino fuiſſe deprehenſa, ſi ab eodem ſortes imperatæ hoc in loco leguntur, ab eodem itaque ita dirigebantur, ut dubio procul in reum anathematis cadere deberent, diverſis vocibus itaque una eademque rés exprimitur a Vulgato.

Ad ℣. 25. clariori phraſi lapidum flagellum, atque combuſtionem, nedum Achanis, ſed & filiorum ejus in hebraica lectione contineri nequaquam ambigimus, eo quod hiſtoria lapidationis & combuſtionis repetatur cum pronomine numeri pluralis hoc modo = & combuſſerunt eos igne, & lapidaverunt eos lapidibus = Verum nil deſiderandum ad hujuſcemodi intelligentiam videtur in Vulgata, quandoquidem in eadem igne combuſta legantur omnia, quæ Achanis erant; & ſub magno lapidum acervo ſepulta: quæ ſiquidem parum ab Hebraica veritate differre comperiuntur quoad verbum, & nil profecto quoad ſenſum.

Tandem ad ℣. 26. ex Maſii auctoritate vocem *furor* Sixtinus redarguit veluti Domino prorſus indignam, unde vocem hebraicam [illegible] *mecharon* non *furorem*, ſed *indignationem* potius vel *excandeſcentiam* fuiſſe transferendam arbitratur, Pagninus in theſauro indiſcriminatim voci illi ſignificationem *iræ*, *furoris*, & *excandeſcentiæ* præſcribit. Verum ut notat Druſius ad hunc Joſue locum *furor* dicitur a S. Hieronymo, qui a Græcis [illegible] appellatur, In Stoicis autem definitionibus [illegible] eſt [illegible] ideſt *ira incipiens*. Clarius tamen S. Doctor in Cap. 41. Ezechielis ſe explicuit dum ſcripſit = Furorem autem dicimus non eum qui perturbationi, & vitio proximus eſt, ſed qui mentis conſolidat mollitiem, & fortiorem facit animum dimicantis = alibi autem dictum eſt = furor eſt ubi cum poteſtate habitat iracundia: ſive ergo *furorem*, ſive *iracundiam*, ſive *excandeſcentiam* dixerimus, id unum ſignificatur in ordine ad Deum, quod homines in ejus conſpectu rei ſunt, atque pœnas merentur non vero quod aliquis in Deo mentis turbatus affectus aut variabilis eſſe queat, cum immutabile omnino ſummum illudens ſit neceſſario.

Plura in Vulgata verſione ad Caput Joſue 8. redarguenda Sixtinus offendit, de quorum ſingulis modo dicturi ſumus; ne quidpiam ad ſenſuum, vel ſententiarum integritatem deeſſe, vel perperam translatum inveniri poſſe confidimus. In ℣. 8. hujuſce Capitis, Hebræa, ex quo legat, = juxta verbum Domini facietis, videte præcepi vobis = Majori cum emphaſi hæc dicta eſſe nequaquam ambigimus, ſed idipſum nihilominus in Vulgata contineri, ex eius verbis: *cumque ceperitis* (urbem) *ſuccendite eam, & ſic omnia facietis ut juſſi*, ſatis fit palam; ad initium enim Capitis huius Dominus refertur ad Joſue fuiſſe locutus, Imperatorem autem ex Dei mandato militibus directionem dediſſe inficiari non poſſumus; ſive enim dicamus videte *præcepi vobis*, ſive dixerimus *omnia facietis ſicut juſſi* exprimitur Imperatoris voluntas, quæ neceſſitatem obediendi perurget. Itala antiqua legebat, *ſecundum verbum iſtud facietis*, *ecce præcipio vobis*. Hæc tamen omnia in idem recidunt.

Quidnam pariter eſſentiale diſcrimen inter hæc verba hebraica: *& caſtrametati ſunt a Septentrione Hai*, & hæc altera: *ſteterunt ad ſeptentrionalem urbis plagam*, quibus Vulgatus Interpres eſt uſus, intercedere aſſeremus? & tamen ab Amama ad ℣. 11. hujus Capitis Vulgatus reprehenditur.

Tria ad ℣. 14. ejuſdem Capitis omiſſa a Vulgato Sixtinus conqueritur primo hæc verba [illegible] *likrath Iſrael*, *in occurſum Iſraelis*: ſecundo hæc altera [illegible] *lammilchamah*, *ad bellum* tertio tandem [illegible] *lammobedh*, *tempore ſtatuto*. Hæc tamen omnia ſatis a S. Hieronymo fuiſſe indicata in ſua verſione quæ eſt eadem cum Vulgata, ſatis ex ejus verbis ſit compertum; poſtquam enim poſitionem Iſraelitici exercitus deſcripſit, ſubjungit ℣. 14. = Quod cum vidiſſet Rex Hai feſtinavit mane, & egreſſus eſt cum omni exercitu Civitatis, direxitque aciem contra deſertum = nonne intelligitur ex his verbis Regem Hai in occurſum Iſraelis proceſſiſſe, & quidem ad præliandum, ſi erat cum ſuis militibus, & adverſus Joſue aciem ſeſe dirigebat? Illud denique verbum *lammobedh*, incertum eſt an ſtatutum locum, vel tempus ſignificet; Maſius quippe de loco potius, quam de tempore uſurpandum opinatur, cui R. Iſaias adſtipulatur; & tandem non inepte, ipſemet Maſius, pro *teſſera militari*, ſive *ſigno* erumpendi e portis Civitatis, accipi poſſe arbitratur; ſi de loco verbum illud uſurpare velimus jam ſatis in Vulgati lectione indicatur, dum Haienſes copiæ contra deſertum directæ leguntur, ubi Joſue cum ſuis caſtra tenebat.

Ad ℣. 19. omiſſam vocem [illegible] *vajmaharu*, *& feſtinarunt*, Sixtinus adfirmat in Hebræo quippe legi, ait = & feſtinarunt, & incenderunt urbem igne = cum tamen Vulgatus ſolum habeat = cœperunt (Civitatem) & ſuccenderunt eam =. Satis tamen in noſtra lectione eſſe indicatam feſtinationem Iſraelitarum compertum eſt ex integra huius verſiculi translatione, quæ eſt = Inſidiæ, quæ latebant ſurrexerunt confeſtim; & pergentes ad Civitatem cœperunt, & ſuccenderunt eam = Vox illa *Confeſtim*, quid quæſo ſignificat?

Quamvis autem ad finem ℣. 24. hujus Capitis omiſerit noſter Interpres voculas illas [illegible], *lepi chareb*, in ore gladii, integram nihilominus expreſſit ſententiam per hæc verba = reverſi filii Iſrael percuſſerunt Civitatem = quibus profecto intelligimus Cives a victoribus fuiſſe interemptos per gladium, eo vel maxime quod ſtatim ſequatur ſacer textus = eodem die conciderant a viro uſque ad mulierem duodecim millia hominum, omnes urbis Hai = Nil ergo ad

ſententiæ integritatem deeſſe cognoſcimus.

Ad ℣. pariter x8. idem eſſe opinamur, ſive dixerimus *fecit eam tumulum ſempiternum* cum Vulgato; ſive cum Hebræa legamus *& poſuit eam tumulum ſaculi deſolationem aſque ad diem banc*, quæ poſtrema verba ad finem verſiculi 29. ubi de ejuſdem Urbis Regis excidio fit ſermo, poſita ſunt a Vulgaro. Nil in Vulgata noſtra ſenſum eſſe variatum ad ℣. 32. hajus Capitis conſtanter opinamur, eſto vocem hebraicam [illegible] *miſne Deuteronomium* legis, non iterationem legis S. Hieronymus convertetir; unuſquiſque etenim ex litera Vulgati percipit ſatis Joſue non aliud, quam Deuteronomii exemplar in lapidibus inſculpſiſſe (quidquid hoc in loco Deuteronomii appellatione intelligendum veniat) cum ſtatim ſubjungat *quod ille* (Moyſes) *digeſſerat coram filiis Iſrael*. Nonne inſuper optime dicimur aliquid ſcribere quamvis ex præexiſtenti exemplari id tranſcribamus? Alia nonnulla, quæ Sixtinus in hoc Capite ex Benedicto aliiſque notat, levioris ſunt momenti, quam de iis diſputare ſit neceſſe.

Paucula ſunt pariter, in quæ Amama animadvettit ad Caput Joſue 9. deeſſe in primis conquerirut, & a Vulgato noſtro omiſſam particulam [illegible] *gam*, *etiam*, quam nequaquam, ait, otioſe Spiritus Sanctus xpoſuit. Alteram pariter vocem hebraicam [illegible] *vaiitstaiaru*, non bene lectam a Vulgato per *daleth* pro *Reſch*, *vaiitstaiadu* nimirum, quia aptior eſt lectio eorum, qui ajunt & Gabaonitas ſe *finxiſſe legatos*, idque profecto ſonat *vaiitstaiaru*, quam eorum lectio, in qua habentur Gabaonitæ *& paraviſſe cibaria*, quod vere ſignificat dictio hebraica *vaiitstaiadu*.

Ad primam quod pertinet vocem, fatemur in noſtra deſiderari, quanquam incertum ſit, ipſo ſatente Maſio, quorſum ſpectet comparatio illx, quæ vi voculæ *etiam* continetur; nec leviter proinde ejus defectu veracitatem hiſtoriæ offendi cognoſcimus.

Quantum vero ad alteram vocem Maſius in hunc locum advertit LXX. legiſſe [illegible] *paraverunt cibaria*. Jonarhan pariter legit vocem illam cum *daleth* unde converſx eſt *viaticum paraverunt ſibi*; pari modo legebat antiquus Interpres Syrus, qui Euſebii manu fuerat emendatus ex Exaplis Origenis. Cum itaqoe tot pervetuſti Scriptores, inter quos S. Hieronymus vocem illam non ex radice [illegible] *tſir*, quæ *legatum* ſignificat, ſed ex altera [illegible] *tſeda*, qua ſignificatur annona derivarint, cur recentibus potius Auctoribus quam illis fides habenda erit? Non diffitemur nihilominus in utraque lectione quin veracitas hiſtoriæ conſiſtere queat, cum Gabaonitæ a ſuis miſſos ſe ſimulaverint; & cum patiter cibaria ſibi paraviſſe, ſecumque detuliſſe in ſacro contextu referxntur.

§. VII.

VApulat Vulgatus noſter ab Amxma quod ad ℣℣. primum, & quattum Capitis X. Joſue, hebraicam vocem [illegible] *biſchlima* verterit pet verbum *transfugo*, cum omnibus ſit compertum, ait Cenſor, vocem [illegible] *ſchalom*, pacem denotare; alia pariret verba, *& eſſent fœderati coram* vertenda fuiſſe *& eſſent in medio eorum* contendit.

Quid autem quæſo eſt *ad inimicos confugere*, *cum iiſdem fœdus inire*, niſi pacem cum eiſdem ſtatuere? cum eiſdem habitare? nonne igitur Vulgatus noſter ſatis expreſſit a Gabaonitis amicitiæ pactum cum Judæis fuiſſe decretum, quod tandem in ſenſu idem eſſe compertum eſt, quod legimus in Hebræa.

Ad. ℣. 2. diſcrimen aliquod intercedere notat Sixtinus inter Hebraicam, & Vulgatam lectionem, quandoquidem in illa habeamus [illegible] *vecol-anaſcheab gibborim: & omnes viri ejus fortiſſimi*, & tamen Vulgatus convertit = & omnes bellatores ejus fortiſſimi = univerſalior profecto eſt in Hebraica lectione ſententia. Veruntamen S. Hieronymus adjunctam *fortiſſimi*, *bellatoribus* conjunxit fortaſſis, viris ſcilicet ejus ætatis, qui ad bellum procedere ſolent, unde & ſenes, & infirmos, & ineptos, quorum plurimi in Civitaribus ſemper reperiuntur, inter fortiſſimos nequaquam recenſuit.

Objurgat Cenſor nedum Vulgatæ Auctorem, ſed & Romanos correctores quod ad ℣. 7. hujus Capitis neglexerint particulam *&*, quæ ante verba iſta *viri fortiſſimi* locanda erat, inquit, ut inter populum bello aptum, & viros ſtrenuos aliquod diſcrimen haberetur, cum nedum pugnaciſſimos milites, ſed inſuper viros induſtria, atque ſagacitate pollentes ſecum Joſue perduxiſſe credendus ſit.

Optimam profecto Maſii expoſitionem, quæ in hunc locum ab Amama protrahitur, arbitramur. Diu tamen in Eccleſia Dei verbum divinum hoc in libro perlectum cognoſcimus abſque particula illa copulativa, qua inter bellatores, & ſagaces viros diſcrimen apponitur, cum unicuique ſuaſum ſit ab Joſue viros non minus fortes, quam ſxgxces ad præliandum fuiſſe delectos. In codice, quo utebatur Auguſtinus deerat profecto vocula *&*, ut patet ex ejus quæſt. 14. in Joſue. Sit tamen iſtx una ex mendis, quæ ſuperſtitiſſe in Vulgata dicebantur a Bellarmino, aliiſque, ſuo tandem tempore eliminandæ; quid profecto periculi eſt in Vulgatæ lectione; adverſus quam, adeo acriter invehont Hethetodoxi?

Plurimx tradit Sixtinus xd ℣. 14. hujus Capitis, contendens perperam fuiſſe adjectam vocem *longa*, cum ſacer textus nequaquxm comparationem hujus diei cum aliis, qui antea fuerunt, vel poſtea, circa longitudinem, ſeu durationem inſtituat, ſed quod nunquam Deus diem aliquam protraxerit ſicut iſtam ad interficiendos hoſtes Iſraelitici populi in bello, quemadmodum Maſius ad hunc locum Joſue, & Burgenſis ad IV. Regum Cap. 10. oſtendunt.

Com-

Compertum profecto eſt in hebraico textu deeſſe vocem illam *longa*, cum in eodem legamus ſolummodo [illegible] *vela bajah ebajiom babn lepanau veacharau*, *& non fuit dies ſicut ipſa ad faciem ejus* (hoc eſt ante iſtam) *& poſt ipſam*. Verum implicite ſaltem in eodem textu vocem illam contineri certum eſt, cum in ℣. 13. præcedenti legit Hebraica = non proceſſit (ſol) verſus occaſum ſuum circiter die integra = deinde ſubjungit unquam fuiſſe, nec ante, nec poſtea talem diem; quod certe ad ejus longitudinem etiam referri poteſt, quidquid Maſius, aliique arbitrentur. Nec vel tantillum hiſtoriæ veritati officere dignoſcimus controverſiam inter Commentatores exortam de die, quæ Ezechiæ temporibus, Iſaia Dominum exorante, protracta fuit, quandoquidem ex hujuſcemodi tricis expedimur, ſi dixerimus ſacrum Scriptorem Libri Joſue de ſolis diebus ad ſuam ætatem uſque fuiſſe locutom, vel ſi eorum amplectamur Sententiam, qui longe breviorem diem Ezechiæ fuiſſe tuentur. In Græcis etiam eam vocem *longa* deſiderari certum eſt; veruntamen in iis non obſcure indicatur comparationem illius diei cum aliis, non ſolum ad Deum pro Iſrael pugnantem reſpicere, ſed etiam ad iſtius diei longitudinem; ita enim legebat Origenes = & ſtetit ſol in medio Cœlo, & non eſt progreſſus ad occaſum in finem unius diei; non fuit dies talis ante hoc; nec ita exaudivit Deus hominem &c. = Nonne videtur in hac lectione inſtitui comparatio de longitudine hujus diei cum aliis, qui præceſſerant? S. Hilarius nihilominus in Pſal. 135. ita legit ſacrum textum, ut colligi poſſit ſingularitatem hujus diei ad prodigium, quo Deus vocem hominis exaudiverit, & pro Iſrael pugnaverit eſſe referendam. Id tandem unum advertimus non admodum ſingulare prodigium apud Iſraelitas fuiſſe, quod Deus pro eiſdem dimicaverit; legimus quippe Exodi 14. Dominum contra Ægyptios in tranſitu Maris rubri pugnaviſſe, atque contra Reges Chanaan pro Judæis pugnaturum promiſerat Moſes Deuteronomii Cap. 3. ℣. 22.

Apponit deinde Sixtinus contra Vulgati lectionem aliorum criticorum obſervationes, atque ad ℣. 18. hujus Capitis demendam eſſe vocem *induſtrios*, nec non poſt verbum *ponite* adjungendas eſſe contendit ex Benedicto, voculas *juxta eam* (ſpeluncam nempe).

Quantum ad primam; nullum hiſtoricæ veritati præjudicium ex illa vocula *induſtrios* evenire poſſe unuſquiſque dignoſcit, cum homines vigilantes, atque ſpeluncam attente cuſtodientes ibidem fuiſſe deſtinatos ſuadeamur neceſſe ſit. Alteras autem voculas *juxta eam* in Vulgati lectione ſatis ſubintelligi nemo poterit inficiari, ſi enim ab ipſis, qui poſiti ſunt, clauſi intra ſpeluncam cuſtodiendi erant, dubio procul juxta eam quod permanere debuerint, intelligimus, hinc fortaſſis S. Hieronymus eaſdem omiſit, niſi dicere lubeat eaſdem in ſuo codice hebraico, quem terebat defuiſſe.

Ad ℣. 21. hujus Capitis notat Sixtinus ex Maſio verba hæc hebraica [illegible] *lo eharats libene Iſrael & leſchono*: eſſe proverbialia, atque hunc ſenſum præſeferte, *non acuit canis contra filios Iſrael linguam ſuam*. Pagninus tamen, cujus verſionem non ſemel laudat Cenſor Vulgati, ita hebraicum hunc textum interpretatus eſt = Neque movit contra filios Iſrael quiſque linguam ſuam = quæ ſiquidem lectio apprime cum Vulgati interpretatione congruit, ut omnibus notum eſt. Quod tandem ait cum Benedicto non bene ſimplex hoc verbum [illegible] *beſchalom*, *in pace*, verſum eſſe a Vulgato *ſani*, *& integri numero* nullius eſt momenti notat enim Vatablus hoc verbum *in pace* eſſe Hebraiſmum, quo ſignificatur *ſalvi*, *& incolumes*, quod optime noverat S. Hieronymus.

Duo in hoc Capite loca adhuc a Sixtino notata ſuperſunt tanquam ab Hebraica veritate [illegible], alterum ad ℣. 27. alterum autem ad 40. ſignat. In primo non apte a Vulgato ſcriptum contendit *præcepit ſociis* cum hebraica legat [illegible] *tſivvah Jeaſuah*, *præcepit Joſue*. Rerum ex contextu Vulgatæ evidenter convincitur a Joſue juſſam fuiſſe cadaverum e cruce depoſitionem, quamvis Imperatoris nomen hoc in loco nequaquam ponatur, nec aliis, quam ſociis ideſt commilitibus ſuis præceptum impoſuiſſe quod utique hiſtoricæ veritati eſt quammaxime conſentaneum.

Ad ℣. 40. autem Cenſor noſter Vulgatum redarguit, quod ad LXX. Interpretum imitationem vocem hebraicam [illegible] *vehaaſedoth*, & *Aſedoth* veluti nomen proprium Civitatis, vel loci retinuerit, cum tamen *declivitates*, ſeu *convalles* ſignificet montium, & ipſemet Vulgatus Deuteronomii 3. ℣. 17. eamdem vocem *radices* verterit.

Quonam quæſo fundamento opinatur Sixtinus vocem illam *Aſedoth* in Vulgatæ lectione, veluti civitatis nomen proprium fuiſſe uſurpatam? non quidem ex contextu ejuſdem cum potius ex illo eruatur oppoſitum, nempe vocem illam generali quadam ſignificatione de locis irriguis, vallibuſque eſſe intellectam. Capite enim 12. Joſue ℣. 8. legimus = tradiditque eam Joſue in poſſeſſionem Tribubus Iſrael ſingulis partes ſuas, tam in montanis, quam in planis, atque campeſtribus. In Aſedoth, & in ſolitudine, ac in meridie Hethæus fuit &c. = S. Hieronymus utique in libro de locis Hebraicis Civitatem quamdam agnoſcit nomine Aſedoth diverſam omnino ab ea, quæ cecidit in ſortem Tribus Ruben, quæque Aſedoth-Phaſga appellabatur. Nunquid propterea compellemur Vulgatæ textum, in quo eadem vox ac in hebraica legitur, juxta S. Doctoris peculiarem interpretationem intelligere? minime certe, quamvis ea S. Patris opinio erroris haudquaquam revinci queat.

Crimen Romanis Correctoribus ad ℣. 1. Capitis Joſue 11. imputat Amama, quod vocem *Aſor* abſque duplici aſpiratione *H* vel *ch* reliquerint, cum tamen in Hebræo legatur [illegible] *hatſor* vel *chatſor*.

Si hujuſcemodi Cenſuram audiſſet in vivis S. Hieronymus, utique quod in Libro de optimo genere interpretandi dixerat olim, hic dubio procul iteraret = alii ſyllabas aucupentur, & Literas; tu quære ſententias = vel quod adverſus Ruffinum in Apologia 2. ſcripſerat rurſus replicaret = Sicuti ergo editio mea a veteribus diſcrepat; interroga quemlibet Hebræorum, & liquido pervidebis me ab æmulis fruſtra lacerari = Mirum eſt pro una aſpiratione omiſſa Romanos Bibliorum correctores a Sixtino laceſſiri, novum ne eſt ut una lingua aſpirantes literas exigat, quæ omittuntur in altera? in verbo *habeo* latina locutio aſpirationem ſemper expoſcit, nunquam tamen Italicum Idioma. Ad ℣. 21. & 22. huius Capitis Joſue, verbum [illegible] abſque ulla aſpiratione vertit *Anacim* Varablus; Maſius pariter vir doctiſſimus vocem Hebraicam [illegible] quamvis profunda aſpiratione ע *ngain* ſignatam ſimpliciter vertit *Araba*, nulla prorſus habita ad aſpirationem mente. S. Hieronymus denique in hebraica lingua maxime inſtructus in ſuo Libro de locis Hebraicis ſcribit *Aſor* ſine aſpiratione *Merom* autem legit cum *m*, non cum *n* in fine; hunc magiſtrum ſe imitatos glorientur Correctores Romani.

§. VIII.

Reprehenditur Vulgatus Interpres pro ſua ad ℣. 5. Capitis XI. Joſue hebraicæ vocis translatione [illegible] *vajiiabu convenerunt que &c.* quaſi non ſatis expreſſerit ejus vocis ſignificatione, quæ non eſt quod ſimpliciter convenerint, ſed quod de compacto, deque condicto, ſtatuto tempore congrati ſint Reges illi ad aquas Merom.

Hæc cenſura evaneſcit ſtatim, ſi contextum quatuor præcedentium verſiculorum huius Capitis velimus attendere, in quibus Jabin Rex Aſor miſſe narratur ad Regulos illos, qui cum turmis ſuis egreſſi leguntur, atque ad aquas illas congregati; nonne hoc de condicto factum agnoſcimus pluſquam ſatis, ad quid ergo repetitio illa = & convenerunt Reges illi, & venerunt &c.

Ad ℣. 6. vocem [illegible] *chalalim* non ex integro translatam per iſtam *vulnerandos* Sixtinus contendit, cum potius *occiſos* fuiſſet interpretanda.

Utramque intelligentiam ea in voce contineri *vulneratas* videlicet & *occiſos* conſentiunt Maſius, & Druſius, LXX. pariter Interpretes habent [illegible] *fauciatos*, ſeu *vulneratos*. S. Hieronymus autem meliori ſenſu convertit vulnerandos, cum traditi ſint in manus filiorum Iſrael non vulnerati, vel interfecti, ſed vulnerandi, aut vulneribus interimendi, quemadmodum revera factum eſt, ut ex contextu revincitur.

Cenſuru in Vulgatum edicta ad ℣. 11. hujus Capitis evaneſcit profecto ex ſola textuum ad invicem collatione, cum in ſenſu optime congruere dignoſcantur: legit itaque Hebræa juxta Sixtinum = & percuſſerunt omnem animam, quæ in illa acie gladii diſperdendo: non eſt relicta ulla anima & [illegible] Haſor combuſſit igne = S. autem Hieronymus hoc pacto legit = Percuſſitque omnes animas quæ ibidem morabantur: non dimiſit in ea ullas reliquias (animarum ſubintelligi) ſed uſque ad internicionem univerſa vaſtavit, ipſamque urbem peremit incendio = nomine urbis, quod Aſorem intellexerit nimis ex præcedentibus eſt manifeſtum. Quod nam diſcrimen inter duas iſtas ſententias: *Aſorem peremit incendio*; & *Aſor combuſſit igne*, intercedat, ſi de ſenſu verborum loquamur, prorſus ignoro: cum verbum *perima* tam *interficere*, quam *deſtruere* ſignificet, hinc Cicero = Ludi non intermiſſi, ſed perempti = *perimo* ergo de inanimatis cum optime dicatur; immerito S. Hieronymus redarguitur, ſi vertit Civitatem peremit.

Vocem hebraicam [illegible] *bal thillam* male a S. Hieronymo verſam *in tumulis* adfirmat Sixtinus ad ℣. 13. Capitis Joſue 11; eum, inquit, omnes conſentiant per voces iſtas intelligi Civitates *non dirutas*, quæ adhue in ſua *fortitudine* perſiſtebant, quarum muros non dejecerant.

Si tamen Maſium hoc in loco audiamus optimam eſſe S. Hieronymi interpretationem comperiemus; *tumuli* quippe nomine, ſcribit Maſius, non tam *aggeres*, quales muniendis oppidis homines manu faciunt, atque induſtria ſignificari videntur, quam *ſoli eminentiam*, cujuſmodi areæ ſtruendis oppidis, aut deligi; aut data opera parari ſolent. Relictæ itaque ab Iſraelitis eæ fuere Civitates, quæ in tumulis, ſeu eminentiis terræ, atque in Collibus ædificatæ erant.

Hebraicam vocem [illegible] *ſcholelu*, non proprie a Vulgato converſam *diviſerunt* clamitat Cenſor, cum potius *ſpoliarunt* ſignificet. Grande peccatum mehercle! Quid quæſo ſibi invicem dividunt victores milites poſtquam Civitatem inimicorum expugnaverunt niſi ſpolia, quæ diripuerunt in Civitatis devaſtatione? Verum horribilius adhue crimen S. Hieronymo a Sixtino imputatur quaſi dimidium verſiculi 14. plane omiſerit negligenter, cum in originario textu legamus [illegible], *rak &-col-baadam bichchu lepi choreb bad-biſchmidam atham lo biſchiru col-neſchamah. verum omnem hominem percuſſerunt gladio uſque dum ipſi delevissent eos: non reliquam fecerunt ullam animam*; Sanctus autem Hieronymus *hæc nimis luxuriare autumans*, ait Sixtinus, *ſic contraxit* = cunctis hominibus interfectis = *Quis ferat*, ſequitur Cenſor, *hanc in integritata licentiam?* Quærat Sixtinus, quærant alii ſyllabas, & literas nos contenti ſumus integritate Sententiæ. Exprimit ne S. Hieronymus in ſua verſione cunctorum hominum internicionem? utique profecto. Quid ad nos, quid ad ſenſuum integritatem longæ verborum ambages.

Vulgatæ lectionem ad ℣. 16. hujus Capitis illegitimam eſſe Cenſor noſter opinarut, quod hebraicum verbum [illegible] *baraba*, *occidentalem plagam* in eadem ſit converſum, cum in aliis Vulgatæ locis eadem vox fuerit translata *planum*, vel *ſolitudinem*: exiſtimat

pro-

propterea Sixtinus meliorem eſſe verſionem, ſi convertatur hebraica vox illa *planam* (intellige terram)

Si tamen ſublata animi non bene affecti præventione velimus loqui, accuratiorem eſſe S. Hieronymi hoc in loco interpretationem minime ambigimus; enarrans enim terram ab Joſue jure bellico ſibi vindicatam ſuoque populo in hoc Capite, poſtquam montanam, & meridianam, terramque Goſen, & planitiem recenſuit; commemorat ad occidentalem etiam plagam triumphantem Imperatorem arma detuliſſe, ſuoque juri montem Iſrael, Samariticos nempe montes, qui ad plagam occidentalem reſpectu maris Cinereth vergunt, ſubjugaſſe, unuſquiſque cognoſcit per vocem [illegible] *maharab occidentem* ſignificari; cum ergo non poterit hoc in loco *plagam occidentalem* vox illa indicare; ſi jam *terram planam*, ſeu *planitiem* S. Hieronymus appoſuerat, ex voce hebraica [illegible] *huſphela?*

Verſiculo 17. hujuſce Capitis accuſatio in Vulgati translationem occurrit eo quod hebraica hæc verba = [illegible], *min hahar hechalak haholeh ſeir vehad Baalgad* converterit, *& partem montis, quæ aſcendit Seir uſque Baalgad*; cum potius juxta Maſii verſionem legendum ſit = a monte glabro, qui ſurſum porrigitur verſus Seir, & uſque Baalgad = vocula quippe *Chalak glabrum* ideſt mundum, ſeu ſpoliatum arboribus ſignificat, ut Sixtinus contendit.

Variam nihilominus ejus voculæ tum lectionem, cum ſignificationem eſſe poſſe, diverſæ circa eamdem ſcriptorum opiniones aperte teſtantur; quod nec ipſemet Cenſor potuit neſcire. LXX Interpretes *Achalac* nomen proprium montis judicarunt, quod & in Libello Euſebii *de Locis hebraicis* reperitur. In aliis tamen codicibus pro [illegible] habetur [illegible] quæ *partem* ſignificat, ut Druſius tradit.

Hoc unum tamen veluti certum a nobis ſtatui poſſe confidimus, vocem illam Hebraicam [illegible] Aalak nimirum ſcribi poſſe, & pronunciari cum diverſis vocalibus, videlicet *hachelek*, & hoc modo enunciatam proprie partem ſignificare. Quis modo ſpondeat pro Sixtino legendam potius eſſe, ut ipſe efflagitat, quam ut eamdem vertit S. Hieronymus? Ea fortaſſis de cauſſa, quia a LXX. cum vocali *A* ſcripta fuit? Eccur non potuere tranſcripta eorum exemplaria ab Amanuenſibus emendari juxta vocalium appoſitionem per Maſſoretas elaboratam; temporibus autem S. Hieronymi cum vocali E pronunciari? Veritas facti Vulgatæ lectioni non modice videtur opitulari, ut Abulenſis ad hunc locum animadvertit. Cautum profecto a Domino fuit Deuteron. cap. 2. ne Iſraelitæ aliquid de terra Idumæorum ſibi uſurparent, quia eamdem filiis Eſau conceſſerat: Seir itaque eum ad Idumæos pertinerent, relinquendum erat ab Judæis, unde eam ſolummodo partem montis occuparunt ſub Duce Joſue, quæ ad terram Chanaan pertinebat, aliam vero ejuſdem montis partem, quæ Seir continebat, quæque de Judæorum erat ditione reliquerunt immunem; ſi autem partem montis ab Joſue occupatam glabram fuiſſe velimus, nihil de hoc ſoliciti erimus, cum nobis ſit ſatis verſionem S. Hieronymi, quæ in Vulgata noſtra reperitur, erroris incuſari non poſſe.

Multo minus errati Vulgatus revincitur ad ℣. 19. quamvis vocem hoc in loco per verbum *trado* alibi autem per *transfugere* converterit, quamvis *pacem inire* proprie ſignificet. Quid eſt enim *transfugere ad victores; ſe victoribus tradere*, niſi parcere ſanguini, vitæ ruinis, quæ profecto imminere dignoſcuntur, atque fœdus concordiæ cum iiſdem inire? Jam ſuperius ad caput 10. ℣. 4. de his actum eſt.

Ad Caput 12. Joſue ſub verſiculo 3. laceſſit iterum Vulgatum noſtrum Sixtinus, eo quod hujuſcemodi voces [illegible] *Aſedoth phaſga* hoc modo reliquerit, nec ſit interpretatus *radices montis* = Peſſime quoque (ſcribit peſſimus iſte Cenſor) in textu Sixti V., & Clementis VIII. ſic ſcriptum eſt *Aſedot phaſga* nullam enim debere inter duas iſtas voces poni diſtinctionis notam oſtendit punctatio hebraica, ſcribitur enim [illegible] in regimine, unde regit vocem ſequentem in genitivo = ,

Hoc in loco fatemur cum pluribus Catholicorum Commentatoribus vocem *Aſedoth* ab altera *Phaſga* minime eſſe ſejungendam, ſicuti neque in Codice S. Hieronymi ſeparata eſt; coma ergo diviſionis a Latina lectione ſi auferatur, & ejus loco accentus *Maccaph* hebraicus collocetur, lectio eadem erit ac in Hebraica, ſi autem & ſignum diſtinctionis relinquatur nemo prohibet vocem *Phaſga* pro genitivo caſu uſurpari, cum præſertim a S. Hieronymo in libro de locis Hebraicis ſatis erudiamur Phaſga eſſe cognomen loci *Aſedoth*, qui in ſortem cecidit Tribui Ruben, ut jam a nobis in §. VII. præcedenti ſatis indicatum eſt. Dicamus itaque comam inter duas iſtas voces relictam a Correctoribus Romanis ſub Sixto V. & Clemente VIII. unam ex illis mendis eſſe, quas corrigendas adhuc ſuperfuiſſe confeſſi ſunt Bibliorum emendatores in Epiſtola ad Lucam Brugenſem data, quidni decidit a nobis verbum Dei ſcriptum? hui quam facile decidit!

§. IX.

Errati iterum arguit Vulgatum noſtrum Sixtinus ad ℣. 7. hujus Capitis 12. ob vocem *Aſedoth*, de qua tamen jam ſuperius ſatis actum eſt; deveniamus propterea ad cauſam verſiculi 8. in quo a Cenſore dicitur facta per Vulgatum noſtrum hemiſtichiorum conferruminatio, cum verterit = in Aſedoth, & in ſolitudine, ac in meridie Hethæus fuit, & Amorræus, Chananæus &c. = Contendit in primis tres voces *Aſedoth*, *ſolitudine*, & *meridie* male fuiſſe a præcedentibus *in planis*, *atque campeſtribus* diviſas per punctum. pejus deinceps fuiſſe a Vulgato conjunctam vocem Hethæus, & alias ſequentes cum voce *meridie*, quia nomina

mina illa gentilitia per accentum *Athnac* a ſuperioribus diſtinguuntur, inquit Siatinus.

Hæc tamen omnia leviora eſſe quam opinatur Vulgati adverſarius certum eſt. Deſcribitur hoc in loco generatim terra inter filios Iſrael diviſa, necnon populi narrantur, qui in terris illis commorabantur. Compertum ex S. Hieronymo eſt *Aſedoth-Phaſga* civitatem, vel locum fuiſſe Amorræorum; Pherezæos autem gentem fuiſſe hic, & illic ſparſim habitantem ultra, citraque Jordanem, in montanis, atque campeſtribus. De punctis, atque accentibus Hebræorum maxime diſputandum non eſt, cum poſt verſionem a S. Hieronymo factam a Maſſoretis Rabbinis Hebraico textui fuerint inſerti, ut eruditiſſimi tradunt Scriptores. Codex ſiquidem vetuſtiſſimus S. Hieronymi verſiculum octavum hujus capitis punctis diviſum ſicut Vulgata noſtra præſefert. Pagninus vocem *Aſedoth* cum præcedentibus conjungens ita legit = In monte, & in planitie, & in campeſtri, & in Aſedoth, & in deſerto, & in Auſtro Chittæus, Emorræus, Chenahanæus, Perizæus, Chivæus, & Jebuſæus = unde videtur intellexiſſe Pagninus gentes illas ſedem habuiſſe in enunciatis terræ promiſſæ plagis, nulla prorſus habita ratione ad accentum *Athnac*, ſuper quo maxime ſtrepebat Siatinus. Concludamus igitur nullam eſſe in Vulgata noſtra hemiſtichiorum conferruminationem, ſed potius clariorem deſcriptionem locorum, in quibus habitabant Hethæi, Amorræi &c. Veritas denique narrationis in eo conſiſtit ut integre terra recenſeatur, quæ filiis Iſrael tradita fuis, & in qua gentes illæ incolebant. Hoc autem a Vulgata non minus, quam ab Hebraica deſcribitur.

Tres adhuc voces ex Hebraico in Latinum converſæ ſub Siatini Cenſura ad Caput iſtud Joſue 12. reperiuntur, quarum prima ſub ℣. 17. conſiſtit. Hæc itaque cum in Hebraico textu ſcribatur חפר *Hhepher* inſurgit Cenſor in Romanos Correctores quod reliquerint in Vulgatæ lectione *Opher*.

Si unquam reprehenſio Amamæ veri ſpecimen præſeferre adinvenitur; hoc in loco profecto, & ad ℣. 18., in quo redarguit Vulgatum, quod vocem לשרון *Laſſaron* verterit *Rex Saron*: Compertum ſiquidem eſt a S. Hieronymo prædictas voces, ut Siatinus expoſtulat, fuiſſe converſas, cum in antiquiſſimo Sancti Doctoris Codice legantur *Hepher*, & *Laſſaron*. Quomodo tamen errati convinci queant Correctores Romani ſi per *Hepher*, & *Opher* unum, eumdemque locum, ſeu Civitatem intellexerint? *Hepher* in textu hebraico hic indicata eadem creditur, ac Civitas Ophera in Tribu Benjamin, de qua Joſue 18. ℣. 23. vel Ophra quinque milliaribus diſtans a Bethel in Orientem. Altera denique erat *Ophra* in Tribu Zabulonis, & hanc iſto in loco indicari Bonfrerius, & Cellarius opinantur. De *Hepher* autem nec alibi in Scriptura, nec apud S. Hieronymum in libro *de locis Hebraicis* fit mentio. Quantum autem ad alteram vocem *Laſſaron* nullam pariter in Vulgata noſtra mendam eſſe arbitramur, quia quod S. Hieronymus ſcripſerat Laſſaron eadem Civitas, ſeu locus exiſtimatur, de quo Actorum 9. 35. hæc autem Civitas cum non longe abeſſet a Lydda eadem omnino eſſe poteſt, quæ temporibus Joſue *Laſſaron* dicebatur. Si autem velimus literam hebraicam ל ſervilem hoc in vocabulo fuiſſe, atque genitivum caſum indicaſſe, non maximum erit inconveniens, quidquid Siatinus opinetur; hanc enim literam ſervilem eſſe poſſe, & notam genitivi etiam in nominibus propriis ex variis exemplis poteſt oſtendi, ſed præſertim ex titulis Pſalmorum David, in quibus hebraice ſcriptum legimus לדוד מזמור *mizmor ledavid*, *Pſalmus David*. Cum itaque Correctores Romani voci illæ Hebraicæ *Laſſaron* optime correſpondere adinvenerint quantum ad locum indicatum in hoc textu alteram vocem *Saron*, quæ multoties in Scriptura invenitur iterata, nullibi autem Hebraica illa vocula; ideo ea omiſſa, hanc retinuere, quia hoc nomine *Saron* Civitas, vel locus, *Laſſaron* antea dictus, fuit deinceps probabiliter nuncupatus.

Non majoris arbitramur ponderis quod ad ℣. huius Capitis 20 Siatinus opponit perperam ſcilicet a Vulgato converſas fuiſſe hebraicas voces שמרון מראון *Simron Meron*, *Rex Semeron*, quia hoc in textu Samariam, antea Meron cognominatam indicari arbitratur. Verum inſignes adſunt Scriptores, qui abſolute non Samariam hoc in loco, ſed urbem Symiram in Cæleſyria, quam Plinius Lib. 5. Cap. 20. & Mela Lib. 1. Cap. 12. cum Maron, vel Marath conjungunt, eſſe indicatam contendunt, qua ſiquidem in terræ plaga ſuas conſtituerunt ſedes Samaræi poſteri Chanaan, de quibus Geneſis 10. ℣. 18. In hac autem opinione, quæ veroſimillima eſt non perperam reliquiſſe dicendi ſunt Romani Correctores in Vulgata vocem illam *Semeron*, quamvis non diffiteamur in codice Hieronymianæ verſionis ad literam legi ut in Hebraica *Simron Meron*; quinimo ipſemet S. Doctor in Lib. *de locis Hebraicis* in *Semeron* ita ſcribit = Hanc cœpit Jeſus Rege illius interfecto. Dicunt autem nunc pro ea Sebaſten vocari oppidum Palæſtinæ ubi Sancti Joannis Baptiſtæ reliquiæ conditæ ſunt. Legimus in Regnorum libris quod Amri Rex Iſrael emerit Montem Semeron a quodam Semer, & ædificaverit in verticem ejus Civitatem, quam ex nomine Domini appellavit Semeron = En quæ traduntur a S. Hieronymo tanquam ab aliis dicta, non ex ſua opinione, de urbe Semeron. Nos iis aſſentimur, qui in Zabulonis Tribu hanc Civitatem conſtituunt, quomodocumque hujus Tribus confinia fuerint extenſa; eamdemque in Vulgata noſtra, ac in Hebraica Civitatem hoc in textu indicari fatemur, quidquid ſit de adjuncto cognomine *Meron*, ac de variis in re geographica auctorum diſputationibus.

Plurima obiicit ad Caput 13. Joſue contra Vulgatæ lectionem Sixtinus, tanquam ab Hebraica veritate prorſus diſcrepantem. Ad ℣. itaque primum hujus Capitis cum

legat

Digitized by Google

legat Hebræa = Terra relicta eſt multa valde ad poſſidendum eam: iſta eſt terra, quæ relicta eſt, omnes limites, ſeu regiones Peliſtinorum, & omnis Gheſuri, a Nilo, qui eſt ſuper faciem Ægypti &c. = In Vulgata autem habeamus = Terraque latiſſima derelicta eſt, quæ nedum ſorte diviſa eſt; omnis videlicet Galilæa, Philiſtiim, & univerſa Geſſuri. A fluvio turbido, qui irrigat Ægyptum = &c. hinc Cenſor noſter duplicem mendam a Vulgato commiſſam in hujus verſiculi interpretamento declamat; primam, quod reliquerit gerundium *ad poſſidendum eam:* alteram quod verba hebraica כל-גלילות הפלשתים *col-geliloth hapeliſtiim* converterit *omnis Galilæa* Philiſtiim, &c. cum *geliloth*, termini, ſive *confinia* ſignificet, ipſeque Vulgatus ita alibi verterit; neque enim *geliloth* numeri pluralis *Galilæam* ſignificare poſſe quis facile demonſtraverit.

Niſi tamen noſtra, aliorumque Scriptorum decipimur opinione, per vocem *geliloth* optime Galilæam ſignificari poſſe minime ſuſpicamur, quamvis enim Joſue ad aquas Merom innumeros ſubjugaſſet inimicos, eorumque potentiam, & audaciam ita compreſſiſſet, ut maximum in eos terrorem injecerit; nondum tamen gentes terras hoc loco recenſitas incolentes exterminaverat, earumque ditiones nedum ſorte inter Iſraelitas diviſerat; quod itaque nonnulli ajunt male a Vulgata per *geliloth* hoc in textu *Galilæam* converti, quam ſuis victoriis jam antea debellaverat Joſue, non ſatis apte pronunciatum exiſtimamus, cum legamus in Capitibus præcedentibus profligatos ab Joſue hoſtes ſuos uſque Sidonem, & Libanum, & nihilominus hic a Domino præcipitur, ut terra dividatur uſque Sidonem, & Libanum; eſt igitur hoc in loco ſermo de terra dividenda in tres Tribus, in qua & Galilæam tam ſuperiorem, quam inferiorem fuiſſe contentam non eſt dubitandum, ut patet ex Capite Joſue 19., in quo Civitates deſcribuntur, quæ in ſortem Tribubus Zabulonis, Aſer, & Nephtali ceciderunt. Regionem autem Galilææ *Geliloth* potuiſſe nuncupari, quinimmo revera fuiſſe nuncupatam a congeſtis ibi arenarum tumulis, qui in utriuſque Galilææ littoribus conſpiciuntur, Auctor eſt Maſius; ſi ergo tota Philiſtiim terra deſcribitur dividenda in ſacro textu, ſi pariter terra Geſſuræa, cur non & utraque Galilæa dividenda deſcribetur in ſacro textu? Non erit tandem difficile ſuaderi in textu hebraico vocem numeri pluralis eſſe uſurpatam, videlicet *Geliloth*, ſi duplicem Galilæam, gentium nimirum ſeu ſuperiorem, & Galilæam inferiorem fuiſſe diſtinctam exiſtimemus; ſive utriuſque Galilææ ditionem a tumulis arenarum unica voce *geliloth* fuiſſe nominatam ſupponamus. Quod autem reliquerit Vulgatus noſter gerundium illud *ad poſſidendum*, nullius criminis reus expoſtulabitur, quandoquidem non ſemel jam in ſacro textu expreſſum erat, quod terra per ſortes tradenda erat filiis Iſrael in poſſeſſionem; hoc clare dictum eſt ad finem Capitis XI. & ad ℣. 6. hujus Capitis replicatur; Nimis ergo patet ex Vulgatæ lectione quod terra Chanaan filiis Iſrael in poſſeſſionem concedebatur; nil ergo ad hiſtoriæ veritatem in Vulgata deeſſe convincitur.

Ad ℣. 3. hujus Capitis translatio iſtius vocis שיחור *Sichor* in *fluvium turbidum* minime probatur Sixtino, cum per *fluvium turbidum* a Vulgato *Nilum* intelligi arbitretur; unde retinendam potius fuiſſe ab Interprete noſtro vocem hebraicam *Sichor* arbitratur quemadmodum & alteras voces על פני מצרים *hal pene mitſraim*, non *qui irrigat Ægyptum* fuiſſe vertendas, ſed *quæ eſt ante Ægyptum*, vel *ad faciem Ægypti*, contendit.

Jam patet nullam eſſe in ſubſtantia narrationis diverſitatem, cum per *Sichor* & ipſemet Siatinus Nilum fluvium eſſe intelligendum conetur oſtendere; cui profecto pauci Catholicorum adverſabuntur, cum eorum plures per *turbidum fluvium* nonniſi *Nilum* intelligant, quibus Hebræi, & Heretici etiam Commentatores quamplures adſtipulantur; hac de re videantur Calmetus, Maſius, Druſius, Vatablus, Clarius, Munſterus, & Grotius. Si autem hoc in loco Nilus intelligatur, aut Nili rivus non male a Vulgato aliæ verſæ ſunt voces, *qui irrigat Ægyptum* propoſitio namque על ſignificat *ſupra*, unde legi poteſt ad verbum Hebræa, *qui ſupra faciem Ægypti*. Quis non videat hanc phraſim intelligi poſſe de flumine irrigante ſuperficiem terræ Ægypti? quod idem omnino ſignificat, ac Vulgatæ noſtræ lectio.

Quæ ſua conſiait cenſura ad ℣. 4. ubi ſcripſit Vulgatus *ad terminos, & confinia*, quaſi ſecunda vox ſit ſupervacanea, nullius momenti ſunt, cum ambæ illæ voces unum idemque ſignificent. Verum ſi ſupponamus per vocem illam *& confinia* translatas eſſe voces והארץ הגבלי, quas Recentiores legunt *vehaarets haggibli*, & terra Gibli, quas S. Hieronymus ob punctorum vocalium tunc temporis defectum, legerat haggebuli, ideſt *terra confinis*, ſeu *finitima*, jam neque redundabit vox illa *confinia*, neque deerit translatio vocum illarum והארץ הגבלי; quæ tandem eſto intelligantur de Terra Giblæa, ſive de populis Byblum habitantibus nihilominus veriſſima habetur in Vulgata noſtra interpretatio cum Byblos ſit Sydoniis, & Libano contermina, ut ex tabulis geographicis ſit compertum.

Leviora ſunt adhuc, quæ in Vulgatæ lectionem Amama opponit ad Verſiculos 9 & 16. hujus Capitis, in quibus, contendit voces illas בתוך הנחל *betoch bannachal* male converſas eſſe *in medio vallis*, quamvis enim *nachal*, *vallem* etiam ſignificet, hic tamen torrentem denotat, quemadmodum vox שפת *ſephat ripa* demonſtrat, quæ non *vallis*, ſed *torrentis* propria eſt, inquit Cenſor.

Quis tamen non videat longe veroſimiliorem eſſe Vulgati noſtri interpretationem illarum vocum? Duas numero diſtinctas Civitates hiſce in textibus indicari ipſemet Siatinus confitetur ob replicatam vocem *habir*, quarum unam in ripa torrentis, alteram vero in medio torrentis ejuſdem conditam fuiſ-

ſe

ſe opinatur. Nunquid torrens Arnon ejus erat latitudinis, ur in ejus alveo Civitatem ab ea diſtinctam, quæ in ripa exiſtebat, poſſet continere? Nonne veroſimilius eſt indicari Civitatem, quæ in ripa torrentis exiſteret, atque per vallem ſe protenderet ex qua diffluebant, atque in torrentem Arnonem, ſi unicam velimus Civitatem agnoſcere? Si autem duæ Civitates erant, altera earum in ripa, altera vero in medio vallis, quod exiſterint veroſimillimum eſt. Nec juvat Cenſori vox illa *ſephat*, quæ ſemel ſolummodo poſita eſt, dum *Nachal*, *torrentem* ſignificat, minime vero reperitur dum voce illa *Nachal*, *vallis* ſignificatur.

Cum verterit Vulgatus Interpres ad ℣. 13. voculas [illegible] *lo horiſchu*, *noluerunt diſperdere* redarguitur ab Amama Maſii auctoritate ſuffulto, quaſi indicentur Iſraelitæ per hanc lectionem parere noluiſſe præceptis Moſis, vel Joſue, ſed ſua voluntate relinquere curaverint Geſuræos: Melior itaque erit interpretatio *non exterminarunt*, quam *noluerunt diſperdere*, cum hæc nullo ſit patrocinio munita. Quam [illegible] ab homine præjudiciis occupato reperitur! Geſuræi ex iis minime fuiſſe gentibus creduntur, quæ in ore gladii delendæ, exterminandæque erant; finitimi profecto Amorræi habitabant, ſed non ex eorum ſemine progeniti; quemadmodum inſignes tuentur ſcriptores, & præſertim Toſtatus quæſt. 11. ad Caput Joſue 13. Quoties ergo ſub tributo conſiſtere, atque filiis Iſrael parere non detrectaſſent, exterminandi non erant, ut Deuteronomii cap. 20. ℣. 25. ſancitum eſt. Geſſuræi itaque deleti a facie terræ non ſunt, ſed Davidis temporibus adhuc florebanr, cum ipſemet David filiam Regis Geſſuri ſibi uxorem deſponſaverit; ſive ergo ſcribamus *non exterminarunt*, ſive *exterminare noluerunt*, unum, idemque eſt cum Geſſuræos ab Iſraelitis fuiſſe relictos ſignificetur

Ad ℣. hujus Capitis 17. cenſura percellitur Vulgatus noſter ab Amama, quod hebraica hæc verba [illegible] *vebeth Baal Meon*, ſit interpretatus *Oppidum Baal Meon*, quaſi in Religionem commiſerit, vocem beth a Spiritu Sancto additam inquit Sixtinus, relinquens.

Cur quæſo eamdem Civitatem, vel oppidum diverſimode fuiſſe appellatam a Spiritu Sancto non obſervavit Sixtinus in diverſis ſcripturæ textibus? unde optime eamdem ſemper nuncupabimus ſive unum, ſive alterum nomen a Spiritu Sancto eidem inditum uſurpemus. Hæc itaque Civitas, ſive Oppidum Ezechielis 25. ℣. 9. *Baal Meon* a Spiritu Sancto vocata eſt, abſque adjuncto *Beth*, S. Hieronymus hujus oppidi meminit in Comment. ſuper Ezechielem, aitque ſuis etiam temporibus pagum fuiſſe apud Moabitas Maximum: In quo igitur peccavit S. Doctor ſi in ſua ex hebraico verſione optime Civitatem, ſeu oppidum a Divino Spiritu indicatum expreſſit, & quidem ſub uno ex iis nominibus, quo Spiritus ipſe Sanctus uſus fuerat?

Clamitat Sixtinus ad ℣. 21. quod Romani correctores non bene ſe geſſerint, dum ad vocem [illegible] *Evi* reliquerunt aſpirationem H. Quam grande peccatum, quam irreligioſa vere ſignificationis mutatio in latino idiomate adjecta aſpiratio alicui voci! Næniæ.

Verſiculo tandem 23. hujus Capitis cum legat Hebraica = fuitque terminus filiorum Ruben Jordanis, & terminus = Vulgatus autem *factuſque eſt terminus filiorum Ruben Jordanis fluvius*, contendit Amama ultimam vocem *& terminus* non fuiſſe omittendam, quia poſt illam ſubintelligitur pronomen *ejus*, adeo ut ſenſus ſit = fuitque terminus filiorum Ruben Jordanis, & terminus ejus, ideſt: Jordanis cum ſuis finibus, ideſt urbibus adjacentibus terminavit hæreditatem Rubenitarum ab Occidente = .

Quis non videat modo in Vulgati lectione hæc omnia clariſſime contineri, nihilque deeſſe ad veritatem hiſtoriæ? Urbes ad partem orientalem in Ripa Jordanis exiſtentes ad Rubenitarum ditionem pertinuiſſe compertum eſt eo ipſo, quo ad Jordanem uſque eorum poſſeſſionem perveniſſe intelligimus; ex aliarum vero Tribuum poſſeſſione erudimur, Rubenitas ultra Jordanem ſe non extendiſſe ad occidentem; & tamen ſi Hebraicam legamus, juxta rigorem literæ in Rubenitarum poſſeſſionem ceſſiſſe videntur termini, ſive loca Jordani hinc, & utrinque adjacentia: Congruentior igitur Vulgatæ noſtræ phraſis factorum veritati adinvenitur.

§. X.

TRia in capite XIV. Joſue loca ſunt, quæ Amamæ perſtringuntur Cenſura; quorum primus ad ℣. 4. repetitur, ubi legit Hebræa = Filii autem Joſeph fuere duæ Tribus = ex quibus concludit Sixtinus nimium ſibi indulſiſſe Vulgatum, dum vertit *ſed in eorum ſucceſſerunt locum filii Joſeph*; in hebræa etenim, ait, nulla Leviticæ Tribui portio dicitur adſignata, ſed Tribus Joſeph bipartita eſt, ut in terræ diviſione numerus XII. Tribuum haberetur, dempta Tribu Levi.

Vix erit, qui hujuſcemodi cenſuram pacato corde ſuſtineat, cum ex ſola Vulgati textus recenſione funditus convellatur. En itaque Vulgati lectionem = Duabus enim Tribubus, & dimidiæ dederat Moyſes trans Jordanem poſſeſſionem; abſque Levitis, qui nihil terræ acceperunt inter fratres ſuos, ſed in eorum ſucceſſerunt locum filii Joſeph in duas diviſi Tribus, Manaſſe, & Ephraim = evidens eſt ex ſe hujuſcemodi textus ad indicandam duplicem Tribum ex filiis Joſeph conſtitutam, atque ad demonſtrandum hæreditatem terræ promiſſæ in duodecim Tribus fuiſſe diviſam, licet ab eadem Levitæ fuiſſent excluſi.

Secundus Vulgati locus a Sixtini cenſura confixus, ex Maſii auctoritate ſub verſiculo 11. reperitur, in quo legit Hebræa [illegible] *lammilchamah velatſet*, *velabot: ad bellum, & ad exeundum, & veniendum*: Vulgatus autem convertit *tam ad bellum*, *quam ad gradiendum*; Phraſim illam hebraicam pro-

proverbium quoddam eſſe ait, quo omnes actiones exprimuntur.

Niſi decipimur tamen, ſimpliciorem eſſe, atque ad rem propoſitam ſignificandam congruentiorem Vulgati expreſſionem dubitari vix poteſt. Loquebatur hoc in loco Galeb ad Joſue, cumque exorabat, ut ſibi concederet Montem Hebron, ex quo Enacim pollicebatur expellere; timens vero Calebus ne ſenectam ſibi opponeret Joſue; ſui corporis valetudinem, roburque commendat, quo promptus eſt, atque expeditus nedum ad præliandum in acie, ſed etiam ad iter quodcumque per montana faciendum; uno verbo tam in Hebraica, quam in Vulgata eodem modo intelligimus Calebum fuiſſe robuſtum & ſanum, quod ſatis eſt ad Sententiæ integritatem.

Ad ℣. tandem 15. poſtremus habetur locus in hoc Capite ab Amama cenſorio ſtylo notatus, eo quod S. Hieronymus tranſtulerit ex hebraico: *Adam maximus inter Enacim ibi ſitus eſt*, & quod ſupponere ſit viſus Sanctus Doctor *Arbe* eſſe nomen Civitatis cum ſit potius nomen proprium viri; nomen denique *Adam* fecit nomen proprium hominis, cum tamen ſit potius appellativum, unde legendum erat juxta hebraicam = nomen autem Hebronis olim fuerat Cariath Arbe, homo iſte magnus inter Anakim (erat).

Quæcumque fuerit S. Hieronymi privata Sententia de Adamo omnium hominum primo, certum eſt Vulgatæ textum ita explicari poſſe, ut hebraicæ Sententiæ reſpondeat dummodo dicamus *Adam* hoc in loco hominem ſignificare illis, qui inter Gigantes maximus fuit, vel corporis ſtatura, vel antiquitate, vel dignitate; neque novum in Vulgata eſt quod *Adam* ſignificet *hominem* non protoparentem, in Lib. 2. Regum Cap. 7. ℣. 19. legimus *iſta eſt lex Adam*, ideſt *hominis*; & Oſee XI. ℣. 4. *ſcriptum* eſt *in funiculis Adam traham eos*. Hoc itaque in Joſue loco ſi legerimus *Hebron ante vocabatur Cariath Arbe; homo inter Enacim magnus* (qui) *ibi ſepultus fuit*; nil ferme ab Hebraica lectione diſcrepabit Vulgata.

Quod opponit Sixtinus ad ℣. 1. Capitis 15. Joſue fruſtra poſitum adverbium locale *uſque ad* tam levi momenti eſt ut nulla prorſus conſideratione ſit dignum; eo vel magis, quod Lucas Brugenſis primum illud adverbium *uſque ad* præpoſitum verbo *Deſertum Sin* eliminandum quidem animadvertit, minime vero ſecundum quod legimus in Vulgata, ſignum evidens quod in optimæ notæ codicibus legebatur, ſicut legitur in tranſlatione S. Hieronymi ex Hebraica expreſſam.

Duo ad ℣. 18. hujus Capitis hebraica loca, veluti male a Vulgato noſtro converſa reperiuntur ab Amama, quorum primum eſt vox illa [illegible] *vattheſitbebu*, quam Vulgatus reddidit *ſuaſa eſt a viro ſuo*, cum potius vertenda eſſet, *& illa incitavit eum*.

Animadvertunt hunc in locum clariſſimi Expoſitores Vulgatæ lectionem a tota hiſtoriæ ſerie comprobari quemadmodum etiam a Syriaco, Arabico, aliiſque Interpretibus, quamvis nondiffiteantur in aliquibus MSS. codicibus latinæ verſionis eamdem ac in hebræa Sententiam contineri, hinc Martianæus in notis ad hunc locum ita ſcribit = hanc „ lectionem (hebraicam) prope erat ut am„ plecteremur, niſi unanimis aliorum MSS. „ codicum conſenſus tam hic, quam Judi„ cum capite primo aliud ſuaſiſſet = & merito ſuaſum credimus clariſſimum virum, ad reddendum quippe intelligibilem hebraicum textum, atque hiſtoriæ congruentem, in eo ſuppleamus neceſſe eſt, vel quod Othoniel agrum poſtulare renuerit, quamvis a ſponſa ad id excitaretur, vel quod a Calebo poſtulans non fuerit exauditus. Vulgatus autem Interpres conciſa quadam brevique narratione facti hiſtoriam deſcripſit.

Locus alter hujus ℣. eſt ad vocem [illegible] *vathitſnach*, quam Vulgatus reddidit *& ſuſpiravit* cum tamen reddenda eſſet *dejecit ſe, demittebat ſe*. Non parum ſibi blanditur in hujus vocis explicatione Sixtinus, quam tamen diverſimode ſatis intellexere ſcriptores celeberrimi, qui fatentur veram illius vocis ſignificationem deperditam eſſe. LXX. eam ad hunc locum verterunt [illegible] *clamavit*, & Judicum I. [illegible] *murmuravit*. Suſpicatur Cornelius quod S. Hieronymus, & LXX. legerint [illegible] *teenach*, ideſt *ingemuit*, cum duæ literæ [illegible], & [illegible] ſint vicinæ; vel quia *tſanach* pro affini *anach* poſſe uſurpari non ignorabant; ſub tanta ergo incertitudine de vera illius vocis *vathitſnach* ſignificatione, vulgata lectio redargui minime poteſt cum factum convenienti mulieribus modo contigiſſe recenſeat.

Nullius etiam momenti exiſtimamus Sixtini expoſtulationem in Vulgatum Interpretem, quod tranſtulerit hebraica verba [illegible] *guloth maim irriguam terram* cum voces illæ *Scaturigines aquarum* ſignificent. Quis non videat ea contextu idipſum neceſſario in Vulgati lectione ſignificari? Conquerebatur Calebi filia terram aridam, & ſiccam in dotem ſibi fuiſſe conceſſam, quid ergo expoſcebat niſi terram fontibus aquarum locupletem? *irriguum* profecto id quod irrigatur, vel facillime irrigari poteſt ſignificat.

Tandem ultimo loco opponit Sixtinus ad ℣. 25. hujus Capitis male a Vulgato converſas eſſe voces [illegible] *ve Hatſor Hadatta*, *Haſor nova* quandoquidem, inquit, R. Salomon, & R. David *Hadatta* nomen alterius urbis proprium, eſſe cenſuerunt.

Cur potius duo iſti audiantur Rabbini, quam LXX. Interpretes, S. Hieronymus, & Rabbi Iſaias, qui omnes *Aſor nova* ſcripſerunt? quis neſciat in eorum pervetuſtis codicibus ſcriptum eſſe potuiſſe [illegible] *Hadaſcha* pro Hadatta? quæ ſiquidem vox *nova* ſignificat S. Hieronymus in Libro *de locis Hebraicis*, *Aſorem novam* commemorat, eamque fuiſſe Civitatem tali adjuncto diſtinctam ab altera civitate eodem nomine *Aſor* appellata ſignificat.

Ad Caput 16. unicum tantummodo locum notat Sixtinus ſub verſiculo 8. in quo legit Hebræa [illegible] *vehaiu totſeotau hayama*, quæ Vulgatus interpreta-

tus eſt = ſuntque egreſſus ejus in mare ſalſiſſimum =

Fatentur Catholici expoſitores verbum illud *ſalſiſſimum* in divinum textum ex alicujus ſcioli audacia irrepſiſſe, cum *ſalſiſſimi maris* nomine Aſphaltidem ſemper ſignificet Scriptura: hujuſcemodi autem lacus minime hoc in loco poteſt indicari, cum nimis id Geographiæ ſacræ repugnet, & veritati. In autographo vero S. Hieronymi an adjectivum illud extiterit, incertum eſt, vetuſtiſſimum tamen eſſe, atque in antiquiſſimis reperiri codicibus eruditi fatentur. Nemo profecto inficiabitur etiam male mediterraneum ſale eſſe refertum, eidemque propterea tale adjunctum eſſe conveniens.

Maximum Sixtinus ſtrepitum adverſus Vulgatæ lectionem ad ℣. 9. Cap. 17. Joſue ciet, quod perperam hæc hebraica verba וירד הגבול נחל קנה נגבה לנחל ערים האלה לאפרים בתוך ערי מנשה *vejarad hagbebul nachal kana negbba lannachal barim baelle le Ephraim bethoch bare Menaſeh*, converterit latine = deſcenditque „ terminus vallis arundineti in meridiem tor„ rentis Civitatum Ephraim, quæ in medio „ ſunt urbium Manaſſe = Cum potius ver„ tenda Cenſor contendat hoc pacto = & „ deſcendit terminus (ad) torrentem arun„ dinis ad meridiem ad torrentem: illæ ſunt „ Civitates ipſius Ephraim in medio Civi„ tatum Manaſſis = Primo etenim, inquit, *hagbebul nachal*, non poterat verti *terminus vallis*, quia ante *ghebul* eſt articulus: ſubaudienda itaque potius eſt ל, atque legendum *ad torrentem*: ſecundo *negbba lannachal* perperam verſa eſt *in meridiem torrentis*, cum hoc in loco ל valeat *ad*. Male autem a Vulgato conjungi ait, *lannachal arim torrentis Civitatum* cum per accentum *Revia*, *lannachal* diſterminetur a ſequenti voce Arim.

Hæc cenſura ut unuſquiſque facillime intelligit, non legitimum verborum ſenſum, ſed potius unius caſus poſitionem præ altero videtur urgere, qua de re, dummodo legitimum latinis auribus ſenſum redderet S. Hieronymus, nullumque erratum in latino idiomate committeret admodum ſolicitum eſſe minime voluiſſe multoties contextatus eſt, ut pluries jam animadvertimus: quoties ergo legitimam habeamus terminorum deſcriptionem pro Tribu Manaſſis, atque convenienter in latino ſermone expreſſi ſint, quidquid de caſibus ſit in hebraica lingua poſitis, ſatis nobis eſſe debet. Quis tamen eo certitudinis nos perducet, quod litera ה præmiſſa voci גבל ſit articulus, & non potius ad venuſtatem dictionis adjuncta? Vox נחל eodem modo *torrentem* & *vallem* ſignificat, & in caſu genitivo optime eſſe poteſt ſicut in accuſativo, ſi literalem textum inſpiciamus, quamvis autem ſecunda vice legamus vocem iſtam נחל cum præfixa litera ל non tamen revinci poteſt quod ſit nota propoſitionis *ad*, quia hujuſcemodi litera etiam cum genitivo copulatur, unde mirum non eſt, quod in tali ſenſu eam uſurpaverit S. Hieronymus, cujus ætate nondum erant in textu vocalia puncta, quibus ad accuſandi caſum potius quam gignendi determinatur. Idipſum fortaſſis dicere poſſumus de accentu *Revia*, qui minimas apud Hebræos diſtinctiones deſignat. Videantur de hoc textu Commentatores præſertim Calmetus.

Sub ℣. 11. hujuſce capitis male a Vulgato uſurpatam vocem *Nophet* pro *urbe* contendit, cum maxima inter Expoſitores ſit controverſia circa ejus nominis legitimam ſignificationem, pluribus tamen conſentientibus nomine illo regionem, aut provinciam, vel terræ alicujus tractum ſignificari, hinc Maſius tres prædictas urbes Endoram, Thaanach, & Magedonem cum ſuis quamque municipiis, & pagis per שלשת הנפת *Schelschet hanophet* dici arbitratur, quia ſunt tanquam tres regiones in tractu illo Dorio ad Manaſſenſes pertinentes.

Contrariam nihilominus opinionem Abulenſis, aliique plures tuentur, cum Sacer Textus hoc in loco Manaſſenſium Civitates, earumque pagos, & viculos deſignet. Tres itaque Civitates de quibus Maſius verba hebraica exponit, jam recenſitæ antea erant cum ſuis municipiis, ut patet ex S. litera; de Tractu Dorio non minus mentio facta erat; quid aliud ergo vox Nophet, quod ſignificet neceſſe eſt; unde nomen proprium alicujus Civitatis, ut in Vulgata legimus extitiſſe credenda eſt?

Quæ tandem ad verſiculos 14. & 17. opponuntur ab Amama nec leviter ſenſum legitimum divini textus offendunt, cum in Hebræa, & Latina eadem habeatur ſententia.

Ad Caput 18. ℣. 14. nonnulla Sixtinus in Vulgato redarguit, in primis quod verterit *ad meridiem montis, qui reſpicit Beth-Horon contra Affricum*, cum a monte potius reddendus eſſet ſacer textus; miratur deinde quod vocem נגבה *negbah* ſit interpretatus *contra Affricum*, cum potius juxta Maſium dicendum eſſet *a Meridie*, & tandem in fine verſus male vertit, ait Cenſor, *hæc eſt plaga contra mare ad Occidentem*, cum in Hebræa nihil ſit aliud quam *hæc eſt plaga maris*.

Aperte quiſque dignoſcit harum oppoſitionum levitatem, quæ legitimum ſententiarum ſenſum, vel tantillum non lædunt; ut enim Abulenſis animadvertit quæſt. 8. in cap. 18. Joſue mons, de quo ſit mentio, prope Bethoron exiſtebat, & tam ille, quam Civitas Bethoron ad aliam Tribum pertinebat, unde limites Tribus Beniamiticæ erant ad meridiem Bethoron, & montis illius. Quod autem S. Hieronymus verterit *contra Affricum* hac fortaſſis ducebatur de cauſa, quam tradit in libro de locis Hebraicis ita ſcribens = Negeb, auſter, apud Hebræos נגב *nageb* „ dicitur, quod Symmachus interpretatur „ *meridiem*. Sciendum autem quod eadem „ plaga apud Hebræos tribus vocibus ap„ pellatur Nageb, Theman, Darom, quod „ nos poſſumus Auſtrum, Affricum, & me„ ridiem, ſive Eurum interpretari = Satis uniſquiſque dignoſcit qua de re S. Hieronymus ſcripſerit *contra Affricum*. Quid pariter criminis Vulgatus admiſit ſi ad clariorem explicationem, & ad ambiguitatem tollendam adjunxit *ad occidentem* poſt illa verba

ba *contra mare?* non tamen inficiamur de parte occidentali limites illos facillime intelligi potuiſſe, ex Civitatum, quas ibi recenſet, poſitione.

Ad ℣. 20. Vulgatum accuſat Sixtinus, quod verba iſta [illegible] *zeb ghebul negeb*, *hic eſt terminus Auſtri*, converterit *hic eſt terminus illius ab Oriente* niſi enim hoc pacto converſa hebraica illa verba verſiculum 19. claudentia, atque in Vulgata ad initium verſiculi 20. dicantur appoſita, jam prorſus relicta fuiſſe confiteamur oportet, inquit Cenſor noſter.

Haudquaquam diffitemur omiſſa a Vulgato verba illa, quæ meram continebant ſententiæ jam dictæ replicationem; legit itaque Vulgatus ad finem Verſiculi 19. = Suntque exitus ejus (termini) .... in fine Jordanis ad auſtralem plagam = hebraica poſt hæc repetit *iſte eſt terminus Auſtri*. Aſt nonne ſatis intelligimus, hunc eſſe terminum auſtri, ſtatim ac legimus exitum termini eſſe in fine Jordanis ad auſtralem plagam? Scio quidem auſtralem illam plagam intelligi poſſe reſpectu Jordanis, & non in ordine ad ſortem Beniamiticam; aſt eo ipſo, quo dictus eſt exitus termini eſſe in fine Jordanis, in auſtrali parte, ſeu plaga reſpectu Jordanis extitiſſe intelligimus, cum Jordanis finis neminem lateat, quod ſit ad meridiem fluminis; verba igitur illa *ad auſtralem plagam* ſatis indicare videntur plagam ſortis Beniamiticæ auſtralem, nec propterea neceſſario iteranda, quæ Vulgatus omiſit *iſte eſt terminus auſtri*. Verba itaque illa *Qui eſt terminus illius ab Oriente* intelligenda ſunt, quod Jordanis ſit limes Beniamiticæ ſortis ad plagam ejus orientalem. Circa autem alteram Sixtini declamationem adverſus decretum Cardinalium quo decernitur ſingulas periodos, membra, & clauſulas Vulgatæ noſtræ, pro particulis ſacræ Scripturæ eſſe agnoſcendis. nihil dicimus, cum ſatis id a Theologis ſit explicatum.

§ XI.

PAuca ſunt, & nullius ferme momenti, quæ ad Caput Joſue XIX. ſua notat cenſura Sixtinus: quid enim ad nos ſi in Vulgata legatur *Tacaſin* pro *Itta katſia* nonne ſatis eſt quod idem locus, vel Civitas indicetur. Vocem pariter hebraicam [illegible] *Hamthuar* nonnulli vertunt *gyrans*, alii nomen proprium Civitatis eſſe opinantur, quæ a Vulgato vertitur *Amthar*, nos firmiter cum Vulgato ſentimus, cum & tali pacto in codice Hieronymianæ verſionis legatur veluti nomen Civitatis, in eodem pariter codice legi fatemur *Ita-chaſia* pro *Tacaſin*. Verum nil ad rei ſubſtantiam hoc facit, cum veritatem habeamus in Noſtra non minus quam in Hebraica. *Noa* autem recte intelligitur etiam in Vulgato eſſe locus, per quem tranſit terminus Zabulonis.

Ad ℣. 47. ejuſdem Capitis duo redarguit in Vulgata noſtra Sixtinus; primum quod verba hæc hebraica [illegible] *vajietſe gebul bene Dan mehem* non bene converſa ſint *& ipſo fine concluditur*; cum potius interpretanda eſſent, *& exiit terminus filiorum Dan ab ipſis*. Altera pariter verba [illegible] *vajiicreu le Leſem Dan*, non apte converſa vocantes nomen ejus *Leſen Dan*, tuetur, cum interpretanda ſint ea verba *& vocarunt* [illegible] *Leſen, Dan (de nomine parentis ſui Dan.)*

Verba illa hebraica Munſterus, Clarius, Vatablus, Maſius, aliique ita exponunt ut velint terminos præſcriptos Daniticæ ſorti non fuiſſe ſufficientes ad Tribus illam concludendam, proindeque fuiſſe compulſos filios Dan ad aggrediendam, occupandamque Civitatem Leſem. Demonſtrat nihilominus Abulenſis quæſt. 5. in Caput 19. Joſue unicuique Tribui ſufficientem poſſeſſionem terræ fuiſſe præſcriptam, unde ait Joppen ad oram maris extitiſſe, & terminum ſortis Daniticæ fuiſſe concluſum ipſo litore maris ad eam plagam, in quo quidem terra Chanaan finem habebat ad occidentem. Nil pariter facit ad rei veritatem ſive filii Dan vocaverint Civitatem *Leſem*, *Dan* tantummodo, vel potius *Leſem-Dan*: ex hebraicis verbis utrumque ſenſum colligere poſſumus; nec facile definiri poteſt, qui ſit præferendus, cum uterque ſonet eamdem veritatem: nos profecto lectionem Vulgatæ amplectimur, eo quod eam nobis proponat Eccleſia, quidquid in oppoſitum hebraizzantes reclament; non enim hoc in caſu cœci cœcum ſequimur, ſed ducem, quæ eſt columna, & firmamentum veritatis.

Ad ultimum tandem huius Capitis ℣. in quo legendum Sixtinus propugnat *& abſolverunt partiri terram*; pro qua legit Vulgatus, *& partiti ſunt terram*, nil prorſus dicturi ſumus, cum unuſquiſque dignoſcat in illo Vulgati inciſo totum ſenſum contineri, eo vel magis quod in præcedenti ℣. 40. ſcripſerat Vulgatus = cumque compleſſet ſorte dividere terram ſingulis per Tribus ſuas &c. = unde [illegible] ultimum Vulgati mera repetitio eſt eorum quæ jam dicta fuerant.

Nonnulla ad Caput 20. Joſue notata a Sixtino reperiuntur, quæ non magni profecto facienda videntur; Vulgatus noſter ad ℣. 3. huius Capitis nonne ſatis ſententiæ integritatem expoſuit per hæc verba *quicumque animam percuſſerit neſcius?* quibus profecto ſignificatur homo, qui alterum hominem imprudenter, abſque advertentia, non ſponte percuſſerit; idipſum pariter ſignificat hebraica lectio, quæ habet = percutiens animam in errore, ſine ſcientia = ut Druſius, & Vatablus exponunt.

Verſiculo huius Capitis 4. habet Hebræa *loquetur verba ſua*, Vulgatus autem legit *loquatur verba, quæ ſe comprobent innocentem*. Illud tamen hebraicum [illegible] nil ſignificat aliud, quam recitanda fuiſſe ab Homicida verba, quæ pro ſe habebat in excuſationem, ut a Civitatis ſenioribus aſylum conſequi poſſet.

Quæ tandem ad verſiculos ſextum, & ultimum huius Capitis adverſus Vulgati lectionem opponuntur ex ſola textuum hebraici, & Latini comparatione quoad ſenſum apprime reperiuntur congruere, non eſt ergo cur in iis immoremur diutius.

Nonnulla pariter ſub Capute 21. reprehenduntur ab Amama, vel tanquam male converſa ex hebraico, vel tanquam inepte omiſſa a Vulgato; v. g. quod ſcripſerit *Principes familiarum*, pro *Capita patrum*; quod ad aliquas urbes non adjunxerit earum ſuburbana; aliaque id genus effutit [illegible] iſte.

Ex ſe unuſquiſque cognoſcit in latino ſermone aptius dictum eſſe *Principes familiarum*, quam *Capita Patrum*, quinimo & ipſi LXX. legebant [illegible] ideſt *principes familiarum filiorum Levi*, quam quidem verſionem, Vulgatique lectionem Clariſſimus Druſius amplectitur. Toties pariter a Vulgato recenſita ſunt in hoc Capite Urbium Levitis Datarum ſuburbana, eoque ordine diſpoſitus eſt latinus ſermo, ut impoſſibile protſus videatur a quopiam intelligi poſſe aliquas urbes, Levitis fuiſſe abſque ſuburbanis earum conceſſas. Quæ autem adjungit ad Caput iſtud Joſue Cenſor noſter adverſus S. Hieronymi verſionem, in qua numerus multitudinis pro numero ſingulari uſurpatus conſpicitur atque Civitas aliqua ad refugium deſignata, quæ talis revera non fuit, ſatis reſoluta ſunt in Nota (33) pag. 285. primi voluminis Diſquiſitiunum.

Plurima ad Caput 22. Joſue redarguenda Sixtinus invenit. Ad ℣. 2. in primis Vulgatum objurgat, quod omiſerit vocem hebraicam [illegible] *miſchmereth*; in textu quippe hebraico ita ſcriptum eſt [illegible] *uſchmarthem & miſchmereth mitſvat Adonai*; & *cuſtodiviſtis cuſtodiam præcepti Domini*. Vulgatus autem legit = Cuſtodientes imperium Domini =.

Ex ſola textus appoſitione quiſnam ignorat nil deeſſe ad integritatem & veritatem ſententiæ in Vulgata? Idipſum contingit ad ℣. huius Capitis undecimum, in quo legit Vulgatus.... *altare in terra Chanaan ſuper Jordanis tumulos contra filios Iſrael*; Hebræus autem habet... *Struxerunt aram e regione terræ Chanaan ad limites, vel aggeres Jordanis ad latus filiorum Iſrael:* idipſum in utroque textu deſcribitur, ut per ſe patet; quamvis a nonnullis Commentatoribus divinæ Scripturæ ſit dubitatum an in ripa Jordanis occidentali, vel potius in altera orientali aram iſtam extruxerint Rubenitæ cum ſociis ſuis. Communior tamen ſententia eſt erectum altare in occidentali parte fuiſſe, quæ ſiquidem plaga, *terra Chanaan* merito appellabatur. Poſuit ulterius Vulgatus *contra* pro *e regione*; quia idipſum propoſitio illa ſignificare poteſt, ut patet ex I. Æneid. *contra Italiam*, & ex Juvenale *ſtat contra, ſtarique jubet*.

Ad Verſiculum 14. in codicibus latinis deeſſe notat Sixtinus hæc verba = quiſque erat Caput Domus Patrum ſuorum in millibus Iſraelis = Verum ſatis ex latina lectione intelligimus decem viros in Galaad miſſos Principes fuiſſe, proindeque eorum quemlibet Caput ſuæ Domus, ideſt principem maximarum familiarum, ut Calmetus, & alii exponunt; an autem eſſent ulterius chiliarchæ, vel præfecti quarumdam majorum urbium Iſraelis, vel tandem in *millibus Iſrael* pro univerſo populo Iſraelis, qui ingens admodum erat, ut Vatablus exponit, ſit intelligendum, diſputatur ab Expoſitoribus Scripturæ divinæ. Vulgatus in ſenſu Vatabli uſurpavit; proindeque fortaſſis ea verba dimiſit, cum ſatis ſe expreſſerit appellando eos *Principes*. Nobis ſatis eſt non deeſſe in Vulgata, quod ad hiſtoricum factum pertinere dignoſcitur.

Quæ in Vulgati lectionem opponit ad ℣. 16. Sixtinus nullam ferme ab hebraico ſenſu differentiam oſtendunt in noſtra, cum Emphaſim quamdam majorem tantummodo verba hebraica præſeferre videantur, in iis propterea nec diutius immorandum; ad alia propterea, quæ ad ℣. 17. ſua perſtringit Cenſura deſcendamus. Legit itaque hebraicus textus hoc in loco [illegible] *hammebat lanu & bavon Pebor*. *An parum nobis eſt iniquitatem Peor* (admiſiſſe) Vulgatus autem ſcripſit: *an parum vobis eſt &c.* a Correctoribus ergo Romanis fuiſſe vocem illam *vobis* corripiendam, atque *nobis* ſcribendum Sixtinus contendit. Plurimi tamen vetuſtiſſimi codices *An parum vobis eſt* legunt inter quos Hieronymianæ verſionis codex a Vallarſio editus recenſetur: Lucas Brugenſis pariter advertit legendum eſſe *nobis* poſt illa verba *macula hujus ſceleris in* (*nobis*) non *vobis*: de altera voce autem in hoc verſiculo exiſtente, ſcilicet. *an parum vobis &c.* nil protſus adnotavit.

Nonnulla denum adnotantur ad Verſiculos 18; & 20, quæ tuto poſſent a nobis omitti, cum nil turbetur de legitimo ſenſu; quid enim obeſt intelligentiæ genuinæ ſive legamus ad ℣. 18. *vos rebellatis Domino* cum hebræa; ſive cum Vulgato, *& vos hodie reliquiſtis Dominum*; quid eſt *relinquere Dominum* niſi ab ejus lege, & voluntate rebellare? quid denique ſonant hæc latina verba, ſub ℣. 20. poſita = nonne Achan filius Zare præteriit mandatum Domini = niſi tranſgreſſionem Achanis ſacrilegam, de qua Vulgatus noſter ſatis in Capite 7. Joſue locutus fuerat in ordine ad ſpeciem peccati, quod Achan commiſerat? Tandem ſub hoc eodem ℣. 20. cum ſcripſerit Vulgatus = Et ille erat unus homo, atque utinam ſolus periiſſet in ſcelere ſuo = reprehenditur a Sixtino quod textum hebraicum adamuſſim non converterit, in quo legimus [illegible] *vehu is echad lo gbavah bahavono: & ipſe vir unus non expiravit in ſcelere ſuo*. Puduit profecto Sixtinum ſuæ expoſtulationis in Vulgatum, proindeque confeſſus eſt planiorem haberi ſenſum in verſione noſtra. Veruntamen queritur adjectam eſſe voculam *ſolus*, atque a Pontificiis, ait Hereticus eſſe canonizatam, a quibus tamen acriter valde tanquam ſacrilegi ſceleris (ſequitur Cenſor) reus exprobratur Lutherus, eo quod ſimilem in ſua Bibliorum Germanica editione addiderit voculam *ſola* ad Rom. 3. ℣. 28. cum tamen vocula illa, tanquam Germanici idiomatis idiotiſſimus eſſet conſideranda.

Quid

Quid quæſo clamitat errorum iſte ſator pro errorum magiſtro Luthero! Neſarius ille Hæreſiarcha ſatis in aliis ſcriptis mentem ſuam fecerat palam, quod ſola fides ad hominum juſtificationem ſufficeret, unde apud ipſum vocula iſta *ſola* excluſiva prorſus erat tum operum bonorum, cum aliorumque mediorum, quæ ad juſtificationem neceſſario requiruntur; hæc autem doctrina cum ſemper ſuerit ab Eccleſiæ documentis aliena, merito damnata ſuit, ac rejecta a Cuſtode illo ſolicito divini verbi, divinæque doctrinæ ab Eccleſia Catholica nempe, quæ eſt columna, & firmamentum veritatis. Ad hunc autem textum admiſere catholici particulam *ſolus*, quia evidenter ex ordine orationis indicat non unicum Achanem pro ſuo ſcelere ſuiſſe interemptum, ſed in alios etiam Dei iram efferbuiſſe. Hæc quæ diximus ſatis ſunt.

Alia nonnulla redundare ad ℣. 22. videlicet *ſed puniat nos in præſenti: & judicet* excedere in ℣. 23. arbitratur Sixtinus. Quis tamen ſpondeat mutilum potius non eſſe hebraicum hodiernum? in vetuſtis quidem codicibus ea verba leguntur, & præſertim in Hieronymiano; nec Lucas Brugenſis, qui ad ℣. 22. adnotavit geminanda eſſe hæc verba *fortiſſimus Deus Dominus*, excludenda eſſe alia; *ſed puniat nos in præſenti*, tantiſper indicavit. Verbum pariter illud *& judicet* a S. Hieronymo expreſſum in hebraica lectione eſſe ſubintelligendum Vatablus, & Maſius confitentur; verbum quidem [illegible] *bikkeſch* ait Maſius, proprie *quærere* ſignificat; ſed quia ſæpe quæſtiones exercentur, ut meritæ poſſint pœnæ ſumi, ſactum eſt ut pro *vindicare* uſurparetur. Quid mirum eſt ergo ſi illud S. Hieronymus diſtincte poſuit, ſi in verbo hebraico *bikkeſch* eſt ſubintelligendum, ut integritas habeatur ſententiæ?

Nec tantillum pariter obeſt, quod ad ℣. 32. legat Vulgatus *de terra Galaad finium Chanaan*, quamvis hebræus ſolummodo habeat *de terra Galaad ad terram Chanaan:* noſter enim Interpres diſtinctius indicavit locum terræ Galaad, in quo Principes Tribuum transjordanicarum locuti ſunt ad filios Ruben, Gad, & Manaſſe, in loco ſcilicet qui confinis erat ſive propinquus terræ Chanaan. Quamquam enim hebræi codices, & LXX. hodierni vocem illam *finium* non habeant, vetuſtiſſima nihilominus latina exemplaria, & codex Hieronymianæ verſionis a Vallarſio editus; & illuſtrarus vocem illam præſeferunt. Quæ deinceps ad Caput iſtud ex Benedicto adnotat Sixtinus libenter omittimus, cum nullo modo vel ſenſum, vel hiſtoricam veritatem perturbent.

§ XII.

REdarguit Sixtinus ad ℣. 2. Capitis 23. horum verborum [illegible] *ulſophetau ulſoteran* interpretationem, quam reddidit S. Hieronymus, contendens *Sophet judicem*, quidem, non autem *Ducem* ſignificare. Quis fuit nihilominus Catholicorum, qui hoc in loco *Ducis* nomine *Tribunos Chiliarchas*, & *præfectos* populi non intellexerit, qui omnes generali illo *Sophetim* nomine comprehenduntur? ipſemet Druſius judicum nomine urbium Magiſtratus intelligit quoſcumque, eorumque adminiſtros per *Soterim*: de qua voce ſatis dictum eſt in nota ad Pag. 276. primi voluminis.

Verſiculo 4. hujus capitis cum S. Hieronymus ſcripſerit de Deo = vobis ſorte diviſit omnem terram &c. = redarguitur ab Anama, quod verbum *diviſit* in tertia perſona conſtituerit, cum potius in prima *diviſi* ſcilicet vertendum ſuret. Hujuſcemodi nihilominus oppoſitio ex Vulgati contextu eliminatur: Joſue quippe Iſraelis populo divina commemorat beneficia, inter quæ & terræ diviſionem, ſorres ipſo Domino dirigente, recenſet; utraque lectio vera eſſe poteſt, in Vulgato enim agenti principali, Deo videlicet terræ diviſio attribuitur, in Hebraica autem Agenti miniſteriali Joſue ſcilicet deſignatur: reliqua autem hujus verſiculi pars clarior eſt in Vulgata, quam in Hebraica verſione, ut ex textuum collatione quiſque dignoſcere poterit; non eſt ergo cur a noſtra recedamus. In ℣. 6. nullum eſt inter Vulgatam, & Hebraicam quo ad ſenſum diſcrimen.

Ad ℣. 7. mutilam eſſe ait Sixtinus Vulgati interpretationem, quia unum dum taxat in ejus lectione reperitur prohibitum, videlicet ne ingreſſi ad gentes jurent per Deos ipſarum, cum in Hebræo tria diſtincte interdicantur I. ne conſuetudinem habeant cum gentibus, non commercia nimirum, non neceſſitudinem. 2. ne commemorent nomina Deorum gentium illarum. 3. ne per Deos earum jurent. Hæ Sixtinus, qui ſubjungit in Vulgata ſolummodo prohiberi ne jurent, ut dictum eſt.

Breviorem quidem Vulgatæ lectionem agnoſcimus, quam hebraicam, ſed clariorem. Solam quippe Religionis conſuetudinem interdicebat Judæis cum exteris gentibus, earumque Deorum cultum quemcumque, & adorationem lex Divina, minime vero civilis vitæ neceſſitudinem, atque negotiationem, exceptis tamen conjugiis, & neceſſitatibus quæ ex affinitate oriuntur, ut Maſius, & Druſius animadvertunt, ſi eæ excipiantur gentes, quæ exterminandæ ab Judæis prorſus erant. Cum itaque in Vulgata legamus ad hunc locum juſſos Judæos non adorare, neque ſervire Diis gentium, nec per eos juvare, & quidquid tandem in Volumine legis Moſis ſcriptum erat diligenter cuſtodire, quid ad ſententiæ plenitudinem deſit, prorſus neſcimus: Exodi 23. ℣. 13. interdictum jam ſuerat memorare nomen Deorum gentium, in ordine tamen ad actum aliquem religionis, opinor, hinc ſatis cognoſcimus mutilam non eſſe Vulgati lectionem quoad legitimum ſenſum.

Sub Verſiculo 12. idipſum legimus in Vulgata, ac in Hebraica. Quid enim ſignificant hæc Vulgati = Quod ſi volueritis gentium erroribus adhærere = niſi idipſum quod in hebraica exprimitur = ſi everrendo averſi fueritis, & adhæſeritis &c. adhærere quippe

er-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

erroribus gentium idem eſt, ac ſe avertere a Dei mandatis, & ad creaturarum placita ſe convertere, ut ipſemet Sixtinus confitetur.

Unicus remanet in hoc capite ſub ℣. 13. locus ab Amama in Vulgata reprehenſus, quod nonnullæ hebraicæ voces non apte redditæ ſint in latinum, legit quippe Hebræus = & nunc ſciendo ſcitote, quod Dominus Deus veſter non additurus, vel perrecturus ſit expellere gentes iſtas a facie veſtra, ſed erunt vobis [illegible] *noble-pach ulmoker ulſchotet betſiddechem velitſninim behenechem* laqueus, & offendiculum, & flagellum in lateribus veſtris, & ſpinæ in oculis veſtris = S. Hieronymus autem cum verterit = Jam nunc ſcitote quod Dominus Deus veſter non eas deleat ante faciem veſtram, ſed ſint vobis in foveam, ac laqueum, & offendiculum ex latere veſtro, & ſudes in oculis veſtris = hinc Sixtinus ait in primis omiſſam eſſe emphaticam illam conduplicationem, quæ legitur in Hebræa. Veruntamen in latina verſione non deeſt quod ad ſententiæ facit integritatem. Deeſſe ſubjungit ulterius verbum [illegible] *joſiph* non *adjiciet*. Aſt hoc pariter ſolam expreſſionem hebraicæ linguæ inducere, non Sententiæ varietatem quiſque cognoſcit. Vocem iterum [illegible] *pach* non *foveam* ſed *laqueum* ſignificare Sixtinus contendit. Neque id inficiabitur quiſquam; foveam enim in Hebræo *pachath* appellari notum eſt; quis tamen ſciat an S. Hieronymi codex, ex quo Vulgatam verſionem expreſſit [illegible] *pach*, vel potius [illegible] *pachath* præſeferret? Verum uno vel altero legamus modo ſenſus eſt idem, cum etiam fovea pro inſtructis inſidiis non minus quam laqueus uſurpetur in Scripturis Sanctis præſertim, ut ex Pſalm. 7. ℣. 16. ex Sapient. 10. ℣. 13. ex Eccleſiaſtici 27. ℣. 29. quapropter apud Hebræos obtinuiſſe animadvertit Calmetus in ſupplemento Dictionarii Biblici ad verbum *Fovea*, ut inſidiæ inſtruerentur paratis clam foveis qua hominibus, qua brutis capiendis. Vocem pariter [illegible] non bene verſam eſſe offendiculum opinatur, cum potius flagellum ſignificet. LXX. *clavos* pro *ſtimulis* interpretati ſunt, R. Salomon *ſpinas* convertit, alii *lanceas*, quaſi ſcilicet Iſraelitæ ſtimulandi eſſent ad Idololatriam a Gentibus, ſicut boves, ut magis laborent acutis ſpiculis ad latera pangi ſolent. Hæc tamen omnia methaphorice dicta ſunt, ſenſus itaque eſſe videtur, ut Gentes futuræ eſſent in offendiculum, ſeu ſcandalum Judæis, hoc eſt occaſio recedendi a cultu Dei, atque in Idololatriam prolabendi. Tandem voculam illam [illegible] *tſeninim* non ſudes ſignificare Sixtinus adfirmat, ſi propriam ejus ſignificationem attendamus, ſed potius *ſpinas. Sudes* tamen cum acuta ſint inſtrumenta, paxilli nimirum igne torridi, vel lanceæ ligneæ ad ignem aduſtæ unam, eamdemque ſignificationem habebimus, ſive *ſpinas* cum Pagnino, ſive *Cultros*, ſive *tribulos* ſive *lanceas* cum aliis legerimus.

Quæ in ultimo Capite Joſue notavit Sixtinus parvi momenti omnino ſunt; a Vulgato quippe aliquibus in locis actiones cauſæ principali, Deo videlicet adſcribuntur, quæ in hebraica lectione cauſis inſtrumentalibus, quibus Deus uſus eſt, deſignantur; hæc tamen legitimum ſenſum nequaquam perturbant, cum in utraque verſione Deus veluti principaliter agens intelligatur. Ad ℣. tandem 27. ubi ait cenſor bis a Vulgato poſitam eſſe vocem *vobis*, cum *nobis* habeat Hebræa, nec tamen erratum iſtud a Romanis correctoribus fuiſſe emendatum. Reſponderi poteſt antiquiſſimos codices, quibus uſi ſunt Romani Correctores, *vobis* habuiſſe non *nobis*, quidquid ſit de hebraicis hodiernis codicibus, qui *nobis* legunt. Ordo pariter orationis, & circumſtantiæ *vobis* legendum eſſe non leviter oſtendunt; lapis quippe in teſtimonium ab Joſue erectus pro futuris temporibus appellabatur, quibus profecto Joſue non erat adſuturus, cum illa omnia ad vitæ finem peregerit, non ergo ſeipſum cum hebræis, ſed ſolos Hebræos, quos alloquebatur, ad lapidis teſtimonium provocabat, unde *vobis* potius quam *nobis* ut diceret oportebat. Hæc breviter dicta ſint.

§. XIII.

SI quæ in Pentateuchum Moſis, & Joſue Librum, prout in Vulgata noſtra habentur lectione Sixtinus ab Amama perargute congeſſit, ut Romano-Catholicæ communionis fideles temeratum Dei ſcriptum verbum, non legitimum, ſicut a divino ſpiritu traditum fuit, poſſidere demonſtraret, non minus in Librum Judicum, alioſque ſequentes maximo cum ſupercilio auſteras aggerere obſervationes non deſtitit, ut tandem (quod contingere nequit) domum illam ſupra Petram Dominum ædificatam, diutius arietando, concutiendoque divelleret: qui tamen adverſus illum inexpugnabilem murum arietabat, ſe non illum frangit. Noſtrum igitur erit, legitimam in Vulgata noſtra lectionem haberi divini verbi, quoad ſenſum ſaltem oſtendere.

Quæ ab Amama ſub ℣. 1. Capitis 1. Judicum adnotantur tantum abeſt ut a legitimo ſenſu abſcedant, quod ipſemet Cenſor eum ibidem haberi confiteatur; quamvis nullam *ducis* haberi mentionem adfirmet. Hoc tamen vocabulum in pervetuſtis extitiſſe codicibus fit palam ex Auguſtino quæſt. 2. in 1. Judic. ubi legebat = Quis aſcendet nobis = cum ad Chananæum Dux ad debellandum eum? = S. Hieronymus in ſua ex Hebræo verſione legit ut Vulgata, illud autem hebraicum [illegible] *bathechillah in principio*, idem ſonat, ac latinum *ante nos*, ſenſus quippe eſt *quis nos præcedet*, ideſt diriget, quis primus parabit expeditionem in Chananæum? hæc autem omnia Ducis munia ſunt, hinc S. Hieronymus clare omnia, & diligenter expreſſit.

Sub Verſiculis 6. & 7. Vulgati lectio *cæſis ſummitatibus pedum, & manuum ejus* reprehenditur a Sixtino, cum in hebraico textu ſoli pollices pedum, & manuum amputati dicantur. Legit enim ea verſio [illegible] *vajkatsetſu & bebonot jadau veraglau*,

glau, & amputarunt pollices manuum ejus, & pedum ejus LXX Interpretes *ſummitates* legebant, qui ſiquidem errorem commiſiſſe dici non poſſe videntur, cum & pollices vere ſint manuum, & pedum ſummitates ab ea parte, in qua conſiſtunt.

Ad ℣. 14. eamdem revocat Cenſuram, quæ ab eodem ſub ℣. 18. Capitis 15. Joſue fuerat inſtituta, ad quem locum in noſtris hiſce obſervationibus recurratur. Ad ℣. pariter 16 hujus Capitis propter hebraicam vocem [illegible] *Choten*, quam *cognatum* reddidit S. Hieronymus, cenſuram appellat Sixtinus ad Caput 18. Exodi ℣. 1. quem locum minime cum trutina noſtra ſimus perſecuti, pauca hic enarrabimus circa prædictæ vocis translationem. LXX Interpretes itaque legebant τῶ γαμβρῶ Μωϋσῆ *Affinis Moſis*, γαμβρὸς enim tam *gener*, quam *ſocer* reddi poteſt. Significat ulterius *fratrem uxoris*, & nonnunquam *maritum ſororis*. Abenezza vocem *Choten*, uxoris patrem, & fratrem æquali modo ſignificare non dubitat; alii pariter hominem hoc loco Judicum nominatum fratrem Sephoræ fuiſſe opinati ſunt, ut Druſius animadvertit; vox autem *cognatus* quamcumque Sanguinis neceſſitudinem ſignificare cum poſſit non videtur S. Hieronymi verſio redarguenda.

Vulgatæ lectio ad ℣. 23. hujus Capitis reprehenditur ab Amama, quod habeat *nam cum obſiderent*, Hebræa autem legat [illegible] *vajatiru* & explorare fecerunt. Quis non videat a Vulgato integram facti ſubſtantiam referri, ſcilicet eſſe inventum hominem e Civitate egredientem, dum filii Joſeph Civitatem ipſam obſidione circumdabant, ad eam quippe jam pervenerant, ut in ℣. præcedenti refertur; ſive autem ſit inventus dum aliqui exploratores Civitatem obſervabant, ſive fuerit inventus a militibus circa urbem commorantibus admodum non facit, ſatis eſt quod hiſtoria legitime habeatur

Ad ℣. 35. ex tranſcribentium errato *teſtatio* pro *teſtaceo* irrepſerat; unde Romani Correctores ad normam antiquiſſimorum codicum veram lectionem reſtituerunt [illegible] *cheres* enim cum a, non tantummodo *ſolem* ſed etiam *ſcabiem ſiccam* ſignificat, quæ ſiquidem ſignificatio congruere videtur cum interpretamento S. Hieronymi *teſtaceo*. Quo denique ſenſu verba ultimi verſus *Ab aſcenſu ſcorpionis, Petra, & ſuperiora loca* ſint intelligenda, ſatis a Commentatoribus explicatum eſt.

§. XIV.

SUb Capite Judicum ſecundo ad ℣. 9. in Vulgata noſtra Sixtinus interpretationem hebraicæ hujuſce vocis [illegible] *beThamnathcres* reprehendit, quæ a Vulgato converſa eſt *Thamnatſare*. Hebraicum quippe nomen juxta Rabbinos ſignificare ait *Civitatem ſolis*, eo quod ſuper Joſue ſepulchrum in ea Civitate conſtructum ſolis imaginem poſuerint Iſraelitæ in memoriam illius facti mirabilis, quod fecit ſtare ſolem.

Ab Judæis, & Orientalibus fabulas venditari quamplurimas ſciunt omnes. Saniores autem Interpretes duo hæc nomina *Thamnath-ſare*, & *Thamnath-Hares* iiſdem literis, ſed inverſo ordine ſcribi animadvertunt; unde unus, idemque locus duobus illis nominibus indigitatur. Maſius ad Caput Joſue 19. obſervat Thamnatæ adjunctum eſſe cognomen [illegible] *ſarach*, vel ab ariditate, vel a ſitu, & pedore, cur ergo adeo Rabbinis deferemus, ut a Vulgati lectione, quæ nullum profecto continet mendum, diſcedamus?

Ad ℣. 14. corripitur a Cenſore Vulgatus quod ſcripſerit = & vendiderunt hoſtibus = cum potius *vendidit* ſit ſcribendum quandoquidem Deus erat, qui vendebat, ideſt tradebat Judæos in manus inimicorum. Hæc omnia nullius videntur momenti, cum ex Dei indignatione contingeret malum illud Hebræis, ſive a Deo immediate, ſive per alios Hebræorum traditio, aut venditio proveniret Itala antiqua profecto, qua Tertullianus utebatur numerum pluralitatis habuiſſe videtur, cum ipſemet adverſus Gnoſt. ſcripſerit = & iratus Dominus tradidit eos in manus diripientium, & diripiebantur ab illis, & venundabantur inimicis = quid mali ergo ſi hanc lectionem S. Hieronymus ſecutus eſt? Cætera in hoc Capite ex Benedicto adnotata a Sixtino nullum eſſentiale diſcrimen præſeferunt.

In Verſiculi ſecundi Capitis 3. Judicum interpretatione aliquod eſſe quoad verba diſcrimen fatemur inter Vulgatam lectionem, & Hebraicam. Textus quidem hebraicus hanc præſefert = Tantum ut ſcirent generationes filiorum Iſrael docere eos bellum, tantum qui antea non cognoverunt ea = quæ verba ita Vatablus explicat. *Tantum* ſubintellige *reliquit Jehova eas gentes ut &c. ut doceret eos bellum*, ideſt ut ſcirent filii Iſrael, qui poſtea naſcerentur, & quaſi cogeret eos Dominus diſcere rationem belli, quaque ratione gerenda eſſent bella. *Verum qui antea* ſubintellige *fuerant non cognoverunt ea*, ideſt non noverunt eam artem bellicam, qua Dominus pugnabat pro illis = Quis modo neſciat clariorem ſatis Vulgatæ adinveniri lectionem, quæ his eſt concepta verbis = ut poſtea diſcerent filii eorum certare cum hoſtibus, & habere conſuetudinem præliandi = Hæc verba eumdem prorſus ſenſum continere videntur, quem Vatablus ex textu hebraico explanavit, & quem S. Auguſtinus Quæſt. 17. ſuper Judices expoſuit. Nil ergo in Vulgata eſt, quod legitimum ſenſum invertat; quod nobis abunde eſſe debet.

Verſiculo hujus Capitis 7. legit Vulgata *ſervientes Baalim, & Aſtaroth*, Hebraica vero [illegible] *vajiiabdudu & haBebalim veethachſeroth, & ſervierunt Baalibus, & lucis*. Hinc Sixtinus cum ex plurium auctorum opinione moveatur ad judicandum *aſteroth* hoc in loco ſignificare *lucum* eo ſuam ſententiam uſque protendit, ut ex tranſcribentium errore, non ab Interprete *Aſteroth* pro *Aſeroth* ſcriptum arbitretur.

Aliam profecto ſententiam S. Hieronymo, aliiſque inſignibus ſcriptoribus inſediſſe veluti compertum habemus, *Aſtaroth* enim &

Aſera

Aſera a S. Doctore perinde uſurpabatur, ſub iſtis quippe nominibus vel *luna* comprehendebatur, quam Phœnices veluti Deam adorabant, eamque ut lucorum nomen agnoſcebant, aut in lucis eidem ſacra celebrabant, vel Juno, ut S. Auguſtinus Quæſt. 16. in Judices docet, quæ a Pœnis *Aſtarte* ſine dubitatione dicebatur. Druſius in eorum ſententiam deſcendit, quod ſub voce illa *Aſtaroth* numina lucorum continerentur; in libro pariter Hebræo, cui nomen Pheſictha vox *Aſerim* inter decem nomina Idolorum recenſetur. Non igitur quod in Vulgata noſtra legimus *Aſtaroth*, tam facile veluti Amanuenſium erratum traduci poteſt.

Verſiculo 15. hujus Capitis legit Vulgatus = qui utraque manu pro dextra utebatur = hanc autem lectionem Sixtinus conatur expungere eo quod in hebræo legamus [illegible], *is itter jadb jemino*; *vir impeditus dextera manu*, *ſeu ſcævola*.

Sixtini, aliorumque hebraizzantium opinioni Catholici Expoſitores conſtanter reſiſtunt, & merito quidem; aliis quippe omiſſis conjecturis, omiſſa pariter LXX. Interpretum auctoritate, qui legunt ἀμφοτεροδέξιον *ambidexteram*; legimus in Capite Judicom 20. ℣. 16. = Septingenti erant viri fortiſſimi ita ſiniſtra, ut dextra præliantes = ut Vulgata præfefert; eiſdem verbis hic ſcribitur in Hebræa, ac ad Caput Judicum 3. ℣. 15. credat, qui poteſt ſeptingentos illos fortiſſimos viros manu dextera fuiſſe præpeditos, & ſola ſiniſtra inter præliandum uſos, quod nos Vulgati lectionem profecto ſequimur.

Ad ℣. 16. cum legat Vulgatus = Qui fecit ſibi glaudium ancipitem, habentem in medio capulum longitudinis palmæ manus = reprehenditur a Sixtino quod ab Hebraico textu receſſerit, cum in eodem neque *capuli*, neque *palmæ manus* ulla habeatur mentio, tantumque legamus gladium Aodi, unius cubiti longitudinem habuiſſe.

Nos autem dicimus cum Calmeto, aliiſque Commentatoribus incertam eſſe ſignificationem vocis [illegible] *gomed*, cum per alteram vocem cubitalis menſura apud Hebræos exprimatur; hinc longitudo pugionis, quo Aod Eglonem peremit incerta eſt. Capulum autem in ejus medio extitiſſe nedum improbabile non eſt, ſed maxime neceſſarium, ſi gladius ille ea conſtructus exiſtimetur forma, quam varii Auctores adſeribunt; ſcilicet ab utraque parte fuiſſe acuminatum non ab una tantummodo; & ſane aliquo ſingulari artificio fuiſſe fabrefactum Aodi pugionem non leviter indicat Sacer textus dum ab Aodo fuiſſe de novo fabricatum deſcribit. Non ergo Vulgatus eo exorbitabat in ſua interpretatione, ut ad ſtatos limites ſit ab Amama revocandus.

Verſiculo 19. legit Vulgatus = & reverſus de Galgalis ubi erant Idola = cui obſiſtit Amama, quod vox hebraica [illegible] *peſilim* juxta Catholicorum quamplurium ſententiam *lapicidinas*, vel *dolaturas* ſignificet.

Certum nihilominus eſt LXX. Interpretes, Jonathan, aliique quod vocem illam de Idolis ſculptis acceperant; eademque voce utitur Scriptura dum idola vetat fabricari, ut patet ex Cap. 20. Exodi ℣. 4. Deuter. Cap. 7. ℣. 5. aliiſque locis, quæ apud Calmetum videri queunt.

Quod adnotat Sixtinus ad Verſiculos 22. & 23. potius ad legitimam ſententiarum intelligentiam, quam ad ipſarum varietatem ſpectare videntur; ſola vox [illegible] *bammiſderonah* quamdam in Vulgati tranſlatione difficultatem præſeferre videtur, cum *per poſticum* eam converterit; alii vero *per veſtibulum*, vel per *ante cubiculum* ſint interpretati, certa nihilominus ejus vocis ſignificatio latet Interpretes, veruntamen ſi circumſtantiæ attendantur, quibus Aodi fuga deſcribitur ab Eglonis æde, veroſimillima eſt S. Hieronymi interpretatio; inflicto etenim vulnere clauſit oſtia cœnaculi, eademque ſera obfirmavit, quod ab intro præſtitiſſe credibilius eſt, indeque per alteram januam ſecreto receſſiſſe. Quamcumque tamen interpretationem retineamus nequaquam hiſtoricæ veritati detrahimus.

Ad ℣. 26. legit Vulgatus = dum turbarentur illi = ex hebraica voce [illegible] *bithmithmehbam*, dum *tardarent*, vel *moram facerent*, ut alii interpretantur. Veruntamen vividiorem, ac veroſimiliorem Vulgati expreſſionem nequaquam ambigimus; cum enim Eglonis familiares jam cœnaculum aperuiſſent, ſuumque Regem vidiſſent interemptum, confuſione profecto terrore, atque animi perturbatione abreptos fuiſſe aliquanto neceſſum erat, quo temporis intervallo Aod ad ſuos evaſit; in hac igitur animorum turbatione moræ pertractæ ſunt aliquæ priuſquam quid agendum Regii adminiſtri decernerent; unde utraque lectio in idem ferme recidere exiſtimatur.

Reprehendit denique Sixtinus lectionem Vulgati ad ℣. 31. hujus Capitis, quod in ſua horum verborum [illegible] *be malmad babbokar* tranſlatione ſcripſerit *in vomere* cum potius reddendum eſſet *in virga aculeata boum*, ſive *in ſtimulo* boum, eo nimirum inſtrumento, quo boves ad arandum ſtimulantur.

Variæ ſunt admodum antiquorum codicum lectiones, ut eruditi ad hunc locum animadvertunt; Nonnulli etenim græci codicees legunt ἐν τῷ ἀροτρόποδι τῶν βοῶν *in vomere boum* iſti Interpretes *vomerem* accipiunt pro *aratri pede*, quia *vomer* terræ infigitur, ut opinor; S. Auguſtinus comparans lectionem LXX. Interpretum cum hebraica diſcrimen inter utramque in Quæſt. 25. ſuper Judic. deſcribit his verbis = Non autem habet interpretatio ex Hebræo *præter vitulos boum* ſicut iſta, quæ ex LXX. eſt: ſicut habet illa ex Hebræo *vomere occiſos ſexcentos viros*, quod iſta non habet = Incertum eſt nobis num S. Pater Interpretationem ex Hebræo a S. Hieronymo concinnatam appellaverit, vel potius alteram ab alio Interprete elaboratam? Si etenim diverſam ab Hieronymiano Auguſtinus inſpexerat, ut fateremur neceſſum foret vocem hebraicam in illius ætatis codicibus exiſtentem non *ſtimulum boum*, ſed

ve-

vomerem abſolute ſignificaſſe. Quomodocumque tamen ſe res habeat hiſtorica veritas in eo eſt quod ſexcentos viros Samgar interemerit.

§. XV.

CEnſor Vulgatæ noſtræ ad ℣. 4. Capitis 4. Judic. Correctores Romanos increpat, quod ad vocem *Aſor* non reſtituerint aſpirationem ſcribendo *Haſor*. Maximam, qua afficitur, redarguendi pruriginem ſatis ex hujuſcemodi Cenſuris palam facit Sixtinus. Nullius pariter momenti eſt diſerepantia inter Vulgatam lectionem, & Hebraicam ad ℣. 3. ubi Vulgatus legit *vehementer oppreſſerat eos*. Hebraica autem *per vim oppreſſerat eos*. Quis non videat vehementes oppreſſiones ſemper eſſe violentas, & tyrannicas? non enim hujuſcemodi abſque violentia fieri queunt.

Sub ℣℣. 6. & 7. redarguitur S. Hieronymi interpretatio a Sixtino, quod verbum *maſchach* bis adhibitum a ſacro Auctore non apte expreſſerit juxta vim ſignificandi, quam habet; non enim, inquit, ſimpliciter *ducere* ſignificat, ſed *trahere*, ideſt verbis, rationibus, aut occulto quodam impetu trahere quo volumus.

Ex Vulgati lectione nihilominus intelligimus ſatis, ſuaſionibus, verbis; rationibuſque uti debuiſſe Barachum, ut Iſraelitas ad præliandum commoveret, eo vel magis, quod robur militiæ Jabin, ejuſque currus ſalcati Judæis eſſent pluſquam noti, ac per viginti annos eoſdem oppreſſiſſet; dum ergo Vulgatus Interpres uſus eſt verbo *duco*, atque factorum circumſtantiæ non omiſſæ ſunt ab illo ſatis energiam in hebraica voce contentam expreſſiſſe videtur.

Ad ℣. 10. huius Capitis deſiderati in Vulgata noſtra vocem *in Kades*, nec non alteram, quæ in hebræo eſt ברגליו *beragblau, in pedibus ſuis*, qua ſignificatur *exercitus pedeſtris*, Sixtinus exclamat.

Si tamen rem perpendamus attentius vox *Kades* in Vulgata nequaquam deeſſe comperitur; legimus quidem in eadem = ſurrexit itaque Debora, & perrexit cum Barach in Cedes. Qui accitis Zabulon, & Nephthali &c. = nonne ſatis expreſſum in hac lectione Zabulonitas, & Nephthalitas in Cedes fuiſſe accitos, ſi ab illo loco ad ſe eoſdem Barachus arceſſivit? Ad alteram vocem quod attinet, nullum in Vulgata noſtra ex ejus defectu errorem irrepſiſſe confidimus; cujus rei teſtem clariſſimum Druſium, pluries a Sixtino commendatum, advocamus. Advertens itaque Scriptor iſte perilluſtris ad hebraicam in hoc textu phraſim expreſſam *aſcendit pedibus ſuis*, & alteram in ℣. 15. expoſitam *fugit pedibus ſuis* ſcribit = ſatis erat *aſcendit* & *fugit*. Adhuc minus utilis hoc in loco hebraica illa vox ברגליו comperietur ſi ita exponatur, ut ſignificet *ſecum ad veſtigia ſua, ad pedes ſuos*, vel quid ſimile, cum in hujuſcemodi expoſitionibus nil in Vulgata deeſſe convincatur, cum nil aliud & in ipſa legamus, quam decem millia pugnatorum aſcendiſſe cum Barach.

Vulgati interpretationem, quam pro vocibus hiſce hebraicis עד אלון בצעננים *bed-Elon betſabaunaim* reddidit *uſque ad vallem, quæ vocatur Sennim* objurgat Sixtinus ad ℣. 11. hujus capitis, contendens in hebraica legendum = uſque ad quercum in Zahannaim = cum litera ב obſtet omnino, inquit, quominus vox *Zabaunaim* appoſitive exponatur.

De voce *Elon*, ejuſque ſignificatione ſatis ad pag. 235. col. 2. primi Voluminis Diſquiſit. diſputatum eſt, ibidemque *vallem* ſignificare ex illuſtrium Interpretum auctoritate demonſtratum. Quantum autem ad vocem ſecundam pertinet, fatentur communiter Interpretes *Sennim* eſſe nomen proprium loci, in quo vallis erat, ut Quercetum, a nomine loci illius cognominatum; locus hujuſcemodi prope Civitatem *Sabaunnaim*, de qua Joſue 19. ℣. 33. extitiſſe a Calmeto exiſtimatur; ſi itaque in Vulgata ſupponamus vocem *Seunim* in caſu gignendi eſſe repoſitam, adeo ut ſenſus ſit *uſque ad vallem, quæ vocatur τῷ Senuim*, ſive, quæ eſt in Sennim, jam unus, idemque habebitur ſenſus, ni decipimur, in Vulgata, & in hebraica, qui tamen legendi modus, nec tantiſper videtur extortus.

In ℣. 16. hujus Capitis hæc verba penes Vulgatum a ſe deſiderari, inquit Sixtinus = Non relictus eſt ne unus quidem = quæ in Hebræo habentur, & Greco. Satis nihilominus a Vulgato expreſſam intelligimus generalem illam exercitus Siſaræ internicionem per illa verba = & omnis hoſtium multitudo uſque ad internicionem caderet = in qua profecto locutione, & phraſis illa Hebraica continetur, quæ profecto generalitatem quamdam ſignificat interemptorum, non tamen nec unicum individuum fuiſſe relictum, eo ferme ſenſu, quo dicitur in Pſalmo 13. ℣. 3. *non eſt, qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum*, quamvis ſemper in mundo aliquis extiterit juſtus, & rectus, qui bene operabatur, ne Dei Eccleſiam defeciſſe aliquando ſuadeamur.

Sub ℣. 18. denique in Vulgatum Sixtinus animadvertit, quod uſus fuerit verbo *intro* pro *declino*, ingreſſus quippe ad mulierem pro concubitu carnali poteſt intelligi.

Id utique verum eſſe confitemur, quod & nos ad Paginam 235. colum. 2. primi voluminis adnotavimus. Ex circumſtantiis nihilominus, atque ex adjunctis intelligitur ſtatim num verbum *ingredior* concubitum, vel motum localem ſignificet. In hoc Judicum Capite nec dubium ſupereſſe poteſt quin motum localem ſignificet, ſubjungit quippe immediate ſacer textus = Qui ingreſſus tabernaculum ejus = Cum itaque in ſua verſione S. Hieronymus eo ſit uſus verbo, quo indicatur Siſaram apud Joelem divertiſſe non redarguendus eſto omiſerit verbum *declino*, vel *diverto*.

Plurima in Vulgati interpretatione ad Caput 5. Judicum redarguenda Sixtinus invenit; ac in primis ſub ℣. 2. hæc hebraica verba בפרע פרעות בישראל בהתנדב עם ברכו יהוה *bipbraa perabot belſrael bebituaddeb bam baracbu Jebovah*, non proprie a Vulgato reddita eſ-

ſe = Qui ſponte obtuliſtis de Iſrael animas veſtras ad periculum benedicite Domino = conqueritur, vertenda quippe contendit = in ulciſcendo ultiones in Iſrael, in offerendo ſe ſpontaneum populus benedicite Domino = Omittimus hac in re varias, quæ poſſent ex hebraicis verbis interpretationes confingi, quæque jam ab Expoſitoribus Scripturæ Divinæ ſunt prænotatæ, v. g. *in liberando libertates in Iſrael*, *in ſpontanee offerendo ſe populum*, ideſt, qui liberaſtis, & plene libertates reſtituiſtis in Iſrael, ſpontanee vos offerendo certamini *benedicite Dominum*, quæ profecto interpretatio, ejuſque paraphraſis literalis omnino eſt; omittimus inquam hæc, atque Abulenſis doctrinam ex Quæſt. 2. in Cap. 5. Judicum excerptam exhi-
„ bemus. = Sciendum, ſcripſit ipſe, quod
„ apud Hebræos ponitur hic una dictio, quæ
„ ſignificat nobilitare vel liberum facere, &
„ extenditur ad ſignificandum *ſponte*, vel *gra-*
„ *tis*, & ob hoc tranſtulit Hieronymus ſo-
„ lum ſenſum, omittens aliqua verba, &
„ poſuit *ſponte* loco illius. Et quia dicitur
„ *ulciſcendo ultiones*, & iſte eſt actus belli
„ tranſtulit Hieronymus loco hujus: qui
„ ſponte vos obtuliſtis periculis: quod idem
„ eſt, quod ſponte iviſtis ad ulciſcendum ul-
„ tiones, ſed eſt apertius = ſatis hæc ad Vulgati lectionem in tuto ponendam videntur.

Verſiculo 4. hujus Capitis cum habeat Vulgatus = & tranſires per regiones Edom = reprehenditur ab Amama, quod legendum putet *ab Agro Edom*; Veruntamen nullum eſſentiale diſcrimen inter utramque lectionem intercedit; quamquam non adeo tecta ſit Amamæ aliorumque in Vulgatum Interpretem incuſatio, cum ei innititur ſuppoſitioni, quod nunquam per regiones Edom tranſierint Iſraelitæ ex Ægypto revertentes, ſed e regione tantummodo ad terram Edom inceſſerint.

Aſt ex Scripturæ contextibus ſuppoſitio illa prorſus falſitatis convincitur, quamvis enim adverſus filios Eſau, ſive Edom non commiſerint prælium Iſraelitæ, per eorum terram nihilominus pacifice tranſierunt, ut patet ex Cap. 2. Deuteronomii ℣. 8. & ℣. 28. cur ergo non poterat S. Hieronymus hoc in loco interpretari *per regiones Edom?*

Verſiculis 7. & 11. hujus Capitis 5. cum vocem hebraicam [illegible] *Pherazon* S. Hieronymus interpretatus ſit *fortes* exprobratur ab Amama, quod a communi Interpretum ſenſu receſſerit, a LXX. qui legunt [illegible] *habitantes*; a ſemetipſo, qui alibi eamdem vocem *villas*, aut *oppida non murata* convertit; ſenſus itaque illius ſententiæ eſt quod ceſſaverint villæ ab habitatione, ideſt habitari non poterant propter hoſtium incurſiones. Clamitat deinde Cenſor nullo loco, nullove teſtimonio oſtendi poſſe ab Hebraica illa voce *fortes* ſignificari.

Plurima eſſe MSS. tum Græca, tum Latina, quæ vocem *fortes* præſeferunt compertum eſt; in MS. Oxonien. & Vatic. [illegible] habetur nempe *robuſti*. Lucas Brugenſis ad hunc locum advertit ℣. 11. legitimam eſſe lectionem *in fortes Iſrael*, quamvis vere ſimilitudinem haberi fateatur in eorum lectione, qui habent *fortis* in caſu genitivo; Denique voces *Pherazon*, & *Pherazin* ſæpe uſurpati pro viris fortibus, & ſtrenuis ea Bonfrerio teſtatur ad hunc locum Calmetus: Ex adjunctis itaque, & ex orationis ordine colligendum quandonam voces illæ pro *pagis*, & quandonam pro *viris fortibus* in ſacris literis uſurpantur; atque ab ipſomet S. Hieronymo modo in una, modo in altera ſignificatione adhibitæ ſunt.

Maximum excitat in Vulgati lectionem ſub ℣. 8. Sixtinus rumorem, quaſi a legitima divini textus ſententia receſſerit, dum hæc hebraica verba [illegible] *jibchar elohim chadhaſchim az lachem ſchebarim* interpretatus eſt = Nova bella elegit Dominus, & portas hoſtium ipſe ſubvertit = cum reddenda forent: cum *eligeret Deos novos*, *tum bellum erat in portis*; hoc eſt quando Iſrael ad Idulolatriam ſe convertit, ſtatim bellum in ſuis Civitatibus paſſus eſt. Plurima ad interpretationem iſtam fulciendam proponit Sixtinus, ut Vulgatum noſtrum convincat erroris ſi poſſit.

Nos, quæ minori attentione digna videntur libenter omittimus, cum ſatis conſequi arbitremur; ſi lectionem noſtram non minus idoneam, quam hebraicam oſtenderimus, quod unius Abulenſis obſervatione obtinere poſſe minime diffitemur. Vir ergo iſte præclariſſimus obſervat in hoc Deboræ Cantico agi de victoria, mirabili Deo auxilio habita contra Regem Jabin, & Siſaram; unde pro gratiarum actione ſingulare divinæ providentiæ beneficium enarratur, aliaque pro filiis Iſrael patrata prodigia recenſentur. Maximum profecto Dei auxilium in hoc prælio refulſit, ut patet ex ℣. 20. hujus Capitis; novo pariter, & inaudito modo Deus dimicavit, cum per manum fœminæ hoſtes devicit, Siſara interempto. Non itaque vel tantillum nobis faceſſit pluralis numerus hujuſce vocis *Elohim*, quæ in declinatione pluralis quidem; ſed in ſignificatione ſingularis etiam eſt, ut patet ex Cap. 1. Geneſeos. *Elegit* pariter in Hebræo ſingulare eſt, unde Vulgatus cum nomine Deus verbum illud copulavit, alteram autem vocem *Chadhaſchim* numeri pluralis eſſe in hebraica etiam, compertum eſt, unde *res novas* ſignificat; cum autem hoc in loco de bello a Domino pro filiis Iſrael inito habeatur ſermo, hinc Vulgatus noſter claritatis ergo, voci illi *nova* adjunxit *bella*. Vox denique *lacham*, *comedere*, *devorare* vel etiam *decertare* ſignificare poteſt, ut Commentatores obſervant; unde S. Hieronymus *ſubvertit portas hoſtium* interpretatus eſt. LXX. autem vocem illam [illegible] *lacham pugnaverunt* interpretari non timuerunt.

Ad ℣. 11. hujuſce Capitis multa in Vulgatum Sixtinus opponit, quod ab Hebraica veritate quam maxime abluſerit, germana quippe ille textus hoc modo legit [illegible] *mikkol mechatſetſim ben maſcheabim*, *a voce ſagittariorum inter hauſtra*, ſeu *inter loca, ubi hauritur aqua*. Vulgatus autem

tem Interpres legit = ubi colliſi ſunt currus, & hoſtium ſuffocatus eſt exercitus = quæ quidem ſententia a legitimo ſenſu nimis diſtat.

Locus iſte Vulgati Interpretis a litera hebraica non parum equidem diſtare videtur, ſi verba cum verbis comparentur; ſi tamen ſententiam Vulgati velimus attendere longe clariorem præſeferre ſenſum, aliiſque contextibus congruentiorem inveniemus: Capite enim quarto præcedenti ℣. 7. Dominus promiſit adducere exercitum Siſaræ ad locum torrentis Ciſſon, omnemque multitudinem tradere in manus Barach; in Cap. 5. ℣. 20. legimus = Torrens Ciſon traxit cadavera eorum, & torrens Cadumim = Confracti ibidem, atque diſperſi ſunt Currus Jabin, Cœlo contra eos dimicante; hæc magnalia ℣. 11. Cantici Deboræ juxta Vulgatum noſtrum enarrantur. Hebraica lectio hodierna diverſa exprimit ſenſa, quamquam non diffiteantur Calmetus, & Abulenſis, quod, relicta Maſſoreticorum punctorum ſyntaxi facillime hebraica lectio prope Vulgarum reddi poſſet; ſi enim in *Paal* legatur vox illa *mechutſatſim*, res *dimidiatas*, vel *confractas* ſignificare poteſt, unde legemus hebraicam *a ſtrepitu confractorum* (curruum nempe) alteram vocem pariter *Maſcheabim* ita exponit Toſtatus ut ſignificet haurire aquas, vel ſubmergi in aquis; & eſt ſenſus, inquit, in medio ſubmerſorum, ideſt in loco ubi ſubmergebantur hoſtes narrentur mirabilia Dei. Hæc interpretatio, ſive hebraicarum vocum reductio ab iis, quibus placet, amplectatur. Nobis ſatis eſt in Vulgata errorem aliquem minime deprehendi.

Sub ℣. 13. diſcrimen aliquod invenitur profecto inter hebraicam lectionem, quæ in noſtris codicibus reperitur, & latinam, quæ a S. Hieronymo ex Hebraica expreſſa fuit, hæc enim habet eadem ac Vulgata, Hebraica autem legit = Tunc dominatus eſt Evaſor fortibus populi; Dominus dominatus eſt mihi &c. = unde autem tanta *διαφορὰ* inter utramque lectionem auſpicanda ſit neſcimus omnino, niſi Cajetani ſequamur opinionem, qui poſtquam hebraicum textum eſt interpretatus, ſic explicat eumdem = Effectus victoriæ deſcribitur, quod reliquus populus, qui relictus eſt ab oppreſſoribus dominabitur ſuper fortes Chananæos; & reſolvendo rationem dominii in Deum, qui erat Auctor victoriæ, & dominii, ſubjungitur, quod Deus dominabitur in potentibus Iſraelitis ſuper Chananæos. Hæc Cajetani expoſitio ab ipſomet Sixtino commeodata, lucem aliquam videtur effundere, ut Vulgatæ ſenſum hebraicæ lectioni non abſimilem videamus. Si enim reliquiæ populi ſalvatæ ſunt, & Dominus ſimul cum fortibus Iſrael dimicavit, victoria profecto ex inimicis facta eſt, atque ſuperſtes populus victor dominaturus erat Principibus Chanaan. Hebraicus itaque textus effectum victoriæ, dominium nempe victorum deſcribit; Vulgatus autem populi ſalutem, bellumque peractum a Domino pro Iſraele: in utroque autem veritas continetur.

Ad ℣. 14. in Vulgati noſtri lectionem hanc *De Zabulon, qui exercitus ducerent* invehit Sixtinus, cum nihil iſtorum hebraica hæc verba [illegible] *moſchechim beſchebet ſopher*, ſonent, ut ipſe contendit, ſed potius eorum ſignificatio ſit *trahentes in virga ſcribæ*.

Facillime, niſi decipimur, utriuſque textus cohærentia demonſtrari poteſt, ſi tantiſper mentem ad Scripturæ phraſes convertamus: atque in primis certum eſt apud Hebræos verbum *traho* quam ſæpe pro verbo *duco* uſurpari, ita Deus trahere ſpondet Siſaram ad torrentem Ciſon Judic. 4. ℣. 7., & Cantic. 1. ℣. 4. inquit Sponſa *trahe me poſt te*, nempe *deduc me*. Vocem pariter hebraicam *Sopher* non ad unum *Scribæ* officium eſſe definitam facti Expoſitores Scripturarum fuentur, cum in Lib. 4 Regum cap. 12. ℣. 10. & 2. Paralip. Cap. 24. ℣. 11. eo nomine appellentur Regii Præfecti, qui cenſibus, & ſumptibus præerant. *Virga* denique ſignum eſt poteſtatis; hinc *Sopher* titulus eſt Præfecti tam civilis, quam militaris. Non ergo ab Hebraica veritate Vulgatus receſſit in ſua hac interpretatione.

Nonnulla ad ℣℣. 15 & 16. ex Cajetano, & Benedicto affirmat Sixtinus in Vulgata noſtra deeſſe; quæ tamen in ipſamet, ſi inſpiciatur attentius, continentur. Sub ℣. 17. ubi Vulgata legit *& in portubus morabatur*, Hebræa habet [illegible] *vehal miphratſau jiſchbon* = & ſuper fracturas ejus habitabit =.

Accuratiores Interpretes variis uſi ſunt vocibus ad explicandam dictionem hebraicam *miphratſau*, alii quippe *fracturas undarum maris* intellexere, adeo ut loca illa in litoribus exiſtentia, ubi maris inundationes potiſſimum franguntur indigitare voluerint. Alii autem ipſaſmet naves, in quibus morabantur Aſeritæ nihili facientes undarum colliſiones, ſignificatas volunt. Verum clarius a Vulgato noſtro tradita eſſe illius vocis ſignificationem non ambigimus, ſi portuum nomine eos omnes intelligamus profundiores maris ſinus ad littora exiſtentes, per quos lembi, aliæque naves ad terram ſolent appellere, in quibus profecto finibus majores habentur undarum fractiones, & colliſiones, atque terræ propterea ſolent ibidem eſſe præruptæ. Apud hujuſcemodi ergo loca morabantur Aſeritæ, ut præſto eſſent ad navigandum.

Cum Vulgatus Interpres ℣. 18. Hebræum converterit in Latinum his verbis = Zabulon vero, & Nephtali obtulerunt animas ſuas morti in regione Merome = duplicis culpatur erroris ab Amama hoc in loco, quorum prior in voce [illegible] deprehenditur, cum verti debuerit, ait Cenſor *probroſe expoſuerunt*, non autem ſimpliciter *obtulerunt*. Poſterior autem error eſt in vocibus illis Vulgati *in regione Merome*, quæ regio nullibi exſtit, nec in ſacris ejus aliquando mentio facta eſt.

Quantum autem ad primum ſatis clare Vulgati textus videtur exprimere filios Zabulon, & Nephtali inimicorum probris, & con-

conviciis ſe expoſuiſſe, cum numero longe minori ſuis hoſtibus eſſent, unde conviciis eorum non ſolum ſe obtuliſſe commemorat, ſed etiam ruinæ, & internicioni. Quantum vero ad ſecundam dicimus *Aquas Merom* etiam Joſue cap. XI. ℣. 5. recenſeri, qui ſiquidem locus a clariſſimo Maſio extitiſſe ſupponitur, quamvis nonnullæ inter Commentatores de vera loci illius poſitione extiterint controverſiæ. Cur Calmeti non poterimus amplecti ſententiam, qui decertatum a Barach, aliiſque Iſraelitis arbitratur ad radices Thaboris ad Mageddo, ad Thanac, ad Merom? non ergo tam facile incuſandus mendæ Vulgatus, ſi in ſua verſione non alios, quam hujus generis admiſit errores.

§. XVI.

AD ℣.22. Capitis 5. non appoſite hebraica hæc verba אז הלמו עקבי־סוס מדהרות דהרות אביריו *az halemu bikkebe-ſus middaharoth daharoth abbirau* a Vulgato Interprete fuiſſe tranſlata hoc pacto = Ungulæ equorum ceciderunt, fugientibus impetu, & per præceps ruentibus fortiſſimis hoſtium = tuetur Sixtinus, quandoquidem, ait vox הלם *halam* non *cadere*, ſed *contundere* ſignificat, vel *Conterere*, ſicut & Vulgatus ipſe alibi, nempe ℣. 26. hujus Capitis vocem והלמה *vehalema* percuſſit eſt interpretatus; ſi ergo, concludit Amama, verbum הלם traſitivum eſt, vox אביריו erit caſus accuſandi, proindeque verſiculus iſte legendus erit = tunc contuderunt calces equorum plauſibus, ideſt concuſſionibus fortes ejus = quaſi nimirum deſcribantur hoc loco Cananæi hac etiam pœna mulctati, quod a propriis equis pedibus calcibuſque calcati ſint, atque contriti.

Obſervatum eſt a Pagnino verbum הלם plerumque *intranſitivum* eſſe, interdum autem *tranſitivum*: quid ergo mirum, ſi S. Hieronymus more *tranſitivorum* iſtud uſurpavit ad ℣.26. hujus Capitis, ad inſtar autem verbi intranſitivi hoc in loco eſt interpretatus? nonne eodem ferme pacto, ac Vulgatus verbum hujuſmodi Vatablus, Pagninus, & Clarius tranſtulere, per hanc verſionem *quaſſatæ ſunt*, *concuſſæ ſunt* ungulæ equorum *excuſſæ ſunt*, ideſt *exciderunt*, *ceciderunt*, quod in idem tandem recidit quoad ſenſum, quamvis iſti in ſignificatione paſſiva verbum illud acceperint? in qua tamen verſione vox illa אביריו nequaquam in accuſativo caſu repoſita intelligitur; non itaque Vulgati tranſlatio ita ab Hebraica litera noſcitur abludere, ut errati notanda videatur, expoſitio autem Caietani quam Sixtinus proponit, quod ſcilicet bellatores Chananæi equorum calcibus attriti ſint, deduci quidem poteſt ex hebraica lectione, non tamen eſt ipſa lectio, cum hæc magis ad Vulgati lectionem accedat, ut per ſe patet.

Sub ℣. 27. nullum ferme quoad ſenſum diſcrimen inter Hebraicum textum, & Vulgatum adinvenitur, dummodo verbum *volvebatur* de quibuſdam motibus corporis intelligamus, dum Siſara efflabat animam; Caput quippe ejus confixum erat in pavimento.

Ad ℣. autem 29. in quo legit Hebræus = ſapientes principum fœminarum ejus reſpondebant = &c. pro qua lectione vertit S. Hieronymus *una ſapientior ceteris uxoribus ejus hæc ſocrui verba reſpondit* &c. quæ tranſlatio a Sixtino redarguitur, Druſius animadvertit duplicem contineri hebraiſmum; quorum unus eſt *ſapientes principum ejus*, ut *ſapientes mulierum*, *nigræ lanarum* &c. Alter eſt *ſapientes* pro *una aliqua ſapientum*. Ad quorum exemplum invenitur etiam *pullus aſinarum* pro *unius alicujus aſinæ*, & *ſepultus eſt in urbibus Galaad* pro *in una aliqua urbe*. Hujuſcemodi hebraiſmi minime latere poterant S. Hieronymum, quos tamen evitare ſategit in latino idiomate, vertitque *una ſapientior*; nec perperam, inquit Druſius, nam ſequitur in textu hebraico *reſpondit ſermones ſuos* לה *lah*, *illi* & non להן *lahen*, *illis*: unde videtur *hebraiſmus* in numero ſingulari cum S. Hieronymo, nempe *una ſapientior* &c. eſſe uſurpandus; quamvis minime neſciamus ab aliis pronomen *lah*, *ſibi* transferri, adeo ut non illi ſapientiori mulieri converterit ſermones ſuus Siſaræ Mater, ſed ſibimetipſi, quaſi ſeipſam ſolaretur.

In tranſlatione Verſiculi 30. hujus Capitis quinquies a Vulgato peccatum eſſe Sixtinus adfirmat. 1. quod lectio hebraica ponat verbum ימצאו *imtſeau*, *invenerunt*, quod quidem ab Interprete Vulgato omiſſum eſt; 2. quod ubi legit hebraicus textus רחם רחמתים *racham rachamataim*, & לראש גבר *lroſch gheber capiti viri*, ſcilicet *ſingulis viris vulva*, aut *duæ vulvæ eliguntur*, nempe *una* vel *duæ Amaſiæ*. S. Hieronymus perperam convertit *pulcherrima fœminarum eligitur ei*, ſcilicet Siſaræ, unde ibi poſitum adfirmat Sixtinus gradum ſuperlativum in conſtructione ſingularis cum duali, pejuſque ſe Vulgatum geſſiſſe contendit, ad ſolum Siſaram reſtringendo Amaſiæ delectum, cum pro omnibus militibus factus a Scriptura ſignificetur. 3. horum verborum שלל צבעים לסיסרא *ſchelal tſebabim le Siſera* interpretationem a Vulgato factam *veſtes diverſorum colorum Siſaræ traduntur* &c. reprehendit Cenſor noſter, & quod צבע *tſebah* proprie *color* ſignificet, unde vertenda fuiſſe hebraica illa verba *ſpolium colorum Siſaræ* arbitratur. 4 Horum etiam hebraici textus verborum interpretamentum a Vulgato elaboratum, nempe שלל צבעים רקמה *ſchelal tſebabim rikma* ſimul cum iſtis aliis verbis צבע רקמתים לצוארי שלל *tſebah rikmathaim letſauvare ſchalal*; *& ſuppellex varia ad ornanda colla*, redarguitur ab Amama, quod minime exprimat quidquid in textu hebraico ſignificatur; ita quippe legendum contendit = ſpolium verſicolorium acupictum, ſeu opus phrygionicum; & veſtis verſicolor operis phrygionici ad colla ſpolii = Omiſſum itaque a Vulgato contendit commation iſtud *ſpolium verſicolorium acupictum*, omiſſam pariter alteram vocem *rikmathaim*, nempe *operis phrygionici*, quæ cum in duali numero ſit expreſſa, dubitare non ſinit, ait, quin intelligendum veniat opus bis *phrygionicum*, ideſt pannum utraque facie, vel ſuperficie æquali modo acu depictum ſeu recamatum.

Tam

Digitized by Google

Tam varia, tam multa, quæ Cenſor in Vulgato reprehendit errata, nullius ferme inveniuntur momenti, facillimeque exſufflantur, ſi ad ſolam phraſium diverſitatem, modumve dicendi inter hebraicum, latinumque ſermonem, animum convertamus. Ad primum ergo quod pertinet, nonne ſatis intelligimus ex locutione iſta *dividit ſpolia* alterum verbum *invenit?* Neque enim diviſionem ſpoliorum percipiemus, niſi prius eorum inventionem ſupponamus. Ad ſecundum dicimus modeſtiori, qua potuit uſum eſſe locutione S. Hieronymum, proindeque *puellæ*, vel *mulieris* vocabulo uſus eſt pro voce רחם *racham*, eo vel maxime, quod Synecdoche quadam ſit uſus Sacer Scriptor, partem uſurpans pro toto: dicitur autem a Vulgato *pulcherrima fœminarum*, quia non deſunt optimi Interpretes, qui contendant hebraicum textum legi poſſe *puella puellarum*, eumdemque ſenſum dictionem iſtam præſeferre, ac *flos florum*, ſcilicet *pulcherrimus florum*, unde S. Hieronymus *pulcherrima fœminarum* legendum optime exiſtimavit; ante etenim quam vocalia puncta a Maſſoretis apponerentur verſionem ſuam elaboravit, ut alibi dictum eſt, alias autem voces *Capiti viri* ad ſolum Siſaram perſtrinxit, quia hebraiſmum hunc *Capiti viri* ſunt, qui intelligunt *viro Capitaneo exercitus*, qui profecto Siſara erat. Hanc autem lectionem proniorem eſſe, ac naturaliorem conjici facile poteſt, ſi verba prædicta ab una ex Siſaræ uxoribus prolata fuiſſe animadvertamus, quæ zelo quodam erga virum id pronunciaſſe credenda eſt, quod zelum ipſum ſuggerebat, hoc autem de ſolo Duce Siſara, non de cæteris militibus videtur potuiſſe eam ſolicitam reddere. Unam autem vel alteram retineamus lectionem, in Vulgata noſtra veritatem contineri certum eſt, cum & Siſaræ, ſi ſingulis fœminæ eligebantur, militibus electam fuiſſe comperiamus.

Ad tertium nil occurrit, cum ipſemet Sixtinus, quamvis vertat *ſpolium colorum* ſubintelligit tamen vocem *diverſorum* & ideo cum Vulgato legit ad verbum. Ad ultimum tandem quod pertinet compertum eſt brevi ſtylo perſtrinxiſſe Vulgatum noſtrum quidquid longiori replicatione, & quidem ſuperflua ut Abulenſis advertit, in hebraico textu deſcribitur. Sententia itaque in hoc conſiſtit, quod ſpolia ad ornandum collum variata coloribus congererentur: textus autem hebraicus a diverſis diverſimode intelligitur. Pagninus enim legit = ſpolia diſcolorium polymitum, diſcolor dua polymita collo ſpolii = Alius autem hebræum convertit = ſpolia tincturarum panni pretioſi; ſpolia tincturarum cervicibus ſpolii = Calmetus denique interpretatur = ſpolia colorata phrygia, variata phrygia ſunt in ornamentum colli victoris = In hac ſententiarum, ſive interpretationum diverſitate, nec leviter indicatur quod Sixtinus capoſtulat, ſcilicet in ſacro textu deſcriptum eſſe opus bis phrygionicum, utraque nempe ſuperficie recamatum; unde S. Hieronymus ſatis in ſua verſione expreſſiſſe videtur veritatem, & integritatem ſententiæ, quamquam breviori ſtylo, quo potuit. Tandem omnino omiſſam vocem illam רקמתים *rikmathaim* a Vulgato noſtro pernegamus; cum etenim verbo illo *pannum variegatum*, *ſeu filis diverſorum colorum contextum* non minus ſignificetur, quam *pannum acu pictum*, cumque vox *variæ* diverſitatem colorum apud Latinos, ut Cicero admonet Lib. 2. de fin. ſignificet, evidenter conſtat, ſatis haberi in Vulgato ad Sententiæ integritatem exprimendam; ſive interim ſupponamus in pannorum ſuperficie varietatem colorum extitiſſe ex textrina, ſive ex acupictoria arte, ſive in una, ſive in ambabus ſuperficiebus colores apparuerint.

§. XVII.

PAuca, eademque levis momenti contra Vulgati translationem opponit Sixtinus ad Caput Judicum ſextum. Illud in primis ſub ℣. 2. notat rigidus Cenſor, quod hæc a Vulgato recenſita non fuerint hebraica verba מפני מדין *miphne Midian: præ metu Madianitarum*, cum tamen a LXX. omiſſa non ſint.

Quis ex contextu non optime noſcat propter Madianitarum metum ab Iſraelitis cryptas, & antra fuiſſe fabricata? Nonne ibidem Judæi a Madianitis leguntur oppreſſi? Qua ergo de cauſa ſpeluncas ſibi effoderunt in montibus? ex ſe naſcitur reſponſio, ob metum nempe Madianitarum. Non ergo manca poteſt haberi Vulgati lectio.

℣. 11. hujuſce Capitis in Vulgatum graviter Sixtinus ſuccenſet, quod hebraicum textum יואש אבי העזרי *Joas abi ha-Ezri* verterit *Joas Patrem familiæ Ezri* cum legendum contendat juxta Hebræos *ad Joas* Abiezritam; eo quod hoc in textu particula אבי *Abi* non ſignificet *patrem*, ſed ſit pars nominis אביעזרי *Abiezri*, quod quidem nomen familiæ eſt, ut patet ex 1. Paralip. cap. 7. ℣. 18. & Judicum Cap. 8. ℣. 2. quibus in locis familia Abiezer quidem non familia Ezri nominatur.

Facillime in textu etiam hebraico familiam Ezri poterat Cenſor noſter intueri, ſi ad ℣. 30. capitis 29. Numerorum oculos convertiſſet, ubi legitur in hebraica hoc modo אלה בני גלעד איעזר משפחת האיעזרי *bele bene ghilbad Ibezer Miſchpachat ha Ibezri*: = iſti filii Galaad: Ihezer a quo familia Ihezritarum: = hæc eadem omnino eſt cum familia, de qua Judicum 6. ℣. 11. quæ etiam *Abiezer* nuncupatur; utroque itaque nomine cum ea familia fuerit appellata, ut plures animadvertunt Commentatores, eccur Vulgatum culpabimus, ſi Joas *patrem*, hoc eſt *Caput*, vel *Principem* illius familiæ nominavit? Optima eſt igitur Vulgati ad hunc locum interpretatio. Quæ autem ſubjungit ad hunc locum Sixtinus leviſſima ſunt. Quid enim mali eſt, ſi Vulgatus convertit, ut *excuteret, atque purgaret frumenta in torculari*, quamquam in Hebræa verbum, *ut purgaret* ſubticeatur? Nonne credibile quam maxime eſt, quod ſi in torculari grana ex ariſtis excutiebantur, ibidem etiam a paleis expurgarentur?

tur? eo autem ipſo quod Vulgatus expreſſit *ut fugeret Madian* intelligimus ſtatim Gedeonem voluiſſe ſe, ſuumque ſtrumentum Madianitis abſcondere, unde nullam ferme diverſitatem in ſenſu Vulgata lectio ab Hebraica præfefert; quod ſatis eſt.

Ad 7. Caput Judicum ℣. 1. quod legit hebræa [illegible] *vajachanu*, *& caſtrametati ſunt*, cum verterit S. Hieronymus *venit* redarguitur ab Amama; veruntamen idipſum in utraque lectione ſignificari compertum eſt, neque enim novum in Sacris literis, quod verbum *venio* non ſolum ad locum aliquem ſignificet acceſſum, ſed in eodem etiam manſionem, ita Geneſis 45. ℣. 25. legimus de filiis Iſrael = Qui aſcendentes ex Ægypto venerunt in terram Chanaan ad Patrem ſuum Jacob = Certum eſt autem penes illum ibi permanſiſſe aliquantulum. Quod tandem ſubjungit Siatinus de hebraicis verbis [illegible] *gbibbah ha Moreh* non recte a Vulgato converſis *collis excelſi*, cum *Moreh* non poſſit ſignificare *excelſum* refellitur ea iis, quæ in primo Diſquiſitionum Biblicarum Volumine pag. 235. Colum. 2. in notis tradita ſunt. Modo nihilominus adjungemus nonnulla, ea quibus non obſcure intelligimus optimam eſſe Vulgati lectionem, quamvis in hebraico textu vox *Moreh* in genitivo Caſu, & altera præcedens *gbibbah* ſit in regimine. Inter alias itaque hujus vocis *Moreh* interpretationes hæc etiam adinvenitur; *indicem*, videlicet per eamdem ſignificari, qui ex ſpecula quadam indicat prætereuntes; ſignificat pariter Doctorem = Fortaſſe, inquit R. David ibi erat ſpeculator indicans vias = & Jonathan vertit *a colle ſpeculantium in valle* ſi autem Mons iſte ad inſtar ſpeculæ erat electus, utique præ cæteris excelſior fuiſſe credendus eſt, unde Vulgatus Interpres cum dixerit = ad ſeptentrionalem plagam collis excelſi = idem omnino eſſe videtur, ac ſi dixiſſet = erat Madian ab Aquilone, a Colle Mureh Gedeoni = quemadmodum ſonat Hebræa, ſive interim vocem illam *Moreh* relinquamus in ſuo eſſe, ſive legamus a Colle *ſpeculatoris*, *doctoris*, aut *indicatoris viarum*, ſemper quippe indicatur collis excelſus, ſive altus.

Quæ notantur ab Amama Verſiculis 2. & 3. hujus Capitis nec leve nobis faceſſunt negotium, cum nullam in ſenſu legitimo varietatem inrrudat, ut per ſe evidens eſt. Idipſum opinamur de Cenſura ad ℣. 11. hujus Capitis, quid enim intereſt, ſive cum Vulgato legamus = deſcendit... in partem Caſtrorum ubi erant armatorum vigiliæ = ſive cum Siatino vertamus *ad extremum armatorum, qui erant in Caſtris?* nonne per utramque lectionem deſcendiſſe Gedeonem intelligimus ad initia Caſtrorum Madian? ibi ſiquidem cuſtodes Campi, vigilanteſque milites in exercitus ſecuritatem, atque tutelam pervigiles commorantur.

Ad ℣. 18. quamvis in Vulgata expreſſe non habeantur hæc verba *& omnis, qui mecum eſt*: æquivalentia loquntur profecto, cum omnibus præceperit, buccinis clangere cum ille perſonare inciperet, unde & illis, quos ſecum habebat, & cæteris militibus ſuis perſonandum erat ad ſignum Tubæ Gedeonis.

Magnum [illegible] a S. Hieronymo admiſſum Sixtinus adfirmat ad ℣. 17. hujuſce Capitis, cum habeat hebraica lectio [illegible] *umeah iſch tcentum viri*; ille tamen trecenti viri converterit.

Unuſquiſque dignocit Vulgati lectionem eſſe contextui magis congruentem. ℣. enim 16. hujus Capitis trecenti viri cum Gedeone fuiſſe leguntur: iidemque juſſi, ut Ducem imitarentur, atque in Caſtrorum Madian partem ingrederentur; hinc verſu 19. omnes ingreſſi in partem Caſtrorum referuntur. Hebraica autem lectio Gedeonem cum centum militibus, qui cum eodem permanebant ingreſſos enarrat, ſejungens duas alteras turmas, quæ quamvis ingreſſæ ſint, cum tamen a Gedeone diviſæ eſſent, ſolummodo centum viros commemorit; cum ab oppoſito S. Hieronymus, & Gedeonem cum ſuis centum, & alias turmas ſimul introiſſe in Madianitarum Campum deſcribat; utraque ergo lectio veriſſima eſt, dummodo in eo percipiatur ſenſu, quem unaquæque requirit.

Ab Interprete Vulgato omiſſam queritur ſub ℣. 22. vocem hebraicam [illegible] *tſererata* Sixtinus. Verum ſatis indicavit terminum fugæ Madian tarum S. Hieronymus referens Civitatem *Bethſetta*, quæ erat in *Tſererata*, hunc autem locum cum Sarthan nonnulli confundunt

Tandem ad ℣. 25. hujus Capitis non ſatis apte converſas a Vulgato propugnat voces haſce hebraicas [illegible] *ſchene iare Madian duos viros Madian*, cum legendum velit *duos Principes* Madian, quemadmodum legunt LXX, & Chaldæa.

Nullus, opinor, extitit Catholicorum Interpretum, qui per *duos viros* hoc in loco duos non intellexerit Principes; *vir* etenim non ſemper pro genere, ſed pro fortitudine, & robore, nec non pro ſingulari, inter alios, homine ſæpe uſurpatur, unde facillime duos fuiſſe ſingulares homines, qui hoc in loco a Vulgato *viri* dicuntur, conjicere quiſque poteſt. Verum in ipſo met Vulgatæ textu Cap. 8. hujus Libri ℣. 3. Oreb, & Zeb *Principes Madian* appellantur.

Ad Caput 8. Judicum minime cenſuram Sixtinus contra Vulgatum dignatur vel tantillum emollire; ſed potius acriori modo, quo poſſit, perſtringere nititur, Verſiculo igitur primo inutili quadam circumlocutione adjunctas eſſe a Vulgato contendit voces iſtas *& prope vim inferentes*. Si tamen ad hebraicam expreſſionem advertamus animo S. Hieronymi deſcriptionem in ea contineri non inficiabimur. Quid enim eſt *jurgari fortiter, & quaſi vim inferre*, niſi rixam, vel litem inducere? quæ profecto vim, ſeu violentiam facillime pariunt: hebraica itaque verba [illegible] *jeribun itto bechozkah* convertit Vulgatus *jurgantes* (cum eo) *fortiter*; ſed quoniam *jurgium*, ut Cicero animadvertit Lib. 4. de Republ, *levis contentio eſt inter amicos, & be-*

ne-

nevolos; viri autem Ephramitæ hujuſcemodi limites prætergreſſi fortaſſis ſunt, atque Gedeonem veluti ſibimetipſis iniurium increpabant, ad hoc itaque accuratius exprimendum, ea uſus eſt phraſi S. Hieronymus *&* *prope vim inferentes*.

Verſiculo 4 ejuſdem Capitis eum tranſtulerit S. Hieronymus = & præ laſſitudine fugientes perſequi non poterat = invehit in S. Doctorem Sixtinus, oſtendens ex Cajetano, & Chaldæo legendum *laſſi*, *&* *perſequentes* quemadmodum ſonant hebraica verba [illegible] *bajephim vtrodephim*. Neque enim, inquit ex Cajetano *præ laſſitudine ſubſtiterant*.

Nequaquam ex Vulgati lectione poteſt inferri quod præ laſſitudine perſequi omiſerint Madianitas, cum potius negata a viris Soccoth annona, quam expetiverat legatur nihilominus adhuc hoſtes perſecutus; indicat ergo Vulgatus Gedeonis milites, laſſos, feſſos, atque præ nimia fatigatione pene deliquium paſſos, non tamen ab inimicorum perſecutione deſtitiſſe, quod & Hebræa proponit.

Sub ℣. 10. hebraica hæc verba [illegible] *vezebach vetſalmuna bakkarkor umachanehem bimmam*, perperam a S. Hieronymo converſa Cenſor noſter adfirmat, cum ſibi nunquam occurrerit verbum [illegible] *bakkarkor* ſub ſignificatione iſta *requieſcebant* fatentibus potius Interpretibus communiter nomen illud eſſe proprium unius loci.

Quis unquam ſuſtineat hujuſcemodi accuſationem adverſus S. Hieronymum? Sixtinus ipſe hebraicum illum textum ita convertit *Zebach*, & *Tzalmunna in Karkor* erant *&* *caſtra eorum cum eis*. Vulgatus autem = Zebee autem, & Salmana requieſcebant cum omni exercitu ſuo = quis indicavit Cenſori verbum *requieſcebant* eſſe interpretationem vocis Karkor, & non potius eſſe verbum interpoſitum ad integritatem ſententiæ, vel orationis obtinendam, ſicuti Amama ipſe verbum *erant* interpoſuit. Nec tamen S. Hieronymus locum omiſit in quo Zebec, & Salmana cum ſuis militibus morabantur, ut patet ex ℣. immediate ſequenti, in quo nominibus fortaſſis longe notioribus, illuſtrioribuſque utitur ſacer textus ad exponendum Caſtrorum Madianitarum ſitum, iiſdemque contentus S. Doctor alterum nomen *Karkor* prætermiſit. Non deſunt nihilominus, qui putant vocem *Karkar* idem ſignificare, ac *eſſe* in *quiete*, vel *ſecuritate* ut Bochartus tuetur, qua in ſignificatione optima erit lectio Vulgati eſto requieſcebant veluti interpretationem vocis *bekkarkor* uſurpemus; requieſcebant enim, idem eſt cum *erant in quiete*.

Quod pariter Vulgatus adjungit ad ℣. 11. & *nihil adverſi ſuſpicabantur* reſecandum tanquam inutilem commentarium Sixtinus adfirmat. Oppoſitum tamen opinamur omnino; verba etenim illa hebraica *qui ſecuri erant* nude conſiderata, ſignificare videntur revera Madianitas fuiſſe ſecuros; cum tamen hæc ſecuritas inde originem duceret, quod cum Jordanem tranſiviſſent nihil ſuſpicabantur adverſi, ſibi blandientes Gedeonem, ſuumque exercitum, non fore flumen tranſiturum; hæc autem fiducia eoſdem feſellit, maximamque perpeſſi ſunt vaſtitatem, dum minus periculum apprehendebant. Senſum hunc divinæ Scripturæ apprime reddunt illa verba *nihil adverſi ſuſpicabantur*; non ergo obelo confodienda videntur.

Nimis laxe a Vulgato interpretationem hujus hebraicæ vocis [illegible] *ha ſabaronim* eſſe factam ad ℣. 21. per hæc verba *ornamenta ac bullas* Cenſor noſter adfirmat, quandoquidem, ait, vox hebraica formam indicat, qua ornamenta illa erant elaborata, ea autem lunaris formæ extitiſſe deducit, quod voce illa lunæ ſignificentur.

Dignoſcere poteſt quicumque vel leviter in rebus antiquis inſtructus, cujus formæ Camelorum, & equorum ornamenta conſtructa eſſent, Vatablus tamen vocem illam hebraici textus *monilia* reddit, & *torques*, qui Lunæ figuram præſeferebant; hoc autem quilibet intelligit nullo prorſus negotio, cum ſemicirculi figuram hujuſcemodi ornatus ſoleant præſeferre. Vulgatus tamen ſatis textum divinum reddidit per ea verba *ornamenta*, *ac bullas*, *quibus colla regalium Camelorum decorari ſolent*; nullam ergo figuram ornamentorum excluſit Interpres, ſed eam indigitaſſe videtur, qua Orientales ſuorum Camelorum ornatus fabricabant.

Ultimo loco ſua perſtringit Cenſura Sixtinus interpretamentum, quod Vulgatus reddit ex his hebraicis verbis ſub ℣. 33 [illegible] *vajaſimu laben Baal-berith leloim*. *Percuſſeruntque cum Baal fœdus*, *ut eſſet iis in Deum*: cum potius vertenda fuiſſe contendat = & poſuerunt ſibi Baal-Berit in Deum =.

Tota harum interpretationum differentia in eo conſiſtit, ſi ſenſum attendamus, quod Vulgatus vocem *Berith* ſuppreſſit; verum cur non poterit vox illa *fœdus* ſignificare? R. Iſaias legit = fecerunt ſibi fœderatos Deo = ideſt idolo, ut Druſius animadvertit. Codices etiam Alexandr. & Oxon. & Edition. Aldi, & Compl. habent ſimpliciter [illegible] pro [illegible] quamvis alii codices integram illam vocem præſeferant. Id unum ſatis nobis eſt quod ſententiæ integritas minime deſit, ſive unum ſive alterum fuerit idolum, cui nomen Iſraelitæ ſumma cum impietate dederunt.

§. XVIII.

QUam audaciter Sixtinus quemlibet ſatagit movere lapidem, ut Vulgatum noſtrum aliquo in errore deprehendat! Sub Verſiculo 5. Capitis 9. Judicum tranſtulerat in Latinum S. Hieronymus = Remanſitque Joatham filius Jerobaal minimus, & abſconditus eſt = qua de cauſa eumdem Sixtinus objurgare non deſinit, quaſi in Religionem ſacrilege ſe geſſiſſet; hebraica enim hæc verba [illegible] *chi nechba*, inquit, cauſam exprimunt, per quam ſuperſtes manſerit Joatham; unde vertenda erant *quia abſconderat ſe*.

Sen-

Senſus profecto legitimus in Vulgata noſtra adinvenitur, quamvis literam prout ſonat puerulorum more intelligamus. Occidiſſe itaque Abimelechus narratur fratres ſuos ſuper lapidem unum, cumque unicus adhuc remanſiſſet filius minimus Joatham ad aliorum evadendam ſortem abſconditus eſt, ne ſicut alii traheretur ad mortem. Hæc lectio, ſive intelligentia idonea videtur quam maxime. Modo verſio S. Hieronymi num Hebraicæ literæ apprime congruat intueamur. Verbum [illegible] eſt in conjugatione *Niphal* quæ ſignificationem paſſivam præſefert, ut norunt omnes *abſconditus eſt* itaque proprie ſignificat; particulam vero *&*, pro *quia* a Latinis quam ſæpe fuiſſe uſurpatam teſtis eſt in ſuis Elegantiis Laurentius Valla, & apud Quintilianum Lib. 1. Cap. 1. videri poteſt, uti ſcripſit = Has primum audiet puer, harum verba effingere imitando conabitur: & (ideſt *quia*) natura tenaciſſimi ſumus eorum, quæ rudibus annis percepimus; apud Ovidium lib. 6. Faſt. ſimile occurrit exemplum:

Nil aliud Veſtam, quam puram intellige flammam:
Nataque de flamma corpora nulla vides.

In pentametro verſu conjunctio *que* pro *quia* poſita eſt. Clarius denique apud Tullium adhibitam invenimus particulam *&* pro *quia* in libro 1. de Officiis, in quo legitur = non ſolum nobis nati ſumus, ortuſque noſtri partem ſibi patriam vendicat, partem amici = Satis ex hiſce cognoſcimus hoc in loco S. Hieronymi interpretationem hebraicæ lectioni optime reſpondere.

Non minus quoad ſenſum legitimum cohærent quæ interpretatus eſt verba S. Hieronymus ad ℣. 9. hujus Capitis, ſcribens = Qua (pinguedine) & Dii utuntur, & homines = quidquid opponat Sixtinus de voce [illegible] *jeebabbedu* ſignificante *honorant*, non utuntur; & de voce [illegible] *Elohim* quæ *Deus*, non *Dii* converti debuerat, ut ipſe contendit.

Suademur profecto unum, eumdemque redolere ſenſum ſi Regii apparatus Præfectus interrogatus ad quid tam magnifica ſuppellex? reſpondeat: ea utitur Regia Majeſtas ad honorificum ſui ornatum; vel ſi reſpondeat: hac ſplendida ſuppellectili ſola honoratur Regia Majeſtas. Si ergo Olivæ pinguedine, uti dicuntur Dii, hoc profecto in ſacrificiis, & lucernis ad eorum cultum, & honorem accenſis efficitur; ſive ergo dicamus ea utuntur ad ſuum cultum; ſive dicamus ea honorantur Dii, ſententiæ conceptus nequaquam immutatur. Altera autem vox tam pro ſingulari numero, quam pro numero multitudinis æque uſurpatur.

Ad Verſiculos 23. & 24. Cenſuram in Vulgatum noſtrum Sixtinus inſtituit, quod ſcripſerit = Qui cœperunt eum deteſtari = verbum cœperunt in Hebræo minime reperiri contendens; in ℣. autem 24. ait a Vulgato in ſolos Sichemitas refertur actio reiiciendi ſcelus in Abimelech; cum in Hebræa id ex Dei diſpoſitione contigiſſe legamus, ut tam Abimelech, quam Sichemitæ vindictam ſubirent pro occiſis fratribus ipſius Abimelechi.

Cujus ſit indolis hæc Cenſura ex ſola Vulgati textus appoſitione innoteſcit. Hoc itaque pacto habet Valgara noſtra = Miſitque Dominus Spiritum peſſimum inter Abimelech, & habitatores Sichem, qui cœperunt eum deteſtari; & ſcelus interfectionis ſeptuaginta filiorum Jerobaal, & effuſionem ſanguinis eorum conferre in Abimelech fratrem ſuum, & in ceteros Sichimorum principes, qui eum adjuverant = textus autem hebraicus juxta Sixtini interpretamentum ita legit = Et prævaricati ſunt Sichemitæ contra Abimelechum: ut veniret iniuria 70. filiorum Jerubbaal; & ſanguis eorum reponeretur ſuper Abimelech fratrem ipſorum, qui interfecerat eos, & ſuper viros Sichem, qui roboraverant manus ejus ad occidendum fratres ſuos = nonne ſatis colligimus ex Vulgatæ lectione non aliunde Sichemitarum ab Abimelecho rebellionem, quam a Spiritu diſcordiæ, cui populorum corda invadere Deus permiſit, eſſe derivandam? Ab eodemque Spiritu, Deo ita diſponente, impulſos eſſe cives ad vindicandam iniuriam a Tyranno Abimelecho ſuis fratribus irrogatam? Quod autem legamus in noſtra *cœperunt eum deteſtari*, pro *deteſtati ſunt* vel *rebellarunt*; necnon *cœperunt conferre in Abimelech ſcelus interfectionis 70. filiorum &c.* pro *contulerunt* ſive *culparunt* idiotiſmus divinæ ſcripturæ eſt, quibus ſæpe abundare ſacer textus adinvenitur ita Levitici 21. ℣. 9. legimus = Filia ſacerdotis ſi cœperit fornicari = pro *ſi fornicata fuerit*; quod & ipſemet Sixtinus fatetur; quem igitur errorem hoc in loco adverſus Vulgatum opponit?

Sub ℣. 25. hujus Capitis Vulgatum redarguit, quod exceſſum quemdam verborum abſque ulla prorſus neceſſitate ſuæ interpretationi interſeruerit; in hebræo quippe ſatis clare legimus = & rapiebant quidquid tranſibat juxta eos in via = inutilia ſunt ergo, inquit Sixtinus, alia verba *& dum illius præſtolabantur adventum exercebant latrocinia.*

In Hebraica lectione eumdem eſſe ſenſum ac in Vulgata confitemur; ſi enim rapiebant quidquid tranſibat juxta eos in via, utique ibidem inſidiatores permanebant; Vulgatus nihilominus explicatius ſententiam enarrat adjungens cauſam, qua ibidem commorabantur, ut nimirum Abimelechum redeuntem expectarent, & occiderent. Eſt ne in lectione noſtra propterea aliquid a veritate refugiens? nequaquam.

Ad ℣. 27. reprehendit Sixtinus interpretationem vocis [illegible] *vajibtſeru*, *vaſtantes* a Vulgato redditæ, cum potius *vindemiarunt* fuiſſet transferenda; nunquam enim [illegible] *butsar*, vaſtandi notionem habuit.

Hoc in loco participium *vaſtantes* idem eſt ac *depopulantes*, *demolientes*, vel *prædantes*; quæ omnia non ad aliud quam ad vinearum fructum uvam nempe referuntur, ſicut in Canticis legimus Cap. 2. ℣. 15. *Capite Vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas,*

neas; ſi ibidem ſcriptum eſſet *devaſtantes vineas* idem omnino ſenſus foret; nec propterea intelligi poſſet quod Vulpes quid aliud efficerent quam uvam comedere; optime pariter de furibus, qui vineas, & hortos, vaſtare dicuntur, ſolos fructus ab iiſdem furaci manu ſubduci intelligimus. Eccur ergo non percipiemus a Sichemitis etiam, intempeſtivo quodam furore vinearum uvas ita fuiſſe collectas, ut depopulat ionem potius quam vindemiam effeciſſe merito dicti ſint? quamquam concedamus in propriis vineis, non in Abimelechi, ejuſque fautorum uvas collegiſſe, quemadmodum Expoſitorum nonnulli arbitrantur. Falſum inſuper eſt, quod verbum [illegible] non habeat *vaſtandi* notionem, cum *excidere* etiam ſignificet, ut Pagninus in Theſauro animadvertit.

℣. 28. S. Hieronymi interpretationem Amama ex eo traducere nititur, quod minime cum Hebraico textu conciliari poſſit; iſte etenim habet [illegible] *uzebul pekido babdu & auſche Chamor abi Sechem* qui ad verbum ita ſonat = Et Zebul Præpoſitus ejus; ſervite viris Chamor patris Sichem = quæ profecto verba nullam ferme relationem videntur habere ad Vulgati interpretationem hoc modo elaboratam = Et conſtituit Principem Zebul ſervum ſuum ſuper viros Emor patris Sichem =

Totam horum textuum diverſitatem ex ſola diverſa punctorum vocalium appoſitione per Maſſoretas, originem habere commentatorum aliqui arbitrantur; legi nihilominus poſſe etiam hebraicum textum hodiernum eodem ſenſu, quem Vulgata præſefert evidens eſt, ſi ſupponamus verbum [illegible] eſſe in *Hiphil*, hoc quippe in caſu hebraicæ illæ voces reddi queunt = Et Zabul ſervum ejus præfecit viſitare, ſeu gubernare; aut præfecit ad gubernandum viros Emor patris Sichem = hæc lectio eadem eſt cum Vulgati interpretatione, & nulla compellimur neceſſitate permutare particulam [illegible] & quæ cum caſu accuſandi ſolet jungi, in alteram particulam [illegible] *bal*, *ſuper*; Vulgatus tamen elegantiori dicendi modo pro verbis iſtis & *præfecit gubernare*, alia verba & *conſtituit Principem* adhibuit cum quibus profecto apponenda fuit præpoſitio *ſuper*, ut ordo latini ſermonis, abſque ſenſus varietate nihilominus, ſervaretur. Nullum opinamus exiſtimatorum non eſſe clariorem, atque congruentiorem S. Hieronymi verſionem, quam hebraicam hodiernam.

Sub ℣. 36. duplicis incuſat Vulgatum noſtrum erroris Sixtinus, in primis quod verterit *de montibus*, cum ſcribere debuiſſet *de verticibus montium*; deinde quod in ſacrum intruſerit textum hæc ſuperflua verba *Et hoc errore deciperis*, quæ in Hebræo, Græco, & Chaldæo prorſus deſiderantur.

Incredibile videtur omnino quod litera hebraica in ſuo rigore ſit intelligenda quis enim ſibi ſuadeat in extrema montium ſummitate exercitum Abimelechi caſtra poſuiſſe, ſi ſacer textus de inſidiarum loco, Abimelechum, ejuſque copias diſceſſiſſe teſtatur? *de montibus* itaque, hoc eſt *de ſuperioribus montium partibus* explicandus eſt Latinus textus, ſicut & Hebraicus [illegible] *meraſche beharim*, *de verticibus montium*. Verba autem illa *errore deciperis* tam naturalia ſunt ad integritatem ſententiæ exprimendam, ut vix omitti queant, quemadmodum in hebraica deſiderentur; quis enim alicui exiſtimanti aliquid eſſe, quod revera non eſt, aut eidem illudere volens ſi verum judicet hanc reſponſionem non tradat, *deciperis*; *res ita non eſt*, *ſed hoc altero modo*, Hinc Vatablus quomodocumque hebraico textu conetur inſiſtere, tamen ut integrum conceptum exponeret, ita Zebul reſpondentem inducit = Falleris, tantum eſt umbra montium, quæ refert homines = ita etiam Munſterus.

℣. 37. cum ſcripſerit S. Hieronymus = & unus cuneus venit per viam, quæ reſpicit quercum = clamitat Sixtinus confici minime poſſe ex hebraica id genus interpretamentum, cum hujuſcemodi verba [illegible] *midderech elon mebonenim* nullam habeant relationem ad hæc latina *per viam*, *quæ reſpicit quercum*, unde ait Cenſor, ſi quis nolit retinere voces hebraicas tanquam proprium nomen loci, legenda potius erunt cum Benedicto = a via, quæ ducit ad planitiem ariolorum =

Satis de voce hebraica *elon* alibi diſputavimus, & præſertim ad pag. 236. primi voluminis ubi ex Hebræorum Rabbinis vocem iſtam *Quercum* transferri poſſe demonſtravimus. Interpretum plures etiam ad hunc locum *quercum* verterunt, ut Pagninus, & Auctor Concordantiarum. Fallitur autem Sixtinus dum opinatur a S. Hieronymo converſam eſſe vocem *Mebonenim* dum ſcripſit *quæ reſpicit*; hæc etenim verba probabilius exiſtimamus a S. Doctore poſita eſſe explicite, quæ in hebraica lectione implicite continentur; quemadmodum Joannes Benedictus explicite poſuit hæc alia *quæ ducit* nec enim ſatis clara eſt ſententia ſi legamus præciſe hebraica verba, quæ ſunt = a via quercus, ſeu a via planitiei = Exciđiſſe itaque dicemus potius ex Vulgatæ textu vocem illam *Mebonenim*, ſi revera in hebraico textu exſtabat antiquitus tempore S. Hieronymi ex tranſcribentium oſcitantia, quam a S. Hieronymo in lingua hebraica verſatiſſimo tam inepte fuiſſe converſam. Nullum attamen detrimentum ſubiiſſe ex illius vocis defectu latinum textum ex eo deducimus quod *Quercus*, ſive *Quercetum* hoc in loco indicatum magis notum eſſet, quam quod per vocem *Mebonenim* reddi poſſet; nondum enim inter Interpretes definitum quid revera vox iſta ſignificet? & num proprium loci nomen, vel potius appellativum indigitet ſub lite adhuc eſt.

℣. 39. S. Hieronymus cum ſit interpretatus = Abiit ergo Gaal ſpectante Sichimorum populo = redarguitur ab Amama, eo quod hebraica verba [illegible] *lyphne babale ſechem* non ſolum intuitum otioſum populi ſignificent, ſed quod Gaal tanquam Dux exierit ad bellum ante viros ſuos, qui poſtea ſecuti ſunt ipſum.

Hæc tamen omnia ex contextu a quocumque facillime percipiuntur. Suos enim confœderatos habuiſſe Gaal refertur in hoc Capite ℣. 26. cum iſtis itaque abiit Gaal contra Abimelechum *Liphne babale Sechem*, *coram viris Sichem* vertit Vatablus, atque exponit, ideſt *ſpectante populo Sichem*. Quid in hac verſione eſt reprehendendum?

Ad ℣. 40. ait Sixtinus prætermiſſam a Vulgaro vocem illam [illegible] *thalalim ſaucii*. Verum cum fugientem Gaal, ejuſque exercitum in Vulgata legamus, multoſque ex eis cecidiſſe uſque ad portam Civitatis, quis non intelligat vel ſaucios vel occiſos fuiſſe qui ceciderunt in prælio ſub victorum gladio? Quæ ſub verſiculis 43. 44 & 45. adnotantur ab Amama nullius ferme momenti ſunt.

Quod autem idem Cenſor opponit ad ℣. 24 deeſſe nimirum in hebraica lectione quamplurima, quæ in Vulgatæ textum irrepſerunt, cum prius in margine inſtar commentarii fortaſſis appoſita eſſent, non omnino ſubſiſtere reſpondemus, quamvis enim hoc in loco nonnulla a S. Hieronymo addita ſint explicationis, majoriſve intelligentiæ cauſa ex ſacro textu nihilominus deprompta ſunt; ad ℣. 33. Capitis 8. legimus *Baalberit* ſibi in Deum aſciviſſe Judæos, ejuſque fanum, in quo theſaurus ſervabatur, in ℣. 4. Capitis 9. recenſetur. Hoc igitur in loco S. Pater ea omnia referenda exiſtimavit ut facilius, quo fugerant Sichimitæ innoreſceret; prima ergo S. Doctoris manu in ſua verſione conſcripta fuiſſe ea omnia, quæ in Hebræo deſunt, opinamur, non autem ex margine in textum detruſa fuiſſe ab indoctis Librariis, ut Sixtinus ſupponit; in vetuſtiſſimis quippe codicibus habentur in textu, ut patet ex MSS. Martianæi, Valiarii, & aliorum, quos in præſenti prætermittimus.

Sub ℣℣. 49. & 50. nonnulla in Vulgato noſtro redarguuntur ab Amama, atque in primis excedere duabus vocibus lectionem noſtram ad ℣. 49. nempe *fumo*, & *igne* hebraicæ verſioni, in qua profecto deſiderantur. Veruntamen ex ordine narrationis optime conſtat etiam per hebraicam lectionem igne, & fumo homines illos fuiſſe peremptos, quandoquidem hebræa ipſa poſtquam retulit ſuccenſam eſſe arcem, ſubjungit ſtatim mortuos eſſe quaſi mille viros, & mulieres, quæ mors ex ſuccenſione, non autem alia de cauſa contigiſſe refertur, ex igne igitur, & fumo eorum mors eveniſſe credenda eſt. Ad ℣. 50. inquit Sixtinus, hebraicum textum non alio modo reddi poſſe quam *caſtrametatus eſt contra Thebets & cepit eam*; unde non apte Vulgatus hoc in loco interpretatus eſt. *Quod circumdans obſidebat exercitu*. Quis non videat idem eſſe *ponere caſtra ad expugnandam Civitatem, ac obſidione eam circumdare ad capiendam?* profecto Vulgatus textus narrat Abimelechum acceſſiſſe ad turrim in medio Civitatis exiſtentem; quomodo autem illac accedere potuiſſet niſi prius Civitatem occupaſſet, eamdemque in ſuam poteſtatem perduxiſſet? Non ergo in Vulgato deeſt hiſtoriæ veritas, & integritas.

Ad ℣. 53. tandem hujus Capitis incorpat Vulgati interpretationem quod *cerebrum* pro *cranium* præferat; *& fregit cerebrum* ſcribit Vulgatus; cum ſcribendum *& quaſſavit cranium*. Grande mehercule erratum! & cranium, & cerebrum quaſſatum fuiſſe minime ambigimus cum ex ingentis turris altitudine molæ fragmen in Caput Abimelechi ceciderit, nec armigerum ſupra ſeipſum irruere popoſciſſet niſi in brevi ſe moriturum agnoviſſet; ex ſola autem cranii fractione, niſi & cerebrum aliquo modo vulneratum exiſtat, obitus neceſſario ſequitur: quid ad nos ergo de litera ſi ſenſum legitimum poſſidemus?

Pauca notat ad Caput 10. Judicum Cenſor noſter; nulla tamen ommittit, quæ videantur aliquod ab hebraica veritate præſeferre diſcrimen; hinc ad ℣. 1. cum legamus in Hebræo [illegible] *lehoſchiah & Iſrael*; *ad ſalvandum Iſrael*. S. autem Hieronymus cum ſit interpretatus *Dux in Iſrael* in eum inſurgit Sixtinus contendens vocem *hoſchiah* nullam Principis, vel Ducis dignitatem; ſed ſolum officium ſalvandi ſignificare.

Varia nihilominus munera Judices Iſraelis, qui & duces appellari ſolent, obiiſſe omnibus notum eſt, unde variis etiam nominibus indiſcriminatim nuncupabantur, inter quæ illud etiam *Salvatoris* ad invenitur; ſive ergo *Duces*, ſive *Judices*, ſive tandem *Salvatores* vocentur, omnia in unaquaque appellatione eorum exprimuntur officia; unde non immerito S. Hieronymus ſcribere potuit = ſurrexit Dux in Iſrael = cum idem ſonet ac *ſurrexit Salvator in Iſrael*, ſive *ſurrexit, qui ſalvaret Iſrael*. Videatur hac de re volumen 1. Diſquiſit. pag. 439.

Circa alteram difficultatem ob Vulgati lectionem *Thola filius Phua patrui Abimelech* ſatis diximus ad paginam 442. Primi Voluminis.

Ad ℣. 8. ubi ait Vulgatum omiſiſſe verba iſta *in anno iſto*, cum legat Hebræa *afflicti ſunt in anno ipſo octodecem annis*; reſpondemus dubia admodum eſſe verba illa, unde potius vertenda eſſe *afflicti ſunt in tempore iſto octodecem annis*, ut ſenſum aliquem exhibeant. Verum in tali verſione neceſſaria non ſunt, cum ſatis intelligamus poſt mortem Iair a Deo rebellaſſe Iſraelitas, proindeque per annos decem, & octo in manus Philiſtiim, & Ammonitarum fuiſſe traditos; unde autem initium deſumant iſti anni incertum adhuc eſt.

§. XIX.

NON pauca in Vulgati lectionem ad cap XI. Judicum Sixtinus redarguenda adinvenit, veruntamen eorum plurima ejus ſunt levitatis, ut nec obſervationem mereantur: ne tamen quæ Vulgatæ lectioni quodammodo videntur detrahere illæſa ad ℣. 4. refellenda deſcendimus, quæ ab Amama opponuntur. Ait itaque in Hebraica ſcriptum eſſe [illegible] *vajihi mijamim: & fuit poſt aliquos dies*; unde, ait, verti non poteſt *in illis diebus* cum Vulgato.

Ac-

Accuratiorem, verioremque exiſtimandam opinamur Vulgati lectionem, quæ hoc in loco hyſtoriam revocat, quam in fine cap. X. precedentis incœperat de Iſraelitarum defectione a vera Religione, deque vindice Deo eoſdem flagellante per manus filiorum Ammon. In cap. autem XI. poſtquam ſacet Textus Jephte ortum adverſamque ſortunam deſcripſit, ſtatim aſſumit ordinem hyſtoriæ atque Ammonitarum incurſus in filios Iſrael enarrat, unde optime ſcribit *in diebus illis pugnabant filii Ammon*. Textus autem Hebraicus hodiernus narrationem incurſionum Ammonitarum deſcribendam aſſumit hoc in loco a ſuo principio, indicans Ammonitas invadere cœpiſſe Judæorum Terram diebus aliquot poſt expulſum Jephte a fratribus ſuis; quoad ſubſtantiam igitur hyſtoriæ uterque textus conſentire videtur ad invicem, quamvis Vulgatus principium vexationum, quas ab Ammonitis patiebantur Judæi, magis indefinite poſt mortem Jair reponat.

℣. 19. Vulgatus redarguitur a Cenſore noſtro quod verbum Hebraicum [illegible] *bad mekommi* converterit *uſque ad fluvium*; cum potius *uſque ad locum* trasferendum eſſet.

Senſus in utraque ſententia idem eſt; terra quippe Regis Sehon uſque ad fluvium Jordanem protendebatur; Jordanis autem terminus erat terræ Chanaan ab Oriente ſive ergo expoſcerent Iſraelitæ procedere per terram Sehon uſque ad fluvium, nempe Jordanem, ſive uſque ad terram vel locum ſuum, nempe ad regionem Chanaan idipſum expoſtulabant. In Deuteronomii cap. ℣. 29. legimus = concedas tranſitum .... donec veniamus ad Jordanem, & tranſeamus ad terram &c. Numer. 21. ℣ 22. legimus = donec tranſeamus terminos tuos = Compertum itaque eſt quod in Vulgata eadem veritas ac in Hebraica reperitur.

Ad ℣. 24. habetur in hebræa [illegible] *alo &-aſcher joriſcheba Chemos Eloecha oto tiraſch*, quæ male a Vulgato fuiſſe converſa in latinum hoc modo = Nonne ea quæ poſſidet Chamos Deus tuus tibi jure debentur? = Sixtinus opinatur, cum transferenda eſſe contendat = An non quodcumque poſſidere te facit Chamos Deus tuus poſſidebis illud? =

Animadvertit ad hunc locum Abulenſis clariorem quidem eſſe interpretationem ex hebraica expreſſam, ſicut Sixtinus expoſcit; nihilo tamen minus etiam Vulgati lectio legitima adinvenitur quandoquidem ſenſus eſt: ſicut tui juris eſſe arbitraris, quæ exiſtimas pertinere ad Chamos Deum tuum; ita quæ pertinent ad Deum noſtrum in poſſeſſionem noſtram quod cedant neceſſe eſt. Hæc expoſitio literalis eſt, & eamdem exprimit ſententiam, quam Vulgata, quæ pervetuſtum retinet textum S. Auguſtini temporibus jam publicatum, quamvis S. Pater eidem præponeret alteram ex Græco expreſſam interpretationem; hoc itaque modo ſcribit Auguſtinus quæſt. 49. in Judices = quidam Latini ſic interpretandum putaverunt ut dicerent: *Nonne quæcumque dedit tibi in hæreditatem Chamos Deus tuus, hæc poſſidebis?* ..... quidam vero ſic habent: *Nonne quæcumque poſſedit Chamos Deus tuus hæc poſſidebis?* Magis autem .... ſenſus elucet in iis verbis quæ græcus habet: *Nonne quæcumque hæreditavit tibi Chamos Deus tuus hæc hæreditabis. &c.* = uno denique modo, vel altero legamus, eamdem ſententiam intelligimus.

Ad initium ℣. 26. deeſſe in Vulgata ait Sixtinus vocem *Iſrael* quæ ponenda eſt poſt verbum *habitavit* ne forte quis rudior ad Balac referat, quod de Iſraele dictum eſt. Miratur deinde Sixtinus quod in Vulgata Romani correctores non emendaverint Librariorum errorem *juxta Jordanem*, cum legendum profecto ſit *juxta arnon*.

Quantum itaque ad primum attinet; cum rudiores ſoleant pronomen relativum cum ſubſtantivo proxime antecedenti comparare, hinc relativum *eum* ad *Iſrael* quiſque pertinere cognoſcit, quemadmodum norunt omnes Balac filium Sephor, Regem Moab nequaquam in Heſebon, & viculis ejus, nec in Aroer & villis ejus eſſe commoratum per annos trecentos, ſed ibidem habitaſſe Iſraelitas poſt devictum Sehon Ammorrhæorum Regem; unde nonniſi per ſummam inſcitiam verbum *habitavit* referri poteſt ad Balac. Quod autem ſubjungit, fuiſſe nimirum corrigendam Vulgati Lectionem *juxta Arnon* dicimus eſſe incertum num Librarii textum Hebraicum, vel Latinum perturbaverint; S. Hieronymi ætate Jordanem ſcriptum fuiſſe in hebraicis Codicibus non eſt incredibile, cum in vetuſtiſſimo S. Patris Codice a Vallarſio edito *Jordanem* habeamus. LXX. Interpretes pariter παρὰ τὸν Ἰορδάνην *juxta Jordanem* legunt; & ſane Jephte commemorat quidquid filii Iſrael poſſederant per annos circiter trecentos de terra in quæſtionem ab Ammonitarum Rege perducta, nonne uſque ad Jordanem illam occupaverant? eccur ergo poſtquam alias ejuſdem terræ plagas recenſuerat non etiam occidentalem commemorare potuerit, quæ ad Jordanem habebat limites? Correctores ergo Romani non immerito *juxta Jordanem* reliquiſſe videntur; eo vel magis quod auctor Hiſcuni apud Druſium ad ℣. 26. Cap. 2. Deuteron. ſcribat = ſane legimus in libro Judicum, fuiſſe in Oriente deſertum, ſicut ſcriptum eſt: & hæreditaverunt terminum Ammorrhæi ab Arnon uſque ad Jaboc, & a deſerto uſque ad Jordanem = Civitates ergo *juſta Jordanem* exiſtentes poterat Jephte commemorare.

Ad ℣. 27. inquit Sixtinus ſuperfluam eſſe a Vulgato poſitam expoſitionem per hæc verba *indicens mihi bella non juſta*; cum hebræa legat [illegible] *lebillacham bi pugnando contra me*. Unuſquiſque dignoſcit explicatiori modo redditam eſſe a S. Hieronymo ſententiam eamdem, quæ eſt in hebræa; antea quippe legit textus hebraicus = *inique agis pugnando contra me*; ſi ergo inique agebat pugnando contra Jephte, jam bellum indictum erat injuſtum.

Plurima ad ℣. 31. hujuſce capitis congerit Sixtinus contra Vulgati interpretationem; & primo quidem ad ſolos homines

perſtringit quod generaliter etiam de brutis Jephte pronunciaverat dixit enim = & erit quodcumque egredietur..... in occurſum meum &c. = Vulgatus autem ſcribit = quicumque primus fuerit egreſſus &c. = Deinde, ſubjungit Amama, votum bimembre contraxit Vulgatus in unum membrum, ut enim adnotat Kimchius *vau* non per particulam & hoc in loco, ſed per *aut* disjunctivam exponi debet; ita ut ſit ſenſus = quodcumque egredietur in occurſum meum aut erit Domino conſecratum, aut offeram illud in holocauſtum, ſi videlicet fuerit idoneum Sacrificio. Alia multa deinde tradit Sixtinus ut oſtendat filiam Jephte non morti violentæ, ſed morti civili, ad perpetuum ſcilicet cœlibatum fuiſſe deſtinatam.

Satis de voto Jephte a celeberrimis eſt diſputatum Auctoribus nec quæ dicta ſunt replicare lubet, videatur Calmeti peculiaris diſſertatio ad frontem Commentariorum in Lib. Judicum præfixa, nec non altera Ludovici Capelli diſſertatio inter criticos ſacros exiſtens, in qua necem cruentam in filia, Jephte fuiſſe executum demonſtrat. Quod autem ad Vulgatæ textum pertinet, cum magis eſſe legitimum atque hebraicæ veritati congruentiorem opinamur, quam recentem Rabbinorum interpretationem: noſter quippe cum LXX. Syriaca, & Arabica apprime conſonat, quæ omnes ſimul habent = quicumque primus fuerit egreſſus, cum holocauſtum offeram Domino = Ad ſolos autem reſpicere potuiſſe homines Jephte dum votum vovit, ſacer textus indicat ſatis per illa verba *egreſſus fuerit de foribus Domus meæ in occurſum meum*. Nunquid oves, & boves egredi poterant de foribus Domus ſuæ in occurſum ejus? Nunquid carnem immolare Domino cogitavit? de viris ergo aut mulieribus in ſua poteſtate conſtitutis loqui voluiſſe credendus eſt hic Judex; quapropter particulæ *vau* in particulam disjunctivam *vel* commutatio merum Rabbinorum commentum eſt, cum nulla id faciendi neceſſitate ex ſacro textu compellamur. Prælaudatæ legantur diſſertationes.

Ad ℣. 34. duo ex Vulgati lectione commiſſa in Hebraicam veritatem Sixtinus aſſeverat, primum quod vox hebraica [illegible] *jechidba* converſa ſit in unigenitam, cum tamen ejus vera ſignificatio ſit *unica*; aliud quippe eſt eſſe filium unicum, aliud eſſe unigenitum prima appellatione cum poſſumus intelligere qui, cæteris mortuis fratribus ſupereſt; unigenitus vero nuncupatur qui ſolus genitus eſt a Patre ſuo. Secundum quod a ſua verſione Vulgatus vocem hebraicam [illegible] *mimmennu ex ſe*, eliminavit; unde legendum erat = Non erat ipſi (Jephte) ex alius filius vel filia = dicit *ex ſe* quia forte habere potuit prævignos vel adoptivos, quos ipſe minime genuerat.

Ex ipſamet hebraici textus lectione evidenter iniquitatis revincitur Sixtini in Vulgatum Interpretem cenſura. Quare reprehenditur Vulgatus ubi ſcripſit *unigenitam*, ſi ex hebraica veritate alios liberos Jephte non fuiſſe demonſtratur? eccur conqueritur cenſor ſi vocem *mimmennu* prætermiſit S. Hieronymus ſi eamdem ſatis expreſſerat dum ſcripſit *unigenitam* quæ vox, fatente Sixtino alios filios genitos non fuiſſe, per ſe palam facit? Satis hæc videntur ad Vulgati lectionem defendendam.

Incuſat ad ℣. 35. Vulgatum noſtrum Sixtinus quod verterit: *decepiſti me, & ipſa decepta es*, cum legat Hebræa [illegible] *bachreab bichrabtini, deprimendo depreſſiſti me*; nullum itaque locum hic habere Vulgati lectionem *decepiſti* contendit.

Quam variæ ſint ad hunc locum Interpretum verſiones eſt incredibile. Itala antiqua ut patet ex lib. 3. offic. S. Ambroſii legebat = Heu me, filia, impediſti me, in ſtimulum doloris facta es mihi = S. autem Auguſtinus quæſt. 49. in Judic. ſcribit = Heu me, filia mea impediſti me in offendiculum facta es in oculis meis = idipſum ferme apud S. Proſperum in Lib. de Promiſſ. part. 2. Cap. 20. legimus enim ibi = Heu mihi, filia, offenſio facta es in oculis meis = quæ omnes lectiones ex Græcis videntur expreſſæ in Mam enim Oxon & in editt. Ald. & Compl. ſcriptum eſt εἰς σκάνδαλον ἐγένου ἐν ὀφθαλμοῖς μου ante hæc verba præmiſſa erant hæc altera οἴμοι θύγατέρ μου heu mihi filia mea in offendiculum facta es in oculis meis. S. Hieronymus tamen transferre potius decrevit = decepiſti me, & ipſa decepta es = quia totum in hac verſione animi ſenſum exprimere judicavit; quid eſt enim forte, vel eventibus decipi; niſi in id, quod nec ſperabamus, nec volebamus, incidere? Si quoddam contra ſpem, fiduciamve noſtram infortunium nobis contingat, nonne ſtatim querentes, & quodam quaſi furore agitati dicimus *decepti ſumus* in expectatione noſtra, *illuſi in ſpe noſtra ſumus?* quæ ſiquidem enunciatio mentis turbationem animique dejectionem apprime ſignificat; quod unum hoc in loco græcæ non minus quam hebraicæ locutiones ſignificant.

Ad ℣. 37. nullum ferme diſcrimen agnoſcimus inter hebraicam, & Latinam lectionem; idem quippe omnino eſt ſive alicui dicamus Princip *fiat mihi hoc*, ut habet hebraicus textus: ſive dicamus *hoc mihi præſta quod deprecor*; preces enim etiam in verbo *fiat* implicite ſaltem continentur.

℣. tandem 39. hebraicum textum [illegible] *vebi lo jodah iſch* legendum dubio procul ſupponit Sixtinus = & ipſa non novit virum = id autem ad ſuam confirmandam opinionem de ſola civili morte filia Jephte collimare Cenſor ipſe nequaquam diſſimulat. Vulgatus autem, quidquid de virgine illa ſit geſtum, ſolum adfirmat cœlibem fuiſſe, nullumque noviſſe hominem dum a Patre oblata eſt, quæcumque fuerit oblatio quam vera corporali ac violenta illius puellæ morte expletam cum pluribus inſignibus opinamur Auctoribus.

Ad hunc verſiculum tandem confodit obelo Sixtinus hæc verba *& conſuetudo ſervata eſt*, quæ in hebræa deeſſe contendit. Quid tamen erroris hæc paucula verba contineant minime indicavit; nonne hæc explicant præceden-

cedentia? in hebræo quidem legimus ותהי חק *vathebi chok*, *& fuit in conſuetudinem*, ut Vatablus vertit. R. David vertit *& erat ſtatutum*: Vulgatus noſter ait ſtatutum hujuſmodi fuiſſe ſervatum apud Judæos, quod quidem veriſſimum eſt in eorum etiam Sententia qui ad virginitatem perpetuo ſervandam Jephte filiam fuiſſe deſtinatam opinantur. Quandiu autem hæc conſuetudo ſervata ſit aqud Hebræos incertum eſt, quamquam Epiphanius apud Grotium ſuis temporibus adhuc viguiſſe ſit teſtis.

§. XX.

AD ℣. 1. cap. 12. Judicum in Vulgatum noſtrum invehitur Amama quod non integre hebraicam ſententiam tranſtulerit, quæ ita concepta eſt ביתך נשרף עליך באש *betcha niſroph halecha baes*, *domum tuam comburemus ſuper te in igne*. Vulgatus autem ſolummodo ſcripſit = igitur incendemus domum tuam = ſatis in Latinè videntur Ephraimitarum comminationes expoſitæ, quamvis voculæ illæ *ſuper te* fuerint omiſſæ, quæ profecto in S. Hieronymi codice leguntur hoc modo = igitur incendemus te, & domum tuam = inter ea proinde locus iſte referri poſſe videtur, quæ fatentibus Romanis correctoribus accurationi adhuc manu indigent, niſi fortaſſis ex Librariorum incuria hæc menda ſit derivanda.

℣. 7. Cum ſcripſerit S. Hieronymus *ſepultus in civitate ſua Gadaad* reprehenditur ab Amama eo quod *in urbibus* Gilead præſeferat Hebræa, juxta frequentem in lingua Hebræorum Ellipſim, qua pluritatis numerus pro ſingulari uſurpatur ideſt *in urbibus* pro in *una urbium*. Subjungit deinde *Gilead* non eſſe hoc in loco nomen urbis.

Si itaque legendum eſt *in una urbium*, cur potius *in civitate ſua* non legemus? nonne LXX. ἐν πόλει αὐτοῦ habent? Jephte domum in Maſpha habuiſſe indicatur §. 34. Cap. XI. ibidem propterea fuiſſe ſepultum credibile omnino eſt, quicquid Rabbini fabulentur de ejus corpore membratim conſciſſo, & in variis oppidis Galaad ſepulto. In Vulgati lectione tandem vox *Galaad* gignendi caſus eſt, non urbis nomen, ſed Provinciæ.

Ad ℣. 11. male in Vulgata noſtra expreſſam vocem *Abialon* notat Sixtinus, cum ex Hebræa legendum ſit *Elon*. Profecto in Hieronymiano codice *Elon* habetur; in Græcis autem Ἠλὼν vel Αἰλὼν; mutatio autem huius nominis nullum inducit errorem, cum ſatis ex contextu viri nomen eſſe, non civitatis, intelligamus.

Quæ notat Sixtinus ad ℣. 2. cap. 13. nullius prorſus momenti ſunt, cum in idem omnino colliment. Verſu autem ſexto hujuſce capitis contradictio videtur haberi inter hebraicam, Latinamque lectionem; in Vulgata quippe ſcriptum eſt = quem cum interrogaſſem quis eſſet, & unde veniſſet... noluit mihi dicere = in hebraica vero = nec rogavi eum undenam eſſet, & nomen ſuum non indicavit mihi. =

Dubium profecto naſci poteſt num particula לא *lo*, non addita ſit hebraico textui, vel potius a Latinis, & Græcis eliminata in MS. Alexan. ac edit. Complect. nec non in Oxon. & Ald. legimus καὶ ἠρώτων *& interrogabam*, eodem modo legebat S. Auguſt. ut patet ex quæſt. 51. in Judic. idipſum legimus in vetuſtiſſimo S. Hieronymi codice: cur ergo hodiernis hebræorum codicibus tanta fides, ut vetuſtiſſimi omnes abiiciantur? Quinimmo eſto ſermonis ordo in hebraica etiam conſervetur, congruentior tamen in Vulgata videri poteſt; cum magis mirabile ſit Angelum quamvis interrogatum, nomen ſuum indicare noluiſſe, quam ſi illud non interrogatus tacuiſſet: nonne ergo a Vulgati lectione tot veterum codicum fulcita teſtimoniis recedendum eſt, quidquid in oppoſitum hebraicæ lectionis defenſores opinentur.

In ℣. 7. redundare apud Vulgatum hæc verba *ab infantia ſua* tuetur Sixtinus eo quia vocem נער *nahar* vertit *puer* hoc in loco. Quis non videat nihilominus in Vulgato eamdem omnino ſententiam haberi, quam in Hebræo, licet aliquantulo clarius? Scribit itaque Vulgatus = erit enim puer Nazaræus Dei ab infantia ſua, ex utero matris ſuæ = ideſt Puer, quem paries, Nazaræus Dei erit ab infantia ſua, quinimmo ab hora, qua exierit de ventre matris ſuæ = ſicuti ergo in ℣. 5. eadem verba ſuperflua non ſunt, fatente Sixtino, quia deeſt vox *puer*; hoc etiam in loco relinqui poterunt, quia *puer* vicem gerit vocis *filius*.

℣. 12. ubi in Vulgata de puero rogat Angelum pater, atque Angelus de vita pueri inſtituenda reſpondiſſe videtur ſcilicet = Ab omnibus quæ locutus ſum uxori tuæ abſtineat ſe; quidquid ex vinea naſcitur non comedat &c. = ad matrem Sampſonis referre cogit textus hebraicus noſtri temporis, cum verba illa omnia fœminina ſint. Veruntamen ea omnia de filio enunciata fuiſſe ut ſcilicet a vino, ſicera, & quocumque immundo ſe ſe abſtineret, ipſimet Proteſtantes confitentur, ut Sixtinus ipſe teſtatur. Vulgari autem verba ex ſe indifferentia reperiuntur, adeo ut non minus ad matrem, quam ad filium referri queant; interrogatio utique de inſtitutione vitæ infantis propoſita erat, unde & de illo reſponſio tradenda videbatur, ut Abulenſis quæſt. 26. in cap. 13. Judic. obſervat.

Ad ℣. 19. tandem in Vulgatum Sixtinus exurgit, quod hebraicum textum ויעל על הצור ליהוה ומפלא לעשות *vajiahal hal hatſur ladonai umaphli lahaſot* converterit = & poſuit ſuper petram offerens Domino, qui facit mirabilia = cum potius transferendum foret *& obtulit ſuper petram Domino*; *& mirificabat facere* ſcilicet Angelus.

Non deſunt quidem Commentariorum Scriptores, qui hebraica prædicta latine reddant = obtulit ſuper petram Domino, & ei qui facit mirabilia = quæ profecto ſententia duplicem ſenſum continere poſſe videtur: primum = obtulit Domino mira patranti: ſecundum = obtulit Domino, & Angelus fecit mirabilia = educens de lapide ignem. Videamus modo quemnam ex hiſce

ſen-

ſenſibus retinuerit antiquitus Eccleſia. Auguſtinus legebat = obtulit ſuper petram Domino mirabilia facienti = ut patet ex ejus quæſt. 54. in Judic. MSS. pariter Alexand. & Oxon. nec non Editt. Ald. & Compluten. habent τῷ θαυμαστὰ ποιοῦντι *mirabilia facienti*; eodem pariter modo legit Hieronymianæ verſionis codex; eccur ergo ab iſta recedamus lectione, ſi ab hebraica veritate minime diſcrepantem intelligimus?

Ad Cap. XIV. Judicum tria redarguenda a Sixtino ſunt adinventa. Primum ſub Verſiculo 8. in quo Vulgatus noſter legit *in ore leonis erat*, & *favus mellis*; cum tamen hebraicus textus expreſſe habeat = examen apum erat in corpore Leonis & mel = vox enim hebraica גוית *ghevijah* non *os*, ſed *corpus* vere ſignificat, quemadmodum & ipſe Vulgatæ auctor aliis in locis convertit. *Mel* tantummodo ulterius, non *favus mellis* legunt Hebræa & verſio LXX.

Levia ſunt hæc, & nullius fere momenti, ut quiſquam dignoſcit. Sive enim legamus *in ore*, ſive *in corpore* veritas eſt examen apum in cadavere Leonis inſediſſe, ibidemque mel fuiſſe repertum; mella autem in favis ſolent apes reponere, neque ſine illis ipſa e floribus congregant, ut Virgilius 4. Georg. ſcribit = prima favis ponunt fundamina = & ſane nequaquam manibus potuiſſet Sampſon mel deſumere, ſuiſque parentibus transferre niſi favum ſubſtuliſſet, in quo mel includebatur; hinc Vulgari lectio optime reperitur conſiſtere; eodemque pacto legebant vetuſtiores Eccleſiæ Patres Ambroſius, & auctor Lib. Promiſ. quorum primus in Epiſtola 19. ad Vigil. ſcribit = favum in utero Leonis offendit, atque abſtulit: alter autem = dum cadaver inſpicit animantis favum mellis in ore leonis ſuſpiciens, abſtulit = Græca pariter habet καὶ ἐξέκλινεν ἰδεῖν τὸ πτῶμα τοῦ λέοντος καὶ ἰδοὺ συστροφὴ μελισσῶν ἐν τῷ στόματι τοῦ λέοντος καὶ μέλι *in ore* ergo Leonis codices iſti legebant; nec ex alia corporis parte, quam per leonis diſcerpti fauces videntur apes ingredi potuiſſe intra cadaver, & egredi, unde in ore, hoc eſt intra os dicitur mel adinventum. Alia duo quæ a Sixtino ad caput hoc opponuntur nec conſideranda videntur.

Plura ad cap. XV. Judicum Sixtinus redarguit: atque in primis non idonee redditos ex hebraica Verſiculos 4. & 5. a S. Hieronymo contendit. Veruntamen proponamus utrumque textum, & videamus diſcrimen. Hebraicus, juxta Sixtini lectionem, hoc modo ſe habet = accepitque faces & obvertit cauda ad caudam poſuitque facem unam inter duas caudas in medio: & accendit ignem in facibus, & immiſit in ſegetes Philiſtinorum = Vulgatæ textus hic eſt = caudaſque earum junxit ad caudas, & faces ligavit in medio: quas igne ſuccendens dimiſit, ut huc illucque diſcurrerent; quæ ſtatim perrexere in ſegetes Philiſtinorum = . In quo quæſo diſcrepant hæ ſententiæ? in nullo profecto ſi ſenſum velimus attendere, cui ſolummodo inſiſtere pollicebatur S. Hieronymus ut alibi animadvertimus; non diutius propterea iu hiſce immorandum.

Ad 8. ℣. hujus cap. plura Cenſor agglomerat ut ineptam S. Hieronymi interpretationem oſtendat. Textus itaque hebraicus hic eſt ויך אותם שוק על ירך מכה גדולה *veiach othom ſchok bal-iarech mathchah ghedhola*, *& percuſſit eos tibia ſuper femur plaga magna*.

Locum hunc Divinæ Scripturæ longe obſcurum eſſe, variamque interpretationem capacem Sixtinus ipſe confitetur; eæ omnes apud Druſium Lyranum, & Calmetum videri poſſunt, nos unicam S. Auguſtini expoſitionem ac lectionem hujuſce textus ex quæſt. 55. in Judic. deſumptam enarrabimus = quid eſt, inquit, S. Doctor, quod dictum eſt, quod percuſſit alienigenas Sampſon tibiam ſuper femur... & non ait „ Scriptura percuſſit eos tibia ſuper femur, „ ſed tibiam ſuper femur. Nimirum ergo „ inuſitata locutio facit obſcuritatem; ita „ enim dictum ac ſi diceretur percuſſiſſe eos „ valde mirabiliter, ideſt ut admirando ſtupentes tibiam ſuper femur ponerent, tibiam ſcilicet unius pedis ſuper femur alterius ſicut ſolent ſedere qui mirando ſtupent. Tanquam ſi diceretur percuſſit eos „ manum ad maxillam ideſt tanta cæde ut „ manum ad maxillam cum ſtupore admiratione „ ponerent: hunc ſenſum ita ſe habere etiam „ interpretatio, quæ eſt ex hebræo ſatis docet nam ita legitur: percuſſit eos ingenti „ plaga ita ut ſtupentes ſuram femori imponerent = longiuſcula eſt hæc S. Patris auctoritas, ex qua tamen convincitur quonam pacto tunc temporis ſacer hic textus intelligeretur; quare ergo Vulgati lectio rejicitur?

Sub ℣. 9. hujus Capitis Vulgatum Interpretem veluti Expoſitorem potius quam Interpretem ſe geſſiſſe Cenſor noſter exclamat, cum ex proprio adjunxerit marte *ubi eorum fuſus eſt exercitus*.

Nunquid illicitum eſt hebraicorum nominum ſignificationem exponere? quot, ſi ita res eſt, a divinæ ſcripturæ textu ſunt eliminanda! refert itaque ſacer textus aſcendiſſe Philiſthim in terram Juda, atque caſtrametatos eſſe in Lechi, ſcilicet *in maxilla* quid ex iſta voce intelligimus de vera loci illius appellatione? nihil profecto: neque cur locus ille *maxilla* fuerit appellatus noſcere datum eſſet niſi S. Hieronymus cauſam appellationis expoſuiſſet; non ergo ſuperflua ſunt ea verba neque a ſacro textu aliena.

Ad ℣. 14. Vulgatum noſtrum objurgat, quod nullam brachiorum, & manuum, quas ligatas ennarrat hebraicus textus, in ſua verſione mentionem habuerit. Quis tamen neſciat homines vinciri ſolere brachiis, & manibus dum ad ergaſtulum, vel alio perducuntur, ſi eorum perſona cuſtodienda neceſſe eſt? Satis ſe Vulgatus explicuit dum funibus duabus Sampſonem deſcribit ligatum. Redarguit ulterius Vulgati lectionem, hoc modo ibidem conceptam = ſicut ſolent ad odorem ignis conſumi lina, = cum, inquit, Cenſor, hebræa legat *ut lina, quæ combuſta ſunt igni*.

No-

Notum eſt omnibus familiare fuiſſe S. Hieronymo eam phraſim, qua aliis etiam in locis divinæ ſcripturæ uſus eſt; quinimmo eodem modo legebat S. Auguſtinus ut patet ex Locut. 53. ubi ſcribit = ſicut ſtupa, cum oleſcecerit ignis = nil quippe aliud eo modo dicendi ſignificatur, quam facilitas ſtupæ ad diſſolvi, & comburi ad ignis applicationem; cur ergo eo loquendi pacto uti non poterat Vulgatus Interpres ſi faventе Druſio verbum [illegible] etiam odorari ſignificat?

V. 15. a S. Hieronymo prætermiſſam adfirmat Sixtinus vocem *ritija*, *hamentem* vel *putreſcentem*. S. Hieronymus autem hoc in loco ſcribit *quæ jacebat* ſecus lectionem LXX. qui verterant [illegible] *projectam*; & ſane ut accuratiores etiam Expoſitores advertunt inepte prorſus adnotatur num aſini mandibula putreſcens, ſive ſanie fœtens eſſet.

Ad V. 16. adnotat Sixtinus diverſam prorſus eſſe Vulgatæ lectionem ab hebraica veritate, habet enim hebraicus textus: [illegible] *bilchi hachamor chamor chamorathaim bilchi hachamor hichchethi eleph iſch*; ideſt: *in maxilla aſini acervum, duos acervos: in maxilla aſini percuſſi mille viros*; hæc verba, inquit Cenſor, ita Burgenſis exponit = Intentio hujus lectionis erat dicere quod in maxilla aſini acervum, imo acervos Philiſtæorum percuſſerat. =

Adverſus iſtam Cenſoris oppoſitionem non pigebit exſcribere unam Caſtalionis ad hunc locum Expoſitionem, ut videat Sixtinus quanto jure in Vulgatum ſuccenſeat: = *Maxilla aſini, aſini aſinarii* [illegible] *chamor chamorathaim*; *aſinus aſinarius* eo modo dicitur, quo *caprum caprinum*; & *bovem bovinum* dici adnotavimus, & quomodo Judic. 5. [illegible] *racham rachamathaim*, *puella puellaris*, ideſt puella dicitur, eſtque elegans repetitio præſertim in ſententiis. Neque hic magiſtros Judæos ſequi placet, qui [illegible] *chamor* acervum interpretantur. Nam ita, & imperfecta foret, & minus elegans ſententia; neque iiſdem vocalibus ſcribitur id verbum cum *acervum* ſignificat niſi hoc in loco, ſi illis credamus. Sed ambiguus cum ſit in teſtimonium adduci non poteſt. = Hanc prolixam Caſtalionis expoſitionem non alia exſcripſimus de cauſa niſi ut a ſuis revincatur Sixtinus de inſiſtentia cenſuræ, quam in Vulgatum ad hunc locum elaboravit. Videantur ad hunc locum Calmetus aliique Catholici Commentariorum Scriptores.

Non validiorem, alteram ad V. 17. in Vulgatum noſtrum exprobrationem a Sixtino intentatam, eo quod S. Hieronymus vocem *Ramath-Lechi*, *elevatio maxillæ* eſſe interpretandam adjunxerit, reputamus; quamvis nec ipſi inficiari poſſimus eamdem vocem transferri peroptime poſſe *projectio maxillæ*, ſi *Ramath* formetur ab [illegible] *ramath*, ſi autem *Ramath* derivetur ab [illegible] *rama* ut R. Ben-Levi ſentit, tunc *elevatio mandibulæ* prædicta vox reddenda eſt cum Vulgato. LXX. legunt [illegible] *elevatio maxillæ*; ex quibus fit palam non immerito eam interpretationem a Vulgato potuiſſe adjungi, quamvis utraque interpretatio maxime vera cenſeri queat, cum in eodem loco & *elevatio mandibulæ* contigerit, dum eamdem e terra Sampſon arripuit ac inimicos percuſſit, & ejuſdem *mandibulæ projectio* dum fugatis hoſtibus, ac interemptis eamdem projecit.

Ad V. 19. cum verterit S. Hieronymus = Aperuit Deus molarem dentem in maxilla aſini = redarguitur ab Amama quod vocem *aſini* adjunxerit, & quod vocem [illegible] *machtes dentem molarem* converterit cum tamen *foveam* ſeu *cavitatem* ad inſtar mortarii ſignificet. *Lechi* ulterius incertum eſt an hoc in verſu *aſini maxillam* vel potius locum qui maxilla appellabatur, indigitet, unde concludit Cenſor audacter, nimis ſuam in ſacrum textum opinionem intruſit.

Mirum eſt Sixtinum tanta cum libertate Vulgati lectionem objurgare, cum tamen multi Eccleſiæ Patrum, & Interpretum illius verſionem retinuerint priuſquam etiam ab ipſo componeretur. S. Ambroſius Epiſt. 19. ad Vigil. ſcribit = cum projeciſſet ille maxillam aperuit ſciſſuram ejus, & fons erupit ex ea = aliis in locis idem ſcribit S. Pater. Auctor Lib. de Promiſ. Cap. 21. hæc habet = Adprehenſa etenim aſini maxilla, mille viros ex ea proſtravit, cæteroſque vertit in fugam, qui cum ſiti præliando deficeret invocato Deo, ex rima ejus maxillæ aqua profluens priſcæ virtuti reddidit ſatiatum = Idipſum ſentiunt S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ, S. Chryſoſt. Homil. 15. ex diverſis in Matth., Prudentius, & ex recentioribus Vatablus, qui ex cavitate, in qua erat dens molaris, fontem ſcaturiiſſe ait, & cum eodem plures alii ſentiunt Expoſitores, & Interpretes, qui eſto aquam diffluxiſſe ex cavitate maxillæ, in qua dens molaris erat infixus, apprime tamen cum Vulgati lectione cohærent, quæ tradit Dominum aperuiſſe, ideſt eduxiſſe molarem dentem & inde aquas feciſſe diffluere. Vox pariter hebraica *machtes*, *dentem molarem* non minus, quam *cavitatem* ſeu *mortarium* ſignificat. Cur Vulgatus ergo redarguitur? In præſenti autem de voce *Lechi* nihil inquirimus, cum ſatis apud Expoſitores de eadem diſputetur.

§. XXI.

NON pauca Sixtinus in Vulgati lectione ad Cap. XVI. Judicum redarguenda ſibi propoſuit in ſua contra Latinam verſionem Cenſura. Ad V. 2. hujus Capitis in primis male a S. Hieronymo ſcriptum eſſe *Philiſtiim* ait cum Gazæi, cives nempe Gazæ, legendum ſit. Superflua inſuper opinatur ea verba: *& percrebuiſſet apud eos*.

Utitur ni fallimur, generali illa voce *Philiſtiim* Vulgatus noſter, quia revera Gaza, Civitas fuit Philiſtinorum, tunc temporis. Bellum ulterius univerſæ Philiſtinorum genti indixerat Sampſon, unde, & *Philiſtiim* ſemper eoſdem appellat Sacer Interpres, quamvis indicare non deſinat ſingularia eorum loca, in quibus illuſtriora Sampſonis facinora contige-

tigere: quod ad veritatem & claritatem hiſtoriæ ſatis eſt.

℣. 9. hujus Cap. cum in Vulgata legamus *filum de ſtuppæ putamine tortum* Sixtinus ait Pontificios de nihilo in vera hujus loci lectione ſe delaſſare, cum in hebræa nil aliud habeamus quam [illegible] *pethil hanneboreth filium ſtupæ*, reprehendit deinde cenſor Brugenſem quod Vulgatæ lectionem alteri in vetuſtis codicibus exiſtenti præſeferat; idque non alia de cauſa, quam ut Romanis Correctoribus, & Pontificibus blandiretur; veroſimiliorem quippe eſſe ait Sixtinus, quam præſeferunt codices Lyræ, & Benedicti, qui legunt *filum* de ſtuppa tortum ſputamine; ſputo enim uti ſolent dum ſtupæ filum neut mulieres.

Nimis acutum ſe prodit Cenſor noſter ut Vulgatum redarguat: Vox hebraica *pethil filum tortum* ſignificat, ut concordantiarum hebraicarum Auctor oſtendit, *filum tortum* vetuſtiſſimi codices præſeferunt; ſola remanet diſputatio num potius legendum de *ſtuppæ putamine*, vel potius *de ſtuppa tortum ſputamine*; Correctores Romani *de ſtuppæ putamine* retinuere, quibus conſentit Brugenſis, non quidem ut eiſdem blandiatur, ſicut calumniatur Sixtinus, ſed quia vetuſtiſſimi, meliorisque notæ codices ita legunt, ut Martianæus in ſuis ad verſionem S. Hieronymi notis animadvertit; optime propterea Brugenſis interpretatus videtur dum ſcripſit. = Veroſimilius eſt Interpretem dicere voluiſſe filum de vili ſtuppa, eſt enim ſtuppa quaſi putamen, cortex, & reiiculum lini =.

Ad ℣. 11. Vulgati lectionem *ſi ligatus fuero novis funibus* carpit Sixtinus cum originaria vox hebraica [illegible] *bahabotim in funibus contortis ad invicem* ſeu *implexis* ſignificare poſſit. Inutilem prorſus hanc adnotationem Calmetus appellat, cum eadem hebraica illa vox aliquando catenulas aureas Rationalis ſignificet, aliquando vero pro ſimplicibus funibus uſurpatur. *In funibus novis* legebat S. Auguſt. Locut. 60. & 61. Græcum etiam exemplar habet. [illegible] *ſi ligantes ligaverint me funibus novis* &c. Omittimus interim vocem illam a pluribus explicatam eſſe de viminibus, ſeu virgis virentibus; quibus ſi conſtringeretur, ajebat Sampſon, ſe in invalidatum ſicuti cæteros homines adfirmabat. Vulgati lectio nihilominus retinenda eſt.

Verſiculis 12. & 13. cum S. Hieronymus ſcripſerit *ſicut fila telarum*, & *ſeptem crines capitis mei*; redundantiæ & abuſus ab Amama redarguitur, cum in ℣. 12. abundet vox telarum; & in ℣. 13. verſa ſit hebraica vox [illegible] *machlephot*, *crines*, quæ *cincinnos* vel *floccillos*, ut ait Lyra, ſignificat.

Quamvis, ut explicatior divinus textus proponeretur legenti, vocem *telarum* adjunxiſſet S. Hieronymus, non culpandus ut reus, ſed potius grati animi argumentum eidem a nobis exhibendum, opinamur decentius, nunquid ſacri textus permutavit ſententiam? eccur ergo redarguitur? Vox hebraica *michlephot* utroque modo *capillos* ſignificare poteſt, atque *cincinnos*; ex contextu autem ſatis fit palam per numerum ſeptenarium totam cæſariem Sampſonis fuiſſe indicatam, eo quod ad ℣. 19. hujuſce Cap. ſeptem crines abraſi dicuntur, cum tamen omnes omnino exciſi eſſent; ſive ergo numerum ſeptenarium ad crines, vel ad cincinnos referamus, æquali modo totam capillorum maſſam intelligamus oportet; ſicuti revera Catholici Expoſitores communiter intellexerunt. Quæ tandem in ſequentibus hujus Capitis Verſiculis tanquam ſuperflua notat, vel inepte tranſlata ex hebraica, non majoris ſunt momenti, quam quæ in duobus prædictis Verſiculis obſervavimus.

Sub Cap. 17. tria redarguit Sixtinus in Vulgati lectione; primum ad ℣. 2. in quo vocem [illegible] *alit*, male converſam eſſe *juraveras*, cum potius *execratu es* foret interpretanda. Secundum eſt ad ℣. 7. hujus Capitis, in quo pro *ex cognatione ejus* legendum contendit Amama *ex familia Judæ*; alia autem verba Vulgati *& habitabat ibi*, vertenda erant *& peregrinabatur ibi*, cum habeat Hebræa [illegible] *vehu ghar-ſcham & erat peregrinatus ibi*. Tertium tandem eſt, in ℣. 10. ubi omiſſa a Vulgato conqueritur ea ultima verba [illegible] *vajielech hallevi*, *& ivit Levita*.

Cujusnam generis ſint hæc, quæ menda Sixtinus appellat, videamus oportet. Primum itaque nullius prorſus momenti eſt cum verbum illud hebraicum etiam *jurare* ſignificet quod poſtea pro *conſecrare* ſive *Deo vovere* aut *promittere* uſurpari poſſe Catholici Expoſitores agnoſcunt, & hoc in ſenſu a Vulgato fuiſſe intellectum dubitare vix ſinunt ſequentia ſacri textus verba. Quis modo erroris incuſet Vulgatum, ſi legitimum ſenſum; quem optime Hebraicus etiam textus compatitur, nobis reddidit? Ad ſecundum dicimus facillime æquivocationem evitari, ſi relativum *ejus* ad *Juda*, quod eſt nomen ſubſtantivum immediate antecedens, reducatur; ſicut, paucis exceptis, omnes ferme Commentariorum Scriptores intellexere: dicitur vero Levites de cognatione Judæ, quia fortaſſis ejus mater de illa Tribu erat, ut plures Rabbini tuentur apud Druſium ad hunc locum. Quod autem adoleſcens Bethlehemites habitaret in Ephraim ut peregrinus, ſatis ex ſequentibus indicatur verſiculis, quamvis in ℣. 7. id minime Vulgatus expreſſerit. Pari modo ad ultimum reſpondemus; nunquid ex contextu Vulgati non intelligimus Levitam illum perexiſſe cum Micha, ſi antea ℣. 8. dixerat ſacer textus declinaſſe parumper in Domum Michæ, deinde ad illius preces acquieviſſe ac in ſui hoſpitis domo poſtea fuiſſe commoratum? integritas ergo hyſtoriæ in Vulgati lectione minime deeſt.

Ad Caput XVIII. libri Judicum Vulgati lectionem pluribus in locis carpit Sixtinus, veluti inepte ex hebraico redditam: atque in primis ſub ℣. 2. cum habeat Vulgata noſtra = qui cum pergentes veniſſent in montem Ephraim, & intraſſent Domum Michæ = in eam invehitur Sixtinus, tanquam ab Hebraico textu, qui legit [illegible]

badh

badh bet-Micha, *uſque* ad *Domum Micha* prorſus alienam; in eo quippe non intraſſe, ſed uſque ad Domum perveniſſe leguntur quinque viri a Danitis miſſi.

Verum omnibus notum eſt præpoſitionem עד *badh*, ſcilicet *uſque* non ſolum propinquitatem locorum, ſed etiam loca ipſa indicare poſſe dum verbis motum localem ſignificantibus jungitur; dicimus enim V. g. Petrum veniſſe uſque Romam ibidemque quieviſſe; non uſque ad Romæ vicinia eum acceſſiſſe, hac locutione ſignificamus ſed in urbem intraſſe, ibidemque moratum fuiſſe intelligimus; quod & in præſenti de Danitis dici poſſe, minime ambigimus, cum ſacer textus ibi viros illos requieviſſe, ſeu pernoctaſſe palam indigitet; non prope ſed in Domo Michæ noctem tranſiviſſe non eſt incredibile, cum præſertim vocem Levitæ hoc eſt loquelam ipſius audiverint. In tertio autem Verſiculo hujus Cap. ubi habet Hebræa המה עם-בית מיכה *hemma bim-beth Micha*, quæ a Cenſore vertuntur, & *ipſi erant juxta*, ſeu *apud Domum Michæ*, opinante præpoſitionem עם *bim* poſitam eſſe pro אצל *etſel*, *juxta*, *apud*. legi pert optime poſſunt *& ipſi erant in Domo Michæ*, cum prædicta præpoſitio *bim* non minus *in* ſignificet, quam *juxta* vel *apud* ut Pagninus in ſuo Theſauro animadvertit.

V. 7. hujus Cap. difficilem hunc Hebraicum textum ואין מכלים דבר בארץ יורש עצר *veen machlim davar baarets joreſch betſer*, cum ſit interpretatus S. Hieronymus *nullo penitus ei reſiſtente*, *magnarumque opum*, redarguitur ab Amama, quaſi a legitima verſione omnino diſceſſerit, aut ſaltem in hebræo nulla prorſus *opum* habeatur commemoratio, quas tamen in ſuam lectionem Vulgatus intruſit. Verborum itaque trajectorum ita in ordinem digerere ſe poſſe Sixtinus confidit ואין יורש עצר בארץ *veen joreſch betſer baarets*, *& nullus erat hæres imperii in terra* מכלים דבר *machlim davar* puniens eos, vel pudore afficiens quemquam eorum; cum unicuique quod ſibi libebat, id etiam licebat.

Pro auctorum diverſitate diverſæ ſunt admodum prædicti textus interpretationes, quæ tamen in re ad invicem conciliari poſſe videntur; quid enim ſibi volunt illa S. Hieronymi interpretamenta = videruntque populum habitantem in ea abſque ullo timore, = ... ſecurum, & quietum, nullo penitus ei reſiſtente? niſi indigitare populum liberum, & tranquillum, qui omnia, quæ ſibi libebant, libere operabatur, cum nulla poteſtate coarctaretur, nulluſque eorum voluntati reſiſteret? nonne id indicare eſt populum illum abſque Rege extitiſſe, ſuaque ſe libertate gubernaſſe? Eadem ferme leguntur in Syriaca verſione = Populum qui morabatur in ea tranquille habitantem juxta legem Sydoniorum, tranquillum, & quietum, & neminem eſſe in terra illa pernicioſum, neve qui moleſtiam, aut negotium faceſſeret = Arabica verſio eiſdem ferme verbis hanc Sententiam exprimit = neminem eſſe in terra ipſorum qui læderet eos, nec qui affligeret aut vexaret eos = In iſtis verſionibus quamquam nulla *opum* habeatur commemoratio, in Græca tamen LXX. eædem recenſentur ibi etenim ſcriptum legimus κατοικοῦντα ἐν ἐλπίδι κατὰ τὴν σύγκρισιν τῶν Σιδωνίων ἡσυχάζοντας ἐν ἐλπίδι καὶ μὴ δυνάμενοι λαλῆσαι ῥῆμα ἐν γῇ κληρονόμοι θησαυροῦ ὅτι μακράν εἰσιν ἀπὸ Σιδῶνος habitantem in ſpe ſecundum conſuetudinem Sidoniorum, quietos in ſpe, & non potentes loqui verbum in terra; poſſeſſor theſauri, quoniam longe ſunt a Sidone = mentio iſta theſauri, ſeu opum, a LXX. Interpretibus facta, etiam in hebraicis eorum codicibus extitiſſe videtur, nec non in iis quibus uſus fuit S. Hieronymus, ſi etenim pro עצר ſcripſerimus אצר, atque *otſar* legerimus, quemadmodum LXX. & S. Hieronymus fortaſſis legebant, jam duæ iſtæ voces יורש אצר *joreſch otſar*, *poſſeſſor theſauri* verti queunt cum LXX. vel (populus) *magnarum opum* cum S. Hieronymo: non ergo adeo Vulgatæ lectio diſtat a vero, ut cum hebraica lectione apprime non conſentiat, ſi præſertim eam conſulamus, quæ vetuſtior quæque propterea intemeratior erat. Si autem literulæ mutationem admittimus majorem profecto verborum tranſpoſitionem, atque vocum additionem in ſua explicatione Sixtinus inducit.

Ad V. 14. hujuſce Cap. nullam ferme inter hebraicum Vulgatumque textum agnoſcimus diſſonantiam; quid enim ſignificat hæc Vulgati ſententia *videte quid vobis placeat*; niſi *conſulite*, niſi *attendite* quid pro libito veſtro facturi eſtis? ita legunt Arabica = conſulite ergo quid ſitis modo facturi. =

V. 22. Vulgati lectio *viri qui habitabant in ædibus Michæ* Sixtino non quadrat, cum habeat hebræa והאנשים אשר בבתים אשר עם בית מיכה *haanaſchim aſcher babbattim aſcher bim beth Micha*, quæ vertenda contendit = *viri*, *qui* erant in Domibus, quæ erant juxta Domum Michæ.

Quis tamen audeat contendere verba illa hebraica verti non poſſe etiam hoc modo = viri qui erant in Domibus, qui erant in Domo Michæ = in qua lectione habetur equidem ejuſdem vocis repetitio, quæ in hebraico ſermone familiaris quam maxime ſolet adinveniri, quæque a S. Hieronymo in latina translatione ſæpe ſæpius omittitur. Iam ſuperius ad V. 2. hujus cap. animadvertimus præpoſitionem עם etiam *in* ſignificare; unde credibile eſt homines in Domo Michæ habitantes inſecutos cum clamore fuiſſe Danitas, qui idola, & Sacerdotem ſurripuerant, atque diſceſſerant.

Vulgati lectionem ad V. 28. ab Amama notatam nullam ferme ab Hebraica diſcrepantiam præſeferre compertum eſt, ſi ſenſum verborum attendamus. Vulgatus quippe Civitatem ſitam in regione Rohob affirmat; Hebræus autem in valle, quæ eſt in Beth Rohob extitiſſe pronunciat; numquid non vallis iſta erat in regione Rohob? ubi eſt ergo inter utrumque textum diſcrepantia? Quod autem in hoc eodem verſiculo habeat Vulgatus = quam rurſus extruentes habitaverunt in ea = pro eo, quod legit Hebraica = & ædificaverunt urbem, & habitaverunt in ea = nullius videtur erroris culpandus, cum hic

elare narraverit eamdem civitatem igne a Daniris ſucceuſam, ut patet ex ℣. 27. fuiſſe rurſum ab eis ædificatam, atque in eadem Danitaa ipſos ſuam ſedem collocaſſe.

℣. 30. redarguitur a Sixtino lectio Vulgatæ noſtræ verſionis, quod hsbeat = Jonatham filium Gerſom, filii Moyſi = cum juxta hebraicam veritatem legendum contendat = Jonatham filium Gerſom filii Menaſſis = concludit deinde Cenſor noſter Jonatham iſtum non Moſis nepotem, ſed pronepotem extitiſſe, adeo ut Moſes genuerit Gerſom, Gerſom autem Menaſſen, Menaſſes vero hunc Jonathanem; ſicque nodum quemcumque facillime reſolutum arbitratur.

Eruditi quamplures tamen Sixtino aperte refragantur ejus reiicientes hypotheſim iſtumque Levitam Moſis nepotem agnoſcentes, quamvia Amamæ hypotheſis ex Theodoreto fuerit excerpta ut Martianæus animadvertit, qui ulterius ſubjungit non *Gerſan* aut *Gerſon*, ut plures latini codices præſeferunt, eſſe legendum ſed *Gerſom*, qui revera Moſis filius extitit, cum *Gerſan* Levi filiua potius legatur fuiſſe. Gerſom itaque noſter in hebræis, Græciſque voluminibua Manaſſe filius deſignatur, cum tamen Latini omnes filium Moſis eumdem appellent. In hebræis profecto hoc pacto deſcribitur *Menaſſe* [illegible] videlicet cum litera *nun* elevata ſuper cæteraa idque ad confundendum Moſis nomen eum nomine Menaſſe, ne ex nepotis idololatria nomen Moſis apud ſimpliciores deturparetur; doctores autem legia optime hunc Jonathanem Moſis nepotem fuiſſe intelligerent. Quidquid ſit tamen de Maſſoretarum ſomniis id certum eſt in omnibus Latinia MSS. codicibua Gerſom legi Moſis filium, quod & S. Hieronymus conſtanter retinuit, quamvis apud LXX. diverſimode legeretur; Codices ergo hebraici ex quibus latinam ſuam verſionem S. Doctor expreſſit, filium Moſis Gerſom iſtum admittebant, quod pariter oſtendunt & ipſe Maſſoretarum adnotationes. Auctori etiam quæſtionum Hebraicarum in Lib. Paralipom. quæ vulgo S. Hieronymo tribuuntur, ſuaſum fuit Jonathanem iſtum Moſis fuiſſe nepotem, cum paulo ante finem Lib. 1. ſcripſerit = Filii Gerſom filii Moyſi Sebuel primus. Idipſum, *inquit*, ferunt eſſe qui in Judicum (*Libro*) Jonathan ſcribitur; qui fuit Sacerdos in Tribu Dan = Sebuel itaque Gerſomi filius apud veteres Scriptores, habitus fuit unus idemque cum Jonathane; adeoque & Jonathan ipſe inter Moſis nepotes, non pronepotes adnumerandus; hæc ferme tradit Martianæus.

§. XXII.

QUæ ſub Cap. XIX. Judicum notantur ab Amama parvi adeo videntur momenti ut vix legentibus ab eadem inferre moras audeamus. Ne tamen quid adverſariis intactum relinquere videamur, quod Dei verbo ab Eccleſia Catholica recepto ab eiſdem opponitur; idcirco brevi quo poſſimus ſtylo & hæc objecta in Vulgatæ lectionem expendere ſatagemus. Ad ℣. itaque hujus Cap. primum juxta Vulgatam ſcriptum legimus *accepit uxorem*; hebraica vero lectio eſt [illegible] *iſchab pilegheſch*, *uxorem concubinam*, qua de cauſa Vulgatus reprehenditur a Sixtino.

Nullum profecto vulnus legitimæ lectioni inflictum a Vulgato cognoſcimus ſi Auctores ipſimet Sixtino apprime charos, Martyrem, nempe atque Mercerum conſulamus; eorum ſiquidem prior ita locum hunc commentatur: *ex hoc loco ſatis aperte colligitur Patrum concubinas fuiſſe uxores: quod ideo dico quia Romani concubinas habebant quæ non erant uxores.* Mercerus autem ſcribit *uxor quidem fuit & legitima cum nuptias conſenſus faciat, ſed non juxta ſecundaria ſcilicet quædam uxor primariæ adjuncta, & ſubdita:* legitima itaque uxor mulier illa erat quamvis, ut ſubjungit Martyr, in talibus matrimoniis tabulæ deeſſent, vel altera ceræmonia externa; non tamen id efficiebat ut iſta non eſſent matrimonia. Si itaque vera uxor extitit, & apud Romanos concubinæ, vel pellices non veræ uxores exſtebant non inepte S. Hieronymus ut veracitatem exprimeret, vocem *concubinam* ſuppreſſit, quæ apud Latinos illegitimam uxorem, contra facti veritatem ſignificare poterat.

Ad ℣. 2. pariter lectio Vulgati notatur ab Amama, quod hebraicaa voces [illegible] *vattizne balau* verterit, *quæ reliquit eum*, cum hebraica ſonet ad verbum *& ſcortata eſt ſuper eum*, ideſt *coram eo*: ex qua lectione, inquit Sixtinus, ex Cajetano, cauſa intelligitur, qua a marito receſſit, quia ſcilicet fornicata eſt.

Magis legitimam nihilominus Vulgati lectionem arbitramur, ſi integrum contextum, aliaſve circumſtantias velimus inſpicere. Compertum in primis eſt verbum *fornicari* apud Scriptores Sacros non ſolum corporis maculas ſignificare, ſed etiam quamcumque ſpiritus alienationem a Deo, atque fidei fractionem, & defectionem ab altero. ut in ſuo Dictionario Biblico Calmetus obſervat. Uxorem itaque huius Levitæ a ſuo receſſiſſe marito ob aliquod inter eos exortum jurgium, non vero ob commiſſum adulterium ex eo revincitur, quod maritus fœminæ ad Domum perrexerit ſoceri ſui, atque reconciliari cum uxore ſategerit; quod utique cum uxore adultera vetitum erat, ut patet ex Deuteron. Cap. 24. ℣. 2. & ſequent. quotieſcumque libellum repudii tradidiſſet eidem ejus conjux. Minime tamen nos latet potuiſſe maritum uxori ſuæ adulterii crimen dimittere, eamdemque ſibi retinere ſi voluiſſet. Cur tamen a lectione Vulgati recedamus, ſi cum eadem LXX. verſionem congruere dignoſcimua: [illegible] legimus in illa, ideſt *jurgata eſt cum ipſo*; vel [illegible] *ivit ab eo*. S. Hieronymus in Michæam juxta verſionem LXX. textum hunc referens, *& irata eſt ei* ſcripſit. Eodem ferme pacto hujus mulieris diſceſſum a viro refert S. Ambroſius Lib. 3. de Officiis Cap. 19. = quæ (mulier) aliquanto poſt, quibuſdam, ut fieri ſolet, offenſa rebus, ad patrem ſe contulit = Chaldæus Interpres hunc ipſum locum teſte

Mun-

Munſtero *& contempſit eum* vertit. Rabbi David & Thargum legunt *deſpexit eum & abiit ab eo*. Joſephus tandem in Lib. 5. Cap. 10. Antiquitatum hujus fœminæ a viro diſceſſum enarrans, ait fuiſſe maximo affectu eamdem proſecutum ejus virum, cui non æquali modo amor mulieris reſpondens, lites, & contentiones inter eos gliſcere cæperunt in dies, donec mulieris iracundia indebite exuberans, maritum reliquit, & Domum paternam contendit. Nonne ſatis hæc ſunt ad oſtendendam Vulgati lectionem veritati congruere modo longe meliori quam hodierni hebræorum Codicum textus?

Sub ℣. 4. omiſſa a Vulgato hebraica hæc verba [illegible] *vaialinu ſcam & pernoctarunt ibi*. Quid quæſo neceſſitatis ad veracitatem hiſtoriæ dignoſci poteſt in illis verbis *& pernoctarunt ibi* ſi in eodem Verſiculo legimus etiam in Vulgato per tres dies eſſe commoratum Levitam illum in Domo Soceri ſui? quicumque in aliquo loco tribus integris diebus moratur ibidem, quod pernocter neceſſe eſt; hinc & in verſione Pagnini ſuppreſſa ſunt illa verba *& pernoctarunt ibi*.

Ad ℣. 5. non apte ab Vulgato tranſlata contendit Cenſor noſter hebraica hæc verba [illegible] *ſebad libbecha pat-lechem*, per hæc altera *guſta prius paululum panis & conforta ſtomachum*, cum potius vertenda forent *fulci cor tuum buccella panis*. Quin ulterius loquantur quiſque intelligit Vulgati interpretatione legitimum ſenſum, magiſque naturalem quam hebraica verba præſeferre; unde immerito omnino cenſura perſtringitur a Sixtino.

Nullius iterum momenti Cenſoris habeamus accuſationem in S. Hieronymum inſtitutam ad ℣. 9. hujuſce Cap. in quo S. Pater vocem hebraicam [illegible] *iſch* non *vir*, ſed *adoleſcens* eſt interpretatus. Non eſt hujuſcemodi phraſis in aliis divinæ Scripturæ textibus inaudita, pluries quippe voces iſtæ *pueri adoleſcentes &c.* pro *viris* non pro *puerulis* uſurpantur; ita in Cap. 30. Libri 1. Samuelis ℣. 17. habet hebraica [illegible] *iſch-nabar*, *viri adoleſcentes*. Libro pariter 2. Samuelis Cap. 1. ℣. 15. legit hebræa [illegible] *leachad mehannebarim unum de pueris*,* iſti autem quamvis *juvenes* dicantur, & *pueri* nihilominus ejus erant ætatis ut arma deferre atque milites incedere poſſent. In noſtro caſu ſimiliter indicare curavit S. Hieronymus juvenilem illius Levitæ ætatem, dum eumdem adoleſcentem deſcribit, ſed nihilominus virum, non puerulum extitiſſe, ſatis ex ſacro textu intelligimus, dum jam uxorem duxiſſe commemorat.

In eodem cenſu quod ad præcedentem ℣. 8. Sixtinus adnotat, reponere non ambigimus. Redarguit itaque Romanos Correctores, quod verba iſta donec *increſcat dies* minime correxerint per hæc altera *donec decreſcat dies*, vel *uſque ad inclinationem diei*. Alias pariter verborum permutationes in hujuſce verſiculi interpretatione reprehendit Cenſor noſter.

Facillime in unaquaque lectione eumdem ſenſum deprehendi intelligimus, quomodocumque diverſis exhiberi verbis videantur verſiones. Quid quæſo eſt aliquem retinere apud ſe donec increſcat dies, niſi eumdem, uſque poſtmeridiem remorari? ſtatim autem poſtmeridiem dies inclinare incipit, ſeu declinare; unde ſive dicamus *uſque ad diei incrementum permaneat*; ſive *uſque ad diei decrementum* ſeu *declinationem*; intelligimus eodem modo uſque ad poſtmeridiem; & hac fortaſſis de cauſa Romani Correctores intactum locum iſtum reliquerunt; eo vel maxime quod expoſitionem ſacri textus a nobis propoſitam jam S. Ambroſius in Epiſt. ad Syagrium indicaverat his verbis = promiſſam profectionis eo pam diſtulit in meridiem, ut viam cibo curati adorirentur = Cæteræ diſcrepantiæ ſub hoc verſiculo inter latinam, & hebraicam lectionem quoad verba quidem ſunt, eadem tamen in utroque textu exprimitur ſententia, ut per ſe compertum eſt.

Ad ℣. 13. Cenſor conqueritur, abſque ulla prorſus neceſſitate Vulgatum noſtrum ab hebræorum litera receſſiſſe hæc enim habet [illegible] *va jiomer lenabaro lecha venikreva beachad hammekomot velannu ba Gbibbah o ba Ramah* = & dixit puero ſuo: vade & approbinquabimus in uno locorum, & pernoctabimus in Gabaa, aut in *Rama* = Vulgatus autem hoc pacto reddidit verſiculum iſtum = cui (puero) reſpondit Dominus non ingrediar oppidum gentis alienæ. .. ſed tranſibo uſque Gabaa, & cum illuc pervenero, manebimus in ea, aut certe in urbe Rama = non eadem eſt ſententia, idemque prorſus uniuſque lectionis ſenſus? eccur igitur tam valde in Vulgatum noſtrum Amama ſuccenſet?

℣. 17. Addita eſſe a Vulgato hæc verba *cum ſarcinulis ſuis* præter divini textus lectionem Sixtinus inclamat; veruntamen ea juſte ibidem eſſe appoſita quiſpiam dignoſcet qui ad ℣. 10. hujus Capitis oculos verterit, in quo legimus hunc Levitam ſecum habuiſſe duos aſinos onuſtos; cum itaque in platea Civitatis ſederet credibile eſt exoneratos ſarcinulis ab eodem fuiſſe aſinos ſuos; vel ſi adhuc in eorum dorſo detinebantur, videri optime poterant a ſene Ephraimita. De ſarcinulis iſtis ſermo ad ℣. 19. huius Capitis redit. Non ergo Vulgatus aliquod ſuum inventum ſacro textui adjunxit.

Ad ℣. 22. pariter nonnulla a Vulgato noſtro adjecta eſſe Sixtinus conqueritur; lectio enim hebraica hoc unum præſefert = ipſi bonum reddebant cor ſuum = S. autem Hieronymus clariori expreſſione ita vertit = illis epulantibus, & poſt laborem itineris cibo, ac potu reficientibus corpora = quæ ſiquidem omnia nil ſonant aliud quam quod hebraica; dicitur enim quis cor ſuum reddere bonum cum cibo potuque illud exhilarat, atque lætificat; quod autem S. Hieronymus verba iſta ſubjiciat poſt *laborem itineris* minime culpandus videtur, cum rei veritatem expreſſerit. S. Ambroſius in prælaudata ad Syagrium Epiſt. factum iſtud tali pacto deſcribit = hortabatur ad lætitiam ſenior, & frequentioribus provocabat poculis,

ut vino aboleret curarum oblivia, cum ſubito circumſiſtunt eos Gabaonitæ. &c. = Ambroſii deſcriptionem minime cum ſacro textu coæquamus, ſed nihilominus ex eadem conicere poſſe videmur id factum diverſis phraſibus enunciari poſſe: in verbis itaque hebraicis *ipſi bonum reddebant cor ſuum* id omne continetur implicite, quod Vulgatus noſter eaplicatius reddit.

In Verſiculis tandem 28. & 30. hujus Capitis nullum inter Vulgati lectionem & hebraicum teatum agnoſcimus eſſe diſcrimen, quidquid Sixtinus eapoſtulet.

§. XXIII.

LUxuriantem in verbis Vulgatum Interpretem ad ℣. 5. Cap. XX. Judicum Siatinus appellat quod pro hebraicis verbis *we-eth pilegheſchi binnu* ſcripſerit *& uxorem meam incredibili furore libidinis vexantes*; cum textus hebraicus tantummodo ſonet *& concubinam meam afflixere*.

Eadem in utroque teatu veritas contineri dignoſcitur; num tamen quod eamdem vividius, & eloquentius S. Hieronymus expreſſerit ſit culpandus alii judicent: in S. Doctoris lectione nedum vexatio mulieris, ſed etiam veaationis ſpecies deſignatur, quæ generice ſolummodo in hebraico textu proponitur. Væ S. Hieronymo a Cenſura Siatini ſi tantiſper hebraicam lectionem preſſiori ſtylo in latina locutione perſtrinxiſſet, ſi tam acerbe incuſatur, quod latina eloquentia paulo uberius quam hebraica phraſis præſefert, Levitis narrationem deſcribat.

Sub ℣. 9. uti Vulgatus legit *in commune faciamus*, legendum contendit Siatinus *per ſortem faciemus* quia vox hebraica [illegible] *ghoral*, *ſortem* ſignificare compertum eſt: unde ait nulla in hebræo *communitatis* eſſe mentionem vocem hebraicam *ghoral* ſortem ſignificare minime diffitemur, quamvis nullus pariter neſcire queat tres literas radicales formare poſſe voces *convenire congregare & ſimul cohabitare* ſignificantes. S. Hieronymi Codex ex quo verſionem ſuam adornavit, quis ſciat num *ghoral* adamuſſim habuerit, vel potius vocem quæ *congregationem vel communionem* ſignificaret? nec tamen a veritate hujuſcemodi lectionem poſſemus alienam exiſtimare, etſi cum hodiernis hebræorum codicibus comparetur; in ipſis quippe indigitatur electio eorum, qui ad cibaria militibus deferendæ, per ſortem deſtinati erant; in Vulgata autem, omnis populus Iſraelis contra Gabaonitas conveniſſe deſcribitur, & inſuper ab eodem ſtatutum fuiſſe, ut ad præliandum omnes in communi procederent, ideſt ex omnibus Tribubus unanimi conſenſu milites convenirent; atque ulterius eligerentur qui cibaria exercitui comportarent. Sors enim tantummodo pro iis inſtituta refertur in textu, qui militibus erant miniſtraturi, minime vero pro Iſraelitis præliaturis contra filios Benjamin; hunc eundem ſenſum præſefert fortaſſis LXX. Interpretum lectio ἀναβησόμεθα ἐπ' αὐτὴν κλήρῳ aſcendemus ſuper eam in ſorte, ideſt in communi abſque militum electione. Si cuipiam hæc eapoſitio minime lubeat, eligat quam meliorem eacogitat, dummodo intemeratum textum ſacrum relinquat.

Majori profecto eum impetu in Vulgatum invehitur Cenſor noſter ad Verſiculos 15. & 16. in quibus magni in numeris militum recenſendis lapſus eumdem incuſat, quod pro *viginti ſex millia virorum*, *viginti quinque millia virorum* expreſſerit. Secundo a Vulgato noſtro confundi adfirmat numerum Gibeitarum, cum numero eorum, qui ex universo exercitu XXVI. millium & ſeptingentorum dicuntur fuiſſe Scevæ; iſti tamen virorum numeri diſtincti fuiſſe dicuntur ab Amama. Tertio tandem male a Vulgato ſcriptum eſſe homines illos eatitiſſe *ita ſiniſtra ut dextra* præliantes.

Quantum ad primum reſpondemus probabilius depravatos eſſe numeros in hodiernis hebræorum codicibus quam in Vulgata ſub ℣. 15. quandoquidem iſta hebraica veritas ad ℣. 35. hujuſce Capitis cæſa refert 25. hominum millia, & centum ea Tribu Benjamin, quem locum ut concilient cum numero in ℣. 15. præſignato fingere compelluntur hebraizzantes hodierni mille Beniamitas in congreſſibus bellicis duorum dierum priorum enecatos fuiſſe, quod tamen nullibi ſacer teatus adfirmat. Quinimmo Vulgatæ numerum codices Baſileenſes LXX. Complutenſes, cæteræque Editiones tuentur; quis ergo diaerit magis intemeratos hodiernos Hebræorum codices, quam eaemplaria S. Hieronymi, aliorumque Interpretum? Vigintiquinque legebat S. Ambroſius in ſuo codice, ut patet ex ejus prælaudata ad Syagrium Epiſt. non ergo tam facile culpandus erroris S. Hieronymus. Ad ſecundum dicimus incertum omnino eſſe num ſeptingenti illi homines, qui Scevæ ab Amama creduntur, diſtincti fuerint ab habitatoribus Gabaa: intelligi quippe optime poteſt hebraica lectio quod Ambidextri illi homines iidem fuerint ac Gabaæ incolæ; poſtquam enim in hebraica recenſiti ſunt viginti ſex millia hominum, & ſeptingenti de Gabaa, ſubjungitur ſeptingentos ex ipſis omnibus fuiſſe manu dextera præcluſos, ut Amama interpretatur, & optimos fundibularios; eccur ergo non poterant iſti eſſe Gabaæ cives? Ad tertium jam ſatis reſponſum eſt ſuperius dum Sixtini cenſuram ad ℣. 15. Capitis 3. Judicum redarguimus.

Ad ℣. 21. generali quadam redargutione in Vulgati lectionem virus ſuum eructat Siatinus, contendens nimium ſibi S. Hieronymum indulſiſſe, cum exigua ipſi extiterit cura veſtigiis inſiſtendi hebraici conteatus, quippe qui non parum luxuriet, addat, demat, permutet. Si tamen uterque teatus latinus videlicet S. Hieronymi, & hebraicus comparetur ad invicem, diverſitatem quamdam in verborum ornatu, & elegantia reperiet, nullam tamen, quæ ſit eſſentialis in ſenſu & ſententiis, quod ſatis profecto eſſe debet, poſtquam S. Pater non literam, ſed ſenſum verborum ſe fuiſſe inſecutum profeſſus eſt, ut alibi præmonuimus.

℣. 41.

℣. 41. Sixtinus varietatem lectionis inter hebraicum Vulgatumque textum proponit, ut S. Hieronymum erroris convincat. Hebræum itaque hoc modo reddendum adfirmat = & vir Iſrael vertit ſe, & feſtinavit vir Benjamin, quia vidit quod attingeret ſuper ſe malum = & tamen Vulgata legit = qui prius ſimulaverant fugam, verſa facie fortius reſiſtebant; quod cum vidiſſent filii Beniamin in fugam verſi ſunt. =

Si textus Vulgatæ noſtræ inſpiciatur attentius idem ferme quod hebraicus ſonat quantum ad ſenſum. Hebraicus enim ait *Iſraelem ſe vertiſſe*. Clarius Vulgatus hoc in loco id revocat quod jam in ℣. 32. præſentis Capitis præinſerat ſcilicet Iſraelitas ſimulaſſe fugam; modo retro ſe convertiſſe pronunciat; qua de cauſa legimus in Hebræo Beniamin feſtinaſſe, quia vidit malum ſuper ſe contigiſſe, ad quid quæſo Beniamin feſtinavit? ad fugam profecto. Nonne ergo Vulgatus præclarius expreſſit hoc in loco, quo preſſius hebraica phraſis & obſcurius indicaverat? idem omnino LXX. Interpretes exhibuerunt.

Ad Caput Judicum ultimum pauca Sixtinus reprehendit: primum eſt ad ℣. 10. ubi ait male a Vulgato poſitum eſſe *decem millia viros*, habente hebraica veritate [illegible] *ſchenem baſar eleph iſ duodecim millia virorum*.

Plures ex Catholicis etiam Expoſitoribus mendum eſſe in latinis Codicibus circa numerum iſtum bellatorum ſuſpicantur, cum Chaldæus, Græcus, Hebræus conſtanter legat *duodecim millia*, quem ſiquidem numerum S. Ambroſius etiam in laudata ad Syagrium Epiſtola abſolute pronunciat. Quid ergo ſi amanuenſium incuria erratum iſtud irrepſiſſe dixerimus? quod utique, Eccleſiæ accedente corrigi poſſe minime ſuſpicantur. Incertum attamen eſt num legitima ſit potius lectio hebraica, & græca, quam latina; codex enim Hieronymianæ verſionis a Martianæo, & Vallarſio editus, variis illuſtratus adnotationibus, nulla ad hunc locum animadverſione ſignatur, quod profecto non leve argumentum eſt ſuſpicandi latinam verſionem nequaquam eſſe circa numerum iſtum mendis infectam.

Ad ℣. 11. ſuperflua eſſe hæc verba *virgines autem ſervate* Sixtinus adfirmat. Id jam & a Catholicis erat adnotatum, deeſſe ſcilicet verba iſta in hebraicis fontibus, quapropter & S. Hieronymus eadem in ſua verſione omiſit, ut Martianæus animadvertit; deſunt pariter in antiquioribus MSS. latinis, ut ipſemet adfirmat, quamvis in codicibus nonnullis reperiantur adjuncta ea verſione LXX. ut adnotat Vallarſius, dicemus ne propterea erratum eſſe in Vulgata noſtra? minime profecto, cum ſola ſit explicatiori modo veritas propoſita, quæ in hebraico textu continetur.

℣. 14. in Vulgatum excandeſcit Sixtinus quod hebraica verba [illegible] *velo matſen labem chen* tranſtulerit = Alias autem non reppererunt, quas ſimili modo traderent = tot enim, ait, ambagibus minime involvenda erat ſimplex ſententia, quam textus hebraicus exprimit *& non ſuffecerunt iis ſic*.

Cur quæſo in Interpretem, qui clariſſimo eloquio legitimum ſenſum nobis proponit tam acriter Sixtinus invehitur? nonne verbum hebraicum [illegible] *invenire* ſignificat? Vatablus ipſe inter hebraizzantes non ignobilis auctor ſententiam hanc hebraici textus convertit = neque invenerunt illis ſic = ideſt, ut ipſemet exponit, neque hoc modo, hacque a ſe excogitata ratione invenerunt tot uaores, quot illi erant, ſive ergo dicamus ſatis non fuere pro Beniamitis mulieres illæ; ſive dicamus non inventæ ſunt mulieres, quæ tradi poſſent filiis Beniamin ſicut illæ quadringentæ traditæ fuerunt; in idipſum prorſus videtur recidere.

Pauca contra Cenſoris accuſationem in Vulgatum Interpretem inſtitutam ad ℣ 22. hujus Cap. proferemus; redarguit itaque Vulgatum quod perſonas bis immutaverit primo ad vocem [illegible] *elenu* quam vertit *adverſum vos*, ſecundo ad vocem [illegible] *lakachnu* quam reddidit *rapuerunt* & tandem poſtrema hujus Cap. verba Beniamitis a Vulgato tribuuntur, quæ tamen de ſemetipſis Iſraelitæ pronunciarunt; non itaque, ait Sixtinus, *adverſum vos*, ſed *ante nos*; neque *rapuerunt*, ſed *non accepimus*; neque tandem *miſeremini eorum*, ſed potius *miſeremini noſtri* ſive *gratificamini nobis illos* legendum eſt.

Ut hebraicæ lectionis ſuam Sixtinus interpretationem ſuſtineat compellitur in primis enallagem generis admittere [illegible] *otham* enim *illos* non *illas* ſignificet; quapropter merito [illegible] *channunu otham*, non *gratificamini illas nobis*, ſeu *miſeremini noſtri*, ſed potius *miſeremini eorum* ideſt Beniamitarum interpretantur, quæ ſiquidem literalis eſt lectio; Græci etiam vertunt [illegible] miſeremini eorum ut apud Druſium videri poteſt. Si autem Judices Iſraelis miſericordiam non pro ſe, qui rei non erant apud Iſraelitas, ſed pro Beniamitis, qui mulieres rapturi erant, promittunt mediationem interponere, jam non ſibi mulierum raptum, ſed Beniamitis imputare debebant in quos accuſationem fore inſtituendam ſupponebant, unde melius in Vulgata exprimitur hiſtoria per hæc verba, *non enim rapuerunt eas jure belli*; quam ſi dicatur *non accepimus cuique uxorem in bello*. Scimus equidem blanda eſſe, & ad demulcendos animos idonea ea verba tali modo prolata; *miſeremini Beniamitarum ſi filias veſtras ſibi in uxores quodammodo rapuere, non enim pro ſingulis viris tot accepimus, hoc eſt adinvenimus in Civitate Jabes mulieres, quas jure belli captas Beniamitis ſuperſtitibus in uxores tradi poſſent; compulſi propterea ſunt filias veſtras ſibi deſponſare, etiam renuentibus vobis, qui propterea violati juris jurandi rei non eſtis, quia ſponte Beniamitis filias veſtras non conceſſiſtis*. Hæc, inquam verba exprimunt quidem ſenſum hebraicæ lectionis, quodammodo, verumtamen ſi enntextum, & rei circumſtantiam attendamus, Vulgati lectionem cum facto, & contextu congruentiorem profecto reperiemus. Id tandem eſt

cer-

certum quod ſeniores promiſerunt Beniamitis interceſſionem interponere apud Iſraelitas, ob virgines violenter deſponſatas, ſive id una intetim, ſive altera verborum formula adimplere parati forent.

§. XXIV.

NOnnulla in Sacro Ruthæ Libro redarguenda Sixtinus adinvenit, qui tam vehementer in Vulgatum noſtrum qualiber poſthabita æquitate, atque humanitate irarum fluctibus agitabatur; voculas hinc, ſillabaſque requirit ubi ſententiæ identitatem invenit. Hac de cauſa ad ℣. 1. Capitis 1. redundare in Vulgata noſtra contendit hæc verba *unius Judicis*, cum hebraica ſolummodo legat *fuitque in diebus judicaturæ Judicum*. Quis non irrideat potius quam refuter hujuſcemodi cenſuram? nonne exprimit Vulgata idipſum quod hebraica nulla prorſus habita revelatæ veritatis profanatione? Cur ergo nigrum in albo requiritur? Itala antiqua profecto ut noſtra Vulgata legebat fatente Druſio, quamvis ab hebraica tantillum in verbis diverreret.

Ad ℣. 6. hujus Capitis deeſſe in Vulgata poſt verbum *audiverat* haſce voces *in agro Moab* Sixtinus exclamat. Nemo tamen, ut opinamur, legere poterit Vulgatæ textum, quin ſtatim percipere compellatur in agro, ſeu in regione Moab Noemi audiviſſe, quod Dominus reſpexiſſet populum ſuum; textus enim Vulgatæ eſt = & ſurrexit (Noemi) ut in Patriam pergeret... de Regione Moabitidæ: audierat enim &c. = Antequam mulier iſta e Regione Moab diſceſſerit, audivit: ubi ergo audivit niſi in ea Regione, quam per decem annos incoluit; ad quid verborum ergo replicationes inutiles in latino idiomate?

Ejuſdem ferme indolis facimus Amamæ cenſuram ad ℣. 2. Capitis 2. in qua Vulgatum Interpretem a ſemita veritatis hebraicæ ſine ulla neceſſitate deviaſſe conqueritur, dum ex Hebræo reddidit = Si jubes, vadam in agrum, & colligam ſpicas, quæ fugerint manus metentium, ubicumque clementis in me Patrisfamilias reperero gratiam = cum tamen ſolummodo foret, *ibo nunc in agrum, & colligam ſpicas poſt eum in cujus oculis invenero gratiam*. Verbum *jubeo* hoc in loco S. Hieronymus pro *permittere*, *optare*, vel *deliberare* probabiliter uſurpavit, ſicut alii latinæ linguæ magiſtri pluries uſurpaviſſe comperti ſunt. Hæc autem Ruthæ allocutio quamdam videtur deprecationis ſocrui exhibitæ ſpeciem præferre in particula hebraica נא *na* contentam, quæ ſiquidem particula nedum *tempus præſens*, nunc videlicet ſignificat, ſed etiam *obſecrationem*, vel *deprecationem*; hinc Vatablus reddit *vadam quæſo*, ideſt *liceat mihi per te ire*. Ubi autem hebraica inconfuſo, & implicite legit *colligam ſpicas poſt, in cujus oculis invenero gratiam* explicatius reddit Vulgatus noſter = colligam ſpicas... ubicumque clementis in me patrisfamilias reperero gratiam = Nonne eſt idem ſenſus, eademque in utraque lectione ſententia, quamvis modo magis explicito facti hiſtoria in Vulgata noſtra exhibeatur?

℣. 7. ejuſdem Capitis reprehenditur hæc Vulgati lectio = & ne ad momentum quidem domum reverſa eſt = cum diverſimode prorſus lectio hebraica ſententiam iſtam proponat, nimirum *hoc ſedem ejus domi paululum*, vel ut alii hebraizzantes volunt *nunc domi ſedet paululum*.

Supponunt tali pacto Sacrum textum legentes inventam fuiſſe mulierem iſtam a Booz ſimul cum meſſoribus ſuis tantillum in tugurio requieſcentem ad umbram, ac propterea meſſorum Præfectum reſpondiſſe quod a mane uſque tunc ſpicas collegerit, ſed modo ingraveſcente ſolis calore, paululum refrigerii domi ſibi procuraſſe. Alii tamen hebraicum textum hunc ſenſum præſeferre opinantur, quod mulier illa Moabitis labori quammaxime eſſet intenta, pauco autem domi ſuæ tempore ob hanc cauſam requieſceret.

Clariſſimus Druſius ad hunc locum confitetur diu, & acriter ſe tortum a loco iſto divinæ Scripturæ, nec adhuc ſe poſſe intelligere confitetur utrum hoc ſignificet *modo ſedet domi paululum?* an hoc *ideo ſedet domi paululum?* ob hanc cauſam tam parum domi manet; aut ſenſus eſt: *Hic manſio ipſius; domi parum*; ut ſubintelligatur *eſt*, vel *ſedet*. Hæc Druſii Interpretatio parum, aut nihil a Vulgati lectione in ſenſu diſcriminatur; ſi enim mulier manſionem in agro faciebat a mane uſque ad horam illam, jam ſequitur domum ſuam non fuiſſe reverſam vel ad breve tempus, ut Vulgatus Interpres explicatius exponit; hebraicus tamen textus omnino reduci ad Vulgatæ lectionem videtur non poſſe ſaltem quoad verba.

℣. 9. hujuſce Capitis, qua de cauſa Vulgati lectionem Amama reprehenderit dignoſci vix poreſt; fatemur hebraica hæc verba עיניך בשדה אשר יקצרון והלכת אחריהן *beaaich baſſadheb aſcher-iktſorun, vehalachth bacharehen* juxta literam ſignificare *oculi tui in agrum, in quo meſſuerint, & perges poſt eas*. Sixtinus ipſe fatetur poſt verba illa *oculi tui in agrum* ſubintelligendum eſſe *intenti erunt*. Quid autem ſibi volunt in ea lectione hebraica verba, niſi quod ſumma cum brevitate clariſſime S. Hieronymus ſcripſit latine = (jungere puellis meis) & ubi meſſuerint ſequere, ſequi debebat puellas ubi metebant, oculos ergo ſuos Ruth ad agrum, in quo metebant, debebat intendere. Nec ultra hoc in loco moramur.

Sixtinus ad ℣. 13. Vulgatum objurgat, quod vocem hebraicam שפחתיך *ſchiſchothecа* verterit *puellarum tuarum*, cum transferenda eſſet *ancillarum tuarum*, *puella* enim hebraice נער *naar*, non שפחה *ſchiſchah* dicitur.

Compertum apud Latinos non ſolum magiſtros, ſed etiam apud Scriptores Sacros eſt vocabula *puer*, & *puella* non ſolum *adoleſcentem*, ſed etiam *famulam*, & *famulam* ſignificare; neque hujus ſignificationis exempla proponemus, cum ſatis manifeſta per ſe ſint: quare ergo S. Hieronymus ſcribere *puellarum* non potuit, ſi idem cum voce *ancillarum* ſignificare poteſt? quinimo in hoc eodem capite puellæ, ipſæmet ancillæ quæ in agro Booz metebant, appellatæ videntur; ad

ver-

verſiculum quippe 9. hujus capitis dixerat Booz Ruthæ *jungere puellis meis*, & *ubi meſſuerint &c.* in textu hebraico fœminæ metentes ſcribuntur ad verſiculum 9. prædictum נערות *naharoth*, quæ profecto ancillæ ſaltem conductitiæ eſſe debuerant, & tamen puellæ appellantur.

Ad ℣. 15. etiam, nullius momenti ferme diſcrimen eſt inter hebraicam Vulgatamque lectionem; Booz enim conceſſit Ruthæ licentiam ſpicas colligendi pro libito ubicumque voluiſſet, ſive eas metendo cum puellis ſuis, ſive inter manipulos colligendo. Senſus itaque ſententiæ in utraque lectione eſt, quod Ruth ſpicas pro ſua voluntate congereret.

Verum naturaliorem, veritative congruentiorem eſſe lectionem Vulgati minime ambigimus quid enim opinabimur ſignificari per hanc ſententiolam *etiamſi inter manipulos colligat?* fortaſſis quod ſpicas ex colligatis manipulis a meſſoribus ſibi Ruth uſurparet? id eſt incredibile. Quod ex meſſorum manibus illas arriperet? Nequaquam igitur Booz eidem fecit poteſtatem ſpicas colligendi non ſolum quæ metentium manus fugiebant, ſed quod inſuper eas in campo cum meſſoribus ſibi meteret ſi vellet; hic ſenſus naturalis & obvius hujus divini textus videtur, quem S. Hieronymus nobis latine reddidit, omiſſo prorſus hebraicæ literæ rigore.

In ℣. 16. ſuperfluum eſſe contendit Sixtinus illud *abſque rubore* & in ℣. 17. adjunctum eſſe gloſſema, *ideſt tres modios*, quod ex margine in textum translatum fuit. Nullius eſſe momenti hæc Sixtini accuſatio videtur; cum nullum in Vulgatæ textu errorem inveniri convincat; quid ſibi volunt hæc verba ut *abſque rubore colligat*, *niſi ut libere, & abſque ulla prohibitione* congreget ſpicas? pudefacere enim apud Hebræos idem ac prohibere ſignificat, ut Vatablus teſtatur ad hunc locum, particulæ autem illæ *ideſt tres modios* quid aliud ſunt quam eadem menſura clarius expreſſa?

Sub ℣. 20. deeſſe in Vulgata noſtra hæc verba *ex vindicibus noſtris ipſe eſt* Cenſor noſter exclamat. Si tamen doctiores conſulantur Hebræi per vocem illam *propinquus* ſatis exponitur quidquid hebraica litera præfefert, quandoquidem vox hebraica גאל *goel* propinquum ſignificat, cui redimendi poſſeſſiones, ſuſcitandi ſemen defuncti, & mortem vindicandi competebat, ſi alter propinquus fuiſſet occiſus; in voce ergo *propinquus* a Vulgato propoſita hæc omnia continentur jura, unde ſatis reddidit ſacrum textum, nec abſolute mutilum dereliquit; & ſane Pagninus qui hebraicæ literæ in ſua verſione inſiſtebat quam valde textum hunc interpretatur = propinquus nobis eſt vir ille, de propinquis noſtris ipſe eſt = hac retenta interpretatione, unuſquiſque dignoſcit ſatis haberi in Vulgati lectione, quamvis non replicentur illa verba *ex propinquis noſtris ipſe eſt*.

Ad verſiculos 22. & 23. non apte a Vulgato vocem *metendi* eſſe uſurpatam contendit Sixtinus, cum hebraica vox לקט *likket*, *colligere* profecto ſignificat, quæ quidem actio colligendi magis conveniens erat Ruthæ, aliiſque Boozi puellis, quam actio metendi, quæ hominum potius quam fœminarum propria videtur.

Ex hujus Capitis contextu non obſcure deducitur nedum viros, ſed & puellas ſive ancillas Boozi ad metendum fuiſſe deſtinatas, ut patet præſertim ex ℣. 9. Verum id unum advertere ſatis erit, apud Latinos indiſcriminatim quandoque *metere* pro *colligere*, & viciſſim *colligere* pro *metere* uſurpari, aut ſaltem in actione colligendi, etiam actionem *metendi* ſeu *ſecandi* contineri, hinc Virgilius ſcripſit *collige virgo roſas*; colligi pariter flores dicuntur, qui ſiquidem ſecandi prius ſunt: de uvis pariter Virgilius in 3. Georgic. dixit *metere uvas*, pro *colligere uvas*; quid ergo mirum ſi verbo *meto* S. Hieronymus aliquando pro verbo *colligo* uſus eſt? Nunquid ne dici Ruth non poterat optimam feciſſe meſſem, dum frumenti copiam collegit? ſive ergo *ad metendum* dicamus, ſive *ad colligendum*; ex contextu idem ſenſus deduci videtur.

Duo ſub Cap. 3. redarguenda in Vulgati lectione adinvenit Sixtinus: alterum ad ℣. 7. in quo legit hebræa בקצה הערמה *biktſe haharemah*, quæ vertenda contendit *in extremitate acervi* non *juxta acervum manipulorum* ut legit Vulgatus: alterum vero ad ℣. 9. in quo male a Vulgato translatam eſſe affirmat vocem hebraicam כנפך *chenapheca*, pallium tuum, cum legendum ſit *oram veſtimenti tui*, ſive *alam veſtimenti tui*, aut proprie magis *alam tuam*.

Quantum ad primum; unus idemque ſenſus in Vulgata, & hebraica, niſi decipiamur, adinvenitur; nonne de aliquo dici poteſt quod ad Eccleſiæ extremitatem, ſive in Eccleſiæ extremitate dormiat; ſi extra Eccleſiam quidem, ſed prope ipſam dormitet? ita in acervi extremitate jacuiſſe Booz optime refertur, quamvis ſuper paleas juxta acervum ipſum jacuerit: quemadmodum quiſque a ſemetipſo hæc omnia percipit. Quod vero ad ſecundum attinet: ſenſus verborum illorum, ſive legamus *expande ſuper famulam tuam pallium tuum*, ſive *oram veſtimenti tui*, ſive alam tuam hic eſt *accipere digneris me in uxorem*; vel ut alii interpretantur ſed minus ad rem *habeas de me patrocinium. me protegas ſub alis tuis* ſicut gallina protegit pullos ſuos. Uterque ſenſus in Vulgati lectione non minus quam in hebraica continetur; hoc evidenter Vatablus intellexit dum ſcripſit ad hunc locum = expande oram &c.; id eſt expande veſtem tuam more eorum qui deſpondebant uxorem. =. Druſius pariter ita interpretatur, *Alam tuam*: Alam vocat oram pallii vel ipſum pallium: in quo ergo peccavit S. Hieronymus?

Varia ſunt in Capite 4. Ruth a Cenſore noſtro notata in Vulgati lectione; quorum primum ad ℣. 1. reperitur; hebraica enim hæc verba שבה פה פלוני אלמוני *Scheba poh peloni almoni*, nequaquam ſonare poſſunt *ſede hic vocans eum nomine ſuo*, ut Vulgatus inter-

terpretatus eſt, inquit Sixtinus: ſed potius legendum eſt *ſede hic talis, & talis*; duæ quippe illæ voces adhibentur apud Hebræos cum certum aliquem ſignificare volunt, nec tamen ejus nomen exprimere.

Mirum profecto eſt quod in Vulgati lectionem tanto cum ſtrepitu oggruuniant Heterodoxi. Quid ergo eſt in hebraica lectione niſi quod Booz vocavit propinquum ſuum nomine prorſus nobis occulto? Credibile ne eſt quod Booz propinquum ſuum alloquens his uſus ſit vocibus *talis ſede hic?* nomine profecto ſuo eum advocaſſe credendus eſt, quod attamen nomen a ſacro textu reticetur, ſive in occulto relinquitur. Hoc nomen forſitan expreſſit in ſua interpretatione S. Hieronymus? minime certe; cum ſolum ſcripſerit propinquum Boozi ſuo nomine fuiſſe appellatum, qualecumque interim nomen illud extiterit.

Ad ℣. 6. hujuſce Capitis conqueritur iterum Cenſor noſter quod S. Hieronymus non reddiderit hebraicum textum de verbo ad verbum ſicut LXX. Interpretes illum reddidere; hebraica quippe ſonant = non potero redimere mihi ne forte corrumpam hæreditatem meam; redime tu tibi redempturam meam, (*ſcilicet id cujus redimendi jus habeo*) quia non potero redimere = Vulgatus autem reddidit = cedo juri propinquitatis: neque enim poſteritatem familiæ meæ delere debeo. Tu meo utere privilegio, quo me libenter carere profiteor =

Senſus utriuſque textus, niſi cæcutiamus idem eſt. Hoc enim in utraque lectione perlegitur; ſcilicet ceſſiſſe propinquum illum juri ſuæ redemptionis, ne incommodum ſuæ familiæ inde afferretur; iſte autem ſenſus ſive uno, ſive altero ſignificetur verbo, dummodo obvius legenti remaneat, nulla poteſt Interpreti culpa imputari.

℣. 8. in Vulgatum Sixtinus invehitur quod vocem hebraicam קנה־לך *kene-lach* verterit *tolle tibi*, cum proprie ſignificet *ſume*, vel *acquire tibi*. Fatemur ad hunc verſiculum variantem eſſe lectionem Vulgatæ verſionis, & hebraicæ; in noſtra quippe Booz refertur ad propinquum dixiſſe *tolle calceamentum tuum*; cum tamen in hodiernis hebræorum Bibliis propinquus potius narratur dixiſſe Boozo *accipe* ſeu *acquire tibi*, eodem cum hebraicis codicibus pacto legunt Arabica, Siryaca & Græca Exemplaria, nec non Chaldaicus Paraphraſtes. Si tamen in hoc capite ſeries orationis, & ordo inſpiciantur, naturalius eſt quod Booz dixerit propinquo *tolle calceamentum tuum*, cum Booz coram judicibus in porta Civitatis illum convenerit, atque proinde ceſſionem juris propinquitatis ab illo promiſſam in tuto haberi deſideraverit: in hebraica tamen lectione hodierna legitimum ſenſum haberi non ambigimus, dummodo ſupponamus Boozi propinquum ſponte ſua, nulloque expoſcente, ad roborandam hæreditatis abdicationem, quam promittebat, ſolviſſe calceamentum ſuum, illudque Boozo tradidiſſe. Quidquid ſit tamen; hiſtoriæ vera narratio in Vulgata noſtra continetur, quamvis unica, & quidem levis circumſtantia diverſimode recenſeatur.

Plurima Sixtinus congerit ad verſum 15. ut oſtendat hebraica verba [illegible] *haſek chail beephrata*, non eſſe intelligenda, ſicut Vulgatus proponit, de virtutibus moralibus; adeout Ruth eſſe deberet veluti exemplar Sanctitatis; ſed pro fortitudine, opibus, & robore vox *chail* uſurpanda eſt ut Cenſor noſter contendit.

Non deſunt in primis qui opinentur hebraica illa verba ad Booz non ad Ruth eſſe referenda ſi textum hebraicum attendamus; in quo ſiquidem ſenſu vocem *chail divitias, robur* & fortitudinem ſignificare nequaquam ambigimus. Si tamen ea ad Rutham dicta ſupponantur, ut Vulgatus revera ſupponit; vel uberem ventris fructum, vel invictam animi fortitudinem eidem fuiſſe deprecati Iſraelitæ credendi ſunt, adeout Moabitidem illam in domo Boozi heroinam exoptaverint futuram; & in hoc ſenſu veriſſima, atque eptiſſima eſt S. Hieronymi interpretatio, virtus enim latine nedum pro animi probitate morali uſurpatur, ſed etiam pro conſtante animi facultate, qua laudabiles fiunt, in quibus reperitur; eſſe igitur poteras in Ephrata Ruth exemplum ſanctitatis, prudentiæ, mulierum denique bonarum in quolibet bonitatis genere norma, & exemplar, de qua profecto in tali caſu fauſtum adimplebatur vaticinium, *ut ſis exemplum virtutis in Ephrata.*

Ad ℣. denique hujuſce Capitis 16. Vulgati interpretationem Sixtinus objurgat quod textum hebraicum [illegible] *vattehi lo leomeneth* in ea reddatur *nutricis*, ac *gerulæ fungebatur officio*, cum potius reddendus foret, *fuitque ei in nutricem* ideſt *loco nutricis*; notum quippe eſſe ait cenſor hebraicam ל perinde ac literam כ aliquando *rei veritatem*, aliquando ſimilitudinem duntaxat ſignificare.

Hanc Cenſoris incuſationem facillime eliminabit, quicumque ad latinam expreſſionem, & phraſim verterit animum, quis enim ignoret quod ſi aliquis in miniſterium alterius ſuffi[illegible]atur etiam ad breve tempus illius munere fungi pro tunc optime dici? Ita qui pro Magiſtro docet in ſcholis, magiſtri munere fungens appellatur: Noemi ergo *gerulæ; & nutricis officio functa* peroptime dicitur a Sancto Hieronymo, quamvis in ſibi l tu[illegible]nem nutricis ſolummodo facta eſſet. Verum ſtricto modo nutricis munere functam dicere poſſumus Noemi, quamvis rigori inſiſtamus hebraicæ literæ; quid enim ſibi volunt hæc verba *fuitque ei in Nutricem*, in quæ reddidit Sixtinus hebraicum textum? Nil aliud profecto niſi quod Noemi fuit vera infantuli nutrix, ſicut hæc altera hebraica verba verſiculi 13. [illegible] *vattehi lo leiſchſchah, & fuit ei in uxorem*, ſignificant veram uxorem fuiſſe Ruth conjugis ſui Booz; & revera in hunc ſenſum intellexere verba verſiculi 16. Druſius, & Varablus hebraicarum phraſium callentiſſimi. Nutricis autem nomine non ſemper fœmina lac præbens, ſed etiam educatrix ſignificatur; hinc S. Hieronymus

in

in Epiſt. ad Lætam de filiola ejus Paula, quæ neptis erat S. Paulæ ita ſcribit = Ipſe, ſi Paulam miſeris, & magiſtrum, & nutritium ſpondeo; geſtabo humeris, balbutientia ſenex verba formabo = Satis ex hiſce in tuto poſita videtur S. Hieronymi ad hunc locum interpretatio; utinam ergo quod tandem Vulgatam noſtram averſantes ſpiritu veritatis illuſtrati, non verborum hebraicorum affectantes rigorem, ſed legitimum ſacrorum eloquiorum ſenſum auſpicantes, in ſinum S. Matris Eccleſiæ confugiant, extra quem ſalus eſſe non poteſt, ibidemque nobiſcum vinculo pacis, & charitatis conſociati, ſimul omnes in beatam perducamur æternitatem, quod faxit Deus.

LIBER TERTIUS
APOLOGETICI
PRO
VULGATI INTERPRETATIONE BIBLIORUM.

Minutiora etiam, nulliuſve conſiderationis digna in Vulgata ſacrarum Scripturarum interpretatione oculis nimium ſeveris, atque [illegible] inſtructis perveſtigare nituntur Eccleſiæ Catholico-Romanæ inimici, ut in eadem depravatum haberi verbum Dei revelatum demonſtretur, ſi poſſit; in vanum tamen Inferorum portæ contra columnam, & firmamentum veritatis arietant, cum adverſus eam ut prævaleant nunquam futurum ſit. Quid ad Catholicos latina utentes lingua de Hebræorum aſpirationibus, in deſcribendis vocibus ex hebraico translatis idiomate? Suam iſti ſcribendi conſuetudinem cuſtodiunt legitimis expreſſionibus contenti: *Anna* itaque & *Ophni* ſcribunt, quamvis juxta hebraicum pronunciandi, ſcribendive morem *Channa*, & *Chophni* exaranda eſſent hæc nomina; inutilem propterea in Romanos Correctores Sixtini invectivam ducimus, cum ad Caput I. Libri primi Samuelis, de eiſdem conqueritur quod a literula *H* vocibus illis addenda abſtinuerint. At alia proinde tranſeamus.

In Vulgatum itaque noſtrum Sixtinus ad ℣. 5. Capitis I. Libri primi Samuelis, vel Regum declamat quod vocem hebraicam [illegible] triſtis converterit; quandoquidem ait, quomodocumque locum iſtum ſubdifficilem Interpretum diverſitas reddiderit, nullum tamen præſidium pro Vulgato ſupereſſe videtur; hinc potius reddenda ſibi videtur, juxta opiniones doctorum magis probabiles, ut arbitratur, *& Annæ dedit partem unam electam vel honoratam, vel duplicem, vel partem duarum facierum* in quarum una fuiſſet carnis pinguedo, in altera non item, ut eam eligeret quam magis deſideraret ad comedendum.

Rabbinorum hæc omnia ſunt interpretamenta, quamvis ex illis non deſint, qui exponant *dedit partem unam iratus*, cum hebraicæ voces [illegible] *iſch appaim vir irarum*, ideſt *vir iratus* ſignificent, ut ipſemet fatetur Sixtinus. Plurima ad hunc locum Catholici etiam Commentatores tradiderunt, variaſque Interpretum opiniones recenſent. Vatablus quamvis *partem honorabilem* legat, minime eorum opinionem traducit, vel refellit, qui habent *partem irarum*, ideſt, explicat ipſe, quam cum triſtitia dabat, & moeſtus. Cum triſtitia, quia nimirum, cum Annam diligeret, dolebat ex ea non ſuſcepiſſe filios, quibus ſicut Phenennæ filiis carnis portionem impertire poſſet. Vox hebraica *oppaim* nedum *faciem*, ſed etiam generaliter eos animi affectus, qui præſertim in facie palam fiunt, ſignificare poteſt, ira autem non magis quam triſtitia per vultum exprimitur, iratus inſuper triſtitiam ſemper comitem, ficus triſtis iracundiam habet. Ad ℣. 18. hujus Capitis ubi legit hebræus ad verbum *& vultus ejus non fuerunt ultra ei* interpretari poſſumus fatente Varablo, *& triſtitia ejus non fuit ultra ei*, quod & Rabbinorum nonnulli admittunt. Satis, ni decipimur aliquod præſidium pro Vulgati interpretatione ad hunc locum, ſupereſſe demonſtravimus. Alia nonnulla ad Caput iſtud ſuo cenſorio ſtigmate inurit Sixtinus, in quibus tamen immorandum non opinor. Quid etenim ad rei veritatem facere poteſt, ſi legamus ad ℣. 9. = *Surrexitque* Anna poſt comedere eum, & bibere = ut Cenſor expoſtulat; ſive legamus cum S. Hieronymo = Surrexit Anna poſtquam comederat, & biberat =? Scio a Cenſore dubitatum num aliquid ex Menſa manducaverit Anna. Clariſſimus Druſius tamen in hunc locum ita ſcribit = alii putant *He.* additum eſſe, *poſtquam*
„ *comediſſent*; ac ſi diceret *poſt ſumptum ci-*
„ *bum. Fortaſſe*, inquit R. D. *ipſa etiam*
„ *comederat poſtquam vir eam invitaſſet ad*
„ *hoc*. Nicolaus *comederat aliquid licet mo-*
„ *dicum*. Quod autem ait *non comedebat*,
„ ideſt parum comedebat, quia modicum
„ *quaſi nihil reputatur*. Et ſane nihil prorſus

„ ſus eam manducaſſe non conſtat ex textu.

Quid pariter ad hiſtoriæ veritatem ſive legamus cum Vulgato ad ℣. 14. *uſquequo ebria eris*: ſive cum Sixtino *uſquequo ebriam ages*. Nonne conjugatio Hithpael duplicem ſignificationem præſefert, quarum una actionem reciprocam denotat; ut ſi dixerimus v. g. [illegible] *bithkaddeſch, ſanctificavit ſeipſum?* altera vero ſignificatio denotat oſtentationem, ſeu jactantiam alicujus rei, quam non habemus: ut dum quiſpiam ſe divitem eſſe fingit ſeu jactat, cum ſit pauper. In caſu autem noſtro minime opinabatur Heli Sacerdos quod Anna ebrietatem jactaret; unde eam reprehendit quod ebriam revera exiſtimabat, dixitque ei propterea *uſquequo te inebriabis*, & en ſignificatio verbi conjugationis Hithpael, quæ in latinum optime convertitur *uſquequo ebria eris*, ſeu *ebrioſa eris?*

Ad ℣. denique 24. ſive dixerit Hieronymus *tres modios*, ſive *ſata tria*, ſive *unum epha* eadem habetur menſura, dummodo modium majorem, & minorem admittamus; quorum primus tres modios minores continebat, & æqualis menſuræ erat cum epha, ut tradunt Expoſitores.

Plura in Capite 2. Libri 1. Samuelis lividis oculis oſtendit redarguenda, & quidem merito, ut ipſe opinatur Sixtinus. Ad ℣. quippe 12. perperam a S. Hieronymo conjunctum eſſe finem verſiculi 12. cum initio verſiculi 13. Cenſor exiſtimat, cum non legendum velit juxta Vulgatum *neſcientes Dominum; neque officium Sacerdotum ad populum*: ſed potius dividendam eſſe hujuſcemodi ſententiam contendit, hoc pacto 12. *& non noverunt Dominum* 13. *& judicium*, ſeu *conſuetudo Sacerdotum cum populo*, ſubintellige *hæc erat*. Non enim ſibi perſuadere poteſt Sixtinus eos quid officii ſui eſſet ignoraſſe; cum potius ex deſtinata malitia peccaverint.

Utriuſque lectionis hebraicæ videlicet, & Vulgatæ eundem ſenſum eſſe quiſque præiudiciis, praviſque expeditus affectibus, nullo negotio deprehendet. S. Hieronymus itaque filios Heli neſcientes Dominum, & neſcientes legem quæ portionem Sacrificiorum Sacerdotibus cedentem deſcribebat, appellat; quia factis, non intellectu & Dominum & ejus legem ignorabant, cum carnem ſibi non debitam uſurparent. Hebraica vero hodierna exemplaria quamdam deſcribunt conſuetudinem a filiis Heli invectam, & quidem contra legis divinæ præſcriptum ut de carnibus ſibi non debitis ſurriperent. Quis modo magis idoneam literalem lectionem in Hebraica potius quam in Vulgata dijudicet? Senſus utriuſque in idem recidit.

Tandem aliquando Vulgatum noſtrum in errore deprehenſum a Sixtino fateamur oportet, cum id negare nequaquam ſit auſus Joannes Baptiſta Bandinus Vaticanæ Typographiæ Præfectus, qui Cardinalis Bellarmini juſſu ſic ad Muretum, ut Sixtinus ſcribit (alii Morellum) = Fateor in Bibliis multa adhuc ſu-
„ pereſſe, quæ in melius mutari poſſent; quæ-
„ dam etiam neſcio quo pacto impreſſa re-
„ periuntur, ut e. g. in 1. Regum 2. 17.
„ *retrahebant homines a ſacrificio*, cum libri
„ omnes & impreſſi & MSS. habeant *& de-*
„ *trahebant homines Sacrificio Domini* = Oh monſtrum erroris! oh portentum!

In Hebræa legimus vocem [illegible] *niatſa*, quæ ſignificat *abiiciebant*, *ſpernebant*, *flocci faciebant*, *execrabantur*, *reprobabant*, *detrahebant*. Hæc in Domini ſacrificium ab Iſraelitis committebantur ob filiorum Heli irreligioſitatem, & impietatem. Dum autem homines ad aliquod objectum contemnendum, abiiciendum, execrandum, flocci faciendum inducimus, nonne merito dicimur homines illos a tali objecto retrahere? hac fortaſſis de cauſa locum hunc in Vulgata reliquere, qui poterant eumdem caſtigare ex Romani Pontificis commiſſione. *Detrahebant ſacrificia* plures latini codices habent, ut Lucas Brugenſis adfirmat; eodemque modo legit profecto codex Hieronymianæ verſionis a Vallarſio editus, & illuſtratus; nullum tamen eſſentiale diſcrimen inter utramque lectionem advenimus. Modo lubet hebraicam hodiernam lectionem, quam tanti faciunt Hetherodoxi, cum Vulgata noſtra conferre ad hunc locum [illegible] *chi niatſu haanaſchim & minchath jehovah*, habet hebræa; cum verti hic textus non poterit, *quia abiiciebant homines illos* (qui ſcilicet ſacrificia offerebant) a *Sacrificio Domini*. Scimus quidem particulam [illegible] cum accentu Macchaph indicare caſum accuſandi; ſine ipſo tamen etiam pro præpoſitionibus *ab*, & *ex* accipitur, ut in ſuo Theſauro Pagninus teſtatur. In hebraicis, quos adhibemus, codicibus Bibliorum, abſque accentu *Macchaph* illa particula adinvenitur.

Ad ℣. 22. de Vulgato Sixtinus conqueritur, quod tranſtulerit *cum mulieribus, quæ obſervabant ad oſtium tabernaculi*, cum legendum potius ſit *quæ gregatim veniebant ad oſtium* participium quippe [illegible] *tſoveoth* ſignificat *turmatim venientes*. De hac voce ſatis a nobis dictum eſt in reſponſione ad Cenſorem noſtrum ſub ℣. 8. Capitis 38. Exodi tom. 1. Diſquiſit. pag. 254. colum. 1.

Magnopere ad ℣. 25. hujus Capitis in Vulgati lectionem debacchatur Sixtinus, quod in eadem ſenſus ab hebraica veritate longe diverſus contineatur. Hebraicus profecto textus hic eſt [illegible] *im iechet a iſch leiſch apilelo elohim veim lajehovah jechet a iſch mi itppallel-lo*, quæ verba ſonant = Si peccaverit vir in virum arbitri erunt judices, ſeu judices judicabunt; ſi vero in Dominum peccet vir, quis ejus arbiter erit? = hoc pacto reddunt Benedictus, Cajetanus, aliique permulti, qui optime noverunt verbum [illegible] ſignificationem habere iudicii, & eſſe in conjugationibus *Piel*, & *Hithphael*.

Textum hunc hebraicum ſenſum illum nequaquam ambigimus continere, quem ei S. Hieronymus in ſue ex hebraico latina verſione deſignavit. Elias in primis, ut notat Druſius, in verbo [illegible], quod ſignificat *auferre*, *exterminare*, *extirpare*, exponit *auferet delictum quod inter eos eſt*; quid eſt autem *auferre delictum*, *extirpare*, *delere delictum*, niſi illud remittere, niſi ſuper illo placari? Nonne ex hoc jam ſatis elucet Vulgati ſen-

ſus

ſus in primo hemiſtichio hujuſce textus? Quod autem verbum פלל in conjugatione *Hithphael orare*, & *precari* ſignificat, Pagninus in ſuo Theſauro, aliique lexicorum Scriptores teſtimonium reddunt palam. In verbo inſuper פלל non ſolum *judicandi* ſed etiam deprecandi ſignificationem agnoviſſe antiquiores S. Hieronymo Interpretes ex codicibus Græcis compertum eſt, in iis quippe legimus [illegible] ideſt = ſi peccaverit vir adverſus virum; orabunt pro eo ad Dominum; ſi autem in Dominum peccaverit, quis orabit pro eo? = hujuſcemodi lectio, quæ ex Græcorum codicibus in antiquam verſionem Italam tranſlata fuit, retenta eſt a S. Cypriano Lib. 3. Teſtim. ab auctore lib. de Aleator. apud S. Cyprianum a S. Ambroſio Lib. 1. de Pœnitent. Victor Uticenſis Lib. 3. de perſ. Afr. & S. Pacianus epiſt. 3. Non poſſumus ergo culpare S. Hieronymum quod prædictum textum converterit *ſi peccaverit vir in virum placari poteſt Deus, ſi autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* orari pro peccatoribus ad Dominum, eſt eumdem ad miſerationem in peccatores movere, ut ſcilicet ejus Ira compeſcatur, & ut placatus fiat. Hoc totum breviſſime expreſſit S. Doctor.

Sub 29. ℣. non apte converſam eſſe a Vulgato noſtro vocem להבריאכם *lebabriachem ut comederetis*, cum pregnantius ſignificet ad *impinguandum*. Unuſquiſque cognoſcit nullam in Vulgati lectione diſcrepantiam eſſentialem adinveniri ab hebraico textu, quinimmo naturalior videtur hæc translatio, *ut comederetis vobis de primitiis omnis ſacrificii*, quæ eadem eſt cum interpretatione Vulgati, & appriche hebraicæ literæ conſona reperitur; filii quippe Heli comedebant de primitiis ſacrificiorum, an autem ex illis ſaginarentur incertum eſt.

Ad ℣. 33. Capitis hujus, non ad rem a Vulgato converſa hebraica hæc verba כל מרבית ביתך *col marbit bethecha*, in hæc latina *pars magna Domus tuæ*, contendit Sixtinus, hebræa quippe ſonant omnis multitudo domus tuæ.

Animadvertamus oportet particulam כל *chol* non ſemper integram univerſitatem, ſed majorem ejus partem ſignificare ſæpe ſæpius in divinis literis; quinimmo & in hoc eodem verſiculo ad initium ſcriptum eſt ואיש לא אכרית לך *ve iſch lo acbrith lecha*, *& virum non auferam penitus ex te*. Si autem voces illæ כל מרבית *totam ſua domus multitudinem* in ſenſu rigido ſignificarent, quonam pacto vera eſſe poſſet divina illa comminatio *omnem virum una auferam ex te?* Compertum profecto eſt uſque ad Salomonis ætatem aliquos de Heli familia fuiſſe ſuperſtites; excidium ergo univerſæ Domui illius comminatum in *ſuppoſitione accomoda*, ut Scholæ loquuntur, intelligendum eſt; unde optima erit, quam Sixtinus redarguit, S. Hieronymi ad hunc locum interpretatio. Auctor inſuper concordantiarum hebraicarum voces illas hebraicas in quæſtione perductas, etiam *magnam partem* ſignificare poſſe tuetur. Non tamen abnuimus conſiſtere hebraicam lectionem ad hunc ſenſum tranſlata = & omnis multitudo domus tuæ morientur Juvenes, ſive cum ad ætatem virilem pervenerint; dummodo ſupponamus neminem ex Heli familia conſenuiſſe, ſed in viridi ætate mortem occubuiſſe, quod equidem incertum eſt.

℣. 36. a veritate alienam pariter S. Hieronymi interpretationem Sixtinus pronunciat, eo quod hebraicum hunc textum [illegible] *vehajah col hannothar bebethecha javo lehiſchtachaoth lo laagorath cheſeph vecchichchar lachem veamar ſephachenni na el achath hacchehunnaoth leechol path lachem* non reddiderit = & erit „ omnis reſiduus de domo tua, veniet ad „ incurvandum ſe ſe ei pro nummulo argenti, & ſegmento panis; & dicet junge me „ nunc ad unum ſacerdotiorum, ſive ad unam „ functionum ſacerdotalium ad comedendum, „ ſeu ut comedam buccellam panis = cum potius illum ſit interpretatus in ſenſu prorſus oppoſito ſaltem in primo hemiſtichio, tali pacto illum convertens = Futurum eſt autem ut quicumque remanſerit in Domo „ tua veniat ut oretur pro eo, & offerat „ nummum argenteum, & tortam panis, dicatque: dimitte me obſecro ad unam partem ſacerdotalem, ut comedam buccellam „ panis = In hebraica quidem lectione, uno excepto Hieronymo, ait Sixtinus; nullus Interpretum agnovit has voces *ut oretur pro eo & offerat nummum & tortam panis*: ſed legerunt omnes *ut humiliet ſe coram eo*, vel *ad incurvandum ſe ei*, vel *ut proſternat, ſe coram eo*, aut quid ſimile. Non pariter legunt *& offerat*, ſed *& petet*, *& emendicabit*; hinc Serarius ad ſalvandam Vulgati lectionem legendum putat non *offerat*, ſed *auferat*, ideſt *recipiat*, obtineat obolum argenti, & fruſtulum panis.

Interpretationem a Sixtino propoſitam magis hebraicæ literæ congruentem, & a legitimo ſenſu per Sacrum textum expreſſo minime alienam agnoſcimus, nec tamen Sancti Hieronymi tranſlationem erroris arbitramur culpandam, cum & ipſa legitimum divinæ comminationis domui Heli factæ ſenſum includat, ut per ſe patet. Haſce profecto minas per os propheticum Dominus Heli, ejuſque ſucceſſoribus intentavit, quod nimirum a ſummi Sacerdotii dignitate deiicerentur, quod ad ſummam perducerentur egeſtatem, & inopiam uſque ad emendicandam panis buccellam in ſanctuario. Quis modo non videat in S. Hieronymi interpretatione iſtas contineri terribiles minas? Parum non eſt quod qui ſummo erant Sacerdotio functuri, in Dei ſanctuario pro peccatis populi victimas oblaturi, atque Dominum pro ſe, aliiſque tanquam mediatores deprecaturi, de oblationibus hoſtiarum abunde, affluenterque ad legis præſcriptum manducaturi, tandem futurum divino indignante Numine, ut pro ipſis etiam, tanquam pro aliis infimæ plebis peccatoribus, alius in eorum locum ſuffectus ſacerdos Deum ipſum deprecaretur; illi vero

non divitum more hoſtiarum copiam, ſed pauperculorum inſtar minimam oblationem in Sanctuarium deferre ob egeſtatem compellerentur; ac tandem unum inter ſacerdotes patrem, ſeu unum ex infimis ſacerdotum officiis humiliter expoſcere, ut ex eo panis buccella ſibi contingeret, neceſſitate adigerentur? Hæc omnia in S. Hieronymi verſione habentur expreſſe; eædemque ferme comminationes in textu hebraico perleguntur. Veruntamen Expoſitores Catholici S. Hieronymi interpretationem libentius recipiunt, quia veritati congruentiorem adinveniunt. Certum quippe eſt Heli ſucceſſores etiam poſtquam a ſummo Sacerdotio dejecti fuere, in inferiori Sacerdotio remanſiſſe, unde jus ad lucra ex ſacrificiis ſibi cum aliis ſuæ infimæ conditionis Sacerdotibus communia eiſdem remanſit, pro illis ergo a ſummo Sacerdote obtinendis incurvari non cogebantur; venire propterea ad ſupremum Sacerdotem debebant, non ut ſervirent, ſed ut a ſuis peccatis expiarentur, & ut ſummus Sacerdos pro eis oraret, & pauculam oblationem ab eis factam reciperet. Neque obſtat huic interpretationi verbum hebraicum [illegible] quod interpretantur etiam *ad ſupplicandum* vel ut *ſupplicetur*; ſicuti apud Rabbinos vox [illegible] *humiliationem*, *ſupplicationem*, & *adorationem* ſignificat; hinc Pagninus ad ℣. 3. Capitis 2. Libri 1. Samuelis vocem ſuperius indicatam interpretatus eſt *ad adorandum*. Si autem Sixtinus offenditur ex eo, quod interſeruerit S. Hieronymus in ſua interpretatione vocem *& offerat*, cur & ipſe ſubintelligit in ejus loco verbum *& recipiat?* Græci equidem codices, & ex illis Itala antiqua non parum favent S. Hieronymi translationi; habent enim [illegible] *in obolo argenti & in pane uno*; videlicet = qui remanſerit in domo tua, veniet adorare in obolo pecuniæ, & in pane uno = ut expreſſe legit S. Cyprianus Lib. 1. Teſtim. Non ergo vetuſti illi Interpretes Hebraici textus exiſtimarunt eſſe legendum *& veniet ad incurvandum ſe ei ut obolum & fruſtum panis obtineat*.

Quæ notantur ab Amama ad Caput hujus Libri tertium, nullius ſunt momenti, propterea non conſideranda. Ad Caput autem 4. ſuperflua eſſe in Vulgata noſtra ait hæc verba verſiculi 1. *Et factum eſt in diebus illis convenerunt Philiſthiim in pugnam*; quandoquidem in hebræo non comparent. Verum de his ſatis diximus in Tomo 2. p. 288. col. 1.

Ad Caput 5. ℣ 4. redarguit Vulgatum Interpretem Sixtinus quod ſcripſerit = Dagon ſolus truncus remanſerat in loco ſuo = cum etenim, inquit, legamus Dagonem inventum fuiſſe in terra jacentem ſuper faciem ſuam; quomodo eius truncus in ſuo loco remanſerat?

Quis non videat meram hanc eſſe noſtri argutiſſimi Cenſoris cavillationem? Non forte fortuna ſcripſit ſanctus Hieronymus ſolum truncum Dagonis in ſuo loco remanſiſſe, ſed plena, ut opinor mentis attentione. Rabbini ſiquidem tradunt hujuſcemodi idolum infra umbiligum formam piſcis habuiſſe, ſupra autem hominis effigiem: Dagon autem cum ſonet *piſcis*; optime Vulgatus Interpres ſcripſit Dagonis truncum, hoc eſt eam partem idoli, quæ piſcis figuram habebat; in ſuo loco conſtitiſſe, alteram vero partem, humanam geſtantem figuram in terra pronam jacuiſſe. Hæc expoſitio minime Sixtino ſuſpecta erit cum a Munſtero, Vatablo, aliiſque hebraizantibus recipiatur.

Ex ℣. 6. hujus capitis eradenda Sixtinus contendit hæc tota ſententia tanquam interſuta *ebullierunt villæ* &c. uſque in finem verſiculi; cum aliunde in ſacrum textum tranſpoſita ſint; in variis quippe melioris notæ codicibus nequaquam leguntur, quinimo nec in ipſo Vulgato qui in Regiis Bibliis extat, habentur, inquit ille.

Nedum in iis, qui a Sixtino citantur, ſed in pluribus aliis deeſſe codicibus verba laudata evidentiſſimum eſt ex annotationibus Martianæi, & Vallarſii ad codicem Hieronymianæ Verſionis ſub hoc verſiculo; deſunt profecto in Latinis codicibus melioris notæ, ut ſunt, quos terebat Vallarſius, necnon Colbertinus, Anicenſis, & Corbejenſis major, num. I. & Canon ipſe veritatis hebraicæ, in quo nihil ſpurium eſt poſt emendationem ſuam, teſte Martianæo; in caſtigatioribus ergo codicibus Hieronymianæ verſionis omnia illa verba deſiderantur. In Bibliis tamen Luciferi Calaritani mentio de muribus habebatur, cum ille legeret = & gravata eſt manus Domini ſuper Azotum, & induxit illis mures = De hujuſcemodi muribus nec verbum facit Joſephus quamvis referat Azotios peſte quadam percuſſos, & eorum Provinciam alicui ſterilitati fuiſſe ſubiectam, unde aſſuta & nos confitemur verba prædicta Hieronymianæ verſioni in aliquibus codicibus Latinis: nec tamen ſine juſta cauſa, eadem in Vulgata lectione a Romanis correctoribus fuiſſe relicta judicandum eſt, cum præſertim de muribus in codicibus Græcis LXX. fiat mentio; & in variis Latinis codicibus ea verba habeantur in margine cum aliquibus tamen ſignis in textu, quibus ad ſacrum textum ipſum pertinere ſignificentur, & quaſi per incuriam a librariis fuiſſe prætermiſſa: Non igitur aliud de hiſce verbis in quæſtionem a Sixtino aliiſque perductis conſtat in hebraicis nimirum deeſſe codicibus noſtris, & in illis etiam defuiſſe, quibus utebatur S. Hieronymus in ſua adornanda translatione, non tamen revincitur non extitiſſe in Autographo Hebraico, ex quo LXX. interpretationem ſuam compoſuere. Quinimo in Autographo Hebraico de muribus alicubi factam eſſe mentionem convincitur ex eo quod ad Verſum 5. Capitis 6. hujus Libri narrentur ficti mures aurei ad ſedandam divinam ultionem; ergo murium plaga Philiſthæos divexaverat.

Ad ℣. 8. Sixtinus non bene ſcriptum, ſeu translatum eſſe a Vulgato contendit hunc locum reſponderunt Gethæi &c. cum potius vertendum ſit *dixerunt ad Gethæos*, eo quod accentus magnus, nempe *zakephkaton*, qui ſuper verbum [illegible] *jomeru* adinvenitur, unire non ſinit verbum iſtud cum voce [illegible] *Gat*

unde

unde potius ante vocem iſtam ſubintelligendam eſſe contendit Cenſor, vel literam [illegible] vel præpoſitionem [illegible], atque legendum [illegible] *jomeru leaat*, *dixerunt: ad Gethæos circumducatur Arca Dei*.

Non inficiantur Expoſitores Catholici hebraicum textum intelligi poſſe ut Sixtinus expoſcit: cur tamen ſupponenda eſt litera [illegible], vel præpoſitio [illegible] ante verbum [illegible] & non potius accentus magnus zakephkaton ſuper vocem [illegible] adeo ut reddatur hic ſenſus *& dixerunt Gethæi*: circumducatur? &c. Sacer textus profectò non exprimit ſatis luculenter Dei Arcam fuiſſe conſtitutam in Geth; non ergo a legitima interpretatione receſſiſſe videtur Interpres Vulgatus, dum vocem *Gethæi* conjunxit cum verbo *& reſponderunt*; tali enim pacto, & LXX. hebraicum textum converterunt; nec fortaſſis tunc temporis habebantur hebraici accentus, qui longe poſt S. Hieronymum a Maſſoretis ſacro textui creduntur appoſiti; unde ex illa accentus appoſitione non ſatis convincitur a Vulgati lectione eſſe recedendum. Alias voces pariter ad Verſiculos hujus Capitis ſequentes veluti ſuperfluas Sixtinus traducit in Vulgati lectione, quem ne quidem audimus donec oſtendat revera in autographis codicibus nequaquam extitiſſe.

§. II.

PAuca ad Caput ſextum Libri I. Regum Sixtinus in Vulgati lectione adinvenit, quæ merito caſtigentur. Ad ℣. 4. hæc hebraica verba [illegible] *miſpar ſarne peliſtiim* non bene reddita exiſtimat *juxta numerum provinciarum*, cum vox *Sarne non provinciarum*, ſed *Satraparum* ſonet; & ita redditam a LXX., videlicet [illegible] affirmat.

Quid quæſo erroris ſi dicamus *juxta numerum principatuum*, ſive *juxta numerum Principum*? Princeps dum publice agit non ſuas tantummodo, ſed totius Principatus gerit vices; non ſolummodo Satrapæ ſed Satrapiæ, id eſt Satrapiarum gentes Dei vindicta circumdabat, premebatque; & pro Satrapis vota Arcæ Domini offerenda decreverant Philiſtæorum Principes; quare ergo non potuit vertere S. Hieronymus *juxta numerum Provinciarum*?

Non majoris eſt conſiderationis dignum quod in Vulgato reprehendit ad ℣. 6. hujus Capitis Sixtinus. Interpretatus eſt S. Hieronymus hebraica hæc verba [illegible] *chaaſcher bittehallel vahem* = nonne poſtquam percuſſus eſt = qua de cauſa a Cenſore noſtro obiurgatur, quod transferre potius debuiſſet = poſtquam contrivit eos = vel = quando operatus eſt in eos =. Verum quis non videat unum eumdemque ſenſum in utraque interpretatione? Liberum eſt Latinis multoties paſſivam ſignificationem adhibere pro activa dummodo patiens exprimatur abſque ambiguitate; ſive igitur dicamus *poſtquam Deus percuſſit eos* (Pharaonem, & Ægyptum) ſive *poſtquam percuſſus eſt* (Pharao) a Deo, idem prorſus conceptus exprimitur.

Sub ℣. 11. cum hebraicam vocem [illegible] *bapolim* verterit *ani* Sanctus Hieronymus opponit eidem Sixtinus Cajetani, Ariæ, & Junii interpretamenta, qui legunt *Mariſcas*, vel hæmorroidas. Quis tamen ſibi ſuadeat ſolam morbi, quo vexabantur Philiſtæi, auream figuram arcæ domini fuiſſe appoſitum, & non potius, ejus membri corporis, in quo torquebantur, ſimilitudinem? Anos itaque cum mariſcis ex auro conflaviſſe Philiſtæos credibilius eſt cum vox hebrica *bapolim*, ſeu [illegible] *tachorim* anos cum morbo mariſcarum ſignificet, ut Pagninus in ſuo Theſauro docet ad hanc vocem.

Ad ℣. 19. male a S. Hieronymo diſtinctos fuiſſe contendit Amama *viros populi*, & viros plebis, cum nulla ſit in hebraico textu talis diſtinctio, ſed ſolum ſeptuaginta viros; & quinquaginta millia virorum Deus occidiſſe narratur.

Eccur Sixtinus in Paraphraſtem chaldaicum minime invehitur, qui tali pacto hunc reddit locum = & occidit de ſenioribus populi ſeptuaginta viros; & de cœtu quinquaginta millia virorum = Si autem hanc diſtinctionem tenuerit Sixtinus admittere, cur diſtinctionem inducit inter *plebem*, & *populum*, ſi duas haſce voces pro una, eademque ſignificatione fortaſſis uſurpavit Vulgatus Interpres, & ſemel *populum*, ſemel autem *plebem* adhibuit, ne ejuſdem vocis in eodem verſiculo replicationem admittere compelleretur? Plurima ad hunc locum tradunt Commentariorum Scriptores, præſertim Calmetus, qui videantur.

Ad Caput 7. Libri 1. Samuelis unicam vocem non apte converſam a Vulgato Sixtinus ſub ℣. 2. adinvenit, nimirum [illegible] *vajiinnabu*, quam vertendam contendit *& lamentati ſunt*, ſive *congregati ſunt*, minime autem cum Vulgato, *& requievit* ſcilicet *Domus Iſrael, poſt Dominum*.

Nimia cum facilitate Vulgatum noſtrum Sixtinus redarguit. Duplicem ſignificationem hæc vulgati = *& requievit omnis Domus Iſrael* poſt Dominum = habere poſſe exiſtimatur; 1. quod requieverit ab agendo perverſe, & legem Domini obſervare cœperit ſe abſtinendo ab idolorum cultu. 2. quod omnis Domus Iſrael poſt adventum Arcæ in Cariath-jarim per annos viginti pacem ſit conſecuta; permanens eo temporis ſpatio in Dei cultu, & obſequio; ſi in prima intelligatur ſignificatione Vulgati lectio, in quo differt ab hebraica Sixtini? idem profectò videtur, converti ad Dominum per pœnitentiam; ac quieſcere poſt Dominum, relinquendo peccata, ejuſque legem obſervando. Si in ſecundo ſenſu, qui naturalior eſt, atque promior, tunc dicemus Vulgatum legiſſe cum Chaldæo verbum *Noach*, quod *quieſcere* ſignificat, minime vero *nahab*, quamvis non deſint, qui & iſtud pro *quieſcendi* ſignificatione uſurpent.

Joſephus utique ita hanc hiſtoriam Lib. 6 Antiquitatum cap. 2 deſcribit = cum populus toto hoc vicennio votis, & ſacrificiis operam daret, magnamque religionis, & cultus divini curam præſeferret &c. = unde opinatus videtur quod requieverit Iſrael

poſt

poſt Dominum recedendo a peccatis. Senſus itaque legitimus in Vulgati lectione continetur.

Nihili facimus, quod Cenſor noſter ad Caput 8. in Vulgato reprehendit; quamvis enim Vulgatus habeat *Centuriones*, Hebraicus autem [illegible] *ſare chamiſchim*, ſcilicet *quinquagenarios*, ſeu Præfectos quinquaginta militum; nihilominus certum eſt apud Hebræos etiam Centuriones in militia ſolitos fuiſſe conſtitui poſt Tribunos, ſeu poſt mille virorum Præfectos; nomine itaque iſto uſus eſt Vulgatus noſter ad ſignificandos quoſcumque Præfectos Chiliarchis minores; Latinus quippe latine locutus eſt, inquit Caſtalio.

Ad ℣. 18. ſuperflua eſſe contendit verba iſta *quia petiſtis vobis Regem*; in variis Græcorum codicibus ea profecto leguntur, deſunt vero in codice Hieronymianæ verſionis, aliiſque MSS. Correctores tamen Romani eadem retinere voluerunt quod in vetuſtis exemplaribus legerentur, præſertim in Corb. n. 1. & 3. & Germ. n. 7. ad eorum marginem, & in codice græco Sixtino ut Lucas Brugenſis teſtatur.

Quod notat Sixtinus ad ℣. 2. Capitis 9. ſcilicet vocem hebraicam [illegible] *tob* reddi poſſe *elegans* ſive *formoſus*, non inficiantur Catholici expoſitores. Unum ſolummodo advertimus oportet vocem *bonus* non ſemper hominem vel rem quamcumque bonitate morum ornatam ſignificare apud Latinos, ſed ſæpe uſurpari pro voce *aptus*. Virgilius quidem Georgic. 3. ſcripſit = & bona bello cornus = ideſt *apta*. Satis ex hoc intelligimus Vulgati lectionem optimum ſenſum in hoc loco præſeferre.

Sub ℣. 12. hujus Capitis in Vulgatum noſtrum Siatinus eaclamar quod vocem [illegible] *zebach* verterit *ſacrificium*, cum potius *convivium* ſignificet. Adverſum ipſum eſt Pagnini interpretatio, quæ *ſacrificium*, legit; eodem modo Munſterus vertit vocem illam, cui conſentiunt Clarius, & Druſius ad hunc locum. Sacrificium autem iſtud *Pacificorum* fuiſſe opinantur, in quo poſt adipis combuſtionem, & ſanguinis effuſionem, reliquæ carnes ab omnibus manducari poterant offerentibus; illuc ergo convenerant Viri urbis illius, ait R. David ad faciendum Sacrificium, & ad comedendum illud in Domo excelſi quam earruaetant.

℣. 24. in Vulgata noſtra deeſſe contendit poſt voces *levavit cocus armum*, has alteras & *quod ſuper ipſum erat*, quæ in hebræa ita exprimuntur [illegible] *vehehalejah*; ait enim literam [illegible] hoc in loco vicem gerere relativi [illegible] *aſchor*, *qui quæ quod*.

Nihil deeſſe quoad facti veritatem in Vulgati lectione certum eſt; verſiculo enim præcedenti dixit Samuel Coco ut eam Carnis exhiberet portionem, quam ſervandam juſſerat; Cocus autem quod remanſerat ante Saul appoſuit: ſive interim fuerit Armus cum cauda, ut vult R. Jochanan; ſive Armus, & pectus, ut R. Eleazar contendit; ſi Armus, & femur ut R. David opinatur; ſive tandem, ut Vatablus exponit, *armus integer*, & *ampliſſimus*, quæ expoſitio cum Vulgati lectione cohæret.

Quod in Vulgati lectionem Siatinus opponit ad Verſiculum hujus Capitis viceſimum quintum, eſſe nimirum ſuperfluam clauſulam illam *Stravitque Saul in Solario, & dormivit* jam a nobis propoſitum fuit ad pag. 208. Colum. 1. in volumine 1. Diſquiſitionum, quamvis ob alteram a præſenti diverſam diſputationem; ibi ergo faſſi ſumus clauſulam illam in Hieronymianæ verſionis codicibus non haberi, niſi poſtquam in aliquibus ex aliena manu fuit adjecta. Non tamen hæc clauſula deeſt in LXX. Interpretum translatione, in qua legimus, ut refert Sabatierus [illegible] *Straverunt Sauli ſuper ſolarium, & dormivit*. Hæc particula verſus appellatur profecto a ſequenti verſiculo, in quo referuntur Samuel, & Saul ſurrexiſſe facto jam mane; alicubi ergo quod dormierint neceſſe eſt. Animadvertunt autem Expoſitores, illius regionis morem fuiſſe ut hoſpitibus ſuper tectum domus (tecta enim hebræorum plana erant, non in coni formam faſtigiata, inquit Druſius) lectus ad cubandum ſterneretur; hac de re videatur Calmetus in ſuis ad hunc locum Commentariis.

§. III.

IN Vulgati lectionem Siatinus eaclamare non deſinit ad Caput X. libri 1. Samuelis quod hanc non brevem verborum pericopen = & liberabis populum ejus de manibus inimicorum ejus qui in circuitu ſunt. Et hoc tibi ſignum quia unxit te Deus in principem = contineat; quæ neque apud Hebræos, neque Chaldæos, neque apud Latinos, & Græcos codices adinvenitur, ut videri poteſt in LXX. Complutenſis editionis, & in codice MS. S. Hieronyau Veronenſe ut notat Vallarſius. Reperitur tamen ea clauſula in Græco-Romanæ editionis; quinimmo ſuſpicionem inducit vox hebraica [illegible] *lenagbid*, eam olim pericopen in archetypo hebraico extitiſſe; ſed ob ſolemnem ani quartorum lapſum poſtea excidiſſe, inquit laudatus Vallarſius, quæ tamen ante S. Hieronymi ætatem habebatur. Nihil vero decernere audemus; ſed nihil per hanc clauſulam in veritatem committitur. Liceat nihilominus advertere naturaliorem haberi ſermonis ordinem in Vulgati, quam in hodiernis hebræorum exemplaribus, quæ ita legunt [illegible] *vajomer halo chi-meſchachecha Adonai hal-nachalatho lenagbid: & dixit nonne (certe) quia unxit te Dominus ſuper populum ſuum* (ſeu *hæreditatem ſuam*) *in Ducem*, vel *Regem?* Sequitur deinde hebraicus textus immediate = Cum ambulaveris hodie a me, invenies duos homines juxta ſepulchrum Rachel &c. = Sequitur deinde hebraica lectio uſque ad ℣. 7. deſcribere quæ erant Sauli eventura, nec tamen ea ponuntur expreſſe veluti ſigna, quibus Saul cognoſcere poſſet revera a Domino unctum eſſe in Regem Iſrael; nec inſuper in textu hebraico indigitata legitur cauſa a Samuele ipſimet Sauli, ob quam in Ducem populi ungeretur a Domino; credibile ne eſt quod in facto adeo in ad-

Digitized by Google

admirationem inducente Saulem, non indicaverit Propheta Domini eventus a ſe prædictos eſſe ſigna divinæ electionis in Ducem, & cauſam inſuper ejuſdem electionis tacuerit? Minime certe eo vel magis quod Cap. 9. hujus Libri ℣. 16. Dominus revelaverat Samueli quiſnam ungendus eſſet in Ducem ſuper Iſrael, ad hoc ut ſalvaret populum de manu Philiſtinorum. Hæc ergo omnia a Samuele dicta fuiſſe Sauli, ut refert Vulgati lectio credenda videntur, cum apud LXX. Interpretes habeantur.

Ad ℣. 2. hujus Capitis 10. ob hebraicam vocem [illegible] *betſeltſach*, quam Vulgatus vertit *in meridie*, ſubmurmurat Amama, atque cum Benedicto pro loci nomine eſſe intelligendam opinatur.

Non deſunt profecto qui vocem illam pro loco quodam uſurpent, ſed originariam ejus ſignificationem neſciri fatentur omnes. LXX. eamdem [illegible] idest in meridie tranſtulerunt. Druſius vero per eam vocem ſignificari ait *umbram nitidam*, quia [illegible] *tſel umbram* [illegible] *tſach nitidum* & clarum ſignificat; unde explicari poſſe videtur hebraicum nomen quod viri a Samuele prædicti inveniendi eſſent a Saule ſub umbra ad horam meridianam. Si etenim loci nomen proprium iſtud eſſet, non tamen diligenter locum deſignaſſet *per ſepulchrum Rachelis* Sanctus Propheta & *per fines Beniamin*.

℣. 8. cum hebraica hæc verba [illegible] *lehahaloth holoth lizeboach zibche ſchelamin* converterit S. Hieronymus = *ut offeras oblationem*, & immoles victimas pacificas = reprehenditur a Sixtino quod Sauli Munus ſacrificandi conceſſerit, cum ſolius Samuelis id intereſſet; quod ſignificatum foret, ſi hebraica verba reddita eſſent *ad offerendum, & ſacrificandum*.

Norunt Catholici omnes ea verba Vulgati *ut offeras*. & *immoles* non ita accipienda, quaſi Saul offerre, & immolare per ſe debuerit, ſed per Sacerdotem juxta Legis præſcriptum. Familiaris in divinis literis ea reperitur phraſis, ut offerre dicantur, qui Sacerdoti victimas, & oblationes præparabant. Videantur ℣. 6. Capitis 6. Levitici, & ℣. 3. Capitis 18. Deuteronomii. Cur in eodem ſenſu hoc in loco de Saule dici non poterit ut *offeras*, & *immoles*?

Sub ℣. 9. pariter Vulgatum noſtrum Sixtinus accuſat quod ſcripſerit *immutavit ei Deus cor aliud*, cum tamen ſenſus legitimus ſit *mutavit ei cor in aliud*. Non magni, ni decipimur faciendæ hujuſcemodi accuſationes; quid enim eſt in utraque lectione niſi quod Deus dedit Sauli alterum Cor non quidem in ſubſtantia, ſed in modo cogitandi? & quod prius erat cor plebejum, & rude, de repente factum eſt cor Regium, magnanimitate videlicet, prudentia, aliiſque dotibus animo regio neceſſariis ornatum. In eodem genere cenſuræ quod ad ℣. 19. opponit Sixtinus ſtatuimus, in eo videlicet cenſurarum genere, quæ parvi pendendæ ſunt; quid mali eſt, ſi particula *ſolus* deeſt hoc in Verſiculo apud Hebræorum exemplaria? nunquid falſitatem aliquam inducit hæc propoſitio = projeciſtis Deum veſtrum, qui *ſolus* ſalvavit vos de univerſis malis &c. =? Quis ſpondeat defuiſſe in vetuſtioribus Hebræorum codicibus eam particulam, quam in ſua verſione S. Hieronymus appoſuit, nihilque de eadem in margine Hebræus Scholiaſtes adnotavit.

Ad eumdem ℣. 19. cum ſcripſerit Vulgatus *per familias veſtras* in eumdem Sixtinus inſurgit, contenditque inveteratum crimen eſſe Librariorum, quia hebraicum verbum [illegible] *lealphechem*, dubio procul ſignificat *per millia veſtra*, id eſt, ut opinamur, per Duces veſtros, qui præerant mille viris, quaſi videlicet populus Iſrael diviſus eſſet per Tribus, & per Chiliades.

Sancti Hieronymi tamen interpretationem naturaliorem eſſe, magiſque vero conſentaneam minime dubitamus. Quoties enim in populo Dei quidpiam per ſortem legimus conſtitutum, eadem per Tribus, & familias dejecta referuntur: ita Joſue 7. ℣. 16. Terra promiſſionis etiam per Tribus, & familias dividi juſſa eſt Num. 26. ℣. 55. & 33. ℣. 55. Mercerus tandem hunc nodum ita ſolvit Geneſ. 36. 16. [illegible] *eleph* interdum pro *familia* ſumitur, veluti Chiliarchia, ut in Michææ prophetia inter *millia* vel Chiliarchias, ideſt familias *Juda*. Initio ita Ducatus per familias diſtribuebantur, quaſi mille viris præeſſent. Quis modo S. Hieronymum reprehendat, ea quod per *familias veſtras* non per *millia veſtra* hebraicam illam vocem reddiderit? Nemo profecto jure ſaltem, cum in divinis literis *chiliarchia* pro *familia* ſæpe ſoleat uſurpari ut patet ea hoc ipſo Capite 10. ℣. 21. in quo legimus projectam eſſe ſortem ſuper Tribum Beniamin, & familias ſuas, non ſuper *millia ſua*.

Ad ℣. 22. denique S. Hieronymus caſtigatur ab Amama quod non verterit hebraica hæc verba [illegible] *nechba el-hachelim*, *latet inter vaſa*, tranſtulerit *abſconditus eſt Domi*. Grande profecto peccatum quod S. Interpres non recenſuerit Saulem inter ollas, vel urceos latitantem. Cur non audivit Cenſor noſter R. David ita ad hunc locum ſcribentem = in vaſis populi, qui venerant eo, qui poſuerant vaſa ſua in quadam domo, & ipſe latitabat inter vaſa illa: nam fugiebat a Regno = nomine *vaſorum*, arma, & quidquid populus ſecum detulerat in Maſpha intelligi oportere hoc in loco, a Munſtero, Vatablo, Clario, Druſio, aliiſque hebraizantibus docemur. Vera propterea utraque lectio dignoſcitur, cum Sanctus Hieronymus locum latibuli indigitet, hebræa vero ſupellectilem, in qua Saul abſcondebatur, enarret.

Duo ſub Capite XI. Libri 1. Samuelis reperiuntur loca Vulgati noſtri a Sixtino inter menda recenſita, quorum primum ad ℣. 1. adinvenit ſub his verbis = Factumque eſt quaſi poſt menſem = quæ ea Græcis accepta cum Luca Brugenſi opinatur, aliiſque Auctoribus. qui eadem jugularunt obelo. Alterum ad ℣. 2. in quo ſcripſit Vulgatus *ponamque vos*, cum habeat hebræa [illegible] *veſſamtiha*, & *ponam illud*.

Quantum ad primum fatemur pericopen illam

Digitized by Google

illam etiam in codice deeſſe Hieronymianæ verſionis, unde compertum eſt in Hebræorum exemplaribus, quibus utebatur Sanctus Doctor fuiſſe deſideratam. LXX. nihilominus verſio Siatina eamdem exhibet; quæ pariter in MSS. German. 7. & Corbejenſ. 3. conſpicitur, ut notat Sebatierus; S. Gregorius Magnus eamdem in ſuis ſuper Libros Regum Commentariis proponit. Quis modo definiat eam eſſe adſcititiam? id neque Sixtino, neque cuilibet privato Scriptori, ſed ſoli Eccleſiæ Catholicæ, quæ infallibilem definiendi regulam, ſpiritum nempe veritatis eſt conſecuta, licere pro certo tenemus; hæc autem in ſuis Bibliis conſtanter retinuit.

Ad alterum dicimus in hodiernis hebræorum exemplaribus revera conjunctum eſſe cum verbo *Samthi* affixum fœminini, aut neutrius generis; unde Pagninus convertit = & ponam iſtud in opprobrium in omni Iſrael = ſenſum literæ modo attendamus: quid eſt *iſtud?* niſi factum iſtud? factum autem iſtud in viris Jabes eſſe debebat: nonne ergo ipſi opprobrium reddendi erant in univerſo Iſrael, qui exoculationem in ſeipſis ex pacto ſuſcipere compellebantur: Id profecto intellexit S. Hieronymus, unde hebraicum textum juxta legitimum ſenſum convertit *ponamque vos*, quam lectionem S. Gregorius Magnus retinuit.

§. IV.

TRia ad Caput 12. loco veluti male ex hebræo in latinum converſa traducit Amama, quorum primum ſub ℣. 3. poſſumus intueri; in quo ſcripſit Vulgatus & *contemnam illud hodie* cum tamen habeamus in hebræo [illegible] *veablim benai vo*; & abſcondi oculos meos ab eo.

Non ambigimus optime redditum eſſe legitimum ſenſum hebraicæ lectionis a S. Hieronymo, dummodo verbum [illegible] in ſuo tempore futuro relinquatur, ut ipſum hebraica litera exhibet, nec ſine ulla neceſſitate, cum aliquibus Rabbinis hic poſitum eſſe futurum pro præterito ſupponamus. Ad Literam ergo vertendum erit; *& abſcondam oculos meos ab eo*; a munere videlicet, ſi convincaris me de manu cujuſquam illud accepiſſe, & reſtituam vobis. Quid eſt abſcondere oculos ab aliquo, niſi eum contemnere, niſi eum aſpernari? optima ergo Vulgati lectio eſt, quæ refert Samuelem dixiſſe ſe contempturum, ideſt non recepturum munus alicujus, ſi illud accepiſſe demonſtretur; quem profecto eumdem ſenſum litera hebraica præſefert.

Interrogat Siatinus ad ℣. 11. hujus capitis quis ſit *Bedan*, eo in loco nominatus inter Salvatores, ſeu Judices Iſraelis. Cur non interrogat hebraicos codices qui legunt & ipſi [illegible] *bedan*? Munſterus, Vatablus, Clarius, Rabbi David, Lyranus, aliique dubio procul nomen iſtud opinantur eſſe contractum ex [illegible] & [illegible] id eſt filius Dan, quod Sampſoni ea Danitarum Tribu oriundo convenire arbitrantur. Calmetus, & Tremillius hunc *Bedan* ipſum eſſe Jairum unum ex Judicibus rentur & non immerito, ut apud eoſdem videri poteſt.

Ad ℣. tandem 22. male converſam Cenſor noſter a Vulgato hebraicam vocem [illegible] *hoil* adfirmat, cum non *juravit*, ſed *voluit* tantummodo ſignificet. De hoc videantur quæ in volumine I. Diſquiſit. pag. 242. column. 1. dicta ſunt.

Varia ſunt, quæ ad Caput XIII. Libri I. Samuelis notata a Sixtino conſpiciuntur in Vulgata noſtra tanquam imperite ex hebraico in latinum converſa a S. Hieronymo; & primo quidem ad ℣. I. in hanc lectionem *filius unius anni erat Saul cum regnare cœpiſſet* muſſitare non deſinit Cenſor, quod per eam difficultas non parum Chronologis, & Expoſitoribus augeatur; cum longe clarior, & ſimplicior eſſet interpretatio iſta *Filius anni erat (Saul) in Regno ſuo*; id eſt, commentatur Sixtinus, annum jam regnaverat; annus erat, ex quo regnare cœperat.

Æquali, ni fallimur, difficultate premuntur Commentatores, atque Chronologi ad hunc textum, quamvis hebraica litera preſſe retineatur [illegible] *ben ſchanach Saul bemalecho Filius anni Saul in regnare ſuo*. Nodus itaque in hoc textu reſolvendus non circa initium regni Saulis, ſed potius circa Saulis ætatem dum regnum aſſumpſit, nec non circa tempus, quo in regno perſeveravit, adinvenitur a Chronologis, atque Expoſitoribus Scripturarum; quadraginta etenim annos ſceptrum tenuiſſe Saulem narrant Acta Apoſtolorum Cap. 13. ℣. 21. Cum tamen hoc in textu duobus annis regnaſſe dicantur; ſicuti & *unius anni filius* deſcribitur Saul *in ſuo* regnare, ſcilicet dum regnaret; hic nodus, hæc difficultas, quæ Scriptorum torſit ingenia. Si autem Sixtinus hebraicum textum, ut ei lucem aliquam affundat, vertit *Filius anni erat Saul in regno ſuo*; ideſt annus erat, ex quo regnare cœperat, ut ipſemet commentatur. Cur & nos Vulgati textum, ad hunc ſenſum perducere prohibebimur *Filius unius anni erat Saul poſtquam regnare cœperat?* Sive *Saul erat filius unius anni, computando a tempore, quo regnare cœperat?* Explicationem aliquam huic ſimilem, vel alteram quamcumque in textu hebraico eſſe neceſſario admittendam ſatis demonſtrant variæ eorumdem Rabbinorum Commentationes, quorum aliqui adeo in litera hebraica lectionem Vulgati literalem agnoverunt, ut ad ſenſum moralem confugerint pro difficultate reſolvenda, aſſerentes Saulem virum fuiſſe innocentem dum regnare cœpit, ſicut innocens eſt, & impollutus filius unius anni. Hujuſmodi ſenſum in Dras adinvenimus, ubi legimus = & quomodo filius anni erat? Ut Infans filius diei ſui purus eſt ab iniquitate; ſic Saul purus erat ab iniquitatibus ſuis quo die regnavit = Pagninus etiam vertit in hunc ſenſum hebraicum textum ſcribens = Veluti filius anni erat innocens Saul &c. idipſum referente Jario apud Druſium tuentur cæteri Doctores Hebræi cum Chaldæo Paraphr. Si ergo hunc ſenſum Vulgatus Interpres exprimere ſategiſſet, nunquid aliquid a vero alienum expoſuiſſet?

Du-

Duplicis errati S. Hieronymus incuſatur ab Amama ad ℣. 4. hujuſce Capitis, eo quod hebraicum hunc textum נבאש ישראל בפלשתים ויצעקו העם אחרי שאול *nivaſch Iſrael bapeliſtim vajitsbaku babam achare Saul* converterit = erexit ſe Iſrael adverſus Philiſtiim: clamavit ergo populus poſt Saul = vox quippe *nivaſch* nequaquam, inquit, *erexit ſe* verti poteſt, ſed *abominabilis factus eſt Iſrael*, transferri debet. Vox iterum *vajitsbaku congregati ſunt*, ſeu *acciti ſunt* interpretanda erant, minime vero *clamavit*.

Facile nimis in Vulgatum expoſtulat Cenſor noſter. Druſius ad hunc locum animadvertit hebraicam vocem *nivaſch* in libris Græcorum antiquis fuiſſe converſam ἐξουδένωσαν ſcilicet *nihili fecerunt* (Iſraelitæ Philiſtæos) LXX. vero ᾐσχύνθησαν *puduit* ſcilicet Iſraelitas Philiſtæorum, ſeu ſervitutis Philiſtæis exhibitæ. Jonathan denique legit = concitatus, ſeu animatus eſt Iſrael in Philiſtæos = nonne iſtæ omnes lectiones cum Vulgata S.Hieronymi adamuſſim quadrant? Quis modo dicat inutilem prorſus eſſe illam Expoſitorum ſuſpicionem, qua tentur olim in ſacro codice non נבאש ſed potius נחש *nichas* ſcriptum fuiſſe, quod revera *iratus eſt*, *concitatus eſt* ſignificat? unde Hieronymiana Verſio nobis legitimum ſenſum in hoc caſu reddidiſſe credenda eſt, eo vel maxime quod hunc ſenſum ſermonis ordo nobis exhibeat; audierat enim univerſus Iſrael quod Saul ſtationem Philiſtinorum percuſſiſſet, unde facile eſt quod populus in Philiſtæos ſe erexerit, ideſt quod contra Philiſtiim ſit concitatus, ad quem ſenſum reducitur etiam interpretatio Pagnini, quæ legit *& abominatus eſt Iſrael Peliſtiim*. Alteram vocem autem debuiſſe transferri *congregati ſunt*, contendebat Sixtinus, eo quod ſit in coniugatione *niphal*. Quid autem quæſo ſignificat Vulgati lectio = Clamavit ergo populus poſt Saul in Galgala? = clamaſſe populum poſt Saulem in Galgala poſſumus ne intelligere, niſi pariter concipiamus populum turmatim congregatum? Verum quis ſpondeat in hebræo codice S. Hieronymi ſcriptum fuiſſe verbum *vajitsbaku* cum illis punctis, quæ verbum coniugationis *Kal* ad coniugationem *niphal* detorquent? His adjungi poteſt aliqua in coniugatione *niphal* verba reperiri, quæ activa ſunt, & ſimilia deponentibus apud Latinos, ut Grammatici Hebræorum tuentur; unde verbum illud *& clamaverunt* ſeu clamavit populus transferri poterat a S. Hieronymo.

Ad ℣. 8. contra Vulgatum muſſare Sixtinus non deſinit, quod hebraicam vocem מועד *mohed*, *tempus ſtatutum* ſignificantem verterit *placitum*. Idem erratum a S. Hieronymo ſub ℣. 11. eſſe commiſſum adfirmat, cum voces iſtas מועד הימים *mohed haiiamim*, *placitos dies* ſit interpretatus; quæ potius *condicto tempore dierum* vertendæ erant.

Notum eſt omnibus vocem *placitum* ſignificare apud Latinos quam ſæpe *ſtatutum*, ſeu *decretum*, ſeu *pactum* hinc Plinius lib. 29. cap. 1. ſcripſit = delentem cunctorum majorum placita = hinc Aquila, & Symmacus legebant ἐν συντάξει τοῦ Σαμουήλ ad ordinationem, ſeu conſtitutionem, vel placitum Samuelis: hinc patet etiam ad ℣. 11. interpretari potuiſſe S. Hieronymum *placitos dies* cum idem ſit ac *conſtitutos dies*. Cenſuram ad ℣. 13. hujus Capitis omittimus, cum ſenſus ſit idem in hebraico, & Vulgato; verbum enim *præparo* nedum *parare*, ſed etiam *ſtabilire* ſignificat: ideo ſolet dici: parata eſt in Cœlis pro animabus juſtis felicitas: hoc eſt *ſtabilita eſt*.

Sub ℣. 15. Clauſulam hanc = & reliqui populi aſcenderunt poſt Saul obviam populo, qui expugnabant eos venientes ex Galgala in Gabaa in colle Beniamin = ſuperfluam eſſe, cum eadem careant Hebræi codices, exclamat Sixtinus.

Partem iſtam Verſiculi 15. nedum in hodiernis Hebræorum exemplaribus, ſed & in Chaldæorum codicibus, atque in pluribus τῶν LXX. Interpretum, quinimmo & in MSS. Hieronymianæ verſionis deſiderari compertum eſt. Vallarſius tamen hujuſcemodi clauſulam ob nominis *Beniamin*, quo concluditur, recurſum, excidiſſe ob librariorum errorem a vetuſtis Hebræorum exemplaribus ſuſpicari videtur, non tamen adeo facile hujuſmodi ſuſpectio liberatorum pervadet animum, cum, admonente Luca Brugenſe, codices ipſi Græci in eadem recenſenda non per omnia reſpondeant (Vulgati lectioni). Unam Sabatieri adnotationem ad hunc locum apponere minime pigeat, ut, quid pro Vulgato dici poteſt facilius innoteſcat. Ad ℣. itaque 15. antiquæ Verſionis, quæ legit ad literam ut Vulgata ſcribit =
„ Sic etiam ferunt codd. German. n. 3. &
„ 13. in margine: in alio German. n. 9.
„ eadem legebantur olim intra textum ſed
„ nunc deleta conſpiciuntur. Eadem quo-
„ que extant in alio itidem German. n. 7.
„ ſed ſecunda manu deſcripta. Hic tamen
„ peculiare eſt, teſte Martianæo noſtro co-
„ dici Corbejenſi num. 11. annor. circiter
„ 800. ut ſingulis lineis, ſeu verſiculis, qui-
„ bus illud additamentum conſtat, totidem
„ obeli ÷ præpoſiti fuerint, ſignificantes
„ hæc eſſe aliena Hieronymianæ translationi,
„ proindeque aliunde fuiſſe derivata in Vul-
„ gatam noſtram, nempe ex LXX. Inter-
„ pretibus, apud quos nunc ita legimus
„ Καὶ τὸ κατάλειμμα τοῦ λαοῦ ἀνέβη ὀπίσω Σαοὺλ εἰς ἀπάν-
„ τησιν ὀπίσω τοῦ λαοῦ τοῦ πολεμιστοῦ αὐτῶν παραγενομένων
„ ἐκ Γαλγάλων εἰς Γαβαὰ Βενιαμίν *& reſiduum populi*
„ *aſcendit poſt Saul in occurſum poſt populum*
„ *bellatorem, ipſis advenientibus e Galgalis*
„ *in Gabaa Beniamin*. Ex Sabatieri adnotatione iſta inferri poſſe videtur in vetuſtis earum Bibliothecarum exemplaribus clauſulam noſtram fuiſſe exaratam, quis tamen definiat an obeli illi ſingulis lineis merito fuerint adiuncti? an merito deleta hæc clauſula in codice Germanenſi? an obeli prædicti ab ſcriptore codicis, vel ab altera manu fuerint adiecti? id unum ſtatui poſſe videtur clauſulam hanc defuiſſe in hebraico S. Hieronymi codice; non tamen in vetuſtioribus, ex quibus LXX ſuam verſionem adornarunt, aut ſaltem id revinci non poteſt. Quapropter

Romani Bibliorum Correctores non immerito clauſulam iſtam relinquere conſueverunt donec S. Spiritus illuſtratione majori perfuſa Sancta Mater Eccleſia expreſſe definiat ad ſacrum textum non pertinere illa verba, de quibus Sixtinus ſe incerto retinet.

Ultimam ſub hoc Capite redargutionem in Vulgatam eructat Sixtinus ad 21. eo quod in eodem legamus *Retuſæ itaque erant acies vomerum &c.* Contendit enim voci hebraicæ [illegible] *petſirab* nequaquam *retuſionis* notionem convenire, cum potius *limam*, qua exacuitur ferrum, ſignificet. Fatetur nihilominus quod optime conſiſteret Vulgati ſenſus, ſi hebraicæ illi voci aliquo modo *retuſionis* notio convenire poſſet.

Fatemur & nos ipſi, & quidem libenter in hebraica lectione facillime ſermonis ordinem hoc in Verſiculo adinveniri, niſi in verſu præcedenti oppoſitum penitus doceremur: legimus itaque ibidem juxta Pagnini verſionem = deſcendebatque omnis Iſrael ad Peliſtim ut acueret unuſquiſque vomerem ſuum, & ligonem ſuum, & ſecurim ſuam, & ſarculum ſuum = Non poterant ergo Iſraelitæ ſua ruſticalia acuere inſtrumenta niſi ad Philiſtæos ventitarent, ſubiungit deinde hebraica lectio = & erit lima vomeribus, ligonibus, tridentibus, ſecuribus &c. =. Si in ſenſu obvio hæc poſteriora hebraici textus verba accipiantur, non videtur Iſraelitis opus fuiſſe ad Philiſtæos recurrere, ut acuerent vomeres ſuos, ligones &c. hoc ergo inſtrumento, quo vomeres acuerentur, deſtituti fuiſſe Judæi credendi; id ſignificare videtur contextus, in quo legimus neque enſem, neque lanceam in manibus totius populi fuiſſe adinventam; quinimmo adeo bellicis inſtrumentis caruiſſe populum illum ſacer textus indigitat, ut nec vomeribus, nec tridentibus, nec ſecuribus uti potuiſſe ſignificet, eo quod hæc inſtrumenta, retuſas acies prorſus haberent. Modo ſupereſt difficultas ob hebraicam illam vocem [illegible] quæ *limam* ſonat. Eccur non poterimus eam interpretari *ferratio aciei*, ut ait Auctor concordantiarum, ut videlicet *cum cultellus in Serræ ſpeciem depravatur*; vocem [illegible] *petſiren*, *antra* Rabbini interpretantur; & Mercerus hebraicam vocem prædictam per *rupturam acierum* exponit. Senſus ergo legitimus Vulgatæ lectioni denegari non poſſe videtur: eumdem ergo retinendum eſſe non ambigimus.

§. V.

AD Caput 14. hujus libri I. Regum nonnulla Sixtinus in Vulgato redarguenda ſignavit, præſertim autem ſub ℣. 15. bis erratum eſſe ab Interprete noſtro declamat, eo quod vocem [illegible] *charadba*, bis verterit *miraculum*, cum potius *horrorem*, ſeu *pavorem* ſignificet. Non apte deinde hebraiſmum expreſſit Vulgatus, ait Cenſor, nempe *pavor Dei*, qui *pavorem magnum* denotat; ſolent quippe ad alicujus rei magnitudinem exprimendam Hebræi, adjungere vocem *Dei*, cum iſta apud eoſdem veluti epitheton habeatur cujuſcumque rei, in ſuo genere magnæ, & admirabilis; ita dicunt *montes Dei*, *ignis Dei*, *pavor Dei* ad exprimendam *montium*, *ignis*, & *pavoris* magnitudinem. Nihil horum a Vulgato cum ſit redditum, ait, evidens eſt nimium ab hebraica veritate fuiſſe alienum.

Non ambigimus vel tantiſper, quin in Vulgata noſtra legitimus hujus ſententiæ contineatur ſenſus. Nonne Cenſor ipſe a ſe nequaquam damnari fatetur eam Chaldæi, Kimchii, R. Levi, aliorumve Hebræorum interpretationem, qua legunt *fuit pavor a Deo immiſſus*? dum autem quid extra obvium naturæ ordinem a Deo peractum dignoſcimus nunquid *miraculum* id appellari non ſolet? in quo ergo, ſi ſenſum attendamus, peccavit Vulgatus? Stuporem, conturbationemque inter Philiſtæos contigiſſe, idque per miraculum, nempe a Deo Interpres noſter deſcribit, unde conturbatio niſi a timore poterat derivari? Non ergo culpandus Vulgatus noſter quamvis literam non fuerit ſummo in rigore ſecutus.

Superflua hæc verba = & erant cum Saul quaſi decem millia virorum = eſſe in Vulgata noſtra contendit Amama; cui id unum concedimus, non extitiſſe videlicet in hebræis codicibus, quibus S. Hieronymus in ſua elaboranda interpretatione, utebatur; hinc deſunt in S. Doctoris verſione, quam Martianæus edidit, atque Vallarſius illuſtravit. Cognoſcant ex hoc Vulgatæ lectionis inimici codicem hunc, quo ſæpiſſime utuntur ad legitimam divinæ Scripturæ lectionem auſpicandam, ejus eſſe conditionis, ut integram mereri fidem poſſit circa lectionem, quam nobis ex Hebræo S. Hieronymus dicitur reddidiſſe. Verba itaque a Sixtino indicata deſunt hoc in codice, unde & in hebraicis S. Doctoris voluminibus defuiſſe jure concluditur. Habentur nihilominus apud LXX. Interpretes ad ℣. 25. hujus Capitis. Varii Latini codices MSS. hanc pericopen præſeferunt in German. n. 7. num. 3. & num. 9. Sed alter ad marginem, alter vero in textu. Sed expunctam de more, inquit Sabatierus. Græca denique legunt Καὶ πᾶς ὁ λαὸς ἦν μετὰ Σαοὺλ ὡς δέκα χιλιάδες ἀνδρῶν non ergo immerito reliquiſſe videntur Romani correctores quidquid non conſtat apocryphum eſſe, & ab autographo alienum.

Ad ℣. 24. illegitime redditam a Vulgato vocem [illegible] *niggar*, *ſociati ſunt* opinatur Sixtinus, cum potius legendum ſit *coarctati ſunt*, *oppreſſi ſunt*, videlicet *fame*, quia Saul juraverat ne quis cibum comederet.

Fatetur Cenſor noſter vocem illam cum puncto ſuper cornu dextrum literæ [illegible] hoc modo deſcriptam ſignificationem habere *appropinquandi*, & *accedendi*: ſi autem cum puncto in cornu ſiniſtro eadem litera inſcribatur, æquivalet literæ [illegible] *Samech*, eoque in caſu, eadem illa vox *oppreſſionem*, vel *coarctationem* ſignificat. Quis modo definiat pro certo punctulum illud apte a Maſſoretis ſuper ſiniſtrum cornu fuiſſe repoſitum, & non ſuper dextrum potius eſſe ſignandum? S. Hieronymus certe literæ illi non vim *Samech*, ſed vim *Schin* conveni-

nien-

nientem attribuit, ut patet ex codice ſuæ Verſionis ex hebraica; in qua profecto lectione ſenſus obvius & naturalis hiſtoriæ ordo ſervantur melius quam in hebraica hodierna, in qua compellimur literæ ו *vau*, non vim particulæ coniunctivæ *&*, ſed vim particulæ cauſalis *quia* adſignare, quod pariter incertum eſt, cum eidem hoc in loco conveniat. LXX. Interpretes ferme ut Vulgatus hunc locum reddunt ſaltem in ordine ad non exprimendam populi coarctationem cauſa famis. Ad alia, quæ Sixtinus ſuperflua eſſe in Vulgata contendis ſub ℣. 41. idipſum reponimus quod pluries jam ad hujuſcemodi cenſuras in ſuperioribus reſponſum eſt. Reprehendit tandem ad ℣. 50. Vulgati noſtri interpretationem Sixtinus quod vocem [illegible] *dod patruelis* converterit, cum revera *patruum* ſignificet.

Jam alibi de hujus vocis ſignificatione ſermonem habuimus. Nunc id ſolummodo ſufficiat advertere vocem iſtam utrumque ſignificare conſanguineum *patruum* ſcilicet, & *patruelem*, ut Auctor concordantiarum hebraicarum obſervat, & merito quidem; legimus enim libro 1. Regum Cap. 9. ℣. 1. Cis Patrem Saulis filium fuiſſe Abiel: Ner etiam pater Abner ejuſdem Abiel filius dicitur ℣. 50. hujus Capitis 14. Libri 1. Samuelis. Cis itaque & Ner fratres erant, Abner ergo & Saul erant patrueles ad invicem ut Vulgatus Interpres deſcripſit.

Ad Caput hujus libri decimumquintum multa ſunt, quæ a Sixtino cenſorio ſtylo notantur tanquam a veritate hebraica penitus diſcrepantia. Sub ℣. 3. in primis aſſuta eſſe & quidem inepte hæc verba *& non concupiſcas ex rebus ipſius aliquid* arbitratur, cum, fatente Luca Brugenſe, Exemplaria latina melioris notæ eadem confodiant.

Deſunt illa verba in Codice etiam Hieronymianæ verſionis a Vallarſio illuſtrato; atque in aliis permultis exemplaribus; reperiuntur nihilominus in MsS. Corbejenſ. n. 3. & German. n. 9. ut notat Sabatierus, quamvis cum aliqua mutatione, quæ ſenſum minime variat. Græca vero habent *non uſurpabis*, vel *non acquires*. Lucifer Calaritanus ea verba, ſicut in Vulgata noſtra jacent, legebat, ut patet ex ejus libro de *Regibus Apoſtaticis* paulo poſt initium; in Itala ergo antiqua editione Bibliorum habebantur, qua utebatur Eccleſia priuſquam S. Hieronymi verſionem adoptaret, Unde S. Gregorius Magnus eadem recitat in ſuis ſuper Libros Regum Commentariis.

Multa ſcribit Cenſor noſter ad refellendam S. Hieronymi interpretationem hujus hebraicæ ſententiolæ [illegible] [illegible] *vaiipkedem battelaim, & recenſuit eos quaſi agnos*, contendens pro viribus vocem *Zelaim* non agnos ſignificare, ſed eſſe proprium nomen alicujus loci; adeo ut ſit legendum = & recenſuit eos in *Zelaim* = nec officere huic lectioni contendit, quod legatur vox illa [illegible] cum articulo notificationis ה, incluſo in litera punctata ב, qui ſiquidem articulus cum nominibus propriis non copulatur; non officit, inquit, quia hac de re ita ſcribit Kimchius = Zelaim eſt nomen
„ loci, quamvis veniat cum ה, notifica-
„ tionis, quod quidem non eſt juxta con-
„ ſuetudinem habes tamen ſimilia; ecce tibi
„ [illegible] *ba uccoth* [illegible] *ba ſettim*, [illegible] *ba-*
„ *karkor* =.

Prolixo huic Sixtini ſtrepitui non pauci ex Hebræorum Rabbinis refragantur contendentes vocem hebraicam *Telaim*, *agnos* hoc in loco ſignificare, cum nullibi in Scriptura locus occurrat, cui *Telaim* nomen; neque enim recte ſe gerunt qui locum iſtum cum [illegible] *Telem* confundunt in Tribu Judæ exiſtente ex Cap. 15. Joſue ℣. 24. Vox enim *Telem* habet pluralem num. *Telamim* non *Telaim*, quæ vox ſingularem numerum habet [illegible] *Taleh*, & agnum ſignificat, ita Druſius in ſuis annotationibus ad hunc locum, qui ſubiungit ulterius articulum incluſum in ב punctata nequaquam adiungi ſolitum eſſe nominibus propriis, niſi quando talia nomina etiam appellativa eſſe poſſunt; coniungitur itaque articulus iſte cum voce *ſuccbot*, quia hæc appellativi *tabernacula* ſignificat; cum voce *ſettim* quæ ſpinæ genus denotat. Legimus etiam *in Karkor* Judicum 8. ℣. 10. quia nomen iſtud *a* verbo [illegible] *karkor*, quod *parietem demolire* ſignificat, derivatur. Hæc omnia præponere ſtatuimus, ut dignoſcere quiſque poſſit Vulgati interpretationem erroris non eſſe a Sixtino convictam; quinimmo ejus cum litera hebraica cohærentia apprime fulcitur.

Ad ℣. 9. vocem [illegible] *vehammiſchnim* inepte redditam a Vulgato *& veſtibus* Anamæ contendit; cum ex variis, quæ inveniſſe teſtatur, interpretamentis ad hunc locum, nec unum, quod veſtes præſeferat, cum potius *cibos*, vel *pinguia*, vel ſecundogenitas, vel quid ſimile in voce illa ſignificari omnes crediderint.

Quæ ab ipſomet Sixtino inter Expoſitores adſeritur varietas in ejus vocis interpretatione ſatis declarat evidentem ejuſdem vocis nobis deeſſe notionem. Illius tamen etymologiam non abſre ab hebraica voce, quæ *duplex* ſignificat derivare videntur nonnulli, inter quos & S. Hieronymus, qui per *duplicia*, *veſtes* intelligit: quæ quidem interpretatio naturalis quammaxime eſt, cum Saul referatur pepercisse optimis gregibus ovium, & armentorum, & arietibus, & univerſis, quæ pulchra erant; ad quid his præmiſſis ſubiungi neceſſe erat, *& pinguia*, ſive oves *ſecundogenitas*, ſive *boves annicolos*; ſi hæc omnia in verbis illis *optimis gregibus ovium*, *& armentorum* continebantur? per vocem itaque prædictam quid ab armentis diverſum ſignificare voluiſſe ſacer Scriptor credendus eſt. Spolia itaque, ſeu veſtes pretioſas, fuiſſe aſſervatas cum cæteris ſupellectilibus veroſimillimum eſt; quare ergo ejus interpretatio quæ cæteris in veriſimilitudine longe antecellit, tam inepte a Sixtino traducitur?

Sub ℣. 9. cum legat Hebræa [illegible] [illegible] *vaijchar liſemuel*, Vulgatus autem ſic interpretatus = contriſtatus eſt Samuel = non acquieſcit Cenſor noſter, cum opinetur legendum &

& exarſit ira Samueli, ideſt *iratus eſt Samuel*.

Non magnî facienda hujuſcemodi Cenſura; cum rectum ordinem Sixtini interpretatio habere non poſſe videatur ad contrarium; ſequitur enim ſacer Scriptor quod Samuel clamavit ad Dominum tota nocte; quod quidem vir contriſtatus, non vero iratus præſtare potuiſſe videtur, niſi dixerimus quaſi de repente mutatos fuiſſe Samuelis affectus. Ex triſtitia deinde iracundia provenire intelligitur a Philoſophis, præſertim a S. Thoma 1. 2. quæſt. 48. art. 3. Chaldæus autem hunc locum convertit *durum fuit Samueli*, ideſt *moleſtum fuit*. Non ergo redarguenda videtur S. Hieronymi interpretatio.

Ad alteram vero Sixtini adnotationem ſub ℣. 12. adverſus Vulgatum interpoſitam, in qua legendum eſſe ſacrum textum contendit non tam latina noſtra, *cumque de nocte ſurrexiſſet*, ſed prout hebraica ſonant verba, *& ſurrexit mane*, reponimus hujuſcemodi accuſationem jam ſatis dilutam fuiſſe in I. *Volum. Diſquiſitionum pag.* 252. column. 2. ubi ea tradidimus, quæ latinam hebraicamve lectionem invicem componunt.

Plurima ad eundem ℣. 12. in Vulgatum noſtrum Sixtinus ſcribit, ut oſtendat perperam ab eodem hebraica hæc verba [illegible] *vehinne matſir lo jadh* fuiſſe in hæc latina permutata *& erexiſſet ſibi fornicem triumphalem*; cum hebræa nil ſonent aliud ad verbum quam *& ecce ſtatuit ſibi locum*.

Viri in lingua hebraica callentiſſimi voces fortaſſis, quibus uſus eſt Vulgatus noſter non reſpondere hebraicis vocibus libenter concedent; ſenſum tamen eumdem in utraque lectione cognoſcunt; non enim locum ſolummodo [illegible] *jadh* ſignificat, ſed *manum* etiam, ut Pagninus, & Cajetanus, fatentur. Per *manum* autem intelligi *monumentum* aliquando in hebraico idiomate evidenter conſtat ex lib. 2. Regum cap. 18. ℣. 18. Monumenta vero cum variis erigantur de cauſis variis etiam nomina ſortiuntur, quæ enim in defunctorum memoriam conſtruuntur *Cippi*, *Columnæ*, & *Statuæ ſepulchrales* appellari ſolent: quæ vero in alicujus facinoroſi ignominiam, *tabellæ* dicuntur. Apud vetuſtos Hebræos erigi lapides *in titulos*, ut alicujus facti ſervaretur memoria in more fuiſſe, ſatis divinæ teſtantur hiſtoriæ. Apud Latinos autem triumphalis arcus in memoriam alicujus inſignis obtentæ victoriæ cum ſolent extolli; hinc Vulgatus Interpres *monumentum* a Saule conſtitutum in ſuæ victoriæ gloriam, quod ab Hebræis *manus* appellatur, nomine *fornicis triumphalis* deſcripſit, ut Latini, quibus Scripturam divinam ex hebraico transferebat, facillime deprehenderent cujus generis eſſet monumentum a Saule fabricatum in Carmelo. In hanc noſtram conjecturam Cajetanus ipſe videtur deſcendiſſe dum ſcripſit ad hunc locum = Hebraica dictio anceps eſt ad *manum*, & ad *locum*; „ & ſi legitur *locum*, ſenſus eſt, quod Saul „ ſtatuit ſibi in Carmelo locum certum in „ memoriam victoriæ: ſi vero legitur *manum*, „ declaratur quale ſignum tantæ victoriæ in „ Monte Carmeli ſtatuerit, videlicet figuram „ manus =. Nonne itaque Vulgatus noſter legitimum reddidit ſenſum quoties expreſſit erectum fuiſſe monumentum aliquod in memoriam triumphalis victoriæ, qua a Saul eſt de ſuis inimicis conſecutus?

Cum in hebraico deſint ad ℣. 13. hæc Vulgati verba = & Saul offerebat holocauſtum Domino de initiis prædarum, quæ attulerat ex Amalec = cum pariter nec in Chaldæo habeantur, exclamat Sixtinus; an ergo Latinus ſolus ſapit, cæteri vero [illegible] *ſicut umbræ ruunt?*

Deeſſe hujuſcemodi verba in Codice etiam Hieronymianæ Verſionis compertum eſt, ex quo concludimus S. Hieronymum fidelem quammaxime extitiſſe in ſua adornanda juxta hebraicam veritatem, translatione; unde ſuſpicionem excludant Vulgatæ noſtræ adverſarii deſideramus quammaxime circa legitimam, atque ſinceram hujus codicis lectionem, ejuſque cum hebraico textu cohærentiam. Quamvis attamen ea verba deeſſent in hebraicis ſancti Hieronymi exemplaribus, conſtanter Græci codices eadem præferant, ut in ſuis adnotationibus Sabatierus animadvertit; non ſolus ergo Latinus, ſed quicumque Græcos codices perlegere velit, idem ſapiet quod Latinus. In Itala antiqua, ex Græcis LXX. exemplaribus expreſſa verba illa retinebat, eadem propterea legebantur ab Apoſtolicis temporibus in Eccleſia; eademque recitat Lucifer Calaritanus in ſuo de Regibus apoſtaticis Libro: non ergo expungenda a ſacris codicibus donec eſſe apocrypha revincantur.

Ad ℣℣. 21. & 25. in quorum primo Vulgatus habet *Deo ſuo*; Hebræus autem *Deo tuo*: in ſecundo vero Vulgatus, *porta quæſo peccatum meum*: Hebræus *dele* vel *tolle peccatum meum* Sixtinus non parum gloriatur, quaſi ob hujuſcemodi variantes poſthabita Vulgata noſtra hebraicis hodiernis codicibus eſſet inhærendum.

Codex Hieronymianæ verſionis legit cum Hebræo *tuo* non *ſuo*. Plura tamen MSS. Exemplaria, inter quæ Veronenſe legunt *ſuo*. Utraque lectio optima eſt, & Sermoni cohærens, ut per ſe patet. Ad alteram locum ℣. 25. videlicet facilior eſt reſponſio, quam credat Sixtinus. Nova ne eſt in ſacris literis hæc loquendi formula: *portabis peccatum*, *portavit peccatum?* nequaquam mehercle! quinimmo hujus locutionis expoſitionem eædem ſacræ literæ nobis exhibent. Levitici 10. ℣. 17. ſcriptum eſt = Data eſt vobis ut portetis Iniquitatem multitudinis & rogetis pro ea in conſpectu Domini = ita legit ex hebræo hunc locum Pagninus. Ea verba S. Auguſtinus exponens quæſt. 38. in Leviticum ſcribit = Dedit vobis edere ut auferatis peccatum Synagogæ, & exoretis pro eo ad Dominum. Exodi pariter 28. ℣. 38. legimus = Portabit Aaron iniquitates eorum quæ obtulerunt. Intelligunt ne Vulgatæ lectionis adverſarii quid ſibi voluerit cum interpretatus eſt S. Hieronymus ad ℣. 25. Capitis XV. textum hebraicum per hæc verba = Porta quæſo peccatum meum = ?

Sa-

Satage offerre ſacrificium Domino pro peccato meo et miſereatur mei.

Infelix ſatis dignoſcitur Amamæ cenſura ad ℣. 29. ſuper illam Vulgati interpretationem *Triumphator in Iſrael non parcet*, quam cum fontibus conciliare, ſe neſcire fatetur, niſi adiungatur, vel ſubaudiatur *veritati*. Hebraice enim, inquit, eſt [illegible] *jeſibakker*, *mentietur*. Sacet conteatus ſatis Sixtinum eſſe hoc in loco mentitum demonſtrat, cum ſit impoſſibile Virum adeo intellectu perſpicaci donatum non vidiſſe unam eademque ſententiam in Vulgata, & hebraica contineri. Orabat itaque Saul Prophetam ut ſecum ad placandum Dominum accederet; renuit Samuel, atque divinam iteravit comminationem dicendo = Triumphator in Iſrael, hoc eſt Deus, qui victoriam fecit in Iſrael, non parcet tibi, & pœnitudine non flectetur; nempe: decrevis auferre ſceptrum a te, & alteri concedere, unde non parcet tibi neque a ſuo decreto recedet: ſive ut legit hebræa: decrevit jam tibi regnum auferre; non mentietur, ideſt ſe mendacem non faciet recedendo a decretis ſuis tibique indulgendo. Unuſquiſque cognoſcit utriuſque lectionis cohærentiam.

Plurima tandem ſcribit Cenſor noſter ad ℣. 32. hujuſce Capitis ut oſtendat longe a veritate Vulgatum aberraſſe, dum interpretatus eſt hanc hebraicam ſententiolam [illegible] *vajilech elau Aghagh mahadannoth vajomer Agagh achen ſar mar bammaveth: & oblatus eſt ei Agag pinguiſſimus, & tremens; & dixit Agag: ſiccine ſeparat amara mors?* Duo quippe in hac translatione legi ait, quæ nullimode cum hebraica conciliari queant; vox profecto *mahadannoth* vel in *vinculis* ſignificat, vel ut alii interpretantur, *in deliciis*; nunquam vero *pinguiſſimus*. Alterum eſt, quod Vulgatus reddidit verbum *ſar*, *ſeparat*, cum tamen ſignificet *recedere*, ſi ſequatur præpoſitio [illegible] *min*; vel ſignificat *accedere*, ſi præpoſitio [illegible] *el* ſubiungatur, unde vel reddendum erat, inquis, verbum illud, *acceſſit amaritudo mortis*, ſi ſupponamus Agag ab imminenti morte fuiſſe deterritum; vel *receſſit amaritudo mortis*, ſi eumdem Regem animo conſtanti, & regio abſque timore ſuum fatum expectaſſe; aut ſpe vitæ ſibi blandientem, a Samuele ſe liberum dimiſſum iri exiſtimaſſe credamus; nequaquam autem ut Vulgatus convertit.

S. Hieronymus, qui ſpiritum, & ſenſum hebraicæ literæ nobis reddere ſategit, ut millies eſt proteſtatus, utitur hac voce *pinguiſſimus*, ut oſtendat Regem illum in deliciis, voluptatibus, aliiſque oblectamentis, quibus ſaginatus erat, & impinguatos fuiſſe enutritum; neque enim vertenda erat hæc ſententia juxta hebraicæ literæ rigorem = & ivit ad eum Agag in deliciis = quia hujuſcemodi locutio hominem denotat, qui deliciis, regiiſque inſignibus ornatus ſponte ad Samuelem accedat; quæ quidem viro inter victores hoſtes detento convenire non poſſe certum eſt. Expreſſit ergo S. Interpres non actuales delicias quibus in ea circumſtantia frui non poterat Rex captivus, ſed potius deliciatum, quibus uſus fuerat Agag uſque tunc, permanentes effectus; quæ ſiquidem interpretatio minime ab hebraica litera recedit, quæ eſt *Agag deliciarum*, ſive *Agag delicatus*, aut *in deliciis* enutritus, adeoque *pinguiſſimus*.

Ad alterum autem, in quo ajebat Cenſor noſter, verbum *Sar* fuiſſe reddendum *acceſſit*, vel *receſſit*, reponimus verbum iſtud per ſignificationem *recedendi* eſſe hoc in loco accipiendum, ut circumſtantiæ hiſtoriæ ſeu facti ſatis declarant: fugere enim vix poterat Agag periculum vitæ, immo certus ſibi imminens interitus, unde queri de ſuo fato compellebatur. Verbum tamen illud quamvis in conjugatione *Kal* hoc in loco habeatur, exponi tamen poteſt per ſignificationem conjugationis *Hiphil*, atque pro voce *receſſit*, utique poſſumus adhibere voces *recedere facit* (amara mors) ut docet Pagninus lib. 3. Inſtitut. cap. 5. Quia autem *recedere facere* alterum ab altero, idem eſt ac *ſeparare* ipſum ab altero, non abs re S. Hieronymus ſcripſit quod *mortis amaritudo*, ſive, quod melius eſt, *mors amara* ſeparabat Agag a deliciis, a Regno, ab uxoribus ſuis, a matre, denique ab hujus vitæ luce.

§. VI.

Quas dignas Siſtino grates pendere poſſumus, qui in Catholico Romana communione, divino opitulante Numine, degere gloriamur, & uſque in vitæ finem in eadem, divina comitante miſeratione, perſeveraturi ſumus, proindeque Vulgatæ Verſionis lectionem retenturi, veluti verbum Dei ſuæ revelatum Eccleſiæ quas grates dicere inquiebam daturo erit, viro, qui tandem ſemel pro S. Hieronymo manibus plauſit, ejuſque translationem ad vocem hebraicam [illegible] *raithi* per latinam *providi* recipere dignatus eſt; *eleganter* inſuper factam eſſe conclamans ad ℣. 1. Capitis 16. libri 1. Samuelis? ſatis equidem calluiſſe hebraicam linguam S. Hieronymum confitemur, ex quo Cenſor noſter conceſſit notum Sancto Interpreti fuiſſe quod Hebræi carent compoſitis, ad eoque ipſis neceſſario utendum eſt ſimplicibus; unde aliquando non *vidis* reddendum, ſed *providis*, verbum ſuperius indicatum. Grandis ſcientia S. Hieronymi, qui talia novit!

Si Interpreti Vulgato ſemel indulſit ad Caput 16. Siſtinus; nec leviter ei parcit ad Caput 17. ex quo plura in ejus lectione ſuſcepit caſtiganda, quaſi a veritate prorſus extranea. Primo itaque Cenſura perſtringit vocis [illegible] *elah* translationem, nempe terebinthi; contendens per vocem illam ſignificari *quercum*; vel, ut alii opinantur, exprimere nomen proprium loci *Elah*, quam ſententiam Cajetanus, & Pagninus ſequuntur.

Incertum adhuc eſt penes Scriptores Sacros quodnam arboris genus vox illa hebraica [illegible] ſignificet, ut Andreas Maſius ad ℣. 26. Capitis 24. Joſue animadvertit. Alii enim *arborem* generatim, alii *abietem*, alii *quercum*,

cam, *ulmum* alii, *& caſtaneam*, *piaum* denique, & *Terebinthum* alii convertunt. Quid ad hæc Siatinus? videt ne ſatis vocem illam non inepte *Terebinthi* a S. Hieronymo fuiſſe translatam.

℣. 4. adverſus Vulgatum inſurgit Siatinus clamans ſe prorſus neſcire unde noſter hauſerit Interpres quod *ſpurium virum*, vocet *Goliath*, cum in hebraico legamus [illegible] *iſch habbenaim*, quæ interpretati ſunt inſignes auctores *vir potens*; vel *vir inter duos*, ſupplentes poſtea *expoſcens ſingularem pugnam decerni*; vel denique *vir ſtaas inter* duas *acies*.

Qua de cauſa Cenſor noſter eam ſuppreſſit hebraicæ vocis expoſitionem, quæ reddit *vir ſpurius*, quæve admodum Grotio placuit, qui propterea eamdem cæteris omnibus prætulit ſibique aſcivit? Nonne hebraica verba ad literam reddi queunt *vir duorum hominum*, aut *vir e duobus* natus ſcilicet e duplici, ſed incerto Patre? & ſane divinus contextus non patrem gigantis Goliath, ſed matrem ſolummodo commemorat, inquit Calmetus in ſuis ad hunc locum Commentatiis.

Eodem ℣. 4. altera vice Vulgatum noſtrum caſtigat Sixtinus quod vocem [illegible] *Zareth* non *ſpitham &c.* verterit, ſed *palmi*, cum tamen *palmus* ab hebræis [illegible] *tophach* appelletur; atque longe diverſæ ſint duæ iſtæ menſuræ, cum *ſpithama* tres minores palmos contineat; ſi autem de majore palmo loquebatur Vulgatus, ad claram interpretationem reddendam, & *palmi majoris* ſcribere neceſſum erat, inquit Siatinus.

Via riſum continere quis poterit? Communior, atque uſitatior menſura palmi apud Latinos erat ne minor palmus vel major S. Hieronymi ætate? minor palmus quatuor digitorum continebat menſuram ad invicem conjunctorum, ut dum extenditur manus, ejuſve digiti quatuor, dempto pollice, ad invicem in plano uniuntur, latitudo itaque prædictorum digitorum palmum minorem conſtituit. Palmus autem major, qui a Græcis *Spithama*, ab Italis *Spanna* nuncupatur, illud complectitur longitudinis ſpatium, quod ab extremo pollicis ad extremum auricularis dum ab invicem quoad fieri naturaliter poteſt, ſejunguntur, intercedit. De hoc palmo locutum in ſua interpretatione fuiſſe S. Hieronymum, is negabit ſolummodo qui latinis verbis communem, & ab omnibus receptum ſenſum eliminare ſtuduerit. Noſtra etiam hac tempeſtate quicumque *menſuram palmi* pronunciaverit, non quatuor digitos, ſed integrum palmum intelligendum eſſe conſtantiſſime judicat.

Ad ℣. 18. hujus Capitis 17. Vulgatam lectionem Cenſor noſter ſugillat, quod his ſit verbis concepta *& cum quibus ordinati ſunt diſce*; cum diverſimode quamvalde legamus in Hebræa [illegible] *veeth barubbatham tikkach*, quæ ſonant: vel *referes ad me pignora eorum*, vel *recipies eorum pretium*, vel *afferauncium eorum*. Nihil denique in eis deprehenditur verbis, quod Vulgati lectioni reſpondeat.

Nemo, ut opinor, eo perveniet ut naturalem, & obvium ſermonem ab Iſai Davidi habitum, atque in Vulgata noſtra egregie expreſſum relinquet, ut hebraizzantium interpretamenta, quæ huc, & illuc pro auctorum arbitratu circumferuntur, adoptet. Fatetur itaque Siatinus verbum *tikkach* bene converti poſſe *diſce*, dummodo cætera quadrarunt. Quis modo neſciat oprime quadrare poſſe ſequentia verba cum *diſce*, quamvis S. Hieronymus vocem [illegible] *barubbatham* non cum *chaph* ɔ, ſed cum *Beth* ɔ ſcriptam perlegerit? nonne [illegible] *bereb mixtio*, ſeu *congregatio e multis populis* ſonat? Hac de cauſa multi hunc textum ſunt interpretati *mixtionem eorum diſce*, id eſt, ut commentabatur Vatablus, diſce cum quibus ordinati ſint, & ſub quo militent. Hoc inquirere erat providi patris, ut ſciret nempe quomodo, & cum quibus ſui filii familiariter uterentur, quibuſve periculis eſſent ſubiecti. Quid ergo, hac poſita interpretatione, quæ naturalis eſt, de pignoribus ferendis, aut jam tranſmiſſis ſomniare cum hebraizzantibus eſt neceſſe?

Eaacuit Cenſor Vulgati ad ℣. 20. mentis aciem ut S. Hieronymum non apte nomen proprium loci reddidiſſe demonſtret vocem [illegible] *Mahghala*, quæ juxta varios Interpretes *vallum*, vel *circulum*, vel *caſtra* ſignificat, cum vox illa nomen potius appellativum ſit, ut eruditiores in hebraica lingua conveniunt.

Hujuſcemodi Cenſura duplici ea cauſa videtur corruere; prima quod ſit incertum an S. Hieronymus eamdem vocem veluti nomen proprium acceperit, quamvis in ſuo hebraico ſono eamdem reliquerit; multæ quippe hebraicæ voces relictæ prorſus inveniuntur ab Interpretibus tam Græcis, quam Latinis, & a Pagnino præſertim in earum naturali ſono, quamvis latine, & græce reddi potuiſſent; ita fortaſſis ſe ad hunc locum geſſit S. Hieronymus, quamvis Librarii deinceps initialem illius vocis literam majuſculam appoſuerint, ſicuti nominibus propriis ſolet adſcribi. Secunda, quis unquam revincet vocem illam revera non eſſe nomen proprium alicujus loci? Quia fortaſſis eamdem veluti nomen appellativum plures Interpretum Græci, & Latini uſurparunt. Legamus quæſo librum S. Hieronymi de *Locis Hebraicis* & plurima ibidem propria locorum nomina reperire eſt, quæ a Græcis potiſſimum Interpretibus ad ſignificationem quamdam appellativam perducta ſunt, exprimentes iidem pro voce hebraica, quidquid eadem voce ſignificari opinabantur, ni fallimur, idipſum eccur in voce Mahghala evenire non potuit quomodocumque loci alicujus nomen proprium eſſet? Neque ad Cenſorem quid facit hujus loci, quam habent Geographi, ignoratio: innumera quippe ſunt recenſita in Sacris Literis loca, civitates, & oppida, quorum, penes Geographos nec leve ſupereſſe veſtigium comperitur. Non videtur itaque rejicienda Vulgati Interpretatio.

Ad

Ad ℣. 25. ubi Vulgatus legit = Domum eius faciet abſque tributo = non vim hebraicæ vocis expreſſam fuiſſe concludit Sixtinus; vox etenim חפשי chophſchi, liberam ſignificat, ideſt non ſolum *abſque tributo*, ſed cum omnibus aliis immunitatibus, privilegiis, & honoribus, quæ in hoc loco, Gigantem percutienti Regia majeſtas pollicebatur.

Nulla prorſus neceſſitate compellimur a Vulgati lectione recedere, cum in ſacro textu ſatis expreſſe legamus quid percutienti Goliath gigantem propoſitum erat in præmium. Verba autem illa *abſque tributo* ita a Catholicis ſunt intellecta, ut a tributis ſolvendis, cæteriſque gravaminibus eximeretur Domus eius, qui de Gigante victoriam conſequebatur.

Ad ℣. 36. queritur ſuo more Sixtinus, quod in Vulgata noſtra contra hebraicæ, & LXX. Interpretum verſionis fidem adiuncta legantur hæc verba = Nunc vadam, & auferam opprobrium populi: quoniam quis eſt iſte incircumciſus? = Hæc utique verba, inquit, teſte Luca Brugenſi, etiam in Latinis optimæ notæ codicibus deſiderantur.

Non inficiamur profecto defuiſſe prædictam ſententiam etiam in hebraicis S. Hieronymi exemplaribus, cum in ſuæ verſionis inſigni codice minime referatur. Legitur nihilominus in Græcis verſionibus, ut Sabatierus ad hunc locum animadvertit. Hoc autem pacto narratur in Græcis Οὐχὶ πορεύσομαι καὶ πατάξω αὐτὸν καὶ ἀφελῶ σήμερον ὄνειδος ἐξ Ἰσραήλ; διότι τίς ὁ ἀπερίτμητος οὗτος ὃς ὠνείδισε παράταξιν Θεοῦ ζῶντος ideſt = nonne vadam, & percutiam eum, & auferam probrum de Iſrael hodie? Quis enim eſt incircumciſus iſte, qui convitiatus eſt inſtructam aciem Dei viventis? = Hæc eadem verba ab auctore libri de *promiſs.* recitantur, atque leguntur ulterius in MS. Germanenſi ad marginem, ſed eadem manu deſcripta; in altero pariter German. ſub n. 9. & in Corbeienſe n. 3. habentur in textu, quamvis *obelo* ſignata; non ergo veluti apocrypha habenda eſt illa ſententia, quamvis ab Hebræorum codicibus, qui tempore etiam S. Hieronymi circumferebantur, jam excidiſſet. Quæ ſequentibus in verſiculis Sixtinus notat levis eſſe momenti fatetur & ipſe; tempus propterea in iis non diſſipandum.

Quæ a Sixtino notantur ſub Cap. 18. libri I. Samuelis pauci profecto momenti ſunt, ut fatetur ipſemet Cenſor. Ad ℣. 21. nihilominus Romanos carpit Bibliorum correctores, quod minus quam par eſſet hebraicam veritatem attenderint, in qua legimus ויאמר שאול אל דוד בשתים תתחתן בי היום *Vajomer ſchaul el davidh biſchtaim tithchatten bi hajom*; *in duabus affinitatem contrahes mecum hodie*; inutilem itaque reputat vocem illam Vulgati *rebus*, cum in hebraica veritate voces illæ *in duabus* ſignificent vel *in ſecunda filia* vel *in una de duabus filiabus*; vel *in duabus filiabus meis* eris gener meus, in prima quoad ſponſalia, in ſecunda quoad matrimonium completum.

Ut autem inutilem eſſe vocem illam *rebus*, oſtenderet Cenſor noſter, non ad Rabbinorum, aliorumque conjectationes confugiendum ſibi erat, ſed validis argumentis demonſtrandum illegitimum reddi per vocem illam Scripturæ divinæ ſenſum, quod tamen exequi nunquam poterunt Vulgatæ lectionis adverſarii. Novum minime eſt quod neutrum genus Latini cognoſcant in vocibus hebraicis fœminei generis, cum neutro careant Hebræi. Verti ergo poteſt hebraicus textus *in duobus*, ſcilicet pactis, vel concordatis, ſive in duabus conditionibus eris hodie mihi gener; Vulgatus autem ſcribit *in duabus rebus*, quia *res* nomen genericum eſt, quod ad ſignificandum quodcumque volumus perducitur. Ea voce uſus eſt S. Hieronymus in ſua ex hebraico verſione, nec tantillum notatur vel a Luca Brugenſi, vel ab aliis Criticis. Videantur Expoſitores.

Alia quæ ad ℣. 25. hujus Capitis & ad ℣℣. 20. & 22. Capitis 9. notantur ab Anama ejus ſunt conditionis; ut nec obſervari mereantur, cum leviſſima ſint, nullumque Vulgatæ lectioni detrimentum afferre queunt. Ad ℣. 3. Capitis 20. contra Vulgatum inſurgit Sixtinus veluti male interpretatum hæc verba וישבע עוד דוד ויאמר *vajiſchavah bodh david vajiomer*; *& iuravit rurſum David, & dixit*. Juramentum itaque non Davidi ab Jonatha ſed ab oppoſito emiſſum fuit.

Utramque lectionem veram eſſe poſſe nequaquam diffiteri volumus, ſi præſertim prænomen *ille* auferatur, quod in Hebræo deeſſe Sixtinus affirmat, iſtud nihilominus in codice Hieronymianæ interpretationis conſtanter legitur, nihilque de ipſius intruſione in ſacrum textum adnotavit Brugenſis; quare ergo reiicienius, ſi præſertim ordo ſermonis tam naturaliter illud exquirit? mortem ſibi imminere querebatur cum Jonatha David, timore ab ipſo expellere ſatagebat amicus, atque jurejurando, non quod timebat, eventurum pollicebatur: noſtram itaque lectionem a S. Hieronymo traditam inoffenſo pede percurrere poſſumus, eamdemque conſtanter retinere debemus.

Redundare etiam contendit Vulgati Cenſor hæc ad ℣. 15. verba = Auferat Jonathan de domo ſua, & requirat Dominus de manu inimicorum David =. Si redundantia appellet Sixtinus ea omnia, quæ in hodiernis Hebræorum codicibus non leguntur pauca profecto non ſunt, quæ in Vulgata noſtra redundare comperiuntur. Millies jam dictum eſt quod incumbat Sixtino demonſtrare eſſe Apocrypha, quæ in Vulgatis noſtris leguntur, atque in Hebraicis deſunt; cur in vetuſtiſſimis Hebræorum codicibus eà nequaquam fuiſſe non revincit? In Græcis profecto quamplurimis eadem ferme leguntur, paucis permutatis, quæ apud Vulgatum ad hunc verſiculum habentur. Hoc itaque pacto legunt Græca Exemplaria præſertim MS. Alexandr. ἐξαρθείη τὸ ὄνομα τοῦ Ἰωνάθαν ἀπὸ τοῦ οἴκου Δαυὶδ καὶ ἐκζητήσαι Κύριος ἐκ χειρὸς ἐχθρῶν τοῦ Δαυίδ; auferatur nomen Jonathan a Domo David, & requirat Dominus de manu inimici David = Ex hiſce exemplaribus in Latinos etiam codices effluxit iſta ſententia, quæ auferenda non eſt, ſicuti nec aliæ, donec per Eccleſiæ judicium de ejuſdem [illegible] definiatur.

Ad

Ad Verſiculum 16. *Melites* hebraicum verbum [illegible] *ubikkeſch* interpretatos eſſe, qui reddiderunt *ut requirat* Sixtinus affirmat, quam S. Hieronymum, qui convertit, *& requiſivit*. Verum ſi hebraicam orthographiam attendamus in hodiernis etiam codicibus congruentior fortaſſis apparebit S. Hieronymi lectio: vox enim hebraica [illegible] *David*, quæ immediate præcedit verbum [illegible] *ubikkeſch* notata eſt per accentum *Athnach*, cujus officium eſt medias diſtinguere periodos in ſermone, & membra orationis, ſicuti apud Latinos, duobus interpoſitis punctis, ſecernuntur; non ergo videtur legendum *pepigit fœdus Jonathan cum domo David, ut requireret Dominus*: ſed potius Sacer Hiſtoricus ſcripſiſſe videtur *pepigit Jonathan fœdus cum domo David: & requiſivit Dominus de manu inimicorum David*; ut oſtenderet jam, dum ſcribebat, Saulem, cæteroſque Davidis Adverſarios ſtato tempore pœnas dediſſe. Alii alio modo Sacra verba explicare nituntur; nobis tamen ſatis eſt ſi Vulgati lectio non poſſit erroris jure, meritoque notari.

Quæ ad ℣℣. 18. & 19. contra Vulgatum noſtrum Amama opponit, minime ejus videntur ponderis, ut illius lectionem cogamur relinquere, atque hodiernam hebraicam amplecti. Quidquid ſit enim de verſiculorum diſtinctione in hebraico textu hodierno, in quo a Maſſoretis ſtatuta fuit, ſatis eſt nobis quod integer habeatur ſenſus in noſtra, atque hiſtorica narratio veritati longe convenientior ſit in Vulgatæ litera, quam in Sixtini, aliorumve hebraizzantium interpretamentis. Quod itaque ad primam Sixtini Cenſuram, qua contendit non apte converſam eſſe hebraicam vocem [illegible] *veſchilaſchta pereudie*, ſpectat, quamvæ cum Pagnino *tribus diebus manebis* fuiſſe interpretandam adfirmat; nil negotii faceſſere arbitramur; vox quippe latina *perendie* diem tertiam indicare poteſt, cum diem ſequentem ad diem craſtinam denotet. Si ergo dixerimus hodie: *Romam perendie pergemus*: jam die ab hodie tertia quod ſimus perrecturi indicamus: hinc S Hieronymus ad ℣. 12. hujus Capitis eamdem hebraicam vocem, *perendie* eſt interpretatus dum ſcripſit *ſi inveſtigavero ſententiam patris mei craſtino, vel perendie*. Jonathas itaque hoc in loco ſuaſit Davidi ut aliquantulo Regis faciem declinaret, ſuumque locum ad Regis menſam vacuum relinqueret uſque *perendie*, atque feſtinus deſcenderet in locum præſignatum: Contendit itaque Amama non fuiſſe vertendum cum Vulgato *in quo celandus es in die, qua operari licet*; *ſed potius ubi abſconditus fuiſti die operis*; ideſt, alia vice dum apud patrem meum tuam cauſam peroravi (de qua ſermo eſt, inquiunt hebraizzantes, cap. 19. ℣. 2.) ut nimirum te non occideret. Hanc eſſe veram lectionem oſtendit vox [illegible] *niſtarta*, quæ temporis præteriti eſt, ait Cenſor.

Si vox illa tempus præteritum abſolute ſignificat; *cur abſcondes te* vertit Pagninus? Cur Vatablus *deliteſces* eſt eam interpretatus? Si autem iſtis ad futurum tempus eamdem pertrahere licuit, cur non S. Hieronymo? de his Grammatici agant. Fruſtra dubio procul Sixtious cum ſuis, verba illa *in die operis* ad hunc ſenſum referenda neceſſario, contendit, ut ſignificent diem, quo Jonathas cauſam Davidis apud Saulem agebat, cum ex contextu inferri legitime queat indicatum fuiſſe diem feſta Calendarum immediate ſequentem, qua operari licebat; hinc & Jonathas ſagittas emiſit quaſi ſe ad ſignum exercens; quod in die feſto non fuiſſet executurus, ut reor; Hoc plane ſenſu ea verba intellexit Auguſtinus Quæſt. 50. in Levitic. ſcribens = Jonathan loquitur ad David: eſto in agro in die operaria, id eſt in die qua ſit opus = eodemque modo LXX. Interpretes reddiderunt. Cur ergo his nullam fidem, totamque Sixtino præbebimus? Circa denique alteram accuſationem in Vulgatum noſtrum inſtitutam, quod vocem *Ezel*, *nomen proprium loci* ſignificare ſit opinatus, nihil reponimus, cum in Vulgata noſtra ſcriptum ſit *juxta lapidem qui dicitur Ezel*: vocula iſta in ſuo hebraico ſono relicta eſt, unde poſſumus ſic intelligere, *juxta lapidem qui dicitur viatorius*, ſive *qui dicitur ſignum perambulantium in via directivum*. Verum eccur locus ab Jonatha Davidi conſtitutus ſuam non poterat denominationem ab illius lapidis poſitione deſumpſiſſe?

Non pauca in Vulgatum Cenſor obloquitur ad ℣. 30 ut oſtendat ejus interpretationem = Fili mulieris virum ultro rapientis, nunquid ignoro quia diligis filium Iſai? = cum hebraica non adæque congruere; voces enim iſtæ [illegible] *ben-naavath hammarduth* ſonant *fili mulieris perverſe rebellis*, ſive *fili matris contumaciſſimæ*, ut Junius interpretatur.

Paucis ſe expediunt Sacri Interpretes ad hunc locum: conveniunt quippe omnes improperium, & quidem maximum a Saule ira fremente contra Jonathan fuiſſe prolatum; in idem autem recidit contumelia, ſive legamus cum Vulgato, ſive cum Rabbinis, ut Sixtinus expoſtulat; uxor enim, quæ ultro virum alterum ſibi complectitur, rebellis, contumax, & perverſa jure appellatur. Sunt qui putant Vulgatum noſtrum LXX. lectionem imitatum fuiſſe, qui in hebræo [illegible] *naaroth* pro *naavath* habebant, unde verterunt [illegible] *fili puellarum deſertricum*, ſive *fili perverſarum mulierum*, quæ ultro viros quærunt. Ad numerum ſingularem melius S. Hieronymus hanc lectionem perduxit.

℣. denique 33. Vulgato Sixtinus minime parcit quod hebraicam vocem [illegible] *vajiatel*, *& arripuit* ſit ioterpretatus, cum hebraicum verbum *& projecit* ſignificet. LXX. legunt *ſubſtulit Saul lanceam*, & ita pariter legebat Lucifer Calaritanus, ut patet ex ſuo lib. 1. pro S. Athanaſio. Verum nil ferme diſcriminis eſt in utraque lectione, nec S. Hieronymus in Vulgata negat lanceam a Saule fuiſſe projectam; ſed tantummodo arreptam fuiſſe deſcribit ad percutiendum Jonathan.

§. VII,

§ VII.

VAria ſunt in Vulgati lectione ad Caput 21. libri I. Samuelis loca, quæ reprehenſa a Sixtino conſpicimus, quaſi non apte ex Hebræo translata. Primum notat ad ℣. 5. in quo legit hebræa [illegible] *vehu derech chol veaph chi hajom jikddaſch becheli*, non cum Vulgato fuiſſe interpretandum, ſed potius = & ipſe via prophani; & etiam quod hodie ſanctificabitur in vaſe = obſcuram eſſe hebraicam hanc locutionem nemo inficiabitur: ſunt tamen qui pronomen [illegible] *vehu*, non in maſculino, ſed in fœminino genere vertunt *& ipſa*, ut apud Vatablum videri poteſt; quo in caſu ſi hæc ſententia cum præcedentibus conferatur, nonniſi Vulgati lectio luce aliqua perfunditur, cum ejus ſit fere obvius ſenſus: Mundi ſumus a mulieribus ab heri, & nudius tertius, unde ex cauſa iſta prohiberi minime poſſumus quin panes ſanctos comedamus; & quamvis iter, ſeu via, quam aſſumpſimus ex cauſa laica ſit, ſive prophana, ſanctificabitur & ipſa hodie in vaſis. Quomodo autem via in vaſis foret ſanctificanda, ſatis ab Expoſitoribus fortaſſis jam traditum eſt. Neque ipſa via, ut Sixtinus illudens expoſtulat, ſed homines viam ex cauſa laicali peragrantes, proindeque maculati, fortaſſis erant ſanctificandi.

Ad ℣. 7. hujus Capitis, ubi Vulgatus habet *intus in tabernaculo*, legendum contendit Amama *detentus coram Domino*. Quid tamen ad hebraicam veritatem in Vulgato deeſt, ſi exprimit Virum Idumæum fuiſſe intus in tabernaculo, ideſt in atrio, quod ſæpe tabernaculi nomine appellatur; quacumque de cauſa extiterit ibi detentus? veritas utique in hoc ſatis habetur, quod ibidem ſevera vir ille conſtiterit.

Non ſatis, Sixtini Cenſura contra Vulgatum noſtrum ad ℣. 13. inſtituta, nobis digna videtur ut in eam ſerio animum intendamus. Quid enim ad nos quod habeat Hebræa *& mutavit ſibi guſtum*, vel ut alii legunt *ſaporem*; ſi per hæc verba is debet in nobis ſenſus excitari, quod mutaverit David faciem, & os ſuum, more ſtultorum agens, modo illud aperiens, modo perſtringens; uno verbo totius corporis membris ſtulte operabatur; ita ferme cum Vulgato legebat S. Auguſtinus in Pſalm. 33. & Græca verſio. Ad alterum autem verbum [illegible] *vajitholel*, quod Sixtinus vertendum adfirmat *inſanum ſe fingebat*, nonne ſatis apte a Sancto Hieronymo *collabebatur* converſum fuit? nonne dum artificioſe collabebatur inter eorum manus, ſimulabat ab inſania ſe eſſe agitatum, atque a ſtultitiæ furore correptum? hoc utique ſonat hebraicum verbum, idemque eſt Vulgati ſenſus; hinc & Nobilius in ſua ex LXX. verſione verbum ipſum collabebatur retinuit. Ad alteram vocem tandem *jetan*, quam ex librariorum errato ſcriptam volunt in Vulgata noſtra *impingebat*, cum revera *pingebat*, ſeu *delineabat* ſignificet, dicimus in Græcis, & ex illis a S. Auguſtino lectum eſſe *procidebat*, & *tympanizzabat*, hoc eſt iteratis pulſibus impingebat in oſtia portæ; unde opinantur nonnulli in codice hebraico LXX. minime ſcriptum fuiſſe [illegible] *jetau*, *pingebat*, ſed [illegible] *jatof*, facile quippe eſt factam fuiſſe apocopen literæ [illegible] ſicuti Sixtinus ipſe apocopen literæ [illegible] ibidem contigiſſe fatetur. Hoc tamen urgentius minime premimus, cum facti ſubſtantia, quod ſcilicet David ſtultitiam variis ſimulaverit actibus in utraque lectione evidenter contineatur. Quod denique ſubjungit Sixtinus *de panibus propoſitionis* pro *panibus facierum*, vel *faciei*, jam pertractatum ſatis eſt in 1. Diſquiſit. Volumine pag. 249.

Nil ferme diſcriminis inter hebraicam, Vulgatamve lectionem ad Caput 22. ab ipſomet Cenſore eſt adinventum, ut idem confitetur. Pauca ſunt etiam ad Caput 23. Quid enim differentiæ cognoſcimus ad illius verſiculum 13. in quo Vulgatus ſcripſit *& diſſimulavit exire*, cum Hebræa legat [illegible] *vajiechdal & ceſſavit* (exire)? ceſſavit exire id eſt ac non exivit, ſive non exire decrevit; *diſſimulavit exire*, eſt idem *ac omiſit exire*. Ad ℣. 26. ejuſdem Capitis legit Vulgatus *David deſperabat ſe poſſe evadere*. Hebræa tamen utitur verbo [illegible] *nechphaz*, quod *trepidationem*, & *anxietatem* non vero *deſperationem* ſignificat, inquit Sixtinus. Non tamen ignorari poteſt verbum *deſpero* ſolitum eſſe adhiberi dum rebus difficillimis premimur, ita dicimur deſperare ſalutem alicujus dum gravi morbo eundem adeo correptum intuemur ut vix fiducia de ejus vita ſuperſit, quamvis de ea abſolute non deſperemus.

Ad ℣. 11. Capitis 24. cum habeat Hebræa [illegible] *veamar labaraghecha*, *& dixit ad occidendum te* redarguit Vulgatum noſtrum Sixtinus quod inepte verterit *& cogitavi ut occiderem te*, non enim, ait, eſt perſona prima, ſed tertia vox *amar*.

Utramque lectionem cum veritate conſiſtere inficiabitur nemo; aliquem ex ſuis militibus ſuaſiſſe Davidi ut Saulem occideret, habemus ad ℣. 5. hujuſce capitis; aſt reiicietur propterea eorum interpretatio, qui ajunt appetitum ultionis Davidi ſuggeſſiſſe ut inimicum occideret? quam propterea ſuggeſtionem Vulgatus expreſſit per verbum *cogitavi*, id eſt, in mentem mihi venit ut occiderem te, ſed pepercit &c.

Plurima ad Caput 25. Libri I. Samuelis Sixtinus adnotat in Vulgati noſtri lectione, ſed ea omnia ejuſdem prorſus videntur indolis ac in præcedentia capita adnurationes. Quid enim diſcriminis quæſo præſeferunt hebraica hæc verba [illegible] *kaſcheh verah mubalalim durus*, *& malus operibus*. ab iſtis Vulgati *durus*, & *peſſimus*, & *malitioſus*? Si verum fateri velimus apertius fortaſſe a S. Hieronymo reddita eſt hebraica lectio quam a Sixtino; vox enim [illegible] *balalim* ſignificat nedum *opera in ſe* ſed *opera* etiam ex calliditate ex aſtutia, & ob contemptum, & irriſionem aliorum facta; in his verſatum fuiſſe Nabal indicavit Sanctus noſter Interpres reddens hebraicam illam vocem per duo adje-

ſtiva *peſſimus*, & *malitioſus*, quæ ſonant Nabalem fuiſſe ſumme pravum non ſolum ex pravis operibus, ſed ex hujuſcemodi operibus callide, aſtute, & in aliorum contemptum petactis. Hanc conjecturam amplectantur, qui velint.

Quæ ab Amama ſub ℣. 6. & ſeqq. notantur leviſſimi ſunt momenti, cum nullam eſſentialem differentiam in ſenſum utriuſque lectionis Vulgatæ ſcilicet, & Hebraicæ invehant.

Ad ℣. autem 31. contendit Cenſor noſter hebraicas haſce voces [illegible] *lepuka ulmichſchol leb* fuiſſe reddendas in *vacillationem*, *& offenſionem animi*, minime vero cum Vulgato *in ſingultum*, *& in ſcrupulum cordis*. Cum thema [illegible] *vacillare*, *& titubare* ſignificet.

Qui aliquam de animo ſcrupulis agitatio ideam habent, optime norunt nullam alteram mentem præ ſcrupuloſa magis eſſe vacillantem ad hanc igitur vocem reſpexit S. Hieronymus, videlicet ad [illegible] dum *in ſcrupulum* ſcripſit; ad alteram vero [illegible] dum *ſingultum* reddidit; utraque tamen illarum vocum eamdem ſignificationem, nempe *offenſam* præſefert; ſed Paraphraſtes etiam Chaldæus vocem [illegible] eſt interpretatus *ſolicitudinem* quæ profecto cum Vulgato maxime videtur congruere. *Singultus* autem *cordis* animi mœrorem importat, qui neceſſario concipitur dum conſcientia aliqua offenditur actione minus recta. Tali pacto ſi S. Hieronymi verſio intelligatur, uti revera intelligenda eſt, nonne eumdem ſenſum cum hebraica lectione complectitur?

Aliqua etiam notantur ad Caput 26. ab Amama, quæ ne tempus teramus permittunt, cum nullam in ſenſu varietatem inducant; de illo tantummodo ſoliciti volumus eſſe, non de apicibus, vel literulis, earumque ſono: hinc ad ℣. 21. hujuſce Capitis ſatis apte verſam eſſe a S. Hieronymo hebraicam vocem [illegible] *vaeſchgbah*, *& ignoraverim*, intelligimus. Cum enim error proprie ſit ex ignorantia intellectus ut Grammatici animadverrunt, optime dicimus *ignoravi* pro *erravi* dum excuſandum defectum noſtrum ſuſcipimus. Habetur etiam error practicus voluntatis, qui cum exceſſu malitiæ committitur, dum videlicet quod bonum cognoſcentes ejus oppoſitum amplectimur. De hujuſcemodi errore locutus Saul ad Davidem credendus non eſt, ſed potius de errore intellectus; unde per ignorantiam ſe inſecutum fuiſſe virum innocentem quod diceret erat neceſſe. Omittimus quod hebraica vox prædicta *ignorantiam* proprie ſignificet, ut Pagninus in Theſauro animadvertit. Ita pariter ad ℣. 20. præcedentem fatemur verbum *perſequor* in paſſiva ſignificatione fuiſſe uſurpatum, non juxta latinæ orationis uſum, ſed tamen ſenſum legitimum non invertit Vulgatus, quinimmo omnibus notum eſt plurima verba antiquitus fuiſſe communia, quæ modo deponentia ſunt, ut docet Priſcianus lib. 12. qui in catholicon refertur.

Pauca ſub Capite 27. a Sixtino notata in Vulgati lectione aliquod nobis negotium faceſſere minime queunt, cum Sancti Hieronymi lectio ſenſum fortaſſis naturaliorem expreſſerit. Ad ℣. 1. hujus Capitis hebraica hæc verba [illegible] *battah eſſapheh jom-echadh bejadh ſchaul*, vertit S. Doctor = aliquando incidam una die in manus Saul =, quæ tamen lectio minime a Sixtino probatur, cum velit legendum *nunc conſumar die aliquo*, *&c.* Quænam ex iſtis naturalior eſt interpretatio? *Tandem*, inquiebat David, *aliqua die incidam in manus inimici Regis*. *Aliquando & una die* Vulgati idem ſonant ac tandem *aliqua die* ut per ſe evidens eſt. Verbum autem [illegible] nedum *conſumere*, ſed etiam *congregare* ſignificat atque *colligere*; colligar igitur verti poteſt verbum iſtud, & idem prorſus erit, ac *incidam*, idem enim & a Satellitibus colligi, ac in manus eorum pervenire, vel incidere.

Ridiculum ſe prodit Sixtinus dum S. Hieronymi interpretationem ad ℣. 3. huius Capitis irridere præſumit, quod vocem hebraicam [illegible] *bajizrebelith* verterit per nomen adiectivum *Iezrabelitis*; alteram vocem [illegible] *bachar melith* per nomen ſubſtantivum *Carmeli* ſit interpretatus. Quis hujuſcemodi nænias attenderit? Si tamen in gratiam Interpretis quidpiam velimus obtendere, minime deeſſe conjicimus. Achinoam itaque *Jezrabelitem* vocat, quia ex urbe *Jezrabel* eamdem fuiſſe ſupponit; optime etenim quis a patria ſua denominatur, ut *Cæſar Romanus*, *Ferdinandus Florentinus* &c. Nabal autem Patriam in Carmelo nequaquam habebat, eſto ibidem divitias bonorum ſuorum poſſideret, eumque locum aliqua, & fortaſſis majori anni parte incoleret qua de cauſa Nabal Carmeli appellabatur, ſicut de Cive Romano, qui ruri diutius habitaret, dici poſſit *vir ruris*, quamvis a rure, ejus nomen patrium deſumendum non eſſet: Marchiones etiam, & Comites *Domini*, ſeu *viri*, appellari poſſunt ſui territorii, ſed tamen patrium nomen ab ipſo non deſumunt, ſi Civitatem aliquam veluti ſuam patriam agnoſcant.

Ad ℣. 7. lamentatur Sixtinus quod omiſerit Vulgatus noſter *dies* ultra quatuor menſes, quibus in regione Philiſtinorum David commoratus eſt. Novum nihilominus non eſſe cognoſcimus quod Sacræ Literæ numerum integrum, & rotundum ſolummodo recenſeant, omiſſis particulis aliquot, quæ cum numero integro coniungi deberent; ita in recenſendis Patriarcharum annis numero integro ſemper utitur. Verum eſto *dies* illi recenſiti eſſent minime nobis certam cognitionem de tempore, quo David apud Regem Achis commoratus fuit, ingeſſiſſent; cum diverſimode verbum illud *dies* ab Expoſitoribus intelligatur. Quod ergo ad hiſtoriæ veritatem pertinet ſatis nobis facer Interpres propoſuit. Ad ℣℣. 11. & 12. quæ tradit Sixtinus in Vulgatum noſtrum, non fuiſſe videlicet aſſecutum vocum hebraicarum [illegible] *gravitatem*, dum reddidit *multa mala operatus eſt contra populum ſuum*,

cum

Digitized by Google

cum tamen interpretandæ eſſent = fœtidum reddendo ſœtidum reddidit ſe in populo ſuo = vel ut alii vertunt = abominabilem ſe reddidit populo ſuo = nec reſponſionem merentur; cum dignoſcat unuſquiſque hebraicam illam phraſim apud nos nequaquam exprimere cur David factus eſſet abominabilis; in Vulgati lectione ab oppoſito, ea Davidis geſta intelliguntur, per quæ neceſſario abominabilis ſuæ Genti eſſe debebat.

Ad Caput 28. quæ Cenſor noſter adnotat, levis utique ſunt momenti. Et quantum ad hebraicam vocem [illegible] *obo.b*, quam male ad ℣. 3. *Magos* converſam adfirmat, diſputatum eſt in Volum. 1. pag. 259. col. 2. Ad ℣. autem hujus Capitis 6. vocem [illegible] *urim* Sacerdotes reddidit S. Hieronymus eadem de cauſa, qua tali modo eam interpretati ſunt Vatablus, Clarius, aliique Expoſitores, qui optime noverunt ſolum ſummum Pontificem uti potuiſſe *Urim*, & *Thummim*, qui tamen tunc temporis ſimul cum Davide exulabat; unde ſoli Sacerdotes Deum poterant interrogare. Quod Vulgatus autem ad ℣. 11. ſcripſerit *quem ſuſcitabo tibi*, pro *quem aſcendere faciam*; & ad ℣. 13. ſcripſerit *Deos aſcendentes*, pro *Deum aſcendentem*, neque Romani Correctores hunc locum emendaverint, de quo præſertim Sixtinus obmurmurat; unuſquiſque facillime cognoſcit nullam prorſus in ſenſu differentiam adinveniri. Numerus autem multitudinis ſæpe pro ſingulari in hebraico idiomate uſurpatur, ut patet ex Capite 32. Exodi, in quo legimus dictum de uno idolo: *iſti ſunt Dii tui qui eduxerunt te de Terra Ægypti*; eum locum Sixtinus minime carpſit, eumdemque Romani Correctores reliquerunt; & hunc ergo omitti potuiſſe ſunt arbitrati.

Sub ℣. 16. Romani Correctores permutandam minime exiſtimarunt S. Hieronymi lectionem, *& tranſierit* ad *æmulum tuum*, quia æmulus poteſt & pro inimico facillime ex circumſtantiis intelligi. Verum S. Hieronymus noverat Davidem non eſſe Saulis inimicum, ſed ex divina diſpoſitione æmulator ad Regnum, ideſt Regni erat ſimul cum Saule ſtudioſus, & inſectator, quod proprie ſignificat nomen *æmulus* quamvis Saul eum veluti inimicum injuſte reſpiceret, atque inſectaretur.

℣. 17. Hebraicus textus hodiernus legit profecto *& faciet illi*, ideſt Davidi. Codex tamen Hieronymianæ verſionis *faciet tibi* conſtanter tenet, utraque lectio nihilominus veritati cohærere poteſt, ut per ſe patet. Quis definiat num in originario textu hebraico revera ſcriptum fuerit [illegible] *lo*, *illi* vel [illegible] *lcha*, *tibi*, poſt verbum *faciet*? potuit enim unius literulæ mutatio facillime in textu ex tranſcribentium errato contingere.

Sub ℣. ultimo ubi ſcripſit Vulgatus noſter = & ambulaverunt per totam noctem, = quod Sixtino minime arridet cum legat hebræa *& abierunt in nocte illa*. Non itaque intelligendus eſt quod totius noctis tempus in percurrendo conſumpſerint; ſed quod totum noctis reſiduum poſtquam comederant ambulaverint ut in caſtra antequam dies eluceſceret, reverterentur; Hoc autem temporis ſpatium in itinere fuiſſe conſumptum non eſt incredibile, cum in Endor ad Pythoniſſæ domum de nocte pervenerint; deinde Samuel, vel ejus figura per necromanticam artem fuit ſuſcitatus, & cum Saule locutus; vitulus ſaginatus occiſus, cœnaque parata, atque Saul eum ſuis paſtus; hæc omnia profecto majorem noctis partem abſorbere debebant; totum ergo reſiduum poterat in itinere conſumi uſque ad matutinum crepuſculum; unde Vulgati lectio a vero minime aberrat, ſi in ſuo legitimo ſenſu intelligatur.

Pari modo nullam contradictionem importat Vulgati lectio ad ℣℣. 10. & 11. Capitis 29. quamvis habeat quod David *mane* conſurgere deberet, & *de nocte*; mane quippe intelligi poteſt tempus poſt medietatem noctis decurrens; *de nocte* pariter intelligi etiam poteſt ſummum mane, ſcilicet dum incipit aurora conſurgere. Hæc tamen curanda non ſunt.

Ad Caput 30. nonnulla Sixtini Cenſura perſtringuntur, quaſi inepte a S. Hieronymo reddita fuerint ex Hebræo. ℣. 9. itaque, non legendum inquit cum Vulgato *& laſſi quidam ſubſtiterunt*, ſed *& reſidui*, ſeu *reliqui ſteterunt* nullam quippe in hebraico laſſitudinis mentio reperitur, cum ibi legamus ſolummodo [illegible] *vehaunotharim hamadhu*, reſidui ſteterunt.

Clarioti modo, ut poteſt unuſquiſque dignoſcere, reddere curavit S. Doctor divinum textum; cum enim in ℣. ſequenti 10. narretur ſubſtitiſſe ducenti Viri laſſi qui torrentem tranſire minime potuere, id & in hoc ℣. 9. indicavit Interpres, ne fortaſſis æquivocatio ſuboriretur circa numerum hominum Davidem ſtipantium; ſed unuſquiſque legentium dignoſceret *reſiduos iſtos*, qui ſteterunt, ex ipſo ſexcentenario numero fuiſſe: Falſum, eſt igitur quod nulla fiat in textu hebraico *laſſitudinis* mentio, cum ℣. 10. habeatur [illegible] *vajihamdhu mahthaim is aſcher piggeru mehabor & nachal ha Beſor* = & ſubſtiterunt ducenti Viri, qui laſſi ſunt ne tranſirent. id eſt tranſire non poterant torrentem Beſor = eſt ne aliqua *laſſitudinis* mentio in hebraico? nec dicat Sixtinus vocem *piggeru*, *pigros* hoc in loco denotare, vel *fingentes laſſitudinem*; quandoquidem facta poſteriora demonſtrant vere hujuſmodi milites, fuiſſe redditos ex itinere impotentes ad traſfretandum Beſor; cum enim Victor ex pugna Amalecitarum David reverſus eſſet ℣. 23. ſpoliorum partem eis voluit diſtribui, quamvis alii milites qui tranſierant torrentem, eam concedendam non eſſe contenderent: ſignum evidentiſſimum eſt neque fuiſſe ducentos viros iſtos vere pigros, neque ſimulatores.

℣. 17. Cum legat Hebræa [illegible] *vajiachchem Davidh mehanneſchef vehadh-hahereb*, Vulgatus autem reddiderit = & percuſſit eos (David) a veſpere uſque ad Veſperam = muſſitat in eumdem Sixtinus quod vocem hebraicam *neſcheph*, de ſe

indifferentem ad crepuſculum tam matutinum, quam veſpertinum ſignificandum, determinaverit S. Hieronymus ad tempus veſpertinum.

Dubium equidem apud Expoſitores ſupereſt adhuc circa tempus præciſum, quo David Amalecitas invaſerit, contendentes nonnulli ab aurora uſque ad veſperam eoſdem eſſe percuſſos; alii vero a veſpere uſque ad veſperam diei ſequentis, quæ opinio profecto innititur ſacræ literæ, eamque in ſua verſione Symmaeus expoſuit ſcribens apud Druſium [illegible] ideſt a crepuſculo, a quo adveſperaſſet. Clarius etiam, Vatablus, & Munſterus docent idipſum, & non immerito, eum Amalecitas diſcumbentes manducantes, & bibentes, & quaſi feſtum celebrantes inveneriꝛ David, quæ omnia ad matutinum crepuſculum, dum optimo ſopore corpora quieſcunt via contigiſſe potuerunt.

Quod tandem ad ℣. 10. hujus Capitis Sixtinus notat non Davidem minaſſe gregem, ſed ejus milites, & ſocios. Quænam ſunt quæſo hujuſcemodi oppoſitiones? Sicut David princeps erat, & Dux, ei quidquid milites operabantur, merito adſcribi poteſt.

Duo tandem ſub Capite 31. hujus Libri notantur ab Amama; alterum eſt ad ℣. 3. in quo legit Hebræa ויחל מאד מהמורים *vajiachel meodh mehammorim* quæ non cum Sancto Hieronymo = & vulneratus eſt vehementer a Sagittariis = transferenda contendit Cenſor noſter cum nuſquam verbum ויחל *vulnerandi* ſignificationem præſeferat, ſed tantummodo vel *timendi*, vel *prophanandi*, vel *dolendi* notionem includat; unde textum prædictum in Vulgato corrigendum eſſe cum Cajetano, & Benedicto, *& timuit valde a Sagittariis*, tuetur.

Falſum omnino, ſi Lexicorum Scriptores fabulas non venditarunt, verbum ויחל non includere vulnerandi ſignificationem, quinimmo inter alias multas hanc primo loco eidem affigunt. Verum unum tantummodo advertimus in Capite 10. Libri I. Paralipomenon in hebraico textu haberi verbum ויחל *vajiachel*, ubi agitur de prælio Saulis, & illud Pagninus, aliique hoc modo ſunt interpretati, & vulneraverunt (eum). Quare ergo non poterat hoc in loco Sanctus Hieronymus *& vulneratus eſt vehementer*, transferre?

Ad ultimum hujus Capitis verſiculum excuſari a ſe non poſſe Vulgatum Interpretem Sixtinus proteſtatur, quod verterit = & ſepelierunt in nemore Iabes = quaſi, inquit, nemus vocaretur Iabes: legendum eſt ergo, concludit, *in Iabes*. Quid reponet ſi vocem *Iabes* dixerimus eſſe in caſu genitivo poſitam a Vulgato? Norunt omnes *Iabes* eſſe Civitatem; nunquid in Civitate ſepulta fuiſſe Saulis oſſa demonſtrat Sacer textus? Cur ergo nemus illud appellari non poterit *nemus Civitatis Iabes?* Sepultas ergo reliquias Regis tradit Vulgatus in nemore Iabes, ideſt in nemore Civitatis Iabes. Plurima levioris momenti, quæ a Sixtino in ſua cenſura perſtricta ſunt, ut brevitati, in quantum poſſumus conſulamus omiſimus.

§. VIII.

INnumera ſunt quæ in ſecundo Samuelis Libro annotata conſpicimus ab Amama, eo ſemper contendens ut Vulgatæ noſtræ lectionem temeratam eſſe, violatamque demonſtret. Tria ergo ad Caput primum hujus Libri expurgata Sixtinus exoptat. Primum ſub ℣. 18. in quo ſuperfluere hæc verba *conſidera Iſrael pro his qui mortui ſunt ſuper excelſa tua vulnerati*, propugnat; quemadmodum & hæc altera ad ℣. 26. *Sicut Mater unicum amat filium ſuum, ita ego te diligebam* confodienda tuetur, cum nec in Latinis, nec in Græcis, vel Hebraicis codicibus perlegantur. Sub eodem hoc ℣. pariter non bene per hæc verba *decore nimis, & amabilis ſuper amorem mulierum*, expreſſam cognoſcit vim hebraicæ phraſis, quæ eſt longe pregnarior, quam a Vulgato ſit reddita; unde potius legendum putat = dulcis fuiſti mihi valde; admirabilis mihi fuit amor tuus præ amore mulierum =

Ad primum ergo quod attinet: optime norunt Catholici quilibet Expoſitores verſiculum illum eumdem eſſe in ſenſu & re cum verſiculo ſequenti; duplex autem iſte verſiculus creditur exortus a duplici interpretatione, quarum una fuit Aquilæ & verſum iſtum præſefert; altera vero S. Hieronymi, quæ verſiculum ſequentem, ſcilicet = Inclyti Iſrael ſuper montes tuos interfecti ſunt. Si autem cur uterque verſiculus ſit in Vulgata relictus interrogemur, id reſpondere poſſe opinamur, quod tradit Abulenſis quæſt. 13. in Cap. I. Libri 2. Regum. Hebræam quæ legit = Decor Iſrael vulneratus eſt ſuper excelſa tua = decurtatam eſſe, & barbaram, & ideo litera noſtra magis eam hic exponit, quam transferat = Nam quia dicitur in Hebræo, ait idem Abu-
„ lenſis laudatus, *o* quod eſt adverbium vo-
„ cativum, & incitativum dixit litera noſtra
„ *conſidera Iſrael*, quia iſtud inducit atten-
„ tionem, & excitationem; & quia iſta
„ excitatio erat ad aliquid, de quo agitur
„ in propoſito, ſcilicet de mortuis in bello,
„ dixit litera noſtra *conſidera Iſrael pro iis*
„ *qui mortui ſunt*: & quia dicitur in hebræo;
„ *pulchritudo Iſrael ſuper excelſa tua occiſus*
„ dixit litera noſtra inclyti Iſrael ſuper mon-
„ tes tuos interfecti ſunt: & quia inclyti
„ ſunt glorioſi, & iſti vocantur *pulchritu-*
„ *do* = Hinc dictum eſt clarius in Vulga-
„ ta = o Iſrael attende quia pulchritudo
tua, ideſt viri excellentes tui occiſi ſunt ſuper montes tuos = Hæc Toſtati reſponſio tanti exiſtimetur, quanti valere cognoſcitur.

Non leviter tamen hujus Scriptoris doctrinam fulciri dignoſcimus ex LXX. Interpretum verſione in qua legimus: Στήλωσον Ἰσραὴλ ὑπὲρ τῶν τεθνηκότων ἐπὶ τὰ ὕψη σου τραυματιῶν ideſt, = erige Iſrael monumentum in memoriam defunctorum, qui in excelſis tuis occiſi ſunt =. Quæ autem habentur in Vulgatis noſtris ad ℣. 26. deeſſe in Codice etiam S. Hieronymi nequaquam inficiamur, unde meram eſſe explicationem præcedentium verborum plures Catholicorum opinantur;

legun-

leguntur tamen in MS. Corb. n. 13. intra textum & eadem manu exarata, ut teſtatur Sabatierus, nec non in MS. German. n. 9. quod tandem non ſatis expreſſe reddita ſit hebraica phraſis ad hunc ipſum ℣. 26. nec tantillum officit Vulgatæ lectioni, cum ex eadem ſatis intelligamus vehementem quammaxime fuiſſe Davidis amorem in Jonatham; quod ad hiſtoricam veritatem omnino ſufficit.

Plurima ſunt, quæ Sixtinus ad Caput 2. Lib. 2. Samuelis carpit in Vulgati noſtri interpretatione. Ad ℣. 8. in primis, & in ſequentibus dum occurrit, vocem hebraicam [illegible] *machaneim* non bene *caſtra* eſſe converſam adfirmat, cum ſit nomen proprium loci, ultra Iordanem in Tribu Gad conſtituti.

Sanctus Hieronymus hanc ſuorum obtrectatorum in libro *de locis Hebraicis* accuſationem prævenit dum ſcripſit = Et dixit „ Jacob Caſtra Dei hæc ſunt; & vocavit „ nomen loci illius Caſtra; ubi hic Caſtra poſita ſunt in hebræo habet [illegible] *mahanim*, ut „ ſciamus, ſi quando interpretatum in alio „ loco ponitur, quem locum ſignificet = Non S. Hieronymi ergo vocem hebraicam latina ſignificatione interpretantis eſt culpa, ſi in aliena ſignificatione illam legentes intelligunt, ſed eorum qui ſatis Scripturam Sanctam non perſcrutantur; ſatis ſe declaravit in citato Libro S. Doctor, ut veram intelligentiam illius vocis aſſequamur. Minime hic replicare juvat contra Sixtinum, quæ adverſus ejus Cenſuram in ℣. 20. Cap. 18. Libri 1. Samuelis oppoſuimus circa translationem nominum hebraicorum: ea ibidem videantur.

℣. 9. hujus Capitis cum verterit S. Hieronymus *& ſuper Geſſuri* dum Hebraica legit [illegible] *vehel haaſchuri*, *& ſuper Aſſuri*, contendit Sixtinus *Geſſur* de quo in Cap. 3. libri hujus 2. fit mentio, non eſſe confundendum cum *Aſſuri* præſenti.

Incertum eſt prorſus apud Commentatiorum ſcriptores quænam regio hoc in loco ſignificetur, cum nonnulli conjiciant terram *Geſſur* ſuum habuiſſe Regem, qui tributum Isboſetho penderet, cujuſque filiam poſtea David ſibi deſponſavit, ut ab Isboſethi partibus Principem illum ad ſuas reduceret. Alii alia conjectant, Nos hujuſcemodi lites minime reſolvendas dſumpſimus; cum ſolummodo in Vulgatæ lectione errores non contineri ſuſceperimus demonſtrandum. Quamdiu ergo per hebraicam vocem revera *Tribum Aſer* ſignificari non oſtenderit Amama, atque neceſſario ſcribendum eſſe *ſuper Aſer*; Vulgatæ noſtræ lectionem haud relinquemus.

Ad ℣. 10. ubi Vulgatus ſcribit *duobus annis regnavit*, non poſſe hæc verba conciliari cum tempore, quo revera Isboſeth regnavit, Sixtinus animadvertit; unde tempus duorum annorum referendum eſſe ait ad intervallum illud, quod inter aſſumptionem ipſius Isboſethi ad thronum, & expeditionem ab Abner ſuſceptam contra Davidem; quapropter legendum eſſe opinatur *duobus annis regnaverat*; deinde in parentheſi ponenda cætera verba uſque ad finem verſiculi 11. poſtea incipiendum eſſe ℣. 12. hoc modo *quando egreſſus eſt Abner*.

Plures etiam Catholicorum Interpretum ante Sixtinum docuerant duos illos annos in Regno completos ab Isboſeth Epocham ſtatuiſſe expeditionis Abner, & bellorum inter Domum Davidis, & Saulis, hac autem poſita opinione, atque in parentheſi, juxta Sixtini hypotheſim, eiſdem verbis conſtitutis, quin ad præteritum pluſquam perfectum *regnaverat* confugiamus, conſiſtit peroptime Vulgati lectio ad hanc phraſim perducta. *Duobus annis regnavit Isboſeth, poſtea egreſſus eſt Abner*.

℣. 23. Vulgati interpretationem *in inguine* minime congruere Cenſor noſter adfirmat cum hebraica veritate, in qua eſt [illegible] *el hachomeſch* ideſt *ad quintam coſtam*. Ecquid *ad quintam coſtam* ſignificare non poteſt *juxta* vel *prope quintam coſtam*? & tunc locus a S. Hieronymo indicatur peroptime cum hebraica lectione cohæret.

Notat Cenſor noſter ℣. 24. ſe neſcire quonam modo potuerit Vulgatus Interpres hebraica hæc verba [illegible] *ghibbhath ammah*, *collem aquæductus*, & [illegible] *giach*, *vallem* interpretari. Quomodo Vatablus, reſpondemus, potuit in hunc locum ſcribere, quod *Amma*, *rivum*, ſeu *aquæductum* ſignificat? S. Hieronymus in ſua verſione certe aquæductum eſt interpretatus, nec tamen illius vocis ſignificationem eum latuiſſe opinabimur, qui, fatente Sixtino, Hebraicæ linguæ peritiſſimus erat. Idipſum ad vocem *giach* reponimus, quæ ſi deſcribatur per [illegible] *giah*, ipſis fatentibus rigidis Hebraiſtis, *vallem* ſignificat. Quis modo definiat in vetuſtis Hebræorum codicibus quo pacto ſcripta fuerit? Nos profecto maximi facimus S. Hieronymi verſionem qui pluribus in locis Hebraica nomina, quæ tanquam propria licet habeantur, tamen per id, quod ſignificant, nobis eſt interpretatus, ut hoc in verſiculo præſtitit.

Ad ℣. 26. vocem [illegible] *lanetſach* male converſam *uſque ad internicionem* contendit Amama cum potius *in perpetuum* ſignificet. Quid eſt quæſo *uſque ad internicionem*, *niſi uſque in finem*, *uſque dum unus eſt ſuperſtes*; idipſum ſonat *uſque in perpetuum* in Divinis literis ſæpe ſæpius, ut nemo unus ignorat. In poſteriori hemiſtichio, in quo legendum opinatur Sixtinus = Nonne noſti quod amaritudo ſit in noviſſimo? = Non a mente Sacri auctoris longe receſſiſſe fatetur Vulgatum noſtrum, dum legit = an ignoras quod periculoſa ſit deſperatio = Nos autem longe meliorem Vulgati lectionem exiſtimamus ſi latinam phraſim, quæ Abneri ſententiam exprimat, velimus attendere naturale quippe eſt quod Abner dixerit ad Joab: cur non ceſſas perſequi fratres tuos? vis ne eos omnino deſtruere? ſcias quod ſi ad deſperationem eoſdem perducis, te, tuoſque & ipſi in periculo vitæ conſtituemus; deſperatio enim extrema quæcumque tentare non deſinit. Talis videtur Vulgati ſenſus, qui ab Hebraica lectione nequaquam recedit ſi illa exponatur tantiſper.

Pſu-

Paucia nos ipſos expedire poſſe minime ambigimus a Sixtini Cenſura ad ℣℣. 27. 28. & 29. hujus Cap. contra Vulgati lectionem inſtructa. Mutetur tantummodo *coma* in Vulgato ac legatur *ſi locutus fuiſſes mane receſſiſſet populus:* ideſt: ſi hac mane hoc pacto locutus fuiſſes, nec ſuror belli inter eos excitatus fuiſſet. Ad ℣. 28. eſt in utraque lectione idem ſenſus, cum idem ſit dicere *nec iniere amplius certamen ac & non addiderunt pugnare amplius*. Ad ℣. denique 29. ſive legamus *Bithron*, ſive *Bethoron* cum Vulgato, locum diverſum intelligamus oportet a duabus civitatibus *Bethoronim* quarum una ſuperior, inferior altera dicebatur; ſed tertius locus nomine *Bethoron*, vel *Bithron* inter Gabaon, & Jordanem juxta nonnullos exiſtens, vel inter Gabaon Benjamin, & Soccho, juxta aliorum opinionem circa Jordanem concedendus eſt, per quem Abner cum ſuis in Manahim revertens pertranſiit.

Quæ ad Cap. 3. Lib. 2. Samuelis a Sixtino notantur parum negotii faceſſere nobis videntur. Quid enim, ſi Vulgatus ad ℣. 10. hujus capitis, hæc hebraica verba [illegible] *chareta veritcha itti*, tranſtulit *fac mecum amicitias*, pro *excinde fœdus tuum mecum*, admiſit erroris? quodnam fœdus a Davide poterat Abner expoſcere, niſi de ineunda cum eo ſocietate, & amicitia poſt diutinum bellum inter domum Isboſethi, & Davidis laceſſitum?

Ad ℣. 21. Sixtinus in Romanos correctores invehitur quod non mutaverint in numerum multitudinis verbum *ineam tecum*, ſcribentes *ineant tecum* ſicut habet Hebræa [illegible] *vejicbretu ittecha*. Codex utique Hieronymianæ verſionis *ineant* legit, ſicut & Biblia polygolotta Antuerpienſia, variiſque alii Latini Codices. Alii vero numerum ſingularem præſeferunt, qui profecto legitimum ſenſum optime ſervat: Si enim Abner fœdus cum Davide percutiebat jam totus Iſrael in ejus ſententiam concedebat; cum cum ab illo Tribus Iſrael magis quam a filio Saulis regnante dependerent.

Vulgati interpretationem ad hæc hebraica verba [illegible] *umachazik bapelech*, & *tenens fuſum*, ſub ℣. hujus Capitis 29. minime comprobat Cenſor noſter; cum potius *tenens baculum*, cui ſcilicet inhæreat præ dolore morbi pedum, legendum velit. Verumtamen & ipſe fatetur huic voci *pelech fuſi* notionem convenire Proverbiorum 31. ℣. 19. Cur ergo eamdem hoc in loco ipſimet voci ſignificationem pernegabimus? Multa adverſa domui Joab David eſt imprecatus, inter quæ, cur & iſtud eſſe non potuit quod ſcilicet mulieres domui Joabi ad eam egeſtatem deveniſſent ut vili arte nendi ſibi victum quæritarent? vel, ut alii volunt, viri ejuſdem domus ita puſillanimes fierent, & vecordes, ut fuſum præ gladio & lancea eis conveniret?

Sub ℣. 35. eum ſcripſerit S. Hieronymus = Cumque veniſſet univerſa multitudo cibum capere cum David = reprehenditur a Sixtino eo quod verbum hebraicum [illegible] *lebabroth*, eum ſit in conjugatione *Hiphil*, non *ad comedendum*, ſed *ad comedere faciendum* ſignificet, unde legendum hoc in loco = cumque veniſſet univerſa multitudo ad comedere faciendum, ſive ad cibandum Davidem =.

Norunt Tyrones aliqua eſſe in conjugatione *Hiphil* verba, quæ modo ſignificationem neutram, modo autem activam tranſitivam præſeferunt; ea autem diſtinguenda ex orationis ordine, & ſenſu. Quis credat modo populum ad funera Abneri profectum voluiſſe cibare Davidem, ſi conſuetudo erat ut in domo defuncti convivium funebre inſtitueretur, vel in altero loco idoneo? Ad comedendum ergo illa multitudo veniebat, ut etiam LXX. expreſſerunt his verbis [illegible] & venit omnis populus ad convivium funebre manducare (cum David) Hæ diverſæ lectiones tamen, nil quoad rei ſubſtantiam permutare videntur, quod hiſtoricam veritatem labefactet.

§. IX.

PReſſiori quo poſſumus ſtylo Amamæ Cenſuram contra Vulgatum in ſequentibus Scripturæ locis inſtructam inſectabimur. Ad ℣. itaque ſecundum Cap. 4. Libri 2. Samuelis hæc hebraica verba [illegible] *ſare ghedbudhim*, non *Principes latronum* cum Vulgato vertenda, ſed *Principes turmarum* contendit.

Unius tantummodo ſi teminiſcatur Cenſor noſter ſatis erit; ſcilicet S. Hieronymum latine ſcripturam Divinam Latinis reddidiſſe; quorum eſt latinarum vocum ſignificationem percipere. Vox itaque *Latrones* non ſemper viarum obſeſſores, qui viatores aut vita, aut pecunia ſpoliant, ſignificat; ſed aliquando *Latrones*, conducti milites dicebantur, qui ad tuendam Principis vitam, & corporis erant deſtinati, hujuſmodi autem Stipatores Principis, *Latrones*, quaſi *Laterones*, quod circa ejus latera procederent, appellati ſolebant. Eodem *Latronum* nomine apud Poetas etiam venatores nuncupantur. Denique Latrones il conducti milites etiam dici ſolebant, qui ad diripiendam, devaſtandamque hoſtium regionem mittebantur, atque ex iis vivebant, quæ ſuis viribus, & induſtria hoſtibus diripiebant. Quamcumque ex prædictis notionem voci *ghedbudhim* aſcribamus, optima erit latina noſtra Vulgata interpretatio.

Ad ℣. 5. deeſſe in Hebraicis Codicibus, & in Chald. ea verba = & oſtiaria domus purgans triticum obdormivit = Cenſor noſter animadvertit. Nos autem adjungimus eadem in Codice etiam Hieronymianæ verſionis ex hebraico expreſſæ deſiderari; unde hebraicæ veritati verſionem illam S. Doctoris apprime congruere ſemper convincimur. In Græcis tamen Codicibus ea reperiri verba Sabatierus adnotat, ſicuti & in MSS. Codicibus Corbejen n. 1. intra textum eadem manu. Corbejen. n. 3. licet iſte alia id genus additamenta in marginibus exhibeat. Corbejenſ. n. 13. ea profert in inferiori margine,

Digitized by Google

gine; Græca autem exemplaria legunt καὶ ἰδοὺ ἡ θυρωρὸς τοῦ οἴκου ἐκάθαιρε πυροὺς καὶ ἐνύσταξε καὶ ἐκάθευδε *& ecce oſtiaria Domus purgabat frumenta & dormitabat, & dormiebat*: non igitur verba illa tam facile inter apocrypha reiicienda, quamvis in hebraicis Codicibus tempore S. Hieronymi jam deeſſent. Quæ tandem ℣. 6. de ſpicis triticeis leguntur, in Codice S. Hieronymi habentur ut in Vulgata; eorum autem verborum legitimus ſenſus ab Expoſitoribus exquiratur.

Plurima Sixtinus ad ℣℣. 6. & 8. Cap. 5. congeſſit ex Rabbinorum ſcriptis, ut lucem aliquam ſub obſcuris hiſce ſcripturæ locis effundat. Nos id ſacris Commentatoribus relinquere judicavimus, cum res inſtituti præſentis, in quo de ſola Vulgati lectione agimus, non ſint. Redarguit itaque Vulgati interpretationem Cenſor noſter quod habeat *cæcos & claudos odientes animam David*, cum potius legendum ſit *cæcos & claudos exoſos animæ David* שנאי *ſenue* quippe *exoſos*, non *odientes* ſignificat. Redarguit ulterius cum Cajetano hujus vocis אל הבית *el-habaith* interpretationem hanc *in templum*, cum *in Domum* ſit legendum.

Quantum ad primum dicimus vocalia puncta in hebraicis noſtris codicibus indicare quod ſit legendum *exoſos*; verum verſio S. Hieronymi, LXX. & Scholiaſtes Hebraicus, atque Auctor quæſtionum in Lib. 2. Regum referentes hebraicum textum habent *odientes*, quæ ſignificatio diverſa ex punctorum varietate originem habet; ante Maſſoretas puncta vocalia non habebantur.

Ad ſecundam vocem quod pertinet dicimus ſignificare quidem de ſe *Domum*; ſed hanc nimis vagam ſignificationem fuiſſe ad aliquem ſingularem locum neceſſario determinatam; neque enim proverbium illud ſignificabat a quacumque domo cæcos, & claudos eſſe removendos; hinc LXX. & Vulgatus de expulſione a Domo Domini proverbium iſtud intellexere. Videantur Commentatores in hunc locum.

Ad ℣. 12. ſtrepit Sixtinus quod legat Vulgata = Et quoniam exaltaſſet regnum ejus ſuper populum ſuum Iſrael = cum hebræa *propter populum ſuum* præſeferat. Cuicumque facta iſta perlegenti oppido innoteſcit naturaliorem eſſe Vulgatæ ſenſum, quam Hebraicæ; cum David de Regni ſtabilitate ſuper univerſum Iſrael hoc in loco videatur ſolicitus, ut patet etiam ex Cap. præcedenti dum Abneri mors narratur & ſepultura. Non tamen in hebraica etiam legitimum eſſe ſenſum ignoramus.

Sub ℣. 23. Vulgati lectionem objurgat Sixtinus, quod ſententiam illam = Si aſcendam contra Philiſthæos & trades eos in manus meas = in hebraicis, variiſque græcis codicibus deſideratam præſeferat, quamque expungendam Cajetanus, Benedictus, aliique prædicarunt. Nos etiam eſto fateri compellamur eam revera in prædictis non haberi codicibus, quinimmo nec in Chaldaicis; proindeque hoc in loco ex aliquibus græcis exemplaribus aſſutam eſſe, & quidem poſt S. Hieronymi ætatem, cum in ejus ex hebraica verſione minime legatur, nihilominus expungendum non eſſe opinamur cum ſit vera facti expoſitio explicita, quæ implicite in aliis codicibus continetur profecto; Duabus quippe vicibus Philiſtiim in valle Raphaim diffuſi narrantur in hoc Cap. contra David. Primo itaque David Dominum conſuluit, an adverſus eos deberet aſcendere? Secundo pariter conſuluiſſe Dominum legimus, ab eoque fuiſſe reſponſum *non aſcendes*. Vulgata expreſſe tradit qua de re a Davide Dominus fuit etiam ſecunda vice conſultus; ſicuti prima vice cur Deum conſuluerit tradunt Hebræi, Græcique Codices. Quod autem revera *num deberet aſcendere* David Deum conſuluerit contra ſecundam Philiſtinorum expeditionem, patet ex divino reſponſo *non aſcendes*: nil ergo quod jure reprehendi queat, exponit lectio Vulgatæ ſub hoc verſiculo. Extat tamen ſententia illa in Codice Sangerman. 7. in MSS. Corbejenſ. n. 3. & 13. in editione vero Ald. hoc modo legitur εἰ ἀναβῶ πρὸς τοὺς ἀλλοφύλους, καὶ παραδώσεις αὐτοὺς εἰς τὰς χεῖράς μου.

Remanet in hoc Capite una vox hebraica בכאים *bechaim*, quam S. Hieronymus Aquilæ interpretationem ſecutus, *pyrorum* eſt interpretatus. Alii nihilominus *mororum*, alii *arborum*, alii tandem *flentium*, eamdem tranſtulerunt. In quonam potius interpretamento ſiſtemus gradum nos ipſi, quam in alio? utique in Hieronymiano, quod uſque modo retinet Eccleſia. Non abs re locuturos arbitramur, qui dixerint eas omnes appellationes eidem loco potuiſſe convenire. In cap. 2. Judicum ℣. 1. loci cujuſdam fit mentio, qui *locus flentium* ibi nominatur; pluribus autem eam inſidere intuemur opinionem ut ille Judicum locus, unus ſit, idemque cum iſto. Variis autem arboribus eumdem collem juxta facierom diverſitatem conſitum eſſe poſſe pyris ſcilicet, & moris quis inficiabitur? vocem autem hebraicam *bechaim* genericam eſſe, & arborem in communi ſignificare, ſunt qui tuentur; nulla igitur repugnantia in Vulgati aliorumque interpretationibus reperitur, quoties locus ille binominis aut etiam trinominis fuiſſe concedatur; nec identitas, ut Scholæ ajunt, illius vocis hebraicæ quid negotii faceſſit, quia certa ejus ſignificatio minime nobis innoteſcit; unde Scriptorum aliqui eamdem in ſuo hebraico ſono *Bechaim* reliquerunt, ſcribentes pro *ex adverſo pyrorum*: *ex adverſo* Bechaim; & altero in loco *in cacumine Bechaim*. Quidquid ſit tamen Vulgati lectio erroris nequaquam revinci poteſt.

Aliqua ſub Cap. 6. Lib. 2. Samuelis, quæ S. Hieronymus ex Hebræo eſt interpretatus, ſtylo cenſorio notantur ab Amama; atque in primis ad ℣. 2. legendum opinatur non cum Vulgato = Surrexitque David, & abiit, & univerſus populus, qui erat cum eo de viris Juda; ſed potius..... *& abiit...... ad baala Juda*, Baala enim eſſe Civitatem Cariathiarim in terra Juda, eamdemque hoc in loco deſcriptam pro certo tenet.

Omittamus modo inſignium Scriptorum ſen-

ſententiam, qui contendunt Arcam Dei ex Cariathiarim in Maſpha, inde in Galgalis, poſtea in Nobe, ac tandem in Gabaa fuiſſe translatam, ex quo loco, Davide imperante, ad domum Obededon perductam tuentur. An ne propterea inficiabitur Sixtinus vocem hebraicam [illegible] *babale* ſignificare *viros fœderis*, ſeu *fœderatos*, vel *viros equeſtres*, vel *viros Duces*, ſeu *Principes?* Cur ergò Vulgatus non leget *& abiit David, & omnis populus qui erat cum eo de viris Juda* ſibi confœderatis vel equeſtribus, ideſt nobilibus, vel familiarum Principibus? Credibile profectò eſt Davidem a nobilibus & Principibus ſuæ Tribus ſtipatum inceſſiſſe Cariathiarim verſus, ubi Arca Domini quieſcebat.

Vocem etiam [illegible] *beroſchim* interpretandam contendit Cenſor noſter ad ℣. 5. non *fabrefactis*, cum S. Hieronymo, ſed *abietum*. Quis non ſtupeat de Sixtini ſtupiditate? loquitur ſacer textus de inſtrumentis muſicis hoc in loco, quæ ex lignis abiegnis ut plurimum conſtruebantur. S. Hieronymus indicat quodammodo in ſua verſione muſica inſtrumenta, dum hebraicam vocem interpretatur *in omnibus lignis* fabrefactis; Cenſor autem noſter nullam volebat inſtrumentorum notionem voci eidem affigi, nullamque determinationem concedi, ſed eamdem relinqui in ſua generalitate; atque legendum = & omnis Iſrael ludebant coram Domino in omnibus lignis abietum = videatur Pagninus in theſauro ad vocem [illegible].

Quod notat Cenſor ad ℣. 6. ſuperflua nimirum eſſe ea verba *& declinabant eam*, maximi non facimus cum nullum inde præjudicium Vulgatæ noſtræ timere poſſimus; Comma ſiquidem iſtud in Hieronymiana verſione non legitur; in variis tamen pervetuſtis MSS. exemplaribus reperitur, ut in German. 7. & Corbejen. 3. teſte Sabatiero. Eadem ferme leguntur in Lib. 1. Paralip. Cap. 13. ℣. 9. apud Vulgatum nec non itidem in S. Hieronymi verſione, quam hebraicæ veritati apprimè congruere, ſæpius innuimus.

Verſiculum 12. hujuſce Capitis his redundare verbis in Vulgata noſtra *& erant cum David ſeptem chori, & victima vituli* Sixtinus contendit; quæ pariter in S. Hieronymi verſione deſiderari compertum eſt, leguntur tamen in editione LXX. a Nobilio elaborata & in aliis exemplaribus, ex quibus in Vulgatam translata ſunt; nec proſcribenda, cum veritatem in ſe contineant, & clarius exponant quod in Hebræo ſubintelligere compellimur; de choris enim fit mentio 1. Paralip. Cap. 15. de victimis autem hoc in loco ℣. ſequenti.

Parvi momenti, quæ deinceps hoc in Capite Sixtinus reprehendit, videri queunt. Quid enim inconvenientis in hac interpretatione *aſſaturam carnis bubulæ unam*, ſi a catholicis Interpretibus iis verbis intelligitur ea carnis portio quæ aſſata uni ſufficit perſonæ? Nonne hæc interpretatio cum eorum lectione convenit, qui hebraicum vertunt *unam partem*, vel *portionem carnis?* Aliud autem hebraicum verbum [illegible] *aſchiſcha*, quod *lagenulam vini* vertendum contendit, LXX. Interpretes, & S. Hieronymus hic, & in I. Paralip. conſtanter vertunt *laganum de ſartagine*, vel *ſimilam friximo oleo* eamdem vocem Cant. 2. ℣. 5. vertunt *floribus*: hæc itaque una eſt ex æquivocis vocibus apud Hebræos plura ſignificantibus: iſto autem in loco cum de ſacrificiorum partitione a Davide facta probabilius ediſſeratur in ſacro textu; veroſimilior eſt Vulgati interpretatio.

§. X.

QUæ ad Caput 7. hujus Libri cenſorio ſtigmate in Vulgati lectione ab Anama ſignantur, non ejus videntur indolis, ut aliquam mereantur animi [illegible] quid enim erroris eſt in Vulgati interpretatione ad ℣. 8. dum vertit hebraica hæc verba [illegible] *min baunaveb, de paſcuis?* vox illa, fatente Pagnino in Theſauro, modo *caulam*, modo *hominis habitaculum*, modo tandem *paſcuum* ſignificat. Conferantur modo cætera, quæ in hebræa leguntur, & ſtatim optimam eſſe S. Hieronymi hoc in loco interpretationem innoteſcet. Sacer hic textus profert dixiſſe Dominum ad David *tuli te de.... ut eſſes Dux &c. de tugurio, de ovili de caula* legendum Sixtinus contendit: integer tamen hebraicus proferatur textus, ut aliquam lucem Vulgatæ lectioni, ſi fieri poteſt, affundamus, [illegible] *ani lekachticha min-bannaveb mebachar hatſſon*. Pagninus in hunc textum latine reddit. *Ego tuli te de tugurio euntem poſt oves*. In hac profectò verſione caſus ablativus *de tugurio* nequaquam ad verbum *tuli* referri poſſe videtur, cum Deus neutiquam tulerit Davidem de tugurio, ſi eum tulit euntem poſt oves: caſum itaque illum ad participium *euntem* referre debemus tanquam terminum *a quo*, ut loquuntur Scholæ. Si autem tulit euntem poſt oves, nonne ibat, dum perducebat eaſdem ad paſcua? *de paſcuis* ergo brevi ſtylo expreſſit S. Hieronymus peroptime, dum prædictum hebraicum textum eſt interpretatus; in ſua enim lectione clare indigitat S. Doctor fuiſſe Davidem profeſſione ovium paſtorem. Nimii profectò fuimus hoc in loco contra Sixtinum; ſed non ſatis ad ejus intemperantiorem criticam refellendam.

Inutilis pariter judicanda Sixtini reprehenſio ad ℣. 16. ubi ait vocem [illegible] *neeman* non *fidelis*, ſed *firma* fuiſſe interpretandam. Quid eſt *fidelis* in primis niſi *indeficiens* niſi *firmiter perſeverans?* diverſum nihilominus ſenſum hac in ſententia alii Interpretes agnoverunt S. Cyprianus, & Lactantius, ille in Lib. 1. & 2. Teſtimon. iſte in Lib. 4. Inſtit. Cap. 13. legunt *& fidem conſequetur Domus ejus*. S. autem Auguſtinus in Lib. 17. de Civit. Dei Cap. 8. legit cum Vulgata.

℣. 19. cum reliquerit S. Hieronymus vocem hebraicam [illegible] *adam* in ſuo naturali ſono, eum redarguit Cenſor, quaſi de primo

homi-

homine ſit voculam illam interpretatus; nil de hoc expreſſe poſuit S. Interpres, quidquid deinde Expoſitores ſint meditati; *Adam* profecto *hominem* ſignificat. Pro hujus loci intelligentia Commentatores videantur. Certe S. Hieronymus in Lib. 2. contra Pelagianos = hæc eſt (ſcribit) lex hominis =

Ad ℣℣. 23. & 27. nihil eſt quod merito reprehendatur ab Amama, cum fateatur & ipſe etiam in hebraico textu eſſe aliquid ſubintelligendum ut ſententia ℣. 23. conſiſtare queat; quod autem Vulgatus ſingulari numero, pro numero multitudinis ſit uſus, nullum ſacræ lectioni erratum immiſcuit, cum hæc numerorum permutatio frequenter in Divinis literis habeatur; Sacrorum Expoſitorum eſt legitimi ſenſus interpretationem proponere.

Varia notantur ad Caput 8. a Cenſore noſtro; ſed præſertim redarguit interpretationem, quam S. Hieronymus de verbis iſtis [illegible] *metheg haammah* nobis exhibuit *frænum tributi*, contendens nullimode in hebraicis hiſce vocibus notiones illas contineri; hinc quotquot notiones illas adoptarunt Interpretes ructibus, ſalivisque conſpergit.

Nunquid ſolus Sixtinus veræ ſapientiæ [illegible], ut genuinam hebraicarum vocum notionem acquirat, eſt conſecutus, in tenebris interim S. Hieronymo, aliiſque hebraicæ linguæ magiſtris cæſpitantibus? Sibi fidem habeat Cenſor iſte. *Frænum tributi* habet codex Hieronymianæ verſionis, nullumque Scholion in margine apponitur, quemadmodum in cæteris ab hebræa variantibus factum eſt. Obſcuritate quam maxima voces iſtas eſſe circumvolutas fatentur omnes; notionem tamen *fræni* in voce [illegible] *metheg* agnoſcunt Vatablus, Clarius, Munſterus, & alii, qui obſervant ab Hebræis *aquæductum* appellari *frænum rivi*, quia per ipſum aquæ quo volumus perducuntur, ut fræno perducitur equus; a Davide ergo captus eſt locus iſte in quo aquæductus exiſtebat. Munſterus tamen cum aliis, a Davide ablatum eſſe arbitratur jugum ſubjectionis, quod Iſraelitæ uſque ad id temporis Philiſtæis habuerunt; nec tantummodo ſervitutis ſeu tributi frænum a fronte Iſraelitarum David excuſſit, ſed inſuper Gath ejuſque viculos occupavit. Quia tamen ad hunc textum Cenſor locum, conjecturam, teſtes, ſe cedere profitetur, cur nobis iſta omnia deſumere erit illicitum? en ergo conjecturam noſtram. *Metheg* quod *frænum* ſignificet, ultra prælaudatos Auctores, Scriptor hebraicarum Concordantiarum pluribus Scripturæ locis hoc ipſum demonſtrat; vox autem [illegible] plures ſignificationes includit juxta diverſitatem punctorum vocalium quibus conſociatur; ſi enim ſub *Aleph* & *mem* duo *Cametzim* collocentur *ancillam* ſignificat; ſi ſub *Aleph* ſcribatur *patach*, & *Camets* ſub *mem*, in qua daghes infigatur, *cubitum* ſtatim denotat; ſi tandem ſub *Aleph* deſcribatur *Kibuts* & *daghes* in *mem* relinquatur, & camets ſub eadem *mem* collocetur, tunc a voce iſta *gentem*, *nationem*, & *populum* ſignificari teſtis eſt in ſuo Theſauro Pagninus. Quis modo definiat a Maſſoretis punctorum vocalium auctoribus optime eſſe determinatam vocem illam ad ſignificandum *cubitum*, ſi de ſe poterat etiam ad ſignificandam *gentem* vel *populum* vel *nationem* determinari, per ſolam deſcriptionem *Kibuts* ſub *Aleph*? voces itaque illæ in ſua radice *frænum gentis* vel *populi* ſignificare queunt; quid eſt *frænum gentis* niſi ſubjectio gentis? niſi frænari tributis & impoſitionibus? Videantur Toſtatus quæſt. 3. in Cap. 8. lib. 2. Samuelis, Cornelius, aliique Commentatores...

℣. 2. hujus Cap. nimis audacter ſtrepit Amama contra Vulgatum, qui legit = menſus eſt duos funiculos, unum ad occidendum, & unum ad vivificandum =. Quis enim veriorem judicet lectionem, quam hodierna litera hebraica præfefert, *& menſus eſt duobus funiculis ad occidendum, & plenitudine funiculi ad conſervandum in vivis?* Nonne ſi in hebræorum codicibus una permutetur coma ad hunc locum eadem eſt Vulgata & hebraica lectio? poſt verbum *funiculis* ponatur coma, atque legamus = menſus eſt duobus funiculis; ad occidendum (uno, ſubintellige) & plenitudine alterius ad vivificandum = Quis demonſtret duas partes Moabitarum fuiſſe peremptas, & unam præſervatam? Si potius ad vitam præſervati in plenitudine funiculi leguntur fuiſſe; ideſt, ut exponunt, in majori parte? Duæ itaque fuerunt ſortes Moabitarum, altera ad vitam; altera ducebantur ad mortem.

Ad ℣. 7. legit Vulgatus *arma aurea*; legendum Sixtinus opinatur *clypei aurei*. Nomine *armorum* inſtrumenta quælibet bellica intelliguntur. ℣. tandem hujus Capitis ultimo ubi ait male filios David appellari *Sacerdotes* a Vulgato, cum *Principes* aut *Primores* dici debuerint. Vox hebraica [illegible] *Choanim*, *Sacerdotes* quidem ſignificat; ſed Lectorum intelligentiæ relinquitur germana ejuſdem vocis ſignificatio hoc in loco; noſcunt omnes hac voce *Sacerdos* nedum *Sacrificulum* ſed & *Principem* & *Primorem* ſignificari, ut ſacri Expoſitores oſtendunt.

Sub Cap. 9. Libri 2. Samuelis tria reperit increpanda Sixtinus. Primum ad ℣. 2. in quo legendum tuetur juxta hebraicam *& vocaverunt eum ad David*; cum tamen Vulgatus *quem cum ad ſe vocaſſet Rex*. Alterum ad ℣. 11. ubi Vulgatum expreſſiſſe hebraica verba [illegible], ut ipſe ait, conqueritur, cum alibi nimis extiterit liberalis. Inter hæc duo itaque & ac *Miphiboſeth* interſerendum contendit *reſpondit David* atque legendum: *& reſpondit David: Miphiboſeth comedet ſuper menſam meam &c.* Tertium tandem eſt ad ℣. 12. ubi legendum judicat ex hebraica voce [illegible] *moſchab*, *habitatio* non *cognatio domus Sibæ*.

Ad primum facilis eſt reſponſio cum David per ſervos ſuos Sibam acciverit, æquali modo dici poteſt *& vocaverunt*, atque *vocavit Rex*. Ad ſecundum: nullam eſſe neceſſitatem interſerendi has voces *reſpondit David* tuentur, qui totam ſententiam ℣. 11. expreſſam, ipſius Sibæ eſſe opinantur; adeo ut ejus ſit ſenſus = Sicut juſſiſti ſervo tuo

ſic faciam, & non ſolum filio Miphiboſethi cibos, ut ulatur, ſuppeditare curabo, ſed ipſe etiam, Miphiboſeth, ſi velis, comedet ſuper menſam meam quaſi unus de filiis Regis =. Ad ultimum dicimus nomine *habitationis domus* non magis intelligi totam familiam Sibæ, quam per alteram vocem *Cognatio* eadem familiu intelligatur.

Tria ſub Capite 10. hujuſce Libri notantur ab Amama in Vulgati lectione, veluti illegitime Latinis reddita vocibus ea hebraico; quorum primum ℣. 6. adinvenimus, ubi noo ſatis uttigiſſe S. Hieronymum hebsaicæ locutionis energiam exclamat; longe enim prægnantiorem futuram interpretationem opinasur ſi hiſce concipiatur verbis = Videntes filii Ammon quod fœtidi facti eſſent Davidi = quam ſi cum Vulgato legerimus.... *quod injuriam feciſſent Davidi*. Ni fallimur vividins in Vulgata, illius ſententiæ ſenſus eaprimitur; quia poteſt quis alteri ſœtidus fieri, etſi nullam io ipſum committat injuriam; noſtra autem lectio injuriam, & quidem maaime deteſtabilem ab Ammonitis Davidi irrogatam ſignificat.

Redarguit ſecundo Vulgatum noſtrum ad ℣. 16. quod vocem iſtam חלם *Helam*, tauquam nomen proprium, loci minime expreſſerit. Verumtamen cum locus iſte in verſiculo immediate ſequenti exprimatur, ſatis iotelligimus quo Syrorum exercitus fuerit uſque perductus, ſi u Davide in Hela fuit profligatus. Quod tandem in ℣. 19. ſuperfluere contendat hæc verba = expaverunt, & ſugerunt quinquaginta & octo millia coram Iſrael = nihil ſoliciti ſumus, deſunt quippe & in S. Hieronymi verſione, & in Græcis exemplaribus. In vetuſtis nihilominus latinis caemplaribus exhibentur, v. g. in MS. Germun. 7. quemadmodum & in altero German. 9. nec non in Corb. n, 3 ut teſtatur Sabatierus. Antilogiam tandem quæ ſpecie tenus in ℣. 18. hujus Capitis, cum ℣. 18. Capitis 19. Lib. 1. Paralipom, apparet, in Conciliatorio Biblico reſolvemus.

Duo notantur ab Amama in Cap. 11. hujus Libri; alterum ad ℣. 2. in quo legit Vulgata *accidit ut ſurgeret David.... poſt meridiem*, eum in hebraica lectione habeatur *tempore veſpertino*. Citat deinde lectionem S. Hieronyini in quæſtionihus hebraicis; in quibus traditur fuiſſe vertendum ad ℣. 1. *tempore quo Reges ad bella proceſſerant*, minime vero, *quo ſolent Reges ad bella procedere*, ut Vulgatus interpretatus eſt. Hæc autem a ſe notanda exiſtimavit, ut oſtendat eſſe non poſſe S. Hieronymi verſionem Vulgatam quatuor Librorum Regum. Alterum vero locum ad ℣. 21. cenſuru perſtrinait, quod Vulgata legat *Jerobaal*; cum *Jerubbeſchet* habeat hebræa. Solent autem, inquit, Hebræi rerum exoſarum nomina paululum in earum contumeliam permutare.

Quiſque noſtrum Sixtini animum ex ejus cenſura palam habet; eo quippe contendere nititur, ut a nobis S. Hieronymi interpretationem ſubducat, indeque ſtatim, legitimum Dei sevelatum verbum Catholico-Romanæ Eccleſiæ deeſſe, poſſit inferre; cum tudem quamdam interpretationum congeriem ab imperitis hinc & inde collectum in Romanorum Bibliis contineri, ſi S. Hieronymo ablegetus Vulgata lectio, demonſtrare, ſibi blandiantur Hetherodoxi. Iſta de cauſa a ſe notatum Sixtinus teſtatur quidquid ſua cenſura ad ℣. 1. hujus Cap. perſtrinxit, eademque ratione, illius loci Vulgati ioterpretatio cum S. Hieronymi emendatione in hebraicis quæſtionibus ſacta, ab eodem Sixtino collata fuit. In vanum tamen laborant, qui ſupra firmam petram non ædificant. Super arenam ædificavit mehercle cenſor noſter, dum pro certo ſuppoſuit quæſtiones Hebraicas in Libros Regum genuinum eſſe S. Hieronymi fœtum; quod utique negunt in Critica arte peritiores. Num autem potius Vulgati quam alterius lectio primi verſiculi hujuſce Capitis ſit retinenda ſeries narrationis evidenter demonſtrat, eo vel maxime quod Sixtious confiteatur hebraicam literam eſſe ad utrumque ſenſum indifferentem. Eapoſitio autem hujus Verſiculi, quam Auctor Quæſtionum Hebraic. proponit, contraria videtur hiſtoricæ veritati; cum altera in Ammonitas hoc in loco recenſeatur expeditio diverſa omnino ab ea, quam fecit in Reges Roob, & Iſtob, & Soba Rex David.

Quid innuamur ad eam retundendam maaime frigidam in S. Hieronymum Sixtini expoſtulationem ſub ℣. 2. *de tempore veſpertino*, Satis indicavit, & quidem pleniſſime, temporis circumſtantiam S. Interpres noſter (quem velit, nolit Sixtinus S. Hieronymum eſſe gloriamur, ut jam in 1. Diſquiſitionum Volumine u Pag. 205 diſputavimus) dum ſcripſit *poſt meridiem*, tempus enim iſtud, *veſpertinum* appellari poteſt, veruntamen vox iſta *veſpertinum*, tempus nocti propinquum, juxta communem notionem, ſignificat; tempore autem in hoc textu deſignato ſurreaerat David e ſtrato ſuo; & e ſolario domus ſuæ videre potuit mulierem ſe lavantem; iſtæ circumſtantiæ palam faciunt quam accurate temporis circumſtantiam deſcripſerit in ſua verſione S. Hieronymus.

Nihili pariter facimus aliquantulam illam vocis *Jerobaal* mutationem, quam in hebsaica intuemur; pluſquam ſatis nobis eſt vera conceptuum expreſſio in ſacris Literis.

§. XI.

Ad nauſeam uſque legentium protractuiri rem hanc noſtram pro Vulgari interpretatione adverſus Sixtinum inceptam minime ambigimus, ſi minutiores, atque contemptibiles ejuſdem redargutiones, quibus Vulgatam noſtram maculatam erratis publicare molitur, omnes, ſingulaſque velimus conterere. Quid ad nos ſi ad ℣. 15. Capitis 12. hujuſce libri vertit S. Hieronymus *&* *deſperatus eſt*, pro *deſperate ægrotavit*, ut Siatinus expoſuit? Si pariter ad ℣. 21. interpretutus eſt *quis eſt ſermo, quem feciſti?* pro *quæ eſt res, quam feciſti?* nunquid novum eſt in Sacris literis quod *verbum*, &

ſer-

Digitized by Google

termo pro *factis* quam ſæpe uſurpentur? ℣. 6. hujuſce Capitis nonne legimus = eo quod fecerit verbum iſtud?

In Capite 13. Verſum 5. Vulgati veluti mutilum notat, cum in hebræa legamus = ut faciat in oculis meis pulmentum; ut videam, & comedam = Deſunt profecto eadem hæc verba in Codice Hieronymianæ verſionis, quapropter & in Hebraicis, quibus S. Pater utebatur defuiſſe credenda ſunt, niſi velimus dicere per eorum defectum nullam eſſe in facti narratione deficientiam, proindeque a S. Interprete omiſſa, eo vel magis quod in ſequentibus eadem ferme iterata perleguntur.

Ad ℣. 6. hebraica verba [illegible] *utlabbev lebene ſchette levivoth* utut ab aliis diverſimode reddantur, Vulgati interpretationem his verbis conceptam = ut faciat in oculis meis duas ſorbitiunculas = minime improbari poſſe confitetur. Verſiculis 18. & 19. vocem hebraicam [illegible] *paſſim* vertit utique Vulgatus *talarem*, non polymitam. Vocem illam hebraicam variis donari ſignificationibus ab Interpretibus, eſt compertum. Lyranus ait in hebræo eſſe *tunica ſerica*. LXX. reddidere *tunicam talarem*; & Joſephus hyſtoricus rerum hebraicarum veſtigator diligentiſſimus narrat hoc modo Thamaris factum = & diſrupto collotio, quo utebantur antiquæ Virgines, habente manicas, & ad talos uſque perfuſo = Symmachus vocem illam hebraicam, eſt interpretatus *manicatam*, Aquila *talarem* tamen verti etiam *polymitam* poſſe nequaquam inficiamur. Quod autem voculas illas ad ℣. 19. [illegible] *aſcher haleha, quæ* (tunica erat) *ſuper eam*, omiſerit Vulgatus noſter, nequaquam genuinam divini verbi lectionem in diſcrimen perduxit, cum ſuper Thamarem tunicam illam fuiſſe intelligamus ex ℣. 18. præcedenti, in quo legitur = quæ induta erat talari tunica =.

Quæ deeſſe ad ℣. 21. ex Luca Brugenſi Amama notat, etiam in codice Hieronymianæ verſionis deſiderari compertum eſt; quapropter & in hebraicis, quibus utebatur S. Doctor, codicibus minime extitiſſe credenda ſunt. Ex hiſce, quæ confitemur, videat Adverſarius Vulgatæ noſtræ quam firma, quam valida, quam hebraicæ veritati conſona, quæ ex codice illo in Vulgatæ lectione roboranda producuntur. Leguntur nihilominus ea verba in variis Græcorum codicibus, & præſertim in editione Nobilii, legebantur in codice hebraico Joſephi, ut opinamur cum Calmeto, quia eadem ipſe in lib. 7. Antiq. Cap. 7. deſcribit; eadem profert auctor lib. *de Promiſs.* apud Proſperum; eccur ergo expungenda a Vulgata noſtra, ſi in originariis hebræorum fontibus extitiſſe eſt credibilius? Idipſum reſponderi poteſt ad ea quæ ſub ℣. 27. ſuperfluere adfirmat, in pluribus ſcilicet Græcorum codicibus adinveniri, nec non in Latinis, ut Sabatierus teſtis eſt.

Tandem Verſiculi 39. interpretationem a S. Hieronymo factam his verbis = Ceſſavitque Rex David perſequi Abſalom = carpere non omittit Sixtinus, eo quod hebraica hæc verba [illegible] *vattechal Davidh hammelech latſeath el Abſalom*. Significent potius = & deſideravit David Rex exire ad Abſolom = neque enim, inquit, duo hæc verba *techal*, & *latſeath* notionem includunt *ceſſandi*, & *perſequendi*, ſed potius *deſiderandi*, & *exeundi*; compertum enim eſſe ait verbum [illegible] *chilla* nullibi extare in ſignificatione *ceſſandi*, nec intranſitive alicubi reperiri.

Hoc in loco aut ludit Sixtinus, aut veritatem illudit; prædictum hebraicum verbum ad Caput 18. Geneſeos ℣. 33. in ſignificatione *ceſſandi*, & quidem intranſitive reperitur; cum ibidem ſignificet *ceſſavit*, *complevit*, *finivit &c.* Quid eſt *complere perficere*, *finire*, niſi *ceſſare* apud latinos *ab aliqua actione?* quod autem *exire ad Abſalom* in hoc loco idem ſignificet ac *perſequi Abſalom*, ideſt habere illum tanquam reum, & inimicum evidens eſt ex iis, quæ capite ſequenti referuntur. Si enim deſiderabat Rex egredi ad filium ſuum captus ejus amore, ut videret illum, quomodo potuit Abſalomi redeunti in Jeruſalem interdicere ne videret faciem Regis? duobuſque revera integris annis faciem patris ſui videre non potuit ut patet ex ℣. 28. Cap. 14. Libri 2. Samuelis.

Varia Sixtinus ad Cap. 14. Libri 2. Samuelis in ſua collegit Cenſura, quæ minus idonee ex Hebræo converſa opinatur. Sub ℣. 7. itaque vocem hebraicam [illegible] *ghachalthi prunam meam* eſſe legendum contendit, non ut Vulgatus, *ſcintillam meam*.

Quis neſciat apud Latinos in more eſſe, dum parvum reſiduum alicujus rei, parvulamque portionem volunt exprimere, ut voce iſta *ſcintilla* utantur? = In illam igitur curam incumbe mi Plance, ut ne qua ſcintilla teterrimi belli relinquatur =, ſcribebat Cicero ad Plancum, ut nec parvum belli reſiduum relinqui permitteret. Ad Latinos tradendam ſcripturæ verſionem adornavit S. Hieronymus, conceptum ergo, & ſenſum Latinis expreſſionibus fuiſſe declarandos optime noverat S. Pater. Verſiculus 13. ſi quid ſubobſcuri præſefert, ut Cenſor exiſtimat, ſatis a Catholicis Commentatoribus luce donatus fuit. In ℣. 14. nullum eſſentiale diſcrimen quoad ſenſum in Vulgati lectione ab ipſis hebraizzantibus eſt adinventum, quinimmo vividius fortaſſis explicatam ſententiam præſeferet. Quid ad nos ſi in hebræa non legitur verbum *retractat?* ſi ibidem legimus *cogitat cogitationes* quod idem eſt ac *reſolvit*, *recogitat*, *repetit*, *retractat cogitationes*. Dum autem Vulgatus ſcribit, *ne pereat qui abjectus eſt* idem ſignificat prorſus ac ne *tollatur de medio*, *ne moriatur*. Veruntamen exponi phraſis illa etiam poteſt *de æterno exitio*, dummodo pro termino comparationis a muliere inſtitutæ, Deus ſupponatur, qui multoties peccatores æterna damnatione dignos, ne penitus pereant, cogitat quomodo, quibuſve mediis revocentur ad pœnitentiam, atque ab æterna damnatione liberentur; ita, ut Rex David erga filium Abſalom ſe gereret mulier illa ſapientiſſima inſiſtebat, quamvis fratricidii reus exiſteret.

℣. 14. legendum defendit Cenſor noſter juxta hebraicam veritatem = nunc autem quod veni ad loquendum ad Dominum meum Regem verbum hoc, quod timere me fecerunt populus = nunc autem quod veni ad loquendum ad Dominum meum Regem verbum hoc, quod timere me fecerunt populus = unde a Vulgato perperam omiſſam, queritur, vocem [illegible] *aſcher*, quod, in principio Verſiculi male converſum verbum [illegible] *jeruni*, *præſente*, deductum a ſignificatione *videndi*, ex qua profecto hujuſcemodi verbum removeri ait a particula cauſali [illegible] *chi*.

Legitimam omnino credimus S. Hieronymi lectionem in Vulgata exiſtentem; particula enim [illegible] ipſo confitente Sixtino, poteſt hic [illegible] omnino exiſtimari: verbum autem [illegible] tam *videndi* quam *timendi* poteſt ſignificatione donari; neque ſi pro verbo *video* uſurpetur eidem officit hoc in loco particula [illegible] quæ *cauſalis*, *conditionalis*, *& temporis* eſſe poteſt; quapropter nil vetat quin hebraicum textum legamus = & nunc veni ut loquar ad Dominum meum Regem verbum hoc, *quando videbant me populus* = pro illis autem ultimis verbis nemo inficiabitur ſubſtitui poſſe a Latinis *vidente me* ſive *præſente populo*. S. Hieronymum ſatis hebraicam linguam habuiſſe perſpectam ſupponimus.

Nec pariter aliquantulo movemur a Rabbinorum lectione quam ad ℣. 17. hujus Capitis proferunt = ſit verbum Domini mei Regis ad quietem = ideſt, quieſcere me faciat; ut eamdem Vulgati, & LXX. Interpretum præferamus lectioni, quæ eſt = fiat verbum Domini mei Regis ut ſacrificium = verbum hebraicum [illegible] *leminchа* ex diverſa punctorum vocalium appoſitione legi poſſe *limuucha*, *in requiem*, minime inficiamur; ſed Maſſoretis LXX. & S. Hieronymum anteferimus.

Quæ tandem deeſſe ait in ℣. 30. hujus Capitis = & venientes ſervi Joab &c. dicimus haberi in Græcis exemplaribus, excepta una Complut. editione: leguntur pariter in pluribus Latinis MSS. quamvis defuiſſe in hebraicis jam ex S. Hieronymi tempore dubitare non ſinat S. Doctoris verſio ex hebraico expreſſa, in qua pariter deſiderantur. Cætera in hoc Capite a Sixtino notata, nullius ſunt momenti.

§. XII.

IN Capite XV. quæ notantur ab Amama nullam conſiderationem videntur mereri, cum de ſenſuum integritate nihil perturbent. Satis locutionis proprietatem ad ℣. 6. hujus Capitis S. Hieronymus retinuit dum ſcripſit = & ſollicitabat corda virorum Iſrael = ſeducebat enim filios Iſrael, atque a Regis obedientia removebat. Ad ℣. 12. autem in verſione S. Hieronymi cum eamdem videamus verſuum diſtinctionem quam in Vulgata; cumque incerti ſimus an accentus magnus *Athnath* Maſſoretæ in ſua propria locaverint ſede, non eſt cur a Vulgatæ Syntaxi recedamus, cum optime in eadem ſenſuum & orationis ordo conſervetur.

Ad ℣. tandem 20. quæ deſunt in Hebræo in Græcis leguntur codicibus atque in pluribus Latinis, ut Sabatierus in ſuis adnotationibus teſtatur. Vox denique [illegible] *taph*, quam ad ℣. 22. *multitudo* convertit Vulgatus, quæve *parvuli* transferenda erat, ut opinatur Sixtinus, ſi *collective* ſumitur *cætum*, *multitudinem* ſeu *familiam* ſignificat, ut auctor Hebraicarum Concordantiarum ſcribit; Davidem ergo, juxta Vulgatum, ſequebatur Ethai, & univerſa familia ejus, & non ſolum ipſe cum parvulis ſuis; quod eſt veroſimilius. Sub Cap. 16. duo nullius momenti prorſus a Cenſore noſtro, ſtigmate ſevero ſignantur.

Ad Caput 17. Vulgati interpretationem Sixtinus ſub ℣. 2. redarguit primo quod verbum [illegible] *bacharadthi*, *percutiam* exhibeat, cum potius *deterrebo* debuiſſet converti. Secundo quod habeat eadem noſtra interpretatio *deſolatum*, pro *ſolum relictum*.

Quantum ad primum verbum illud etiam *pugnare* ſignificat, & iraſci. Contextus nedum Davidem deterrere, ſed & percutere voluiſſe Achitophel palam facit; voce denique *deſolatum* quidnam ſignificetur, clarius eſt, quam dicatur; de ſenſu enim ſoliciti ſumus.

℣. 3. hujus Capitis in Vulgari interpretatione prorſus inverſum fuiſſe Sixtinus exclamat, cum in Vulgata noſtra legamus = quomodo unus homo reverti ſolet = cum tamen ſcribi debuiſſet *omnis homo*.

Varias eſſe Auctorum interpretationes ad hunc verſiculum ſatis compertum eſt; in Codice Hieronymianæ verſionis legimus profecto *omnis* pro *unus*, hoc modo = & reducam univerſum Iſrael, quomodo omnis reverti ſolet = Rabbi Levi eodem ferme pacto hujus verſiculi ſenſum reddit = reducam univerſum Iſrael ad te. Percutiam virum, quem tu quæris; atque hoc erit, ac ſi reducerentur omnes = ſenſus etiam eſſe poteſt = Percutiam Regem derelictum a ſuis, eoque mortuo, reducam ad te univerſum Iſrael, quia multitudo, amiſſo capite, quaſi unus homo eſſet, unanimi conſenſu reverti ſolet. Hunc ſenſum breviori ſtylo propoſitum legimus in Vulgata. Lucas Brugenſis in ſuis adnotationibus docuit qua de cauſa multi latini codices habeant *omnis homo*; unde ulterius non progredimur, cum apud ipſum, vel apud Eſtium ad hunc locum hæc videri queant.

Sub ℣. 20. non probat Cenſor noſter harum vocum [illegible] *michal hammaim* interpretationem Vulgatæ *paululum aquæ*, cum Hebræa legat *rivum aquæ*. S. Hieronymus in ſua verſione reddidit profecto *paululum aquæ*; idipſum ferme legunt LXX. unde Grotius conjectat eundem legiſſe in hebraica [illegible] pro *michal*, neque enim alibi comparet in hebræa hæc vox [illegible] pro *rivo* uſurpata, non eſt igitur relinquenda Vulgati lectio tot annorum ſpatio in Eccleſia retenta, ejuſque auctoritate comprobata.

Tandem ad ℣. 29. numquam rejiciemus S. Hieronymi lectionem *pingues vitulus*, cum hebraica litera [illegible] *uſchphoth bababar*,

ele-

elevationes bovum ſonet, quidquid hebraizzantes moderniores S. Hieronymo *de caſeis vaccinis*, de *coagulationibus bovum* vaticinentur.

In Cap. 18. Lib. 2. Samuelis nonnullæ deprehenduntur voculæ, quas Amama in ſua notavit cenſura; nonnullæ pariter verborum tranſpoſitiones indicantur, quas omittere operæ pretium ducimus, cum nec leviter lædant legitimam Divinæ hiſtoriæ narrationem. Ad ℣. 23. ſcribit S. Hieronymus *per viam compendii ideſt per breviorem*. Hebræi vero *per viam* planam legunt, vel *per viam vallis*. Veritas tamen facti eſt, quamcumque ſemitam calcaverit Achimaas, quod prius Chuſi ad Regem pervenit, eſto iter antea iſte ſuſcepiſſet.

Sub Capite 19. parites hujuſce libri quæ ab Amama reprehenduntur nullius momenti eſſe videntur. Ad ℣. 18. quæ Vulgarus convertit *tranſierunt vada*, Hebraizzantes interpretari malunt *tranſivit Scapha*, quia ex ulterioris fluminis ripa, Davidis familiam ad oppoſitam reduxerunt. Vulgatus autem ſolummodo Jordanem eos tranſiviſſe ſignificavit, quod eſt facti hiſtorici eſſentialis expoſitio, niſi dicere velimus in hodiernis hebræorum codicibus permutatam eſſe literulam finalem [ ] in verbo [illegible] *haberu traſierunt*, ejuſque locum datum fuiſſe literæ, ſeu aſpirationi [ ] atque ſub [ ] camets eſſe collocatum quod incredibile non eſt; cum S. Hieronymus, qui certe perſonas noſcebat in hebraicis verbis cujus generis eſſent, cujuſve numeri, *tranſierunt vada* ſit interpretatus; nec Hebraicus Scholiaſtes quidpiam adnotavit ad ejus verſionem.

Ad ℣. 8. Cap. 20. hujus Libri Vulgati interpretationem Sixtinus nequaquam comprobate dignatus eſt, cum nihil in Hebraica *de fabrica gladii*, nihil *de levi motu*, nulla vox *percutiendi*.

Quis neget nihilominus accuratiorem eſſe hujus facti deſcriptionem in Vulgara noſtra? nec aliquid ibidem reperiri, quod a veritate hiſtorica deſciſcat, certum eſt. Legit itaque Hebræa = Et gladius copulatus ſuper lumbos ejus in vagina ſua; cumque ipſe prodiret (Joab) excidebat = Vulgatus autem adjungit, hujuſcemodi egreſſum gladii e vagina ex induſtria, qua fabrefactus erat, fuiſſe derivandum; erat quippe adeo diſpoſitus, ut ad levem tremulumque motum ex inceſſu Joabi receptum e vagina egredi poſſet, & Joab cum ipſo ferire. Conferantur modo Vulgatæ, & Hebraicæ lectiones, quæ pronior, quæ veroſimilior, atque accuratior detineatur; in idem tamen recidunt ambæ.

℣. 11. Cum legat Vulgatus = quidam viri cum ſteriſſent juxta Cadaver Amaſæ, reprehenditur ab Amama quod non verterit *quidam vir* in ſingulari; nec pariter Cadaver, inquit, legendum, cum nondum expiraſſet, in ℣. enim ſequenti legit hebræa = & Amaſa volutabat ſe in ſanguine =.

Ubi quæſo erratum eſt, ſi Volgarus *Cadaver* appellet, per quamdam anticipationem, virum, qui ultimum efflabat halitum? none de homine infirmo extremas emittente auras dici ſolet quod jam cadaver eſt? Quod autem in hebræa *vir* habeatur in ſingulari, mirum non eſt, cum maxime hebraica locutio numeris minime incumbat. Verba autem iſta = Ecce qui voluit eſſe pro Joab comes David = non eſt incredibile quod Jabi amici veluti ſarcaſmum in Amaſam pronunciaverint. In ℣. 12. non perperam eſſe interpretatum opinamur S. Hieronymum illa verba [illegible] *mithogolel baddam*, *conſperſus ſanguine*, quandoquidem eſt *Benoni* in conjugatione *Hithpael*, unde ad verbum verti poteſt = & Amaſa erat volutans ſe in ſanguine =, non quaſi circulari motu ſe circumvolveret; ſed quod egrediente ex vulnere ſanguine eo magis conſpergebarur, ſeu in proprio ſanguine Cadaver immergebatur. Jam autem ſatis functum fuiſſe Amaſam, dum hæc fiebant, & dum amici Joab ſarcaſtica in eum verba protulerunt. ℣. 13., ex contextu ſatis patet, cum nullum legamus auxilium Amaſæ a populo eum vidente exhibitum; unde ex ſuſcepto vulnere quaſi de repente occubuiſſe credendus eſt.

Audacter ſatis, ni fallimur, interpretationem hujus vocis [illegible] habberim a S. Hieronymo in his verbis *viri electi* propoſitam ad ℣. 14. hujus Capitis increpat Amama, qui *loca*, vel *civitates Berim* in hebraico textu indicari contendit. Calmetus in ſuis Commentariis dixiſſe ait S. Hieronymum explicationem ſuam ex hebraica voce *Bara*, quæ eſt *eligere*. Neque enim adhuc innotuit quænam ſint civitates, & loca *Berim*.

℣. 18. Cenſor noſter vix tolerare ſe poſſe teſtatur S. Hieronymi interpretationem, videlicet = dicebatur in veteri proverbio: qui interrogant, interrogent in Abela =. Cum in hebraico non habeatur notio *proverbii* niſi per aliquam expoſitionem eo intrudatur. Duæ pariter illæ voces *qui interrogant*, *interrogent* vix excuſari queunt, ait Sixtious.

Utramque tamen interpretationem optime conſiſtere non ambigimus. Quid enim ſibi volunt hæc Sixtini verba ex hebræo converſa *loquendo loquebantur in principio*? Nonne ſignificare queunt *antiquitas dicendo dicebant*, ſeu *dicere ſolebant ab antiquo*? Quod autem uſque ab antiquo dici ſolitum eſt id *proverbium* appellari ſolet vel *adagium* ſi in ore multorum reperiri ſoleat. Duæ autem illæ voces *qui interrogant interrogent* quas vix Cenſoris patientia ſuſtinere poteſt, non inepte ex iſtis hebraicis vocibus [illegible] *ſchaol jeſchaalu*, quarum una infiniti modi eſt, altera futuri, converſæ ſunt: Litera quippe hebraica, ipſo non abnuente Sixtino ſonat *interrogando interrogent*; quia autem infinitæ voces ſolent ad aliquod tempus perſonam, & numerum determinari, ut Grammatici advertunt. S. Hieronymus vocem *Schaol* ad tempus præſens perduxit adjungens indefinitum nomen *qui*. Cætera quæ in Capite notantur levia nimis ſunt.

Aliqua etiam in Cap. 21. hujus Lib. 2. Samuelis notata supcrimus ab Amama, in

Vul-

Vulgatæ noſtræ contemptum. Se neſcire teſtatur in primis unde hauſerit Vulgatus noſter ad ℣. 4. adverſativam *contra*, legente hebraica = non eſt nobis argentum & aurum cum Saul, & Domo ejus =. Quonam contingere modo potuit, ut in ſacro hujus Capitis contextu hujuſcemodi adverſativam minime inſpexerit; nunquid clare in latina oratione ſcribi non poteſt aliqua ſententia, quamvis in hebraica ſubobſcura habeatur, & manca? quæ a Davide petierunt Gabaonitæ ℣. 5. ſatis indicant num quæſtionem haberent contra Domum Saul; Vatablus propterea hoc in loco adverſativam cognovit.

℣. 5. Vulgari lectionem, quæ eſt = Virum, qui attrivit nos & oppreſſit inique ita delere debemus &c. = minime comprobat, quia vox hebraica *dimmah*, *cogitare*, vel *machinari* ſignificat, nunquam vero *opprimere inique*; vox iterum hebraica *niſchmadnu* cum ſit præteritum in Conjugatione *Niphal* non poteſt exponi *delere debemus*, cum Vulgato, ſed potius cum Cajetano *fuimus deſtructi*.

Ad exceſſum uſque ſcrupuloſum ſe Siatinus oſtendit in rigore literæ, ſenſum non admodum curans. Locum hunc ita Pagninus hebraicæ literæ non mediocris propugnator, & interpres convertit =. Virum, qui conſumpſit nos, & qui inſidiatus eſt nobis, deſtruemus, adeo ut non ſtet in omnibus finibus Iſrael = Vulgatus itaque per voces illas *oppreſſit nos inique* ſatis expoſuit machinamenta Saulis contra Gabaonitas; dum enim aliquid, quod geſtum eſt enarratur, implicite etiam cogitationes faciendi quod factum eſt, exprimuntur; Saulis autem geſta in Gabaonitas non in machinationibus ſolum & cogitationibus conſtiterunt, ſed in veram, & iniquam perſecutionem & oppreſſionem deſecerunt; hinc eſt præteritum illud Conjugationis *Niphal* in Vulgato vel poteſt intelligi ſub illis vocibus *attrivit & oppreſſit*, vel ad alteras voces *delere debemus* cum Pagnino, & Vulgato ipſo reducendum: ſenſus ergo in Vulgata ſatis integre redditus eſt.

℣. 6. Vulgari interpretamentum *ut crucifigamus* minime ſuſtinet Amama, contendens nunquam apud Judæos invaluiſſe ut clavis ſuſpenſorum manus, & pedes configerentur; id ſupplicii genus cum apud Romanos tantum ſoleret adhiberi.

Erudite pro more ſuo de hoc ſupplicii genere diſputat Calmetus in ſua peculiari Diſſertatione *de Hebræorum ſuppliciis*, oſtenditque merum eſſe Rabbinorum delirium negare crucis ſupplicium antiquitus apud Romanos ſolummodo in uſu extitiſſe; incertum eſt ergo ratiocinii fundamentum, quo Sixtinus Vulgati lectionem conatur evertere. Verum quid ad nos ſive in cruce affixi, ſive ſuſpenſi fuerint a Gabaonitis Sauli deſcendentes? id unum adjungimus tantummodo contra Sixtinum, verbum ſcilicet *hokiah* eſſe in ſignificatione ſuſpendendi, & crucifigendi; ſicut *ſuſpendo* & *crucifigo* apud Latinos viciſſim adhibentur, ut apud Evangeliſtas de Chriſti crucifixione loquentes, ſit palam; idque confirmatur etiam ab Hebraizantibus in Sathanæ Synagogis, ab iis ſcilicet, qui eandem cum Sixtino contra Eccleſiam Chriſti conjurationem tuentur, & ſovent. Legatur Fagius in Comment. ad cap. 25. numer. ℣. 4. Antiquitus etiam hæc notio eidem hebraico verbo inexiſtebat, quandoquidem Aquila illud vertit *ἀνάπηξον ſuffige*.

Ad ℣. 8. quomodo intelligantur filii Michol illi quinque viri Gabaonitis a Davide traditis, explicant Commentariorum ſcriptores. Ad ℣. 19. ſi quæ eſt obſcuritas, ex ℣. 5. Cap. 20. Lib. 1. Paralip. explicatur; idque præſtant præclariſſimi Expoſitores, qui fatentur a S. Hieronymo hoc in loco nomina propria reddita fuiſſe per id quod ſignificant, cum tamen eadem in ſuo naturali relinqui ſoleant.

Sub Cap. 22. ad ℣. 3. legendum putat Siatinus *de violentia* pro *de iniquitate*. Vox tamen hebraica *chamas* ſonat *iniquitas*, quæ ſi fit ſcienter dicitur *rapina* vel *violentia*; genus ergo pro ſpecie Vulgatus appoſuit. Ad ℣. 8. pro *fundamenta montium* legendum tuetur Siatinus *fundamenta Cælorum*. Vatablus tamen concedit montes per figuram appellari fundamenta Cœlorum, quod videantur Cœlum fulcire; alii ajunt ipſam terram eſſe veluti cœlorum fundamentum, cum exiſtimetur eorum centrum, circa quod gyrum perficiunt; ea lib. Pſalmorum Vatabli explicatio fulcitur; in eo quippe legimus = baſes montium commovebantur = cætera quæ in hoc cap. notantur ab Amama, jam a Lorino in Pſalmum 17. & a Ricchardo Cœnomano ibidem, ſatis in tuto poſita ſunt.

Tria in Cap. 23. lib. 2. Samuelis ab Amama fuiſſe adnotata reperimus. Primum ſub ℣. 1. in quo hanc Vulgati interpretationem = Dixit vir, cui conſtitutum eſt de Chriſto Dei Jacob = tanquam ab hebraica veritate alienam redarguit; cum in illa ſcriptum ſit *Dixit vir, qui conſtitutus eſt excelſus, unctus Dei Jacob*.

Si prophetice de Meſſia, vero Dei Chriſto locutum Davidem cum pluribus ſupponamus Interpretibus jam in Vulgata longe clarius quam in hebraica vaticinium prolatum eſt. Si vero de ſe ipſo ea verba David locutus credatur, eumdem ferme in ipſis ac in hebraicis ſenſum advertimus. *Chriſtus Domini*, qui unctus in Regem erat, ſæpe in ſacris literis appellatur; ſenſus ergo Vulgati erit = Dixit vir, cui a Deo conſtitutum eſt, ut ſit unctus Domini Jacob, ut ſit excelſus, ſeu Rex = LXX. clarius habent = quem conſtituit Dominus Chriſtum Dei Jacob =.

℣. 8. Vulgati lectionem refutare nititur Amama non diffitemur profecto hoc etiam in loco a S. Hieronymo poſitam eſſe nominum ſignificata, pro nominibus propriis, quæ in interpretatione retineri ſolent; ſed iſta habentur in 1. Paralip. Cap. XI. 11. atque difficultates, ſi quæ occurrant in textu, ab Expoſitoribus, præſertim Calmeto enodantur.

Quæ deinceps in hoc, & ſequenti ulti-

mo

nio Cap. lib. 2. Samuelis notantur ab Amama nullius ſunt conſiderationis digna, ſatiſque ab Expoſitoribus lucis claritas eiſdem effunditur, atque genuinus ſenſus a Cenſore ipſo expoſtulatus in eis contineri demonſtratur. Finem interim & nos ipſi huic tertio pro Vulgati interpretatione Apologetici libro concedimus.

LIBER APOLOGETICI
QUARTUS
PRO
VULGATA S. HIERONYMI INTERPRETATIONE BIBLIORUM.

§. I.

UTeumque brevitati, qua poſſumus in hoc Apologetico pro Vulgata Bibliorum lectione, ſtudeamus inſiſtere, ſi præcipua nihilominus ſcripturæ loca, quæ in Sixtini cenſura atro tincta carbone inſpiciuntur, quæve Tyronibus Catholico-Romanæ communionis Sacrarum Scripturarum addictis ſtudio negotium aliquod faceſſere queunt, nolimus omittere, longiuſculam Diſputatiooem, quamvis præter animum, inſtituere compellimur, ne adverſariorum arietibus, concuſſi videamur tandem, atque contriti. Inſurgit itaque Vulgatæ inimicus contra Lib. Regum. 3. juata Latinos, diverſaque veluti male ea hebræo translata in eodem, pro ſuo more reprehendit. Iſtorum primus ad ℣. 28. Cap. 2. adinvenitur; de quo tamen ſatis dictum eſt in volumine 1. Diſquiſitionum pag. 288.

Quæritur ulterius ad ℣. 31. hujus Cap. Amama quod Vulgatus converterit per paſſivam ſignificationem verbum hebraicum *ſchaphach effudit*, ſcribens = Sanguinem innocentem, qui effuſus eſt = melius quippe, ait, ſe geſſiſſet Vulgatus, ſi cum hebræa verbum activum retinuiſſet dicendo = Sanguinem innocentem, quem effudit Joab &c. = in alia quippe lectione ſermo fieri videtur tam de ſanguine innocente ab Joabo, quam a Davide effuſo, inquit ille.

Pluſquam evidenter unuſquiſque dignoſcit Joabum ad mortem expoſtulatum fuiſſe ab ipſo Davide ſub ℣. 5. hujus Capitis, ob eorum necem, quos ipſemet David recenſuit. Ad ℣. 31. clare loquitur Vulgati textus de ſanguine, qui a Joabo inique diffuſus fuit, unde nulla poteſt æquivocatio ſuboriri, niſi volenti.

Ad Caput 3. hujus Lib. nonnulla Sixtinus reprehendit, quæ a nobis conſulto poſſunt omitti, quid enim noſtra intereſt ſive legamus ad ℣. 9. *dabis cor docile*, ſive *dabis cor audiens, & intelligens*? Norunt omnes Salomonem a Deo ſapientiam exquiſiviſſe. Ad ℣. etiam 22. nonne idem eſt ſive mulier dixerit *non ita eſt* ſive dixerit ſuæ *ἀντιγνώμη* *mentiris*? nihili hujuſcemodi variantes faciendæ. Si quid hoc in Capite inter hebraicam Vulgatamve lectinnem invenitur quoad ſenſum diſcrimen ſub ℣. 3. profecto eſt, in quo legimus Salomonem dilexiſſe Dominum atque in præceptis David patris ſui ambulaſſe *excepto quod in excelſis immolabat, & accendebat thymiama*. Hæc Vulgati lectio aliquam reprehenſionem Salomoni videtur ingerere, quam hebraizzantes eidem pernegandam arbitrantur, cum de eodem in hoc ipſo verſiculo legamus elogium ob ſuam in Deum pietatem, & religionem; unde concludunt particulam hebraicam *rak* vertendam fuiſſe *duntaxat*, vel *tantummodo*, minime vere *excepto*; ejuſque ſenſus eſt; quod Salomnn ſacrificaverit duntaxat in excelſis, ubi videlicet adhuc licitum erat, & ubi ipſum Davidem ſacrificaſſe ex Divino mandato, ſciebat. Plures Eapoſitorum contendunt locum iſtum optime a Vulgato eſſe converſum, quia hujuſmodi *excelſa* Deus tantummodo aliquando toleravit, nunquam vero niſi in caſibus aliquibus comprobavit. Videantur Commentariorum Scriptores, a quibus ſatis hæc difficultas diſcuſſa fuit.

Sub Cap. 4. pauca redarguuntur ab Amama in Vulgati verſione. Ad ℣. 5. ubi legit *Nathan ſuper eos, qui aſſiſtebant Regi*; nullam inquit *de aſſiſtentia* in hebraico textu haberi mentionem, quandoquidem vox *banniſabim*, *Præfectos* ſignificat. Unde ſuper illos duodecim Præfectos Nathan fuiſſe conſtitutus, de quibus in ℣℣. ſequentibus fit ſermo, credendus eſt.

Huic Sixtini, aliorumve hebraizzantium expoſitioni inſignes adverſantur Scriptores. Toſtatus præſertim in hunc locum, contendens duodecim illos Præfectos in Tribubus Iſrael habitaſſe, unumquemque in ſua, cui præerat, ut poſſet facilius quæ Regiæ menſæ ſingulia parabantur menſibus, colligere. Quidquid ſit tamen hac de re; nos vocem illam hebraicam, *Capita*, *Duces*, & *Principes* deſignare poſſe nequaquam ambigimus:

Eccur

Eccur ergo Nathan eſſe non potuit Principum eorum præfectus, qui a conſiliis erant Salomoni, de quibus fit mentio Cap. 12. hujus Libri ℣. 6.? nimis ergo audacter Sixtinus Vulgatum objurgat ex Cajetano.

℣. 27. Vulgati lectio increpatur a Cenſore, quod proponat a Præfectis nutritos fuiſſe equos; cum de iis nulla in hebraica habeatur commemoratio, ſolumve dicantur nutriviſſe Regem, & quemcumque alterum ad ejus menſam appropinquantem, ait ille, quod nec ſatis a Vulgato expreſſe traditum eſt, ſubjungit.

Quis levitatem Adverſarii noſtri hoc in loco ſuſtineat? quia Vulgatus expreſſe non tradit a Præfectis illis cibum parari pro quocumque ad Regis convivium accedente, nunquid ſuſpicari poſſumus id ab iis præſtitum non fuiſſe? quis neſciat Præfecti eſſe Regiæ menſæ, illam pro quolibet ad eam accedente diſponere, & eorum eſſe, quibus commiſſum fuit, pro conviviis omnibus menſas dapibus onerare? Quamvis igitur non expreſſerit S. Hieronymus ad verbum = & nutriebant Præfecti iſti .... *omnem, qui appropinquabat ad menſam* (Regis), ſatis id intelligitur, in hiſce ejus verbis = ſed & neceſſaria menſæ Regis Salomonis cum ingenti cura præbebant =. Falſum eſt autetem quod nulla habeatur in hebraica, de equis commemoratio, ſequitur enim hebraicus textus, poſtquam retulit a Præfectis iſtis, cibarum fuiſſe Salomonem, & omnem qui appropinquabat ad ejus menſam [illegible] *vehaſſeborim vehatebhn laſſuſim velaracheſ jnviau el hammakom aſcher jihjeh, & ordea, & paleam pro equis, & mulis deferebant ad locum ubi erat* (Rex,) ſcribunt Sanctus Hieronymus, & LXX., necnon Joſephus; in loco autem hujus vocis *Rex* hodierni codices Hebraici accentum *Machaph* ſubſtituunt, ut verbum *erat* cum ſequenti nomine *unuſquiſque* copuletur. Nos autem Vulgati lectionem, in qua idem profecto ſenſus, eademque reperitur ſententia, quæ in antiquis Hebræorum exemplaribus habeatur amplectimur.

Nullius ferme momenti quæ ad Caput 5. hujus Libri notantur ab Amama videri queunt. Quid inconveniens ſi Vulgatus ad ℣. 4. reliquit vocem hebraicam *Satan* in ſuo naturali ſono? Noſcunt pueruli per eam *adverſarium* ſignificari. ℣. autem 16. hujuſce Cap. S. Hieronymus ſolos immediatos operariorum Præfectos enumerat; cæteri autem qui erant Præfectorum Præpoſiti in Cap. 2. Lib. 2. Paralip. recenſentur, unde ibidem Sexcenti numerantur Præfecti ſupra termillenos, cum in hoc Lib. 3. Regum trecenti ſolummodo recenſeantur ultra termillenos. In vetuſtioribus tamen Hebræorum exemplaribus, ſuſpicio adhuc ſupereſt, num *Præpoſiti* iſti *Præfectorum* ad locum hunc deſcripti fuerint? cum codex Hieronymianæ verſionis, Joſephus, & LXX. omnino de iſtis ſiluerint. Quare ergo in modernioribus Hebræorum codicibus ſuppleta eſſe non poteſt hæc particula *Principes* (Præfectorum) ex conjectura a Cap. 2. Lib. 2. Paralip. deducta? quidquid ſit tamen Vulgatæ hic locus ſuppletur in alio, ſcilicet in citato Paralip. Libro.

Ad finem ℣. 16. male poſitam a Vulgato, ait Sixtinus, copulam *&*, cum poſt vocem *populo* ſtatim addendum ſit *facientibus opus*, eſt quippe locutio per Syneſin, neque enim populus erat diſtinctus ab his, qui operabantur, qua de cauſa hebraica lectio copulam illam omittit.

Si tamen Catholicos audiamus Expoſitores, a ſacro textu *populum* appellari, ajunt, operarios illos, qui in ℣. 15. recenſentur; *qui* autem *faciebant opus*, ii nuncupantur, qui in templi conſtructione laborabant in Jeruſalem; utrique cœtui operariorum præerant ter mille, & trecenti Præpoſiti ſuperius nominati. S. Hieronymi codex copulativam *&* ut Vulgata noſtra præſefert; nec admodum mirum quod literula ו *vau* ex textu hebraico potuerit excidere ex tranſcribentium incuria.

℣. 17. ſe neſcire Sixtinus ait, unde Vulgatus hauſerit verbum *quadrarent eos* (lapides) cum hujuſce ſignificationis nec in themate ſit veſtigium, nec apud LXX. reperiatur. Fatemur & nos ipſi voces iſtas hebraicas [illegible] *avne ghazith* ſignificare *lapides exciſſionis* ſeu *lapides exciſos, ſectos dolatos &c.* Cum tamen *de dolatione* iſtorum lapidum in ℣. immediate ſequenti fiat ſermo, ideo Vulgatus in figuram quadram ſectos fuiſſe non inepte ſupponit. Verum quidquid ſit de hac re, aſſerere non ambigimus, verbum illud *quadrarent*, appoſite a S. Hieronymo hoc in loco fuiſſe adhibitum; cum enim hujuſmodi verbum non ſemper *figuram quadratam conſtruere* ſignificet, ſed multoties *congruere, convenire, & conſonare*, cur non potuit Rex Salomon præcipere ut ita diſponerent Artifices lapides illos atque aptarent, ut ad invicem optime congruerent, & convenirent, dum ſuis in locis reponebantur? Cap. 6. ſequenti ℣. 7. deſcribitur templi conſtructio ex lapidibus dolatis, atque perfectis adeo, ut nec malleus, nec ſecuris nec inſtrumentum alterum fuerit auditum dum ſacra ædes erigebatur; quis modo credat id fieri potuiſſe niſi lapides ſecti ad quadratam figuram perfecte fabricati eſſent? non abs re igitur poſitum eſſe videtur a S. Hieronymo verbum illud *& quadrarent* (*eos*)

Acuratiorem quam fuerit neceſſe ad Caput 6. hujus Libri ſe Sixtinus oſtendit, dum ℣. 1. in Romanos invehitur correctores, quod ad vocem *zio* non reſtituerint germanam lectionem, cum tam facile, unius literulæ, *o in u* mutatione præſtare potuiſſent, legit quippe hebræa [illegible] *ziu*, vel *zif*. Quis tamen pro certo definiat; num *vau* hebræorum, veluti *v* conſonans hoc in loco ſit pronunciatur antiquitus, vel potius ut *o*? Litera illa ante punctorum inventionem ad utrumque ſonum erat indifferens, & in codice Hieronymianæ verſionis reddita eſt per *o*. Verum aut per *zif* aut *ziu*, aut per *zio* pronuncietur, hoc unum eſt certum quod menſis

ſis ſecundus, juxta computum Eccleſiaſticum, ſignificatur in utraque prolatione.

Sub ℣. 4. cum hebraica hæc verba [illegible] *vejiabus la baith ballone ſchekuphim atumim*, tranſtulerit S. Hieronymus brevi ſtylo, *fecitque Domui feneſtras obliquas*, excuſari non poſſe S. Interpretem Cenſor noſter adfirmat, cum duæ ultimæ voces hebraicæ unicam ſolummodo latinam vocem *obliquas* non contineant; quapropter ipſe opinatur hanc hebraicam locutionem eſſe [illegible] qua duo junguntur ſynonima, ut *lutum cœni*, *volumen libri &c.* unde reddendam opinatur hebraicam illam ſententiam [illegible], *feneſtras feneſtrarum clauſarum*, clauſarum videlicet vitro vel reticula quadam lamina, ut & proſpectui & luci capiendæ eſſent accommodæ, & cœli injuriis arcendis idoneæ. In hac expoſitione ſe gloriatur in eamdem cum Junio ſententiam conſcendere.

Qui vel aliquantulum ſacrorum Expoſitorum varias prædictæ ſententiæ explicationes inſpexerunt, non tam facile aut in Sixtini opinionem conſcendent, aut S. Hieronymi culpabunt interpretamentum, ſi maxime per *feneſtras obliquas* intelligantur feneſtræ ita diſpoſitæ, ut lucem, etiam oblique diffunderent; & hujuſcemodi expoſitio facillime ad interpretationes Chaldæi, Ariæ Mont. Pagnini, Lyrani, aliorumque, qui eaſdem ita accommodatas fuiſſe exiſtimarunt, ut lucem facillime undequaque intromitterent. Quid autem erroris commiſerit S. Hieronymus vertens *feneſtras* ſolummodo, pro *feneſtras feneſtrarum*, ut interpretatur Sixtinus, neſcimus protſus; id unum eſt certum quod S. Pater ſuam interpretationem conſtanter retinuit. Eo quod in hebraico *feneſtras obliquas* haberetur, ut ipſemet teſtatur in ſuis Commentariis ſuper Caput 41. Ezechielis.

Ad ℣℣. 5. & 10. redarguit Vulgatum quod reddiderit propoſitionem *ſuper* pro *juxta:* hæc autem illi obſervent quibus otium eſt; quemadmodum & ea quæ notantur ad verſiculos 7. & 9. in quibus profecto nullum ferme diſcrimen inter hebraicam, latinamve lectionem adinvenitur.

℣ 15 einſdem indolis eſt Cenſura in Vulgati lectionem, quæ reprehenditur, cum ſit hujuſmodi = a pavimento Domus uſque ad ſummitatem parietum, & uſque ad laquearia. = Legendum arbitratur Amama = a pavimento Domus uſque ad parietes tegminis = ideſt, ut ipſe exponit, ad *tegmen murorum*. Quid quæſo intelligitur ib Vulgati lectione, niſi a pavimento uſque ad tectum? hæc notio etiam nolenti, ſi legerit obverſatur.

Sub 18. ℣. duas Vulgato voculas in ſua verſione inſertas Sixtinus caſtigat, cum nullum earum veſtigium habeatur in hebræa; ubi nam, quæſo, ibi *tornaturæ* & *juncturæ* recenſentur? Memorantur profecto in hebraico textu quarum rerum figuræ in tabulis cedrinis eſſent inſculptæ, *colocynthidum* videlicet, ideſt *cucurbitarum ſylveſtrium*, & *florum apertorum*.

Turpiter deceptum in ſua opinione Sixtinum nequaquam ambigimus, ſi per *tornaturas* & *tornum* hoc in cap. recenſitum, illud crediderit ſubtile inſtrumentum, in quo aptatum lignum, ebur, orichalcum, & his quid ſimile inter duos axiculos ferreos perfecte libratur; atque ſune ex propendenti pertica ad perpendiculum deſcendente circumligatum, artificis interim pede ſunem premente, perticamque flexilem incurvante viciſſim, & relaxante, rotari compellitur, cui, admoto ſcalpro, ea paulatim impertitur figura, quæ magis lubet. Hoc ſiquidem inſtrumenti genus in tabulis, quæ planæ ſunt, & quadratæ, nequaquam locum habere poteſt, ut quilibet noſcit: per *tornaturas* igitur, & *tornum*, illud inſtrumenti, & arte facti genus, quod in tabulis planis adhiberi poterat, debet cum Toſtato quæſ. 15. in Cap. 6. Libri 3. Regum intelligi; eò vel magis quod *tornus*, ſi credimus Plinio Lib. 7. cap. 56. a Theodoro Samio fuit adinventus; per *tornaturas* igitur, celaturas orbicularis figuræ in tabulis inciſas debemus comprehendere. Quod autem tabulæ invicem per juncturas quaſdam fabrifactas unirentur, naturale eſt. Si ergo per *tornaturas* S. Hieronymi, poſſumus orbicularis figuræ celaturas intelligere, cur iſtæ non erunt vel *inciſuræ colocynthidum* ipſius Sixtini, vel *nodi prominuli* Tigurinorum, vel *Sculpturæ pomellorum* Benedicti, quas omnes interpretationes non criminatur Sixtinus? Per *celaturas* denique *eminentes* Vulgati, *flores aperti* in tabulis inciſi optime poſſunt intelligi; nil ergo deeſſe in Vulgati lectione videtur, per quod eſſentiale diſcrimen inter eam, & hebraicam veritatem conſtituatur.

§. II

NOn parcit Vulgato Cenſor noſter ad ℣. 21. Capitis 6. Libri 3. Regum, quod tranſtulerit hebraicum hunc textum [illegible] *vajhabber berattukoth zabav lipne baddevir vaitſappeu zabav* = Domum quoque ante oraculum operuit, auro puriſſimo, & affixit laminas clavis aureis = Communiter hic textus de pariete intelligitur *Sancti*, quo ab oraculo dividebatur, quamvis & de toto Sancto debeat idipſum intelligi. Exclamat itaque Sixtinus nullam in hebraica de laminis fieri mentionem, quinimmo vocem [illegible] ſunt qui interpretantur de ſunibus, a quibus velum ante oraculum exiſtens dependebat.

Expoſitores ſacri locum iſtum ab Hieronymo pluſquam clare redditum eſſe confitentur; magiſque ambiguam eſſe hebraicam lectionem, quomodocumque reddatur, inficiari vix poſſumus. Sermo hoc in loco utique eſt de auro, quo *ſancti* parietes obducti ſunt, in laminas autem affabre diſtentum fuiſſe aurum, quo parietes obtegerentur dubitari vix poteſt, eaſdemque laminas ſuper tabulas clavis debuiſſe obfirmari compertum eſt. Vocem autem *vajhabber* in ſignificatione *obfirmandi* eſſe poſſe lexicorum Scri-

peotes oſtendunt; vox pariter *rattukoth*, *ſepta*, *valla*, & his ſimilia ſignificare poteſt. hæc autem *ſepta*, quibus rabulæ in templo operiebantur, *laminas aureas* cur ſanctus Hieronymus appellare non potuit?

℣. 22. Cum Vulgatus ſcripſerit *totum altare oraculi texit auro*, laceſſitur ab Amama, quaſi in verborum ambagibus divinæ ſcripturæ obvium ſenſum occulerit. Quicunque enim illum Vulgati locum inſpexerit, eo ſtatim illius perducetur animus, ut altare intra oraculum extitiſſe arbitretur.

Ad prolixum Sixtini pro ſua cenſura *vix λόγον* id unum reponimus, Catholicos ſcilicet Vulgatæ verſionis Commentarios conſtanter credidiſſe, ſi unum, vel alterum excipiamus, quod huiuſcemodi altare proxime quidem oraculo, ſed tamen extra illud extiterit appellatum autem *altare oraculi* quam ob cauſam fuerit, iidem commentarii ſatis oſtendunt. De inſtrumento *torni*, quod iterum in quæſtionem Sixtinus vocat ſatis dictum ſuperius eſt; hinc pariter nihil noſtra intereſſe poteſt quod Vulgatus ad ℣. 32. de *lignis olivarum* ſcripſerit, quamvis hebraicus textus de *lignis pinguedinis* tantummodo ſouet; compertum quippe eſt in ſacro textu olivas appellari conſueviſſe *ligna pinguedinis*, ut patet ex Judic. IX. ℣. 9. quamvis aliæ ſint arbores, quæ *pinguedinis ligna* nominantur. *Anaglypha* pariter, de quibus ℣. 32. hujus capitis, quæve pro *celaturis prominentibus* uſurpantur, ab hebraica veritate, quæ legit *ſculpturas florum*, vel *flores apertos*, minime abludunt; flores quippe aperti, ſuper planum in quo ſolidum celaturæ concipitur, ut aliquaotulum eleventur neceſſe eſt; unde & iſti *anaglypha* vere ſunt.

Ad ℣. 34. quamvis hebraicam literam variis modis varii Interpretes reddiderint, ſatis eamdem nobis tranſtuliſſe videtur S. Hieronymus; videantur Calmeti commentarii.

℣. 35. non eſſe in hebraica lectione, ait Sixtinus voces aliquas, quæ Vulgati interpretamento *opere quadro ad* regulam reſpondeant, cum in hebræa legamus = operuit (ea) auro directo juxta exculptum, ſeu, ad exculptum =.

Maximum Sancti Hieronymi interpretationem non alia de cauſa apud Hetherodoxos ſubiiſſe diſcrimen opinamur, quam quod Eccleſia Catholico-Romana eamdem veluti authenticam declaravit, ſibique præ cæteris adſcivit; hinc verſionem iſtam qua nævis qua mendis conſperſam, temeratamque denunciant. Quid tamen? nebulas ventis, nives ſoli proponunt. *Opere quadro ad regulam* vertit Hieronymus, quod legit Hebræa *auro directo juxta eſculptum*. Dicat quiſque præiudiciorum expers, nonne verbum latinum *quadro*, ut alibi animadvertimus, in ſignificatione *conveniendi*, *congruendi*, conſonandi reperitur multoties præſertim apud Ciceronem, & Virgilium? Cur ergo S. Hieronymus in eadem ſignificatione adjectivum *quadro* non poterat uſurpare? ſenſus itaque horum S. Interpretis verborum = operuitque omnia laminis aureis opere quadro ad regulam = hic eſt = operuitque laminis aureis ita ſabrefactis ut optime congruerent celaturis in ligno exculptis = regula enim ad quam conſonæ eſſe debebant laminæ aureæ, erant celaturæ tabulatum: Quid ergo in ſcirpo quæruntur nodi?

Ad Caput 7. Lib 3. Regum aliquas eſſe inter hebraicam Vulgatamque lectionem variantes quoad verba, quinimmo & quoad ſenſum aliquibus in locis inficiari vix poſſumus, nec tamen in Vulgata errores admittere compellemur, quam Hieronymianæ verſioni apprime congruentem reperimus, quamque in codice toties laudato perlegimus. De iſta autem ſua verſione S. Hieronymus in Prologo galeato ad Libros Regum adfirmare non dubitat quod mera ſit interpretatio, nihilque in eadem, de hebraica veritate fuiſſe mutatum; ad Hebræorum quemcumque provocat, ut ſe minime conjectorem, ſed verum Interpretem fuiſſe demonſtret, unde ergo variantes inter hebraicam hodiernam, Vulgatamque noſtram ab Hieronymo elaboratam auſpicabimur? Alii jam de hoc argumento diſſeruerunt. Quod ad nos pertinet, dicimus in ℣. 2. hujus Capitis 7. fortaſſe *quatuor deambulacra* vertiſſe Hieronymum, quia hæc a tribus columnarum cedrinarum ordinibus, & duobus parietibus domus conſtituebantur; cum enim in hebraica hodierna *quatuor* legantur *columnarum ordines*, id non poſſe ſubſiſtere compertum eſt ex ℣. 3. in quo ſolummodo quadragintaquinque recenſentur columnæ cedrinæ, & quindecim cuilibet ordini deſignantur; quatuor igitur ordines hic deſcripti referendi videntur ad quatuor locorum intervalla inter tres columnarum ordines, & parietes domus exiſtentia, quæ deambulacra S. Hieronymus nuncupavit. Sunt profecto qui ordinem quemdam pilarum parieti adhærentium admittunt; ſi autem utrique parieti pilarum iſtarum ordo adhæſiſſe dicatur, non quatuor, ſed quinque columnarum ordines numerandi occurrunt. Altera autem hebraica verba hujus ℣. 2. [illegible] *ucbrutboth arazim hal hahammudim* expoſuit Sanctus Hieronymus cum relatione ad præcedentia ſcribens = ligna quippe cedrina exciderat in columnas = verbum *chrutboth* ex radice [illegible] *charuth* derivans, in qua ſignificatio *excindendi* reperitur; quod autem in hebraica nomen erat, atque *exciſiones* ſonabat, in verbum reduxit ſcribens *exciderat*, pro *exciſiones fecerat*; compertum eſt enim quod [illegible] *cherithuth exciſiones* ſignificat; hæc autem vox ex diverſa punctorum vocalium appoſitione ex iiſdem literis hebraicis, quæ *trabes* ſcribunt, optime elicitur; hoc ergo in loco idonea cur non erit S. Hieronymi interpretatio, quamvis deinde poſt Hieronymi ætatem, vox illa *trabes* ſignificare ſit æſtimata? Clare nimis Sanctus Doctor ſe in Prologo ad libros Regum declaraverat, nil de hebraica veritate fuiſſe in ſua interpretatione mutatum, ſuæque aſſertionis teſtes con-

tra

tra ſuos maledicos appellabat Hebræorum Rabbinos, ut veluti Judices ſtarent. Cur obtrectatores Hieronymi hæc eidem non exprobrarunt in ſua verſione ab hebraica veritate diſſonantia? Mirandum & alterum eſt, ſcilicet hebraicum ſcholiaſten, qui in lectione S. Hieronymi vel tantillas in margine variantes ab hebraica adnotare ſategit, nec unicum in verſiculis 3. 4. & 5. verbulum obſignaſſe, & tamen pro iſtorum verſiculorum lectione tam furinſe in Vulgatum debacchetur Sixtinus. Nunquid rerum hebraicarum ipſis Rabbinis cum S. Hieronymo viventibus erit Sixtinus peritior, in eiſdemque exercitatior? Dicamus itaque neceſſe eſt: hebraicæ lectionis tempore S. Hieronymi communiorem intellectum non de feneſtrarum ordinibus, atque figuris extitiſſe in verſiculis 4. & 5.; aut earum enarrationem tam parvi viſam fuiſſe momenti etiam S. Hieronymi obtrectatoribus, ut nullum ex ejuſdem enarrationis omiſſione piaculum Sancto Doctori impingere auſi fuerint. Et revera LXX. Interpretes nullam in ſua ex hebraico interpretatione habent de feneſtris vel tantillam mentionem, cum verſiculos 4. & 5. ita legunt καὶ μέλαθρα τρία, καὶ χώρα ἐπὶ χώραν τρισσῶς καὶ πάντα τὰ θυρώματα καὶ αἱ χῶραι τετράγωνοι μεμελαθρωμέναι ἀπὸ θύρας ἐπὶ θύραν τρισσῶς ideſt = & trabes tres, & regio contra regionem tripliciter. Et omnes portæ & regiones quadrangulatæ trabibus connexæ a janua ad januam tripliciter = Hæc profecto hebraica verba ושקפים שלשה טורים *uſchkufim ſchelofchah turim*, non minus ſignificare poſſunt *& feneſtrarum tres ordines*, quam *& ſuperliminarium tres ordines*; & quam *& luminum*, ut Tigurina legit, *& aſpectuum*, ut Junius, & Tremelius interpretantur, *tres ordines*; ponamus itaque integram illorum verſiculorum ex Hebraico interpretationem, quam exhibet Calmetus = Feneſtellarum tres ordines, & feneſtra ad feneſtram tribus vicibus. Et omnia oſtia, & poſtes quadrati, feneſtella, & e regione feneſtra ad feneſtram tribus vicibus =. Ita ſonat hebraici textus litera, ea qua tres feneſtrarum ordines nonnulli decernunt, quorum unus eſſet ſubter alterum, ita tamen diſpoſiti, ut feneſtræ ad perpendiculum reſponderent ſuperiores inferioribus. Verum ſi ſupponamus cum LXX. hoc in loco diſpoſitionem columnarum deſcribi, earumque ſuperliminaria, atque lucem, ſeu ſpatium inter quaſcumque columnas intercedens, jam Vulgata noſtra ſatis ſuperque ſenſum legitimum exprimit, quamvis hebraici textus replicationem omittat, ubi enim, ait columnas fuiſſe contra ſe invicem poſitas, & quod e regione ſeipſas reſpiciebant, æquali ſpatio viciſſim diſtantes, & ſuper columnas ligna quadrangulata in cunctis æqualia exiſtebant, jam ſatis percipimus quadratum fuiſſe ſpatium inter columnas, quod *proſpectum*, ſeu *lucem* poſſumus appellare, & etiam *feneſtras*; apud Criticos etenim Sacros legimus ad hunc locum = Feneſtræ autem erant appoſitæ, ut aer permeare poſſet, & aula eſſet ſalubrior, = indicat ergo iſte Auctor ſacrum textum in hiſce verſiculis deſcribere internam domus huius, de qua loquitur diſpoſitionem, atque ſtructuram; quam profecto ex Vulgata lectione intelligimus, eſto de feneſtrarum conſtructione expreſſe non fiat ſermo, ſed tantummodo de ſpatiis, ſeu regionibus inter columnas exiſtentibus, quæ per vocem hebraicam מחזה *machoz* fortaſſis LXX. Interpretes intellexerunt, antequam a Maſſoretis puncta vocalia inſcripta eſſent.

Ad ℣. 6. Cajetani interpretationem Sixtinus opponit Vulgatæ, in qua tres videntur porticus indicari, quæ fuerint a Salomone conſtructæ; cum tamen Hebraica veritas duas ſolummodo ædificatas ſignificet.

Nos ad ſuos Sixtinum amandamus, ſicut & ipſe in nos Cajetanum appellat. Tres revera porticus fuiſſe a Salomone conſtructas tradunt Petrus Martyr, & Junius, necnon ex Catholicis plurimi; & merito quidem cum in hebraica legamus ואת אולם העמודים עשה ... ואולם על פניהם ועמדים ועב על פניהם ואולם הכסא ... *vehet ulam hammurim haſah ... veulam hal penehem, vehammurim vehab hal penehem veulam hachchiſſe*; ideſt = porticum columnarum fecit .. & porticus ſuper facies earum & columnæ & trabes ſuper facies earum; & porticum ſolii = quæ ſiquidem verba ita exponunt plures ex Criticis ſacris Auctores, ut prima porticus ingreſſui domus eſſet appoſita ut prætoriani milites in ea verſarentur. Altera fuit porticus non domui ſaltus conjuncta, ſed e regione poſita, quæ ſuas columnas habebat & trabes ſicut magna domus. Tertia tandem porticus erat non veſtibularis, ſed judiciaria. Cur ergo Sixtinus in Vulgatum obmuſſitat?

Ad ℣. pariter 8. hujus Capitis retinendam Vulgati lectionem deſcribentem locum Tribunalis Regii opinantur. Commentatores præclariſſimi, & jure profecto cum ℣. immediate præcedenti Sacer textus porticum judicii commemoret, in ℣. autem octavo domuncula quædam deſignatur in porticu judicii conſtructa, in qua Rex ad judicia proferenda pene clauſus ſedebat, ut tutior eſſet ab inſidiis, cuius equidem ſtructuræ veterum etiam Latinorum Regum ſolia fuiſſe notat Servius; Porticum ſolii fuiſſe ab aliis diſtinctam ſuperius dictum eſt; quis igitur opinetur Regem Salomonem in porticu aperto aere ſedere voluiſſe dum jura populis dicebat? Expoſitionem hanc & ipſemet Petrus Martyr Sixtino nequaquam exoſus retinuit.

Ad ℣. 12. fatemur quidem vocem hebraicam סביב *ſabib* concinnius reddi poſſe *per circuitum*; cum per interpretationem iſtam æquivocatio quælibet circa atrii formam convellatur, certum nihilominus eſt eadem voce *circulum*, *circuitum*, & *circuitionem* ſignificari, unde ſi ponamus publicas olim plateas cyclicam exhibuiſſe figuram non abs re fortaſſis a Sancto Hieronymo interpretatio illius vocis appoſita exiſtimabitur.

Plurima ad Caput iſtud adhuc adnotanda ſupereſſe Sixtinus adfirmat, ſed cum ab eo prætermittantur, nec nos ulterius Lectores immorabimur; quemadmodum neque in Cen-

ſura Capp. 8. & 9. in qua nil ferme alicujus momenti deprehenditur, excepto Verſu 19. Capitis 9. ad quem Vulgatus redarguitur, quod hebraicam vocem [illegible] *bammiſchchenot* converterit *qui erant abſque muro*, cum potius *Theſaurorum* vox illa transferenda fuiſſet.

Obſervemus neceſſe eſt voces [illegible] *meſucban* & [illegible] *miſchenot* ſignificare poſſe *depauperatum*, vel *Theſaurarium*, ex ſola leviſſima vocalium mutatione; necnon *paupertatem*, & *theſaurum* eadem de cauſa; vicos depauperatos itaque, ſive vicos paupertatum quis impedit ne appellemus, qui deſolati ferme ſunt, & derelicti, nullaque munitione murorum. & arcium vallati? hos forſitan S. Hieronymus expreſſit, dum *vicos qui erant ſine* muro, per vocem illam eſt interpretatus.

§. III.

AD caput 10. libri 3. Regum plura Sixtinus menda in Vulgati lectione caſtiganda notavit. Superfluam in primis ad ℣. 2. voculam iſtam *& divitiis* adfirmat. Quis tamen neſciat hebraicam vocem [illegible] *chail*, divitias etiam, & *ſubſtantiam* ſignificare? Non poterat ergo S. Hieronymus eamdem tali pacto interpretari; *comitatum* autem referre ad camelos, famulos, & ſervos, quos ſecum perducebat?

Sub ℣. 5. hujus capitis non ſolum Sixtinus, ſed alii quoque hebraizzantes ab hac Vulgati lectione *& holocauſta quæ offerebat in domo Domini* recedendum opinantur omnino, cum potius ſit legendus hebraicus textus = & gradus ejus, quo aſcendebant in domum Domini = . Quis tamen non ſatis dignoſcat naturaliorem eſſe Vulgatæ ſenſum? Adeo ne Regina Saba ſtupore correpta eſt dum vidit *aſcenſum* vel *ſemitam* per quam e domo ſua aſcendebat in templum Rex Salomon, ut ſpiritum ultra non haberet? tam magnifica, quæ jam conſpexerat ædificia, quemadmodum Templum erat, & domus Regia, & domus ſaltus Libani, hanc in Regina admirationem excitare non potuere, ſed ſoli gradus ita eam commoverunt, ut ſtupefacta, ceu ſaxea hæſerit? Degluriant hæc, qui poſſunt; nos enim cum S. Hieronymo, cum Syriaca, cum Arabica, cum Jonathane, & ut Sixtino placeamus, cum Tigurina, Munſtero, Caſtalione, & Strigelio legemus *holocauſta*, *quæ offerebat in domo Domini*.

Plurima Sixtinus conſarcinat in Vulgati lectionem ad ℣. 15. hujus capitis, in quo eſt *univerſique ſcruta videntes*, ſuo in Clementinam Bibliorum correctionem more debacchans; cum potius *ſcruta vendentes* opinetur legendum, cum inveriſimile judicet ad Salomonis theſauros factam eſſe ex rebus vilibus, & ſordidis acceſſionem.

Qua compellimur neceſſitate per voces Vulgati *ſcruta vendentes*, ſive *ſcrutatores*, *vilium*, *ſordidarumque rerum vendentes* intelligere? Cur non aromatarios, cur non quoſcumque minutarum rerum negotiatores intelligere poſſumus, qui profecto in civitatibus quibuſcumque, magna cum reipublicæ utilitate reperiuntur? nec levis momenti ſunt, quæ in Principum Theſauris ex vectigalibus, tributiſque ab hujuſcemodi mercatoribus perſolutis colliguntur. Cujus autem generis mercatores S. Hieronymus per hæc verba *ſcruta vendentes* intellexerit non melius appercipere datum eſt, quam hic, ad rem iſtam ejuſdem S. Doctoris verba exhibere ex Comment. in cap. 27. Ezechielis excerpta = Chodchod (ſcribit ipſe) autem quid ſignificet uſque in præſentiarum invenire non potui. Ajunt Hebræi omnes pretioſiſſimas merces hoc nomine ſignificari, vel ſpeciem quandam mercium, quam Romanus ſermo non reſonet, vel communi vocabulo *ſcruta vendentium* = . Ni decipimur S. Hieronymi ætate voces illæ *ſcruta vendentes* non rerum viliſſimarum negotiatores ſignificabant, in communi hominum intelligentia.

Ad ℣. 17. ſe concoquere non poſſe Sixtinus obmurmurat, quæ ſcribit Vulgatus *trecentæ minæ auri*, cum Hebræa, LXX. & Chaldæus *tres minas* hoc loco recenſeant.

Quare Sixtinus hanc armorum deſcriptionem ad lib. 2. Paralip. cap. 9. ℣℣. 15. & 16. non perlegit in hebraico textu, in quo eadem aureorum ſumma recenſetur, quam Vulgatus hoc in loco deſignat? = Fecit igitur Rex Salomon ducentas haſtas aureas de ſumma [illegible] *Scheſchmeoth* ſexcentorum [illegible] *zahab aureorum*. Trecenta quoque ſcuta aurea [illegible] *ſcheloſch meoth*, trecentorum [illegible] *zahab* aureorum. Hujus textus ea fuit vis, ut Auctor ſynopſeos Criticorum ſactorum exiſtimaverit hoc in loco Regum, ellipſim haberi vocis [illegible] *meoth centum* in textu hebraico; proindeque ſupplendam eſſe ex laudato a nobis Paralipomenon capite; niſi cum Hebræis ab eodem Auctore laudatis dicere velimus quod mina ſumitur aliquando pro centum aureis, quo in ſenſu tres minæ in capite iſto Regum indicatæ eamdem ſummam trecentorum aureorum in laudato Paralipomen. loco deſignatam continerent. Cum tamen trecentæ minæ communes pondus auri nimium grave conſtituant; dicemus a Vulgato noſtro *minam* eſſe pro *auro nummo* uſurpatam, ſicut eodem modo Joſephus aliquando uſurpavit: vel ad magnificentiam Regis Salomonis oſtendendam illuſmodi arma, non ad militum uſum fuiſſe constructa; quemcumque igitur divinorum verborum intellectum recipiamus nullum in Vulgata lectione erratum hoc in loco haberi revincitur.

Nonnulla ad caput XI. hujus libri in Vulgari lectione Sixtinus caſtiganda comperuit; quod v. g. vocem *ardentiſſimo* Interpres noſter ad finem verſiculi ſecundi adjunxerit; quod vocem [illegible] *Schikkuts idolum* non *abominationem* converterit; quod [illegible] *bamah*, fanum potius, quam excelſum ſit interpretatus ad verſiculos 5. & 7. quod ad ℣. 33. numero ſingulari *dereliquerit*, *adoraverit* &c. pro numero multitudinis *dereliquerint* ſit uſus; & tandem ad ℣. 41. voculam dierum in ſacrum textum intruſeris.

Hujuſ-

Hujuſcemodi cenſuras quanti facere debeamus unuſquiſque cognoſcit; nunquid amor Salomonis in mulieres ſuas fuit aliquanto remiſſior, ſi eodem illectus Domino Cœli, & Terræ dedie terga, cultumque Religionis Dæmonum ſimulacris impendit? Quid inſuper in conſpectu Dei poteſt abominabilius excogitari, quam idola conſtruere, eamdemque recolere? *Fanum* autem ſcripſit S. Hieronymus ut altare, vel domum ſuiſſe conſtructam ſignificaret, quod enim in *excelſo* id ſit executus Rex Salomon non poteſt ignorari, cum ſtatim habeatur in eodem ℣. 7. ſanum *in monte* ſuiſſe conſtructum. Ad ℣. 33. Ahias Propheta ſolius Salomonis peccata commemorat, quæ ſcindendi Regnum cauſa ſuere, non peccata aliorum, ut ex contextu ſatis liquet. Ad ℣. 41. ſuperfluere voculam illam *dierum* ſatemur ſi hodiernos Hebræorum codices inſpiciamus, quinimmo & in codice latino S. Hieronymi, quem Martianæus in lucem emiſit, eamdem voculam deſiderari compertum eſt; quid tamen? in pluribus cum legatur codicibus latinis, nullumve inconveniens in textum ſacrum intrudat a Correctoribus Romanis relicta eſt. Supereſt modo ut Sixtini reprehenſionem ad ℣. 27. hujuſce capitis excutiamus. Legie itaque ibidem Hebræa וזה הדבר אשר הרים יד במלך *vezeb baddavar aſcber berim jadb bammelech*, quæ vertenda Sixtinus contendit = & hæc occaſio quod elevavit manum ſuam in Regem. = Fatetur utique Sixtinus per has voces *elevare manum in aliquem* ſignificari poſſe rebellionem, qua phraſi Sanctus Hieronymus uſus fortaſſis eſt, quia immediate ante ſcripſerat de Jeroboam, quod *levavit manum contra Regem*; ne itaque eadem verba replicarentur immediate eumdem ſenſum per alterum verborum ſonum exhibuit. Quid denique? ſi ſcripſit S. Doctor *cauſa*, pro *occaſione*? Nunquid vocem iſtam *cauſa* pro *occaſione* non uſurpavit Terentius dum ſcripſit = Jam diu aliquam cauſam quærebat, quamobrem aliquid inſigne facere = ? Ab hujuſmodi tamen recedamus ineptiis.

§. IV.

Item Interpreti noſtro Sixtinus ad ℣. 2. Cap. 12. Libri III. Regum intentat, quod Hebraica hæc verba וישב במצרים *vajieſcheb bemitſraim*, *& reverſus eſt de Ægypto*, ſit interpretatus; quæ tamen revera ſignificare quod Jeroboam *manſerit in Ægypto* ſatis indigitat præpoſitio ב *in*, quæ *min* eſſe debebat ut poſſet *ex* vel *de* ſignificare.

Cur Sixtinus non potius opinatur in codicibus hebraicis S. Hieronymi præpoſitionem מ *min* extitiſſe pro ב, *in*? nunquid in hodiernis Hebræorum exemplaribus ad ℣. 2. Cap. X. Paralipom. non legimus ממצרים *mimmitſraim*, *ex Ægypto*? alterum ex hiſce locis mutationem ſubiiſſe fateamur neceſſe eſt; nos Vulgati lectionem ad hunc Regum textum, quæ cum textu Paralipom. optime cohæret, amplectimur.

Ad ℣. 15. hujus capitis ægre cenſor noſter S. Hieronymi ſubſtinet interpretationem ad hunc textum כי היתה סבה מעם יהוה, *chi bajetbab Sibbab me bim jehovah*: *quia fuit cauſa a Domino*, ut ſonant hebraica verba, eo quod Vulgatus tranſtulerit *quia averſatus fuerat eum Dominus*. Quid tamen in ſenſu diſcriminis adinvenitur? nihil profecto; facti quippe ſubſtantia in eo conſiſtit quod Rex non acquieverit populo; hoc autem ideo contigit quia Dominus eum reliquit in manu conſilii ſui, ut hac occaſione decem Tribus exciinderentur ab eo, atque adimpleretur ſermo Domini quod per Ahiam locutus fuerat. Hæc itaque Regis imprudentia ſive a Domino dicatur cauſata, ideſt *permiſſa*, ſive dicatur Dominus ab eodem Rege averſatus, non concedendo donum prudentiæ ipſimet Roboam, in idem prorſus recidit, ut per ſe patet. Reliqua hoc in Capite a Sixtino caſtigata nullius momenti reperiuntur.

Ad Cap. XIII. hujus Libri unicum adnotat Amama ad ℣. 29. quod ſcilicet Vulgatus noſter omiſerit hanc vocem ולקברו *ulkavero*, *& ſepeliendum*. Veruntamen deeſſe in Latina noſtra legitimum ſenſum, atque integritatem ſermonis revincet? minime certe eo quod immediate ſequatur in ſacro textu *& poſuit cadaver ejus in ſepulchro ſuo* ex quo ſatis intelligimus delatum eſſe prophetæ cadaver nedum ut ſuper illum planctus fieret, ſed ut etiam ſepulcbro mandaretur.

Pauca ad Libri hujus Caput XIV. Cenſor noſter in Vulgati interpretationem exprobraſſe adinvenitur. Ad ℣. 5. vocem iſtam ונקדים *venikkuddim* non bene ab Interprete noſtro *& cruſtulam* redditam eſſe contendit, cum in numero multitudinis *& cruſtas* eſſe transferendam per ſe pateat, & ex ipſa hebraica voce firmetur.

Nondum certi cum ſimus quid per cruſtulam intellexerit S. Hieronymus, nec quid hebraica illa vox abſolute ſignificet, certi pariter eſſe non poſſumus an in numero menda reperiatur; verum de re momenti tam levis ſoliciti nimium non erimus; hoc tamen præterire non poſſumus quod eodem numero ſingulari utitur S. Hieronymus ad ℣. 2 Cap. 29. Exodi. Sunt tamen qui coniiciunt huic voci a Latinis amanuenſibus additam eſſe in fine literam *m*, ſed revera legendum *Cruſtula* in plurali, cruſtulum eſſe quoddam genus dulciarii arbitrantur nonnulli, ſuave atque blandum ad veſcendum.

Plurima congerit ad ℣. 10. hujus Cap. Sixtinus ut in ſuſpicionem vertat interpretationem Vulgati; veruntamen eo tandem pervenit ut potius Commentaror incedat, quam Criticus. Videantur Calmetus ad hunc locum, aliique expoſitores, qui hæc verba: *ſicut mundari ſolet fimus uſque ad purum* intelligunt hoc pacto = ſicut removet quis ſtercus, vel fimum donec finiatur, uſquequo conſumetur, adeout nec tantillum ſuperſit.

Ad ℣. 14. quamvis Cenſor plura in Vulgatum conglomeret, ut verſionem iſtam = qui percutiet domum Jeroboam in hac die,

die, & in hoc tempore = infirmet; nihilominus optime in eadem legitimum conſiſtere ſenſum evidenter conſtat ex variis hebraici textus expoſitionibus, quas tum Catholici, tum Proteſtantes excogitarunt, in id enim omnes colliniant, ut oſtendant jam domui Jeroboam exitialem imminere ruinam, tempus enim præſens in Scriptura ſumitur quam ſæpe pro eo, quod cito futurum eſt, ſic Joannis 17. ℣. 11. legimus dixiſſe Chriſtum *& jam non ſum in mundo*; id eſt: brevi exiturus ſum de mundo.

℣. 24. denique cum ſcripſerit S. Hieronymus = ſed & effeminati fuerunt in terra = optabat Sixtinus ut *ſcorta maſculina*, vel *Cynædi* ſcriberetur. Vocem illam *effeminati* eamdem hoc in loco includere ſignificationem ſatis ex Commentariorum ſcriptoribus fit compertum; quid ſi Sanctus Interpres honeſtiori vocabulo turpem ſignificationem obtegere ſtuduit?

Capite XV. hujus Libri ad ℣. 5. reprehenditur Vulgatus quod tranſtulerit hebraicam vocem [illegible] *bidvar*, *ſermone*, cum ſatis concinne verti potuiſſet *in cauſa* (*Uriæ*). Facile unuſquiſque cognoſcere poteſt a S. Hieronymo vocem illam *ſermo* ad *facta* ſignificanda fuiſſe quam ſæpe uſurpatam. Non igitur ejus lectio a germano ſenſu dilabitur, niſi ita perlegamus, ut ſponte ab ejus germano intellectu declinare velimus.

Non leviter ab originali textu receſſiſſe Vulgatum ſub ℣. 13. hujus Cap. Sixtinus obmurmurat; deeſſe in primis in hebraica lectione verba iſta *& ſubvertit ſpecum*, adfirmat; vocem *Principe* male cum ſequentibus necti authumat, cum per accentum potius ab eiſdem ſejungatur; & tandem ſe ignorare fatetur quid ſibi voluerit Interpres noſter cum vocem hebraicam [illegible] *miphletſeth*, *ſacra Priapi* convertit? Plures quippe Interpretum, ait, ſe neſcire æquo animo confitentur, germanam illius vocis ſignificationem.

Si hebraicum textum noſtris hiſce temporibus exiſtentem perſcrutemur vocibus illis *& ſubvertit ſpecum* dubio procul deſtitutum comperiemus; in verſione nihilominus S. Hieronymi, necnon apud LXX. leguntur hoc in loco, ubi ipſi ſcripſiſſe exiſtimantur [illegible] = & excidit, ſive ſubvertit Aſa ſpecus ejus =. Apud Auctorem quæſt. in Paralip. ſcriptum eſt = Ex Auguſto depoſuit imperio, hoc eſt de Sacerdotio; comminuitque Simulacrum Priapi = Ab hoc Principatu Maacham fuiſſe depoſitam tradunt etiam LXX. in Lib. 2. Paralipom. Cap 15. in quo legunt [illegible]: matrem ſuam removit ut non eſſet miniſtra Aſtarthæ =. Quod autem vocem illam *miphletſeth*, *priapum* reddiderit S. Hieronymus mirum eſſe non poterit, ſi eodem ferme ſenſu alii etiam Interpretes, & præſertim Thalmudiſtæ, ut ipſemet Sixtinus confitetur, intellexerunt; quid enim *horrenda* ſtatua poterit indicare? quam utique legit Arabica verſio? Tandem ex illius hebraicæ vocis etymo non obſcure S. Hieronymi interpretatio deduci poteſt, ut ex Cornelii a Lapide Commentariis in ℣. 3. Cap. 25. Numer. Si citra verecundiæ diſcrimen legi queant, ſatis revincitur.

In Capite 16. Lib. III. nonnulla pariter Sixtinus offendit, quæ annotare nequaquam omiſit, veluti ab originario textu diſſentanea; Verſiculo enim 7. hebraica hæc verba [illegible] *vebal aſcher-bichchab otho*, non apte fuiſſe a Vulgato in Latinum converſa *ob hanc cauſam occidit eum, hoc eſt Jehu filium Anani prophetam*, efflagitat Cenſor; & quia deſunt in hebraico illa: *hoc eſt Jehu* &c. & quia pronomen *otho* non ad prophetam, ſed ad totam Domum Jeroboami eſſe referendum ſacer contextus oſtendit, ut ille opinatur.

Plures Catholicorum fatentur pericopen illam = hoc eſt Jehu &c. = deeſſe in Hebraicis, Græcis, atque Latinis nonnullis exemplaribus, præſertim in Veronenſi, quod Vallarſius commendat. Lucas Brugenſis eamdem ab ipſomet Interprete explicationis cauſa fuiſſe adjectam ſuſpicatur. Martianæus, qui S. Hieronymi verſionem edidit, quemadmodum & Scholiaſtes nec verbum de hoc additamento poſuerunt in notis. Veruntamen ſi ab aliquo Commentatore ea verba antiquitus in ſacrum textum intruſa dixerimus, quid patietur diſcriminis Vulgata noſtra? nullum profecto; quinimmo Expoſitorum quamplures ut Eſtius, Malvenda, Sanctius, & alii ita expendunt hunc locum, ut relicta etiam pericope illa, nullum in Vulgatæ lectione erratum haberi, revinci poſſit, ſive pronomen *otho* ad Prophetam, ſive ad Jeroboami Domum referatur.

Quæ in Verſiculis ſequentibus ab Amama notantur, atque in Cap. 17. hujus Libri nullum in ſenſu [illegible] præſeferunt ab Hebraica lectione.

§. V.

AD Caput XVIII. hujus libri ſub ℣. 27. S. Hieronymi interpretationem nequaquam probat Sixtinus, quod vocem hebraicam [illegible] *ſigh* per *diverſorium* reddiderit, cum eadem juxta Rabbinos *apprehenſionem* aut *perſecutionem hoſtium* ſignificet. Si tamen illius vocis expoſitio Rabbinica tam clara eſt, ut nullam patiatur exceptionem, cur Tigurina, Syriaca, Arabica, Petrus Martyr, & Oſiander legunt *negotium aliquod habet*; cur Caſtalio *occupatus eſt* eam vocem interpretabatur? Licebit ne cuicumque, præter quam S. Hieronymo ſenſum prohibito hebraicæ iſti voci connectere, quamvis non minus in S. Doctoris expreſſione, quam in aliorum Interpretum ſententiæ veracitas conſervetur?

Redarguit Amama ad ℣. 32. hujuſce Cap. 18 Vulgati translationem *Fecitque aquæductum quaſi per duas aratiunculas* eo quod hebraica hæc verba [illegible] *chebeth ſathaim zerah*, non *quaſi duas aratiunculas* ſonare queant, ſed potius *ſecundum locum* (capacem) *duorum ſatorum ſeminis*.

Quam-

Quamvis inter Catholicos ſcriptores minime deſint, qui per *aratiunculas* duos intellexerint terræ ſulcos vomere factos; nihilominus qui S. Hieronymi mentem felicius ſunt aſſecuti, per hanc vocem *aratiunculas* duas terræ portiones tenues quidem, ut nimirum duo ſata ſeminis, id eſt libras quadraginta recipiendi capaces eſſent intellexerunt in hoc ſenſu vocem prædictam apud latinos Scriptores comperimus uſurpatam, ut in Plauto videri poteſt. LXX. Interpretes hunc ferme retinuere ſenſum quamvis pro *ſata*, *metretas* ſcripſerint; verſio Syriaca pariter ad hunc locum habet = Fecitque canalem ut inter jugera ſementis, & vallavit Aram=. Si itaque Vulgatæ lectionem ita exponamus ut Elias foveam quandam in gyrum ita excavari curaverit, ut platea cum altari a fovea circumſepta duarum aratiuncularum extenſionem haberet, vel quantam duorum ſatorum ſemen ab Agricola in campo emiſſum exæquat, non videmus in quo ab Hebraico textu Vulgati interpretatio diſconveniat.

Sub Cap. XIX. duo loca Sixtinus in Vulgati lectione libenter non amplectitur, cum ab Hebraica litera tantiſper diſſentiant. Ad ℣. 18. equidem ſcripſit S. Hieronymus: *& derelinquam mihi in Iſrael ſeptem millia virorum.... & omne os, quod non adoravit eum oſculans manus* in qua profecto interpretatione vocem hebraicam [illegible] *vebiſchartti*, non in futuro ſed in præterito conſtituendam Sixtinus propugnat, atque ex Apoſtoli auctoritate ad Roman. XI. ℣. 4. confirmat. Abeſſe ulterius ab Hebraica veritate vocem illam *manus* adfirmat; quæ propterea in textu Vulgatæ ſuperflua eſt.

Novit Sixtinus quid ſibi reſponderi poſſit pro Vulgati lectione: vocem illam hebraicam habere ſcilicet conjunctam literam ו *van*, quæ convertit præteritum in futurum, unde in Apoſtoli auctoritate patrocinium ſibi auſpicatus eſt. Quis tamen non videat verbum illud duplicem habere poſſe relationem: ad Eliæ nimirum expoſtulationes, quibus ajebat ſe remanſiſſe ſolum in Dei cultu, & religione; atque ad cædes per gladium Hazaëlis, & Jehu faciendas, a quibus incolumes ſervabuntur quotquot idola non adoraverunt? Si ad primum referatur verbum hebraicum, in præterito eſſe debet: quaſi Deus indicare voluerit ſua miſericordia multos Iſraelitarum fuiſſe præventos, atque ab idololatriæ labe ſervatos immunes. Si tamen Dei reſponſum cædibus futuris referatur, vel ad perſecutiones a Jezabele in Dei Prophetas excitandas, tunc hebraicum verbum per futurum tempus eſt interpretandum, ut per ſe patet; & in hoc ſenſu a S. Hieronymo, Jonathane, Pagnino, Vatablo, Menochio, Montano, aliiſque uſurpatum fuit. Paulus autem Apoſtolus cum ad Roman. de gratia vocationis, & electionis ſermonem haberet optime in præterito tempore verbum iſtud accepit, cum veriſſime a Deo relicti dicerentur, hoc eſt per ſuam miſericordiam præſervati, ne genua idolis inflecterent. Plures ex vetuſtis Eccleſiæ Patribus, qui locum hunc divinæ Scripturæ aut expoſuerunt, aut retulerunt, in præterito utique ſuſceperunt, ea fortaſſis de cauſa, ut notat Sabatierus, quod textum hunc ex Epiſtola ad Romanos potius exſcripſerint, quam ex Libro III. Regum, in quo profecto apud LXX. tempus futurum habetur, quamvis immutata perſona: legunt quippe [illegible] & relinquet in Iſrael ſeptem millia virorum; editio tamen complut habet [illegible] *& relinquam*. Quod tandem in Vulgata vox *manus* habeatur, nil germanæ lectioni poteſt officere, cum ſatis conſtet idololatriam etiam per manus oſculum exercitam fuiſſe; de quo ritu ſatis apud Criticos ſacros diſſeritur.

Alter a Sixtino locus in Cap. iſto notatus, ſub ℣. 19. continetur, cum etenim legat ibidem Vulgatus = arantem in duodecim jugis boum: & ipſe in duodecim jugis boum arantibus erat unus = ejus verba ambiguitatis, & obſcuritatis inſimulantur ab ipſo, cum longe clariorem hebraicum textum ſupponat; legit quippe [illegible] *Schenem baſar tſemadim lepanau vebu biſchnem hebaſchar* = duodecim juga erant ante eum, & ipſe in duodecim = hoc eſt in duodecimo;

In hac Sixtini verſione compertum eſt a Sacro textu indicari quod Eliſæus duodecimum locum habebat inter aratores. Verum quis ignoret præpoſitionem hebraicam ב non minus *in*, quam *inter* ſignificare? quinimmo etiam pro *ex*, & *cum* aliquando uſurpatur; ita ad locum iſtum redditam a variis Interpretibus intuemur. *Erat inter duodecim* vertit Montanus, *Cum uno ex illis duodecim* legunt Arabica, Jonathan, & Syrus. *Erat ex duodecim* habet Tigurina. *Erat cum duodecim illis* (jugis) vertit Munſterus. Qua ergo de cauſa Vulgatus redarguitur? Nulla profecto cum legitimum ſenſum, ſimpliceemque veritatem conſervet quamvis majoris claritatis gratia voculas aliquas adjunxerit.

Capite XX. ℣. 5. reddi non poſſe hebraica hæc verba [illegible] *chi ſchalachtti elecha*, *qui miſit nos ad te*, ſicuti a Vulgato converſa ſunt Sixtinus contendit. Hoc, ſi de literali verſione loquamur, utique verum eſt, cum verbum [illegible] ſit in prima perſona præteriti temporis; nihilominus Junius ad tertiam perſonam transfert interpretans = quia miſit ad te dicendo. &c. = Veruntamen utramque lectionem Hebraicam, & Latinam conciliari peroptime poſſe nequaquam diffitimus, quoad ſenſum, quid enim ad nos ſi nuncii dixerint *qui miſit nos ad te*, ſive dixerint: Hæc dicit Benadad: *certe miſi ad te* &c. integritas ſententiæ in eo repoſita eſt, quod Benadad argentum, & aurum, & uxores, & filios Achabi ſibi tradendos expoſcebat.

Reliqua hoc in Capite ab Amama notata, veluti leviora ſilentio præterimus.

Ad Cap. 21. hujus Libri non bene a S. Hieronymo hæc hebraica verba [illegible] *bamtſathani oievi*; *num inveniſti me inimicum tibi?* eſſe converſa defendit Sixtinus, cum potius reddenda ſint = num inveniſti me inimice mi? =

Fa-

Digitized by Google

Fatemur Sixtini verſioni quamvalde Græcum textum convenire, qui eſt [illegible] *inimicus meus;* ſicque legebat S. Ambroſius Lib. de Nabut. cap. 12. verum Grotius legit [illegible] *ojevecha, inimicus tibi*, & iſta profecto extitiſſe in variis codicibus Italæ antiquæ verſionis conſtat ex lib. 1. Luciferi Calaritani pro S. Athanaſio, qui referens hunc textum ſcribit = Si inveniſti me inimicum tibi? = In codice tamen Hieronymianæ verſionis *inimice meus* ſcriptum eſt, ſenſus nihilominus in utraque lectione legitimus eſſe poteſt.

℣. 23. hujus capitis cum legat hebræa [illegible] *bechel jezrabel*, non apte a Vulgaro converſa defendit Amama *in agro jezrabel*, cum vox [illegible] *chel* nuſquam *agrum* ſignificet.

Non inficiantur accuratiores Interpretes adhuc vocis illius [illegible] germanam ſignificationem eſſe imperviam; hinc Montanus, & Vatablus eamdem *antemurale* vel *foſſam*, quæ duci ſolet circum mœnia interpretantur. Tigurina autem legit *in propugnaculo*, Strigelius *juxta murum*. Alii denique putant vocem illam eamdem eſſe cum [illegible] deficiente tamen [illegible] qua *poſſeſſio* vel *hæreditas* ſignificatur, Græca tandem legunt [illegible] ideſt *ante murum Jezrael*, ſive *in antemurale Jezrael*; id unum ergo verum eſt quod non recedit a veritate Vulgatus interpres dum legit *in agro*. De ℣. 24. dictum eſt Tom. 1. pag. 2[illegible].

Ad ℣. 29. nullum in ſenſu cognoſcimus eſſe diſcrimen ſive legamus *humiliatus eſt coram me*; ſive *humiliatus eſt mei cauſa* ideſt propter timorem, vel amorem mei; in his ergo non immoramur legentes.

Capite 22. ℣. 7. Cum S. Hieronymus verterit = non eſt hic Propheta Domini quiſpiam = ab Hebraica veritate non parum receſſiſſe dicitur a Sixtino; eo quod in Vulgati lectione videatur Joſaphat minime credidiſſe 400. illos Prophetas revera fuiſſe ſummi, & excelſi Dei vates, ſed potius Idolorum vaticinatores, cum tamen ex hebraico textu illi pariter veri Dei Prophetæ exſtimari videntur eo quod dixerit Joſaphat, juxta hebraicam lectionem = non habetur adhuc aliquis Propheta Domini? = ex ea particula *adhuc* inquit Cenſor noſter, optime infertur, ab Joſaphat illos etiam 400. Prophetas, veri Dei vates fuiſſe judicatos.

Parum ni fallimur, roboris Sixtini conjectura præſefert ad revincendam erroris S. Hieronymi interpretationem; compertum quippe eſt adverbium *adhuc* temporis continuatione aliquando ſignificare; unde hebraica lectio hunc ſenſum obvium habere poteſt = non eſt modo, ſeu hoc tempore aliquis Propheta Domini? = Si autem Prophetæ illi 400. veri & excelſi Dei oracula proferre exiſtimabantur, cur adhuc alter requirebatur Propheta? ſenſum a Sixtino propoſitum in hebraica contineri nonnulli fatentur; ſed & Vulgatæ ſenſum in eadem exiſtere Grotius, aliique, cum Græcis exemplaribus ſunt opinati.

Sub ℣. 11. Capitis iſtius cum legat Vulgatus = his (cornibus) ventilabis Syriam = non eſſe ab eodem literam hebraicam ſoletter retentam obmurmurat Amama, cum vertenda potius eſſent originaria verba [illegible] *tenaggath eth-Aram, cornupetes Syros*. Quid tamen eſt *cornibus ventilare*, niſi percutere, ferire, arietare, & ad inſtar furentis tauri, qui ſtipulas, & pulverem per aerem cornibus ſublevat, atque diſpergit? ita Syros a Rege Iſrael fore diſpergendos, impoſtor ille vaticinabatur; aptiſſime ergo Vulgatus noſter Hebraicæ lectionis ſenſum expreſſit.

Quomodocumque Sixtinus diverſitatem inter hebraicum textum & Vulgati lectionem nitatur obtrudere in ſequentes hujuſce capitis verſiculos, attamen legitimum in noſtra ſenſum adinveniri compertum eſt. Quid ad nos quæſo ſi legit hebræa ad ℣. 30. *mutabo habitum meum & ibo*; quoties in Vulgata noſtra legimus Regem Iſrael ſuum habitum permutaſſe, ſi.que incognitum, eſſe ingreſſum in prælium? ℣. 34. dum legit Hebræa = vir tetendit arcum in ſimplicitate ſua & percuſſit Regem = quid aliud exponit, niſi quod Rex percuſſus fuit citra ullum delectum, vel intentionem ſagittarii, nil minus cogitantis quam Achabum percutere? Quæ autem præter intentionem operantis contingunt, nonne caſu evenire dicuntur a nobis? Ad ℣. 34. *Vulneratus ſum* legunt Pagninus, & Montanus quinimmo & LXX.; in quo tamen eſſentiale diſcrimen inter Hebraicam & latinam conſiſtit? In nullo certe.

§. VI.

Plurima in libro IV. Regum notantur ab Amama adverſus Vulgati lectionem, veluti ab Hebraico fonte diſſidentem. Ait in primis ſub ℣. 9. capitis 2. non accurate reddita eſſe hebraica hæc verba [illegible] *vihi na pi ſchenaim beruchacha elai* = obſecro ut fiat in me duplex ſpiritus tuus = cum meliori conſilio eadem Rabbini interpretati ſint = Sit quæſo duplex portio de Spiritu tuo penes me = ideſt oro ut mihi concedas duplam portionem ſpiritus prophetici, quam aliis diſcipulis tuis ſis conceſſurus.

Si literam hebraici textus accurate ſequamur, hoc modo ſonat = & ſit, quæſo, os duorum in ſpiritu tuo ad me = quæ verba ad hanc ſignificationem *ut ſpiritus tuus in me duplicetur: ut duplicem mecum habeam ſpiritum tuum propheticum: fiant duplicia in ſpiritu tuo ſuper me* determinant Strigelius, Syriacus, Arabicus, & LXX. a quibus profecto minime Vulgatus abludit. Penes expoſitores quemnam ſpiritum duplicem Eliſæus efflagitaverit videatur.

Ad ℣. 12. hujus capitis, vocem hebraicam [illegible] *uparaſchau* non appoſite *& auriga ejus* eſſe converſam ait cenſor, cum potius *equitem*, & in plurali *equos* aliquando ſignificet. Hoc, ſi de litera loqui velimus, verum eſſe nequaquam inficiamur;

tamen

tamen advertamus oportet Eliſæum metaphorice fuiſſe locutum, nec aliud ſignificare voluiſſe quam quod *vis*, *ductor*, & *robur* Iſraelis eſſet Elias; cum autem in curribus, & equis, exercituum robur tunc temporis præcipue repoſitum eſſet, cumque in curru igneo transferretur Elias, ex occaſione illa metaphoram ſuam Eliſæus aſſumpſit, indicatumque ſeorſum expreſſit, qui in Vulgatæ non minus, quam in hebraicæ lectione continetur.

Sub ℣. 14 ejuſdem capitis Vulgati lectionem Sixtinus perſtringit quod bis in eadem aquæ percuſſæ ab Eliſæo narrentur, cum ſemel tantummodo percuſſio in textu originario commemoretur in ordine ad Eliſæum ipſum; alteram enim percuſſionem ad Eliam referendam eſſe ait cenſor, particulam *vau*, ו quæ voci [illegible] *jiachcheb* præmittitur non copulativam, ſed converſivam eſſe defendens ex eo, quod ſub voce [illegible] *Eljiahu* accentus *athnach*, qui eſt diſtinguens orationem, reperiatur; unde germanam hebraici textus lectionem eſſe hujuſmodi concludit = & percuſſit aquas dicens ubi eſt Dominus Eliæ? Etiam ipſe poſtquam percuſſiſſet aquas, diviſæ ſunt aquæ. =

Quot, & quam diverſæ ſint Expoſitorum ad locum iſtum commentationes, cum apud Criticos ſacros in eorum ſynopſi a Matthæo Poli Londinenſi elaborata videri queant, libenter omittimus. Mirari tamen ſatis non poſſumus Cenſoris noſtri libertatem, qua Vulgatum redarguit (eſto ejuſdem lectio cum hebraica veritate apprime cohæreat) ex quo diverſimode textus originarius a Vulgati lectione reddi poſſit. Sit itaque ſub voce *Eljiah* accentus Athnach, qui orationem diſtinguit; nonne propterea legi poterit hebraicus textus, ſicut a S. Hieronymo legebatur, cum nondum accentus ille, in cujus gratiam tanta Sixtinus conglomerat, in originario textu haberetur? Vel ſi hujuſcemodi accentum extitiſſe ſupponamus; nonne litterula ו *vau* voci [illegible] præmiſſa vim copulandi, ſeu replicandi actionem habere poteſt, ſi præſertim particulam [illegible] pro verbo ſubſtantivo *eſt* accipiatur, iſtoque modo legamus = & percuſſit aquas, & dixit: ubi eſt Dominus Eliæ? Adhuc, vel etiam eſt: & percuſſit aquas &c. = Si ad primam percuſſionem aquæ diviſæ eſſent ad quid Eliſæi exclamatio, *ubi eſt Dominus Deus* Eliæ? Si ad hanc exclamationem, ſeu obſecrationem aquarum diviſio facta eſt cur hiſtoriam miraculi, quod patrarat Elias, commemorat Eliſæus? videt ne Sixtinus quam germanam nobis Vulgatus noſter lectionem exhibuerit, dum bis aquarum percuſſionem ab Eliſæo factam deſcribit?

Ad ℣. 13. Capitis 3. hujus Libri non bene a Vulgato converſa eſſe hæc verba hebraici textus [illegible] אל *al chi kara jehovah*, *quare congregavit Dominus* cum potius legendum = *nequaquam* (ſubintellige *ita dicas*) *quia vocavit Dominus* &c.

Compertum eſt particulam אל *al* quamſæpe *interrogandi* ſignificationem præſeferre, cui Vulgatus Interpres alteram particulam כי conjungens unum interrogandi adverbium expreſſit; quod quidem ſatis eſt ad integritatem ſententiæ, cui ſolummodo incumbebat S. Hieronymus. Alia quæ notantur non magni facienda videntur.

Sub Capite V. hujus Libri ad ℣. 19. cum Vulgatus habeat *electo tempore terræ*, opponit Sixtinus per hebraicas voces [illegible] *chibrath baarets* melius *certum terræ ſpatium* ſeu *diſtantiam* ſignificari. Nos his de vocibus ſatis in Tom. 1. Diſquiſit. pag. 238. Colum. 2. adnotavimus; longeque plura dicuntur in Synopſi ſacrorum Criticorum ad Cap. 35. Geneſeos ℣. 16. hoc tamen in loco ſi *verno tempore* ſit legendum, ſicut & in Geneſis loco citato, utique S. Hieronymi codices diverſimode ab hodiernis legebant. Textus etiam hebraicus [illegible] *va jaba el-hahophel*, quem vertit S. Hieronymus: *cumque jam veniſſet veſperi*, ad ℣. 24. hujus Capitis, [illegible] *ophel* pro [illegible] habuiſſe credendus eſt cum [illegible] *locum excelſum* vel *munitum* ſignificet; ex [illegible] autem tenebræ & caligines exprimantur; ultraque lectio vera eſſe poteſt; nos tamen dubio procul Vulgatam retinemus.

Aliqua ad Sextum hujuſce Libri Caput adnotare in Vulgati lectione nequaquam Sixtinus omiſit; atque inprimis ad ℣. 2 non apte verſas eſſe contendit voces iſtas [illegible] *Korah echath*, *ſinguli materias ſingulas* (tollant de Sylva) cum potius legendum ſit = tollamus inde *quiſque tignum*, ſeu *trabem unam*, nam vocem *Korah* ipſe Vulgatus Cantic. I. ℣. 16. per *trabem*, ſeu *tignum* convertit.

Notum omnibus eſt *tigni* nomine omne genus materiei, ex qua ædificia conſtant, contineri, ut docent Ulpianus de *Tigno juncto* L. I. & Cajus de verb. ſignif. Quinimmo eodem nomine omnia in vineis ligna neceſſaria v. g. perticæ, pedamenta, & ſi quid aliud eſt, ſignificantur. Quid ergo ſuccenſet Sixtinus ſi Vulgatus generaliori vocabulo idem expreſſit, quod ipſemet exprimendum efflagitat? Nunquid ex ſolis trabibus ædificia componuntur? *tignorum* nihilominus generale nomen aliquando ex circumſtantiis ad ſignificandum *trabes* determinatur, hinc mirum non eſt quod in Canticis loco citato Vulgatus reddiderit vocem illam hebraicam, *tigna*, cum determinatam illam domus partem deſignet ibidem; hoc vero in loco materiam quamcumque ligneam, ex qua habitaculum erat conſtruendum indigitat.

℣. 10. ejuſdem Capitis perperam a Vulgato legi ait Sixtinus *& præoccupavit*, cum vox hebraica [illegible] *hizir*, *monere*, non *præoccupare* ſignificet.

Cur ergo Tigurina legit = & diſpoſitis cuſtodiis obſervari eum juſſit =? nonne ſatis expreſſit Vulgatus noſter admonitionem factam Regi Iſrael per hæc verba = miſit Vir Dei ad Regem Iſrael dicens: cave ne tranſeas in locum illum? = Cum autem ſequatur in Hebræo, *& cuſtoditus fuit ibi*, ut legit Oſiander; vel *obſervavit ſe ibi*, ut vertit S. Hieronymus; naturale eſt quod aliquo modo locum illum præoccupaverit.

Ad ℣. 22. contendit Sixtinus legendum eſſe = an quos captivos duxiſti gladio tuo, & arcu tuo percuteres? = eo quod habeatur in hebraico interrogativum ה, ſcriptum quippe eſt [illegible] *baaſcher*.

Quis revincet literam ה iſto in loco vim habere interrogationis? nonne pro articulo conſiderari poteſt? Puncta vocalia diu poſt Sanctum Hieronymum divino textui adjecta fuere, ex iſtis propterea revinci non poteſt quod hoc in loco interrogationem indigitet; unde verti peroptime poteſt Hebræa cum Strigelio, Jonat. Syriaca, Arabica, Tigurina, & Caſtalione, = Quos cœpiſti gladio tuo, & arcu tuo, eos percute = quæ ſiquidem lectio eadem eſt in ſenſu cum vulgata.

Nonnulla, quæ in ſequentibus Capitibus 7. & 8. notantur, levis momenti cum videantur relinquimus. Ad ℣. autem 32. Capitis 9. cum Vulgatus legat = quæ eſt iſta? = nimis eum exorbitaſſe Sixtinus adfirmat eo quod hebræa legat [illegible] *mi itti mi, quis mecum quis?* quaſi ad eos ſit locutus Jehu, qui in palatio aſtabant Jezabeli, eoſdem ad ſuas partes ſolicitans quaſi dicendo: Si quis veſtrum meis partibus ſavet, ſignn aliquo ſe prodat, atque manifeſtet.

Incertum eſt quomodo legerit hebraicus S. Hieronymi codex, cum facillime ſuſpicari poſſimus habuiſſe vocem hanc hebraicam [illegible] *atta*, ſicuti eodem modo legiſſe creduntur LXX. qui textum iſtum interpretati ſunt [illegible] *quanam es tu?* Neque enim quaſi neſciens, ſed quaſi contemmnens Jezabelem interrogavit Jehu; unde labitur Sixtini conjectura, qua reiicere lectionem Vulgati conabatur,

Ad ℣. 37. ejuſdem Capitis Hebræa ſiquidem legit = eritque Cadaver Jezabel ut ſtercus ſuper terram, ut non dicant: hæc eſt Jezabel =. Veruntamen ſenſum ipſum haberi in Vulgata noſtra evidens ſere eſt; hebraica quippe lectio indicat Jezabelis cadaver adeo fuiſſe deturpandum, atque dilaniandum, ut a prætereuntibus cognoſci non poſſet an eſſet Jezabel? ad eandem conditionem perducendum Vulgata ſignificat pariter, cum illius formam adeo fuiſſe immutandam deſcribit, ut a prætereuntibus per agrum illum ſtupore correptis dici deberet = hæc ne eſt illa Jezabel? = quod in idem recidit cum hebraica lectione.

Capite X. ℣ 32. cum habeatur in Hebræa [illegible] *le Katſoth beiſrael* non vertendum fuiſſe; cœpit Dominus *tædere ſuper Iſrael* contendit Sixtinus; ſed potius: cœpit *truncare*, ſeu *excidere Iſraelem*.

Senſus idem ferme eſt; cum etenim Deus incipit tædere ſuper aliquo, jam innumeræ eidem imminere ſolent ruinæ. Vox tamen hebraica [illegible] *Kats*, anguſtiis affici, ſive *deteſtari*, vel *averſari*, vel tandem *tædere*, ſignificare poteſt; quapropter Vulgati lectio ab Hebraica veritate nequaquam recedit.

Ad Cap. XI. ℣. 19. cum ſcripſerit S. Hieronymus = tulitque Centuriones, & Cherethi, & Phelethi legiones = Carpitur a Sixtino quod hebræa *Duces*, & *curſores* vel *Satellites* legat. Si nobis in comperto foret quinam fuerint *Chereti*, & *Pheleti* de quibus in Lib. 2. Regum Cap. 8. ℣. 18. fit mentio fortaſſis inde poſſemus Vulgati lectionem ad hunc locum redarguere. Verum nondum ſatis conſtat quinam eſſent homines illi, cum Expoſitorum quamplurimi eoſdem *Sagittarios & funditores*; alii *conſiliarios*; alii *prætorianos milites*, ſeu Regii corporis cuſtodes extitiſſe opinantur. Quis modo Vulgatum redarguere audeat, quamvis *Chereti* & *Pheleti* legiones tranſtulerit, ſi per hujuſcemodi nomina ii poſſunt intelligi milites, quos ex hebraica Sixtinus deſcribit?

§. VII.

CAP. XII. ℣. 8. tranſtulit S. Hieronymus = prohibitique ſunt Sacerdotes accipere pecuniam = qua de re a Sixtino exprobratur, cum habeat hebræa = & acquieverunt pro non accipere pecuniam = Hæc verborum ſignificatio evidenter ni fallimur a Vulgato reddita eſt; qui enim ab aliqua actione deſiſtit ob oppoſitam Principis voluntatem, is ab eadem actione prohibitus intelligitur.

Ad ℣. 18. = & univerſum argentum = legimus, non quod Patres illi qui Biblia correxerunt quid argento diſtet aurum neſciverint, ut blaterat Amama, ſed quod argenti nomine quamcumque pecuniæ ſpeciem intelligi poſſe cognoverit, proindeque a latinis codicibus non recedendum abſque neceſſitate, judicaverint.

Ad Cap. XIV. ℣. 4 ex Vulgati lectionu inferri poſſe videtur quod Joas abſtulerit excelſa; cum tamen id nequaquam ſit executus ut patet ex Cap. 12. ℣. 3. melius propterea legit hebræa [illegible] *lo ſaru non abſtulerunt*, inquit ad hunc locum Sixtinus.

Facile Vulgatæ lectionis legitimum deprehendimus ſenſum ſi cum præclariſſimis Expoſitoribus ſupponamus verba illa *excelſa non abſtulit* non ad proxime præcedentia *juxta omnia quæ fecit Joas*, ſed ad ſuperiora *& fecit rectum* &c. eſſe referenda: verba autem iſta (*juxta omnia quæ fecit Joas pater ejus*, *fecit*) in parentheſi includantur

Unicum ſub cap. 15. hujus libri in Vulgato noſtro reprehendit Sixtinus; quod ſcilicet *Argob*, & *Arie* veluti locorum nomina poſuerit, cum tamen ſint duo nomina virorum, quorum auxilio uſus eſt in conjuratione, ait Vatablus; vel qui cum Rege erant, ut Cajetanus opinatur; præpoſitio etenim [illegible] *bim* ſignificat *cum* non *juxta*.

Præpoſitio illa [illegible] hebraica non ſolum *cum* ſed etiam *prope* vel *apud* in ſacris literis ſonat, unde inferri ex illa non poteſt, quod *Argob* & *Arie* ſint hominum nomina potius quam locorum. Rabbi Salomon per *Argob*, palatium intelligit, per *Arie* vero leonem quemdam aureum, vel inauratum, qui ante palatium Regis ad magnificentiam, & ornatum conſtitutus erat. Hæc omnia adinvicem conciliari poſſe videntur ſi turrim in

qua

qua Phaceja necatus legitur extra palatium tantiſper ſupponatur conſtructa. Cæterum ſi duo illa nomina non viris, ſed locis attribuantur, a veritate haudquaquam recedimus.

Ad Cap. 16. ℣. 9. cum ſcripſerit Vulgatus = & tranſtulit habitatores ejus Cyrenen fatigatur Sixtinus ut oſtendat regionem illam ad imperium Aſſyriorum nequaquam pertinuiſſe. Quis S. Hieronymum adeo in rebus iſtis peregrinum exiſtimet, ut per *Cyrenen*, Cyrenaicam Ægypti intellexerit? cum eumdem fugere nequaquam potuerit amnis Cyrus, qui ex Armeniæ majoribus montibus fluens in Araxem devolvitur, & tandem in Mare Caſpium quieſcit. Fluvius iſte *Cyrrhas*, *Cyrus*, & *Cyrnus* apud veteres appellatus adinvenitur; habentur pariter ibidem Civitates *Cyrropolis*, *Curena*, & *Carine* ut ſcribit Ptolemæus; nonne ergo cum iſtis ſatis intelligimus de qua Cyrene verba fecerit Sanctus Hieronymus?

Quæ in Cap. 17. notantur ab Amama levioris cum ſint momenti prætermittimus. Cap. autem 18. ad ℣. 11. habet Vulgata noſtra profecto *in Hala*, *& in Habor fluviis Gozan*; cum autem Cap. 17. ℣. 6. legamus = poſuitque eos in Hala, & in Habor juxta fluvium Gozan = infert Sixtinus ab Interprete noſtro duas illas voces *Hala* & *Habor* modo pro fluminibus, modo pro Civitatibus, vel regionibus uſurpari.

Quo argumento hanc diverſam nominum hebraicorum acceptionem a Vulgato eſſe uſurpatam Sixtinus oſtendat adhuc nobis ignotum eſt. Dicuntur quidem in fluminibus habitaſſe Judæi per Salmanaſarem translati, nec tamen in aquis extitiſſe credendi ſunt, ſed vel juxta aquas fluminum vel inter duorum fluminum alveos, aliquo tractu ab invicem diſtantes. Hac itaque poſita phraſi; intelligimus ſatis *Hala*, & *Habor* duos minores fuiſſe torrentes, non longe a Gozane, qui fluvius erat majoris fortaſſe nominis, a quo ſuam appellationem regio, ſeu provincia aliqua, per quam diffluebat, auſpicata erat; fluvium nomine *Chobar* apud Ezechielem utique legimus; falſum eſt ergo quod Sixtinus ſupponit, nomina ſcilicet *Hala*, & *Haber* modo pro locis, modo pro fluminibus uſurpari, niſi fortaſſis a fluminibus illis etiam loca ſint eodem nomine nuncupata.

Ad Caput XIX. hujus libri quæ in Vulgatum Sixtinus opponit plana ex ſe ſunt, nullumque ferme negotium faceſſere poſſunt; propterea ad urgentiora gradum facimus.

Capite XX. ℣. 19. Vulgatum Amama reprehendit quod hebraica hæc verba [illegible] per modum optandi converterit = ſit pax & veritas in diebus meis = cum potius transferenda forent per modum reddendi rationem, qua Dei verbum bonum ſit, quaſi dixerit Ezechias: omnino bonus eſt ſermo Domini, quem locutus es, ſi pax & veritas erit in diebus meis.

Verba Ezechiæ per modum optandi fuiſſe prolata exiſtimarunt Græci Interpretes, & ipſimet Hebræorum Rabbini qui Euſebium & S. Hieronymum erudiebant, ut tradit ipſemet S. Doctor in Cap. 39. Iſaiæ ℣℣. 7. & 8. Græci autem legunt ἔστω *ſit*, vel γενηθήτω *fiat*; eodemque modo legebat S. Ambroſius in ſua Itala antiqua, ut patet ex ejus Lib. I. de Jac. Cap. 8.

Cap. 21. ℣. 13. in Vulgatum ſuccenſet Sixtinus quod ſcripſerit = delebo Jeruſalem ſicut deleri ſolent tabulæ, & delens vertam, & crebrius ducam ſtylum ſuper faciem ejus = cum in hebræa legamus *& abſtergam Jeruſalem*, *ſicut abſtergit quiſpiam ſcutellam*, *abſtergit*, *& vertit ſuper faciem ſuam*.

Animadvertit ad hunc locum Martianæus diverſas hujuſce textus haberi interpretationes propter variam verbi [illegible] *macha*; aliquando enim *abſtergere*, quandoque autem *delere* ſignificat, generalis autem ejus ſignificatio eſt *evellere* ut apud Criticos Sacros videri poteſt in Synopſi. Secundum varias alluſiones propterea, ac metaphoras Interpretes vocem illam reddiderunt. Aliqui eorum inter quos S. Hieronymus alludunt ad tabulas ceratas, in quibus veteres Librarii ſtylo aliquo æreo, vel ferreo, cujus una extremitas acuminata erat, altera vero teres, ſcribebant; a quibus vertendo ſtylum facile literas expungebant, delebantque uſque ad imum, planam, & lævigatam reddentes tabulæ faciem; in hunc ſenſum converterant hebraicum textum etiam Græcorum Interpretes, ut patet ex Compl. editione in qua legimus τὸ πυξίον ἀναλειφόμενον ἀπὸ προσώπου; ſicut tabella ſcriptoria deleta, vel eraſa in parte poſtera a facie ejus, eodem ferme pacto legebat Lucifer Calaritanus lib. 1. Reg. Apoſt. ubi ſcribit = & delebo Jeruſalem quemadmodum deletur buxum de poſte ante faciem ejus = Hæc utique lectio magis conſona reperitur cum præcedentibus verbis, divinisque minis per os Prophetæ denunciatis; Samaria profecto & Domus Achab nedum abſterſa fuit ab improbis, ſicut abſtergitur ſcutella, ſed inſuper everſa prorſus fuit, atque de terræ ſuperficie domus illa eraſa; pronior ergo, atque naturalior eſt S. Hieronymi interpretatio.

Ad caput denique ultimum libri IV. Regum objurgat Sixtinus Interpretem noſtrum quod duas primas verſiculi tertii voces cum ultimis vocibus verſiculi ſecundi copulaverit, iſtumque ſenſum reddiderit = & clauſa eſt Civitas uſque ad annum undecimum Regis Sedeciæ, nona die menſis =

Decipitur profecto Sixtinus, cum noverint omnes ferme Expoſitores hoc in loco ellipſim haberi vocis *quarti*, quæ ſupplenda eſt ex Cap. 39. ℣. 2. Jeremiæ, vel ex Capite 52. ℣. 6. ejuſdem Prophetæ, unde hoc in loco legendum eſt = Nona die menſis quarti, jam prævalente fame, ſuffoſſa ſunt mœnia Civitatis &c. = Videantur critici ſacri.

℣. 14. hujuſce Capitis in Vulgatum quammaxime Sixtinus expoſtulat, quod vocem hebraicam [illegible] *jabim*, *trullas* converterit; & quod inſuper aliqua vaſa, nempe *mortariola* hunc in locum intruſerit contra hebraicam veri-

veritatem, in qua nulla iſtorum fit mentio.

Diu his in næniis legentes non morandos arbitramur; vox itaque illa hebraica quid vere, & abſolute ſignificet adhuc impervium eſt, ut patet ex variis ſignificationibus eidem ab Interpretibus affixis; generatim autem ſignificat inſtrumentum ad ſordes removendas; cum autem *trulla* ſit quædam vaſorum ſpecies, quibus uti ſolebant vel ad manus abluendas, vel ad aquam in lavatrinam infundendam ut Varro teſtatur; quid mirum ſi S. Hieronymus voci illi hebraicæ modo unam modo alteram inſtrumentorum notionem connexuit? Quarum nihilominus nulla ab originaria vocis illius ſignificatione generali, quæ eſt *removere ſordes*, exorbitat. Quantum autem ad *mortariola* pertinet, quæ intruſa hunc in locum dicuntur; quare nobis non liceat ſupponere ellipſim alicujus vocis, quæ ex lib. 3. Regum Cap. 7. ℣. 50. ſit ſupplenda, ubi etiam hebraicus textus quinque vaſorum ſpecies enarrat? Vox quidem hebraica כף *Caph*, *cochleare* nonnulli interpretantur, alii tamen *acerram*; alii *calicem*, *capſellam* alii; & denique concludunt vas patulum fuiſſe parvum & concavum, in quo thus ponebatur. Quid ergo Vulgata noſtra redarguitur? non inficiamur attamen dubitari a nonnullis an S. Hieronymus hoc in loco *mortariola* collocaverit, cum in aliquibus pervetuſtis MSS. & præſertim Veronenſe hanc vocem deeſſe teſtetur Vallarſius.

Ad ℣. tandem 19. redarguit Interpretem noſtrum Sixtinus quod hebraicum nomen [illegible] *haſopher* veluti nomen proprium perſonæ reddiderit; cum tamen appellativum eſſe ſatis indigitet articulus ה præfixus nomini iſti, quem ſiquidem articulum ſemper nomina propria reiiciunt.

Quis judicare poterit num S. Hieronymus vocem illam veluti nomen proprium Perſonæ potius, quam nomen ſignificativum *officii*, vel *auctoritatis* intellexerit? in ſua verſione S. Pater eamdem in ſono hebraico protſus reliquit; quicumque iſte fuerit, vir profecto auctoritatis erat in populo Judæo quod ſatis nobis eſt ad veritatem hiſtoriæ, Non deſunt inſignes Scriptores, qui nomen iſtud tamquam proprium alicujus perſonæ agnoverunt, nihili facientes articulum ה eidem nomini affixum, cum ſit incertum num in codicibus S. Hieronymi ætate exiſtentibus articulus iſte notatus fuerit. Hæc ſunt quæ in Sixtini cenſuram ad Libros Regum elaboratam contra Vulgati noſtri interpretationem repoſuimus; multa in eodem intacta relinquentes tum ob temporis brevitatem, cum etiam ne quæ minoris ſunt ponderis lectores immorentur.

§. VIII.

NOnnulla ad Libros Paralipomenon ſua perſtringere cenſura minime Sixtinus omiſit, ne quid intentatum ad fidem Vulgatæ noſtræ elevandam ſi poſſet, videretur relinquere. Redundare itaque ad ℣. 32. Capitis I. lib. 1. Paralipomenon adfirmat hæc verba = Filii autem Dadan, Aſſurim, & Latuſſim, & Laomim =; eo quod ipſis careant Hebræa, Græca, & non pauca latina exemplaria.

In multis deeſſe codicibus Latinis, Græcis, & Hebraicis verba illa, quæ Sixtinus tanquam ſuperflua notat, omnibus notum eſt; quinimmo in codice Hieronymianæ verſionis a Martianæo publicato eadem ipſa deſiderantur; ex quo evidenter conſtat S. Doctorem legitimam ex hebraico tranſlationem reddidiſſe, quod velint nolint fateri compelluntur Vulgatæ noſtræ adverſarii. Quomodocumque tamen ab his omnibus abſint exemplaribus merito a Romanis Correctoribus hoc in loco verba illa relicta ſunt. Oſtendat Sixtinus eadem eſſe illegitima, in hebraica veritate nequaquam haberi; & tunc in Romanos Correctores obgrunniat. Quid ad nos ſi in Paralipomenis deſint etiam apud hebraicos codices, ſi aliunde locus iſte ſuppleri poteſt ex ipſis hebræorum codicibus. Hoc itaque pacto legit Hebræa ad Cap. 25. Geneſeos ℣. 3. [illegible] *ubene dedan haiu Aſſurim, u Letuſſim, u Leummim* = Filii autem Dedan Aſſurim, & Letuſſim, & Leummim = Hæc ſatis ſunt ad oſtendendum ea verba in Paralipomenis ex Libro Geneſeos eſſe ſupplenda ut narrationis integritas ibidem reperiatur.

Ad Caput 2. Libri I. Paralip. ℣. 18. nullo modo Vulgati lectionem probari poſſe adfirmat Sixtinus, quæ ita concepta legitur = Caleb accepit uxorem nomine Azuba de qua genuit Jerioth = Nullus quippe ait ipſe, oſtendere poterit verbum hebraicum [illegible] *holidh* ſignificare *uxorem accepit*, cum vere ſignificationem gignendi contineat, unde vertunt nonnulli = Caleb genuit Azubam filiam ſuæ uxori cognominem, & Jeriotham.

Huiuſcemodi textum in hebraica lectione aliqua præſeferre obſcuritatem ob ſæpius replicatum verbum *gignendi* omnes fatentur Commentatores; ſic enim ipſum legimus in hebræa [illegible] *vechaleb holidh ethazuba iſchah ve eth jerihoth*; & *Caleb genuit Azubam uxorem & Jerioth*; hanc lectionem, quæ litteralis eſt nec Interpretes hebraicæ literæ addictiſſimi ſubſtinere potuerunt, quapropter varii varias excogitarunt verſiones. Nobis præ cæteris ſeligenda videtur, quam reddidere Mariana, & Malvenda apud Criticos ſacros, qui verbum [illegible] in *hiphil* exiſtens, tranſtulerunt *generare fecit*, vel *parere fecit* (Caleb) & *etiam Jeriotham*; quaſi ipſa altera Calebi uxor eſſet; quam ultimam periochen non amplectimur, ſed in hebraico textu ellipſim haberi vocis *peperit* opinamur, quæ ſupplenda eſt ſicut Vulgatus effecit; in quo igitur ab hebraica veritate recedemus ſi legamus = & Caleb gignere fecit Azubam uxorem, & peperit Jeriotham? = hæc ſiquidem lectio a Sancti Hieronymi verſione nec tantillum abludit, cum optime ipſe pro *gignere fecit* ſcripſerit *accepit uxorem nomine Azuba*, quæ peperit, ſive de qua genuit *Jerioth*

℣. 24 huiuſce Capitis quamvis nonnulli cum Sixtino hebraicum textum ita inter-

pre-

pretentur ut *Caleb-Ephrata* nomen loci eſſe opinentur, in quo mortuus fuerit Heſron, tamen cum ex ℣. 29. & ℣. 50. huius Capitis ſit evidens quod Ephrata coniux extitit Calebi, vertunt textum huius ℣. 24. = cum duxiſſet Caleb Ephratam, vel cum accepiſſet ſibi Ephratam = Junius, & Tremellius, atque Piſcator, & alii Interpretes.

Ad ℣. 52. ejuſdem Capitis cum hebraica hæc verba ויהיו בנים לשובל אבי קרית יערים הרואה חצי המנחות *vejbiu banim leſchobal abi Kariath-jarim haroe chatſi hammenuchoth*, Vulgatus noſter tranſtulerit = Fuerunt autem filii Sobal Patris Cariathiarim, qui videbat dimidium requietionum = non leviter vapulat a Sixtino, quod nomina illa hebraica *Haroe*, & *Chatſi* ſignificare perſonas, ſeu filios Sobal, contendat.

Non deſunt inter Catholicos Expoſitores, qui voces iſtas *qui videbat dimidium requietionum* ita interpretentur, ut nomen alicujus filii Sobal ſignificare contendant; eorum que conjecturæ nec omnino contemnendæ videntur; non enim inuſitatum prorſus fuit Sancto Hieronymo hebraicas voces reddere per id, quod in Latino ſignificant; qua admiſſa expoſitione totum ruit Sixtini ratiocinium, quo ajebat in S. Hieronymi verſione, quæ legit *fuerunt autem filii Sobal Patris* &c. filiorum requiri enumerationem quæ enumeratio, inquit Cenſor, neceſſaria non foret, ſi ſcripſiſſet Vulgatus *fuerunt autem filii Sobal patri* &c. Nonne quippe fit filiorum enumeratio ſi voces prædictæ unum Sobalis filium indigitent? neque officit, quod habeamus *fuerunt filii* in numero multitudinis, quandoquidem apud Hebræos in more eſt, ut pluralitatis numerus pro ſingulari uſurpetur, ſicut ipſemet Sixtinus confitetur. Celebres tandem hebraizzantes, voces illas hebraicas eodem modo, ac Vulgatus reddiderunt, ut Santes Pagninus, Montanus, aliique. Tigurina denique, Strigelius pluresque alii vertunt = qui aſpiciebat ſeu videbat dimidium *Hammenuchoth* = ita dicta terra illa a fertilitate, vel amœnitate loci; videbat autem, ideſt poſſidebat, Princeps erat illius loci, qui requietionis appellatur; Expoſitores iſti veritatem hebraicam in tuto poſitam exiſtimarunt, quamvis hebraicas voces prædictas nequaquam veluti perſonarum nomina dignoſcerent.

℣. 55. ejuſdem Capitis 2. Vulgati lectionem Sixtinus conatur expungere, quod voces iſtas hebraicas תרעתים שמעתים שוכתים *tirbathim*, *ſchimbathim*, *ſuchathim* converterit *Canentes*, *& reſonantes*, *& in tabernaculis commorantes*, cum ea nomina velit Cenſor noſter eſſe proprias familiarum appellationes.

Quodnam piaculum in ſua verſione admiſit Interpres, dum pro hebraico ſono materiali nominum, ipſorum ſignificationem juxta etymon eorum nobis reddidit? peccatum ne eſſet ſi hanc Chriſti ſententiam *Beatus es Simon Bar-Jona*, quiſpiam redderet *Beatus es Simon filius Columbæ?* Negabit ne quis voces illas ſignificare revera quidquid ab Hieronymo redditum eſt? fatentur omnes ferme a Rechabitis ea omnia geſta eſſe, quæ exponit per illas voces S. Hieronymus quo ergo jure ejus interpretatio condemnatur, ſi erroris convinci non poteſt? ſi denique velit Cenſor voces illas abſolute eſſe nomina familiarum nonne in Vulgata noſtra ſatis intelligimus tres diverſas Cinæorum familias, ex diverſitate factorum, quæ veluti ſpeciales characteres unius cujuſque familiæ deſignantur? Pari modo dicimus vocem illam *Hamath* redditam eſſe a Vulgato juxta ſignificationem, non vero juxta nominis ſonum. Verum non deſunt, qui opinentur *de Calore* idem ſignificare, ac *de ſemine*, unde Cinæi, iſti *Rechabitæ* poſtea dicti ſint.

Ad Caput 3. Libri I. Paralip. fatemur in hebraica diverſam haberi ac in Vulgata lectionem in ℣. 21. Verum inſignes non deſunt Auctores, qui in vetuſtis Hebræorum codicibus eamdem ac in Vulgata hodierna extitiſſe lectionem opinentur; cum noſtra quippe legunt LXX. atque Syriaca, in Codice etiam Hieronymianæ verſionis eodem modo Verſiculus iſte exhibetur. Verum quid erit inconveniens ſi cum Abulenſi Quæſt. 11. in Cap. 3. Paralip. dixerimus Hebraicam literam hoc in loco minus eſſe completam proindeque aliquibus vocibus eſſe ſupplendam, quod a Vulgato præſtitum intuemur? Nonne in Cap. I. hujuſce libri, ubi legimus ad ℣. 1. *Adam*, *Seth*, *Enos*. &c. ſubintelligenda eſt vox *pater?* eccur eadem ſuppleri non poteſt ad locum iſtum? Nunquam profecto revincetur erroris S. Hieronymus, donec hebraicos ſancti Doctoris codices legiſſe ſicut hodierni legunt, demonſtret Sixtinus.

Capp. 4. & 5. hujus Libri pauca, quæ a Sixtino adnotantur, relinquimus perlibenter, cum circa æquivocationes nonnullas, vel nominum propriorum interpretationem juxta illorum etymon, occupentur.

℣. 57. Capitis 6. reprehendit Cenſor noſter Vulgatam lectionem, quod poſſit Lector ex eadem inferre omnes, quæ ibi recenſentur Civitates, veluti refugii urbes fuiſſe deſignatas, cum tamen ſola Hebron huic muneri deſtinata legatur.

Res nihilominus adeo ex ſe clara eſt, ut neminem Vulgati lectio decipere poſſit, niſi volentem. In Cap. enim 20. Joſue ſatis expreſſæ ſunt Civitates refugii in Iſraele univerſo conſtitutæ; recenſentur itaque hiſce in locis Civitates Levitis conceſſæ quarum nonnullæ pro homicidarum confugio ſtatutæ erant.

Quæ deinceps in libris Paralipomenon adnotantur ab Amama, cum nullum eſſentiale diſcrimen inter hebraicam, Vulgatamque lectionem præſeferre videantur, ad alia majoris negotii pertranſire perutilius opinamur.

§. IX.

IN ſuis ad librum Eſther annotationibus Vulgatum Interpretem vellicare Sixtinus minime deſinit, ut Vulgatam Romano-Catho-

tholicæ Eccleſiæ Bibliorum lectionem variis conſperſam mendis, illegitimamque propterea eſſe ſimpliciorum animis perſuadeat. Aerem verberat, aquam pinſat ipſe, & quotquot in illum enexpugnabilem murum arietant, in quem inſerorum portæ non prævalebunt. Expoſtulat itaque in noſtrum Interpretem ad ℣. 1. capitis 1. hujuſce libri, quod emphaticam repetitionem nominis *Abhaſveroſh* neglexerit, quæ in Hebræa reperitur.

Norum nihilominus eſt omnibus fere, nonnulla in uno idiomate haberi particularia, quæ elegantiam in illo, atque concinnitatem præſeferunt; hæc vero ſi in altera adhibeantur lingua, vitio potius, quam venuſtati ſermonis eſſe imputanda. Plura in Hebræa lectione repetita comperiuntur, quæ in latina merito prætermiſſa ſunt a S. Hieronymo, cum demptis illis, integritas ſenſus non minus quam latini ſermonis proprietas conſervetur. Hebraica itaque lectio ad hunc locum ita ſonat = & fuit in diebus Achaſveros, iſte Achaſveros regnabat = &c. Nonne latina noſtra idipſum exprimit hiſce ſuis verbis? = In diebus Aſſueri, qui regnavit? =

Ad ℣. 2. cum in Vulgata legamus = Suſan Civitas Regni ejus exordium fuit = non admittitur hæc interpretatio a Sixtino, cum hebraicæ voces [illegible] *aſcher beſchuſchan habbira*, *quod in Suſan Metropoli*; ſeu *Regia erat*, tantummodo ſignificent, nullumque ſit hoc in loco de *exordio* veſtigium.

Quis impediat ne legamus Hebraicam = quod erat in Suſan, quæ fuit *metropolis*, *Civitas Regia*, *Caput*, ſeu *centrum*, vel *principium* Regni ejus? = Videantur Critici ſacri ad hunc locum. Potuit etiam Suſan eſſe principium Regni, quatenus Suſis fortaſſis Aſſuerus iſte ſceptrum Regni obtinuerit, atque imperium ibidem cœperit adminiſtrare, eamdemque Civitatem præ aliis veluti Regiam ſedem elegerit. Videatur Plinius lib. 6. cap. 27.; nec non Strabo lib. 15. Eamdem itaque Vulgatus cum Hebraico ſententiam expreſſit.

℣. 4. Ejuſdem Cap. non probatur Sixtino latina expreſſio *ut oſtenderet*, cum per iſtam finis regalis epuli videatur in ſola oſtentatione repoſitus: legendum igitur ait *oſtendendo* vel *dum oſtenderet*.

Vix ſuaderi me ſinam, ut, nec S. Hieronymum, neque Pagninum illius vocis [illegible] *beharotho* legitimum ſenſum aſſecutos judicemus, eo vel magis quod Perſarum Reges magnificentiam ſuam in Conviviis præſertim oſtendere affectarent, ut apud Athen. lib. 4. cap. 10. refertur. Quidquid ſit tamen, conceſſurum opinamur hominem quemcumque, nullum in Vulgata errorem ex ea lectione eſſe derivatum.

Ad ℣. 5. in Vulgatum Sixtinus expoſtulat quod ſcripſerit = in veſtibulo horti, & nemoris, quod regio cultu, & manu erat conſitum = In hebraica quippe, ait, nil de nemore, de manu Regis, & cultu ſcriptum eſt.

In Hebraicis hodiernis codicibus voces prædictas deſiderari nullum eſt dubium, niſi dicere velimus cum nonnullis Rabbinis voces iſtas [illegible] *ginnath* [illegible] *bithan*, *locum oleribus conſitum*, & *nemus* ſignificare. Quod quamvis Sixtinus irrideat, tamen ex interpretationes iis conſonæ reperiuntur, quæ de Regibus Perſidis Xenophon lib. 5. *de adminiſtrat. domeſtic.* aliique tradunt Auctores.

℣. 6. duas redarguit vocum interpretationes Sixtinus [illegible] *cheſeph*, & [illegible] *ſchaſch*, quæ non *ebur*, & *lapidem parium*, vel *marmoreum* ſignificant, ut Vulgatus convertit, cum *marmor*, & *lapis parius* differant quammaxime ab invicem. Vulgatus autem eidem voci *Scheſch* utramque ſignificationem appegerit.

Circa primam vocem [illegible] fateamur neceſſe eſt interpretationem Vulgati ab ordinaria vocis illius ſignificatione aliquantulum recedere, niſi ſupponamus in codicibus S. Hieronymi diverſimode lectam eſſe. Advertimus tamen vocem illam in ſua radice *rem deſideratam*, vel *deſiderabilem* indicare; unde eamdem argentum, aurum, & quid aliud pretioſum ſignificari poſſet, niſi praxis, & uſus ad argentum exprimendum eam decreviſſet. Hoc nihilominus S. Hieronymi interpretamentum hiſtoriæ ſubſtantiam minime contaminare videtur, ut per ſe patet.

Ad alteram autem vocem [illegible] *Scheſch* quod pertinet reſpondemus legitime potuiſſe ab Interprete noſtro modo *lapidem Parium*, modo autem *marmor* transferri; cum *lapis Parius* nihil ſit aliud quam *marmor candidum*, & ſculpturis aptiſſimum, ſi vera narret in ſuo Æneid. lib. 1. Virgilius.

Sub ℣. 7. ſuperfluere Cenſor noſter aſſirmat verba iſta *cibi inferebantur*, cum hebraicus textus id unum ſonet = & vaſa vaſis iterantes, (vel) vaſa a vaſis variantes.

Hebraicis hiſce verbis nonnulla ſubintelligamus oportet ut ſenſum aliquem præſeferant, nunquid ne variabant pocula aurea, quibus bibebant? id incredibile videtur. Cur ergo vaſa mutabantur, cur erant diverſa, niſi quia epularum diverſitas habebatur? Non igitur inutilia videntur ad ſenſus intelligentiam in divino eloquio prædicta verba.

In ℣. 8. deeſſe contendit Amama hanc clauſulam = & potatio erat juxta legem = quam ſcilicet Rex ſanciverat, ut nemo cogeret bibere nolentem. Verum quicumque verſum hunc in Vulgata noſtra perlegerit, legitimum ſenſum hebraici textus, nec non ſententiæ integritatem etiam nolens intuebitur.

Ad ℣. 10. etiam, nil ferme diſcriminis inter textum hebraicum, & Latinum adinvenitur, cum in hebraica etiam lectione cor Regis propter vinum calefactum deſignetur; vertunt enim nonnulli hebraica hæc verba [illegible] *chitob leb-hammelech ba jaiin. Cum exilararetur cor Regis in vino, ex vino, vel propter vinum*; quod idem profecto ſignificat, ac Regis cor calefactum fuiſſe ex excedenti potatione vini, ut per ſe evidens eſt.

℣. 12. Hæc Vulgatæ noſtræ verba *veni-*

re

re contempſit in Hebræa deſiderari Sixtinus adfirmat. Si tamen vera narret Joſephus, qui ait pluries a Rege juſſam accedere, ipſam vero in ſua perſiſtere voluiſſe ſententia, minime a contemptu Regalium juſſionum poſſet excuſari Regina Vaſthi; proindeque optima eſſet Vulgati lectio. Verum ſi Joſephi auctoritatem ejus penſi non eſſe habendam reponant, ut extra alicujus facti textus ſententia aſtrui poſſit; nunquid ne propterea voces illæ *venire contempſit* quid aliud ſignificabunt, quam *venire renuit, accedere recuſavit?* Minime certe hoc in loco, ſi eam fuiſſe Reginæ mentem opinemur, ut, non ex contemptu, ſed ex legum Perſarum, quæ vetabant uxores ab extraneis conſpici, obſequio, accedere recuſaverit; alterutram expoſitionem ſeligamus Vulgata lectio in tuto eſt, ut per ſe patet.

℣. 18. non apte redditum a Vulgato hebraicæ lectionis ſenſum queritur Amama cum nulla ibidem de juſta Regis indignatione habeantur verba; legit enim hebraicus textus והיום הזה תאמרנה שרות פרס ומדי אשר שמעו את דבר המלכה לכל שרי המלך וכדי בזיון וקצף *vehajom haze tommarna ſcharoth aſcher ſchamehu eth-ddevar hammalcha le col ſare hammelech uchdai vizayon vakatſeph*: ideſt = & diem hunc dicent Principes fœminæ, quæ audivere verbum Reginæ omnibus Principibus Regis, & ſicut ſatis contemptus, & indignationis =.

Non maximum inter hebraicam, Vulgatamque lectionem diſcrimen intereſſe compertum eſt. Verba ſiquidem hæc hebraica וכדי בזיון וקצף non deſunt, qui interpretentur = Tanquam ſufficiens contemptus, *vel* juxta ſufficientem contemptum erit, & ira; *vel* juxta ſufficientiam (ideſt menſuram) contemptus & ira ſit, *ſeu* ira eſt = Cujus quæſo ira niſi Regis? juxta igitur hanc expoſitionem, quæ in hebraicis verbis continetur, Vulgati lectio cum hebraica quammaxime cohæret.

Sub Cap. 2. hujus Libri ℣. 7. cum habeat hebraicus textus היא אסתר בת דודו *hi eſther bath dodo*, carpitur a Sixtino Vulgatus, Romani Correctores Bibliorum vapulant acerrime ab ipſo, ac dente prorſus canino mordentur, juxta ſolitam honeſtatem, & charitatem eorum, qui Eccleſiam reformaſſe gloriantur. Contendit quippe Cenſor non fuiſſe dicendam *filiam fratris ſui*; ſed *patrui ſui*, (Eſtherem); id quippe vox hebraica דוד ſignificare ab eodem exiſtimatur.

Jam alibi de voce iſta *dod* ſufficienter diſſeruimus; id unum modo adjungere in Vulgati defenſam poſſumus, vocem ſcilicet illam ſignificare quidem conſanguinitatis gradum ſed quemnam indigitet non ſatis in comperto eſſe, cum ejus vera ſignificatio dubietatem præſeferat aliquam, ut patet ex diverſis Interpretum opinionibus; quemadmodum & vox *Fratres* apud Hebræos modo veros *Fratres*, modo vero *conſobrinos* importat. Joſephus profecto, Abenezra, Syrus, antiqua verſio Latina, & codex Hieronymianæ verſionis conſtanter Mardochæum veluti Eſtheris patruum agnoſcunt. Si autem velimus cum multis excidiſſe ex vetuſtis codicibus vocem illam *patris* adeo ut legendum ſit = qui fuit nutritius filiæ fratris (*Patris*) ſui = Nunquid erit aliquod in Vulgata mendum Religioni, & pietati, infeſtum adeo, quod eædem penes Catholicos periclitentur? nullum profecto damni tam ingentis periculum.

Ad ℣. 9. ubi legimus = & præcepit eunucho, ut acceleraret mundum muliebrem = ab Hebraico textu diſceſſiſſe Vulgatum ex ſeratio arbitratur Sixtinus, cum accelerationem iſtam Regi adſcriptam videamus. Inſuper in eodem ℣. cum legat Interpres noſter = & tam ipſam, quam pediſſequas ejus ornaret, atque excoleret = non ſuſcipitur pacato animo a Cenſore, cum hebræa præſeferat = & mutavit eam, & puellas ejus in bonum gynæcei = ideſt meliorem ei habitationem decrevit.

Quis tamen non videat in textu illo hebraico diverſam contineri lectionem, ſi non relate ad ſenſum, ſaltem ad modum ipſum exprimendi? LXX. Interpretes ita locum illum interpretati ſunt καὶ ἐχρήσατο αὐτῇ καλῶς καὶ ταῖς ἅβραις αὐτῆς ἐν τῷ γυναικῶνι & uſus eſt illa bene, & ancillis ejus in gynæceo: ideſt bene ſe geſſit cum illa, & ejus pediſſequis. Vulgatus autem cum alterum Eunuchum ſibi ſubordinatum habuiſſe ſupponat Egeum eidem præcepiſſe refert, ut ſe bene gereret cum Eſther, & puellis ejus; quod idem eſt, ac ſi Egeus ipſe bene ſe cum illis geſſerit, ut LXX legunt. Hunc eumdem ſenſum in Hebræa agnovere Vatablus, qui explicat: quod reddit eas formoſiores, & elegantiores in gynæceo, Junius, & Tremellius, qui ajunt conditionem optimam Eſtheræ, ejuſque puellis datam fuiſſe ab Egeo in Gynæceo. Cum igitur mutatio in bonum poſſit ad ornatum muliebrem non minus intelligi, quam in ordine ad habitaculum in gynæceo, cur Vulgatus reprehenditur, ſi in ſua lectione utrumque intellectum retinuit? ornare enim, & excolere aliquem referri poteſt ad veſtes, ad epulas ad habitaculum, & ad omnia ſimul, quod eſt credibilius. Quæ deinceps opponit in Vulgati lectionem ſub hoc Capite nullius prorſus momenti ſunt, ſi ſenſum, non verborum ſonum attendamus.

§. X.

AD Caput 3. ℣. 7. cum habeat Hebræa הפיל פור הוא הגורל *hiphil phur hubaggoral* nempe = projecit phur, ideſt ſortem = Vulgatus autem converterit = miſſa eſt ſors in urnam, quæ hebraice dicitur Phur = irridetur a Sixtino quammaxime, cum vox illa *Phur* non hebraica habeatur, ſed Perſica; Hebræi quippe *ſortem Goral* appellant.

Quid mali ſi jam Hebræi ſibi vocem illam adoptaverant dum ſacer Interpres hunc Librum transferebat, eorumque praxim ſuo tempore vigentem expoſuit? nunne Feſtum *Phurim* apud Hebræos inſtitutum ab hoc eventu fuit, quod quidem *feſtum ſortium* interpretantur? omittamus Pagninum, qui vocem *Phur* hebraicam eſſe arbitratur,

atque ſignificationem *conterendi* importare ſupponit. Flocci pariter facimus alteram Sixtini in Vulgatum noſtrum exprobrationem, qua inquit de ſuo adieciſſe *in urnam;* eum & in galeam, & in ſinum, & in hydriam & in ſitulam ſors conjici potuerit: quis etenim non cognoſcat a S. Hieronymo *urnæ* nomine quodcumque vas, in quo recipiebantur ſortes, fuiſſe appellatum? ad quid ergo Sixtinus effervet?

℣. Ultimo hujus Capitis eum habeat Hebræus = Urbs Suſan perplexa erat = increpat vulgatum Sixtinus, eo quod verterit = Cunctis Judæis, & qui in urbe erant flentibus = Quid tamen in ſenſu habetur diſcriminis? nonne credibile quamvalde eſt, quod Judæi non ſolum, ſed Cives etiam alii lacrymati ſint, audita neſaria lege de futura tot innocentium virorum mulierum, & infantium internicione, quorum plurimi neceſſitudine, ac familiaritate eum reliquis Civibus juncti dubio procul eſſe debebant? in quo ergo peccavit Interpres noſter?

Idipſum reponimus ad ea, quæ Sixtinus exprobrat in Vulgatum noſtrum ad ℣. 1. Capitis IV. ubi ait in hebraica legi = indutus eſt ſacco, & cinere = proindeque Interpretem noſtrum ad veterum conſuetudinem hoc in loco reſpexiſſe, cum ex hebraica lectione Mardochæum ſacco cineribus conſperſo indutum moneamur, ait cenſor; præponimus videlicet ab Interprete legitimum ſenſum eſſe redditum quidquid Sixtinus expoſtulet. Cur in hebraica non admittitur ſyllepſis quæ per partes varie fit? alicubi enim aliquid detractum cernitur, quod ſit voce tantum non etiam ſignificatione commune? dum itaque Hebræa legit = indutus eſt ſacco & cinere = cur non poterit intelligi indutus eſt ſacco, & cinere conſperſit Caput ſuum? Hic ſiquidem, erat, apud Hebræos præſertim, mos lugendi, cum maximo angebantur mœrore.

Ad Caput 4. ℣. 11. Verba iſta *pro ſigno clementiæ* in hebraicis, Græciſque deeſſe codicibus minime inficiamur; nunquid propterea inepte fuiſſe appoſita dicemus? nonne integritatem lectionis in tuto ſinunt? clariorem tantummodo ſententiam reddunt.

Deeſſe in Hebræo ſub Cap. 5. ℣. 6 hæc Vulgati verba = poſtquam vinum biberat abundanter = adfirmat Cenſor noſter, cum hebraica hæc verba [illegible] *bemiſchtteh jaiin, in convivio vini* ſolummodo ſignificent.

Regem Aſſuerum poſtquam vino incaluerat aliquantulum, Reginæ amplum illud promiſſum de dimidia Regni parte concedenda ſi expoſceretur, feciſſe non ſolum Vulgatus, ſed & Græci Interpretes adfirmant ſcribentes Ἐν δὲ τῷ πότῳ εἶπεν ὁ βασιλεὺς πρὸς Ἐσθήρ In potatione autem dixit Rex ad Eſther *inter poculorum lætitiam* Joſephus, Ruffino Interprete: *Cum bibiſſet vinum*, Junius, Tremellius, & Piſcator reddunt. Hæc interpretamenta cum Vulgato peroptime cohærent.

Vulgati lectio tandem in errore comperta exiſtimatur ab Amama ſub ℣. 4. Capitis 6. quæ cum habeat *interius atrium*, Hebraica vero [illegible] *barbitſonah*, *exterius* nullimode ab errore excuſari poſſe opinantur quorquot in Vulgatum debacchari lætantur, magiſque in Catholico-Romanam Eccleſiam.

Quæſtionem a Catholicis moveri non poſſe ſatemur an legat Hebraica *exterius:* id enim ex facto, evidens eſt. An autem ſemper ſic legerit eſt incertum, cum Græca legant *in aula;* Itala antiqua habet *in Regia*, ut patet ex MS. Corbejen., & Pech. a Sabatiero citatis. Et tandem vox illa *interius* intelligi poteſt de atrio quodam interiore palatii, quod tamen exterius eſſet in ordine ad Regis baſilicam, in qua thronum habebat. Uno denique vel altero legamus modo hiſtorica veritas minime læditur dummodo ſenſum verbis legitimum affigamus, qui ſiquidem in verbis etiam Vulgati reperitur, ut per ſe patet ex dictis. Alia, quæ in Capite iſto, & ſequenti contra Vulgatum proponuntur objecta, utpote levia ſatis, omittimus.

Sub Cap. 8. aliqua Sixtinus omnino caſtiganda reperiit; præſertim ad ℣. 10. in quo plurium vocum hebraicarum nihil aſſecutum fuiſſe Vulgatum libere adfirmat, eo quod hebræa verba ita ſonent = & miſſæ per manus curſorum in equis equitantium velociſſima animalia, mulos filios equorum =.

Breviter dicimus cum Calmeto duas iſtas hebraicas voces [illegible] *rechesch*, atque [illegible] *bachaſtranim* admodum eſſe obſcuras; verum *rechesch* intelligi poteſt pro equo curtui apto, curſu velociſſimo, quo uti ſolent veredarii: pro *bachaſtranim* autem *mulos* varii Interpretes uſurpant. Hæc utique omnia ſatis ex Vulgati lectione percipiuntur, ſi vim nominis *veredarii* attendamus eos quippe curſum velociſſime perfeciſſe, eiſque ad currendum animalibus uſos, quæ tanto negotio magis habebantur idonea, dubio procul eredamus oportet, ita exigente rei gravitate. Quid ad nos ergo ſive mulos, ſive dromedarios adhibuerint, ſive Camelos? ſatis eſt quod regias literas expedite detulerint; idque nobis ſignificet Vulgati interpretatio, neque enim quid ultra refert hebraicum exemplar, quamvis in ordine ad circumſtantias facti diligentiorem quamdam enarrationem exhibeat.

Ad ℣. 11. ejuſdem Capitis opinatur Sixtinus ex Serario verba hæc hebraica [illegible] *& col-chel bam umdhinah*, vertenda eſſe *cum ope, & auxilio roboris populi, & provinciarum*. Pagninus tamen convertit = & omnem exercitum populi, & provinciarum, qui eos opprimerent = ſeu, qui eos opprimere vellent. Non juſſiſſe credendus eſt Aſſuerus, vel ut Judæi regios milites. & exercitus interficerent; vel exercitum ipſum ad interficiendos Regis ſubditos adhiberent, niſi opus eſſet, ſed tantummodo conceſſiſſe Judæis ut convenirent in ſingulis Civitatibus, atque adverſus inimicos ſuos, qui tentarent eoſdem Judæos interimere juxta literas ab Aman directas, libere conſurgerent, eoſque interficerent, rerumque ſuarum poti-

ten-

rentur; hunc ſenſum in Pagnini verſione, in Vulgata, nec non in Græca reperiri compertum eſt.

Sub ℣. 25. Capitis 9. male a Vulgato verbum אמר *amar* ad Eſtheram referri arbitratur, cum potius Rex ipſe dixerit eidem non Regi Regina, ait Sixtinus.

Si intemeratum prorſus hunc textum ad nos perveniſſe poſſit oſtendi, fatemur nonnihil in Vulgata Interpretatione ab hebraica eſſe deviatum, ſi grammatico rigori velimus inſiſtere. Quis tamen ſpondeat literulam ה ad finem illius verbi אמר olim exiſtentem non excidiſſe? Scio exprobrari in Catholicos a Proteſtantibus, dum iſta reponunt, ac hujuſcemodi reſponſiones tanquam deſperatorum effugia conſiderari. Veruntamen ſi æquo animo hæc ipſa recipiant ſuo non eſſe deſtituta fulcimine fateri cogentur. Suaderi non poſſumus, a S. Hieronymo linguæ Hebraicæ rudimenta fuiſſe neſcita adeo, ut in quo genere verborum voces conſtitutæ eſſent non intellexerit; ſi igitur in ſua ex hebraica veritate interpretatione verbum prædictum non ad Regem ſed ad Eſtheram retulit, credibile eſt in S. Doctoris codicibus in genere fœminineo fuiſſe exaratum; & ſane hoc totum ex ipſo ſermonis ordine videtur exurgere; legit quippe hebræa = & cum veniſſet ipſa coram Rege dixit; revertatur cogitatio ejus mala &c. = ad quid venerat Regina coram Rege, niſi ut eum obſecraret? Si autem non ipſa, ſed Rex locutus exiſtimatur, cur per aliquem accentum, vel alterum ſignum non ſecernitur verbum illud, ut ad Reginam ingreſſam minime pertinere dignoſcamus? Profecto neceſſe eſt, ipſo exponente Sixtino, quod ſubintelligamus poſt verbum illud, nomen *Rex*, ut, juxta ejus interpretationem, ordo ſermonis conſervetur. Non neſcimus quid reſpondere Cenſor noſter adhuc poſſit; nullo ſcilicet accentu, vel ſigno opus eſſe ad verbum אמר ſejungendum a Reginæ perſona, cum ſatis per maſculinum genus, in quo eſt, verbum ipſum ſejungatur. Hoc tamen, niſi prius in eodem genere ſemper extitiſſe demonſtretur, minime ſuffragari poſſe compertum eſt.

Alia nonnulla per Sixtini cenſuram in hoc capite perſtricta conſpiciuntur, quæ ſicuti alia permulta a Sixtino collecta, cum nullius fere momenti videantur, legentium præcipue Tyronum, pro quibus ſcripſimus, mentem diutius onerare non delectamur. Nihili pariter ejus facimus judicium de ſeptem poſtremis hujuſce libri capitibus, quæ inter apocryphas Scripturas ex aliquorum auctoritate reponenda pronunciat. Nos enim Eccleſiæ illius, quæ columna eſt, & firmamentum veritatis, doctrinæque divinitus traditæ fideliſſima cuſtos veneramur judicium. Hoc autem non quidem ſingulari aliquo imponendi genio, Eccleſiæ Paſtores Tridenti in Spiritu Sancto congregati pronunciarunt de Eſtheris libro, ejuſque ſingulis partibus, quemadmodum in Vulgata continebatur; quidquid in eoſdem Patres Hetherodoxi calumniari moliantur, ſed ejus aſſiſtentia ſuffulti, qui in medio duorum etiam, vel trium, ſi in ſuo nomine congregarentur ſe fore promiſit, Canonicitatem totius libri Eſtheris declararunt, cunctis fidelibus Chriſti propoſuerunt, antiquiorum Eccleſiæ Patrum, atque conciliorum prementes veſtigia, qui totum prælaudatum librum tanquam divinum agnoverunt, quidquid nonnulli Doctores privata ſua opinione de eodem cogitaverint. Hac de re Controverſiſtæ Catholici videantur.

§. XI.

PLurima adhuc pro Vulgati lectione, ut Sixtini, aliorumque accuſationes retundamus eſſent adjungenda in hoc Apologetico noſtro; rerum tamen circumſtantiæ diutius in hujuſcemodi contentionibus immorari nequaquam permittunt; quæ propterea urgentiora videntur objecta in Vulgatum, ex iis, quæ ſuperſunt adhuc, oppoſitionibus per Criticos propoſitis ſeligemus; ut quod in nota (49.) ad Pag. 304. primi Voluminis ſpopondimus, ex parte ſaltem adimpleamus.

Occurrit itaque in primis ℣. 6. Pſalmi 38. qui in Hebraica deeſſe prædicatur quoad illa verba = Veruntamen univerſa vanitas omnis homo vivens = Deeſſe in hebræis codicibus ſententiam iſtam quoad verborum ſonum concedere poſſumus, cæterum in Pagnini, & S. Hieronymi verſionibus ita legitur = Omnia enim vanitas omnis homo ſtans ſemper = Pagninus vocem *ſemper* non agnoſcit; horum autem translatio literalis eſt cum habeat Hebræa כל הבל כל אדם סלה *col-Hebel cal-adham Selah*.

Pſal. 43. ℣. 15. in Vulgata legimus = Poſuiſti nos in ſimilitudinem gentibus = cum tamen, ajunt, ipſemet S. Hieronymus in Epiſt. 135. juxta Hebraicam legendum eſſe = poſuiſti nos proverbium gentibus = tueatur.

Clariorem reddi expreſſionem, juxta S. Hieronymi translationem ex hebræo, inficiari non poſſumus; legitimum tamen, & in Vulgatæ lectione ſenſum haberi duplici de cauſa oſtendi poteſt; & quia ſcilicet verba illa ita poſſunt intelligi = facis ut dicant gentes de homine vili, & infelici: vilior eſt, vel infelicior Judæo = Quid eſt *in ſimilitudinem*, ait S. Auguſtinus enarrat. in pſal. 43? quando maledicentes homines ſimilitudinem dant de eo, quem deteſtantur = v. g. Sic puniaris, ſic moriaris ſicut &c. Deinde *ſimilitudines* quam ſæpe pro parabolis, & proverbiis uſurpantur; ſive pro irriſionibus, & fabulis; uno verbo hebraica dictio משל *maſal*, *proverbium*, *fabulam*, *ſimilitudinem*, & *parabolam* interpretati ſunt. Sanctus autem Hieronymus in ſua ex hebraico verſione *ſimilitudinem* retinuit, quamvis in laudata Epiſtola vocem *proverbium* eſſe uſurpandam affirmet.

Ad ℣. 14. Pſalmi 44. ſuperfluere nonnulli contendunt pronomen *ejus* in Vulgata noſtra, cum Hebraica legat = Omnis gloria filiæ Regis intrinſecus = Pronomen tamen iſtud retinuere, tanquam ex LXX.

Interpretum verſione legitime inſertum, atque ex Hebraica antiquiori exhauſtum S. Hieronymus in Epiſtola ad Principiam, & in Comment. ſuper Pſalmum iſtum, nec non S. Auguſtinus io ſuis enarrationibus. Si autem hebraicam phraſim attendamus non ſemel bujuſcemodi pronomina ad emphaſim quamdam ſermonis replicata conſpiciuntur; an autem hoc in loco legendum ſit nec ne ex uno punctulo *Mappich* io litera ה inſerta dependet; ſi enim ſcriptum erit כל־כבודה *omnis gloria ejus* legendum: ſi vero punctum in ea litera deſit, tunc pronomen *ejus* ſupprimendum. A Rabbinis itaque Maſſoreticis hæc controverſia potius dependet, num ſcilicet, jure punctulum iſtud omiſerint? In latina oratione profecto ſuperfluit vox illa *ejus*. Verum ſi in eadem conſtituatur, nullus eſt error; a quibuſdam etiam codicibus Græcis excidiſſe facile eſt, atque articulum τῆς pro αὐτῆς relictum eſſe nonnulli rentur.

℣. 10. Pſalmi 46. ubi legir Vulgata = Quoniam Dii fortes rerræ = legendum eſſe *Dei* in caſu ſecundo arbitrantur nonnulli etiam Catholicorum, auctoritate Juſtini contra Tryphonem diſputantis, aliorumque Græcorum permoti; nec non ex latino Pſalterio inter opera S. Hieronymi exiſtente.

Oppoſitum omnino præclariſſimi tuentur Scriprores, & merito quidem cum ex Hebraica lectione, variæ interpretationes videantur inſurrexiſſe. Tigurina ſiquidem legit = quoniam Diis protectoribus rerræ &c. = S. Hieronymus in ſuis Comment. retinet lectionem noſtram, in ſua autem ex hebraico verſione = quoniam Dii ſcuta terræ = legit; idipſum habet S. Auguſtinus. Cum tamen legamus in Græcis τοῦ θεοῦ non eſt incredibile ait Bellarminus varias fuiſſe in hujuſcemodi exemplaribus lectiones, quarum ſelectiorem elegerit, ac retinuerit S. Hieronymus in ſua quam fecit Pſalterii emendatione.

Pſalmo 54. ℣. 8. cum habeatur in Vulgata = expectabam eum, qui ſalvum me fecit a puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate = legendum ex hebraica tuentur *ut ſalves a ſpiritu tempeſtatis, & turbinis*, quemadmodum revera S. Hieronymus ex hebræo eſt interpretatus.

Iſtorum opinioni nequaquam refragamur ſi de literæ ſono inſtituatur ſermo; ſi vero ſenſum attendere velimus, eamdem ſententiam in utraque lectione contineri compertum eſt; vox enim hebraica *Sobba*, quæ teſte Bellarmino alibi non reperitur, proprie concitationem, atque commotionem ſignificat; concitatur autem animus, dum gravi timore concutitur, ſi puſillanimitate vincatur, ac fortitudine ſit deſtitutus; ab hac itaque animi dejectione liberari exoprabat Regius Pſaltes, quæ fortaſſis maximum erat in ea circumſtantia periculum; viri quippe magnanimi in anguſtiis cum non dejiciantur ſpiritu, facillime eaſdem evadunt. *Puſillanimitatem* legebant, vel *puſillum animum* S. Auguſtinus, & S. Hilarius; Pſalterium etiam Romanum, & Ambroſianum eamdem vocem retinebant.

Alia plura, quæ notantur in Pſalmorum libro cum jam a viris clariſſimis Bellarmino, Lorino, Richardo Cenomano Franciſcani Ordinis Doctore, aliiſque inſignibus Scriptoribus pertractata ſint, atque diſcuſſa, ad alia perlibenter gradum facimus.

Ad Caput 12. Libri II. Macchab. Cap. 43. non *duodecim millia*, ſed *duo mille* cum Græca legendum opinantur quamplures. Verum contra communem omnium Latinorum Codicum conſenſum non tanti facienda videtur Græca lectio noſtræ ætatis, ut ea ſit omnibus illis præferenda. Apud S. Proſperum *duodecim millia* legimus, quamvis *talenta* pro *drachmis* retineat.

§. XII.

IN Vulgatæ lectione ad Caput I. S. Matthæi ℣. 11. unam deeſſe generationem, eamdemque ex Libro 4. Regum Cap. 24. ℣. 6. & ex Lib. 1. Paralip. Cap. 3. ℣. 15. eſſe ſupplendam tuentur; adeo ut legendum non ſit cum Vulgata = Jechonias autem genuit Salathiel = ſed = Jechonias autem genuit (alterum) Jechoniam = vel potius, ut alii malunt legendum eſt ad ℣. 11. *Joſias autem genuit Jechoniam*, vel *Joakim*; *Joakim autem genuit Jechoniam*.

Multa profecto ad hujuſcemodi firmandam lectionem proferri poſſe minime diffitemur, quamvis innumeras expoſitiones, quibus Vulgatæ lectio juſtificetur, a Commentatoribus excogitatas pariter non ignoremus; earum etenim quamplures apud Criticos ſacros conſpiciuntur. Nihilominus ſunt, qui putant depravatam minime eſſe Vulgatam noſtram; ſed hoc ipſo modo, quo legitur, a S. Evangeliſta hunc locum fuiſſe exaratum in Evangelio, qua de re hanc apud Criticos ſacros conjecturam proponunt „ Lectio noſtra vetuſtior eſt, & plu„ rium codicum auctoritate nixa; Syrus „ etiam, Arabs, Ethyopicus, & Evange„ lium Hebraicum tam Munſteri, quam „ Merceri, tali pacto legunt... Recte ergo, „ ſic legitur, prout & Kimhi legit ad I. „ Chronic. 3. ℣. 15. *Joſias genuit Jechoniam*, „ Nepotem ſcilicet ipſius ex Patre Joakim. „ Ille autem, qui non erat dignus luctu, „ & ſepultura Regum Juda, Jeremiæ 22. „ ℣. 18. non certe dignus erat, qui Ge„ nealogiæ Chriſti inſereretur „ Ex his apparet non eſſe incredibile quod Joakim a S. Evangeliſta fuerit prætermiſſus; ſi enim in aliquibus exemplaribus olim legebatur, qui fieri potuit, ut exciderit ab omnibus? codex Colbert. optimæ notæ ſub num. 4051. apud Sabatierum: codices Vercellenſis, & Brixianus, ac Corbejenſ. apud Blanchinium legunt cum Vulgata.

Sunt inter Criticos ſacros, qui opinantur ad Caput 3. S. Lucæ ℣. 24. Duas generationes ſuperfluere, nempe *Mattath*, & *Levi*; quam opinionem Joannes Cordeſius duabus diſſertationibus acertime propugnavit.

Illius tamen argumenta præcipua brevi ſtylo in Criticorum Synopſi confodiuntur.

Ire-

Irenæus quippe, aliive Patres de gradibus Genealogicis varie locuti creduntur, parumque accurati in numeris recenſendis exiſtimantur. Verum etſi concedere velimus Septuaginta duas generationes a Chriſto ad Adam interceſſiſſe, quemadmodum S. Irenæus arbitrabatur, qua neceſſitate compellimur duos terminos *a quo*, ut ajunt & *ad quem*, Chriſtum videlicet, & Adamum inter generationes connumerare?. hiſce itaque ſubtractis, ac Joſepho, cujus filius non erat Jeſus, neque ad iſtam Chriſti genealogiam a S. Luca contextam pertinebat jam 72. juxta computum S. Irenæi, habentur inter Chriſtum, & Adam generationes. Apud aliquos Eccleſiæ Patres mutilam profecto duabus generationibus Patriarcharum ſeriem in Vulgata conſcriptam intuemur, quemadmodum, & in variis Græcorum codicibus; in Latinis tamen exemplaribus Vercellenſi, & Veronenſi apud Blanchinium Progenitorum Chriſti ſeries, ut in Vulgata noſtra computatur.

Ad idem Evangelium S. Lucæ Cap. 11. ℣. 41. tradunt nonnulli inſititia eſſe verba illa, *quod ſupereſt* cum Græci codices habeant ſolummodo πλὴν τὰ ἐνόντα δότε ἐλεημοσύνην verumtamen quæ ſunt vobis date eleemoſynam, ſicque legebant Tertullianus, Cyprianus, Ambroſius, aliique Patres.

Qui vel tantiſper animadvertit quot, quibuſve modis textum hunc exponunt Commentatores via Vulgati lectionem carpere audebit. Nemo unus eorum eſt, qui Græcum textum prout ſonat rigide intellexerit; hinc Eraſmus, Camerarius, & Beza ſubaudiri volunt præpoſitionem κατά adeo ut legendum ſit κατὰ τὰ ἐνόντα ideſt *quæ ſuppetunt*, vel *pro facultatibus veſtris*, vel *quantum poteſtis*; ita ferme reddunt, & exponunt hunc locum, qui etiam extra Catholicæ Eccleſiæ caſtra diſperſi ſunt. Quid ergo mirum ſi Vulgatus legitimum ſenſum a Spiritu Sancto intentum, nobis reddidit? non tamen quod verbum illud *ſupereſt* intelligi debeat pro *redundat*, ſed impendendum pauperibus, quod ſupereſt commonemur, ideſt quod maxime poſſumus. In hunc ſenſum, ſi uſurpetur Vulgatæ textus cum Græca lectione cohæret quammaxime; hinc Auguſtinus in Enchiridio, ut Vulgata legit, hanc Lucæ auctoritatem recitat, ſicque ſcriptum eſt in Codicibus Colbert. & Vercellenſi.

Contra Vulgati lectionem obmuſſitant Criticorum quidam ad ℣. 46. Capitis 4. S. Joannis eo quod tranſtulerit *Quidam Regulus*; cum potius *Regalis* ſcilicet *Miniſter* legendum arbitrentur, cum tali pacto S. Hieronymus etiam ſuper Iſaiam ſit interpretatus, eum appellans in aula Regia *miniſtrum*, vel *Palatinum*.

Incerti ſumus omnino de germana illius textus lectione, cum revera neſciamus an codex originarius legerit βασιλικὸς vel potius βασιλίσκος; Eraſmus in ea ex ſententia eſt, ut βασιλίσκος ſit legendum; vel quod vir iſte ex genere Regio, vel quod Magiſtratu, munereque Regio fungeretur. Plurimi inſuper Codices verſionis antiquæ Italæ *Regulum* habent. Ita pariter legebat S. Gaudentius Brixienſis, Codex Colbertinus, aliique Codices plurimi, qui a Sabatiero referuntur; nec non codices Vercellenſis, & Veronenſis apud Blanchinium; aliique Commentatores quam plurimi apud Criticos ſacros eamdem lectionem retinuere. Eccur ergo tam libere in verſionem Vulgati Interpretis debacchantur Hetherodoxi, ſi ex ipſis eorum Commentatoribus in tuto eſt illius lectio?

Actorum Cap. 1. ℣. 13. Cum in Vulgata ſcriptum ſit = & cum introiſſent in Cœnaculum, aſcenderunt, ubi manebant Petrus &c. = non ſine ſtomacho Criticorum plures lectionem iſtam ſuſcipiunt, cum in eadem verbum *introiſſent* ad Cœnaculum referatur, quod revera *ad urbem* referri debet; ad Cœnaculum vero alterum verbum *aſcenderunt*.

In hoc itaque, ni fallimur, inter Græcum, & Vulgatum exemplar intercedit diſcrimen quod virgula poſt vocem *cœnaculum* interiecta eſt, cum poſt verbum *introiſſent* foret interponenda, ut ſenſus iſte elici poſſet ex litera = & cum introiſſent (urbem), aſcenderunt in cœnaculum =.

Quid tamen ſi *cœnaculi* nomine aliquod templi conclave intelligamus, quod prius ingreſſi ſint, deinde vero in ſuperius aſcenderint, ubi commorabantur Petrus, & alii Apoſtoli, poſtquam ab olivarum monte viri illi Galilæi reverſi ſunt? Nonne hoc in caſu optima eſt lectio Vulgati, ſinceramve hiſtoriæ veritatem enunciat? paulo ante, eorum regreſſum Jeroſolymam, proindeque ingreſſum in Urbem Vulgatus recenſet: unde hoc in ℣. ſpecialius quid ab eis geſtum enarrat. Si autem *cœnaculi* nomine domum cujuſdam privati hominis velimus intelligi, nonne & in ipſa cœnaculum, & cubiculum alterum aliquanto ſuperius eſſe poterant? Non abs re igitur Vulgatus noſter lectionem exhibuit, quam & MSS. Laudianum, Cantabr. & S. Auguſtinus lib. de *unitate* Eccleſiæ retinuerunt.

Sub capite 2. Actorum pariter, non apte redditam a Vulgato ad ℣. 24. ſententiam illam *ſolutis doloribus inferni* tuentur Criticorum quamplures, quod Græci codices habeant ὠδῖνας θανάτου *dolores mortis*.

Utramque lectionem veram eſſe compertum erit cuicumque Scripturæ phraſes attendenti. *Mortis* enim voce ſæpe ſæpius *perditionem æternam* ſignificari, quemadmodum, & *inferni* nomine idipſum exprimi, non eſt qui neſciat, ſive igitur unam, ſive alteram detineamus vocem, nonne eumdem elicimus ſenſum ſi velimus; diſſolvit igitur Chriſtus dolores inferni, hoc eſt *dolores, & poteſtatem mortis, & inferni*, quam ſuper ejus populum exercebant. Hinc nonnulli etiam Græcorum codices pro θανάτου legunt ᾅδου; eamdemque lectionem in codice Laudiano in cap. 12. libri 3. S. Irenæi, & in Syro poſſumus intueri.

Epiſtola ad Romanos cap. 9. ℣. 25. juxta Vulgatam lectionem, ſuperfluere vocibus iſtis *non dilectam dilectam* exiſtimatur ea tamen verba legebant Ambroſ. Comment. in

in Epiſt. ad Rom. Cyprianus lib. 3. Teſtim. S. Hieronymus quæſt. 10. ad Hedibiam, S. Auguſt. lib. 1. ad Simplic., & lib. 22. contra Fauſtum cap. 89. Codices etiam Sangerman. & Claromont. eadem verba præſeferunt.

Ad Caput ejuſdem Epiſtolæ 11. ℣. 33. *In inveſtigabiles* legendum arbibrantur nonnulli, Revius tamen, ſi per vocem *inveſtigabiles* intelligamus quod ne veſtigari, hoc eſt inquiri viæ Domini poſſint, recte legi adfirmat *inveſtigabiles*. Eraſmus etiam putat *inveſtigabiles* idem eſſe, ac *imperveſtigabiles*. Hunc profecto ſenſum voci illi ſemper fuiſſe tributum opinamur; hinc *inveſtigabiles* habebat Itala antiqua, S. Irenæus, Novatian. Lib. de Trinit. S. Auguſtinus Epiſtola 140. Cyprian. Lib. 3. Teſtim. Auctor Libri de *Vocat.* Gent. Hilarius pluribus in locis, & S. Hieronymus, eſto aliquando etiam *ininveſtigabiles* legat, ſenſus autem in utraque voce idem eſt.

In Cap. 2. ℣. 14. Epiſtolæ ad Coloſſenſes cum habeat Vulgata noſtra = delens, quod adverſus nos erat chirographum decreti = reprehenditur, quod Græca legunt *τοῖς δόγμασι in decretis*. Verum Romana, & alia Latina exemplaria, paucis exceptis, legunt *decreti*. S. Irenæus lib. 5. cap. 17. legit *debiti*; S. Ambroſius in lib. *de Apologia David* legit cum Vulgata; & S. Paulinus Epiſt. 37. habet *edicti*; apud S. Pacianum denique ſerm. de Baptiſ. *Chirographum mortis* ſcriptum eſt. Cornelius a Lapide in hunc Apoſtoli locum Vulgati interpretationem naturaliorem eſſe, atque magis idoneam contendit, quamvis in nullo a Græca lectione fateatur differre, cum apud Græcos, & Latinos Scriptores quam ſæpe dandi caſum pro caſu gignendi uſurparum comperiamus.

Plurima alia ſi tempus, aliæque rerum conditiones ulterius progredi nobis darent, eſſent adhuc pro Vulgati lectione huic noſtræ ſubnectenda lucubratiunculæ, non ea ſermonis venuſtate, qua par eſſet, revera conſcriptæ. Suſcipias tamen benigno animo, quæ pro mea ingenioli exiguitate tibi ſacrarum Scripturarum ſtudioſo Tyroni offerre potui; neque vel crocitantium corvorum ſtrepitum, vel ranarum raucos formides ſuſurros in Vulgatæ Verſionis lectionem Eccleſiæ Catholico-Romanæ auctoritate ſuſceptam, & comprobatam eructatos; cum Inania terricula hæc omnia ſint, quæ veluti ad ignem cera, nives ad ſolem, ad ventum nebulæ, diſſipantur, perduntur, eliminantur.

Finis Apologetici.

CON-

CONCILIATORII BIBLICI

LIBER

In quo præcipui ſacri textus ſpecie tenus pugnantes conciliantur, & explicantur.

CUM Scriptura ſacra ſit ipſum Dei Verbum a viris Propheticis interno S. Spiritus afflatu præſcriptum, nemini dubium eſſe debet in ſacris Voluminibus, eodem regente divino atque dictante Spiritu veritatis conſcriptis, nihil revera pugnans & adverſum inveniri: enim vero ſicut a ſumma veritate falſum aliquid aut mendacium etiam leviſſimum procedere nequit; ita verum ſibi aliqua ex parte repugnans videtur prorſus impoſſibile. Quamobrem præclare
a in Dialog. cum Tryph. Judæo. omnino S. Juſtinus Martyr: a *Nuſquam audebo*, inquit, *vel hoc in animum inducere meum, vel eloqui, ut dicam adverſari ſibi invicem Scripturas: verum ſi qua Scriptura ejuſmodi eſſe videatur, & obtentum, quaſi adverſaria ſit alteri, habeat; omnibus modis perſuaſum habens nullam Scripturam ab alia diverſam eſſe; ipſe me potius quæ dicta ſunt, non intelligere fatebor.* Aureum plane dictum, & quod omnibus ſacræ Scripturæ ſtudioſis animo conſtantiſſime debet obſer-
b lib. de pr. & grat. cap. 1. vari. Nec minus appoſite S. Auguſtinus b *Cum in voluminibus ſacrarum Literarum, ſeu futurorum quid ſpiritu Prophetico prænuntiantibus, ſeu præteritarum hiſtorica veritate narrantibus, ſeu vitæ monita Apoſtolica auctoritate tradentibus aliqua veluti diverſum ſonante ſententia, vel movetur Lector, vel ſollicitatur Auditor, certa & inconcuſſa fide teneri debet, unius atque ejuſdem Spiritus, & eius præter quem nihil eſt veritatis, apertius alibi, paulo occultius alibi ſonare myſteria. Ac proinde ſi quid occulta ſignificatione ſuſpenſum, aut a ſcribente breviter indicatum, minuſque quam humani cordis obtuſio poſcebat, expoſitum eſt, hic lucidius apparere, ibi altius latere, nuſquam deeſſe noverit*
c de Geneſ. ad lit. ca. 8. *veritatem.* Hinc ſedulo monebat c: *Conandum eſt efficere, ne aliqua abſurditas, vel repugnantia putetur eſſe in ſacris Scripturis, quæ opinionem Lectoris offendat.* Præiverat Origenes ſacrum interpretem his verbis admo-
nens: d *Contraria quæ videntur eſſe in Scriptura, non ita eſſe debet oſtendere, qui fideliter & integre ſacrorum Voluminum colligit ſenſum.* d in cap. 3. ad Rom.

Conſulto igitur poſtremam hanc præſentis voluminis partem damus in diſſolvendis apparentibus Antilogiis & conciliandis textibus in ſpeciem pugnantibus, ne divini Codicis conſtantiſſima veritas aliqua ex parte nutare videatur. Non me latet hoc argumentum jam a pluribus cum Veteribus, tum Modernis fœliciſſime fuiſſe occupatum: præluxerunt olim in eo S. Hieronymus in quæſtionibus Hebraicis, & ſuis in ſacros Auctores Commentariis; S. Auguſtinus quæſtionibus in libros veteris Teſtamenti, atque eximio opere de Conſenſu Evangeliſtarum. Suam etiam præcipuam in eo poſuerunt operam e Recentioribus Richardus Cluniacenſis ſub ann. M. C LX. Andreas Altamerus circa annum MLXXXI. Seraphinus Cumitanus; Jacobus Tirinus, Dominicus Magrius, Michael Walthetus, Joannes Thaddæus & alii bene multi; quibus, quod ſpectat ad Pentateuchum, prævit R. Manaſſes Ben-Iſrael. At fruantur laude ſua, quotquot ſunt illi viri clariſſimi qui copioſos manipulos in hac meſſe fecerunt: nihil enim hac mea lucubratiuncula præclaris & ingentibus eorum operibus derogatum volo imo qualecumque hoc Spicilegium, non tam meis, quam eorum ſtudiis ex parte acceptum refero: tametſi ea mihi mens non ſit, omnia illorum ſectari veſtigia, atque tempus ponere & perdere in conciliandis illis levioribus antilogiis, quarum ſolutio, etiam tironibus paſſim ſit obvia. Eos dumtaxat commemorabo textus, qui viris eruditis non-nihil negotii faceſſunt. Ut autem ordine & concinna ſerie procedat hic labor, per ſingula veteris & novi Teſtamenti capitula leviter excurremus, & præcipuarum ſi quæ in eis occurrant, ſpecie tenus contradictionum, deciſionem, qua fieri poterit nitida brevitate, proferemus. (*)

CA-

(*) Pro Eruditis cum ſcripſiſſe aſſeveret Auctor noſter; nos autem novellis divinorum ſtudiorum amatoribus prodeſſe cupientes plurima hoc in Libro, ab eodem omiſſa ſupplere curavimus.

Digitized by Google

CAPUT I.

Ex Libro Geneſis.

§. I.

CAp. I. v. 5. *Appellavitque Deus lucem, diem; & tenebras noctem*: qui fieri potuit, inquies, ut jam eſſet dies, cum nondum exiſteret *luminare majus ut præeſſet diei* v. 16. nec adeſſet Sol qui diem a nocte diſterminat. *Reſponſio*. Lux illa primigenia quæ tres priores mundi dies inſtituit & diſtinxit, Solis brevi futuri vices agebat, & aſſiduo ſuo motu totum aeris terrarumque ambitum perluſtrans, ſui ſplendoris præſentia vel abſentia, diei noctiſque vicillim intervalla deſcripſit, donec quarto die conditum Solis corpus, *Illi rerum omnium primigeniæ luci dignum ac triumphale vehiculum*
(1) *eſſet*, ait præclariſſime S. Baſilius. a (1)

a homil. ad pag. 7.

Ibidem v. 12. *Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile ſuper terram.* Non conſentiunt iſta cum ſequentibus v. 24. *Producat terra animam viventem in genere ſuo jumenta & reptilia*. Neque cum his cap. 2. v. 19. *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & univerſis volatilibus cæli, &c.* Enim vero ſi aqua ſit omnium reptilium & volatilium matrix, qua ratione terra eorum origo affirmatur? Quod ſi etiam aves ex aqua prodierunt, cur non in aquis ſicut piſces velut in nativo domicilio deliciantur? *unumquodque enim* (ait Ariſtoteles) b *in eo eſt ex quo eſt.*

b lib. 2. de cœlo cap. 7.

Reſponſio *ad primum*, Reptilia dicuntur quæcumque pedibus carent; aut habent ita breves, ut ad greſſum non ſint idonei: ſunt autem hæc duplicis generis; terreſtria ſimul & aquatilia: illa jubente Deo producta ſunt e terra *die mundi ſexto:* hæc vero *die quinto* ex aquis prodierunt. Porro piſces ideo *reptilia* nominavit Moſes, quod in ſuo progreſſu ſpeciem proreptionis ferant, & ventre aquis incubent quaſi repentes & remigantes. *Ad ſecundum dico* veroſimilius videri aves ſimul cum piſcibus ex aqua veluti matrice prodiiſſe: nam, ait S. Baſilius c: *Volantibus ad natalitia quaſi conſanguinitas quædam eſt, ſicut enim piſces aquam ſecant agitatione quidem pinnarum ad ulteriora quæ petunt proficiſcentes, caudæ vero motatione flexiones ſibi rectoſque impetus gubernantes: ſic & in volatilibus fieri conſpicere licet, aerem pennis aliſque findentibus, ſimili natantibus modo, quare cum una ſit utriſque conditio, ipſum, inquam, natare; ſic una quædam affinitas ex aquarum generatione tributa eſt.*

c hom. 8.

Conſentirem nihilominus S. Auguſtino dicenti, d Aves eſſe primitus factas ex aere terræ viciniori, qui cum totus ſit aqueus, tum propter vapores ex aquis elatos, tum propter frequentem imbrium in terras delapſum, non abſurde *aqua* nominatur. Cui ſententiæ favens Rupertus, ait e *Aves eſſe* productas non ex denſa aquæ materia, qualis eſt ejus quæ proprie appellantur *aqua*, ſed ex aqua tenuiori ac veluti nebuloſa, Unde poſterioris ſupra laudati textus verba reſpective ſunt exponenda, ut τὸ volatilibus non ad τὸ *de humo*; ſed ad τὸ *formatis*, referatur; ut hic ſit ſenſus; *Formatis de humo cunctis animantibus, & ex aqua volucribus, hæc duo animantium genera adduxit Dominus ad Adam, ut videret quod vocaret ea*: hinc copulativa, & repetit quidem vocem *formatis*, non autem vocem *de humo*. Cum enim hic fiat recenſio animalium a Deo productorum, & nomina ſibi propria ſortitorum ab Adamo, non ſane intererat dicere unde illa eſſent producta.

d lib. 3. de Geneſi ad liter. cap. 3.

e lib. 13. de oper. Tri. c. 50.

Ibidem v. 22. *Factum eſt veſpere & mane dies ſextus:* His verbis, & totius capitis decurſu innuitur Deum ſex dierum ſpatio univerſam mundi fabricam atque hominem illius moderatorem & incolam condidiſſe: quibus repugnant hæc cap. II. v. 4. *Iſtæ ſunt generationes cœli & terræ quando creata ſunt, in die qua fecit Dominus Deus cœlum & terram*; ubi *in die*, non *in diebus cœlum & terra*, & quæ eorum ambitu continentur, dicuntur eſſe *concreata*. Cui ſententiæ favet etiam hoc Syracidis Oraculum: *Qui vivit in æternum creavit omnia ſimul.* Hinc S. Aug. f concludit: *Deum univerſa ſemel, ſimulque uno eodemque temporis momento e nihilo produxiſſe:* dierum vero plurium in ſingulis condendis mentionem factam, ad comprehenſionis noſtræ tarditatem juvandam. Quin etiam eo progreſſus eſt Philo g, ut *ruſticanæ ac fatuæ ſimplicitatis* eſſe pronunciet, putare *ſex diebus* mundum eſſe conditum. Unde ea verba: *Complevitque Deus die ſeptimo, &c.* interpretatur non de numero dierum aliquot, ſed de perfectione Univerſi, quæ per ſenarium numerum perfectum ſignificatur.

f lib. 4. de Gen. ad lit. cap. 33.

g lib. 1. alleg.

Reſponſ. Veroſimilius videtur Deum revera ſex dierum naturalium intervallo mundum condidiſſe, quod utique aperte ſatis docet Moſes cum *Exod.* XX. ex hac veluti conſtantiſſima ſententia Judæis ſuadet ſex quidem diebus licitum eſſe ſerviliter operari, et quieſcendum die ſeptimo: *Sex enim diebus*, inquit, *fecit Deus cœlum & terram, & omnia quæ in eis ſunt; & requievit die ſeptimo.* Cenſuit itaque Moſes dies in creatione mundi intercurrentes, revera fuiſſe naturales; alioqui evanida foret illius concluſio: nec legitime colligeret die ſeptima exemplo Dei ab omni opere eſſe feriandum. Neque his obſtant verba *cap.* II. hic enim vox *dies*, ſicut & alibi, ſæpe pro indeterminato & indefinito tempore ſupponitur; ſic Deuter. XXXII. v. 35. *Juxta eſt dies perditionis, &c.* Et I. ad Corinth. VI. *Tempore accepto exaudivi te & in die ſalutis adjuvi te.* Ubi numerus certus pro indefinito accipitur. *Accedit* quod Hebræis mos ſit interdum ſufficere numerum ſingularem

pro

pro plurali, & pluralem pro ſingulari: undecum ex Moſis narratione ſatis aperte conſtet, ſex dies intercurriſſe in mundi fabrica, argumentum eſt hic *diem* indefinite & pro numero plurali eſſe poſitum.

Similiter vox *ſimul* ab Eccleſiaſtico memorata, non deſignat ſimultatem temporis, quaſi res omnes eodem inſtanti fuerint productæ: ſed ſimultatem vel operantis, vel operationis, ut ſignificet omnes mundi partes in rerum exordio continua operatione & nulla per ſex dies interpoſita mora, non ab alio quam a Deo ipſo rerum omnium Opifice eſſe formatas. Atque ſic particula *ſimul* non ad verbum *creavit*, ſed ad vocem *omnia* eſt referenda, ut ſit nomen collectivum omnium ſpecierum, ſignificetque omnia communiter
(2) & univerſaliter eſſe a Deo condita. (2)

Cap. II. v. 1. *Complevitque Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat: & requievit die ſeptimo ab univerſo opere quod patrarat.* Duæ ſunt hujus verſiculi partes, quæ inter ſe committuntur: nam ſi opus ſuum complevit Deus die ſeptimo, non ſolido illo die requievit; completio enim operis eſt operatio.

Reſponſ. LXX. Interpretes ut primum nodum ſolvant, pro *die ſeptimo* ſcripſerunt *ſextum*; ſed repugnat Hebræus textus ubi legimus ביום השביעי *baiom baſſebii* i. e. *die ſeptimo*. Unde Hebrææ linguæ periti cenſent præteritum *complevit* explicandum eſſe per præteritum pluſquam perfectum, ita ut futurum ויכל *bic* ſcriptum per *van* converſivum, idem ſonet ac *compleverat*; unicum enim Hebræorum præteritum, omnes præteritorum ſpecies complectitur. At cum Vulgata diſtincte habeat *complevit*, ut illius ſervetur integritas, Reſpondet *Caietanus* Deum *ſexta die* omnia opera ſua impleviſſe *actione poſitiva*; ſeptima vero *actione negativa*, ſeu per negationem ulterioris rerum productionis: *Lyranus* res omnes complevit Deus die ſexta ſecundum entitatem & virtutem; die vero ſeptima ſecundum ejuſdem virtutis operationem & exercitium. Rectius meo judicio ſententiarum Magiſter. *Complevit Deus die ſeptimo opus ſuum*, quia *benedixit ei & ſanctificavit illum*; benedictio autem & ſanctificario omnium divinorum operum veluti conſecrationem & corronidem importat: porro hæc benedictio tametſi quædam operatio ſit, divinæ quieti non opponitur.

Ibidem *requievit Deus die ſeptimo ab univerſo opere*: pugnat cum his verbis Joann. V. *Uſque modo Pater meus operatur & ego operor*.

Reſponſ. I. Deus quievit ab opere Creationis, non ab opere conſervationis & gubernationis, qua rebus exiſtentibus provider. II. Requievit a novis Speciebus in rerum natura conſtituendis; non a novis Individuis in locum deficientium ſufficiendis.

Ibidem v. 5. *Et omne virgultum agri antequam oriretur in terra*. Hæc pugnare videntur cum his antecedentibus verbis capitis I. v. 12. *Protulit terra herbam virentem & facientem ſemen juxta genus ſuum, lignumque faciens fructum &c.* Etenim ſi tertio die mundi arbores ſimul & plantæ ad Dei mandatum ex terra exortæ ſunt, quare Moſes recenſita totius Univerſi formatione, aſſerit eas nondum extitiſſe. Hanc difficultatem ut ſolvant Hebræi, hunc textum ſic legunt: *Omne virgultum agri nondum erat in terra, &c.* Cauſa: quia *nondum pluerat Dominus ſuper terram*. Unde factum eſt, inquiunt, ut terra naſcentia tertio die producta, quæ adhuc tenera intra terræ ſinum conſtiterant, mox atque pluvia eſſe cœpit, prodierunt in apertum, & ad præſcriptam ſibi a Deo naturalem magnitudinem ſuccreverunt. Adiicit Moſes Bar-Nachman, Moſem in præſenti loco non loqui de terræ creſcentiis tertia die præcipiente Deo enatis; ſed de herbis, & arboribus, quæ cœleſtium pluviarum irriguo hominiſque operatione & induſtria enaſcuntur; & iſtiuſmodi arbores & herbas nullibi adhuc locorum extitiſſe, eo quod terra nondum fœcundata fuerat pluviæ illapſu nec hominis operatione exculta. At genuinus ſenſus magis eſt, Moſem hic indicare Deum non tantum Cœli & terræ auctorem, ſed etiam arborum & plantarum quæ tertio die mundi conditæ, tametſi cœleſtibus pluviis nondum irrigarentur, nec excolerentur hominis labore; nihilominus vireſcebant & ſuccreſcebant beneficio fontis aut vaporis erumpentis e terra, qui noctis frigore concretus in rorem, terræ
germina initio mundi irrigabat. (3) (3)

Ibidem v. 18. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum*: contradicit his I. Corint. VII. v. 1. *bonum eſt homini mulierem non tangere*; Et his v. 26. *bonum eſt homini ſic eſſe*, i. e. liberum a Mulieris conſortio & matrimonii vinculo.

Reſponſ. 1. Priori loco loquitur Deus abſolute & de communi bono ſpeciei humanæ per generationem propagandæ: in poſterioribus agit Apoſtolus de bono perſonali hominis particularis & convenientiori viro Chriſtiano ad perfectam ſanctimoniam anhelanti; ſic enim liber ab uxoris & matrimonii vinculo tantum cogitat quæ Domini ſunt, ut ſit ſanctus Corpore & Spiritu; at cum hæc gratia non omnibus concedatur; aliquibus enim ait ibidem *melius eſt nubere quam uri*: Ideo etiam de eis vere nunc dicitur *non eſt bonum hominem eſſe ſolum*.

Cap. III. v. 16. *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tibi*; repugnat huic primæ Corint. VII. v. 4. *Vir ſui corporis poteſtatem non habet; ſed mulier.* Deinde ſubjectio mulieris non videtur prævaricationis ſupplicium, ſed conditionis debitum, & naturæ obſequium; enim vero etiam ante lapſum, *Vir erat caput Mulieris* 1. Corint. v. 3.

Reſponſ. Mulier ſub viri poteſtate eſt, in re domeſtica & regimine familiæ; ſic enim ei ut Corpus capitis ſubjici debet & obſequi: At ratione vinculi & fidei matrimonialis, vir ſui corporis, poteſtatem non habet; illud enim ceſſit in uxoris dominium & uſum.

Ad ſecundum ſubjectio grata & voluntaria

ria (qualis perpetuo fuiſſet, ſi ſtetiſſet primæva integritas) non fuiſſet pœna peccati; in eo namque ſtatu nec vir ullatenus fuiſſet uxori moleſtus; nec uxor a viri voluntate abjiiſſet in diverſum: ſed unus alteri, & uterque Deo pleniſſime conſenſiſſet: at ſubjectio moleſta & invita qualis poſt lapſum in pleriſque jam extat, revera eſt prævaricationis indicium & ſupplicium. (4)

(4) Cap. IV. v. 7. *Sub te erit appetitus tuus & tu dominaberis illius.* Non cohæret cum illo Jeremiæ 10. v. 23. *Non eſt hominis via ejus, nec viri eſt ut ambulet & dirigat greſſus ſuos.*

Reſponſ. In priori aſſeritur hominis libertas in moderandis ſuis affectibus & motibus componendis: in poſteriori gratiæ neceſſitas ad id debite & meritorie exequendum declaratur.

Ibidem v. 26. *Iſte* (Enos) *cœpit invocare nomen Domini.* Non conſentit cum his v. 4. *Reſpexit Dominus ad Abel & ad munera ejus*; neque veroſimile ſit Adamum, Seth, alioſque viros piiſſimos nomen Domini non invocaſſe.

Reſponſ. Iſte cœpit invocare nomen Domini publice, cogendo piorum hominum cœtus ad laudes & gratiarum actiones Deo perſolvendas; atque etiam præſcribendo ritus & cæremonias quibus in ſacrificiis impenſius & religioſius quam antea coleretur Deus: ut dum nefaria Caini progenies pravis ſuis moribus & exemplis homines a pietate & cultu Dei averteret; ipſe publicæ hominum depravationi publicum objiceret religionis argumentum.

Aliter hunc textum legunt & interpretantur quidam Hebræi; nam vocem הוחל *hurhal* quæ in conjugatione *hophal* habet *huchal*, id eſt *cœptum eſt*, ipſi deducunt a radice חלל *chalal* quæ in conjugatione *piel* & *niphal*, ſignificat, *profanare:* unde paraphraſis Chaldaica editionis Venetianæ præfata verba ſic reddit: *In diebus ejus profanati ſunt homines ut non amplius invocarent nomen Domini*: vel ut explicat S. Hierony-

a Quæſt. in Gen. mus [a] *tunc primum in nomine Domini fabricata ſunt Idola*. Clarius R. Kimhi. [b] *In die-*

b in Radic. *bus Henos erraverunt homines poſt Idololatriam & invocatio nominis Dei tunc fuit profanata.* At interpretatio hæc videtur minus accurata, & redolens purum putum rabinicum figmentum; cum nullum Idololatriæ & ſimulacrorum veſtigium ante diluvium extiterit, uti diſerte probat S. Cy-

c lib. 1. contra Julia. p. 16. rillus [c] *omnes*, inquit, *ab Adamo uſque ad Noe nati Mortales Deum natura unum & vere omnium Architectum ac Dominum coluerunt: traditur enim nullus antea alios Deos aut Dæmones impuros veneratus, &c.* Idem habet lib. 3. pag. 110. rectius itaque vertit

(5) Interpres noſter. (5)

Cap. V. v. 26. *Mathuſala poſtquam genuit Lamech vixit ſeptingentis octoginta & duobus annis.* Quæ ſi vera ſint, vixit Mathuſala uſque ad finem diluvii: At ubi inundante diluvio degebat? non in Arca; ſiquidem in ea tantum erant octo animæ, teſte S. Petro, nimirum Noe cum conjuge, atque tribus filiis & eorum uxoribus. *Reſpondeo* ultimum annum Mathuſalæ non fuiſſe completum ſed inchoatum, nam ut habet communis Hebræorum traditio referente R. Salomone, paucis diebus ante diluvii initium, Mathuſala, e vivis exceſſit. Natus eſt enim Mathuſala anno mundi 687. cumque vixerit annos 969. ſequitur eum obiiſſe anno mundi 1656. ſcilicet eodem anno quo factum eſt diluvium, paucis ſeptem, (ſi ut mox dicebam, Hebræis credimus) diebus antequam illud inundaret. Ita S. Hieronymus quamobrem non accurate ſatis S. Auguſtinus lib. 1. quæſt. in Gene. cenſet eum obiiſſe ſex annis ante diluvium: ſexto enim anno ante diluvium vita functus eſt, non Mathuſala, ſed Lamech ejus filius, qui fuit pater Noe, ut patet Gen. V. v. 30. & 31. Sed audi eundem S. Auguſt. initio quæſt. in Gen. *Quæri*, inquit, *ſolet quomodo Mathuſalem ſecundum annorum computationem, vivere poſt diluvium potuerit, cum omnes præter eos, qui in Arcam ingreſſi ſunt periiſſe dicantur? ſed hanc quæſtionem, plurium Codicum mendoſitas peperit. Non ſolum quippe in Hebræis aliter invenitur, verum etiam in Septuag. interpretatione, Mathuſalem in codicibus paucioribus, ſed veracioribus ſex annos ante diluvium reperitur fuiſſe defunctus quæ cum Scriptura non cohærent.*

Cap. VI. v. 3. *Erunt dies illius* (hominis) *centum viginti annorum.* Quæ ſi intelligantur de futura deinceps hominum ætate, contradicunt his cap. XI. v. 13. *Vixitque Arphaxat poſtquam genuit Sale trecentis tribus annis*: nec non ſequentibus, ubi plurium hominum vita ducentis annis major recenſetur. Si vero ſermo ſit de conceſſis induciis hominibus ante-diluvianis ad agendam pœnitentiam: non 120. anni, ſed tantum 100. ab eo tempore ad diluvium uſque effluxerunt; nam *Cap. V. v.* 31. Noe quingentorum annorum fuiſſe dicitur dum procreavit liberos: & Cap. VII. v. 6. & 11. fertur ingreſſus in arcam ſexcenteſimo vitæ anno, hoc eſt centum annis poſt datam præfatam ſententiam; nam ſi ſpectemus Moſis relationem, ea verba a Deo dicta ſunt cum jam Noe filios genuiſſet.

Reſpondent SS. Hieronymus [d] & Aug. d in trad. Heb.

[e] hic non præſcribi certum humanæ vitæ terminum, ſed inducias ad agendam pœnitentiam, qua neglecta, & eo tempore exacto, e lib. 15. de Civ. cap. 24.

Deus nefarios illos homines aquis diluvii erat extincturus. Cur vero illi viginti anni non adjiciantur, rationem hanc profert S. Hieronymus quæ etiam placet S. Chryſoſtomo [f], quod quemadmodum Deus ex miſe- f Homi. 25. in Gen.

ricordia interdum pœnitentibus vitam prorogat, ſicut Ezechiæ regi pœnitentiam agenti quindecim annos adjecit; ita obduratis peccatoribus aliquando diuturniorem futuram vitam abbreviat, ne illi graviora peccata peccatis adjicientes, majora ſibi tormenta & ſupplicia mereantur. Unde Pſalmiſta *viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos.* At arridet magis expoſitio S. Auguſtini & aliorum dicentium hunc agendæ pœnitentiæ terminum a Deo fuiſſe Noe denuntiatum cum

hic

Digitized by Google

hic ageret quadringentos & octoginta annos: Moſem vero per Synecdochen a maxima parte quingentos annos numeraſſe. Nam ut obſervat idem S. Auguſt. quæſt. 4. in Exod. *Divina Scriptura ſolet tempora ita nuncupare, at quod de ſumma perfectionis numeri paululum excreſcit aut infra eſt, non computetur*. Proinde Noe tametſi natus eſſet dumtaxat annos 480. cum divinum mandatum de arca fabricanda, & promulganda pœnitentia accepit, nihilominus a Moſe dicitur per Synecdochen natus annos 500. dum uxore ducta filiorum procreationi ſe ſe dedit. Cum enim animadverteret ſe fruſtra impios homines ad pœnitentiam cohortari, ut denuntiatam divinam ultionem declinarent de conſervanda per matrimonium humana propagine, atque pia inſtituenda familia quæ a futura clade eſſet immunis, divino inſtinctu fuit ſollicitus per illos ſequentes viginti annos: qui ſi adjiciantur illis 500. quos habuiſſe dicitur Noe dum filios procreavit, merito computantur 520. a divini illius mandati ſignificatione ad diluvium uſque, tametſi revera eſſent tantum quingenti: quibus ſi adjicias centum annos quos in Arca conficienda inſumpſit, vere dicitur cap. VII. v. 6. fuiſſe *ſexcentorum annorum quando diluvii aquæ inundaverunt ſuper terram*. Nulla igitur in his textibus pugna, ſed facile invicem cohærent.

Ibidem v. 6. *Pœnituit Deum quod hominem feciſſet*. Contradicit his primo Regum 15. 29. *Porro triumphator in Iſrael non parcet & pœnitudine non flectetur; neque enim homo eſt ut agat pœnitentiam:* atque etiam his Malachiæ 3. & Jacobi 1. ubi Deus dicitur immutabilis.

a *lib. 1. de Civ. cap. 7. & lib. 2. ad ſimpl. quæſ. 2. & lib. 83. quæſ. 52.*

Reſpondet S. Auguſtinus a Scripturam hic, ſicut & alibi ſæpe de Deo more humano loqui, atque priora verba metaphorice accipi, non ſecundum affectum, ſed effectum; neque enim Deus pœnitentium more revocat affectum priorem quem invariabiliter habet: ſed retractat ea quæ fecerat & quæ ab æterno retractanda decreverat pro tali temporis & eventus circumſtantia. Sic Jerem. 18. *Si pœnitentiam egerit gens illa a malo ſuo quod locutus ſum adverſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo quod cogitavi ut facerem ei*. Unde Vulgatum S. Ambroſii in Lucam *novit Deus mutare ſententiam ſi tu noveris emendare delictum*. Pœnitere ergo dicitur Deus, quando hominum ſcelera ita deteſtatur ut de eis cum auctoribus delendis ſtatuit; aut revocat ea quæ in tali circumſtantia revocanda decreverat: ſic primo Regum 15. ait *pœnitet me quod conſtituerim Saul regem*. Uno verbo *pœnitentia Dei* ait Hugo Victorinus, b *non eſt mutatio intentionis a primo propoſito; ſed mutatio operis a primo inſtituto... nec eſt mutata voluntas in approbatione faciendi: ſed ordo mutatur in inſtitutione facti*. (6) (6)

b *Eruditionis Theol. titulo 90.*

Ex Cap. XI. ℣. 12.

§. II.

POrro *Arphaxad vixit triginta quinque annis & genuit Sale:* Diſſonat cum hoc Lucæ III. v. 36. *Qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad*: ubi Cainan medius inter Arphaxad & Sale conſiſtit. Quod etiam habent LXX. Interpretes in Præfato Geneſ. loco; *Et vixit Arphaxad* CXXXIII. *annis, & genuit Cainan.... & vixit Cainan* CXXXIII. *annis & genuit Sale.* (a) Mire ſe torquent Interpretes in hujus nodi diſſolutione. Se huic negotio imparem ingenue profitetur venerabilis Beda: c *Lucas*, inquit, *teſtimoniis Græcis utitur, potius quam Hebræis; ex quo accidit, quod maxime miror, & propter ingenii tarditatem, vehementiſſimo ſtupore perculſus, neſcio perſcrutari; qua ratione, cum in Hebraica veritate a diluvio uſque ad Abraham decem tantum generationes inveniantur; ipſe Lucas, qui Spiritu ſancto calamum regente, nullatenus falſum ſcribere potuit, undecim generationes juxta* LXX. *Interpretes, adjecto Cainan in Evangelio ponere maluit.* Alii vero Interpretes, ne nihil hac in re dicerent, varias in ſententias diviſi ſunt, quas omnes ad duas claſſes revocare licet. Quidam enim Cainanem retinendum cenſent in ſerie ac genealogia Patrum: Alii vero omnino expungendum & removendum arbitrantur: qui omnes tametſi in alterutra ſententia conſiſtant, diverſis tamen cauſis & rationibus invicem diſſentiunt: quorum varia judicia copioſiſſime referunt Fridericus Spanhemius,[d] Jacobus Uſſerius,[e] Michael Waltherus,[f] & alii bene multi. Quoniam autem brevitati ſicut & claritati ſtudemus: prætermiſſo variarum illarum ſententiarum examine, quo magis anxie fatigatur Lectoris animus, quam jucunde reficiatur. *Reſpondeo* veroſimilius mihi videri hunc Cainanem eſſe omnino ſuppoſititium; atque in textum LXX. & S. Lucæ irrepſiſſe, & ab utroque (ſi accederet Eccleſiæ judicium) eſſe expungendum. Rationes quæ me in hanc ſententiam, non tam alliciunt quam rapiunt, ſunt,

c *Præfat. comment. in Act. Apoſt.*

d *tert. part. dub. Evang. dub. 23.*

e *Diſſ. de Cainane.*

f *In Harm. Biblic.*

I. Altum de illo Cainane ipſius Moſis ſicut & Auctoris libri primi Paralipomenon in Hebræo codice & Vulgata ſilentium. A quo enim tutius hiſtoriæ veteris ac Patriarcharum ætas exquiratur quam ab Moſe antiquiſſimo hiſtoriæ omnis parente? Nam ut acute ratiocinatur Pererius, generatio Cai-

(a) Nondum Conciliatorium Biblicum Fraſſenii fuerat a nobis perluſtratus attente, dum ejus Quæſtiones in Geneſim prælo committebantur. Secunda enim pars hujus voluminis ante primam edita eſt. Cum autem litem de Cainane II. legentibus dirimendam reliquerit Auctor noſter in Quæſtione prima ad Caput II. Geneſeos, ibidem ad pag. 133. nonnulla ex Uſſerio, aliiſque adjecimus, ut Cainanem hunc intitium eſſe oſtenderemus; eadem ferme hoc in loco a Fraſſenio tradita comperimus, quæ licet repetitio mera eorum, quæ diximus, videantur, non tamen abradenda judicavimus, ut integer Fraſſenii textus exhibeatur. W.

nanis ignota fuit Moſi, aut nota. „ Ignotam fuiſſe Moſi, quæ perſpecta fuerit & cognita LXX. Interp. quis audeat dicere? cum Moſes tanto propior quam illi fuerit ei ætati, ſoluſque illorum temporum hiſtoriam tanta cum diligentia & cura conſcripſerit. Sin autem ea generatio nota fuit Moſi, cur igitur eam prætermiſit? præſertim autem cum ejus generationis vel adjectio vel detractio non parum variet Chronologiam quæ inter diluvium & Abraham a Moſe deſcribitur: quam quidem Chronologiam voluiſſe Moſem integre, exacte, ac perfecte, tradere, illud eſt clariſſimum indicium, quod ſeriem generationum, quæ fuerunt inter diluvium & Abraham, diſtincte & accurate percenſeat, & ſuos cuique generationi annos ſubtiliter computatos proprie aſſignet. Qui fit igitur credibile Moſem, generatione Cainan prætermiſſa, vitioſam nobis Chronologiam aut voluiſſe tradere, aut cum minime vellet, inſcienter tamen tradidiſſe? Equidem diu multumque cogitans nullam rationem, quæ mihi animum expleret, reperire potui, cur Moſes generationem Cainam (ſiquidem ea inter Arphaxad & Sale interceſſit) præterire debuerit aut potuerit. Nam quod ajunt quidam voluiſſe Moſem generationes quæ fuerunt ante & poſt diluvium ad duas tantum decades redigere; id nec probari ab iſtis poteſt, & leve ac futile eſt, nec tale ut propter id debuerit Moſes Chronologiam, cujus exacta cognitio magni erat momenti, perturbare atque confundere. His adde, quod ſaltem in libris Paralipomenon, in quibus ſupplentur quæ alibi in ſacris Litteris derelicta fuerant, unde nomen etiam illi habent, commemorata fuiſſet generatio hæc Cainan: ſiquidem in exordio prioris libri Paralipomenon ſeries generationum quæ fuerunt ante & poſt diluvium ſimiliter atque hic recenſentur, nec ullum tamen verbum fit de generatione Cainani. *Hæc ille*.

II. Cainanem iſtum Chaldaici Paraphraſtes Onkeloſus & Jonathan non agnoſcunt.

III. Eum etiam prætermittunt nobiliores & antiquiores Auctores: Imprimis enim Julianus Africanus Origenis æqualis omiſſo illo Cainane, Arphaxadum annos 135. natum genuiſſe Salam dicit: & ab Adamo uſque ad mortem Phaleg, annos elapſos enumerat, non recenſitis annis ipſius Cainanis. Quin etiam ipſemet Origenes tametſi interdum Cainanis hujus meminerit; nihilominus tameſi *tract.* 20. *in Joannem* ſcribit decem eſſe generationes ab Adamo ad Noe: at ſi numerandus eſſet ille Cainan, non decem ſed undecim generationes eſſent computandæ. Theophilus quoque Antiochenus, temporum epilogiſmum juxta LXX. inſtituens, omiſſo Cainane, Arphaxadum Salæ Patrem facit. Imo & ipſorum Apoſtolorum temporibus Doſitheus, in textu Hebraico quem interpolatum Samaritanis ſuis dedit, Patrum poſt diluvium annis, ex LXX. editione deſumptis, Cainanem cum ſuis annis prorſus prætermiſit, numeratis hoc modo a diluvio uſque ad primum Abrahami (vel 70. Tharæ potius) annis 942. quot erant & juxta LXX. ut ex Euſebio refert Georgius Syncellus. Neque etiam Cainanis meminerat Joſephus, cujus tempore Græci codices, quos alias ſequi ſolet, proculdubio id nomen nondum habuerunt, alioquin vix reticuiſſet S. Hieronymus qui omnem diſſonantiam lectionis, quæ eſt in libro Geneſis inter codices Hebræos & LXX. Interp. curioſe perveſtigans ac diligenter annotans, diſſonantiam hanc adeo inſignem, nullo digitulo tangit. Epiphanius quoque data opera ac certo conſilio rationem temporum ſupputans, ut Melchiſedechianorum dogma refelleret, Cainanem plane omiſit. Idem facit Vulgatus Interpres tam in Geneſi, quam in Paralip. Inſuper S. Irenæus vetuſtiſſimus auctor a generatione Domini uſque ad Adamum in Luca numerat generationes 72. qui numerus, ſi Cainan abſit, ſibi conſtat, præſente eo fallit. Inde non leve indicium eſt eo tempore Cainanem illum nec apud LXX. nec apud S. Lucam fuiſſe inſertum. *Accedit* his Moſis inſtitutum, Canonem videlicet & accuratam annorum ſeriem ab orbe condito ad ſuam uſque ætatem attexere: at ſi omiſiſſet annos quos vixiſſet Cainan, haud dubie turbaretur ille calculus ſacer, nec haberetur accurata mundi Chronologia. *Adde quod* Abrahamum a diluvio eſſe decimum, qui Cainane interjecto eſſet undecimus, non Hebræi tantum, quos inter Joſephus, affirmant, ſed & ex Chaldæis Beroſus ab ipſo Joſepho productus, & ex Græcis Eupolemus, cujus locum ſervavit Euſebius. *Denique* ſi admitteretur ille Cainan ſecundum recenſionem LXX. fatendum eſſet uno eodemque anno patrem & filium in lucem prodiiſſe; nam juxta Hebræum codicem, Arphaxad genuit Sale anno ætatis ſuæ 35. At illo ipſo anno juxta LXX Interpretes idem Arphaxad refertur genuiſſe patrem ipſius Sale nimirum Cainan: ſubindeque ſi uterque textus ſubſiſteret, uno eodemque anno pater & filius dicerentur geniti; quod quam abſurdum ſit nemo eſt qui non videat.

Excipere nituntur adverſarii dicendo Arphaxadum genuiſſe Sale anno vitæ ſuæ 35. non *actu* inquiunt, ſed *virtute & potentia*, quia eo anno genuit Cainan patrem ipſius Sale, qui in ſuo parente virtute continebatur. Neque, aiunt, id inſolitum eſt in ſacris Litteris; nam in Genealogia Salvatoris noſtri apud S. Matthæum dicitur, Joram genuiſſe Oziam; non ſane actu, ſed virtute, quia Joram genuit proxime Ochoziam, proavum Oziæ. At exceptio hæc omnino inſulſa eſt & frigida: tametſi enim interdum in Scriptura Avi dicantur gignere nepotes; nullibi tamen referuntur illos gignere eodem anno quo illorum patres. Peccat etiam *Elencho parium*: enimvero in generatione Jorami apud S. Matthæum nulla temporum ratio obſtat quominus Matthæi verba commode de generatione mediata

diata

diata Oziæ intelliganter, quia ibi non agitur de canone & calculo temporum & generationum, ſed dumtaxat de linea Majorum Chriſti Domini, quos in tres Teſſeradecades conſulto diſtribuendas forte ob myſterium aliquod ſuſcipit, uti præmonuerat, v. 17. Secus autem eſt in textu de quo agitur; nam in codice Hebræo diſerte aſſeritur annus generationis actualis Sale qui ſimul non poteſt eſſe annus generationis actualis Cainan; alioqui pater & filius uno eodemque anno fuiſſent geniti.

At inquies his obluctantur LXX. Interpretes & S. Lucas qui Cainanem Arphaxadi filium & Sale patrem diſerte pronuntiant. *Reſp.* Ita quidem legimus in exemplaribus; Verum omnia antiquiora exemplaria hunc Cainanem non habuiſſe argumentum eſt, quod plurimi veteres hujus Cainanis non meminerint. Unde concludere juvat cum Bened. Peterio [a] generationem Caioan non fuiſſe in omnibus Libris LXX. atque probabiliter etiam conjicitur eam non fuiſſe traditam ab illis: adeoque eos Libros qui ea generatione carebant, ut qui cum Hebræis codicibus congruerent, veros & integros eſſe judicandos; eos autem qui generationem Cainan habebant, in hac parte mendoſos eſſe, atque corrigendos. Facile autem fuit, aliquem nactum Libros LXX. in quibus erat generatio Cainan, inde eam transtuliſſe in Evangelium S. Lucæ: quod a principio non animadverſum, non ſolum inhæſiſſe in uno eo libro, ſed in eos poſtea qui uſque ad hanc diem exſcripti ſunt eſſe derivatum. At enim vero, ſi quod de veritate librorum LXX. circa generationem Cainan ſatis bene probatum eſt, idem quoque de libro Evangelico B. Lucæ probaretur, equidem ſententiam hanc totò aſſenſu complecteret. *Hae ille.* Atqui codex quatuor Evangeliorum & Actuum Apoſtolorum in antiquiſſimis membranis literis majuſculis ſine ſpiritibus & accentibus deſcriptus (quem graſſante per univerſam Galliam Calviniano furore, Beza es Monaſterio S Juliani juxta Lugdunum ſuffuratus, in Angliam profugus Cantabrigienſi Bibliothecæ donavit) hic inquam codex vetuſtiſſimus Cainanem illum non habet.

a ad tr. c.

Inſtabis, minor fides eſſe debet huic uni codici, quam tot antiquiſſimis Auctoribus qui Cainanem illum retinent. In primis Syrus Interpres quem vetuſtiſſimum eſſe fatentur omnes, Cainanem interſerit inter Arphaxad & Sale: ſimiliter & Euſebius in exordio Chronici ſui, S. Epiphanius ſub finem Ancoratus ſui & hæreſi LXVI. & initio Panarii, & unus qui pro Latinis ſufficiat S. Auguſtinus lib. XVI. de Civit. Dei cap. 3. Ubi numerat Abrahamum in vigeſima prima generatione ab ortu rerum, qui in vigeſima tantum conſiſteret ſi Cainan eſſet prætermittendus.

At omnia iſta momenta facile concidunt. Nam ad auctoritatem Syri Interpretis quod ſpectat, non videtur hae in re magni ponderis; quippe Cainan ille in Syrum codicem intruſus videtur a quodam Amanuenſi in deſcriptum a ſe exemplar bona quidem fide videlicet ut Syrus Interpres cum codicibus LXX. & S. Lucæ conſentiret, a quo exemplari vitiato error in cætera Syræ verſionis exemplaria demum propagari potuit. Neque majorem fidem in hoc argumento meretur Euſebius, ut qui ſibi non conſtat. Nam ibidem Arphaxad ſtatuit genuiſſe Sale, tametſi paucis interpoſitis lineis ſcribat Arphaxad genuiſſe Cainan; niſi forte fraus facta ſit in Euſebii codice. Eadem Reſponſione fit ſatis auctoritati S. Epiphanii; tametſi enim locis prolatis Cainanem Arphaxadis filium aſtruat, tamen in hæreſi Melchiſedechianorum conſtanter aſſerit Arphaxad genuiſſe Sale nulla Cainanis mentione facta, cum tamen id plurimum conducere videretur ad ejus ſcopum; nam hac ratione plures interceſſiſſent anni inter Sem & Abrahamum, adeoque Samaritas, quos impugnat, acrius urgere potuiſſet Melchiſedechum non eſſe Sem, utpote cum inter Melchiſedechum & Sem plures intercedant anni vix Melchiſedecho concedendi.

Ad S. Auguſtinum dico non mirum quod Cainanis mentionem fecerit, cum ante illius ætatem jam corrupti fuiſſent plerique codices Græci & Latini. Unde Georgius Syncellus *Lectos per omnes Chriſti Eccleſias ſacros Geneſeos Libros Cainanem habere* affirmat, & ob illum prætermiſſum, tum Euſebium, tum alium quendam ætate ſua vetuſtiorem erroris arguit; at magis arguendus ille quod interpolatis LXX. Interpr. codicibus nimiam fidem incautus fecerit. Probabiliorem itaque cum Petavio [a] Cornelio a Lapide [b], Petro Poſſino [c]. Joann. Cordeſio [d] & aliis plurimis Catholicis auctoribus, puto ſententiam quæ hunc Cainanem cum in LXX. tum in Lucæ codicem irrepſiſſe affirmat, a quo tamen non privato cujuſque, ſed publico Eccleſiæ judicio eſſet expungendus.

a lib. 9. de doctrina te. c. 17.
b in cq. 11. Geneſ. 12.
c in Diallectico geneal. Chriſti.
d in libello Gallico de geneal. Chriſti.
e Act. 7. v. 4.

Eodem cap. XI. *Vixitque Thare ſeptuaginta annis, & genuit Abram Nachor & Aram.* Non concordas cum hoc cap. XII. v. 4. *Septuaginta quinque annorum erat Abram cum egrederetur de Aram.* Nam hic exitus contigit poſt Thare obitum teſte S. Luca de Abraham dicente: *Tunc exiit de terra Chaldaorum & habitavit in Charan; & inde poſtquam mortuus eſt pater ejus tranſtulit illum Dominus in terram iſtam, &c.* Vixit autem Thare 205. annis *cap.* 11. *v.* 32. ac ſubinde dum Abraham exiit de Haram, aut non erat natus 75. annis: ſed 130. aut non eſt dicendus genitus anno 70. patris ſui. Si enim huic annorum calculo adjicias 135. qui ſuperſunt ex Thare ætatis & vitæ ſerie, perſpicuum erit Abrahamum patre mortuo natum eſſe annos 130 nam ſi ſeptuaginta quinque demas a ducentis quinque, remanent centum triginta (a)

(a) Longe plura hac de Controverſia tradita ſunt a Fraſſenio ad pag. 135. a. partis hujuſce voluminis, ubi argumenta, quæ ſuam ſententiam videbantur concutere ſolerter convellit. Apud Nortonum

a in traditionibus Hebraicis. *b in caput ultimum Joſuæ.* *c lib. 16. de Civit. cap. 15.* *d Quæſtione 25. in Gen.*

Reſpondeo apparentem hanc antilogiam Interpretum ingenia adeo torſiſſe, ut S. Hieronymus a hunc locum *quæſtionem indiſſolubilem* pronuntiant; tametſi eam alibi enodare fuerit aggreſſus. Plures equidem ab auctoribus proferuntur horum textuum in ſpeciem pugnantium conciliationes. I. Andreas Maſius b veroſimilius putat Abraham veniſſe in terram Chanaan ſeptuageſimo quinto anno ætatis ſuæ vivente adhuc patre & annum agente 145. qui tamen mortuus dicitur a S. Stephano, non quidem morte naturali, ſed ſpirituali quod inanium deorum cultui deditus recuſaverat ire in Chananæam regionem, quo Deus illum cum Abrahamo filio vocabat. Verum hæc interpretatio tropologica eſt & narrationem hiſtoricam evertit. II. Sentiunt alii cum S. Auguſtino c Abrahamum revera natum eſſe anno ſeptuageſimo vitæ patris ſui Tharæ, ſed bis evocatum in terram Chanaan; primo quidem quando vivente adhuc patre ſuo & annum agente 145. ipſe Abrahamus natus erat annu 75. atque de hoc adventu agit Moſes Geneſis XII. cum autem ad viſendum patrem ſæpius in terram Chaldæorum pergeret, illucque iviſſet dum patrem morti proximum audivit: demum patre mortuo, relicta quæ eum obtigerat hæreditate, atque ultimo Chaldæis valedicto, veniſſe in terram Chanaan nuſquam amplius in Chaldæam reverſurus: atque de hoc adventu agere S. Stephanum. Hæc quidem explicatio non eſt omnino improbabilis. At veroſimilior ea mihi videtur quæ aſſerit Abrahamum revera natum eſſe anno patris ſui 130. neque his officere priorem Geneſi textum; non enim intelligendus eſt Tharæ anno ſeptuageſimo tres præfatos genuiſſe filios: ſed tantum docere voluit ipſum nullos ante filios genuiſſe, uti explicat S. Auguſtinus d. Quamobrem res ſic videtur componenda, quod Thare eo anno genuerit Aran: deinde aliquot poſt annos Nachor; noviſſime autem cum eſſet 130. annorum genuerit Abrahamum qui minor erat natu; tametſi omnium prior ratione dignitatis nominetur, quod ipſum elegiſſet Deus in cujus ſemine benedicendæ erant omnes Gentes: quemadmodum I. Par. 4. inter filios Abrahæ prior numeratur Iſaac, quam Iſmael, & inter filios Iſaac prior Jacob, (7)
quam Eſau. (7)

Cap. XIII. v. 15. *Terram quam conſpicis* (Abraham) *dabo tibi*. Opponitur huic Actuum VII. v. 5. *Non dedit illi hæreditatem in terra illa, nec paſſum pedis*. Reſp. Abrahamo dedit regionem Chananiticam quoad Jus, poſteris autem ejus quoad poſſeſſionem: illi factæ ſunt quidem repromiſſiones; ſed quæ eſſent in his implendæ: habuit ille (ut loquuntur juriſperiti) *jus ad rem*; hi vero *jus in re*. Stat igitur utriuſque (8)
textus veritas. (8)

§. III.

EX Cap. XV. v. 13. *Futurum erit ſemen tuum in terra non ſua; & ſubjicient eos ſervituti, & affligent eos quadringentis annis*. Idem reperitur Judith V. v. 9. *Deſcenderunt in Ægyptum illucque per quadringentos annos ſic multiplicati ſunt, ut dinumerari eorum non poſſet exercitus*. Similiter Actuum VII. v. 6. *Semen ejus erit accola in terra aliena... & male tractabunt eos annis quadringentis*: Quin etiam diuturniorem adhuc & prolixiorem hunc incolatum fuiſſe, ſignificatur Exod. XII. v. 40. *Habitatio autem filiorum Iſrael, qua manſerunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum*: Item ad Galatas III. v. 17. *Hoc autem dico Teſtamentum confirmatum a Deo, quæ poſt quadringentos triginta annos facta eſt Lex*. At hi omnes textus nec invicem, nec cum hiſtoria captivitatis Iſraeliticæ cohærere poſſunt; tantum enim abeſt ut Iſraelitæ vexati

num Knatchbull inter Criticos Sacros, nonnullas tamen conjecturas in ejus Animadverſionibus ad Libros Novi Teſtamenti adinvenimus, quas hic breviter adjicere non ingratum opinamur. Scribit itaque ad ℣. 4. Cap. 7. Actuum Apoſtolicorum: ſuaderi ſibi unquam non poſſe, quod Moſes ætatem Abrahami, ex qua tota pendet temporum ratio in incerto voluerit Eccleſiæ relinquere adeo ut eamdem non liceret niſi per conjecturam explicare, & extorquere = Quem quæſo in finem (exſcribit ex Langio) hæc a Moſe perſcripta ſunt, niſi ut temporum conſtaret ratio? Propter hoc ergo Moſes tempora appoſuit, ut veritas manifeſtior eſſet = Varia deinde Veterum profert teſtimonia, qui ad annum Tare 70. Abrahæ ortum retulerunt tandem Samaritanum exhibet Pentateuchum, in quo legimus Thare anno vitæ ſuæ 145. fato ceſſiſſe; quæ lectio ſi recipiatur uti revera ſuſcipienda videtur, mirum in modum Stephanus in Actis Apoſtolicis cum Moſe in Geneſi componitur, & Moſes cum ſemetipſo apprime conciliatur; apte profecto congruunt Abrahamum eſſe natum anno 70. Thare, & exiiſſe e Charran poſt mortem Patris ſui annis natum 75. Neque enim religio eſſe poteſt, inquit vel tantillum mendum in Hebraico textu ſupponere in ordine ad numeros annorum vitæ Thare deſignandos, cum præter fidei præjudicium hujus generis mendæ vel ex Samaritano textu, vel ex LXX. Interpretum lectione poſſint expurgari, non enim aliunde quam ex Maſſoretarum, vel aliorum Amanuenſium incuria, errata hujuſcemodi repetenda ſunt.

Non ejus tamen nobis ſe exhibent roboris hæ non contemnendæ Nortoni conjecturæ, ut literam hebraicam, & vulgatam valeamus ob iſtas relinquere, quæ conſtantiſſime Thare vitam ad annos protendunt 205. Certum utique annorum computum Moſes Eccleſiæ reliquit, ſed ab tranſcribentium incuria, vel temeritate derivandæ Sacrorum Codicum variantes. Samaritanus Pentateuchus, atque græcanicæ verſiones maximi profecto faciendæ, ſi inter Codices ipſos hebraicos aliqua habeatur diſcrepantia, quæ non aliunde conciliari queat, niſi veroſtas ex hebraico concinnatas interpretationes conſulendo, ut ex illis germana, ſi fieri poſſit, hebraica lectio ex variantibus Codicibus ſeligatur; ſi etenim lectio LXX. Interpretum cum aliquo hebraico Codice ſit conſentiens, in illo legitime ſervatum eſſe Sacrum textum poteſt prudenter inferri. Si autem verſiones ſequiores ab invicem diſcrepent, aut ab originario textu, lectionem originariam retinendam arbitramur, ſi præſertim ipſam tueatur Eccleſia. In caſu itaque noſtro Hebræa legunt Thare vixiſſe annis 205. in Hieronymiana verſione juxta hebraicam veritatem expreſſe idipſum legimus; eccur ergo mutilum numerum iſtum faciemus, ſi altera & quidem ſatis plana methodo S. Stephanus, & Moſes, cum ſemetipſo conciliantur apprime? Non eſt ergo cur Nortoni conjecturis inhæreamus. W.

ti ſuerint in Ægypto per 430. annos, ut vix ſupra ducentos ibi ſteterint. Tot enim numerandi ſunt anni illius incolatus, quot fluxerunt ab eorum ingreſſu cum Jacobo & duodecim Patriarchis ejus filiis, ad exitum duce Moſe: at intercedunt anni ducenti tantum aut paulo amplius: nam Caath filius Levi, numeratur inter eos qui cum Jacobo deſcenderunt in Ægyptum; hic autem vixit tantum 133. annis: quibus ſi adjicias 137. vitæ Amram ejus filii & Moſis patris, una cum 80. quot Moſes erat natus quando fuit
a Exo. VII. 7. a Deo ad Pharaonem delegatus, a efficies tantum annos 350. Ex quibus ſi detrahas annos ipſius Caath ante illam demigrationem; atque eos quot erat natus priuſquam gigneret Amram & quot poſt eum genitum vixit, eandemque computandi rationem ſerves in Amram: vix reperies annos 215. *Confirmantur* iſta, Joſephus triginta novem annos natus erat, dum ejus pater Jacob in Ægyptum deſcendit: vixit autem 110. annis; ſubindeque ab ingreſſu patris in Ægyptum ad mortem ejus, ſunt anni 71. At vero ab ejus morte ad Moſis nativitatem interceſſerunt anni 64. quibus ſi adjicias annos 80. Moſis dum populum eduxit, erunt anni 215. non itaque ſunt 430.

Huic implicatæ difficultati varii varia reſpondent: at prætermiſſis aliorum expoſitionibus: *Reſpondeo* tres in primo vaticinio Iſraelitarum ſtatus prænuntiari. I. Eorum Peregrinationis, *peregrinum erit ſemen tuum.* II. Servitutis, *& ſubjicient eos ſervituti.* III. Vexationis & perſecutionis, *& affligent, &c.* Tempus peregrinationis incipit a vocatione Abrahæ & exitu de domo paterna ut peregrinaretur in terra aliena: nam tam ipſe quam ejus filii, uſque ad exitum de Ægypto, nullum habuerunt proprium ſolum; ſed hinc inde indigenæ & peregrini degerunt *&*
b Pſal. 105. *pertranſierunt de Gente in Gentem, & de regno ad populum alterum:* b quamobrem Jacob ſtans coram Pharaone dixit *dies peregrinationis meæ* 130. *annorum*: hoc autem peregrinationis tempus exordium habuit a tempore quo Abraham, ut Deo vocanti & jubenti, pareret, exiit de terra ſua & de cognatione ſua & de domo patris ſui. Inde vero uſque ad deſcenſum in Ægyptum, ut notat Waltherus fluxerunt 215. quod ſic demonſtratur: ab egreſſu Abrahami ex Ur uſque ad natum Iſaacum ſunt anni 25. natus enim eſt Iſaac anno ætatis Abrahæ centeſimo Gen. XXI. v. 5. a nativitate Iſaaci, ſunt 60. anni uſque ad nativitatem Eſau & Jacobi, ſexagenarius enim Iſaac erat, cum ei naſcerentur parvuli Gen. XXV. 27. a nativitate Jacobi uſque ad nativitatem Joſephi ſunt anni 91. (qui ſic colliguntur, Joſeph erat annorum 30. cum veniret in conſpectum Pharaonis Gen. XLI. 46. adde annos 7. fertilitatis ac duos ſterilitatis, de quibus Gen. XLV. 6. habebis 39. annos. Jam vero Jacobus, cum ſiſteretur Pharaoni, erat annorum 130. Gen. XLVII. 9. ſubtrahe hinc 39. annos, quibus Joſeph in Ægypto erat, relinquuntur 91. anni, tempus nimirum a nativitate Jacobi ad nativitatem Joſephi) Joſeph autem natus erat annos 39. quando pater ejus venerat in Ægyptum, ex quibus ſummatim conficiuntur 215. anni. Jam cum manſio Iſraelitarum in Ægypto, quod ante ſubduximus, fuerit 215. annorum, anni hi omnes ſimul juncti exactiſſime producunt 430. annos qui diſerte numerantur Exodi XII. 40 Galat. III. 17.

At inquies iſta futura peregrinatio per 430. annos denuntiatur, non Abrahamo, ſed ejus ſemini. *Reſp.* Dum a Deo evocatus Abraham exiit de Ur Chaldæorum, jam tum declarabatur pater Iſraelitici populi, dixerat enim ei Deus *faciam te in Gentem magnam*: Unde jam in Parente peregrinabatur ſemen: quemadmodum Levi dicitur ab Apoſtolo decimatus *cum eſſet adhuc in lumbis Abrahæ*: Dum enim decimaretur Abraham, decimabatur quoque ejus poſteritas quæ erat in lumbis ejus. Itaque illi 430. anni peregrinationis non abſurde numerantur ab exitu Abrahæ de Ur Chaldæorum. Anni autem ſervitutis computandi ſunt poſt mortem duodecim Patriarcharum, uſque ad Pharaonem illum qui vitæ eorum infantium inſidiabatur. Nam Iſraelitas antea Ægyptiis inſerviſſe patet Exod. I. v. 11. ubi Rex ille novus qui ignorabat Joſeph, mandavit præfectis operum, ut aggravarent Iſraelitarum onera; proindeque antea ſervituti erant addicti. Tempus vero vexationis fuit ab hoc regio edicto ad Iſraelitarum exitum. Nam v. 13 legimus *oderantque filios Iſrael Ægyptii & affligebant illudentes eis, atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris, &c.* Quamobrem omnes præfati textus facili negotio cohærebunt, ſi 430. annos peregrinationis numeres a vocatione Abrahæ: 400. autem circiter a nativitate Iſaaci in quo revera ſemen Abrahæ cœpit in ſeipſo peregrinum eſſe, uſque ad promulgationem Legis, quæ menſe tertio egreſſum ex Ægypto ſubſecuta eſt: reliquos vero annos ſervituti & vexationi depures.

Inſtabis rurſus, peregrinatio & manſio illa dicitur facta in Ægypto: at Abraham & Iſaac non fuerunt Ægypti indigenæ & inquilini niſi breviſſimo tempore; itaque non comprehenduntur in hac peregrinationis ſerie; ac proinde ab eis non eſt computanda. *Reſp.* Has voces (*in Ægypto*) intelligendas eſſe Metaphorice & per Synecdochem, qua pars peregrinationis diuturniſſima in uno loco, accipitur pro toto peregrinationis tempore; maxime cum Abraham & Iſaac etiam fuerint in Ægypto advenæ, tametſi Chanaanitidem poſtmodum repetierint. Quamobrem LXX. Interp. appoſite hunc textum ſic reddunt, *Habitatio filiorum Iſrael qui habitarunt ipſi & patres eorum in terra Ægypti & in terra Chanaan fuit* 430. annorum. Cauſa vero cur Moſes tantum nominavit Manſionem in Ægypto, fuit triplex, inquit, Waltherus I. enim totius illius habitationis 430. annorum & initium fuit in Ægypto & finis: de fine id clarum eſt, de principio patet idem

ex Gen. XII. ubi narratur, ſtatim ut Abraham venit ex Meſopotamia in tettam Chanaan, cogente fame veniſſe in Ægyptum. II. Illius habitationis 430. annorum majot pars in Ægypto eſt conſumpta, ſiquidem in terra Chanaan diverſis temporibus manſerunt tres illi Patriarchæ Abraham, Iſaac, & Jacob 195. annis. At continua Hebræorum manſio in Ægypto fuit ducentorum quindecim annorum. *Accedit*, quod habitatio Hebræorum in Ægypto tribus rebus fuit valde inſignita & nobilitata. *Primum* enim Joſeph eo tempore ſummo cum imperio univerſam Ægyptum per octoginta annos gubetnavit, ubi Hebræi in magna fuerunt proſperitate. *Deinde* poſt mortem Joſephi perinſignis & admitanda fuit Hebræorum multiplicatio, licet laborioſiſſima ſervitute afflictarentur ab Ægyptiis. *Denique* liberationem eorum atque exitum ex Ægypto tot & tanta tunc facta prodigia valde memorabilem & ſtupendum reddiderunt. Ob haſce itaque cauſas Moſes ſolam Hebræotum in Ægypto manſionem commemorare voluit.

Ibidem v. 16. *Generatione autem quarta revertentur huc:* pugnat cum lib. I. Paralip. cap. 1. ubi ab Abrahamo ad Caleb (qui ingreſſus eſt tettam tepromiſſam) numerantut ſca genetationes in tribu Judæ, nimirum Iſaac, Jacob, Juda, Phares, Eſron, Caleb: & totidem in tribu Levi, ab Abtahamo uſque ad Moſem, ſcilicet Iſaac, Jacob, Levi, Amram, Moſes.

Reſpondeo vaticinium hoc intelligi de generationibus aut genitis hominibus qui diutiſſime petegrini erant ſuturi & advenæ in Ægypto, quique aut eotum filii ſeu Nepotes inde erant aliquando exituri, ut tertam promiſſam occuparent. Sic Judas, Phares, & Eſron, qui triplicem generationis gradum inſtituunt, ſtererunt in Ægypto; Caleb autem, qui quarto gradu diſtabat, ea Ægypto egreſſus terra ſancta potitus eſt.

Ibidem circa finem numerantur decem Gentes expugnandæ ab Iſraelitis. Cum tamen Joſue XXIV. v. 11. & Actorum XIII. v. 19. ſolum ſeptem fuetint exterminatæ *Reſp.* ſeptem dumtaxat equidem referuntus eapugnatæ: vel quod hæ potentia & ditione præſtarent, aliæ vero tunc eis eſſent ſubditæ, ſicut plerunque contigit minores principatus a potentioribus occupati, & cum eis incotporari: vel quod illæ jam erant extinctæ aut alio translatæ cum illuc Iſrae-
(9) litæ, acceſſerunt. (9).

Cap. XXIX. v. 23. *Major ſerviet minori.* Contradicit his Cap. XXXII. v. 5. ubi Jacob per nuntios ait Eſau *hæc dicit ſervus tuus Jacob. Reſponſ.* Oraculum iſtud non ſpectabat immediate perſonas Eſau & Jacob, ſed eotum poſteros, habet enim, *Duæ Gentes ſunt in utero tuo & duo populi ex ventre tuo dividentur; populuſque populum ſuperabit; & major ſerviet minori:* quod utique impletum eſt cum David Idumæos ſibi fecit tributarios II. Reg. cap. VIII.
(10) v. 14. (10)

Cap. XLV. v. 27. *Omnes animæ domus Jacob quæ ingreſſa ſunt in Ægyptum fuere ſeptuaginta;* quod repetitur Exod. cap. I. v. 5. & Deuter. X. v. 22. cum tamen S. Stephanus Act. VII. v. 14 dicat *mittens Jacob accerſivit patrem ſuum in animabus ſeptuaginta quinque.* „ Reſpondet S. Hieto-
„ nymus[a] manifeſtum eſt, *inquit*, omnes ani- a *in Quæſt.*
„ mas, quæ ingreſſæ Ægyptum de femoribus *Hebraic.*
„ Jacob, fuiſſe ſeptuaginta, dum ſexaginta
„ ſex poſtea ingreſſæ ſunt, & repererunt in
„ Ægypto tres animas, Joſeph ſcilicet cum
„ duobus filiis ejus; ſeptuageſimus autem
„ ipſe fuit Jacob. Hanc rem ne videamur
„ adverſus Scripturæ auctoritatem loqui,
„ etiam LXX. Interpretes in Deuterono-
„ mio tranſtulerunt, quod in ſeptuaginta
„ animabus ingreſſus eſt Iſrael in Ægyptum.
„ Et paulo poſt, quod ſi nobis id opponi-
„ tur, quomodo in Actibus Apoſtolorum
„ in mentione Stephani dicatur ſeptuaginta
„ quinque animas ingreſſas eſſe Ægyptum,
„ facilis excuſatio eſt. Non enim debuit S.
„ Lucas, qui ipſius hiſtoriæ ſcriptor eſt, in
„ Gentes Actuum Apoſtolorum volumen
„ emittens, contrarium aliquid ſcribere
„ adverſus eam Scripturam quæ jam fuerat
„ Gentibus divulgata: & utique majoris
„ opinionis illo dumtaxat tempore LXX.
„ Interpretum habebatur auctoritas quam
„ Lucæ, qui ignotus & vilis & non magnæ
„ fidei in nationibus ducebatur. Hoc au-
„ tem generaliter obſervandum, quod ubi-
„ cumque ſancti Apoſtoli aut Apoſtolici viri
„ loquuntur ad populos, iis plerumque te-
„ ſtimoniis abutuntur quæ jam fuerant in
„ Gentibus divulgata; licet plerique tra-
„ dant, Lucam Evangeliſtam, ut Proſely-
„ tum, Hebræas literas ignoraſſe. *Hæc S. Hieronymus*, quibus ſignificat Moſem ideo ſexaginta ſea taotum numeraſſe, quod non fuerit compleaus ipſum Jacobum, atque Joſephum & duos ejus filios Ephraim & Manaſſem in Ægypto natos; qui ſi adjiciantur, conficiunt numerum ſeptuageſimum. S. Stephanus vero nedum hos numerat ſed etiam eis accenſet, tres (codicem LXX. Interp. ſecutus) Joſephi nepotes, unum ex Manaſſe nempe Machir: duos ea Ephraimo Sutalaam & Taam: duoſque pronepotes, videlicet Galaad ea Machir: & Edom filium Sutalaam, qui priotibus ſeptuaginta adjuncti, efficiunt ſeptuaginta quinque: at cum hi in Ægypto nati fuiſſent, eos cum ingredientibus in Ægyptum Moſes non tecen-
ſuit. (11) (11)

Cap. XLVIII. v. 22. *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi, in gladio & arcu meo.* At Geneſ. XXXIII. v. 19. & Joſue ultimo v. 33. refertur hunc agtum emptum fuiſſe a Jacobo *pretio centum agnorum:* non ergo fuit vi armorum conquiſitus. Reſpondeo hunc agrum primum revera emptum fuiſſe centum agnis a Jacobo: at cum propter cladem Sichimitis illatam inde metu exceſſiſſet Jacob, hunc agrum invaſerunt Amorshæi, quos poſtea Jacob, in eam tegio-
nem reverſus, vi & armis expulit. (12) (12)

PRO

Digitized by Google

PRO CONCILIATORIO BIBLICO

SUPPLEMENTUM.

AD CAPUT PRIMUM.

(1) VEſpere, & mane facta dicuntur, ait S. Julianus, etiam antequam Sol crearetur, & Luna, quæ diſtinguerent lucem a tenebris, quia in ipſa temporis mora operum diſtinctiones habebantur; dum enim unum complebatur opus, veſpera adveniſſe dicebatur, mane autem, dum novi operis productioni Dei omnipotentiſſima voluntas applicabatur.

(2) ℣. 26. Cap. 1. Geneſ. legitur homo factus ad imaginem, & ſimilitudinem Dei. Contrarium habetur Iſaiæ 40. ℣. 18. in quo ſcriptum eſt = Quam imaginem ponetis Deo = Ad Hebræos pariter ℣. 3. Capitis 1. Solus Chriſtus, figura ſubſtantiæ Dei nominatur.

Reſp. Iſaias loco laudato Dei Majeſtatem, naturam, atque ſubſtantiam nulla ſculptilium imagine exprimi poſſe ſignificat, quod equidem verum eſt, cum Deus Spiritus ſit nulla figura prorſus demonſtrandus. Homo autem ad imaginem Dei conditus eſt, ob varias tam naturæ, quam gratiæ dotes, quibus dignoſcitur præditus. Sortitus in primis animam Spiritalem eſt, atque immortalem, ingentis ſapientiæ, juſtitiæ, ac Sanctitatis, capacem; in his omnibus cum a Deo conditus fuerit, ei ſimilis dicitur factus; quibus poſtea per peccatum amiſſis iterum Deo fit ſimilis, ſi veterem exutus hominem, novum induat, *qui juxta Deum conditus eſt*, ait Apoſt. ad Epheſios 4. & ad Coloſſenſes 3. *per juſtitiam, & Sanctitatem veritatis*. Non tamen eſt homo imago ſubſtantialis Dei, ſicut Dominus Salvator noſter in æternitate a Patre genitus, eamdem cum illo naturam conſecutus, & eſſentiam; homo igitur eſt imago, quæ hebraice per vocem צלם *tſelem* exprimitur, qua *umbra*, ſeu *rei adumbratio* ſignificatur.

℣. 28. ejuſdem Capitis 1. Geneſ. Scriptum legimus præceptum Domini impoſitum augendi, & multiplicandi per generationem humanæ naturæ individua donec terra repleretur. Contrarium eſt apud Matthæum Cap. 19. ℣. 10. ubi laudantur a Chriſto, qui ſe Eunuchos fecerunt hoc eſt, qui in Sancta Virginitate vixerunt, propter Regnum Cœlorum, quam doctrinam ſuadere conatur Apoſtolus I. Corinth. 7. ℣. 40. ſcribens = Beatior autem erit ſi ſic permanſerint. &c. =

Reſp. Hanc difficultatem ex parte a Fraſſeno ſub ℣. 18. Capitis 2. Geneſ. eſſe ſublatam: ex ſacris tamen Expoſitoribus adjungimus; per verba illa Geneſeos nequaquam hominibus legem eſſe impoſitam, qua omnes, & ſinguli nubere compellerentur, ut plerique Novatorum Eccleſiam reformare ſuperbientium impia temeritate prædicarunt. Solam itaque Deus nubendi poteſtatem ſingulis conceſſit, ſi vellent, non ſingulos ad id perſtrinxit; eo ferme pacto, quo non de ſingulis Paradiſi fructibus, ut comederent juſſit Geneſis 2. ℣. 16. ſed tantummodo, ut omnibus veſci poſſent facultatem conceſſit per illa verba = de omni ligno Paradiſi comede = Nec omnes volucres mundas comedere juſſi fuerunt Iſraelitæ Deuteron. 24. ℣. 11. quamvis Moſes dixerit = omnes aves mundas comedite = ſed ſolum poteſtatem eis fecit, ut de omnibus manducarent ſi vellent. Verba itaque Geneſeos = Creſcite, & multiplicamini = humanam naturam collective ſumptam reſpiciunt, ſi præceptum in iis contineri velimus, minime autem individua ejuſdem naturæ diſtributive conſiderata, de individuis autem in ſenſu diſtributivo, ut aiunt, acceptis loquebantur Chriſtus, & Paulus.

℣. 31. Capitis 1. Geneſ. legimus Deum vidiſſe cuncta, quæ fecerat atque valde bona eſſe adinventa contrarium eſt apud Matthæum Cap. 19 ℣. 17. ubi Chriſtus ait ſolum Deum eſſe bonum.

Reſp. ſolum Deum eſſe bonum bonitate eſſentiali, imparticipata, indefectibili, & infinita, per quam etiam creaturis rationalibus bonus eſt, eaſdem ad ſempiternam fœlicitatem perducens, quam extra Deum expectare minime poſſunt, & in hoc ſenſu ſolus Deus bonus eſt. Creaturæ tamen bonæ & ipſæ ſunt, bonitate tamen participata; ſed quia in ipſis neque fœlicitatem completam, neque integram requiem mens humana reperire poteſt, ideo ſolus Deus dicitur bonus; ſicut ab Apoſtolo ſolus Deus dicitur habere immortalitatem I. Timoth. 6. ℣. 16. quamquam Angeli etiam, & animæ hominum ſint immortales.

Eodem ℣. 31. Valde bona dicuntur cuncta, quæ fecit Deus Contrarium legimus Iſaiæ 45. ℣. 7. in quo dicitur = ego Dominus faciens pacem, & creans malum =

Reſp. Deus creat mala procul dubio procul, cum enim juſtus ſit, & orbem terræ dijudicet, res in ſe bonas in pœnas delinquentium convertit, & tunc per dolorem, quo feriunt, fiunt malæ peccantibus; ita ferme S. Julianus Toletanus Epiſcopus.

Cap. 2. Geneſ. ℣. 9. Lignum ſcientiæ (3)
dicitur, quod tenebrarum, & ignorantiæ cauſa fuit. Ibidem a ℣. 7. & ſeqq. homo deſcribitur veluti conditus diu ante mulieris formationem, cum tamen ℣. 27. Capitis 1. Geneſ. eodem tempore maſculus, & fœmina creati dicantur. ℣. 17. ejuſdem ſecundi Capitis mortem eo ipſo ſubeundam homi-

homini Deus comminitatur, quo fructu vetito veſceretur; & tamen contrarium legimus in Cap. 5. Geneſ. ℣. 5. ubi Adam poſtquam fructum illum comedit annos 930. ſupetvixiſſe pethibetur.

Reſp. ad primum. Arborem ſcientiæ boni, & mali fuiſſe nuncupatam, quia homo ejus fructibus veſcens, quam bonum eſſet Dei mandatis obedire, quam malum in illa committere erat expertutus; quam bonum otiginalis juſtitia, quam malum peccati labes, per iſtam enim ultra merita gratiæ, etiam naturæ dotes, aut amittebantut, aut vulneratæ languebant. Ad ſecundum Reſp. in ℣. 27. Capitis I. Geneſ. legi quidem maſculum, & fœminam a Deo fuiſſe plaſmatos, minime autem eodem temporis momento. Quæ autem in Cap. 2. geſta leguntur inter productionem hominis, & mulieris, brevi ſpatio potuiſſe compleri evidens eſt; cum ergo die Sexta homo conditus ſit, & fœmina, ſed non eodem inſtanti, nulla inter Capitis primi, & ſecundi textus antilogia reperitur.

Ad 3. Reſp. verba iſta *morte morieris* duplicem ſenſum præſeferre, primum in ordine ad gratiam ſanctificantem, quæ eſt animæ vita, & hanc mortem ſtatim ſubiere Protoparentes. In ordine autem ad Corporis mortem ea verba *morte morieris* indicant ſententiæ mortis ſtatim a comeſtione Adamum fuiſſe ſubjectum, cujus ſententiæ certiſſime adimplendæ executio in Dei manu repoſita adeo ſuit, ut pro ejus libito vitam eſſet homo deperditurus; vel tandem ſenſus eſt = die, quo comederis ex eo morte morieris = incipies nempe ab illa die mori, & deſtrui, quia donum immortalitatis amittes; hinc omnis homo incipit, quando naſcitur, interire.

(4) Cap. 3. Geneſ. ℣. 7. aperti leguntut oculi amborum, protoparentum videlicet, poſtquam vetitum fructum comederunt. Conttarium legimus in ℣. præcedenti, ubi mulierem vidiſſe pomum narrat ſacer textus; non ergo aperti ſunt eorum oculi poſt fructum ſcientiæ comeſtum.

Reſp. Non de oculis corporis, ſed cordis eſſe intelligenda ℣. 7. verba; aperti itaque ſunt oculi eorum, quod cœpit eis eorum nuditas innoteſcere ſub diverſo prorſus aſpectu; quæ enim innocentibus decoris erat, & gratiæ venuſtas; reis probri, atque dedecoris ſacta eſt turpitudo. Aperti ſunt oculi; innotuit eis videlicet ſe deluſos a Sathana, longeque a vita priore excidiſſe, ſibique omnia ſecus quam veterator ſpoponderat ſerpens accidiſſe, magnamve jacturam ſe ſuoſque poſteros in amiſſione originalis juſtitiæ incurriſſe.

Eodem cap. 3. Geneſ. ℣. 14. Diris ſerpentem legimus devotum; & quaſi alicujus legis transgreſſor extiterit, in pœnam peccati, ut ſupra pectus gradiatur, terramque pro cibo comedat eidem imponitur. Contraria hæc omnino videntut iis, quæ cap. 1. Geneſ. ℣. 25. ſcripta ſunt; reptilia enim extitiſſe ſuper terram ibi legimus; terram autem connaturale eſſe pabulum ſerpentibus eſt in comperto. Nunquid in pœnam præſcribitur quod eſt naturæ proprietas.

Reſp. primo cum S. Auguſtino *Lib. 2. de Geneſi contra Manichæos Capp.* 17. & 18. & *Lib. 11. de Geneſi ad Literam Cap.* 36. Ruperto Abbate *Lib. 3. de Trinitate, & operibus ejus Cap.* 18. Gregorio Magno *Expoſit. ℣. Pſalmi 4. Pœnit.* Ea omnia dicta fuiſſe diabolo, qui dejectus, & conſternatus eſt, dum Capite erecto contra Deum, poſtquam peccatum in mundum invexit, incedebat; ad terram ſolummodo comedendam eſt condemnatus ideſt homines carnalibus, terreiſque affectibus ſe mancipantes, non autem, qui ſpiritu Dei aguntur, in cibum aſſequetur, & prædam. Si autem in verum, naturalemque ſerpentem Dei imprecationes velimus convertere cum Peretio, Fagio, aliiſque Commentatoribus; ipſum etiam diris potuiſſe devoveri, quod peccati inſtrumentum extiterit, cognoſcemus aperte: nonne gladio maledicimus, eumdemque confringimus, ſi ad amicum, aut cognatum occidendum adhibitus ſuit? Terram comedere juſſus eſt, qui antea terræ fructus, & herbas in cibum habebat, ut patet ex Geneſis 1. ℣. 30. ſunt qui putant ſerpentes ante peccatum repraſſe quidem ſuper terram cum ventre, ſed erecto nihilominus capite inceſſiſſe, quod in terram deiicere poſt Dei ſententiam compulſi ſunt. Mutua pariter, naturaliſve antipathia inter hominem, & ſerpentem ſpeciali Dei providentia ante peccatum cohibita erat, ſicuti in homine *concupiſcibilis*, ut ajunt, & *iraſcibilis* frænabantur; quæ tamen omnia poſt peccatum ſibi relicta ſunt, ac propterea in actus etiam ſuos erupuerunt.

Capite 4. Geneſ. ℣. 14. Cain Domino (5)
dixiſſe refertur = Omnis, qui invenjet me, occidet me = Contrarium hoc narrationi præcedentium Capitum hujus libri videtur, cum unus homo a Deo conditus ibi dicatur, duoſque filios genuiſſe, quorum unus Cain, alter Abel jam occiſus extiterit, quem ergo timebat fratricida ille? Nunquid Præadamitæ exiſtebant?

Reſp. Caini facinus circa annum Mundi 129. contigiſſe, quo ſiquidem tempore, non parum jam Adæ filii, & nepotes multiplicati creduntur, quamvis hoc in loco eorum non meminerit Scriptura, cum ſatis illos in cap. 5. ℣. 4. recenſeat. Veruntamen non ab hominibus ſolum, ſed a brutis etiam ſibi mortem imminere verebatur Cainus, cum vagus ſuper terram, & profugus ex Dei maledictione degere cogeretur.

Capite 6. Geneſ. ℣. 2. legitur ſacta di- (6)
ſtinctio inter munda animantia, & immunda; cum tamen huiuſcemodi ſeparatio nonniſi diu poſt, ad Moſis ætatem videlicet legitur inſtituta, quemadmodum ex libro Levitici cap. XI. commonemur.

Reſp ex Sancti Chryſoſtomi, & Dydimi ſententia etiam in lege naturæ aliquam mundorum animantium diſtinctionem ab immundis extitiſſe, ne promiſcue cujuslibet generis animal in ſacrificium offerretur. Di-

ci

ci etiam potuere munda, vel immunda tunc temporis animantia reſpectu majoris vel minoris utilitatis in ordine ad hominem. Cap. 8. Geneſ. ℣. 4. Arca Noetica requieviſſe narratur ſuper montes Armeniæ die 27. menſis ſeptimi. Contrarium tamen habemus in ℣. 5. ejuſdem capitis, in quo montium cacumina nonniſi die prima menſis decimi apparuiſſe leguntur. ℣. item 8. poſtquam dies quadraginta præteriiſſe dicuntur, legimus a Noe dimiſſam Columbam eamdemque in Arcam reverſam, eoquod aquæ univerſam adhuc terram operirent. Quomodo hæc tam contraria cohærere ad invicem poterunt?

Reſpondet ad primum Arcam potuiſſe ſuper Armeniæ montes requieſcere in fine menſis 7. quamvis montium cacumina ante initium menſis decimi ex aquis nequaquam emerſerint; cum enim octo, ac decem cubitis in aquas Arca Noetica ſupponatur immerſa ob ejus immane pondus, quo exſtimatur onuſta, illius carina in montis verticem impingere potuit, ibidemque conſiſtere, quanquam ad octo vel decem cubitos montium faſtigia aquis ſubmergerentur. Ad ſecundum reſpondemus ſtatim quamcumque evaneſcere antilogiam, ſi cum S. Aug. Quæſt. 14. in Geneſ. dixerimus hujuſcemodi dubium per recapitulationem poſſe diſſolvi, ut ea poſterius narrata intelligantur, quæ prius facta ſunt. Reſponderi etiam poteſt non eſſe inventum a Columba locum, in quo ejus pedes conſiſterent quia procul ab Arca montium cacumina ab aquis emerſa diſtabant; cum autem volatum ſuum non admodum longe a domeſtico nidulo ſoleant Columbæ protendere, hinc locus quieſcendi Columbæ deerat, adeoque reſpectu illius univerſa terra fluctibus adhuc immerſa merito dicebatur, quamquam remotis in partibus montium cacumina jam apparuiſſent.

(7) Capite 12. Geneſeos ℣. 15. dicitur Pharao in Ægypto regnaſſe, dum Abraham fame compulſus ex Chanaan in Ægyptum perrexit, cum tamen Pharaones nonniſi diu poſt, expulſis Regibus Paſtoribus, regnare cœperint ad annum Mundi ex Uſſerio 2180. famem autem in Chananitide graſſatam legamus ad annum Mundi 2084. Regnante Jania penultimo ex Regibus Paſtoribus.

Reſpond. &c. Ægypti Regem, qui Abrahami vivebat ætate fuiſſe a Moſe nomine Pharaonis nuncupatum, ut ſui temporis morem ſequeretur, quo omnes Ægypti Reges, Pharaones appellari jam diu conſueverant. Uti profecto ſolebat nominibus ſua ætate perſpectis in Sacra hiſtoria deſcribenda divinus Auctor, ut geſta quæ referebantur, facilius innoteſcerent; hac de cauſa in Cap. 14. Geneſ. ℣. 7. ait a quatuor confœderatis Regibus eſſe percuſſam univerſam Amalecitarum regionem, quamquam tempore illius belli, nondum Amalek natus eſſet, a quo nomen ſuum terra illa poſtea ſortita fuit. Nimia inſuper cum audacia veluti certum ſupponitur nullum in Ægypto regnantem ante Mundi annum 2180. appellatum eſſe Pharaonem; eccur ex Regibus Paſtoribus quiſpiam hoc non potuit ſibi aptare cognomen?

Cap. Geneſ. 13. ℣. 3. narrantur Abraham & Lot ex Ægypto in terram Chanaan reverſi, atque inter Bethel, & Hai permanſiſſe, facta autem ab invicem ſeparatione, Lot dicitur ℣. 11. elegiſſe Regionem circa Jordanem, atque ab Oriente receſſiſſe; Quis tamen in Sacra Geographia hoſpes adeo ut neſciat Jordanem eſſe prorſus orientalem ad Bethel, & Hai, proindeque Lot circa Jordanem progredientem non receſſiſſe ab Oriente, ſed illuc acceſſiſſe?

Reſpond. &c, nonnulli præpoſitionem *min* ſæpe in hebraico idiomate uſurpari pro latina præpoſitione *verſus*, unde ſenſus divini textus in hoc caſu foret quod receſſerit Lot, ideſt perrexerit verſus Orientem. Si tamen accuratiores Tabulæ Geographicæ inſpiciantur, eſto Sodomorum planities ad Auſtrum Bethel exiſteret, flectit nihilominus ad Occidentem pluſquam Bethel, & Hai; Jordanis pariter tractus, quamvis orientalis eſſet Bethel & Hai, vergebat tamen ad Occidentem, præſertim in agro Sodomorum, ut in ſua Tabula topographica Terræ Sanctæ Tobias Corradus Lotter, aliique Geographi deſcribunt. Alii tandem, ajunt Lot non receſſiſſe ab Oriente abſolute conſiderato, ſed ab Oriente Bethel, ubi cum Abraham fixerat tentorium, ut patet ex ℣. 8. *Cap.* 12. Quocumqae igitur perrexerit Lot, ſemper ab Oriente Bethel diſceſſiſſe compertum eſt, ſi in Sodomis habitavit.

Plura in Cap. 14. Geneſeos referuntur, (8) quæ vix probabilitatis aliquid præſeferre queunt. Quatuor Reges, qui innumeros jam populos ſubjugaverant, profligati referuntur ab Abraham, cum ſolis trecentis decem, & octo vernaculis. Eoſdem Abraham legitur perſecutus uſque Dan, ſcilicet ultra 150. milliaria italica, quin tamen ipſi vel tantiſper in eum ſeſe converterint; quatuor tandem illorum Regum ad invicem fœderatorum regiones, diſſitæ ab invicem adeo deſcribuntur, ut vix in unum Reges illi conveniſſe intelligi queant.

Reſp. hujuſcemodi oppoſitiones jam alibi fuiſſe eliminatas. De itinere quippe Abrahæ contra quatuor Reges diſputavit Fraſſenus ad Pag. 417. Voluminis 1. Diſquiſ. de Regionibus eorumdem ad Pag. 236. ejuſdem Volum. in notis dictum eſt.

Cap. 17. Geneſeos ℣. 14. exterminatio (9) de populo Dei illis indicitur quorum præputii caro non fuerit circumciſa. Contrarium nihilominus in Joſue 5. ℣. 5. reperimus, cum populus in deſerto natus hujuſcemodi ſtigmate per annos quadraginta deſtitutus permanſerit, nec tamen eſſe Dei populus unquam deſierit.

Reſp. Circumciſionis præceptum juſtis de cauſis apud Hebræos omitti ad tempus potuiſſe, ſeu differri ejus ſatisfactionem. Cum autem in deſerto ad motum nubis moveri, iterque proſequi teneretur populus, qui ſtationis tempus penitus neſciebat, dum ca-

ſtrametabantur, hinc itineris tempore ſactam illam diſtalere cæremoniam, ut quacumque hora ad iter agendum eſſent idonei.

Cap. 18. Geneſ. ℣. 20. dicitur Deus deſcendiſſe in Sodomorum Civitatem, ut videret an opere compleviſſent iniquitates ſuas. Nonne Dominus de Cœlo proſpicit ſuper filios hominum, ut in Pſalmis 52. ℣. 3., & 79. ℣. 15. legimus? Nonne Deus immenſus, proindeque cuilibet loco intime præſens?

Reſp. Multoties in ſacris literis de Deo ita loqui Divinum Spiritum intelligimus, ac ſi de homine ſermonem haberet. Pedes eidem, manus, oculi, aures tribuuntur, quamvis ſpiritus quantitate, figurave quacumque deſtitutus ſit, ut ejus nobis innoteſcant operationes = More quippe humano, ſcribit S. Auguſtinus quæſt. 39. in Geneſim, Deus in Scripturis ad homines loquitur, & ejus iram noverunt ſine perturbatione ejus intelligere, qui noverunt. Solemus etiam ſic minaciter loqui: Videamus ſi non tibi facio: aut videamus ſi non illi facio: &, ſi non potuero tibi facere: vel ſciam, ideſt hoc ipſum eaperibor, utrum non poſſim: quod comminando non ignorando dicitur.... Mos autem humanæ locutionis & uſitatus eſt, ut humanæ infirmitati congruat, cui Deus coaptat locutionem ſuam = Si igitur verba illa Cap. 18. Geneſeos non dubitantis, ſed iraſcentis, & minantis Dei eſſe ſupponamus nullam difficultatem involvunt. Deus utique immenſus, cuilibet loco intime præſens, ſed Abrahæ Angelus Dei, non Deus ipſe loquebatur. Quo autem ſenſu Deus deſcendere, atque ignorare in ſacris literis adſirmetur explicat Origenes Homil. 4. in Geneſim.

Capite 22. ℣. 5. Geneſeos promiſit Abraham reverſurum cum filio, facta ſacrificii oblatione, & adoratione. Hæc autem promiſſio conciliari non poteſt cum Dei præcepto ℣. 2. expreſſo, quo Abraham filium ſuum immolare compellebatur.

Reſp. Perſuaſum Abrahæ fuiſſe, quod Deus potens erat ad reſtituendam Iſaacho vitam, ut docet Apoſtolus ad Hebræos Cap. 11. ℣. 19. indeficientem enim Dei promiſſionem exiſtimabat, qua ſpoponderat Deus ipſe innumeros poſteros ex Iſaacho naſcituros, ita S. Auguſtinus, & Origenes hanc difficultatem reſolvunt.

Capite 23 Geneſ. ℣. 16. emiſſe legimus Abraham ab Ephrone filio Seor agrum eum ſpelunca duplici in eo exiſtente. Contrarium eſt quod legitur Actorum 7. ℣. 16. ubi Abraham ſpeluncam emiſſe traditur ab Hemor filio Sichem.

Hujuſcemodi nodus jam in volumine 1. Diſquiſit. pag. 326., & ſeqq. diſſolutus fuit, non igitur eadem hic replicanda opinamur. Diſputatum inſuper eſt de hoc a Fraſſeno ad Pag. 197. partis 2. hujus voluminis.

Cap. 25. Geneſ. ℣. 6. Filii Agar, & Ceturæ, filii concubinarum appellantur, cum tamen Agar legitima Abrahæ uxor appelletur Cap. 16. ℣. 3. Cetura pariter uxor ejus appellatur capite iſto 25. ℣. 1. Hoc eodem capite ℣. 25. Eſau dicitur hoc nomine nuncupatus, quia rufus erat; ℣. autem 30. *Edom* dictus perhibetur a rufa coctione.

Ad primum reſpondemus: uxores ſecundarias, quæ apud antiquos retineri conſueverunt nomine concubinarum fuiſſe inſignitas, eo quod nec Matresfamilias unquam eſſent, nec eorum filii rerum patris potirentur. Videatur hac de re pagina 164. hujus voluminis parte 2.

Ad ſecundum reſpond. Eſau triplici nomine fuiſſe donatum, primo *Eſau* quo *factura*, ſeu *perfectio* ſignificatur, unde R. Salomon putat eum ita dictum quod prodiit tam perfectus in pilis, ac ſi filius aliquot annorum extitiſſet: ſecundo *Edom* fuit dictus a coctione rufa: Tertio *Seir*, ideſt piloſus; diverſis ergo de cauſis diverſa nomina ſortitus fuit.

Cap. 26. Geneſ. ℣. 34. Eſau in uxores accepiſſe narratur Judith filiam Beeri Hethæi, & Baſemath filiam Elon ejuſdem loci. Contrarium enarrari videtur Cap. 35. Geneſ. ℣. 2., ubi Eſau uxores dicuntur Ada filia Elon, & Baſemath filia Iſmaelis. Capite autem 28. ℣. 9. narratur Eſau duxiſſe Maheleth filiam Iſmaelis, quomodo ergo Baſemath hæc Iſmaelis filia alibi dicitur, ſi Baſemath filia erat Elon Hethæi?

Reſp. ex Cornelio a Lapide can. 19. in Pentateuchum Viros, & mulieres apud Hebræos, aliaſque gentes, ſolitos fuiſſe pluribus nominibus appellari, ſicuti & apud nos ipſos adhuc in more eſſe conſpicimus; in progreſſu autem Hiſtoriæ ſacri Auctores modo una modo altera appellatione uti conſueverunt. Ada propterea, & Baſemath una erat, eademque fœmina, filia Elon, ut patet ex ℣. 2. Capitis 36. Altera pariter Chananæa mulier, quæ cum Eſau nupta eſt duo nomina habuit Judith nempe, & Oolibama, ut patet ex citatis Geneſis locis. Filia denique Iſmaelis ab Eſau deſponſata duplici nomine & ipſa appellabatur *Maheleth*, ſcilicet, atque *Baſemath*, ut ex ℣. 9. Capitis 28. & ex ℣. 3. Cap. 36. compertum eſt. Hæc autem omnia ea Cap. 36. Geneſeos ubi Eſau poſteri recenſentur, confirmari poſſunt ne quippe confunderentur generationes, ſacer Hiſtoricus his conſtanter tribus uſus eſt nominibus, pro uxoribus Eſau; *Ada*, *Baſemath*, & *Oolibama*, pro *Baſemath* filiam Iſmaelis conſtanter intelligens, filiam autem Elon, Ada ſemper appellat, & nunquam *Baſemath*, eſto eodem etiam nomine donata eſſet. Oolibama autem, quæ eadem eſt ac Judith, dicitur Cap. 26. ℣. 34. filia Beeri Hethæi, Capite vero 36. ℣. 2. filia Anæ filiæ Sebeon Hevæi nuncupatur, quia duplici nomine eadem perſona *Beeri* videlicet, & *Ana* vocabatur, vel quia fortaſſis *Ana* eſt nomen Matris Oolibama, illa autem *Ana* filia fuit Sebeon Hevæi, qui eamdem in matrimonium tradiderat Beeri Hethæo; hæc profecto explicatio cum Vulgatæ noſtræ lectione congruentior reperitur; atque per eamdem, quomodo Oolibama, ſeu Judith dicatur Cap. 26. Geneſ. filia Beeri Hethæi, Capite autem 36. filia Anæ

He-

Heveæ gentis propaginis appelletur, intelligimus.

(10) Capite 32. ℣. 11. Geneſ. legimus Jacobum Deum eſſe deprecatum ut de manu Eſau erueretur, valde quippe eum timebat. Oppoſitum habetur Capite 33. Geneſ. ℣. 10. ubi Jacob proteſtatur ſe vidiſſe vultum Eſau, quaſi vultum Dei. ℣. 24. ejuſdem Capitis 33. legimus = Vir luctabatur cum eo = non congruere lectio iſta videtur, cum ℣. 28. in quo legimus Jacobum cum Deo eſſe luctatum, Oſeæ autem Capite 12. ℣. 4. cum Angelo.

Reſp. Merito, & jure trina appellatione luctantem cum Jacobo fuiſſe donatum Angelus quippe revera fuit in ſubſtantia, Deus, pro ut eum repræſentabat homo autem in figura, quia ſub humana ſpecie ſeipſum exhibebat. Novum non eſt quod Angeli Dei vicem gerentes, in Scripturis Sanctis Dei nomine appellentur. Ad primum autem reſpondemus, quod prius Jacob Eſau iratum timebat, ſecundo autem libentiſſime eum vidit placatum.

Geneſis Cap. 33. ℣. 20. dicitur Jacob ſuum fixiſſe tentorium in agro prope Sichem, quæ eſt borealis ad Bethel. Contrarium legimus Cap. 35 Geneſ. ℣. 1. Dixit quippe Deus ad Jacob = aſcende Bethel = quis autem neſciat Bethel eſſe auſtralem ad Sichimitarum regionem? non ergo aſcenſurus, ſed deſcenſurus erat Jacob, ut Bethel proficiſceretur ſicut Jordanis deſcendit progrediendo a Borea in auſtrum per terram Chanaan.

Reſpondet Abulenſis oppidum nomine Bethel extitiſſe ad fineo montis Garizzim, Sichem autem cum ſita eſſet in planitie, aſcendere compellebatur Jacob ut eo perveniret. Hujuſcemodi tamen oppidulum cum idem non eſſet cum Luza, ad quam perveniens Jacob erexit Altare, ut patet ex ℣. 6. Capitis 35. non videtur Toſtati reſponſio difficultatem evertere. Probabilius itaque eſt, quod Deus aſcendere juſſerit Jacob, non deſcendere, quia Bethel in loco excelſo cum eſſet quamvis ad auſtrum Sichem, tunc autem Jacob in planitie commoraretur, optime ei dicitur ut aſcendat, quamvis ad meridiem eſſet progreſſurus; ad auſtralem etenim plagam alicujus loci montes, & colles eſſe cum poſſint, aſcendiſſe dicitur qui ad eorum culmen contendit, eſto a Borea ad auſtrum iter confecerit. Meliorem tamen unuſquiſque amplectatur reſponſionem, ſi ei præſto fuerit.

Geneſis Cap. 34. ℣. 30. Simeon, & Levi ab Jacob increpantur, quod Sichem occiderint ejuſque ſubditos exterminaverint. Contrarium hoc ei, quod Judithæ Cap. 9. ℣℣. 2. & 3. legitur, omnino videtur; ibi enim Deus dicitur dediſſe gladium Simeonis in defenſionem alienigenarum; eoſdemque eſſe zelatos Zelum Dei.

Reſp. Hujuſcemodi difficultatem, atque ſpecie tenus antilogiam eſſe reſolutam a Fraſſeno ad pag. 244. ſecundæ partis hujus voluminis. Zelum profecto Simeonis, & Levi ad honorem Dinæ vindicandum laudabile fuit, modum tamen eorum, & exceſſum increpavit Jacob.

Capite 37. ℣. 10. Jacob dixiſſe narratur filio ſuo Joſeph = Num ego, & Mater tua adorabimus te ſuper terram? Notum eſſe cuilibet minime ſmhigimus Matrem Joſeph diu antea in Ephrata dum Benjamin erat paritura, ſupremam horam incurriſſe. Verſu pariter 36. ejuſdem Capitis Puthiſar Eunuchus appellatur, qui ℣℣. 7., & 16. Capitis 39. uxorem habuiſſe perhibetur.

Ad primum reſpondent Abulenſis, & Lyranus eo in loco nomine Matris eſſe intelligendam Bala Rachelis ancillam, quæ Rachele mortua, in locum nutricis, & matris ſuffecta eſt.

Ad ſecundum dicimus: eſſe omnibus manifeſtum, quod Eunuchorum nomine non ſemper Spadones intelliguntur, ſed qui in Regum aulis, præcipuis fungebantur muneribus.

Geneſis Cap. 40. ℣. 19 legimus dixiſſe Joſeph = auferet Pharao caput tuum = Verſiculo autem 22. de eodem dicitur homine = & ſuſpenſus eſt = Nunquid idem capite truncari, & ſuſpendi?

Reſp. inter idiotiſmos hebraicæ linguæ & hunc etiam reperiri, ut una pars hominis pro toto homine uſurpetur; itaque *tollet caput tuum* idem eſt, ac tollet teipſum, occidet te.

(11) Capite 47. Geneſeos legimus Jacob adoraſſe Deum converſus ad lectuli Caput. Contrarium docet Apoſtolus Hebræor. 11. ℣. 21. ubi ait a Jacob adoratum eſſe faſtigium virgæ ejus Joſephi videlicet filii ſui.

Reſp. Expoſitores ſacri uttamque lectionem eſſe veram: hebraica quippe vox cum diverſis vocalibus punctis diverſa ſignificat; ſi enim legatur *mitta*, lectulum indicat; ſi vero *matte*, virgam ſonat. Jacob autem habita a Joſepho ſponſione, quod in terra Chanaan cum ſuis majoribus ſepeliretur Deo gratias agens, eum adoravit, ſimulque adorationis ſeu gratiarum actionis ſignum dedit filio ſuo faſtigium ſcepteri ejus oſculando. Reſponderi poteſt ulterius, non unam eamdemque adorationem ſignificari per textum Geneſeos, & Apoſtoli verba, ſed diverſas omnino, ut Apoſtoli locum legenti fit palam.

(12) Cſpite 49 Geneſ. ℣. 7. Moriens Jacob nullam benedictionem Simeoni, & Levi eſt impertitus, & nihilominus ℣. 28. omnibus, & ſingulis filiis ſuis benedixiſſe fertur benedictionibus propriis ℣. 10. ejuſdem capitis 49. non fore auferendum ſceptrum de Juda promittitur, donec Meſſias adveniſſet: Contrarium tamen demonſtravit eventus, cum pluries omni prorſus dominatu expoliati fuerint Judæi temporibus captivitatum præſertim, diuque ante Chriſti ortum alienigenæ jam eiſdem dominarentur. Meſſias tandem appellatur ibidem *expectatio gentium*. Quomodo autem expectare poterant, quem non agnoſcebant, ut docet Apoſtolus ad Epheſios cap. 3. ℣. 5. ubi ſcripſit miſterium Chriſti aliis generationibus minime fuiſſe

fuiſſe agnitum filiis hominum ſicuti nunc revelatum eſt Apoſtolis? Nec tandem Simeon, & Levi diſperſi ſunt, ut comminatus eſt Jacob ℣. 7. Capitis hujus.

Reſp. ad primum cum Lyrano, & Abulenſi Quæſt. 5. in cap. 49. Geneſ. diverſas eſſe actiones diſtinguendas, quas inſtante morte operatus eſt Jacob erga filios. Primo eorum unicuique, quæ futura erant prophetico ore enunciavit, hinc Levi, & Simeoni diſperſionem per terram Iſrael prædixit. Secundo autem ſingulis eorum peculiari benedictione bona animæ, & corporis eſt imprecatus, quamvis formam benedicendi Scriptura non memoret, quia non omnia, quæ geſta ſunt, diſtincte narrantur. Dici etiam poſſet cum S. Chryſoſtomo, & Lipomano prædictiones cuilibet factas eſſe ipſas benedictiones, unde correctionem paternam Simeoni, & Levi factam vere benedictionis inſtar habendam eſſe,

Ad ſecundum dicimus nunquam e domo Iſrael integram judicandi poteſtatem fuiſſe ſublatam, donec Chriſtus advenerit, ut Sacri Commentatores ad hunc locum oſtendunt; in Captivitate quippe Babylonica judiciaria poteſtas apud Judæos ſuperextitit, ut patet ex Danielis libro in cauſa Suſannæ, quæ ad mortem per Judices Iſraelis damnabatur. Joachim inſuper non deſiit eſſe Rex Judæorum legitimus eſto in Captivitate detineretur. Herodes tantum Aſcalonita, qui vere fuit alienigena, quamvis ſuper Judæos Imperium uſurpaverit, nunquam tamen pacifico, legitimoque jure poſſedit, cum Judæorum Primiores illud ſemper eidem diſputaverint, nec uſque ad ultimum ejus vitæ annum victas dederint manus, fidelitatiſque, & ſubjectionis juramento ſemetipſos obſtrinxerint, dum ſcilicet ab aliquibus jam menſibus Chriſtus in Bethelem eſſet exortus. Videantur hac de re, qui prolixas adverſus Judæos inſtruxere diſputationes, Fraſſenus in ſua Theologia Academica Tom. 3. pag. 58. Edit. Pariſienſ. anni 1676 Laurentius Berti Lib. 25. de Theol. Diſcipl. Cap. 2; & quotquot tandem Incarnationis Dominicæ materiam pertractarunt.

Ad tertium reſpondet S. Hieronymus Lib. 2. Comment. in Epiſtolam ad Epheſios his verbis „ Aut igitur illud eſt reſpondendum,
„ quod caute Paulus, ſignanterque teſtatus
„ ſit, filiis hominum ignotum fuiſſe My-
„ ſterium, non filiis Dei, ad quos loqui-
„ tur... quod ſcilicet hi, qui ſpiritum ado-
„ ptionis, acceperint, de quibus Patriar-
„ chæ, & Prophetæ fuerunt, Dei ſcierint
„ Sacramentum. Aut ſi hoc non recipi-
„ tur, & nimium violentum, & coactum
„ videtur, illuc ſermo tranſibit, ut dicat
„ non definite, & generaliter dixiſſe Pau-
„ lum aliis generationibus ignotum fuiſſe
„ omnino Domini Sacramentum; ſed ſic,
„ quomodo nunc revelatum eſt Sanctis ejus,
„ & Apoſtolis neſciſſe Patriarchas veteres,
„ & Prophetas; aliud eſt enim in Spiritu
„ ventura cognoſcere, aliud ea cernere ope-
„ re completa „ Non igitur penitus ignorabant, qui venturum expectabant Redemptorem, ſed non eum ſciebant evidenter ſicut Apoſtoli. Quantum vero ad gentes pertinet, quæ Chriſtum venturum neſciebant omnino; reſpondent Commentatores appellari *gentium expectationem*. Chriſtum per quamdam catachreſim, quaſi dixerit = Gentes poſtquam Chriſtum audierint atque cognoverint, ita avide eum amplectentur, atque recipient, quaſi ſemper eumdem expectaverint; omnis quippe rationalis creatura id avidiſſime deſiderare exiſtimatur, quod ei ſumme bonum, & utile eſt. Simeon tandem, & Levi diſperſi fuerunt in Iſrael; Levitæ quippe nullam in terra promiſſionis conſecuti ſunt ſortem, ſed per omnes Tribus habitare debuerunt. Simeonis autem filii portionem quamdam terræ in medio Tribus Judi obtinuere, ut patet ex Cap. 19. Joſue ℣℣. 2. & 9. Cum autem aliquantulum multiplicarentur eorum pars in Gador, altera in Seir abire compulſa eſt, ut patet ex I. Paralip. 4. ℣℣. 27. 39. & 42. Scribæ tandem & Legiſperiti ex Tribu Simeon oriundi per univerſum Iſraelem non minus, quam Sacerdotes, & Levitæ diſperſi ſunt. Nulla ergo antilogia, nullumve inconveniens in Sacrarum ſcripturarum textibus Libri Geneſeos reperitur W.

CAPUT II.

Ex libris Exodi, Levitici, Numeri, & Deuteronomii.

§. I.

(1) CAP. XIV. v. 13. *Ægyptios quos nunc videtis, nequaquam ultra videbitis uſque in ſempiternum:* At v. 31. *Et viderunt Ægyptios mortuos ſuper littus maris*. Reſpond. Iſraelitas non vidiſſe amplius Ægyptios vivos & perſequentes; ſed in aquis ſuffocatos & mortuos, quorum cadavera ad littora maris ejecta, in argumentum erant
(2) victoriæ Dei pro Iſraelitis pugnantis, & eorum hoſtes expugnantis. (2)

Cap. XX. v. 5. *Dominus Deus tuus, fortis, Zelotes viſitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem.* Militat cum hoc Ezech. XVIII. v. 20. *Filius non portabit iniquitatem patris, &c.* Reſp. Prior textus intelligitur de filiis qui iniquorum patrum impia veſtigia ſectantes, eorum pravitatem æmulantur: poſterior vero de filiis qui parentum iniquitatem & malitiam averſantur.

Cap.

Cap. XX. v. 24. *Altare de terra facietis mibi*: contradicit huic cap. XXVII. v. 1. *Facies & altare de lignis Setim*. Reſp. Duplex erat altaris pars, interior & exterior: illa e terra, hæc e lignis Setim conſtabat.

Cap. XXI. *Reddet animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, &c.* Proſcribitur per hæc Chriſti D. verba Matth. V. v. 38. *Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam præbe ei & alteram, &c.* Reſp. Loquitur Moſes de judicio publico Magiſtratus quem de reddenda ad æquitatem juſtitia & ſecundum Juris & Legis apices, informat: Chriſtus vero de homine privato, qui ſi ad Evangelii normam ſeſe conformare cupiat, non debet vim vi repellere, ſed vincere in bono malum, & in patientia ſua poſſidere animam ſuam. (3)

(3) Cap. XXXI. v. 18. *Deditque Dominus Moyſi.... duas tabulas teſtimonii lapideas ſcriptas digito Dei*; Et cap. XXXII. v. 16. *Scriptura quoque Dei erat ſculpta in tabulis*; quibus ſignificatur Deum ſeipſo aut Angelorum miniſterio tabulas Legis inſcripſiſſe: At cap. XXXIV. v. 28. De Moſe dicitur *ſcripſit in tabulis verba fæderis*. Reſpondet S. Auguſtinus [a] priores textus intelligi de prioribus tabulis digito Dei exaratis, quas Moſes ob adorationem vituli aurei indignabundus confregerat: poſteriorem vero de reparatis aliis tabulis quas dictante Deo Moſes ipſe deſcripſit: At poſteriores hæ tabulæ dicuntur etiam ſcriptæ digito Dei. Exodi XXX. v. 1. & Deuteron. X. v. 4. Reſpondent alii, poſteriores tabulas dici a Deo ſcriptas, quod ejus mandato & dictamine fuerint exaratæ: a Moſe vero, quod Dei dictantis verba exceperit & inſculpſerit, At hac eadem ratione univerſa Scriptura ſacra dici poſſet ſcripta digito Dei. Eis itaque conſentio qui verbum (*ſcripſit*) cap. XXXIV. v. 28. non ad Moſem ſed ad Deum referunt. Nec adverſatur quod verſu 27. antecedente jubetur Moſes ſcribere; nam hoc non ſpectat ad Legis tabulas, ſed ad præcepta quæ prius referuntur. Unde ſignanter Moſi ait Deus *ſcribo tibi verba hæc, &c.* Quamobrem, quæ ipſe ſcripſerat, illa in medio verſus concluduntur per accentum Atnach: igitur verbum conſtruendum eſt cum nomine remotiori ארם quod in primo verſus ſegmento ponitur; ac ſubinde hic repetendum aut ſubaudiendum eſt
(4) nomen יהוה. (4)

[a] lib. 5. de com. ca. 15. in Deut.

Ex Levitico.

§. II.

CAP. II. v. 1. *Anima cum obtulerit oblationem ſacrificii Domino, ſimila erit ejus oblatio, fundetque ſuper eam oleum & ponet thus*: cujus contrarium mandatur cap. V. v. 11. *Offeret pro peccato ſuo ſimilæ partem ephi decimam; non mittet in eam oleum nec thuris aliquid imponet*: quod iteratur Numerorum V. v. 15. *Reſp.* Duplex hic commemoratur ſacrificii genus: aliud Euchariſticum & gratiarum actionis, pro beneficiis acceptis: aliud Expiatorium & ſatisfactionis pro peccatis: in priori oleum & thus, benignitatis & venerationis ſymbola, gratiſſima habet Deus; at illa prohibet in poſteriori, in ſignum ſuæ averſionis a peccato.

Ibidem v. 11. *Omnis oblatio quæ offeretur Domino abſque fermento fiet*: At cap. XXIII. v. 17. *Offeretis ſacrificium novum Domino... panes primitiarum duos de duabus decimis ſimilæ fermentatæ*. Reſp. Duo pariter hic deſignantur ſacrificia, alia quæ fiebant voluntarie & in ſignum venerationis: alia quæ præcipiebantur in gratiarum actionem: a prioribus arcetur fermentum quod eſt hypocriſis & in ſinceritatis ſymbolum, dicente Chriſto D. Matth. XVI. v. 6. *Cavete a fermento Phariſæorum quod eſt hypocriſis*: ut admonerentur Judæi, ſacrificia non eſſe offerenda ad pietatis oſtentationem: tametſi non recuſaverit Deus oblationem ſimilæ fermentatæ in ſignum gratitudinis ob conceſſa ad victum neceſſaria. (5) (5)

Cap. XVIII. v. 16. *Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis*: At Deuter. XXV. v. 5. *Fratris defuncti uxorem accipiet frater ejus, & ſuſcitabit ſemen fratris ſui*. Reſp. Prioribus verbis prohibetur ducenda uxor fratris aut viventis dum ab eo repudiatur; aut mortui, quando ille poſteritatem & filios habet. Poſterioribus autem, hoc poſtremum conceditur ad ſuſcitandam fratris abſque filiis mortui familiam; unde ſpecialis hæc Lex, illius generalis eſt exceptio. (6) (6)

Ex Libro Numer.

§. III.

CAP. II. v. 17. Præcipitur ut tabernaculum & Arca Dei *deferantur in medio caſtrorum* dum proficiſcerentur. At cap. X. v. 33. Legimus *Arca fæderis Domini præcedebat eos per dies tres providens caſtrorum locum*. Reſp. In priori textu ſignificatur ordinaria Arcæ deportatio & conſiſtentia in Medio caſtrorum, quatenus omnes Tribus ratum haberent ſibi divinum ex æquo adeſſe Numen, & pari cultu & obſervantia Deum ſibi præſentem venerarentur: in poſteriori explicatur extraordinaria Dei diſpoſitio & ſanctio qua ſemel voluit ut Iſraelitarum e Monte Sinai recedentium Arca itinere trium dierum præcederet caſtra tum ad deſignandam eis viam qua pergerent: tum ad firmandos eorum animos atque ſignificandum nihil eis ab hoſtibus eſſe timendum. (7) (7)

Cap. IV. v. 3. Præcipitur Levitis ut *a trigeſimo anno & ſupra uſque ad quinquageſimum annum ſtent & miniſtrent in tabernaculo fæderis*. At I. Paralip. cap. XXIII. v. 3. & 24. Levitæ dicuntur *feciſſe opera domus Domini a viginti annis & ſupra*. Numer. autem VIII. v. 24. *A viginti quinque annis*. Reſp. Multiplex fuiſſe Levitarum munus: nam alii aut inſerviebant ſenioribus, aut officia inferiora exequebantur: alii deputabantur ad militarem templi cuſto-

diam

diam: alii denique Sacerdotibus manus dabant in ſacrificiis & aliis ſacris officiis exequendis. Ad primum munus idonea erat ætas 20. annorum: ad ſecundum requirebatur annus 25. tranſactus: ad tertium de
(8) ſiderabatur annus trigeſimus. (8)

Cap. XII. v. 1. *Locutuſque Maria & Aaron contra Moyſem propter uxorem ejus Æthiopiſſam*: At hæc Exod. II. v. 21. dicitur *filia Sacerdotis Madian*. Reſpondent
a lib. 2. Antiq. cap. 10. aliqui cum Joſepho [a] Moſem duas habuiſſe uxores, unam filiam Raguelis Madianitarum Sacerdotis, nomine *Sephoram*: aliam filiam Regis Æthiopum dictam *Tarbiu*. Verum iſtud commentitium omnino videtur, quippe cum hujus uxoris nulla prorſus in Scriptura ſacra fiat mentio; neque alii commemorantur filii Moſis quam quos ex Sephora ſuſcepit. Unde *Reſpondeo* hanc dictam eſſe *Æthiopiſſam*, non ab Æthiopia Occidentali & Africana quæ jacet ſub Zona torrida: ſed Orientali quæ poſterioribus temporibus dicta eſt *Arabia*, hebraice *Cuſch*; compleċtiturque non ſolum Madianitas, ſed etiam eos populos qui ad Arabicum ſinum
b lib. 7. vergunt, teſtibus Herodoto, [b] Plinio [c] &
c lib. 5. c. 8. S. Auguſtino. Unde Habacuc *cap.* III. *v.* 7. eandem Madianitarum & Æthiopum Gentem ſignificans, ait: *Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ turbabuntur pelles terræ Madian*; ubi eadem natio diverſis nominibus exprimitur interprete S. Hierony-
(9) mo. (9)

Cap. XVI. v. 30. *Omnes qui numerati eſtis a viginti annis & ſupra, & murmuraſtis contra me, non intrabitis terram ſuper quam levavi manum meam ut habitare vos facerem, præter Caleb filium Jephone, & Joſue filium Nun*. At Joſue XIV. v. 1. & cap. XVII. 4. ſummus ſacerdos Eleazarus tametſi ex adultioribus, eam terram eſt quoque ingreſſus. *Reſpond.* Illam interminationem ferri tantum in eos qui ad Exploratorum terræ Chanaanidis falſam relationem, murmur & ſeditionem fecerant in Moſem. Quorum criminis cum reus non fuerit Eleazarus, & multi alii Levitæ, pari cum ſontibus pœna non debuerunt plecti. Nec officit quod v. 1. & ſequentibus cuncti filii Iſrael dicantur vociferaſſe contra Moyſem & Aaron; hæc enim vox *omnis*, limitate accipienda eſt & determinanda ad majorem partem uti eam accepit S. Paulus I. Cor. X. v. 10. *Neque murmuraveritis ſicut quidam eorum murmuraverunt & perierunt ab exterminatore*: quoſdam dicit, non omnes ad unum. Itaque vox illa (*univerſa multitudo*) ſumenda eſt reſtrictive, cum exceptione paucorum. Sic uſurpatur Exod. XXXII. v. 3. Ubi etiam dicitur, omnem populum auream contuliſſe materiam ad vitulum, cum tamen plurimi Levitarum in Idololatriam iſtam non conſenſerint, & propterea a Deo reportarint benedictionem Exod. XXXII. v. 26. 29. & hujus ipſius expreſſam reſtri-
(10) ctionem habemus apud S. Paulum. (10)

Cap. XX. v. 26. Eleazarus Summus Pontifex adfuit Aaroni patri ſuo morienti. At Levit. XXI. 11. interdicitur Summo Pontifici ne ſit præſens cuiquam morienti, etiam patri & matri. *Reſpond.* Eleazarum, quandiu in vivis fuit Aaron, fuiſſe Summum Pontificem deſignatione tantum, nondum miniſterio & officio, quamobrem ſacras Pontificatus veſtes eum induit Moſes Aarone mortuo, uti præceperat Deus, *ibid.* illa autem prohibitio, quæ eſt in Levitico, ſpectat tantum ad ſummum ſacerdotem actu ſuo
munere defungentem. (11) (11)

Cap. XXII. v. 12. *Dixit Dominus ad Balaam, noli ire cum eis*. At v. 20. *Surge & vade cum illis*. v. 35. *Vade cum iſtis*. Reſp. Deum noluiſſe primum ut Balaam iret maledicere populo Iſraelitico; tandem ob duritiam cordis ire ipſi permiſit cum diſplicentia, ea Lege ne quid loqueretur aliud, quam
quod præceperat ei. (12) (12)

Cap XXVII. v. 12. *Aſcende in montem Abarim & contemplare inde terram*. At Deut. XXXIV. 1. *Aſcendit Moſes ſuper montem Nebo in verticem Phaſga, &c.* Reſp. Abarim montem eſſe: Nebo & Phaſga vertices ejus. Differunt itaque ut pars & totum,
locus integer, & membrum. (13) (13)

Ex Deuteronomio.

§. IV.

CAP. II. v. 19. *Non dabo vobis de terra filiorum Ammon, quia filiis Loth dedi eam in poſſeſſionem*. At Joſue XIII. 24. 25. *Dedit Moyſes Tribui Gad..... dimidiam partem terræ filiorum Ammon*. Reſpondeo regionem quam Moſis tempore poſſidebant Ammonitæ, retinuerunt ex integro: At ea regionis pars jam pridem a Sehone Rege Amorrhæorum occupata, diſtributa fuit in-
ter Iſraelitas. (14) (14)

Cap. XV. v. 4. *Indigens & mendicus non erit inter vos*. At ibid. v. 11 *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ*. Reſpond. Priori textu Moſem non prædicere nuſquam inter Hebræos fore pauperes, ſed hortari Judæos, ut ſua liberalitate & miſericordia in fratres, efficiant, ne quis eorum egeat, & illas in anguſtias agatur ut ad victum neceſſaria mendicet: quamobrem poſteriori loco adjicit *idcirco ego præcipio tibi, ut aperias manum fratri tuo egeno & pauperi qui tecum verſatur in terra*. Itaque in his duobus textibus præcipitur Judæis, vel ut fratrum ſuorum egeſtatem futuram, ſuis eleemoſynis præcaveant, vel ut præſentem
ſublevent. (15) (15)

Cap. XVII. v. 17. *Rex non habebit uxores plurimas quæ alliciant animum ejus, neque argenti, & auri immenſa pondera*. At ex primo Reg. conſtat Davidem & Salomonem habuiſſe plures uxores & argenti & auri immenſam copiam. *Reſpond.* Interdicitur Regi uxorum pluralitas ſicut & nimia divitiarum copia, quæ ejus animum ad nefarias voluptates alliciant, atque a Dei cultu revocent, uti contigit Salomoni: non vero quæ diſſeminando generi humano & publicæ regni utilitati inſerviant. Reges enim ad ſuperbiendum, cum injuria ſubditorum ar-

genti

genti & auri pondera multa colligere non debent: alias multis pecuniis opus eſt ipſis ad Regnum & Regiam Majeſtatem conſervandam. (16) (16)

AD CAPUT SECUNDUM
LIBRI CONCILIATORII BIBLICI
SUPPLEMENTUM.

(1) CApite 3. Exodi ℣. 1. Jethro dicitur Moſis ſocer. Cognatus autem, ideſt affinis Cap. 18. ℣. 1. nuncupatur; nunquid non eadem eſt in utroque loco perſona?

Reſp. unam, eamdemque perſonam cap. 3., & cap. 18. indicari, veruntamen in Capite 3. affinitas Moſis cum Jethro in ſua ſpecie, ſeu gradu expreſſe deſcribitur, cum in cap. 18. affinitas in genere tantummodo deſignetur; Jethro profecto erat Moyſi affinis ob connubium ſuæ filiæ cum Moyſe celebratum; Hebraicus autem textus vocem [illegible] *choten* præſefert in cap. 3. Exodi, quæ affinem in genere ſignificat.

℣. 14 ejuſdem capitis 3. roganti Moyſi quodnam eſſet nomen Dei reſponſum eſt: *ego ſum qui ſum* nullo prorſus indicato nomine. Cum tamen ℣. ſequenti ſe Deus proprio appellaverit nomine, nempe Deus Abraham, Deus Iſaac. &c.

Reſpondet S. Julianus ex Auguſtino; unum ad Divinitatis pertinere naturam, alterum ad humanitatem aſſumptam. Quod enim dixit Deus Moyſi: *ego ſum, qui ſum, & qui eſt miſit me ad vos*; divinitatis ſubſtantiam ſignat. Quod autem dicit: *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob* myſterium ſuſceptæ Incarnationis inſinuat, quia de illis ſecundum carnem generatus agnoſceretur, quorum nomina ſub Sacramento hic poſuiſſe cognoſcitur.

Capite 6. Exodi legimus = Ego Dominus, qui apparui Abraham, & Iſaac, & Jacob, & nomen meum Adonai non indicavi eis = Contrarium palam conſtat ex variis Geneſeos textibus, in quibus traditur pluries a Patriarchis invocatum eſſe Dei nomen *Adonai*; quinimmo & ipſe Deus Jacob ſuum nomen indicavit Geneſis cap. 28. ℣. 13. dicens = Ego ſum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Iſaac. =

Reſp. Deum non indicaviſſe nomen ſuum, Patriarchis per ſigna, & miracula, quæ patraturus erat per Moyſem; ſed tantummodo eiſdem innotuiſſe per viſiones, & ſomnia, ſemper promiſſionis terram ſpondens eiſdem, nunc autem in facto traditurus = Ego ſum Dominus, inquit, qui apparui Abraham, Iſaac, & Jacob in Deo omnipotente; & nomen meum *Adonai* non indicavi eis = hoc eſt: promiſi quidem Patribus terram Chanaan, nondum tamen implevi hanc promiſſionem, nunc autem impleturus ſum, ut confirmetur veritas nominis mei, quo dicor *Adonai* ideſt *conſiſtens*, *conſtans* & verax in promiſſionibus meis.

Alii reſpondent vetuſtiores Patriarchas fugiſſe mirabile illud Dei nomen *Jehova*, quod Moyſi revelatum eſt, Deumque ſolummodo ab eis appellatum fuiſſe *Adonai*, *Elohim*, & *Saddai*. Quod autem in libro Geneſeos nomen Dei Patriarchis nondum revelatum legamus, id ex eo derivandum fortaſſis, ajunt, quod Moſes librum iſtum poſt egreſſum de Ægypto conſcripſerit, ac propterea in recenſendis Patriarcharum geſtis, nomen Dei magis proprium uſurpare voluerit, quod ei jam indicatum erat, ſenſum nobis legitimum tradens, verborumque rigorem omittens. Novum profecto non eſt apud Moſen iis uti nominibus etiam locorum, quæ ſua ætate erant in uſu, quamvis dum geſta, quæ narrat, acciderent, non iis appellarentur nominibus loca, quæ in hiſtoria recenſentur.

Exodi cap. 7. ℣. 3. a Domino cor Pharaonis iri legimus induratum. Capite 10. ℣. 16. quomodo vere potuit aſſerere Pharao ſe peccaſſe in Dominum Deum?

Reſp. Ex Auguſtino quæſt. 18. in Exodum. Aliud eſt loqui de cauſis, quibus exiſtentibus animus ex arbitrio voluntatis abutitur in malum, ſicque per eaſdem redditur, qualem eum invenerint jam factum propriis vitiis, & ex præterita voluntate. Aliud eſt loqui de prava animi diſpoſitione, per quam quis fit ex iis deterior, per quæ fieri melior & emendari debuerat. Cauſas ponere, per quas in bonum flecti poſſet humana voluntas, ſi habitibus pravis ligata non eſſet; & per quas talibus devicta catenis in pejus dilabitur, in Dei occulta providentia univerſum, quod condidit, diſponente, & adminiſtrante repoſitum eſt. Indurat igitur Deus, hoc eſt indurari permittit cor jam excæcatum, cauſas nonnullas ponendo, ex quibus cor iſtud ad meliora converti potuiſſet; peccat iterum cor prave diſpoſitum in venena mortis ſibi convertens, quæ medicamina ad vitam eſſe potuerant. Pharaonis animum Deus juſtiſſimis pœnis in bonum excitare ſategit, ſed quia in malum ex iis prolapſurus agnovit, ideo, inquit, *indurabo cor Pharaonis*, ideſt occaſionem proponam, qua indurabitur. Pharao pariter in Dominum Deum commiſiſſe ſe dicit, quia ex arbitrii libertate Dei præcepto ſeſe refragatum agnovit.

Exodi cap. 10. ℣. 21. Tenebræ ſuper terram adeo denſæ leguntur immiſſæ, ut palpari potuerint. Nunquid tenebræ in mera lucis privatione non conſiſtunt? quomodo ergo palpabiles?

Reſp. primo hanc divini textus locutionem

nem hyperbolicum eſſe ad ſignificandam tenebrarum denſitatem; niſi cum aliquibus dicamus ingentem nebulam, atque caliginem tenebras inducentem hoc in loco pro tenebris ipſis deſcribi. Quocumque modo itaque textus iſte intelligatur, certum eſt nullam antilogiam, nullamque falſitatem in eodem includi.

Ad Caput Exodi 12. ℣. 2. Menſis Niſan, primus inter anni menſes jubetur admitti. Contrarium inſinuari videtur Cap. 23. hujuſce libri ℣. 16. ubi finis anni, in menſem quo fruges terræ congregantur rejicitur, qui ſiquidem menſis noſtro Septembri ex parte reſpondet, atque *Thyri* appellabatur.

Reſp. Duplex exordium in anno eſſe admittendum, ſicut duplex annus apud Judæos civilis nimirum, & ſacer diſtinguebatur; annus civilis tempore Septembris finem habebat, aut Octobris; ſacer autem, ſive Eccleſiaſticus a menſe Martio ſumebat exordium ex Dei mandato, ejuſque finis ad Februarium menſem pertinebat; de anno autem civili fit ſermo in cap. 23. ℣. 16.

In ℣. 40. Ejuſdem capitis de tempore, quo in Ægypto manſerunt filii Iſrael agitur; de hoc autem ad caput 15. Geneſeos ℣. 13. in Conciliatorio diſputatum eſt a Fraſſenio.

Eodem cap. ℣. 42. nox diem 15. Menſis Niſan præcedens obſervanda præcipitur filiis Iſrael, quia tunc eduxit eos Dominus de Ægypto. Contrarium legimus ℣. 15. in quo ſcriptum eſt = & eadem die eduxit Dominus filios Iſrael de terra Ægypti. Deuteronomii autem cap. 16 ℣. 6. exiiſſe dicuntur de Ægypto filii Iſrael veſpere ad ſolis occaſum. An nox, dies, & veſpera ſunt eadem temporis differentia?

Reſp. Ex ſacris Expoſitoribus, Abulenſi præſertim, tres illas temporis differentias, noctem videlicet, diem, & veſperam non idem abſolute tempus præſeferre; utique tamen moraliter, recenſendo nimirum, ſimulque ad invicem conſiderando tempus, quo ad exitum diſponebantur Judæi; quo a ſervitute liberati ſunt, permittente Pharaone ut diſcederent, & quo tandem diſceſſerunt revera: a veſpera itaque diei quartædecimæ Menſis Niſan inchoatus eſt exitus ab Ægypto, dum Phaſe immolabatur; media nocte dimiſſi ſunt a Pharaone, & die adveniente receſſerunt ab illa terra; unum ergo, idemque tempus moraliter eſt, quamvis non abſolute, quapropter merito educti ex Ægypto dicuntur tam veſpere, quam nocte, uc tandem die.

(2) Exodi Cap. 15. ℣. 13. ſcriptum eſt = Et portaſti populum tuum ad habitaculum Sanctum tuum =. Contrarium habetur ℣. 17. in quo legimus *in futuro* = & introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ. = An præteritum, & futurum ſunt idem tempus?

Reſp. Prophetarum more eſſe, ut, quæ futura ſunt, veluti jam præterita enuncient videantur quæ de Chriſto ſervatore Iſaias vaticinatus eſt: u ſe viſum proteſtatur S. Vates agnum illum immaculatum contumeliiſonuſtum improperiis ſaturatum, ſine ullo aſpectu, & decore, qui tamen multis annis poſtea ad humanum genus redimendum humanam carnem aſſumpſit, atque peccata hominum portavit. Ea quippe cum certitudine ſutura cognoſcunt qui Spiritu Dei prophetico aguntur, ut veluti jam facta perſpiciant. Tali agitatus Spiritu Moſes enunciavit in Cantico quæ a ℣. 11. uſque ad 17. leguntur.

Capite 16. ejuſdem Libri. ℣. 14. Manna dicitur inſtar pruinæ, albi coloris nimirum apparuiſſe. Hæc minime conſona iis reperiuntur, quæ Numeror. Cap. 11. ℣. 7. ſcriptu ſunt; coloris namque bdellii, flaveſcentis videlicet extitiſſe enarratur ibidem.

Reſp. Nullam iis in textibus antilogiam reperiri, *bdellium* quippe; teſte Munſtero, Hebræi pro Chyſtallo ſuſcipiunt. Alii putant eſſe gummi arboris, quæ naſcitur apud Arabes optimum ſpirans odorem. Alii denique gemmam albam, ſive albam margaritam eſſe *bdellium* opinantur. Plinius autem Lib. 12. Cap. 9. bdellium Bactrianum unguis colorem præſeferre ſcribit, cui & Dioſcorides Libri 1. Cap. 69 confirmat. Quæ igitur in Exodi 16. ſcripta ſunt de colore mannæ apprime cum Numer. Cap. 11. reperiuntur congruere.

Exodi Cap. 19. ℣. 6. Dixit Dominus ad populum = eritis mihi in regnum Sacerdotale = Cur ergo Petrus Apoſtolus in ſua Epiſtola 1. Cap. 2. ℣. 9. Dei populum vocat *regale Sacerdotium?*

Reſp. tempore legis gladium juſtitiæ, qui ad regalem pertinet dignitatem, primas in Dei populo tenuiſſe, tempore autem gratiæ Chriſti Sacerdotium, quod eſt pietatis, & miſericordiæ principem in populo Dei tenere locum. In novo quippe Teſtamento Dei juſtitia cedit gratiæ, & miſericordiæ, quæ triumphum præ juſtitiæ gladio reportant.

Exodi 20. ℣. 4. Sculptilia quælibet, & imagines eorum, quæ in Cœlo ſunt, vel in terra fabricari prohibentur. Contrarium legimus Exodi 25. ℣. 18. ubi facti leguntur duo Cherubim; Numer. vero 18 ℣. 8. ſerpentem æneum conflare jubetur Moſes.

Reſp. Sculptilia, & imagines a Deo fuiſſe Judaicæ genti interdictas, ne occaſio in idololatriam committendi eiſdem ex diuturna cum Ægyptiis conſuetudine ad vitium hujuſcemodi proclivibus exiſterent. Multa enim in Moſis lege inſtituta leguntur, quæ moribus Phœnicum Ægyptiorum, Arabum, aliarumve finitimarum nationum, opponuntur directe, quæque ex natura ſua aut ἀδιάφορα omnino, aut in bonum uſum converti poterant, attentis nihilominus populi Judaici inclinationibus interdicenda fuere, ne in ſcelera, eorum occaſione, ſi permiſſa fuiſſent, dilaberentur. Prohibitæ ergo fuerunt imagines, & ſculptilia in quantum ad venerationem, & cultum eis exhibendum conſtruebantur; non autem abſolute, & quatenus in alios uſus converti poterant, ſerpens itaque æneus merum fuit ſignum rememorativum eorum ſerpentum, quibus He-

Hebræi in deſerto vexabantur. Cherubim etiam ſuper Arcam exiſtentia nullam aliquando venerationem, aut cultum obtinuere.

Exodi Cap. 20. ℣. 12. Patrem, & Matrem venerari, eiſdemque honorem exhibere jubemur; quod quidem præceptum quartum in Decalogo locum conſequitur. Quare ergo Paulus in Epiſtola ad Epheſ. Cap. 6. ℣. 2. præceptum iſtud eſſe primum in lege pronunciat?

Reſp. Ab Apoſtolo Paulo hujuſcemodi præceptum appellari *primum in promiſſione*, exequentibus quippe præceptum iſtud vita longæva promittitur ſuper terram. Vel dici poteſt primum non abſolute, ſed in ordine ad ſecundæ tabulæ mandata proximorum noſtrorum ſocietatem reſpicientia.

(3) Exodi Cap. 21. ℣. 6. legimus de ſervo manumiſſo, & libertatem recuſante a Deo dictum = Erit ei (ſcilicet Domino ſuo) ſervus in ſæculum =. Oppoſitum habetur Levitici Cap. 25. ℣℣. 41. & 54. in quibus ſcriptum eſt = anno jubilæo egredietur liber =.

Reſp. S. Hieronymus in Cap. 1. ad Galat. per hanc vocem *in ſæculum*, uſque ad annum Jubilæi ſignificari, quo ſervi omnes dimittendi erant, divina præcipiente auctoritate. Notant Capnio in ſuis rudimentis hebraicis, aliique Scriptores per vocem עולם *holam* eam ſignificari temporis durationem, quam patitur materia, de qua diſſeritur; eo vel maxime quod abſque litera *Vau* hoc in loco deſcribatur cum illa etenim conjuncta æternitatem ut plurimum vox illa ſignificat. Hoc ferme pacto Hebraizantes etiam antilogiam iſtam ſpecie tenus inter prædicta ſcripturæ loca exiſtentem in concordiam revocare nituntur Munſterus, Fagius, Vatablus, Clarius, Druſius, & Grotius.

Exodi 28. ℣. 36. ſuper frontem Sacerdotis *lamina* dicitur eſſe locanda. Hæc tamen Sap. 18. ℣. 24. *diadema* Eccleſ. 45. ℣. 14. *corona* nuncupatur.

Reſp. Laminam iſtam figi debuiſſe ad Cidarim, atque ab aure ad aurem pertingebat ex parte anteriore Capitis, unde merito nomine *diadematis*, & *coronæ* aliquando nuncupatur.

(4) Exodi Cap. 33. ℣. 7. narratur fœderis Tabernaculum a Moſe ſublatum, atque procul extra caſtra erectum fuiſſe. Conſtat nihilominus ex Cap. 40. Exodi ℣. 1. & 15. tabernaculum fœderis nondum fuiſſe conſtructum, ſed anno ſequenti menſe primo erectum eſſe, & collocatum.

Reſp. In Cap. 33. nequaquam fit ſermo de Tabernaculo illo, quod nondum a Judæis erat fabricatum, ſed vel de tabernaculo ipſius Moſis, in quo Deus eidem verba faciebat, vel de altero tabernaculo, quod vices pro tunc veri tabernaculi nondum conſtructi gerebat.

℣. 11. ejuſdem Capitis Joſue, *puer* appellatur; Cap. autem Exodi 17. legimus eumdem in Amalecitica expeditione belli Imperatorem extitiſſe, ætatis autem annum quinquageſimum exceſſiſſe.

Reſp. Jam alibi a nobis dictum eſſe nomen *puer*, vel *miniſtrum*, vel *famulum*, vel *diſcipulum* ſignificare: erat itaque Moſis diſcipulus, & famulus Joſue, atque ab eodem tanquam futurus in regimine populi ſucceſſor inſtruebatur.

Eodem Cap. ℣. 20. Moſi a Deo legimus dictum = non poteris videre faciem meam, nam non videbit me homo, & vivet = Aliis in locis divini textus palam docemur oppoſitum. Numeror. etenim Cap. 12. ℣. 8. = Ore ad os loquor Moyſi (dixit Deus) & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt = Exodi pariter 33. ℣. 11. ſcriptum eſt = Loquebatur autem Dominus ad Moyſen facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum =

Reſp. Illa verba *facie ad faciem* merum eſſe hebraiſmum ſummam familiaritatem ſignificantem, hinc legit Chaldæus *verbo ad verbum* LXX. autem ἐνώπιος ἐνωπίῳ *præſens præſenti*. Eodemque pacto Munſterus, Fagius, & Vatablus. Capite pariter Numeror. 12. non per ænigmata, & ſpectra Deum cum Moſe loqui ſolere deſcribitur, ſed palam, eo ſcilicet modo, quo ab homine, vivente in hoc mortis corpore Dei majeſtas videri poteſt; ita prælaudati Scriptores hunc locum interpretantur, unicuique enim ſuaſum eſſe ſupponimus, Dei ſubſtantiam oculis corporis videri non poſſe; qua de re videantur Theologi.

Exodi 34. ℣℣. 15., & 16. quodcumque pactum cum Chananæis inire prohibentur Iſraelitæ, eorumque filias in matrimonium ducere vetantur. Quomodo ergo Deuteron. cap. 21. ℣. 11. ex mulieribus bello captis unam in uxorem ducere conceditur Hebræis? Deuteronomii pariter 20. ℣. 10. pacem offerre jubentur Iſraelitæ Civitatibus antequam eas oppugnare conentur.

Reſp. Hujuſcemodi antilogias ex ipſomet Divinæ Scripturæ exſufflari contextu, ſi integer perlegatur. Quodcumque pactum a Domino cum Chananæis prohibebantur inire filii Iſrael, non autem cum cæteris populis, ut patet ex ℣. 15. capitis 20. Deuteron. = Sic facies cunctis Civitatibus, quæ a te procul valde ſunt (ſcilicet pacem offeres), & non ſunt de his urbibus, quas in poſſeſſionem accepturus es = Mulieres pariter in bello captæ quarum una permittebatur in uxorem admitti, non de Chananæis, ſed de cæteris populis eſſe debebat, ut per ſe manifeſtum eſt; cum de habitatoribus Chanaan nullus omnino vivere eſſet permittendus, ſi de ſeptem populis multoties in Scriptura recenſitis loquamur Chanaanitidem habitantibus, ex Deuter. cap. 20. ℣. 16. Civitatum autem remotiorum pacem recuſantium omnes fuiſſe interimendos habitatores, exceptis infantibus, atque mulieribus legimus Deuteron. cap. 20. ℣. 14. Non ergo de filiabus Chanaan, quas in communi fuiſſe internicione comprehenſas, dum Civitas aliqua Chananæorum expugnabatur, compertum eſt, permiſit Deus in uxorem accipere; proindeque ℣. 16. capitis 34. Exodi nequaquam cum ℣. 11. capitis 21. Deuteron. pugnans adinvenitur, ſicuti

ſicuti neque Verſiculus 15. ejuſdem capitis Exodi, cum ℣. 10. capitis 20. Deuteronomii luctatur.

Exodi cap. 35. ℣. 2. pœna mortis infligenda enunciatur cuicumque opere aliquo ſervili functus eſſet. Apud S. Matthæum nihilominus cap. 12. ℣. 5. teſtatus eſt Chriſtus a Sacerdotibus Sabbatha in templo fuiſſe violata, quin crimine aliquo implicarentur. Libro etiam Macchabæorum primo cap. 2. ℣. 41. bellum iniri poſſe declaratum eſt.

Reſp. Illicita die Sabbathi ea fuiſſe opera certum eſt, quæ per anticipationem die veneris impleri, vel per tranſpoſitionem ad Sabbathi poſtridie reduci poterant; minime tamen vetabantur in Sabbatho, quæ altera die, vel præveniri, vel differri non potuiſſent; hinc Sacerdotes in Templo juge ſacrificium citra peccatum operabantur, & Macchabæi impios aggreſſores in Sabbatho retundebant; hujuſcemodi quippe operationes in aliam diem transferre nequaquam.

Cap. 37. ejuſdem Exodi ℣. 1. Arca fœderis dicitur duos ſemi cubitos habuiſſe in longitudine. Cap. autem 25. præcedenti ℣. 10. ad duos & ſemi cubitos longitudinis constructa prædicatur.

Reſp. Apud omnes eſſe in comperto, quod Arca fœderis ad quinque longitudinis palmos fuerit extructa, ſcilicet ad duos cubitos cum dimidio, ut cap. 25. deſignatur, quamvis ad ℣. 1. capitis 37. copula & caſu exciderit ex quibuſdam Latinis codicibus; Hebræa etenim legunt [illegible] *ammathaim vachetſi orecbo duo cubiti & dimidium longitudo ejus.*

℣. 14. hujuſce cap. 37. contra coronam menſæ poſiti leguntur quatuor circuli. Capite autem 25., & 27. ſubter coronam conſtituti dicuntur.

Reſp. Subter coronam revera circulos eos fuiſſe repoſitos. Præpoſitio autem contra ſæpe pro *e regione* uſurpatur, ſive pro *ex oppoſito*, uti revera circuli illi erant, quamvis in parte inferiori menſæ corona autem in ſuperiori locata eſſet. Significat itaque hoc in loco ſacer textus, ni fallimur, circulos iſtos faciebus perpendicularibus ipſius menſæ, non fundo ejuſdem annexos extitiſſe.

(5) Levitici Cap. 11. ℣. 34. Cibus habetur immundus, ſi aqua ſuper ipſum diffuſa ſit. Quomodo autem id contingere poterat ſi ℣. 33. hujus Capitis, per aquæ infuſionem vaſa etiam, quæ immunditiam contraxerant expurgabantur?

Reſp. Cibum redditum immundum fuiſſe, ſi ſuper illum aqua ex vaſe jam contaminato, & nondum expiato diffluxiſſet; cæterum plura legali immunditia polluta per aquæ lavacrum expiabantur.

Levitici Cap. 14. ℣℣. 8. & 9. homo jubetur barbam radere, & comam, ut a lepræ immunditia liberetur. Numeror. 8. ℣. 7. Levitæ dum Domino deſtinabantur famulari in Templo per omnium pilorum carnis abraſionem conſecrari ſolebant. Contrarium poſtea Levitici Cap. 19. ℣. 27. videtur mandatum a Domino, cum radere barbam, & comam ſit vetitum Judæis.

Reſp. Jam alibi obſervatum eſt, plurima, quæ de ſeipſis erant indifferentia, fuiſſe Iſraelitico populo ob aliquas prohibita circumſtantias. Populus proclivis admodum ex indole ſua ad gentium ritus, atque ſuperſtitiones exiſtebat. Ab hac impietate, ut Deus eumdem, quo fieri poſſet arceret, quidquid cum Idololatris commune erat, atque in ruinam Judaicæ gentis verti poterat eiſdem diſtricte prohibuit Barbam, & comam ritu quodam ſuperſtitioſo finitimæ gentes in Deorum cultum ſolebant ſibi præcidere, id Levitici 19. & non aliud interdictum eſt a Domino Iſraelitis.

Levitici 17. ℣. 3. abſolute decernitur ſanguinis reus, qui non ante oſtium tabernaculi obtulerit oblationem, & in Caſtris, vel extra Caſtra bovem, ovem, vel capram occiderit. Nihilominus 1. Regum 7. ℣. 9. Samuel in Maſpha: Elias in monte Carmelo 3. Regum 18. ℣. 33. alii in locis excelſis, eodem 3. Regum cap. 3. ℣℣. 3. & 4. ſacrificaſſe narrantur.

Reſp. ex S. Auguſtino Quæſt. 56. in Leviticum, Prohibitas a Deo fuiſſe animalium mactationes extra locum a lege præſignatum, ut aditus quilibet idololatriæ precluderetur. In Ægypto, ait Clarius, multa didicerant Judæi, quæ ſincero veri numinis cultui adverſabantur, ut erat pecorum occiſio in agris; ne propterea hujuſcemodi ritus ſervaretur, talia Levitici 17. præcepta ſunt a Deo; cum autem idololatrandi periculum paulatim deficeret, atque Deum Abraham, Iſaac, & Jacob tantumodo venerarentur temporis decurſu Judæi, aliis in locis Deo ſacrificia offerre, quibuſdam in circumſtantiis permiſſi ſunt.

(6) Levitici Cap. 19. ℣. 19. Cavetur ne Hebræi procreationes, aut fœtus ſibi procurent ex diverſis ſpeciebus animantium. Quomodo ergo 2. Regum Cap. 13. ℣. 29. ſinguli Regis filii ſuas aſcendiſſe mulas, atque fugam abripuiſſe narrantur, ſi hujuſcemodi animantia apud Hebræos vetita erant?

Reſp. Vetitos fuiſſe Judæos commixtionem inter animantia diverſæ ſpeciei procurare; ſi tamen ex ſpontaneo illorum congreſſu muli ex. gr. naſcebantur, eorum uſus nequaquam interdicebatur eiſdem quemadmodum nec ab extraneis emere hujuſcemodi beſtias in propriam utilitatem populo Dei prohibitum erat; filii ergo Regis David, aliique poterant citra legis tranſgreſſionem habere mulos.

Eodem Levitici Libro Cap. 22. ℣. 25. Domino offerri interdicitur quidquid de manu alienigenarum receptum fuerit; omnia quippe de illorum manibus provenientia immunda judicantur. Quonam pacto lex hujuſmodi minime violata cenſetur Eſdræ I. Cap. 6. ℣. 9. ubi vituli, boves, & agni, cæteraque ad ſacrificium, & oblationes Domini neceſſaria a Dario Perſarum Rege leguntur exhibita? Quomodo inviolata permanſit eadem lex, dum Rex Aſiæ Seleucus de redditibus ſuis omnes præſtabat ſumptus ad miniſterium ſacrificiorum pertinentes, quemadmodum legimus in Lib. 2. Macab. Cap. 3. ℣. 3.?

Reſp.

Reſp. Lege illa ad ſolum prohibebatur offerri ab alienigenis traditum, quod immediate ſuper Altare Domini cremari poterat, ut eſſent panis, oleum, vinum, carnes, & his ſimilia; munera nihilominus etiam ab alienigenis recipi poterant, dummodo aut venderentur, aut commutarentur illa, in alia, quæ immunda non eſſent. Pecunia pariter, cum non ea offerretur immediate, licite ſuſcipiebatur a ſacerdotibus, ut animalia Deo ſacrificanda ex illa emerentur; hinc Machabæorum ætate ſumptus ex ærario Regis Aſiæ circa ſacrificiorum miniſterium faciendi deſumebantur. Eſdræ autem I. Cap. 6. ℣. 9. exhibuiſſe legimus Darium boves, oves, & agnos pro ſacrificiis; ſed non leguntur de manu Gentilium ſuſcepta hujuſmodi animantia, & in ſacrificium oblata. Licuiſſe tamen ab alienigenis emere animantia Judæis minime ambigimus, eademque poſtea offerri potuiſſe pro certo exiſtimamus; lege quippe illa Levitici cautum tantummodo fuiſſe videtur ne quidpiam ſuſciperetur de manibus alienigenarum, ſi illi ad hunc finem aliquid præſtarent, ut id ſuper Dei Altare in ſacrificium offerretur.

Levitici Cap. 25. ℣. 5. vetitum erat Judæis in anno ſeptimo, qui eſt ſabbathum terræ metere frumentum, & uvas vindemiare. Contrarium ſtatuitur in ℣. 6. immediate ſequenti, in quo deſtinantur pro Hebræorum cibo quæcumque terra eorum produxerit; an ne panem edere, & vinum bibere poterant, non meſſis frugibus, uviſque in vitis relictis?

Reſp. ex communi Expoſitorum ſententia potuiſſe Dominum fundi ex agris, & vineis ſuis ſibi etiam, ſuiſque domeſticis fructus ſponte a terra productos in cibum, potumque colligere, non quidem jure proprietatis, & dominii ſicuti ſex præcedentibus annis, ſed jure omnibus omnino colligere volentibus commune, adeo ut, nec ipſe Dominus fundi præpedire poſſet alios a colligendis frugibus nec idem ab aliis præpediri; vindemia itaque, meſſiſque generalis omnium fructuum in vineis, & agris ſuis poſſeſſori, ſeu proprietario fundi vetabatur non autem aliqua fructuum collectio, qui in cibum, & potum erant ei neceſſarii. Hoc ferme pacto tam Catholici Expoſitores, quam qui a Communione noſtra extorres ſe faciunt, legem iſtam intellexerunt.

Levitici 25. ℣. 13. Omnes de Judaica gente ad ſuas poſſeſſiones quolibet modo alienatas redire jubentur anno Jubilæi. Contrarium in Cap. 27. ℣. 21. conſtitutum videtur, cum res Domino Deo conſecrata, jure perpetuo Levitis cenſeantur addicta.

Reſp. Ex Abulenſi Quæſt. 67. in Caput 27 Levitici multimode rem aliquam, ſive mobilem ut ajunt, ſive immobilem Deo potuiſſe conſecrari; omnia ergo redimi poterant, atque ad Dominum reverti, quæ integre, & totaliter Deo nuncupata non erant. Quamvis ergo domus, aut ager Deo voverentur, redimi poterant a vovente ſi vellet; interrogatus autem a Sacerdotibus num vendicare ſibi, quod ſuum erat exoptaret, atque negative reſpondens jure ſibi redimendi rem ſuam perpetuo privababatur. & in perpetuam Sacerdotum hereditatem res conſecrata devolvebatur. Si ergo redimi non poterat quidquid Deo conſecratum erat, id in voventis, & conſecrantis pœnam, qui rem ſuam redimere negligebat ſancitum fuit; neque enim res immobilis Deo addicta irredimibilis cenſebatur, donec juri ſuo qui voverat palam ceſſiſſet.

Levitici. 26. ℣. 1. Ne titulos erigant, aut inſignes lapides in terra ſua ponant Judæi a Deo jubentur. Contrarium legimus Joſue 4. ℣. 4. ubi a Deo præceptum eſt, ut duodecim tituli erigantur. Machabæorum etiam tempore id præſtitiſſe Simon refertur Machab. I. Cap. 13. ℣. 27. Antea vero Moſes ipſe hujuſcemodi titulos ædificaverat, ut patet ex Cap. 24. Exodi ℣. 4.

Reſp. Ea in lege cautum fuiſſe, ne tituli, & lapides erigerentur, in quibus aut Idola venerarentur aut Idolis offerrentur Sacrificia; alii autem tituli, qui vel in memoriam inſignis a Deo ſuſcepti beneficii, vel altera quacunque honeſta cauſa erigebantur, nequaquam prohibiti fuerunt Judæis. Hunc fuiſſe prædictæ legis Spiritum & ſenſum non obſcure ex Hebraica lectione colligitur, ita ſe habente [illegible] *umatſebab lo thakimu lachem veeben maſchith lo thittenu beartſechem; & ſtatuam non erigetis vobis, neque lapidem effigiei, ſive lapidem effigiatum ponetis in terra veſtra.* Chaldæus Paraphr. *lapidem adorationis*, legit; Cum ergo hujus generis lapides a Moſe, Joſue, & Machabæis erecti, nequaquam extiterint; mirum eſſe non debet ſi citra legis hujuſce contemptum erigi potuerunt. Abraham etiam, Iſaac, & Jacob Altare lapideum ſive lapidem adorationis erexiſſe leguntur, ſed quia Chananæi idem facere cœperunt pro Diis ſuis, prohibuit Deus id Judæis, ut Munſterus, Fagius, & Clarius animadvertunt.

Numer. 3. ℣℣. 25. & 28. excubiæ San- (7)
ctuarii Levitis concreditæ leguntur. Hoc autem iis contrarium adinvenitur, quæ Exodi 40. ℣. 12. Numer. 3. ℣. 10. & Numer. 4. ℣. 4. decernuntur; ſolis quippe Sacerdotibus, iis in locis ingredi Sanctuarium, eidemque inſervire conceditur.

Reſp. Per *excubias Sanctuarii* iis in locis nil aliud, quam curam, ſeu cuſtodiam eorum, quæ ad Sanctuarium pertinebant intelligi poſſe; quæ ſiquidem cura non ſolum cum erectum tabernaculum conſiſtebat, verum etiam cum alio transferebatur iiſdem demandata fuerat; hinc ℣. 32. Capitis 3. Numer. hujuſcemodi Levitæ *excubitores cuſtodiæ Sanctuarii* nuncupantur; longe ergo diverſum iſtorum, ac Sacerdotum erat officium; neque iis datum erat ingredi ſanctuarium, ſi excubiarum nomine quid aliud quam cuſtodiam ſacrarum rerum velimus intelligere, ſed tantummodo in atrio tabernaculi vigiles extitiſſe concedemus.

Eodem Cap. 3. ℣. 39. Numerus Levitarum, quos numeraverunt Moyſes, &

Aaron ſummam compleviſſe refertur viginti duorum millium hominum ab uno menſe & ſupra. Hoc tamen evidenter opponitur partialibus Levitarum ſummis ℣℣. 22. 28. & 34 recenſitis, quarum una eſt Levitarum ſeptem millium quingentorum, altera octo-millia, & ſexcentos continebat: tertia denique ad ſexmillium, & ducentorum numerum pertingebat. Tres iſtæ ſummæ partiales ſi invicem uniantur unam totalem conficiunt hominum viginti duorum millium, & trecentorum.

Reſp. ſummas illas partiales omnes, & ſingulos, Levi filios comprehendiſſe, nullis prorſus exceptis, a ſumma autem totali ℣. 39. habita excluſos fuiſſe primogenitos omnes familiarum Levi, qui trecenti fortaſſis erant: ita Cajetanus, Petrus Comeſtor, Abulenſis, Munſterus, & Clarius opinantur. Ideo autem in cenſu pro Moſen, & Aaron confecto minime adnumerati ſunt Levitarum primogeniti, quia hujuſmodi computus eum in finem deſcribebatur, ut filii Levitarum pro primogenitis cæterarum Tribuum Domino ſiſterentur, atque offerrentur. Non poterant autem primogeniti Levitarum pro primogenitis aliarum Tribuum ſubrogari, quia jam Deo obligati erant ratione ſuæ naturalis primogenituræ; quod enim aliqua de cauſa Deo obligatum noſcebatur, denuo eidem per votum offerre, aut in locum rei obligatæ ſufficere lege vetitum erat, ut ex Cap. ultimo Levitici *de primogenitis* eſt compertum; trecenti igitur illi extra Moſis, & Aaronis cenſum erant relinquendi, quamvis in aliis partialibus ſummis eum in finem non inſtitutis poſſent admitti.

(8) Capite 9. Numer. ℣℣. 10. & 13. jubentur omnes Phaſe Domini celebrare ſub vitæ diſcrimine niſi vel immunditiæ labe infecti ſint, vel in itinere non fuerint. Hujuſcemodi legem minime ſervatam ab Ezechia & populo Iſrael, qui aliis prorſus de cauſis hanc ſolemnitatem integro menſe diſtuliſſe leguntur, in 2. Paralip. Cap. 30. ℣. 1.

Reſp. Quamvis in hoc Numer. loco ſola immunditia ex contactu hominis mortui contracta recenſeatur, alias nihilominus etiam immunditias in eadem lege comprehendi communi ferme judicio Expoſitores conſentiunt; quinimmo quocumque alio juſto, & involuntario impedimento detenti potuiſſe celebrationem Paſchæ differre exiſtimabantur; qua de cauſa Ezechias, & Principes populi optimo conſilio Paſchæ ſolemnitatem ad menſem ſecundum differri potuiſſe ſunt opinati, iis urgentibus cauſis, quæ ibidem enarrantur.

Numer. Cap. 10. ℣℣. 29. & 31. Moſes Hobab filium Raguel exoraſſe refertur, ut dux Iſraelis per deſertum eſſe vellet, eiſque ubi caſtra ponenda forent, indicare. Eccur hujuſcemodi ductorem Moſes expoſcit, ſi Exodi Cap. 13. ℣. 21. legimus Dominum in columna nubis eos præceſſiſſe, atque itineris ducem ſeſe conſtituiſſe?

Reſp. Diverſimode a Commentariorum Scriptoribus textum hunc Capitis 10. fuiſſe explicatum. Alii etenim opinantur legendum, ut Druſius, *eris nobis in oculos*, ideſt eris nobis pro oculis, nempe charus nobis tanquam oculi, quibus nihil charius. Hac loquendi formula uſus eſt Moyſes, ut ſuum Cognatum, ne diſcederet, ſuavi quadam violentia compelleret. Si lectionem hebraicam quiſpiam amplectatur, hujuſcemodi expoſitio idonea eſt, ne ullum inconveniens hoc in loco reperiatur; cum enim Exodi 13. Deus itineris Ducem ſeipſum conſtituerit, inutilem Hobabi ducatum Moſes non exquiſiviſſe reperitur. Non quidem Druſiana hæc commentatio ab hebraica litera videtur abludere, quæ tali pacto ſe habet [illegible] *vehajitha lanu lehenaim, & fuiſti*, ſive *eris nobis in oculos* vel *pro oculis*. Alii tandem idiotiſmum hebraicæ linguæ eſſe opinantur, ſive merum Hebraiſmum, *eſſe alicui pro oculis*, quo idem ſignificetur, ac *eſſe ducem* alicui, ut Vatablus, & Fagius animadvertunt, hanc profecto intelligentiam S. Hieronymus in Vulgata retinuit, & in Hebraico textu contineri ex ſequentibus fit manifeſtum; nec tamen propterea aliquod inconveniens in ſacro textu reperitur, quamvis ipſorum tantummodo innæreamus Rabbinorum explicationibus; ajunt itaque illi = Eris nobis oculorum loco, quia ſedebis nobiſcum in Synedrio, & docebis nos, & illuminabis noſtros oculos in re, quæ abſcondita a nobis, ſicut ait, & tu videbis ſupra omnem populum = Pheſiftha. R. Aben-Ezra = Multi dicunt [illegible] præteritum eſſe. Innuit autem conſilium, quod dedit Moſi, quo oſtendit ei quod non noverat (inſtituere nimirum inferiores Judices.) Vatablus in hunc locum ſcribit = dux igitur eris nobis, atque mecum reges hunc populum, ut tuo quaſi lumine omnes videant = Alii alia tradunt, ſicuti apud Expoſitores Catholicos, & etiam Hetherodoxos videri poteſt, cui per Eccleſiam licet, ex quorum doctrinis diverſum fore debuiſſe comperimus Hobabi ducatum in ordine ad populum ab eo, quem Deus per columnam nubis exhibebit. Quid tamen erit, ſi literali ſenſui preſſius adhuc inhærentes dixerimus Hobab a Moſe expoſtulatum fuiſſe non ut iter abſolute indicaret, quod Dominus exequebatur, ſed ut ſiſtente columna nubis, aptiora in deſerto loca indigitaret, in quibus caſtra figenda erant, ut ligna facilius, & aquam, & pecorum paſcua Iſraelitæ conſequerentur? in hoc ſenſu tantummodo Hohabi ducatum Moyſes popoſciſſe alias a nobis fuit exiſtimatus ex Abulenſis doctrina, cum fragmentum diſſertationis impii Deiſtæ Tolandi in dictionario Encyclopedico Lucanæ editionis relatum ad Articulum Gallice inſcriptum *Nuée*, refutavimus.

Numer. 11. ℣. 14. dictum a Moſe Domino legimus = Cur impoſuiſti pondus univerſi populi hujus ſuper me? = Quomodo hæc Moſis querimonia cum veritate conſiſtit, ſi jam ex Jethronis conſilio plures ex univerſo Iſrael ſelegerat viros, Exodi 18. ℣. 25. qui judicabant plebem omni tempore?

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. Centuriones, Decuriones, alioſque viros fuiſſe a Moſe ſelectos pro levioribus cauſis civilibus judicandis, Quidquid autem ad Dei cultum, ad populi inſtitutionem in rebus religionis, ad difficiliores denique cauſas pertinebat, totum Moſi exequendum ſupererat, unde & Deus ſeptuaginta ſeniores in ejus auxilium deſtinavit.

(9) Capite 13. Numer. ℣. 17. legimus filio Nun, Oſee nuncupato permutatum a Moſe fuiſſe nomen, atque deinceps *Joſue* fuiſſe vocatum. Quis tamen ignoret eumdem eo nomine jam ab anno, & ultra fuiſſe appellatum, dum pro Amalecitico bello Imperator fuit renunciatus? Non igitur hoc in loco Joſue ſui nominis mutationem eſt conſecutus.

Reſp. In varias abiiſſe Expoſitores ſententias, dum tempus, quo Joſue nomen eſt immutatum perſcrutati ſunt. Ex Catholicis S. Auguſtinus, Theodoretus, & alii; ex Rabbinis, Hiſcuni præſertim non in deſerto Pharan dum exploratum miſit promiſſionis terram, ſed cum in Amalecitas bellum commiſit, Exodi 17. permutatum fuiſſe nomen filio Nun conſtanter tuentur = Non nunc primum, ſcribit Hiſcuni, ſed antea vocaverat eum Joſue, videlicet cum fieret Miniſter ejus, & inveniſſet gratiam in oculis ejus, = In ſententia iſtorum ſatis erit ſi legerimus ad hunc Numer. locum pro *vocavitque Oſee filium Nun, Joſue, vocaveratque Oſee filium Nun Joſue*, ut Druſius animadvertit. Si autem eorum amplecti libeat opinionem, qui in Deſerto Pharan mutatum eſſe nomen filio Nun contendunt; facillime inconveniens exſufflabitur, ſi tam Librum Exodi, quam Numeri, poſtquam hujuſcemodi facta, fuere completa, ſupponamus conſcriptum. Quid enim mirum ſi Sacer Hiſtoricus, dum Exodum exaravit, filium Nun illo commemoravit nomine, quod, jam antea ipſi impoſitum erat? Aliis tandem modis nodum iſtum reſolvi poſſe minime dubitamus.

℣. 31. ejuſdem Capitis ſolus Caleb murmur populi compeſcuiſſe narratur, aliis, qui cum eo fuerant, detrahentibus terræ, quam inſpexerant, apud filios Iſrael. Oppoſitum legimus Cap. 14. Numer. ℣. 6. nec non in aliis divinæ Scripturæ locis, in quibus Joſue etiam populo obmurmuranti ſimul cum Caleb obſtitiſſe perhibetur.

Reſponderi primo poteſt; Novum minime eſſe apud Scripturam Sanctam, ut unus locus per alterum illuſtretur, & quidquid alicubi ſub ſilentio prætermittitur, altero in loco exponatur. Heroiſmus Calebi in Capite 13. refertur; in Cap. vero 14. tam illius, quam Joſue zelum veracitatem atque in Deum fiduciam Sacer Hiſtoricus enarrat. Secundo dicimus, bis murmur populi eſſe in Moſen excitatum; dum ſcilicet reverſi ſunt Exploratores; cui pro viribus reſtitiſſe Caleb refertur, Joſue fortaſſis aliis diſtractus negotiis; iterum autem, dum, tranſacta nocte illa, conſtituere ſibi Ducem, atque in Ægyptum reverti pertractarunt: Huic impietati Caleb, & Joſue ſimul reſtiterunt, & de iſta Joſue reſiſtentia loquitur Sacer textus Numer. 14. aliiſque in divinæ Scripturæ locis.

Numer. Cap. 14. ℣. 20. Deus ſpopondiſſe refertur peccatorum remiſſionem populo Iſrael juxta Moſis petitionem. Id autem falſitatis revinci videtur, cum ob peccatum illud ſexcentatria millia virorum cum quingentis quinquaginta legantur occiſa, partim quaſi de repente percuſſi ſunt in Conſpectu Domini; alii vero ingreſſi terram promiſſionis vetiti ſunt, atque paulatim in Deſerto mortem occumbere ex Dei ſententia compulſi ſunt, ut ex ℣. 22. & ſeqq. hujus Capitis ſit manifeſtum.

Reſpond. Nequaquam Moyſen fuiſſe fraudatum deſiderio ſuo; cum etenim ex Dei in populum comminatione Sanctus ille Dux univerſam gentem ſuam peſtilentia illico exterminandam opinaretur, Deum exoravit pro ejus ſalute, atque peccati remiſſione; Dominus autem peccati pœnam a reis expetere non omiſit, id exigente ſuæ Divinæ juſtitiæ regula: nec tamen omnes inſimul morti ſubjecit, nec Moſem ſuper alteram gentem, & quidem magnam conſtituit, ſicuti minabatur; in quo profecto Moſis oratio exaudita eſt, nec ulterius ſupplicationes illius protendebantur; ſatis ſibi factum exiſtimans, ſi populus Iſrael inſimul non evertebatur, idemque in terram Patribus promiſſam tandem aliquando perducebatur; quod & revera adimpletum eſt.

Numeror. Cap. 16. ℣. 32. legimus periiſſe Dathan, & Abiron, univerſamque ſubſtantiam eorum cum familiis, & tabernaculis, in quibus morabantur. Contrarium (10)
eſt in Cap. 26. Numer. ℣. 10. ubi Core filii in ſui patris ruina nequaquam abſorti referuntur, cum per grande miraculum illam evaſerint.

Reſpond Per *omnem ſubſtantiam eorum* intelligitur quidquid jure poſſidebant, tam hominum, quam jumentorum. Filii Core a terra deglutiti non ſunt, quos Aſir, Elcana, & Abiaſaph appellatos tradit Pheſiktha, quia conſilii paterni neque conſocii, neque participes conſpirationis extiterunt. Si autem quis opponat vel mulieres, vel infantulos, qui tum Dathan, & Abiron perierunt; vel cum iis in malum conſenſiſſe reſpondebimus, ſi ſui compotes erant, vel ſi nondum ad ætatem pervenerant in qua mali, vel boni naturam dignoſcerent, in parentum tamen excidio comprehenſi ſunt, quod ad ipſorum ſubſtantiam pertinerent, hoc eſt in patria poteſtate cum eſſent, veluti res, aut bona parentum habebantur. Filii autem Core cum a patris conſpiratione fuerint alieni, ejuſque peccati participes ſe non fecerint, cumque tali facto ab illius poteſtate ſe ſubtraxerint, non poterant in patris involvi ruinis, neque ut iniquitatis participes, neque ut pertinentes ad patris bona, vel ſubſtantiam; optime ergo ſalvati dicuntur Core Filii; quamvis cap. 16. univerſam illius ſubſtantiam periiſſe legamus.

Numer. Cap. 18. ℣℣. 8. & 20. A Deo conſtitutum legimus quod Sacerdotes, &

Le-

Digitized by Google

Levitæ nihil in Terra promiſſionis eſſent conſecuturi præter primitias, & oblationes populi. Quomodo ergo quadraginta & octo civitates cum earum ſuburbiis, & in illis agri, & pecorum paſcua levitis conceſſæ narrantur Numer. 35. ℣. 7.?

Reſpond. non eſſe hoc in loco abſolute prohibitum Sacerdotibus, & Levitis aliquid poſſidere, cum agros, Civitates earumque Suburbana filiis Levi legamus conceſſa. Levitis ergo non eſſe concedendam terræ portionem a reliquis Tribubus ſeparatam diſpoſitum eſt a Domino in Cap. 18. ℣. 20. Numer. Hoc autem ideo præſtitum, ut in ſingulis Tribubus Sacerdotes, & Levitæ, qui Dei cultum, & legis obſervantiam promoverent, haberentur. Legatur Eſtius in Commentat. ad Cap. 18. Numer. & in 4. Sentent. diſtinct. 24. §. 6. Nec non Abulenſis Quæſt. 21. in Cap. 28. Numer. ubi ait Civitates illas Levitarum non titulo hæreditatis & poſſeſſionis, ſicuti cæteris Iſraelitis, ſed titulo eleemoſynæ eiſdem fuiſſe concreditas.

(11) Numer. Cap. 20. ℣℣. 25. & 29. Aaron in monte Hor occubuiſſe. Deuteronomii autem Cap. 10. ℣. 6. in Moſera fatis functus enarratur.

Reſpond. unum, eumdemque locum eſſe *Hor & Moſera*; in Monte *Hor* etenim, ſi Sanctum Hieronymum audiamus in Epiſtola ad Fabiolam de 42. manſionibus, idem prorſus ſignificat ac in *Monte Montis*, ſive *in excelſo vertice montis*. Muſera autem eſt locus ille, in quo mons iſte reperiebatur.

Numer. Cap. 21. ℣. 5. Manna cum nauſea recepiſſe leguntur Iſraelitæ, quaſi cibus eſſet leviſſimus, atque ad nutriendum incapax. Quomodo hæc conſiſtere poſſunt cum iis, quæ Sapientiæ Cap. 16. ℣. 20. leguntur? ibi omne delectamentum, univerſorumque ſaporum ſuavitatem in Manna fuiſſe adinventam docemur; ad nauſeam itaque uſque ab Judæis faſtidiri non potius ſe videtur.

Reſpond. facillime utrumque textum conciliari, ſi Sapientiæ auctoritatem eo intelligamus ſenſu, quem in Volum. 1. Diſquiſit. pag. 503. in notis expoſuimus, accipiendo nimirum hæc verba *omne delectamentum* pro perfectiore, atque humanæ naturæ congruentiore delectamento: audaciæ propterea intolerabilis ſe exhibuit Druſius in Comment. ad Numer. dum, propoſita Sapientiæ auctoritate ſcribere non dubitavit, Fides penes ipſum (Sapientiæ Auctorem) eſto; cum inſigniores Eccleſiæ Patres, & Doctores varias quidem excogitarint hypotheſes ad utrumque textum invicem componendum, neutri tamen fidem, veracitatemque detraxerint; hinc Auguſtinus quamvis lib. 2. Retract. Cap. 2. revocet quod *Epiſtola* 118. *Cap.* 3. *antiquæ editionis* ſcripſerat de Manna *unicuique ſecundum propriam voluntatem in ore ſapiente*, nihilominus hæc retractatio de iis, qui adverſus Dominum obmurmurabant, non de fidelibus procedit, pro quibus quidquid in Sapientiæ Cap. 16. ſcriptum eſt, intactum reliquit. Auctor Homiliæ de Corpore, & Sanguine Domini apud Hieronymum Tom. 9. ſcribit = quod Manna veteris legis hoc unicuique ſapiebat, quod deſideriis concupierat. Si itaque Sapientiæ textum ita intelligere lubeat, ut quemcumque ſaporem pro comedentis voluntate in Manna Deus repoſuerit, non erit diu laborandum nihilominus ut cauſam querelarum in populo duræ cervicis, & incircumciſi cordis quærendo inveſtigemus. Nauſeam itaque, & murmur ortum opinatur Cornelius, quia odor, color, forma, tenuitas, aliæque ſimiles qualitates, eædem ſemper in Manna perſeverabant; oculi itaque Hebræorum cum aſpectu carnium, piſcium, cucumerum, & peponum quibus in Ægypto pro libito paſcebantur, minime in deſerto oblectarentur, ideo in murmur inſanum gens illa malefida prorupit = Anima noſtra arida eſt, nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri niſi man = Numer. 11. ℣. 6.

Numer. 21. ℣. 6. ignitos ſerpentes miſiſſe legimus Dominum, ut pœnas luerent qui contra Deum, & Moſen iniqua locuti fuerant Diverſimode hujuſcemodi belluæ Deuteron. 8 ℣. 15. & Sapientiæ 10. ℣℣. 5. & 10. deſcribuntur.

Reſpond. Diverſimode utique laudatis in locis ſerpentes a Deo immiſſos fuiſſe nominatos, ſed eamdem ſemper eorum naturam eſſe deſcriptam ubique, comperimus, quamvis modo clarius, & expreſſius; modo autem generice, ut ajunt, ſolummodo, illorum venenum deſignetur.

Numer. Cap. 22. ℣. 5. legimus Balaam habitaſſe ſuper flumen terræ filiorum Ammon. Contrarium ex Deutero. 23. ℣. 4. edocemur, cum ex Meſopotamia Syriæ vocatus enarretur.

Reſpond. hujuſcemodi difficultatem ſatis diſcuſſam in I. Volum. Diſquiſit. fuiſſe ad pag. 270.

Num. 25. ℣. 13. Promittitur a Domino (12)
Phinees ejuſque filiis Sacerdotium in perpetuum. Oppoſitum eveniſſe ea I. Paralip. 24. ℣. 3. & I. Regum 2. ℣. 30. commonemur, eoquod Sacerdotium ad Heli ejuſque ſucceſſores, qui erant de Ithamari familia devolutum legamus.

Reſpond. primo ex Dionyſio Chartuſiano Dei promiſſionem non abſolutam, ſed conditionatam fuiſſe; ſi nimirum Phinees poſteri Patris pietatem imitarentur; qui cum a pietate illa defecerint aliquando, Sacerdotii dignitate privati ſunt, ſed tandem illam reſtituti fuerunt ſub Rege Salomone, dum Sadoch, qui erat de Phinees familia ad Sacerdotium ſummum evectus eſt, ſemperque in eadem gente uſque ad Herodis ætatem, quandiu ferme ſynagoga permanſit, ſervatum fuit.

Capite Numer. 26. ℣. 55. Terra promiſſionis dividenda præcipitur Tribubus, & familiis ſolius ſortis beneficio. Contrarium in ℣. 53. præcedenti fuit conſtitutum, jubetur quippe terra juxta numerum majorem, vel minorem familiarum dividi, atque ulterius major, vel minor ſoli bonitas attendi.

Reſpond. utrumque ſalvari peroptime poſ-

poſſe ſi ſupponamos terram Chanaan in novem æquales partes cum dimidia fuiſſe diviſam, iuxta numerum Tribuum, quæ ad eamdem jus habebant; duæ qoippe Tribus cum media terram ad Jordanis orientem ſibi delegerant. Super iſtam autem diviſionem ſortes jaciebantur, ut unicuique Tribuum ſua portio deſignaretur. His autem peractis ſicuti minor erat hominum numerus in aliqua Tribu ita portio terræ, quæ eidem contigerat imminuebatur, atque finitimæ Tribui majori, ordinata quadam proportione applicabatur.

(13) Numer. Cap. 29. ℣. 12. præceptum a Domino legimus ut tabernaculorum ſolemnitatem celebrent Judæi. Levitici autem 23. 35. io ſola die prima opus ſervile eſſe prohibitum, palam omnibus innoteſcit.

Reſp. Solemnitatem tabernaculorum, ſi primum diem ejus excipiamus, non a ſervilibus operibus vacando conſueviſſe celebrati, ſed habitando in tabernaculis, atque ſtatuta ſacrificia offerendo, ajunt Abulenſis Quæſt. 9. in Cap. 29. Numer. & Tirinus in Comment. ad illum locum. Et profecto ſolemnitas dum ſpeciali cultu & houore Deum proſequimur; in diebus autem illis ſeptem ſpecialia Deo ſacrificia offerri debuiſſe conſtat ex contextu.

Cap. 31. Numer. ℣. 8. gladio Judæorum legimus interemptom ariolum Balaam in Madiauitide. Cujus oppoſitum traditur Numer. 24. ℣. ultimo, in quo Balaam in ſuum locum, iu Meſopotamiam videlicet fuiſſe reverſus enarratur,

Reſpond. Revera Balaam occiſum fuiſſe in Madian, & etiam verum eſſe quidquid in Capite Numer. 24. de eodem refertur. Vel etenim poſtquam a Rege Moabitarum diſceſſit, in Meſopotamiam perrexit, ibidemque aliquantulo commoratus, in Madian poſtea reverſus eſt, ibidemque interfectus, ot Abulenſis opinatur, vel textum Capitis 24. *reverſus eſt in locum ſuum* ita intelligamus oportet, ut ex confiniis, & Montibus Madian, unde caſtra Hebræorum proſpiciebat ſimul eum Rege Moab nomine Balac diſceſſerit, iterque patriam verſus aſſumpſerit, ſed aliquandiu in regioue Madian commoratus, Divino ulciſcente Numine, per manus Judæorum Madianitas igne, ferroque devaſtantium in communi gentium illarum internicione fuerit & ipſe conſumptus, In hac expoſitione, quæ Tirini eſt, & Guilielmi Eſtii, verbum illud *& reverſus eſt*, non actionis complementum, ſed illius inchoationem importat.

Numer. 32. ℣. 21. Jubentur a Moſe omnes Viri bellatores ex Tribubus Ruben, Gad, & ex media Tribu Manaſſis, captis belli inſtrumentis Jordanem tranſire; iſtorum autem numerus eum ad centum decem millia, & quingenta octuaginta hominum bellatorum aſcendiſſe demonſtretur ex Cap. 26. Numeror. jam totidem Jordanem tranſfretaſſe neceſſe erat: conſtat nihilominus ex Cap. 4. Joſue ℣. 13. tantummodo quadraginta iſtorum millia ultra Jordanem ad pugnandum proceſſiſſe; non ergo conſtant hujuſcemodi ſcripturæ textus.

Reſpond. Si quod ſpecie tenus inconveniens in textibus iſtis adinvenitur facillime ex ipſa divinorum contextuum lectione diluitur ſolos expeditos, id eſt aptiores, promptioreſque, & qui nullo impedimento præoccupari erant, ad pugnandum pro Fratribus ſuis ire Moſes obſtrinxit; minime vero qui juſta de cauſa ſuæ Domi commorari tenebantur. Quis non videat Rubenitas, Gaditas, & Manaſſenſes minime potuiſſe, uxores, filios, atque ſubſtantiam in Galaad, & Jazer, omni bellatorum hominum patrocinio deſtitutas relinquere? Quænam illa fuiſſet œconomia, in medio inimicorum res ſuas abſque tutela prorſus deſerere? Quotquot ergo expediti erant, aliiſve negotiis & quidem urgentibus non diſtinebantur milites ex Tribubus illis Jordanem ſub Joſue tranſierunt ab bellandum bella Domini, quorum numerus ad quadraginta armatorum millia aſcendiſſe legitur ſeptuaginta vero millia, & quingenta octuaginta hominum ad ſarcinas, ad uxores, ad filios, ad armenta ab inimicorum inſultibus vindicanda, tuenda, atque cuſtodienda citra Jordanem permanſerunt.

Numer. Cap. 34. a ℣. 2. & ſeqq. termini, quibus claudebatur promiſſionis terra, omnino reperiuntur diverſi ab iis, qui Joſue 15. ℣. 1. & Deuteron. I. ℣. 7. deſignantur.

Reſpond. Ex Abulenſi Quæſtionibus 2. & 5. in Caput Numer. 34. duplici modo conſiderari poſſe Terram promiſſionis, in ſua nimirum totali, & adæquata extenſione, ſicuti promiſſa fuit vetuſtioribus Patriarchis Abrahæ præſertim, Geneſeos Cap. 15 & ſecundum aliquam ſui partem de qua ſpeciale quoddam mandatum proponitur. In Capite igitur 34. Numer. termini deſignantur ei terræ portioni, quæ inter novem Tribus & dimidiam ſortibus erat dividenda, eaque veluti hæreditatis jure a filiis Iſrael poſſidenda. In locis autem Joſue, & Deuteronomii indicatis tota promiſſionis terra deſcribitur juxta pactionem a Deo cum Abraham diu antea initam; qua ſemini eius terram Chananæorum uſque ad Euphratem ſe daturum ſpoponderat. Alii ergo termini erant terræ per ſortes partiendæ deſignandi, alii univerſæ Chananæorum terræ a duodecim Tribubus occupandæ,

Quæ ex Cap. 36. Numer. de uxoribus ex propria Tribu, & cognatione ducendis, opponi queunt; cum pluries inſigniores etiam homiues ex aliena gente mulieres ſibi deſpondiſſe referantur, jam ad pag. 275. prioris Diſquiſit. Voluminis a Fraſſenio ſatis diſcuſſa ſunt.

Deuter. 3. ℣. 11. ſolus Og Rex Baſan de ſtirpe Gigantum ſuperfuiſſe narratur. Cum tamen ex Joſue 15. ℣. 14. lib. 2. Regum cap. 21. a ℣. 16. & alibi etiam ſæpe fiat mentio plurium Gigantum de ſtirpe Raphaim ſuperexiſtentium. (14)

Reſpond. In Deuteronomii cap. 3. non univerſos excludi Gigantes, præter unicum Og, ſed in terra Baſan eum ſolum ſuperſtitem fuiſſe ſignificari, de illa quippe re-

gione

gione tantummodo laudato in loco ſermonem inſtitui compertum eſt; alibi ergo Gigantes eſſe poterant.

Eodem Deuteron. cap. ℣. 26. ait Moyſes ſibi iratum fuiſſe Dominum propter populum. Oppoſitum edocemur Deuteron. 32. ℣. 51. & Numer. cap. 20. ℣. 12. in quibus furorem Domini contra Moyſen excitatum legimus ob ipſius Moſis incredulitatem.

Reſpod. In hoc Deuteron. loco indicatam eſſe a Moſe occaſionem ſuæ prævaricationis in Dominum, ad Aquas contradictionis, propter murmur etenim, & ſeditionem eorum, quodam imprudenti zelo correptus petram bis virga percuſſit, cum præcipere ſolum petræ debuiſſet, ut aquam ex ſuo ſinu dimitteret; in aliis autem Scripturæ cauſa immediata furoris Divini in Moſen, & Aaron concitati deſcribitur, quæ profecto non alia quam eorum incredulitas extitit.

Cap. 4. Deuteron. ℣. 2. non addere aliquid ad verbum quod Deus loquitur jubentur Iſraelitæ. Annon propterea quamplurima addidere Joſue, Judices, David, & Prophetæ.

Reſpond. Vetitum eſſe aliquid addere ad Verbum Dei, quod eidem repugnet, & adverſetur; quemadmodum eſſet novum cultum inducere, novamque morum doctrinam præter eam, quam Deus tradidit per manum Moſis ſervi ſui. Si autem quidpiam additum eſt ab Joſue, aliiſque ſanctis viris totum id eſt verbum Dei; ſi autem leges aliquæ deinceps promulgatæ ſunt, quæ optimum Reipublicæ regimen cuſtodirent, populumque intra ſuum continerent officium; hoc non eſt aliquid ad verbum Dei adjungere, ſed potius media proponere, quibus Dei verbum diligenter ſervetur, atque divina mandata in tuto locentur.

Eodem cap. 4. ℣. 48. legimus eumdem eſſe montem *Sion* & *Hermon*. Quis tamen ignoret Sion Hieroſolymis extitiſſe, Hermon autem trans Jordanem in finibus Terræ promiſſionis?

Reſpond. Commentatores duplici nomine inditum volunt Montem Hermonæ quamvis autem *Sion* etiam appellaretur, diverſum tamen locum omnino a Monte Sion Hieroſolymorum obtinuiſſe pro certo tenendum opinantur; hinc Hermon, & Sion duos montes perpetuo jugo conjunctos ſupponunt, ex illo Pſalmi 132. ℣. 3. = Sicut ros Hermon qui deſcendit in montem Sion = Non in Sion Hieroſolymorum, ſed in Sion qui cum Hermon conjungitur; qui duo Sion, ajunt, adeo in ſacro textu diſtinguuntur ut Sion Hieruſalem per literam צ *tſade* deſcribatur, alter autem, qui cum Hermon conjungitur, per literam ש *ſchim* exaretur in Hebræa.

Deuteron. cap. 5. ℣. 3. dicitur Deus nequaquam pactum iniiſſe cum patribus Iſraelitarum. Contrarium eſt Geneſ. 15. ℣ 18.

Reſpond. ex Vatablo, Druſio, Eſtio, aliiſque pluribus ſubintelligendum eſſe adverbium *tantum*; adeout ſenſus ſit, inquiunt iſti = non tantum cum Patribus noſtris iniit pactum, ſed etiam nobiſcum =. Alii exponunt: non initum eſſe pactum legale cum patribus eorum qui in Ægypto mortui erant neque cum Abraham, & Iſaac, & Jacob; quibus ſolam impoſuerat circumciſionis legem; non autem ritus, & cæremonias ſacrificiorum, neque diſtincte decem præcepta Decalogi eiſdem publicaverat. Hæc enim in Horeb tradita ſunt Judaicæ genti, in qua plurimi adhuc agebant in vivis ex iis, qui fuere ibidem præſentes, unde Moſes hoc in loco Deuteronomii, a Deo initum eſſe pactum adfirmat cum iis, qui impræſentiarum erant, atque vivebant.

Deuteron. cap. 7. ℣. 10. Deus ſtatim reddere ſe odientibus dicitur, ita ut diſperdat eos. Contrarium habetur pluribus in locis ſacrarum Scripturarum, ſed præſertim Eccl. 12. ℣. 4. ubi legimus Deum quidem impius redditurum, ipſoſque in die vindictæ cuſtodire; non igitur ſtatim reddit.

Reſpond. Ex lib. 2. Macchab. Cap 6. ℣. 12. & ſeqq. Deum cum ſuo populo electo ita ſe gerere ſolitum eſſe, ut diu eorum peccata ſine ultione non derelinquat; non ſinere quippe ex ſententia peccatoribus agere, ſed ſtatim ultiones adhibere, magni beneficii eſt indicium; Moſes ergo divinam ultionem peccantibus ſtatim imminere adfirmat, quia populo electo a Domino loquebatur. Non enim in hoc, ſicuti in aliis nationibus, Dominus patienter expectat, ut eas, cum judicii dies advenerit, in plenitudine peccatorum puniat: ita laudato loco Macchabæorum. Dicere poſſumus etiam eo in loco Deuteronomii adverbium *ſtatim* non *illico* ſed *conſtanter*, aut *perſeveranter* ſignificare, hæc enim ſignificatio eidem convenit, ſi prima ejus ſyllaba producatur. Vel tandem adverbium *ſtatim* ibi ſignificat *illico* ſi reſpectu Dei conſideretur, eſto enim vindictam aliquando differat reſpectu noſtri, tamen in ordine ad ſeipſum illico perficitur, quia mille anni apud Deum habentur veluti dies externa quæ præteriit.

Capite Deuteron. 10. ℣. 6. veniſſe dicuntur filii Iſrael ex Moſera in Gadgad: eoque tempore ſeparatam legimus Tribum Levi in miniſterium Domini. Hiſce contraria legimus Numer. Cap. 33. ℣. 30. ubi ex Moſeroth, Benejaacan, inde autem in Montem Gadgad profecti leguntur. Tribus autem Levi annis circiter quadraginta ante Aaronis mortem in Sanctuarii miniſterium ſeparatam legimus Cap. 3 Numer. ℣℣. 6. & 39. non igitur eo tempore, quod in Deuteron. 10. indigitatur.

Reſpond. Nullam iis in textibus antilogiam deprehendi quoties loca & tempora recto ordine intelligantur. S. Hieronymus in libro *de 42. manſionibus ad Fabiolam*, manſionem in Moſeroth diverſam omnino a manſione in Moſera fuiſſe ſupponit, illam enim ſub numero 27. iſtam autem ſub numero 34. reponit. Manſiones itaque iſtæ diverſis temporibus habitæ ſunt a filiis Iſrael, ſive Moſera, & Moſeroth diverſa ſint loca, ut Druſius, Cornelius, aliique Expo-

ſito-

ſitores tuentur; ſive unus idemque locus, cui bis Iſraelitæ per deſertum gyrantes appulerint, ut Tirinus cum Calmeto, & univerſo ferme vulgo, ait Druſius, opinatur. Nos utique diverſa loca extitiſſe arbitramur iſta duo, non ſolum diverſas Manſiones in eodem loco. Cum autem Moſes recto ordine manſiones quaſcumque in Cap. 33. Numer. digeſſerit; in hoc Deuterooomii capite nonnullas tantummodo recenſet, quæ ad ſuæ narrationis inſtitutum videbantur conducere; hinc a manſione Sinai, quæ ordine erat 12. immediate ad manſionem 33. progreditur, quæ fuit in Cades, locus quippe iſte, etiam *Beeroth-Benefacan* appellabatur, ut Auctor eſt R. Aben-Ezra; ex iſto loco in Moſera profecti Iſraelitæ referuntur a Moſe, ubi Aaron mortuus eſt. Deinde vero Monti *Gadgad* acceſſerunt, qui ſiquidem locus diverſus omnino ab eo eſt, de quo fit mentio Numer. Cap. 33. ℣. 32. Gadgad quippe Deuteron. Si Aben-ezra audiatur, comprehendit hæc loca *Salmuna*, *Phunon*, & *Oboth*. Jethebatha tandem locus eſt, qui ab alio nomine dicitur Beer, ideſt *puteus*. Non deſunt profecto qui hujuſcemodi refragentur expoſitioni; quiſque prout ei Dominus Deus conceſſerit, ex divinis literis antilogias ſpecie tenus apparentes nitatur eluere. Circa tempus autem ſeparationis, ſive electionis Tribus Leviticæ ad miniſterium Sanctuarii dicere poſſumus vel duplicem ſeparationem eſſe factam, primam in Sinai deſerto, alteram vero, quæ fuit veluti prioris confirmatio, habitam in Jetebatha. Si autem ſemel tantummodo Levitarum ſeparationem eſſe factam ſupponamus cum Abulenſi, tunc ℣℣. ſextum, & ſeptimum in hoc Deuteronomii capite veluti in parentheſi ad iterandam Aaraonis mortem in narratione, interpoſitos ſupponemus, adeout ſi ℣. octavum cum quinto coniunxerimus omnia cohærere peroptime reperientur.

Deuteronom. 11. ℣. 10. legimus: in Ægypto aquæ in hortorum more ducuntur irriguæ = Ægyptum autem ex Nili inundatione fæcundari compertum eſt.

Reſpond. hujuſcemodi difficultatem reſolvi ex iis, quæ ad pag. 279. columna 2. primi Voluminis Diſquiſit Biblic. dicta ſunt ubi animadvertimus artificioſo labore eſſe in Ægypto terram irrigandam vel dum inundatio decreſcit, vel iis in locis ubi Nili excreſcentia non pervenit.

℣. 24. ejuſdem Capitis Iſraelitis promittitur quidquid terræ eorum pedes calcaverint. Scimus tamen limites poſſeſſionis eorum ſatis fuiſſe anguſtos.

Reſpond. Ex Abulenſi Quæſt. 6. in Cap. II. Deuter. hanc promiſſionem non ſtatim fuiſſe adimplendam, ſed temporis decurſu in Iſraelitarum poſteris; quod & contigit tempore Regis Salomonis, quemadmodum ex Capite 8. libri 2. Paralipomenon edocemur.

Capite 15. Deuteron. ℣. 6. uſura permittitur ab Iſraelitis extorqueri dummodo eadem a fratribus ſuis non exigant. In Pſalmo autem 14. ℣. 5. in æternam ſalutem ingreſſuri dicuntur qui pecuniam ſuam non dederunt ad uſuram.

Reſpond. Jam a Theologis, & Canonum profeſſoribus demonſtratum eſſe adverſari pecuniæ acquiſitionem ex fœnore habitam Juri naturali & Divino novi teſtamenti ſaltem; ſed Judæis hanc diſpenſationem, quemadmodum & ſuper polygamia, atque repudii libello a Deo fuiſſe conceſſam ne in pejora ob duritiam cordis ſui crimina dilaberentur; ita plures expoſitorum hunc nodum reſolvunt; Sanctus Ambroſius in libro de Tobia Cap. 15. pro *alieno* gentes illas uſurpandas tuetur, quas jure belli Judæis a Domino datum fuerat exterminare earumque terras, atque ſubſtantias invadere exigi enim poſſunt uſuræ ab eis, quos non eſt crimen occidere.

Deuteron. Cap. 17. ℣. 8. & ſeqq. lites (15)
omnes, & cauſæ ambiguæ cujuslibet generis eſſent per Sacerdotum, & Pontificis judicium jubentur abſolvi. Contrarium eſt in lib. 2. Paralip. Cap. 19. ℣℣. 10. & 11. in quibus ſolæ cauſæ eccleſiaſticæ Sacerdotibus demandantur, civiles autem, & politicæ Regis miniſtris præſcribuntur.

Reſpond. Nullimode in libro illo Paralip. oſtendi ſacerdotum, & Pontificis Judæorum auctoritatem fuiſſe coarctatam pluſquam in Deuteronomio deſignetur. Judæorum quippe Reges, & Magiſtratus nil ferme cum poſſent ſuo arbitratu conſtituere, quod in legibus a Deo ſancitis non contineretur, hinc eorum tribunal a Sacerdotum judicio in litibus finiendis pendebat quammaxime; cum ſententia prolata cum lege a Deo tradita debuiſſet congruere; hoc autem ſacerdotibus commiſſum erat declarare.

Deuteron. cap. 21. ℣. 23. = maledictus (16)
a Deo eſt, qui pendet in ligno = ſcriptum eſt. Contrarium legimus apud S. Matthæum cap. 27. ℣. 35. in quo refertur Chriſtus in Cruce fuiſſe ſuſpenſus, nec tamen a Deo maledictum eſſe potuit.

Reſpond. ſenſum hujus Deuteron. textus eſt quod Deo ſint execrabiles qui propter crimina in patibulo ſuſpenduntur. Cum autem Chriſtus Dominus peccata noſtra ferre voluerit, atque iniquitates noſtras portare, pependit pro nobis in ligno, veluti maledictus ſive execratus a Deo; non tamen quod revera fuerit, cum neque peccator revera extiterit.

Deuteron. cap. 23. ℣℣. 1. 2. 3. & 17. prohibentur Eunuchi, Illegitimi, Ammonitæ, & Moabitæ ingredi Eccleſiam Dei; atque aliquam de filiabus Iſrael meretricium exercere. Contrarium eſt in Apoſtolicis Actibus Cap. 8. ℣. 27. ubi Eunuchus adorare in Jeruſalem veniſſe recenſetur; Iſaiæ pariter 56. ℣. 5. promittitur Eunuchis Domini legem ſervantibus locus in Domo Dei. Judicum cap. 11. ℣. 1. & Joſue 6. ℣. 25. Jephte meretricis filium, filii pariter Rahab meretricis Principes in Iſrael fuiſſe narrantur Judithæ cap. 5. ℣. 5. Achior Dux Ammonitarum extitiſſe deſcribitur; & nihilominus cap. 14. ℣. 6. ejuſdem libri, appo-

ſitus

ſitus ad populum Iſrael cum omni ſucceſſione generis ſui fuiſſe dicitur. Multas denique in Iſrael extitiſſe meretrices compertum eſt tum ex cap. 11. libri Judic. ℣. 1. in quo legimus Jephte Galaaditidem filium fuiſſe meretricis: lib. 3. Regum pariter cap. 3. ℣. 16. duæ leguntur ad Salomonem Regem mulieres meretrices acceſſiſſe

Reſpond. ad primum: nomine Eccleſiæ hoc in loco minime intelligi Religionem Judaicam, vel locum tabernaculi, & templi; ad hæc ſiquidem cuilibet alienigenæ aditus patefiebat, quoties circumciſionis ſignum recipere vellet, atque proſelytus fieri. Jus itaque civicum nomine Eccleſiæ hoc in loco intelligamus oportet cum Cornelio, Tirino, aliiſque catholicis quibus conſentiunt Fagius, Munſterus, Vatablus, Druſius, & Rabbini ferme omnes, præſertim Salomon, & Abenezra, qui ſcribit = Non reputabuntur ſicut unus de Eccleſia, ut accipiat filiam Iſrael =. Alii dicunt, quod non poſſent recipere munus publicum in Eccleſia; quid ergo mirum ſi Eunuchus venit Jeruſalem adorare Dominum ut legimus in Actis, ſi Eunuchis locus in Domo Dei apud Iſaiam deſpondetur?

Ad ſecundum dicimus prohiberi Manzeres ab Eccleſiæ ingreſſu, ſi ex inceſtu nati ſint, quod crimen profecto reatum mortis inducebat; vel ſi natos ex quocumque ſcorto per *manzeres* velimus intelligi, negabimus tunc *meretricis* nomen in cap. 11. Judicum, verum *ſcortum* ſignificare, ſed tantummodo *concubinam*. hoc eſt mulierem unico conjunctam viro abſque dote, & conjugii ſolemnitatibus, ex qua qui naſcebantur filii nullum jus ad hæreditatem patris conſequebantur, ac veluti illegitimi, ſive ex ſcorto nati habebantur. Quid ergo mirum ſi Jephte populi Princeps, & Dux electus eſt, ſi non ex illis Manzeribus erat, qui a jure civico Iſraelitarum amovebantur? Alii denique Expoſitores opinantur Jephte dictum meretricis filium, quia ex muliere alienæ Tribus eum genuit pater ſuus, nempe Galaad. Arcebantur itaque ab Eccleſia qui vel ex inceſtuoſa procreabantur commixtione, vel qui ex vero ſcorto geniti erant; hujuſmodi autem nempe Jephte, neque filii Rahab extiterunt, quia mulier iſta Jerichuntina legitime in uxorem a Salomone ducta fuit, ſicut & Jephte mater a Galaad, quæcumque fuerit iſtarum mulierum ante earum conjugium profeſſio.

Ad Tertium reſpondet Tirinus Ammonitas aut Moabitas, qui aliquod inſigne facinus patrati eſſent vel Dei populum adjuvando, dum opus eſſet, vel ſingulari profeſſione Deum Iſraelitarum confitendo, ſicut Achior ſe geſſit, in lege illa expulſionis ab Eccleſia non fuiſſe comprehenſos, ſed optime potuiſſe ad jura civium adcenſeri, ut admonent S. Thomas in prima 2. quæſt. 105. art. 3. Carthuſianus, Serarius, Salianus, & Cornelius in cap. Judith 14.

Ad ultimum tandem dicimus eo in loco *meretricis* nomine non quamcumque fornicariam mulierem, ſed proſtitutas, ſive paratas ſœminas ad omnem palum ſedentes, & quemlibet tranſeuntem expectantes; publicum uno verbo proſtibulum, vel meretricium interdicitur, ita Druſius, Munſterus, Cornelius, aliique paſſim Commentariorum Scriptores. Huius generis meretrices neque Jephte matrem, nec quæ Salomoni cauſam detulerunt Libro 3. Regum Cap. 3. extitiſſe inſignes tuentur Doctores apud Cornelium in Cap. 3. Libri Regum laudati. Qui autem veras fuiſſe meretrices opinantur; id unum intelligant neceſſe eſt, nempe ex fornicario concubitu concepiſſe, non tamen in trivio ad quemcumque volentem expoſitas de inſtituto permanſiſſe.

Deuteron. Cap. 30. ℣℣. 11. & 14. legimus = mandatum hoc non ſupra, ſed iuxta te eſt valde = Quomodo ergo Joſue 24. ℣. 9. ſcriptum eſt = non poteritis ſervire Domino = & Actorum Cap. 15. ℣. 10. dixit Apoſtolus Petrus = Jugum, quod neque patres noſtri neque nos portare potuimus? =

Reſpond. Nunquam a Deo impoſſibile aliquod hominibus fuiſſe imperatum, dummodo vel tantillum diligentiæ adhibere voluiſſent, divinamque gratiam omnibus ſemper paratam in vilipendendo, atque contemptum minime haberent. S. Petrus autem in citato Actorum loco non impoſſibilitatem deſignat, ſed ſolam difficultatem ad jugum legis judaicæ ſuſtinendum. ob ingentem præceptorum numerum, quo gens Judaica undique premebatur, quave de cauſa legis tranſgreſſiones & peccata longe frequentiora conſpiciebantur in lege. Cæterum jugum legis non ſupra, ſed juxta populum Judaicum extitiſſe revera multitudo juſtorum, qui in lege veteri floruere, ſatis demonſtrat.

Deuteron. 33. ℣. 12. ſcriptum legimus = inter humeros (Beniamin) requieſcet Dominus = ſcilicet in Templo Jeruſalem. Quis tamen neſciat templum & Jeroſolymam ad Tribum Judæ pertinuiſſe? id conſtat ex Joſue 15. ℣. 8. & ex Pſalm. 77. ℣. 68

Reſpond. Ex Lyrano Civitatem Jeruſalem ubi erat Mons Sion pertinuiſſe ad Tribum Juda; alteram vero Civitatis partem ubi erat templum & Sanctuarium in ſorte Beniamin extitiſſe: cum ergo alicubi legimus templum fuiſſe in monte Sion, vel Deum in Sion habitaſſe, id per Synecdochen, accipiendo nimirum montem Sion, pro tota Civitate, dictum intelligamus neceſſe eſt.

Deuteron. Cap. 34. ℣. 5. ſatis ceſſiſſe Moyſes narratur in terra Moab, ibidemque ſepultus. Id autem quomodo evenire potuerit ignotum eſt; cum Deuteron. 2. ℣. 9. nunquam Deus ſe daturum ſpopondis quidquam de terra Moab Iſraelitis?

Reſpond. Adeo vetitos fuiſſe Iſraelitas Moabitarum terram pacifice poſſeſſam occupare, non autem, quæ ab Amorrhæis diu antea armorum vi capta fuerat; hanc Judaica gens juſſa eſt occupare ejiciendo Amorrhæos; hæc terra, in qua Montes Abarim,

Ne-

Digitized by Google

Nebo & Phaſga exiſtebant, quanvis antiquo ſuo nomine adhuc appellaretur *terra Moab*, attamen Amorrhæis ceſſerat in poſſeſſionem; unde ab Iraelitis poterat ſibimetipſis vindicari. W.

CAPUT III.

Ex Libris Joſue, Judicum, & Ruth.

§. I.

CAp. I. v. 11. *Poſt diem tertium tranſibitis Jordanem*. At iſta non cohærent cum tota narratione: nam capite ſequenti mittuntur exploratores qui per tres dies latitarunt in montanis, v. 22. unumque in domo Rahab. Rurſus cap. III. v. 1. venerunt Iſraelitæ ad Jordanem & ibi morantur tres dies. Reſpondent aliqui cum S. Auguſtino [a] Joſue hæc ſtatuiſſe ex humana prudentia ſperans exploratores ad ſe quam primum redituros. Verum magis arridet eorum Reſponſio qui cenſent per *hiſteron proteron* hæc eſſe accipienda; ita ut miſſio exploratorum, adeoque ea omnia quæ ſecundo capite referuntur, præponi debeant illi Joſuæ edicto per caſtra promulgato itaut tres dies quorum hic ſit mentio, ſint iidem cum tribus illis diebus qui *cap.* III. referuntur: quæ eſt ipſa Joſephi in libris Antiq. ſententia.

[a] Quæſt. 2. in l. cap. Joſue.

Cap. II. v. 14. *Anima noſtra ſit pro vobis in mortem*, &c. quibus verbis Exploratores promittunt Rahabæ & univerſæ ejus familiæ vitam & ſalutem ſi eos illa non prodiderit: at id contrariatur huic divino mandato Deuter. XX. v. 14. *Cumque tradiderit Dominus Deus tuus illam* (terram Chanaan) *in manu tua, percuties omne quod in ea generis maſculini eſt in ore gladii*, &c. Reſponſio, percutiendi erant omnes Chananæi Idololatræ & Iſraelitarum hoſtes: non vero amici & erga veri Dei cultum bene affecti, qualis erat Rahab & univerſa ejus familia, uti liquet ex ejus Rahabæ ad Exploratores diſcurſu.

Cap. VII. v. 15. *Quicumque in hoc facinore* (furti) *deprehenſus fuerit comburetur igni*: At v. 25. Achan qui repertus eſt hujus criminis reus, lapidatus eſt. Reſpondet S. Auguſt. quæſt. 9. ſuper Joſue, per *ignem*, intelligi quamcumque calamitatem & pœnam; ſubindeque lapidationem. Reſpondent alii, Achan cum filiis ſuis non vivos fuiſſe exuſtos, ſed primum lapidatos, deinde cum re furtive ablata & univerſa ſupellectile igne conſumptos, Deo hauddubie mitigante pœnam.

Cap. X. v. 13. & 14. *Stetit itaque Sol in medio cæli, non fuit antea, nec poſtea tam longa dies*. Unde Eccl. XLVI. v. 5. *Una dies facta eſt quaſi duæ*. At I. Paralip. IV. v. 22. Memoratur vir qui etiam ſtare fecit Solem: Similiter Iſaiæ XXXVIII. v. 8. Sol reverſus eſt decem lineis, per gradus quos deſcenderat; adeoque idem decem linearum ſpatium ter eodem die eſt emenſus: ſicque lumen emerſit horarum circiter 32. Reſpondet Maſius diem Joſuanum non conferri cum aliis in longitudine, ſed cum ſimili fine & effectu; ita quod nuſquam Deus ad alicujus hominis preces cædendi hoſtis gratia, ſic diem produxerit. At in hiſtoria Cardinalis Ximenii idem miraculum ad ejus preces innovatum legimus in expugnatione Maurorum. Reſpondet Lyranus ſtationem Solis ſub Joſua contigiſſe in ſolſtitio æſtivo: Ezechiæ vero temporibus, in brumali, ac proinde illa longior fuit hac: enimvero duplicata dies in æſtate, quadruplicatæ hiemali correſpondet. *Reſponſio* Communior eſt, in Joſue libro ſermonem eſſe de productione diei reſpective ad Palæſtinæ climata, in quibus tam prolixa dies nuſquam contigit.

Ibidem v. 26. Rex Hebron cum aliis quatuor dicitur ſuſpenſus & necatus in ſtipite: at v. 36. refertur cum ſuis civibus occiſus *in ore gladii*. Reſpondet Lyranus in poſteriori verſu agi de Rege novo qui priori capto extra urbem Hebron & ſuſpenſo, in urbis regimine ſucceſſerat; atque poſtmodum in ejuſdem civitatis vaſtatione fuit trucidatus; nam inter ſuſpenſionem unius & alterius interemptionem, plures civitates cœpit Joſue; ac ſubinde de uno eodemque hæc diverſa occiſio non potuit referri.

Ibidem civitates *Hebron* & *Dabir* dicuntur captæ & vaſtatæ a Joſue: quod confirmatur cap. XI. v. 21. *In tempore illo venit Joſue & interfecit Enacim de montanis Hebron & Dabir & Anab, & de omni monte Juda & Iſrael, urbeſque eorum delevit*. At I. Judicum *Hebron & Dabir* dicuntur expugnatæ a Tribu Juda duce Calebo poſt Joſue obitum. Reſpondet Maſius ab utroque Duce & Joſue & Calebo has civitates fuiſſe expugnatas: accidiſſe enim potuit poſt Joſue victoriam & vitam ut Chananæi, præſertim Gigantes, Montivagum genus, qui tempore expeditionis Joſue in ſpeluncis latitatant, poſtmodum reſumptis animis & armis eas urbes invaſerint. Licet enim Joſue, quos aſſequebatur Chananæos, perimeret nimimeque parceret; nihilominus tamen cum potius raptim armata manu regionem illam tranſcurreret, ſatiſque haberet victoria ſua terrorem omnibus Chananæis incutere, quam omnes omnium locorum latebras extrema diligentia perſcrutari; inde factum eſt, ut plures ejus ultricem manum evaſerint, confugerintque vel in ſpeluncas, vel in civitates Palæſtinæ vicinas, uti legimus cap. XI. v. 22. qui captata poſtmodum occaſione in eaſdem Civitates ſubactas a Joſue irruperunt, unde tandem ab Iſraelitis duce Calebo fuerunt ejecti. (1) (1)

§. II.

Ex Libro Judicum.

CAP. I. v. 8. *Oppugnantes ergo filii Juda Jeruſalem cœperunt eam, & percuſſerunt in ore gladii, tradentes cunctam incendio civitatem.* At v. 21. *Jebuſæum autem habitatorem Jeruſalem non deleverunt filii Benjamin*; nam Joſue XVIII. v. 28. Jeruſalem numeratur inter quatuordecim civitates quæ aſſignatæ ſunt in ſortem tribus Benjamin. *Reſpondeo* veriſimile eſſe, unam eandem urbem utrique Tribui fuiſſe conceſſam; ita tamen ut ſeptentrionalem partem, quæ quondam vocabatur *Salem* Geneſ. XIV. v. 18. ceſſerit in ſortem Benjaminitarum: Auſtralis vero quæ dicebatur *Iebus*, a Tribu Juda fuerit occupata. Unde Tribus Juda & Benjamin communem in eadem civitate habitationem, & in Jebuſæo hoſtem habebant. Tamerſi enim civitatem hanc (ſorte annuentibus Benjaminitis) cœperint & vaſtaverint Judæi; attamen ab ea Jebuſæos, qui ad arcem confugerant, non potuerunt expugnare: hinc Joſue. XV. v. 63. *Jebuſæum autem habitatorem Jeruſalem non potuerunt filii Juda delere, habitavitque Jebuſæus cum filiis Juda in Jeruſalem uſque in præſentem diem.* Ex quibus manifeſtum fit duas Tribus, Benjamin & Judam, conjunctim eandem civitatem Jeruſalem incoluiſſe, & Jebuſæis in arce ſeſe tutantibus tandem dediſſe manus ut pacifice tandiu cohabitarent, donec a Davide capta illa arce, ab ea civitate pulſi ſunt II. Reg. cap. V.
(2) v. 7. (2)

Cap. X. v. 1. *Poſt Abimelech ſurrexit dux in Iſrael Thola filius Phua patrui Abimelech, vir de Iſachar:* ex quibus apparet Tholam fuiſſe nepotem Gedeonis; nam Gedeon erat frater Phua: at cap. VI. v. 15. Gedeon dicitur de Tribu Manaſſis: itaque ejus frater ex tribu Iſacharis non erat oriundus. Reſpondet S. Auguſtinus quæſt. 47. in hunc lib. Gedeonem & Phuam fratres uterinos habuiſſe diſtinctos Patres & ex diverſis Tribubus; mulieres enim poterant viris aliarum Tribuum nubere, ubi non aderat periculum miſcendarum hæreditatum.

Ibidem v. 4. *Ex nomine ejus appellata ſunt* HAVOT JAIR, *id eſt oppida Jair.* At Numer. XX. v. 41. hoc nomen illis oppidis factum fuerat ab alio Jair longe antiquiore. *Reſponſio:* appellatio primum facta eſt ab antiquiore Jairo qui ea occupaverat: cum vero hæc oppida meliorem in formam fuiſſent inſtaurata atque muris cincta, a poſteriore Jairo, idem nomen, quod forte temporum ſucceſſu variatum fuerat, denuo
reſtitutum eſt & innovatum. (3) (3)

Cap. XVIII. v. 1. *Tribus Dan quærebat poſſeſſionem ſibi, ut habitaret in ea: uſque ad illum enim diem inter cæteras Tribus ſortem non acceperat:* At Joſue cap. XIX. v. 40. Tribus Dan cum aliis Tribubus, dum diſtribueretur terra Chananæorum, in ſortem venit. *Reſpondeo* revera Dan Tribum ſortem cum aliis obtinuiſſe; at cum hæc eſſet anguſtior quæ numeroſæ jam multitudini ſufficeret, amplior fuit quærenda. *Accedit* quod hæc Tribus non potuerit eripere Amorrhæis fortiſſimis populis partem regionis ſibi conceſſam; quamobrem ab aliis populis
minus pugnacibus alia fuit occupanda. (4) (4)

AD CAPUT TERTIUM
CONCILIATORII BIBLICI
SUPPLEMENTUM.

(1) JOſue cap. 10. ℣. 42. legimus ab Joſue uno impetu captos eſſe univerſos Reges a Cadesbarne uſque Gazam, omnem terram Gosen uſque Gabaon vaſtatam eſſe ſibique ſubjugatam. Contrarium evincitur ex ℣℣. 15. & 19. hujus capitis, in quibus ita prælia Joſue deſcribuntur, ut plures dies inſumpti adverſos Reges iſtos videantur.

Reſpond. Per *unum impetum*, non unicum conflictum eſſe intelligendum, ſed unicam expeditionem, per quam tot trophæa tot victoriæ partæ leguntur prius quam inceptum bellum adverſus hoſtes illos remitteretur vel unico die; ita Maſius, Vatablus, Tirinus, & Abulenſis. Reliquæ in hoc libro apparentes antilogiæ ſatis ad pag. 286. & 437. primi Volum. Diſquiſit. conciliatæ ſunt.

(2) Judicum cap. 8. ℣. 23. Gedeon recuſavit Iſraelitarum regimen, inquiens = Non dominabor veſtri, nec dominabitur in vos filius meus = Eodem tamen cap. 8. ℣. 28 legimus quieviſſe terram per annos 40. quibus Gedeon præfuit, cap. 9. ℣. 6. Abimelech Gedeonis filius, Rex fuit conſtitutus, & aliquot annis regnavit.

Reſpond. Monarchicum regimen a Gedeone fuiſſe recuſatum, non autem Judicis officium, quod & ſuæ generis alii præclari homines jam geſſerant; cujus erat munus Dei populum ab inimicis defendere, atque res bellicas diſponere; regimen autem Reipublicæ apud Synedrium, & Pontificem ſervabatur. Nil autem ad rem quod filius Abimelech tumultuaria quadam electione in Regem a Sichimitis fuerit aſſumptus poſt Gedeonis mortem, inſignis enim iſte vir in laudato ℣. 23. ſuam voluntatem ſignificavit, non prophetica de futuro oracula edidit.

Cap. 9. Judicum ℣℣. 18. & 24. ſeptuaginta Gedeonis filii leguntur occiſi. Conſtat nihilominus 68. ſolummodo occiſos eſſe

Ge-

Gedeonis filios ex capp. 8. & 9 Judic. cum ſoli ſeptuaginta fuerint iidem filii, duos autem Abimelech nimirum, & Joatham non fuiſſe interemptos evidenter ex ſacro textu compertum eſt.

Reſpond. ex Cornelio & Calmeto in comment. ad hunc locum: ſolemne eſſe Divinæ Scripturæ numerum integrum, & rotundum adhibere quamvis pauca aut deſint, aut ſuperſint ad illum conſtituendum. Ita pariter hunc locum Vatablus, & Druſius exponunt. Rabbi David ita ad hunc locum ſcripſit = unum non impedire quominus ponatur numerus rotundus = Nos etiam conſuevimus nominare LXX. Interpretes, cum tamen fuerint ſeptuaginta duo, juxta narrationem Ariſtæi de verſione Bibliorum ab illis elaborata. Joannis pariter 20 ℣. 24. legimus = Thomas unus ex duodecim = cum tantum undecim eſſent. Alia exempla apud Druſium videri queunt.

(3) Judicum 11. ℣. 26. legimus habitaſſe Iſrael in terris Amorrhæorum per trecentos annos. Falſum omnino videtur, cum iſte annorum computus ab occupatione Heſebon, aliarumque terrarum ſub Moyſe Duce uſque ad Principatum Jephte nequaquam conſiſtere poſſit; ſoli quippe anni 267. interceſſiſſe leguntur.

Reſpond. primo a Jephte uſurparum fuiſſe hoc in loco numerum completum, & plenum, eo vel magis quod eidem ſavebat; cum etenim anni 267. magis ad 300. quam ad 200. accedant, hinc proximiorem numerum rotundum proponens trecentos annos enunciavit. Reſponderi ſecundo poſſet numerum annorum per Jephte non eſſe inchoatum a tempore, quo ſub Moſe terra illa Amorrhæorum occupata eſt, ſed ab anno ſecundo poſt exitum de Ægypro, cum Deus juſſit Iſraelitas invadere terram illam, ipſique ad eam videndam exploratores miſerunt; & in hac hypotheſi anni ſupra numerum 300. aſcendunt. Rabbini ex Libro *Seder Olam* integros annos trecentos enumerant. Rabbi Salomon itaque hunc annorum cenſum inſtituit = Joſua rexit Iſraelem 28. annis. Othoniel filius Cenez 40. Ahud 80. Debora & Barach 40. Debora 40. Poſtea ſeptem anni ſervitutis Madian, & 40. Gedeonis, & 3. Abimelechi. Ecce 238. anni. Poſt 23. anni Tholæ, & 22. Jairis, niſi quod aſcendit annus unus ambobus, & 18 filiorum Ammon donec veniret Jephte. En 300. anni. Plurima jam tradidimus *de Judicum annis* in volumine I. Diſquiſitionum Pag. 435. in notis.

Judicum Cap. 14. ℣. 2. Mulierem de filiabus Philiſtiim Samſon ſibi deſpondi expoſtulavit. Eas autem ducere Exodi 34. ℣. 16. vetitum erat Iſraelitis. Judicum 16. pariter Samſon ſeipſum cum Philiſtæis enecavit: contrarium in Exodi Cap. 20. ℣. 13. cum eſſet conſtitutum, videlicet *non occides*.

Reſpond. Ad primum: quibus in circumſtantiis vetitum eſſet mulieres alienigenas in uxores accipi ab Judæis jam in ſupplemento ad Caput 2. Conciliatorii ſub num. 4. diſputavimus.

Ad Secundum. Reſpondet in primis S. Auguſtinus lib. 2. de Civitate Dei Cap. 26. ſpeciali Dei inſtinctu id operatum eſſe Samſonem. Secundo reſpondemus ex Lyrano, Serario, Tirino aliiſque non directe, & proprie ſeipſum occidiſſe Samſonem, ſed tantummodo indirecte, & permiſſive, eo ferme pacto quo exercitus Imperator hoſtes profligaturus mortem propriam non evitat; hinc nullum peccatum commiſſum ab Judice iſto, ſed potius egregium fortitudinis heroicæ actum eſſe hoc celebri facinore ab eodem elicitum unanimi conſenſu poſt Paulum Apoſtolum ad Hebræos Cap. 11. Sacri Expoſitores adfirmant.

Judicum Cap. 17. ℣. 1. Michæas extitiſſe dicitur eo tempore, quod Samſonis mortem eſt conſecutum, ſimulque cum eo vixiſſe narratur Jonathas filius Gerſam filii Moſis. Certum eſt autem inter Moſis mortem atque Samſonis annos ſaltem 316. interceſſiſſe; non ergo hæc inſimul congruere videntur.

Reſpond. Hæc omnia conciliari facillime ſi ſuis temporibus unumquodque factum reſtituatur. Conſentiunt itaque inſigniores Chronologi factum Michææ, & Daniticam expeditionem eo tempore contigiſſe, quod ab Joſue morte ad primum Judicem Othonielem interceſſit, dum ſpecies in Dei populo habebatur, quod non obſcure a ſacro textu Cap. 18 ℣℣. 1. & 31. inferri poteſt; unde quinque poſtrema Judicum Capita poſt Caput ſecundum ejuſdem Libri inſuenda fuiſſe videntur; non mirum quod Moſis Nepos Jonathas, eo tempore adhuc juvenis eſſe potuerit.

Ruth Cap. I. ℣. 14. Filii Elimelechi, (4)
& Noemi duas Moabitarum filias ſibi in uxores accepiſſe leguntur, quamvis Mulieres illæ ad Judæorum religionem converſæ non eſſent, ut patet ex ℣. 15. ejuſdem Capitis. Quomodo iſta conſiſtere poſſunt, ſi hujuſcemodi connubia jam diſtricte vetita erant Judæis Exodi 34. ℣ 16.?

Reſpond. Hujuſcemodi oppoſitionem jam ſuperius fuiſſe a nobis convulſam in ſupplemento Conciliatorii ad Caput ſecundum ſub Num. 4. Filii autem Noemi num peccatum admiſerint eas nondum converſas ducendo incertum eſt: excuſantur quippe a Ruperto Lib. I. in Matth. atque a Toſtato Quæſt. 14. in Cap. I. Ruth.

Eodem Cap. I. Ruth, Elimelechus Noemi Maritus de Bethelem Judæ fuiſſe ℣. I. ℣. autem ſecundo appellantur Ephrathæi. Ephrathæi autem, viri erant de Tribu Ephraim, ut conſtat ex Cap. 12. Judicum ℣. 5. Non ergo eſſe poterat Elimelech de Bethelem Judæ.

Reſpond. *Ephrathæi* nomen In Scriptura æquivocum eſſe poſſe, ſi abſque ullo uſurpetur adjuncto. Aliquando etenim virum ſonat de Tribu Ephraim, ut in Cap. 12. Judicum, & in Capite I. Libri I. Regum ℣. I. & tandem in Cap. XI. Libri 3. Regum ℣. 26. Veruntamen ex divinis Literis pariter eſt compertum Civitati Bethelem antiquitus nomen fuiſſe Ephrata, ut patet ex Geneſeos Cap. 35. ℣. 19. & ex Cap. 48. ejuſdem Libri ℣. 7. Poſtquam autem

hæc

hæc Civitas a Judæis occupata eſt quamvis Bethelem appellaretur, ejus Cives tamen Ephratæi dicebantur: Non ergo quid inconveniens in Capite illo Ruth adinvenitur.

Ruth Cap. 3. ℣. 12. confeſſus eſt Booz alterum propinquiorem eſſe defuncto jam Marito Ruthæ. Oppoſitum legimus Cap. 4. ejuſdem Libri ℣. 3. in quo inquit Booz Elimelechum Noemi Maritum fuiſſe fratrem tam ſuum quam illius propinqui, ad quem loquebatur: æquali igitur modo tam Booz quam alter erant propinqui Elimelechi & Noemi, proindeque & Ruth.

Reſpond. Familiare eſſe Scriptoribus Sacris cognatos, vel conſanguineos nomine *fratris* appellare. Ita in Geneſis Cap. 14. ℣. 14. legimus = quod cum audiſſet Abram captum videlicet Loth fratrem ſuum = Loth autem filius erat fratris Abrahæ; hinc Druſius hunc locum exponit = *fratris noſtri* conſanguinei, ſive cognati noſtri; hoc eſt fratris tui revera, mei autem patrui = In hac expoſitione nulla prorſus antilogia inter Caput tertium & quartum Libri Ruth adinvenitur. Aliæ quæ poſſunt in hoc libro occurrere, ſatis ad pag. 443. Volum. I. Diſquiſit. propoſitæ ſunt & explicatæ. W.

C A P U T IV.

Ex libris primo, & ſecundo Regum.

§. I.

(1) CAP. XIII. *Filius unius anni erat Saul cum regnare cœpiſſet: duobus autem annis regnavit ſuper Iſrael.* At Act. XIII. v. 20. *Exinde poſtulaverunt Regem, & dedit illis Saul filium Cis virum de Tribu Benjamin annis quadraginta.* Duo hic pugnare videntur: primum quod Saul dicatur *Filius unius anni* dum regnare cœpit, cum jam eſſet adultæ ætatis, & altior aliis Iſraelitis ab humero & ſurſum: ſecundum quod referatur *duobus annis regnaſſe*, cum alibi regnaverit ann. XL. *Reſponſio ad primum.* Saul erat filius unius anni vel quando regnum iniit, ob innocentiam ſcilicet & mentem ab omni malitia immunem; quia ut loquuntur Doctores Hebræi, referente Jario, *Nondum guſtaverat guſtum peccati*; quibus concordat illud S. Pauli monitum I. Cor. XIV. *Nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia parvuli eſtote.* Vel jam ab anno regnum inierat dum hæc agerentur, nimirum illius regni in Galgalis innovatio & confirmatio. (a) *Ad ſecundum:* duobus annis regnavit legitime & antequam reprobaretur a Deo. Vel regnaverat duobus annis cum ſibi eligeret tria millia virorum ex Iſrael, & copias militares contraheret. Sunt etiam qui ſentiunt ex principatu Samuelis & Saulis confici XL. annos a S. Paulo memoratos; cum enim Samuel judicem egerit annis XXXVIII. quia populo præfuit ab adoleſcentia, uti colligitur ex I. Regum XII. v. 2. quibus annis, ſi duos regni Saulis adjicias, conflabuntur XL. quos utique ſimul commemorare voluit S. Paulus, utriuſque præfecturæ tempora conjungens, & neutri ſeorſim definite annos adſcribens.

Ibidem v. 13. *Quod ſi non feciſſes, jam nunc præparaſſet Dominus regnum tuum ſuper Iſrael in æternum.* At Geneſ. XLIX. promittitur Judæ ſceptrum non auferendum ex ejus familia donec Meſſias venerit: non potuit ergo Regni perpetuitas concedi poſteritati Saulis qui erat ex Tribu Benjamin. *Reſpondeo* promiſſionem illam Sauli factam, fuiſſe tantum conditionatam, & ex hypotheſi quod ipſe fideliter in omnibus Deo paruiſſet: neque illa futura erat uſque ad mundi finem, ſed donec aliquis ex ejus ſtirpe virilis ſeminis extitiſſet: at cum prævidiſſet Deus Saulem ab hac conditione defleaurum, abſolute decrevit ſceptrum ab eo auferendum & transferendum in Tribum Juda, donec veniret Meſſias. (2) (2)

Cap. XV. v. 35. *Et non vidit Samuel ultra Saul uſque in diem mortis ſuæ:* At cap. XIX. v. 24. refertur Saul prophetans nudus coram Samuele. *Reſponſio* non vidit amplius eum Samuel Regem agentem & ſalutaria monita excipientem & exequentem, ſed ut a Deo rejectum & exauthoratum, atque mente motum. (3) (3)

§. II.

Ex ſecundo Regum.

CAP. VIII. v. 18. *Filii autem David Sacerdotes erant.* At David erat ex Tribu Juda, *in qua nihil de Sacerdotibus Moyſes locu-*

(a) Textum hunc inter reliqua Scripturæ Divinæ loca difficilia profecto difficillimum eſſe, diuque ab eodem Expoſitorum ingenia non leviter divexata intelliginus; innumeras propterea ab iis excogitatas explicationes neque refellere, neque referre otium eſt. Quam igitur literali ſenſui magis conſonam, magiſque naturalem dignoſcimus, ſeligendam curabimus. Rabbini ferme omnes in eo conveniunt quod voces iſtæ *Filius unius anni in Regno*; ſive *in regnare ſuo*; ſive tandem *cum regnare cœpiſſet*, nequaquam regnantis ætatem, ſed tempus, quo quiſpiam regnavit, indigitent; quaſi in Principibus non ortum in mundo, ſed cum ſceptrum, & Monarchiæ regimen aſſumunt, nativitatem eorum debeamus attendere; hinc R. Salomon ad hunc Regum textum ſcripſit = Anno primo quo Rex factus eſt .... anno inquam primo Regni elegit ſibi M. M. M viros = R. David = Tunc cum eſſent ea, quæ locutus eſt Samuel de innovatione Regni, annus erat ei ab initio quo regnare cœperat = R. Jeſaias = Anno primo quo regnavit, elegit ſibi tria millia virorum ex Iſrael = Hanc Rabbinorum expoſitionem Druſius, Clarius, Vatablus, Munſterus, Calmetus, aliique melioris notæ Commentatores Catholici amplectuntur. Hac de re ſuperius in Libro 3. Apologetici pro Vulgata ad §. IV. diſputavimus. (W.)

Digitized by Google

locutus eſt, inquit Apoſtolus Hebr. VII. v. 14. *Reſp.* Vocem *cohen* hic poſitam, non ſolum *Sacerdotes*, ſed & *Principes*, *Præſides* & *populi Duces*, ac *militum Præfectos* ſignificare; Unde I. Paralip. XVIII. v. 17. hic locus ſic redditur: *Filii David primi ad manum Regis*. Quamobrem Sacerdotes dici poterant juſtitiæ, & Concilii Regii Principes & Presbyteri. (4)

(4) Cap. X. v. 18. *Occidit David de Syris ſeptingentos currus & quadraginta millia equitum:* At I. Paralip. XIX. v. 18. *Interfecit David de Syris ſeptem millia curruum & quadraginta millia peditum.* Quæ prioribus non cohærent. *Reſp.* In hoc bellicoſo congreſſu ex Syrorum exercitu deſiderata eſſe octoginta & ſeptem militum millia, & in libro Paralip. ſuppleri quod in hiſtoria Regum fuerat prætermiſſum; prætermitti vero quod in illo libro fuerat narratum; proinde hic addit *peditum quadragiata millia*, quod ille omiſerat, nec meminit *equitum*, quia iſtud in lib. Regum fuerat expreſſum. Cæſi ſunt igitur in hoc bello octoginta ſeptem armatorum millia, nimirum quadraginta millia equitum vulgarium, & ſeptem millia nobiliorum qui ſeptingentis curribus vehebantur, uti refert liber Regum: & præterea quadraginta millia peditum, quod liber Paralip. narrat. (5)

(5) Cap. XV. v. 7. *Poſt quadraginta annos dixit Abſalon ad Regem*, &c. iſta non concordant cum Regno Davidis qui non multum ultra quadraginta annos imperavit. *Reſp.* S. Hieronymus *in quæſt. Hebr.* hos XL. annos numerandos eſſe a tempore quo Saul interfecit Sacerdotes, ut denotetur divinam ultionem ſuſcitari ſuper David, quod Achimelech Sacerdotem fefellerat fueratque in cauſa cur hic cum aliis Sacerdotibus trucidaretur. Putant alii exordium horum XL. annorum ducendum eſſe a tempore quo Iſraelitæ petierunt Regem, ut ex hac rebellione revocarent in memoriam Samuelis Oraculum, quod hæc petitio foret exitioſa. Al qui petendum volunt ab unctione Davidis, quæ videtur contigiſſe anno ſecundo Regni Saulis: ac ſubinde hæc Abſalonis in patrem perduellio contigit ad minus anno integro ante Davidis mortem. (6)

(6) Cap. XXI. v. 19. *Tertium quoque fuit bellum in Gob, contra Philiſtæos in quo percuſſit Adeodatus filius Saltus Polymitarius Bethlcemites Goliath Gethæum.* At Goliath occiſum fuiſſe a Davide conſtat I. Reg. XVIII. *Reſpondeo* hunc Goliath diverſum eſſe ab eo quem David adoleſcens interfecit; ut conſtat ex textu, ubi in tertio bello contra Philiſtæos hic Gigas dicitur occiſus cum jam David annoſus eſſet & viribus deficeret, *Ibidem v.* 15. Quamobrem I. Paralip. cap. XX. v. 6. hic dicitur *Frater Goliath Gethæi*, frater, inquam, ſi non ſanguine & origine, certe ſimilitudine roboris & vaſta corporis proceritate. (7)

Cap. XXIV. v. 9. *Et inventa ſunt in* (7)
Iſrael octingenta millia hominum fortium qui educerent gladium & de Juda quingenta millia pugnatorum. At hic numerus non concordat cum eo qui aſſignatur I. Paralip. cap. XXI. ubi legimus: *Inventus eſt omnis numerus Iſrael mille millia & centum millia virorum educentium gladium: de Juda autem quadringenta ſeptuaginta millia virorum bellatorum.* Reſp. Cenſus quem refert prior textus, exhibitus eſt ab Joab, qui cum eſſet ex Tribu Juda, exactius rem in ſua Tribu confecerat; in cæteris vero Tribubus paulo negligentius; neque etiam Tribus Levi & Benjamin numeraverat; imo territus plaga e cœlo immiſſa, accedente etiam inhibitione Regis, a populi numeratione deſtiterat. Is vero cenſus qui refertur in libro Paralip. videtur confectus a Principibus militum, qui Joabo in hac populi numeratione aderant, quique partes ſuas in remotioribus Tribubus numerandis implentes, antequam illis innotuiſſet Regis edictum, pergebant numerare populum, cum jam Joabus deſtitiſſet: unde collegerant alia trecenta millia virorum ex Iſrael. Pauciores vero referunt ex Juda, quia forte cum huic negotio darent operam, inhibitionem Regis acceperunt. Adiici poteſt quod in priori numeratione virorum Iſrael, ſcribantur tantum viri fortes; in poſteriori vero etiam gregarii milites: *Similiter* in priori numeratione virorum de Tribu Juda ſcribuntur milites cum Ducibus & Præfectis: in poſteriori vero ſoli milites referuntur. *Vel* in libro Reg. non comprehenduntur legiones ordinariæ, quippe quæ jam ante in numerato erant pro Regis cuſtodia, expeditæ enim ſemper habebantur diſtributiones duodecim, una in unaquaque Tribu habens viginti quatuor millia virorum ſtringentium gladium, qui numerus per duodecim ſubductus & multiplicatus, ſummam militum efficit ducenta & octoginta octo millia: his autem præerant ſui Duces XII. cum ſua quiſque Chiliade atque Chiliarchis, ut ibidem dicitur, ex quibus aſſurgit ſumma *duodecim millium*, hoc numero addito priori, prodeunt præciſe trecenta millia, quæ in Paralip. excedunt numerum qui recenſetur in libris Regum.

AD CAPUT QUARTUM
CONCILIATORII BIBLICI
SUPPLEMENTUM.

(1) Regum Libro I. Cap. I. ℣. I. Elcana Ephrathæus appellatur, ideſt de Tribu Ephraim. Certum autem eſt ex I. Paralipomenon cap. 6. ℣℣. 33. & ſequent. Elcana de Tribu Levi extitiſſe.

Reſpond. Elcanam fuiſſe *Ephrathæum* nuncuparum non ab agnarione, ſed a domicilio; ex Tribu etenim Levi virum hunc originem duxiſſe pluſquam certum eſt. Cum tamen in Rama ortum, parentes, atque educationem eſſet ſortitus, eoquod illa Civitas in Tribu Ephraim Levitis ſeparata foret, ibidemque Elcanæ parentes habitarent, hinc Ephrathæus & ille dicebatur, eo ferme pacto, quo Actorum cap. 2. ℣. 5. in Jeruſalem extitiſſe dicuntur Judæi ex omni natione, quæ ſub Cœlo eſt; Parthi, & Medi, & Ælamitæ &c. qui tamen vere Judæi erant, quamvis a locis nativitatis & habitationis eorum appellarentur.

Eodem capite ℣. 11. Anna Samuelis mater Domino vovet filium, ſi eidem, ſterilitate ſemota concedatur. Quid mulier illa ſpondebat, ſi Levitæ omnes Deo mancipati erant pro primogenitis filiorum Iſrael, ut ex Numer. cap. 3. ℣. 45. compertum eſt?

Reſpond. non deeſſe Scriptores, qui opinentur ab Anna devotum eſſe filium ad Deo ſerviendum in Sanctuario cunctis diebus vitæ ſuæ, quibus ſub patria poteſtate detinebatur; cum etenim ſui juris factus eſſet ad parentum vota non tenebatur, ſi nollet. Ajunt ulterius ab eodem oblatum fuiſſe in Nazaræum, ad quam vitæ rationem minime tenebantur Levitæ. Verum potuiſſe ex voto parentum ad id obligari filium, cui jam ex lege deſtinatum erat non obſcure ex Sancti Thomæ doctrina in 2. 2. q. 88. artic. 2. revincitur, cum ibidem doceat Angelicus actum a lege naturali, vel poſitiva imperatum ſub propria voti materia contineri. Anna propterea ad legis obligationem etiam vinculum alterum ex voto adjunxit ut facilius a Deo prolem impetraret, ut ait S. Auguſtinus Epiſt. 121. ad Probam cap. 16.

Capite 2. Libri I. Regum ℣. 25. ſcriptum eſt quod ſi vir in Dominum peccaverit, non erit qui pro eo Dominum oret. Oppoſitum legimus Levitici cap. 4. ℣. 35. ubi pro quocumque Sacerdos oblationem offerre jubetur, ut peccatum ei dimittatur.

Reſpond. Pro hujuſcemodi oppoſitione ſatis a nobis diſputatum eſſe in notis ad pag. 449. Voluminis primi Diſquiſit. Biblicarum.

Libri I. Regum cap. 7. ℣. 15. Samuel toto vitæ ſuæ tempore judicis obiiſſe munus enarratur. Cum tamen in capite 10. ejuſdem Libri Sauli in Regem electo jus ferendi ſententias, & judicia in univerſo populo devolviſſe referatur,

Reſpond. Electum quidem fuiſſe Saulem in Regem, minime tamen tempore regni ejus, a ſua defeciſſe auctoritate ſummi ſacerdotis, prophetæ, & judicis Samuelem; Rex quippe ipſe non parum a Samuelis oraculis cum in rebus Religionis tum in Regni adminiſtratione dependebat, ut jam in ſupplemento ad caput. 2. Conciliatorii ſub num. 15. dictum eſt.

Ejuſdem capitis ℣. 17. Samuel in Ramata novum extruxiſſe altare Domino refertur. Nunquid ſanctus ille Propheta legem ignorabat Deuteronomii cap. 12. ℣. 4. & ſeqq. ubi prohibentur Iſraelitæ victimas offerre extra locum a Domino electum, ſcilicet extra Sanctuarium Dei?

Reſpond. Hanc difficultatem tam Catholici, quam alii Expoſitores reſolvunt ſupponentes legem illam Deuteronomii Iſraelitas minime obligaſſe donec locus ſtabilis Sanctuario Dei eſſet conſtitutus, nec non quamdiu fuerunt in deſerto; hinc illicitum fuit ſacrificia alicubi offerre quam in Silo, quandiu ibidem Arca perſeveravit; & illicitum pariter poſt templi conſtructionem, quia eum locum ſibi Dominus elegit. Quando autem Arca Dei locum certum minime obtinuit, ſed modo in Galgalis, modo in Maſpha, nunc in Nobe, nunc in Gabaon, & alibi veluti hoſpes, & peregrina permanſit licitum fuiſſe Judæis ubique ſacrificium offerre tradunt Expoſitores; Calmetus, Lyranus, Rabbi Salomon, Druſius, Fagius, Vatablus, aliique Expoſitores ad cap. 12. Deuteronomii. Samuel autem cum ſacrificium obtulit in Ramata, nullum ſtabilem locum Arca Dei poſſidebat.

Cap. 8. lib. I. Regum ℣. 7. abiieciſſe dicuntur Deum filii Iſrael, quod Regem petierint. Quomodo autem id contingere poterat, ſi Deuteron. 17. ℣. 14. Populo ſuo Deus conſtituere ſibi Regem permitrit, dummodo alterius gentis virum in Regem non eligat?

Reſpond. in Deuteronomio Regis inſtitutionem permitti, ex ſuppoſitione quod populus eum ſibi eligere vellet; non quod Deus eum inſtituendum mandaverit, ſicuti dum præſcribitur ritus tradendi libellum repudii, id fit ex hypotheſi quod vir uxorem dimittere velit. Non autem abſolute conqueritur Dominus pro electione Regis a populo expoſtulata; ſed ut ex Hebræis ipſis adnotant Fagius, Munſterus, Clarius, & alii, quia ex tumultuario quodam, & inconſiderato animo non pro honore Dei, & conſervatione juſtitiæ Regem popoſcerunt; magis in homine ſuam fiduciam quam in Deo collocantes; a quo toties e ſummis diſcriminibus erepti fuerant. Sunt pariter qui velint Deum a populo offenſum, quod

Re-

Regem ſibi dari non juxta legem a Deo ſancitam, ſed juxta morem aliarum gentium.

Cap. 10. ℣. 12. legimus verſum eſſe proverbium *Num & Saul inter prophetas?* Eo quod in colle Dei factus fuerit Spiritus Domini ſuper Saul, & in medio Prophetarum & ipſe cœperit prophetare. Cap. autem 19. ℣. 24. hujus libri prælaudatum proverbium exiiſſe refertur ex quo Saul in Najoth in Ramatha cum aliis ſpiritu Domini arreptus prophetavit.

Reſpond. ex utraque occaſione editum eſſe proverbium, in una videlicet adinventum, in altera vero confirmatum; quo deinceps utebantur Judæi dum aliquod novum, & inopinatum intuebantur; vel dum aliquem rebus a ſua profeſſione alienis ſe immiſcentem, vel ſua conditione altiora deſiderantem increpare volebant.

Cap. XI. ℣. I. Naas Ammonites pugnam adverſus Jabes Galaad inſtruxiſſe uno menſe poſt electionem Saulis in Regem enarratur. In Cap. autem 12. ℣. 12. hujuſce Libri ante electionem Regis Naas in Iſraelitas bellum commiſiſſe refertur; cui nam ex hiſce locis fides habenda?

Reſpond. Ambobus divinæ ſcripturæ textibus plenam fidem habendam, cum Spiritus veritatis utrumque locum ediſſeruerit divinæ lectionis. Senſus itaque eſſe poteſt quod Naas bellum in Iſraelitas indixerit atque diſpoſuerit, ipſique ſtatim Regem a Samuele petiverint, qui eos ab hoſtibus liberaret, bellumque dirigeret. Eo autem electo, idque reſcientibus Ammonitis, per integrum menſem expeditionem adverſus Judæos in ſuſpenſo reliquerunt; cum autem intelligerent electionem Saulis non omnibus Iſraelitis eſſe probatam, armis ſtatim militibuſque Jabes perſtrinxerunt. Dicere ulterius poſſumus Naas invaſiſſe Judæos ante Saulis electionem, cum quo nonnullis conditionibus ſeſe compoſuerint; audita deinceps Regis electione, Tyrannus unico ab eadem elapſo menſe, novam expeditionem in Iſraelitas commiſerit.

(2) Capite 14. Libri ejuſdem primi ℣. 3. Achias filius Achitob induiſſe Ephod enarratur. Hanc autem veſtem ſolius Sacerdotis ſummi fuiſſe ex Libro Exodi commonemur.

Reſpond. Hunc Achiam fuiſſe ſummum Sacerdotem; eſt enim idem qui alio nomine vocatur Achimelech Cap. 22. Libri I. Regum. ℣. 11.

Capite 15. hujus Libri ℣. 6. Saul indixit Cinæis ut ab Amalecitarum urbibus abirent, ne in communi eorum internicione comprehenderentur. Ex Judicum Cap. I. ℣. 16. Cinæi in terra Judæ morabantur, cum eſſent proſelyti.

Reſpond. Ex Mendoza in ſorte Judæ primitus Cinæos fuiſſe commoratos, inde vero paululum receſſiſſe, atque in territorium Amalecitarum penetraſſe, ſuaque tentoria ibidem fixiſſe, unde clam a Saule moniti ſunt inde recedere, ne in generali Amalecitarum involverentur excidio.

Ejuſdem Capitis ℣. 28. legimus a Samuele dictum Sauli quod Deus illa die ſciſſit Regnum ejus ab eo. Certum eſt autem diu antea, ut patet ex Capite 13. ℣. 14. hujus Libri, ſciſſionem hujuſmodi a Deo factam fuiſſe.

Reſpond. In Caput 13. eſſe indicatam divinam Sententiam contra Saulis inobedientiam; in hoc autem loco immutabile, atque irrevocabile decretum eſſe firmatum ſignificatur, non quod reſpectu ſui firmatum antea non eſſet, ſed reſpectu Saulis hæc confirmatio nondum innotuerat.

Capite 16. hujuſce Libri ℣. 11. David *parvulus* appellatur; cujus oppoſitum eſt in ℣. 18. immediate ſequenti, in quo David *vir fortiſſimus* nuncupatur *& bellicoſus*. (3)

Reſpond. appellatum eſſe *parvulum* non abſolute ſed relative ad fratres ejus, quorum ipſe minimus erat ætate. Tunc nihilominus David annis natu 28. tradunt fuiſſe in Seder Olam Hebræi. Beniamin etiam Geneſis 43. ℣. 29. parvulus appellatur, cum tamen jam decem filios ſuſcepiſſet, ut patet ex Cap. 46. ℣. 21. Geneſeos.

Eodem Cap. ℣℣. 21. & 22. legimus Davidem a Saule dilectum, ſuumque armigerum, atque citharædum eſſe conſtitutum, id expoſcente Rege ab Iſai patre David. Quomodo verum eſt quod legimus Cap. 17. ℣℣. 55. & 56. interrogatum videlicet Davidem a Saul de qua progenie, & de qua ſtirpe progenitus eſſet?

Reſpond. Huiuſcemodi interrogationem a Saule factam de ſtirpe, & proſapia Davidis, aliquibus argumento fuiſſe conniciendi nonniſi poſt partam victoriam de Goliath accitum fuiſſe Davidem ipſum a Rege, ſuumque armigerum, & Citharædum conſtitutum, quamvis hæc in ſacro textu ante proſtratum gigantem referantur; cui profecto ſententiæ, Abneri ignoratio de Davide, eiuſque progenie non parum momenti videtur adiungere. Verum communis Expoſitorum opinio fert, ex Regis mente innumeris intenta negotiis, ac frequenter mania quadam divexata Davidis imaginem excidere potuiſſe, eo vel maxime quod antea David veſte cultiori indutum, qualis Regium muſicum decebat, ſeſe exhibuerit Sauli; hac autem vice paſtoritio indumento coopertus inceſſerit. Hoc modo Calmetus, Vatablus, Clarius, Grotius, aliique nodum diſſolvunt.

Cap. 18. ℣. 10. invaſum a Spiritu Dei malo Saulem legimus; quomodo ergo prophetare poterat, ut ibidem aſſeritur?

Reſpond. Ex Vatablo, Clario, Grotio & Munſtero, quibus præferimus catholicos Expoſitores, vocem hebraicam [illegible] *vajithnabe*, & *prophetabant*, non ſemper *vera prophetica vaticinia emittere* ſignificare, ſi Rabbinos audiamus, ſed aliquando pro *inſanire*, *abſurda effutire*, atque *delirare*, uſurpari; hoc evidenter agnovit Chaldæus Paraphraſtes, qui propterea *& inſaniebat Saul* convertit, id evidentius adhuc ſacer contextus oſtendit, qui projectam in Davidem lanceam a Saule ut ipſum configeret ſtatim enarrat.

Capite 21. ℣. 2. Ab Achimelech panes Sanctificati Davidi eſurienti traditi referuntur. Cum tamen Marci 2. ℣. 26. ab Abiathar panes accepiſſe David palam enuncietur.

Reſpond. Pontificem iſtum duo probabiliter nomina geſſiſſe, Abiathari videlicet, & Achimelechi; in Libris Paralipomenon equidem nomina leguntur ſummorum Pontificum, qui ſub Davide floruerunt. Capite propterea XV. appellantur Sadoc, & Abiathar. Capite autem XVIII. ℣. 16. legimus = Sadoc autem filius Achitob, & Achimelech filius Abiathar Sacerdotes. Alia nonnulla hac de re in Conciliatorio ad Evangelium S. Marci proponuntur.

Capite 22. ℣℣. 3. & 4. legimus Maſpha in terra Moab extitiſſe. Oppoſitum eſt in Capite Joſue 18. cum in Tribu Beniamin Maſpha ſupponatur, altera autem in Tribu Juda Cap. 15. ℣. 38. Joſue.

Reſpond. Nullam adinveniri contradictionem, ſi in terra Moab locum ſupponamus, qui *Maſpha* appellaretur tanquam ſuo nomine proprio, vel ita dictum ab eminenti ſitu ejus, in quo ſpecula conſtituitur, vel munitum ex natura ſua eum David agnoſcens ad illum ſeſe contulerit. *Maſpha* profecto *locum editum* ſonat, eumdemque hoc in loco ſignificari non obſcure demonſtrat ℣. 4. hujus Capitis, in quo legimus aliquot diebus David in *præſidio* permanſiſſe.

Capite 28. ℣. 19. Samuel minitatur Sauli quod in craſtinum ipſe & filii ejus cum ipſomet Samuele erant futuri in altera vita. Quomodo Saul cum Samuele futurus, ſi in Libro Paralipom. I. Cap. 10. ℣℣. 13. & 14. propter iniquitates, & ſcelera ſua narratur occiſus, proindeque non in Abrahæ ſinu cum Samuele, ſed ad Inferos damnatorum videatur projectus.

Reſpond. Ex S. Auguſtino Lib. 2. Quæſt. ad Simplicianum Quæſt. 3. Saulem ſimul cum Samuele futurum fore in conditione mortuorum, non in æqualitate felicitatis. Quicumque enim decedunt inſimul ſunt, non quidem in loco, ſed in altera vita ſive infelix ſibi ſive beata.

Capite 29. ℣. 3. dicitur manſiſſe David apud Regem Achis multis diebus, vel annis. Oppoſitum legimus Cap. 27. ℣. 7. cum ſoli menſes quatuor a Davide apud Achis legantur conſumpti.

Reſpond. Cum variis poſſet in primis Commentariorum Scriptoribus, judicari mentitum eſſe Regem Achis, atque ex ingenio auctum eſſe tempus moræ Davidis apud ſemetipſum, ut Philiſtinorum Satrapas Davidis proſcriptionem urgentes tantiſper leniret. Alii vero opinantur ultimis menſibus cadentis anni, & primis anni ſequentis Davidem in Geth commoratum, unde Achis vere potuerit annos in plurali recenſere, quia aliquam duorum annorum partem apud ſemetipſum David inſumpſerat. Alii tandem fere per biennium in Achis ditione Davidem immoratum exiſtimant, quatuor videlicet menſibus in Geth, reliquo autem tempore in Siceleg. Quamcumque ex his amplectamur ſententiam, nullam in ſacris hiſce textibus antilogiam experimur.

Capite 31. ℣. 6. legimus in conflictu Gelboe contra Philiſtæum extinctum eſſe Saulem, filios ejus, & univerſos eius viros in illa die. Non ita contigiſſe narratur in Cap. I. Libri 2. Regum ℣. 4. in quo multi de populo Saulis corruiſſe dicuntur in prælio, non omnes, cum ibidem populus a facie Philiſtinorum aufugiſſe referatur.

Reſpond. Nullam ex hiſce textibus apparere contradictionem, quia in ℣. 6. Capitis 31. non univerſum populum interemptum, ſed univerſos viros Saul occiſos legimus, ideſt famulos, Cuſtodes, domeſticos, & quotquot ad ejus domum pertinebant, ut expreſſius in Libro I. Paralip. Cap. X. ℣. 6. ubi actio iſta bellica recenſetur, ſcriptum eſt.

Libro II. Regum Cap. 2. ℣℣. 8. & 9. dicitur Isboſeth ab Abnero Rex conſtitutus ſuper Geſſuri, & univerſum Iſrael, anniſque duobus regnaſſe ℣. 10. narratur. Hæc omnia minime poſſe videntur conſiſtere cum in Geſſuri eodem tempore ſceptrum habuerit Tholmai, qui ſocer Regis David extitit ex 2 Regum Cap. 13. ℣. 37. Non potuit inſuper ſuper Iſraelem univerſum Isboſethus, Rex conſtitui, quia jam David ſupee Tribum Juda in Regem ſalutatus erat, ex ℣. 4. Capitis 2. Libri 2. Regum.

Reſpond. Hujuſcemodi difficultatibus jam factum ſatis in notis ad pag. 451. primi voluminis Diſquiſit. Biblic. necnon in §. VIII. Lib. 3. Apologetici pro Vulgata. Quamvis autem Davidem Domus Juda ſibi in Regem aſſumpſerit, merito dicitur Isboſethus ſuper univerſum Iſrael ab Abnero conſtitutus, vel quod uſurpatoris inſtar, & Tyranni haberetur David ab illis, vel quod undecim Tribus univerſum Iſraelem ſatis comprehenderent, ſicuti poſt Salomonis mortem, ſciſſo Hebræorum Regno; Iſraelis Rex, qui undecim dominabatur Tribubus, appellabatur.

Capite 4. ejuſdem libri ℣. 2. Scriptum eſt duos latronum Principes Isboſetho filio Saulis adfuiſſe. Quomodo qui ſuo adhærebat Principi, Latronum principes eſſe poterant?

Reſpond. Hanc pariter difficultatem in loco citato primi voluminis Diſquiſit. eſſe diſſolutam; necnon ad § IX. Libri 3. Apologetici.

Cap. 6. ℣. 3. legimus Arcam Dei fuiſſe ſublatam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa. Contrarium eſt in I. Paralip. cap. 13. ℣. 6. in quo de Cariathiarim Juda translatam legimus Arcam, cum Gabaa in Tribu Benjamin reperiretur, ex cap. 18. Joſue.

Reſpond. vocem *Gabaa* non ſemper in ſacris literis nomen alicuius Civitatis proprium præſeferre, ſed aliquando pro *loco eminentiore* uſurpari hinc vocem hanc hebraicam [illegible] *ba Gibah* in *colle* interpretantur communiter ipſi Expoſitores catholici; & ſane ex cap. 7. libri I. Regum ſatis conſtat Domum Abinadabi fuiſſe Chariathiarim, in loco eius civitatis eminentiore, ut ſcribit Auctor libri I. Paralip. cap. 13. ℣. 6.

Eodem

Digitized by Google

Eodem cap. *6.* ℣. *6.* Arcam ad aream Nachoñ perveniſſe legimus. Oppoſitum eſt in cap. 13. libri I. Paralip. ℣. *9.* in quo aream Chidon perducta traditur, dum Oza percuſſus a Domino fuit.

Reſpond. potuiſſe *Nachon*, etiam *Chidon* appellari; verum dicere poſſumus locum illum mutaſſe nomen, atque *percuſſio Ozæ* eſſe deinceps appellatum ut in ſacro textu indicatur ad ℣. 8. hujus capitis *6.* libri 2. Regum; Scriptor autem libri primi Paralip. hanc hiſtoriæ partem enarrans, uſus eſt nomine כידן *chidon*, quod *perditio*, ſeu *percuſſio* (Ozæ) interpretantur; nomen ſcilicet uſurpavit, quod ſua ætate erat in uſu.

Capite eodem *6.* ℣℣. 10. & 11. Obededom, Gethæus fuiſſe traditur: cum tamen ex I. Paralip. cap. 15. ℣. 18. ex Tribu Levi natus adfirmetur.

Reſpond. Revera ex Tribu Levi Obededom eſſe natum in comperto eſt; Gethæus autem appellatur vel quod in urbe Geth Philyſtæa diutius habitaverit, ſicut Elimelech Judæus habitavit in Moab ex I. Ruth; vel quod ibi ſit natus, cum David apud Gethæos cum nonnullis ex ſuis eſt commoratus; vel tandem quod ortum duceret e Geth Remmon urbe Levitarum trans jordanica ex Joſue 21. ℣. 24. Quamcomque ea iſtis amplectamur reſponſionem nullam in ſacris textibus contradictionem adinveniri certum eſt.

Capite 8. libri 2 Regum ℣. I. legimus a Davide ablatum eſſe *Frænum tributi de manu* Philiſtiim. Hæ minime cum ℣. 1. capitis 18. libri 1. Paralip. cohærentia reperiuntur, in quo legimus captam a Davide *Geth & filias ejus*.

Reſpond de vocibus iſtis *Frænum tributi* ſatis a nobis diſputatum in §. X. libri tertii Apologetici pro Vulgata. Modo reponimus ſolummodo *Geth* potuiſſe *frænum tributi* appellari, proindeque unum, eumdemquo locum indicari in textibus Regum, & Paralipomenon. Plura ad hunc Regum locum tradit Calmetus.

(4) Libro II. Regum Cap. *9.* ℣℣. 10. & 11. Miphiboſeth ad Regis menſam quotidie veſci jubetur; Aſt Siba ſpopondit ad menſam propriam alere Miphiboſeth.

Reſpond. difficultatem huiuſcemodi jam enodatam in laudato Apologetici loco. Quid ad nos ſi Regis ſententiam non ſatis aſſecutus Siba, non apte Regis propoſitioni reſpondit? videatur hac de re ad hunc ſcripturæ locum Calmetus. Alii tamen verba illa *& Miphiboſeth comedet ſuper menſam meam* eſſe ipſius Regis David opinatur. adeout, poſtquam dixit Siba *ſic faciet ſervus tuus* intulerit Rex, *bene*; *Miphiboſeth vero comedet panem ſuper menſam meam*. Ita Vatablus, Munſterus, Clarius, aliique, quamcumque ex his recipiamus expoſitionem, non poteſt in ſacris textibus error adinveniri.

(5) Regum libro II. cap. 12. ℣. 8. legimus uxores Saulis a Domino traditas eſſe in ſinu David. Nullam tamen ex Saulis uxoribus a Davide legimus deſponſatam.

Reſpond. Non deeſſe, qui cum Hebræis opinentur textum hunc intelligendum de Egla Saulis uxore, & Michol filia Saulis; vel de Riſpha & Michol; ita Munſterus, Caſtalio, & Vatablus. Facillime pariter poſſumus divinum textum exponere de jure in Davidem tranſlato acquirendi ſibi quidquid Saulis erat, proindeque etiam uxores ſi voluiſſet.

Capite 16. ejuſdem libri ℣. 10. ſcriptum eſt quod Dominus præcepit Semei ut malediceret David. Quis tamen ignoret illud Eccleſiaſtici 15. ℣. 21. *nemini mandavit* (6)
(Deus) *impie agere*.

Reſpond. ex Grotio particulam hebraicam כי *chi* verti melius poſſe per *ſi* conditionalem; ſcilicet = ſi forte Deus, qui vult ut mihi maledicat, quis habebit jus, ut id impediat? David verorum criminum conſcientia tactus, ſi cum Deo res ſit, ſcit magna probra ſe meritum = Non abs re textum iſtum intelligere opinamur, qui ajunt verbum *præcipio*, idem omnino hoc in loco ſignificare, ac verbum *diſpono*, vel *permitto*, quemadmodum ex aliis Scripturæ locis hunc ſenſum præſeferr.

Capite 17. ℣. 25. Pater Amaſæ dicitur Jetra de Jezraeli, & Mater illius Abigail filia Naas. In libro autem I. Paralip. cap. 2. ℣. 17. Amaſæ pater, *Jether Iſmaelithes* appellatur; Abigail autem filia Iſai, Davidis ſoror adſeritur ibi ℣. 16.

Reſpond. Jethra, ſive Jethereum eſſe potuiſſe Iſmaelitem proſapia, & origine, qui poſtea in Jezrael migraverit factuſque proſelytus Abigailem ſibi deſponſaverit; ita Cornelius; nec aliter ſalvari poſſe videtur utriuſque textus hiſtorica veritas, cum & in Hebræa legamus ad hunc locum Regum *Iſraelita*. in eo autem Paralipomenon, *Iſmaelita*. Quantum vero ad Abigail pertinet, dicimus filiam Iſai fuiſſe profecto, qui & Naas dicebatur, eadem quippe in capite iſto Regum, Naas genealogia deſcribitur, quæ in Paralip. de Iſai ducitur. Sunt qui difficultatem reſolvunt aſſerendo Naas fuiſſe uxorem Iſai, ex qua Abigail, & Sarvia natæ ſint: prior tamen opinio veroſimilior exiſtimatur.

Capite 18. ℣. *6* legimus prælium adverſus Abſalon in ſaltu Ephraim eſſe commiſſum. Certum eſt autem ex cap. 17. hujus libri ℣. 24 ab Abſalon tranſvadatum fuiſſe Jordanem; quomodo ergo hujuſcemodi pugna cis Jordanem in ſaltu Ephraim contingere potuit?

Reſpond. Huiuſcemodi oppoſitionem jam in Tomo I. Diſquiſit. in notis ad pag. 451. fuiſſe eliminatam.

Eodem Capite 18. ℣. 18. legimus dictum ab Abſalom = non habeo filium = Contra in cap. 14. ℣. 27. ubi ſcriptum eſt = nati ſunt autem Abſalom tres filii = evidenter habetur.

Reſpond. Ex Cajetano, Abulenſi, & Calmeto tres illos Abſalomi filios morte immatura fuiſſe præreptos, adeout jam defuerint, cum ſui nominis monimentum erexit. Hanc expoſitionem Vatablus etiam, Grotius, Clarius, & Munſterus amplectuntur, quam-

quamvis eorum opinionem qui contendunt ſuperſtites adhuc fuiſſe Abſalomi filios, ſed ineptos ad Regnum, non condemnent.

Capite 19. ℣. 20. dicitur Semei primus de Domo Joſeph deſcendiſſe in occurſum Regis David. Conſtat tamen ex Cap. 16. ℣. 5. Semei non de Domo Joſeph, ſed de Tribu Beniamin extitiſſe, & de cognatione Domus Saul.

Reſpond. *Per Domum Joſeph* communiter tres Tribus Ephraim, Beniamin, & Manaſſe indicari, quod ſub eodem vexillo procederent; ut Munſterus, Clarius, & Vatablus opinantur. Vel ut alii exiſtimant, per *Domum Joſeph* intelligitur tota Iſraelis multitudo, quæ in undecim Tribus extra Domum Juda continebatur.

Eodem Capite ℣. 23. Jurejurando ſpopondit David Semei, quod eum non occideret. Quomodo ergo potuit David Salomoni citra periurium præcipere ut Semei jugularet Lib. 3. Regum Cap. 2. ℣. 9.?

Reſpond. Nullum a Davide dolum commiſſum, quia, ut inquit Grotius, juramentum, ubi alia cauſa non ſubeſt, perſonam jurantis non egreditur, neque hæredem obligat: durante ergo Davidis vita promiſſio violata non fuit. Non præcepit David, ulterius Salomoni ut Semei enecaret, laudato 3. Regum Libro, ſed Sapientiæ ejuſdem pœnam infligendam commiſit. Salomon itaque ſub capitis diſcrimine eum prohibuit egredi e Civitate, quod tranſgrediens mandatum interemptus fuit.

Capite 20. Libri ejuſdem 2. ℣. 21. Seba de monte Ephraim fuiſſe refertur. Cum tamen ex ℣. 1. ejuſdem Capitis Beniamitem extitiſſe evidenter Sacer textus demonſtret.

Reſpond. ex Abulenſi Quæſt. 28. in Caput 20 Libri 2. Regum virum hunc e Tribu Beniamin revera originem habuiſſe, atque in monte ad Beniamiticam Tribum ſpectante eſſe commoratum; qui tamen mons vel quod radices in ſorte Ephraim, vel quod Tribum Ephramiticam reſpiceret, *mons Ephraim* nuncupabatur, eo ferme pacto, quo porta Civitatis flumen, vel mare reſpiciens, vel ad flumen, & mare perducens, *porta fluminis* appellatur. Alii Sebam hunc Beniamitem, *de monte Ephraim* nuncupatam exiſtimant quod ibi domicilium diutius habuerint.

Capite 21. ℣. 2. Gabaonitæ appellantur *Amorrhæorum reliquiæ*, ex Hevæorum tamen gente fuiſſe, conſtat ex Libro Joſue Cap. 11. ℣. 19.

Reſpond. ex Abulenſi Quæſt. 14. in Cap. 21. Libri 2. Regum, nomen Amorrhæorum fuiſſe genericum reſpectu totius gentis Chanaanitidem habitantis; ſpecificum autem reſpectu peculiaris nationis illius Provinciæ, ſicut *Judæi* nomen univerſæ Hebræorum genti ſolet attribui, quamvis ſolis Judaicæ Tribus perſonis proprie conveniat. Geneſis Cap. 15. generica *Amorrhæorum* appellatione omnes Chananæi comprehenduntur, ubi legimus = nondum impletæ ſunt iniquitates Amorrhæorum =

℣. 8. ejuſdem Capitis, quinque recenſentur filii Michol, quos Hadrieli genuerat. Capite autem 6. ℣. 23. Scriptum legimus nullum filium natum eſſe Michol uſque in diem mortis ſuæ =.

Reſpond. Nullam hiſce in textibus adinveniri contradictionem, ſi ſupponamus Mœrob, Hadrieli nuptam, etiam *Michol* fuiſſe appellatam, vel ſi cum aliis dixerimus Michol ſibi adoptaſſe filios Mœrob, cui favet opinioni Chaldæus ſcribens = & quinque filios Mœrob, quos educaverat Michol filia Saul.

(7) Capite 23. Libri II. Regum ℣. 1. Scriptum eſt = hæc ſunt verba David noviſſima. In capite tamen ſequenti, & in Libro III. plurima adhuc a Davide dicta leguntur, ut legenti ſit palam.

Reſpond. Eſſe noviſſima non abſolute, cum multa alia ſit revera locutus, quæ ad politicum regimen pertinebant; noviſſima itaque ſunt eorum, quæ Spiritus Sancti ductu prophetice effatus eſt, ut Vatablus, Calmetus, Clarius, atque Munſterus exponunt, cum Abulenſi quæſt. 3. in Cap. 23. Libri 2. Regum.

Cap. 24. ℣. 1. David a Deo motus enarratur ad numerandos filios Iſrael, & Juda. Libro autem primo Paralip. Cap. 21. ℣. 1. a Sathana concitatus legitur David ut filios Iſrael recenſeret.

Reſpond. per verbum illud *commovit* nil aliud eſſe intelligendum quam *commoveri permiſit*; in divinis quippe literis familiare eſt ut ei actio tribuatur, qui actionem illam permittit; clarius textus iſte in laudato Paralipomenon loco explicatur. Quæ de titulo *Regis* Areunæ dato ad ℣. 23. hujus Capitis videantur ad hunc locum Expoſitores præſertim Calmetus (W).

C A P U T V.

Ex Libris tertio, & quarto Regum.

§. I.

(s) CAP. VII. v. 15. *Finxit duas columnas æreas decem & octo cubitorum altitudinis columnam unam*: At II. Paralip. III. v. 15. illæ duæ columnæ dicuntur habuiſſe *triginta & quinque cubitos*. Reſpond. in priori textu tribuuntur cubiti ſacri *decem & octo* utrique columnæ: in poſteriori vero 35. communes: & ideo idem plane dicitur utrobique, cubitus enim ſacer duos continebat communes, ideoque 18. ſacri 36. efficiebant communes; ex communibus vero deeſt unus in Paralipomenis, ex ſacris

nihil,

nihil, quia in Regum libro docetur, quænam plena & perfecta fuerit columnarum longitudo, at in Paralipomenis, baſis excipitur utriuſque columnæ, quæ unius cubiti fuit communis, qui ſi addatur, exurgit
(2) numerus *triginta ſex cubitorum*. (2)

Ibid. v. 26. *Mare æneum duo millia batos capiebat*. At lib. II. Paralip. cap. IV. *Capiebat tria millia metretas*; quæ cum eadem ſit menſura cum batis, hi textus non cohærent. Reſpond. in priori referri *batos ſacros*, in poſteriori vero textu *vulgares*. Porro hi tertia parte minores erant illis, ſubindeque *metretæ* erant minores illis *batis*. Adjici poteſt in hoc ingentiſſimum vas infundi quidem ſolere tantum *bis mille batos* licet capere poſſet *tria millia*, uſque ad la-
(3) bri ſummitatem. (3)

Cap. XV. v. 14. *Aſa autem excelſa non abſtulit:* At II. Paralip. cap. 14. v. 5. *Abſtulit de cunctis urbibus Juda Aras & Fana, &c.* Reſpond. *excelſa* fuiſſe duplicis generis alia in quibus vero Deo cultus impendebatur, alia in quibus colebantur falſa numina;
(4) hæc deſtruxit Aſa, illa non abſtulit. (4)

§. II.

Ex IV. Reg.

CAP. VIII. v. 26. *Viginti duorum annorum erat Ochozias cum regnare cœpiſſet, &c.* At II. Paralip. XXII. *Quadraginta duorum annorum erat Ochozias cum regnare cœpiſſet*; qui poſterior locus non ſolum a priori diſſidet, ſed ſi ex integro admittatur, concedendum erit filium biennio ſeniorem eſſe ſuo patre. Nam Joram Ochoziæ pater mortuus eſt quadragenarius, quo vita functo, Ochozias regnum eſt auſpicatus. *Reſponſio* communis eſt, mendum irrepſiſſe in libros Paralip. ex notis Hebraicis vitiatis, ita ut pro כ & ב ex quibus conficitur numerus XXII. poſitum ſit מ & ב ut fieret numerus XLII. ita ſentiunt Cajetan, Mariana cum aliis plurimis. At cum iſtius mendi nec S. Hieronymus, nec Bibliorum Correctores ſub Pio V. & Clemente VIII. meminerint, neque illud expunxerint, atque omnia exemplaria cujuſcumque conditionis conſtanter habeant illum numerum XLII. in libris Paralip. vix concederem errorem ſic invaluiſſe, ut in omnia prorſus exemplaria irrepſerit, nec ab aliquo Veterum fuerit notatus. Unde meo judicio melius reſpondent cæteri qui ſentiunt Ochoziam regnaſſe quidem viginti annis cum patre ſuo Joram & avo Joſaphat, atque tunc fuiſſe natum viginti duos annos, ut fert textus Libri Reg. mortuo autem patre ſuo Joramo, qui ſceptrum tenuerat octo annis, Ochoziam præfuiſſe ſolum per duos annos, atque tunc natum fuiſſe annos quadraginta duos, ita quod in conſortium Regni venerit cum patre ſolo octo annis, & cum patre & avo duodecim; Joſaphat namque regnavit viginti quinque annis.

At, inquies, veroſimile non ſit Ochoziam cum patre & avo regnaſſe, *tum quia* nullum eſt ejuſmodi regni conſortii in Scriptura Sacra exemplum: *tum quia* Ochozias ipſe minor erat natu inter fratres, qui nonniſi poſt mortem Joſaphat trucidati ſunt per Latrunculos Arabum: *tum denique quia* mortuo Joramo *Habitatores Jeruſalem conſtituerunt Ochoziam filium ejus minimum Regem pro eo*. II. Paralipom. XXII. itaque antea Rex non erat. At omnia hæc momenta facile diſſolvuntur: *Primum* quidem omnino falſum eſt, nam Ezechias duobus annis regnavit cum patre; enimvero IV. Reg. Cap. XVIII. dicitur regnaſſe viginti novem annis, cum tamen ſolus tantum viginti ſeptem regnaverit, duos autem cum patre ſuo. *Ad ſecundum* dico non videri inſolitum filios natu minores ſpretis grandioribus ad Regni conſortium evocari; ſic a Davide ſelectus eſt Salomon præ Adonia; & Abia, præ cæteris fratribus. *Ad tertium reſpondeo* novum non eſſe quod qui prius Rex fuerat inauguratus, iterum acclamante populo Rex ſalutetur; ſic Saul I. Reg. cap. X. ab Iſraelitis Rex agnitus, iterum cap. XI. in Galgalis Rex proclamatur; ſic pariter Salomon I. Paralip. cap. ultimo in Regem denuo ungitur.

Adjicies iterum, ſi mortuo patre, Ochozias natus fuiſſet annos XLII. ejus mater Athalia fuiſſet grandævæ ætatis, nec ſubinde apta Regno: quis enim mulieri admodum vetulæ atque nefariæ animo lubenti paruiſſet? Verum quis neſcit quantum ſemper vigeat iniquæ mulieri vaſrities; quantumque valeat apud mercenarios aulitos proſpera, ſi faveant, repromittens; & dira quæque obſiſtentibus intermínans mulier crudeliſſima, quæ in proprios etiam nepotes regnandi libidine illecta deſævierat?

Sunt etiam qui ut utrumque hunc textum concilient, dicunt quadraginta duos illos annos in libris Paralip. commemoratos, numerandos eſſe ex quo domus Amri uſque ad Regnum Ochoziæ regnare cœperat: iſtudque ratione Athaliæ matris hujus Ochoziæ quæ erat filia Amri Regis Iſrael IV. Reg. c. VIII. v. 7. Amri enim, cujus nomen hic ad familiam pertinet, ex qua ipſe primus regnavit, ut legitur III. Reg. cap. XVI. ſceptrum Regni Iſrael tenuit octo annis, Achab ejus filius cum Ochozia filio viginti duobus & Joram a Jehu ſubla-
tus XII. (5) (5)

Cap. XVI. v. 3. *Achab filium ſuum conſecravit transferens per ignem ſecundum Idola Gentium:* at II. Paralip. cap. XXVIII. *Reliquit filium Ezechiam Regni ſucceſſorem* Reſp. Probabile eſſe Achabum plures habuiſſe filios, ex quibus unum Idolis immolavit, ſuperſtite Ezechia Regni ſucceſſure. Si vero unicum habuerit, dicerem illum non fuiſſe flammis extinctum, ſed dumtaxat eis expoſitum luſtrationis gratia. Neque enim Gentiles filios ſuos inanibus Diis oblatos igne ſemper comburebant, ſed etiam purgationis & expiationis cauſa per medias flammas transferebant, quod diſtricte prohibetur Judæis Deuteronomii cap. XXIII. 10. iis verbis: *Nec inveniatur in te qui luſtret*

ſtret filium ſuum aut filiam ducens per ignem. Quamobrem ſignanter præfatus textus habet, *transferens per ignem*, ut ſignificetur filium Achabi more Gentilium tranſmiſſum eſſe per medias flammas, quaſi conſecrationis & purgationis gratia, non autem uſtulatum & vita privatum. (6)

(6) Cap. XXIV. v. 6. *Dormivit Joachim cum patribus ſuis*, quæ juxta Scripturæ conſuetudinem, & loquendi modum, ſignificant eum obiiſſe in Judæa & ſepultum in ſepulchris patrum. At II. Paralip. cap. XXXVI. v. 6. dicitur catenis vinctus a Nabuchodonoſore ductus in Babylonem & ſepultura aſini ſepultus, juxta vaticinium Jeremiæ cap. XXII. v. 18. Reſp. Quod cum ex IV. Reg. cap. XXIII. v. 36. liquido conſtet Joakimum regnaſſe undecim annis, Jeremias vero cap. XXV. aſſerat Nabuchodonoſor anno quarto ineunte regni Joakim, vel tertio finiente, ut tradit Daniel, veniſſe Jeroſolymam, eam expugnaſſe, atque captum Joachimum & partem vaſorum ſacrorum tranſtuliſſe in Babyloniam; aliunde vero Jeremias prædixerit eum projectum iri extra portas Jeruſalem, & ſepultura aſini ſepeliendum, neceſſe eſt eum rebus cum Nabuchodonoſore compoſitis, ex victoris clementia remiſſum fuiſſe Jeroſolymam, & reſtitutum in Regnum ſub conditione tributi. Nam Joakim tribus annis ſerviſſe Nabuchodonoſori expreſſe traditur cap. XXIV lib. IV. Reg. ac ſubinde anno quarto regni ſui in regnum reſtitutus promiſſum tributum ſolvit tribus annis ſequentibus, quinto videlicet, ſexto & ſeptimo: At cum vana ſpe protectionis a Rege Ægypti deluſus, anno octavo Chaldæum procraſtinationibus lactando tributum non ſolviſſet; neque etiam anno nono; tandem Nabuchodonoſor expeditionem in Ægyptios aggreſſus, prius in ſibi perduellem Joakimom arma movit, Jeroſolymam denuo in poteſtatem initio undecimi anni Joakimi recepit; non tam armorum vi, quam fraude. Cum enim ſuperiore jam anno aliquot menſes in Hieroſolymæ obſidione poſuiſſet, eamque longius proferendam timeret, hujus anni principio conſilium cœpit obtinendi in urbem ingreſſum, promittens interpoſita jusjurandi Religione, pacificum fore ingreſſum ſuum, ut Joſephus ait. Cui promiſſioni Joakimus eo facilius aſſenſum præbuit, quominus erat deſtitutus a commeatu, & ejus clementiam jam fuerat expertus. Babylonem, tertio ſui Regni anno abductus, remiſſuſque. Ergo Nabuchodonoſorem cum exercitu ſuo mœnibus accepit. *At ille receptus, non ſervavit fidem*, ut ait Joſephus, *ſed florem juventutis Jeroſolymitanorum cum ipſo Rege interfecit.* Ratus videlicet fœdifrago frangendam fidem, quem etiam inſepultum extra mœnia projici juſſit, ut Jeremiæ vaticinium impleretur, qui prædixerat eum extra portas Jeruſalem projiciendum, ad æſtum per diem, & ad gelu per noctem, & putrefactum ſepultura aſini ſepeliendum: nemine omnino in tanto populo reperto, qui nocturnam pietatem regio cadaveri exhiberet, exemplo Thobiæ. Sed oportuit Uriæ Prophetæ cadaver projectum ſuper ſepulchra ignobilis vulgi vindicari. Quod autem nihilominus dicitur *dormiſſe cum patribus ſuis*, ſciendum eſt eam locutionem etiam in morte violenta aliquando a Scriptura uſurpari, ut in Jorami, & Achabi morte. Denique in ſecundo Paralip. ſignificatur in ejus corpore inventas eſſe notas, quæ oſtendebant eum alicujus Idoli ſtigmaticum factum fuiſſe, quales in Magis & maleficis ſæpe repeririuntur.

AD CAPUT QUINTUM
CONCILIATORII BIBLICI
SUPPLEMENTUM.

(1) LIbro 3. Regum Cap. 2. ℣. 9. Salomon, vir ſapiens appellatur, & prudens poſtquam in ſocium Regni a Davide patre ejus aſſumptus fuit. Quomodo autem hæc cum ℣. 1. Libri I. Paralipomen. Cap. 29. conciliari poſſunt, in quo legimus Salomonem adhuc puerum & tenellum extitiſſe, cum in Regem electus fuit?

Reſpond. appellatum puerum & tenellum quia Salomon ad thronum evectus annos circiter viginti agebat, atque admodum delicatus erat; optimam pariter indolem, & admodum perſpicacem ſortitus a natura intellectum erat, qua de cauſa non immerito vir prudens & ſapiens habebatur a patre ſuo.

Capite 4. ejuſdem Libri ℣. 4. Abiathar & Sadoc veluti ſummo fungentes Sacerdotio deſcribuntur. Conſtat nihilominus ex Cap. 2. hujus Libri ℣. 17. jam antea a Salomone Abiatharum in exilium fuiſſe expulſum, atque a pontificatu dejectum.

Reſpond. Hoc in loco recenſeri qui ſub Salomone officium Sacerdotis in templo expleverunt inter quos & Abiathar fuit dubio procul. Exiſtimant alii Abiatharum fuiſſe tandem ab exilio revocatus, atque templi miniſterio tanquam ſimplex Sacerdos a Salomone reſtitutus. Alii denique Abiatharo etiam poſt expulſionem a templo nomen Sacerdotis remanſiſſe opinantur ſicuti Epiſcopi appellatio minime ſemota exiſtimatur ab eo qui Epiſcopatum aut recuſavit, aut reſignavit; in unaquaque ex iſtis expoſitionibus divinæ ſcripturæ veritas in tuto eſt.

Eo-

Eodem Cap. VV. 11. & 15. duæ Salomonis filiæ nuptui datæ narrantur, cum Salomon ſit compertum quod nondum filias nubiles habere potuerit, qui ætatis ſuæ nondum annum 21. eaceſſerat.

Reſp. Hæc a Sacro Scriptore per quamdam prolepſim fuiſſe enarrata, deſcribens enim hoc in loco Regios Officiales, commemorat, qui affinitate cum Rege juncti erant, in quo nec leviter erravit, cum iſtos commentarios poſt hujuſcemodi geſta exaraverit.

V. 26. ejuſdem Capitis 4. quadraginta millia equorum curtilium præſepia, & duodecim millia equeſtrium recenſentur: hic autem numerus ỳ. 14. Capitis 1. Libri 2. Paralipom. in quo legimus mille, & quadringentos currus, & 12. millia equitum fuiſſe Salomoni, prorſus adverſatur; magiſque opponitur Verſiculo 25. Capitis 9. ejuſdem Libri, in quo ſolummodo quatuor millia præſepiorum equilium pro Salomone decernuntur.

Torſit aliquantulum hæc in ſpecie antilogia Commentatorum ingenia, adeout nonnulli, inter quos Grotius, Polus, & Capellus, mendam in numeros irrepſiſſe arbitrati ſunt, atque legendum contenderint [illegible] *arbabath alaphim*, hoc in loco; ideſt *quatuor millia*, ſicut in V. 25. Capitis 9. Libri II. Paralipom. legitur; non autem legendum hoc in Capite Regum [illegible] *arbabim eleph*, *quadraginta millia*, vel ſaltem, inquit Capellus ſi legere velimus in 3. Lib. Regum [illegible] ſignificabit *quatuor* vox iſta, non *quadraginta*. Alii denique ajunt hoc in loco hypallagem haberi, atque verba iſta: *habebat* 40000. *præſepia equorum* idem ſignificare, ac ſi dictum eſſet *habebat* 40000. equos in *præſepiis*. Verum nulla neceſſitate compellimur judicare vel in numeris mendum eaiſtere, vel naturalem, & obviam ſignificationem hebraicis verbis ſubducere; quælibet enim antilogia evaneſcit ſi diaerimus in Paralipom. recenſeri ſepta præſepium, quorum unumquodque decem præſepia, ſeu decem equos continebat; in Libro autem iſto Regum præſepia ipſa, ſive loca ſingulorum equorum decerni; quatuor igitur millia ſeptorum, quadraginta millia adamuſſim præſepiorum continebant. Sunt tandem qui oppoſitionem iſtorum teatuum ita conciliant, ut in Paralipom. currus nobiliores, & equos ſelectos 12000. pro Rege, ſuiſque familiaribus dum ſolemni comitatu incedebat, in Jeruſalem exiſtentes enarrari arbitrentur; in Libro autem 3. Regum omnium equorum ad Regis uſum quemlibet addictorum cenſum inſtitui.

Capite 5. V. 4 Libri III. Regum legimus nullum Adverſarium vel malum occurſum fuiſſe Salomoni: cujus tamen oppoſitum ſcriptum eſt Cap. XI. eiuſdem Libri V. 25. in quo Adad adverſarius Iſraeli fuiſſe narratur cunctis diebus Salomonis.

Reſp. Nullum revera Salomoni fuiſſe Adverſarium, dum Templum Domini erat ædificaturus. Adad autem circa finem Salomonici imperii ſe Iſraelis adverſarium declaraſſe; proindeque verba illa *cunctis diebus Salomonis* accipienda ſunt pro tempore, quod ab Adadi defectione uſque ad finem vitæ Salomonis elapſum eſt.

V. 13. ejuſdem Capitis 5. legimus a Salomone electos fuiſſe operarios de univerſo Iſrael triginta millia virorum; & 70000 bajulorum ỳ. 15. & tandem 80000 latomorum. Hæc autem iis contraria ſunt, quæ leguntur Cap. 9. V. 22. ubi nullus ea filiis Iſrael a Salomone dicitur conſtitutus ad ſerviendum.

Reſp. Facillime hæc oppoſitio evaneſcit ſi legamus Verſiculum 17. Cap. 2. Libri II. Paralip. in quo operarii illi Iſraelitæ, ſed Proſelyti fuiſſe dicuntur, unde nulla eſt contradictio.

Ad Capitis 6. verſiculum I. hujuſce Libri anni 480. ab eaitu de Ægypto ad conditum Templi recenſentur, cum tamen eorum numerum longe majorem fuiſſe demonſtrent Actorum verba ea Cap. 13. V. 20. eacerpta, quæ per annos 450. uſque ad Samuelem Judices gubernaſſe Hebræorum Rempublicam oſtendunt, idemque revincitur, ſi ſumma annorum in Sacro Judicum Libro recenſita, quibus Judices regimen tenuerunt, & in Captivitatibus Iſraelitæ gemuerunt, obſervemus.

De huiuſcemodi oppoſitionibus ſatis in Volum. I. Diſquiſit. Pag. 436. & ſeq. diſputatum eſt, ubi methodos varias ad conciliandos ſacros teatus propoſuimus, qui tempora in Judicum Libro deſignata, & in hoc Capite 6. Libri 3. Regum nobis eahibent. Maaima profecto difficultas in componendis annis Actorum 13. V. 20. præſcriptis cum annis 480. in iſto Regum loco recenſitis adinvenitur. Quanta ad iſtam eluendam eacogitaverint Chronologi, atque Commentatores Syſtemata vix credibile eſt; omnia referre parum utile arbitramur; unde quæ evidentius antilogiam eaſufflant proponemus. Docent itaque Nortonus Knatchbull *Animadverſ. in Acta Apoſtolorum*, Uſſerius, Voſſius, Sanctius, & Robertus Stephanus verba iſta καὶ μετὰ ταῦτα ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα *& poſt hæc annis fere quadringentis, & quinquaginta* (peractis) *dedit Judices*, eſſe trajecta, nec ad Judicum durationem pertinere, ſed referenda eſſe ad V. 17. præcedentem laudati Capitis 13. Actorum, adeo ut ſenſum hunc præſeferant = Deus plebis Iſrael elegit Patres noſtros... & fere poſt annos 450. diſtribuit eis terram eorum, & poſt hæc dedit eis Judices uſque ad Samuel Prophetam = Initium iſtorum 450. annorum ſi cum laudatis Auctoribus ſumatur ab Iſaaci nativitate, vel potius ab ejus promiſſione Abrahæ facta, in quo Filio, & ſemine ejus pactum ſempiternum, ſive electionem populi ſui conſtituit Deus, ex Geneſis 17. ỳ. 19. patet annos 447. effluaiſſe a conceptu Iſaac ad terræ diviſionem, proindeque merito Apoſtolus in Actis annos enumerat fere 450. eo quod a Nativitate Iſaac ad exitum ex Ægypto anni 400. interceſſerint, ea Cap. 15. Geneſeos V. 13. annis 40. permanſerunt in deſerto, ſex-

ſexque annis, & menſibus aliquot contra Cananæos ſub Duce Joſue dimicarunt; igitur a promiſſione ſive electione in Iſaaco facta a Domino Iſraelitici populi in gentem, ſeu portionem ſuam uſque ad terræ diviſionem anni 447. cum habeantur optime recenſiti ab Apoſtolo comperiuntur in Actis illi anni *fere* 450. nullaque Antilogia in ſacris hiſce textibus reperitur. Hæc omnia in Tabulis noſtris Chronologicis ordinata videri queunt.

Capite 7. hujus libri ℣. 13. Salomon aſſumpſiſſe refertur de Tyro filium quemdam mulieris de Tribu Neptali. Contra eſt in lib. II. Paralip. cap. 2. ℣. 13.; ubi filius ille natus de filiabus Dan aſſeritur, & Pater Regis Tyri nominatur; Capite autem 4. ℣. 16. ejuſdem libri II. Paralip. idem homo dicitur Pater Salomonis. Quænam erunt antilogiæ, ſi iſtæ non ſint?

Reſp. nullam fortaſſis iſta facilius antilogiam reſolvi poſſe. Hiram ergo, quem Salomon Tyro evocavit, filius erat viri Nephthalitæ, *Tyrii* ab habitatione nuncupati ſicut Obededom *Gethæus*, & Paulus *Tarſenſis* appellabantur; mulieris autem *Danitæ*, ita dictæ, quod de Tribu Dan, vel quod de Civitate Dan in Tribu Nephthali exiſtente originem duceret; verba itaque iſta divini textus *e Tribu Nephthali* non eſſe referenda ad nomen proximum *viduæ*, ſi hæc ex Tribu Dan ſupponatur; ſed ad ejus virum, qui erat Nephthalita, ut dictum eſt; utramlibet expoſitionem amplectamur nullam antilogiam ſupereſſe cognoſcimus. Quod autem Hiram iſte modo Pater Regis Tyri, modo Salomonis ipſius appellatur, nil mirum; cum viri aliqui præſtantes, veluti Patres etiam a Principibus tunc temporis haberentur; ita Joſephus Regis Ægypti vocatus eſt *Pater*, ob eximiam ejus prudentiam in præparanda pro tempore annona populis ejus; & Eliſæus Propheta *Pater* appellabatur a Rege Iſrael, ut patet ex lib. 4. Regum cap. 13. ℣. 14. ita Menochius, & Ellius.

(2) Verſiculo 20. ipſius Capitis 7. ducenti ordines malogranatorum poſiti leguntur in circuitu Capitelli ſecundi. Contrarium legimus in Lib. II. Paralip. Cap. 4. ℣. 13. ubi quadringenta recenſentur malogranata; Jeremiæ autem Cap. 52. ℣. 23. nonaginta ſex malogranata computantur.

Reſp. Textum illum ab aliquibus legi = & 200. malogranata erant in duobus ordinibus per circuitum = (in Capitello columnæ) ex qua lectione omnis convellitur antilogia, ut per ſe patet. Verum per *ordines* poſſumus etiam intelligere areolas ducentas, in quibus totidem malogranata pendebant, uno verbo duæ coronæ erant in quolibet Capitello Columnarum, ex malogranatis in circuitum diſpoſitis confectæ, & quælibet corona centum malogranata continebat. In hoc autem loco Regum unius Capitelli malogranata numerantur in Paralipom. autem ſumma recenſetur univerſa, quæ in duobus Capitellis exiſtebat. Jeremias autem ea fortaſſis enumerat malogranata, quæ videbantur ſcilicet, ut ibidem legimus, *dependentia*. Cæterum, & ibidem apud Jeremiam ℣. ſequenti centum malogranata numerantur, quæ in ſingulis coronis reperiebantur, ut dictum eſt.

℣. 26. ejuſdem Capitis legimus groſſitudinem luteris fuiſſe trium unciarum, cujus tamen oppoſitum eſt in 2. Paralip. 4. ℣. 5., in quo ad menſuram palmi groſſitiem illam perveniſſe legimus. (3)

Reſp. utroque loco divini textus eamdem indicari menſuram; in Paralipomenis enim palmus contractus, ſeu minor deſcribitur, qui quartam pedis partem æquabat, ſeu quatuor digitos, quorum quantitas tres uncias continebat.

Eodem Capite ℣. 45. vaſa templi ex aurichalcho ab Hiram fabricata leguntur, cum tamen lib. 2. Paralip. cap. 4. ℣. 16. ex ære mundiſſimo constructa narrentur.

Reſp. Æs, quo vaſa fabricari curavit Hiram dictum eſſe aurichalcum, eo quod mundum eſſet, & expurgatum ſcoria, unde fulgidum erat, & terſum, veluti aurichalchum.

Cap. 10. ℣℣. 16. & 17. leguntur a Salomone fabricata ſcuta 200., quorum quodlibet ſexcentos auri ſiclos continebat, uncias videlicet trecentas, & libras Lucanas 25. Peltas inſuper trecentas conſtruxit, in quarum unaquaque trecentæ auri minæ inſumptæ erant; ſcilicet octingentæ, & ſeptuaginta quinque auri libræ Lucanæ, ſi minæ compoſitæ ſupponantur ex ſiclis 70; ut ab Ezechiele cap 45. ℣. 12. deſcribuntur. Si vero ſupponamus cum Rabbinis minas auri hoc in loco recenſitas ſingillatimque ſumptas minime exceſſiſſe centum drachmas; erant nihilominus in ſingulis peltis libræ auri Lucanæ trecentæ, & duodecim cum ſex unciis, quoties drachmam unciæ Lucanæ octavam partem extitiſſe concedamus. Quis credat clypeos militares tanti ponderis fuiſſe, ſi juſtum multi onus eorum ſinguli futuri erant? Quidquid ſit tamen de pondere eorum huic Regum textui contradicit Verſiculus 16. capitis 9. lib. 2. Paralip. in quo ſingulis peltis tres tantummodo auri minæ conceduntur.

Reſp. Hæc omnia ſpecie tenus abſurda, & antilogias a nobis jam exſufflatas eſſe in lib. IV. Apologetici noſtri pro Vulgata verſione ſub §. III. unde hoc in loco eadem replicare inutile eſt

Ad Caput XI. hujus libri 3. Regum ℣. 13. Deus comminatur ſcindere Regnum Judæorum, unamque ſolummodo Tribum Judæ filio Salomonis relinquere; quod & capite 12. ℣. 20., facto dicitur adimpletum, cum ſola Tribus Juda domum David ſecuta enarretur. Hoc autem componi minime poteſt cum iis, quæ in lib. 2. Paralip. cap. 11. ℣. 13. ſcripta ſunt, quibus certiores reddimur Sacerdotes, & Levitas, ideſt totam Levi Tribum ex univerſo Iſraele ad Judam tranſiviſſe; quinimmo, & eodem ipſo Cap. 12. libri 3. Regum ℣. 21 Tribum Benjamin devotam permanſiſſe Roboamo ſcriptum eſt.

Reſp.

Reſp. ſolam Tribum Juda, ſed integram, ajunt Junius, & Piſcator remanere debuiſſe, juxta Dei promiſſionem cum domo David. Tribus autem Benjamin conjuncta erat cum Tribu Juda, unumque Regnum Juda, Tribus illæ conſtituebant; nunquam enim ab invicem diviſæ ſunt duæ illæ, præſertim poſtquam acciſa tam valde ſuit Benjamitica Tribus Judic. 20. ut ſolum ſexcenti viri ſuperſtites ſuerint infando illi, crudelique excidio, quod viros, mulieres, pueros, & jumenta devoravit in Benjamin, ejuſque Civitates, & Oppida flammæ æſtus abſumpſit. Quod autem Sacerdotes, & Levitæ plurimique fideles ex Iſraele ad Judam poſt Schiſma migraverint, ne Dei cultum deſerere impellerentur, minime comminationem divinam de unica relinquenda Tribu Salomonis filio fruſtratur, vel in ſacrum textum antilogiam aliquam inducit; ſemper etenim verum eſt, quod extra Tribum Juda minime imperabat Roboamus, & ad eamdem Tribum, quotquot ad ipſam fugiebant pertinuiſſe dicebantur.

Cap. XIV. legimus regnaſſe Jeroboam annis 22. cum tamen ex annorum computo ſit compertum annis 21., & aliquot menſibus ſceptrum tenuiſſe.

Reſp. hunc eſſe ſatrorum Auctorum morem annos incœptos ſumere pro completis; de hoc autem negotio ad ℣. 9. capitis 15. hujus Libri diſputabimus.

Cap. XV. ℣. 2. Maacha, filia Abeſſalom, mater Abiæ nuncupatur. Hæc tamen eadem mulier ℣. 10. ejuſdem capitis, dicitur mater Aſa. Nunquid eadem mulier uxor, & mater extitit Abiæ?

Reſp. ex Joſepho lib. 8. Antiquit. cap. 3. mulierem iſtam neptem fuiſſe Abſalomi, ex ejus nimirum ſorore natam, quæ nupſit Urieli; dicitur autem mater Aſa, quia erat ejus avia; apud Hebræos autem ſicuti vox אב *Ab* pater pro avo ſumitur, ita etiam vox אם *em mater* pro avia uſurpatur. Dici etiam poſſet utramque mulierem, matrem videlicet Abiæ, & matrem Aſa eodem nomine *Maacha* fuiſſe appellatam.

℣. 9. hujuſce capitis, Aſa regnaſſe legimus anno 20. Jeroboami. Certum eſt autem Abiam Aſæ patrem anno 18. Jeroboami pariter Regnum ejus auſpicatum, tribuſque annis regnaviſſe ex ℣℣. 1., & 2. hujus capitis edocemur. Hujuſcemodi anachroniſmi perſæpe leguntur in libris Regnorum.

Reſp. ex Cajetano Abiam aſcendiſſe Thronum anno 18. Jeroboami nondum expleto, unde annus ille 18 pro anno primo Regni Abiæ eſt recenſendus. Pro Anachroniſmis autem qui ſpecie tenus occurrere videntur in computis annorum, aliquot regulas nonnulli præſcribunt, quibus attentis facillime difficultates enodantur 1. Partes anni, vel menſis ſæpe pro anno, vel menſe integro in ſacris literis uſurpari. 2. Filii cum parentibus ſæpe ſæpius per aliquot annos Regnum adminiſtraſſe comperiuntur, qui poſtea anni modo Patris, modo Filii adminiſtrationi deſignantur 3. Aliquando interregna contigerunt aliquo tempore, quod ſiquidem tempus interdum Regi præcedenti, interdum vero ſucceſſori decernitur. 4. Cum pariter acciderit aliquoties ut duo Reges intra ſpatium unius anni imperaverint, annus ille a nemine eorum completus modo uni, modo alteri Regi conceditur. 5. Cum evenerit ut aliquis Princeps tyrannice ſibi vindicaverit imperium, nonnulliſque conſumpſerit annos, antequam pacifica uteretur poſſeſſione, anni illi ejus regimini nequaquam aſcribuntur ut patet de annis Oſeæ Regis Iſrael. Iſtæ autem regulæ ſi attente conſiderentur, vix ad Regum annos recenſitos in Libris Regnorum, nec non in Paralipomenis, aliquam oppoſitionem invenire poterimus in Sacris Scriptoribus, etiam ſpecie tenus. Alterum inſuper animadvertamus oportet eamdem perſonam pluribus quamſæpe nominibus appellari, cum autem in uno Scripturæ textu nomine diverſo indicetur, quam in altero, contradictio ſtatim videtur enaſci; quod tamen falſum eſt. Hiſce præmiſſis, multa, quæ circa annorum computum, atque Perſonas in Libris Regum, & Paralip. videntur oppoſita, libenter omittimus.

Capite 16. Lib. 3. Regum ℣. 7. legimus (4)
a Baaſa occiſum Jehu filium Anani. Iſte autem Jehu in 2. Paralip. Cap. 19. ℣. 2. occurriſſe narrantur Regi Joſaphat poſt annos circiter quadraginta ab eo tempore, quo refertur occiſus.

Reſp. Non deeſſe, qui opinentur in loco citato Regum minime interitum Jehu recenſeri, ſed alicujus alterius, v. g. Nadabi, vel Jeroboami, eo quod in pluribus deſiderentur codicibus verba illa *hoc eſt Jehu filium Anani Prophetam*; de quibus verbis jam dictum eſt in Lib. 4. Apologetici noſtri ſub §. IV. Veruntamen ſi ſacrum textum cum illis verbis velimus amplecti, duo fuiſſe *Jehu filii*, & duo homines *Anani* appellati, dicendi ſunt.

Cap. 18. ℣. 1. Dominus ad Eliam locutus refertur anno tertio, ut daret pluviam ſuper faciem terræ. Aſt Jacobi cap. 5. ℣. 17. pluvia non deſcendiſſe refertur per integros tres annos, & ſex menſes.

Reſp. Annum illum tertium auſpicandum non quidem a ſiccitate terræ, ſed vel a fame ingraveſcente jam a tribus annis, vel a receſſu Eliæ de torrente Cerith, vel tandem a tempore, quo Elias hoſpitari cœpit a vidua Sareptana: unde & textus hic Regum, & Jacobi auctoritas in tuto perſeverant.

Sub Capite 21. ℣. 24. dictum eſt a Domino per Prophetam, quod ſi Achab mortuus fuerit in Civitate comedent eum canes; ſi vero in agro occubuiſſet a volucribus erat dilaniandus. Hoc adimpletum nequaquam eſt, cum legamus Cap. 22. ℣. 37. in Samaria eumdem fuiſſe ſepultum.

Reſp. Hujuſcemodi difficultati in I. Volum. Diſquiſit. Pag. 289. ſatis eſſe factum.

Cap. 22. ℣. 48. Non fuiſſe tunc temporis Regem in Edom ſcriptum eſt. Cum tamen Lib. 4. Regum Cap. 3. ℣. 9. legamus

Regem Edom ſimul cum Joſaphat in prælio extitiſſe.

Reſp. In 4. Regum loco citato *Proregem*, vel *Vicarium Regis*, qui Idumæam gubernabat, appellatum eſſe Regem; quo ſenſu Moſes Deuteron. 35. ℣. 5. dicitur *Rex*.

Libro 4. Regum Cap. *6*. ℣. 19. Eliſæus negavit militibus Regis Syriæ eſſe viam, & civitates, quas illi inquirebant, cum tamen revera eſſent. Nunquid Dei Propheta mentiebatur?

Reſp. Neque mendacium, neque eam æquivocationem a S. Propheta eſſe adhibitam, quam non potuiſſent facili negotio deprehendere, ſi animo voluiſſent attendere. Quærentibus itaque viam, qua Eliſæum invenirent; reſpondet hanc non eſſe eam, nam Eliſæus ibat Samariam, illi vero in Dothain gradiebantur; negat pariter Dothain eſſe Civitatem, in qua exiſteret Eliſæus; & revera ibi non exiſtebat, cum jam eſſet ex eadem egreſſus; in nullo ergo mentitus eſt S. Propheta.

℣. 23. Ejuſdem Capitis, Latrones Syriæ non ultra in terram Iſrael veniſſe dicuntur. Et tamen ℣. 24. immediate ſequenti ſcriptum eſt a Benadado Regi Syriæ occupatam eſſe terram Iſrael, ingentique exercitu Civitatem Samariæ circumdatam fuiſſe.

Reſp. Variis modis hunc nodum ab Expoſitoribus reſolvi; dicimus itaque non ultra veniſſe turmas illas militum excurrentium, atque prædantium terram inimicorum, qui propterea milites appellantur *latrones*; non tamen ſeſe continuerunt Syriæ Principes, quin graviſſima exitia Iſraeliticæ genti aperto marte deportaverint. Verba itaque illa ſacri textus indicant ſolummodo latrones milites inſidioſe, aut clanculum terram Iſrael non invaſiſſe.

Cap. 8. ℣. 10. Eliſæus dixiſſe narratur, quod Benadad ſanaretur ab infirmitate; deinde ſubiunxit = oſtendit mihi Dominus, quia morte morietur = Quomodo hæc ad invicem cohærent?

Reſp. maxime ad invicem cohærere utrumque reſponſum Prophetæ. Ex illa quippe infirmitate liberatum iri adfirmavit Eliſæus, ſed aliis de cauſis periturus erat, nempe ex ſuffocatione, quam eidem Hazael intentavit.

℣. 18. ejuſdem Capitis dicitur filia Achab, quæ erat uxor Joram Regis Juda; Verſu autem *26*. mater Ochoziæ, proindeque uxor Joram nominabatur Athalia filia Amri Regis Iſrael.

Reſp. Revera uxorem Jorami, eamque matrem Ochoziæ unam, eamdemque fuiſſe Athaliam Achabi filiam; ℣. autem *26*. dicitur filia Amri, quia iſte fuit Pater Achabi; ergo Athalia neptis fuit Amri; qua de cauſa juxta hebraicam phraſim, ejus filia nuncupatur. Videantur, quæ paulo ante ſub Num. 3. hujus Capitis dicta ſunt.

(5) Capite *9*. ℣. 27. Ochozias percuſſus refertur in aſcenſu Gaver, & in Mageddo extinctus, Lib. autem 2. Paralip. Cap. 21. ℣. 10. non Ochozias, ſed Joachaz, non in aſcenſu Gaver, ſed latitans in Samaria comprehenſus dicitur, ad Jehu perductus, & ibidem occiſus.

Reſp. Ex Criticis ſacris in Synopſi aliquantulum fuiſſe percuſſum in aſcenſu Gaver, unde in Samariam ſe recepit, ibidemque abſcondere ſe ſategit, reductus tamen ad Jehu graviſſime vulneratus, uſque Mageddo pervenit, ibique vitam abſolvit; percuſſus etenim in curru ſuo fuit Ochozias, unde poterat facillime uſque Mageddo pervenire, cum non admodum diſtaret. Alio modo alii hujuſcemodi textus conciliant, ſed omnes in idem ferme revertuntur.

Capite X. Libri 4. Regum ℣. 13. occiſi dicuntur ab Jehu quadraginta duo fratres Ochoziæ. His contraria narrantur Lib. 2. Paralip. Cap. 22. ℣. 1. ubi ſcriptum eſt Ochoziæ fratres a latronibus Arabum fuiſſe interfectos priuſquam Ochozias ſolium aſcenderet Judaici Regni.

Reſpondent nonnulli Commentatorum hoc in loco *fratres* appellari *neceſſarios*, *foederatos*, & *nepotes* Regis, quod ex eo confirmari poſſe videtur, quod in eodem loco Paralip. ℣. 8. de Jehu legamus = invenit Principes Juda, & filios fratrum Ochoziæ, qui miniſtrabant ei = pro fratribus itaque ejus ſumuntur familiares, & neceſſarii adminiſtrantes ei; & etiam fortaſſis filii fratrum ſuorum. Ita Vatablus, Calmetus, Junius, & Piſcator. Reſponderi etiam poteſt occiſos ab Jehu non fuiſſe fratres uterinos Ochoziæ, ſed fratres ex Patre, non autem ex Matre, ſed ex Concubinis, aliiſque uxoribus diverſis ab Athalia.

Cap. 13. ℣℣. 3. & 22. Dominus tradidiſſe refertur Iſraelitas in manus Hazaelis Regis Syriæ cunctis diebus Joachaz. Oppoſitum prorſus deſcribitur in ℣℣. 4 5., & 23., in quibus Deus Iſraelis inſertus aſſeritur, atque ad preces Joachaz ipſimet Iſraeli Salvatorem dediſſe prædicatur.

Reſpondent Abulenſis, Mariana, & Sanctius, aliique Commentatores hunc ſervatorem non alium fuiſſe quam Joas a Deo excitatum, ut fœlicitatem Iſraeli reſtitueret, atque Azaelis tyrannides ulciſceretur. Precibus & lacrymis Joachaz ad miſericordiam ſe Deus excitari permiſit, quam tamen poſt mortem illius Regis complere per Joas decrevit; nulla ergo hiſce in textibus contradictio.

℣. 17. hujus capitis prædicit Eliſæus quod Joas Samariæ Rex Syriam eſſet percuſſurus uſque ad conſummationem ejus. ℣. autem 19. ſolis tribus vicibus eam percuſſurus prædicitur. Tam mutabilia ſunt Prophetarum oracula?

Reſp. ex Tirino, Menochio, & Cornelio prædictionem Eliſæi fuiſſe conditionatam, eamque a Deo percuſſionibus fuiſſe illigatam, adeo ut pro earum numero, ita victoriæ in Syros eſſent reportandæ.

Cap. 14. ℣. 3. Amaſias feciſſe quod rectum eſt coram Domino refertur. Hujus oppoſitum ſcribitur 2. Paralip. cap. 25. ℣. 14., ubi Amaſias Deos Idumæorum coluiſſe dicitur.

Reſp. Utrumque eſſe verum, quia non

co-

Digitized by Google

eodem tempore geſtum. Sub Regni ſui initium fecit Amaſias, quod rectum erat; temporis autem decurſu ad in qua deflexit: Primum ſcribitur in libro Regum; ſecundum in Paralipomenon. Plures de aliis etiam Principibus habentur iſtiuſmodi variationes, quæ videntur inter varios Scripturæ textus contrarietatem inducere, quod tamen non eſt, ſi temporum differentias attendamus.

℣. 7. hujus capitis percuſſiſſe Amaſias de Edom decem millia narratur. Aſt in Paralip. viginti millia ab eodem interempta cenſentur.

Reſp. In utroque textu veritatem haberi evidentiſſimam; Amaſias enim decem Idumæorum millia percuſſit in ore gladii, & totidem præcipites egit e rupis crepidine, qui omnes pariter mortui ſunt. Iſti ultimi tantum in hoc Regum loco recenſentur. In Paralip. autem quotquot occiſi ſunt, qui revera viginti millia fuerunt.

Cap. 15. ℣. 7. Azariam in Civitate David cum Patribus ſuis ſepultum legimus. Et tamen in lib. II. Paralip. cap. 26. ℣. ultimo in agro ſepultus enunciatur.

Reſp. Hujuſcemodi antilogiam evaneſcere ſtatim ac attente uterque ſacer textus perlegatur. In iſto Regum loco dicitur ſepultus Azarias cum Majoribus ſuis in Civitate David. In Paralip. vero *in agro Regalium ſepulchrorum*. Sepultus eſt itaque in agro, ubi erant ſepulchra in Civitate David, non autem in ſepulchris eorum conditus eſt, quod lepra foret infectus. (6)

Cap. 16. ℣. 5. Raſin Rex Syriæ, & Phacee Rex Jeruſalem ſuperare Regem Achaz non potuiſſe dicuntur. In 2. Paralip. nihilominus cap. 28. ℣. 5. Achaz a Domino traditus in manus Raſin Regis Syriæ enunciatur, magnaque plaga ab eodem percuſſus refertur, ſicut, & a Rege Iſrael,

Reſp. Verbum illud *ſuperare* ad Regem Achaz, ejuſque Civitatem Jeruſalem eſſe referendum, non autem ad illius exercitum. Magnam itaque vaſtitatem in Achazi ditionem, & gentem duo illi Reges intulerunt, non autem ejus Civitatem Regiam, ipſumque Regem ſuperarunt. Quæ ulterius in hoc libro Antilogiarum ſpecies offenduntur ſola textuum comparatione eliminantur. W

CAPUT VI.

Ex libris primo, & ſecundo Paralipomenon.

Ex Libro I.

§. I.

(1) CAP. II. v. 15. David dicitur ſeptimus & ultimus filius Iſai: At I. Reg. XVI. v. 11. Cum Iſai coram Samuele adduxiſſet ſeptem filios, dixit unum adhuc ſupereſſe, nempe Davidem paſcentem oves. *Reſpondent* Interpretes cum Magiſtro Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Iſai præter iſtos ſeptem filios a ſe immediate genitos, alterum habuiſſe adoptivum, nempe Jonathan filium Sammaa, ſeu nepotem ex tertio filio, quem cum haberet domi, etiam cum aliis filiis ſiſtere voluit coram Samuele, ne forte is eſſet quem Deus ſeligeret in Regem (2).

(2) Cap. III. v. 5. *Porro in Jeruſalem ei* (Davidi) *nati ſunt filii Simmun, & Sebab, & Nathan, & Salomon quatuor, de Berſabee:* At Proverb. IV. 3. Salomon teſtatur ſe fuiſſe *unigenitum coram matre ſua*, proinde non potuit habere tot fratres uterinos. Reſpond. Salomonem idcirco dici unigenitum; non quod ſolus revera eſſet a Davide ex Bethſabea genitus, ſed quia velut unigenitus erat dilectiſſimus, unde LXX. reddunt, *unice*
(3) *dilectum* (3).

Cap. X. *Interiit ergo Saul & tres filii ejus, & omnis pariter domus eius concidit*. At II. Reg. II. v. 8. *Abner, Isboſeth filium Saul Regem conſtituit ſuper Iſrael*, &c. Reſpondeo revera quidem Isboſeth aliquandiu Regis nomen obtinuiſſe; at cum duobus annis regnaſſet ſpecie tenus, & non tam ſua quam Abneris auctoritate & virtute, tandem in lecto miſere trucidatum eſſe: eius autem filius Miphiboſeth erat in Aula Davidis ex gratia & ſine imperio; unde familia Saulis cum eo concidiſſe dicitur, quippe quæ nulla amplius auctoritate ad poſteros propaganda invaluit. (4) (4)

Cap. XXI. v. 25. *Dedit ergo David Ornan pro loco ſiclos auri juſtiſſimi ſexcentos:* At II. Reg. cap. XXIV. v. 24. *Emit ergo David aream & boves argenti ſiclis quinquaginta*. Reſponſ. In priori loco emitur majori pretio locus & ſpatium ampliſſimum, ubi oblatum fuerat ſacrificium: in poſteriori ſolum commemoratur emptio loci ubi conſtitutum fuerat altare, una cum bobus immolatis, & lignis ad ſacrificium neceſſariis. Unde non eſt eadem emptio, ſed duplex: Cum enim David inter anguſtias ſævientis peſtis placare vellet Dominum, in eodem loco ubi percutientem Angelum conſpexerat, primum emit quinquaginta ſiclis argenteis locum altaris & neceſſaria ad holocauſtum: Poſtquam vero (ait Walthetus) igne cælitus delapſo, & ſanata lue David intellexiſſet hunc ipſum locum eſſe, quem Dominus ad ædificandam domum ſuam elegiſſet, jam exigua illa area, quæ altari ceſſerat, noluit eſſe contentus, ſed totum illum montem Moriah emit ab Areuna ſexcentis ſiclis auri, hic enim clariſſime aſſeritur, quod Rex pretium hoc dederit pro loco; ibi autem commemorantur ſaltem boves, ligna & area. Hæc expoſitio robur etiam accipit ex II. Paralip. III. v. 1. ubi dicitur, quod Salomon ædificarit domum Domini in monte Moriah, qui demunſtratus fuerat David in loco, quem paraverat David in area Ornan Jebuſæi. (5) (5)

Ex II. Paralip.

§. II.

(6) CAP. II. v. 14. *Miſi tibi virum prudentem & ſcientiſſimum patrem meum, filium mulieris de filiabus Dan; cujus pater fuit Tyrius.* At III. Reg. cap. VI. v. 14. *Tulit Hiram de Tyro filium mulieris viduæ de Tribu Nephthali, patre Tyrio.* Reſp. Pater Hierami erat revera ex Tribus Nephthali, & dictus eſt Tyrius, non origine, ſed incolatu, quod Tyri diutiſſime vixiſſet: Mater vero illius ex Tribu Dan, unde Hiramus ille dictus eſt ex Tribu Nephthali genere paterno, quod clare exhibet textus Hebræus, poſteriorem locum ſic ad verbum reddens *filius mulieris viduæ ipſe de Tribu Nephthali.* (7) (7)

Cap. XXIV. v. 21. Zacharias dicitur interfectus *in atrio domus Domini*: At Matth. XXIII. v. 35. dicitur *occiſus inter templum & Altare.* Reſp. Hic *Templi* nomen accipitur vel in ſtrictiori, vel in latiori ſignificatione. Priori modo eam tantum continebat partem tecto coopertam: poſteriori vero omnem ambitum muris cinctum, ſubindeque aream in qua ſub dio erat altare holocauſtorum. In priori ſignificatione, occiſus eſt Zacharias in atrio domus Dei: in poſteriori vero, occiſus fuit inter templum muris clauſum, & ſtum altare holocauſtorum, quod ſub dio fuiſſe multis probat Glaſſius Phil. Sacr. pag. 119. (8) (8)

AD CAPUT SEXTUM

CONCILIATORII BIBLICI

SUPPLEMENTUM.

(1) LIbri I. Paralip. Cap. 1. ℣. 36. ſcriptum eſt quod Thamna, & Amalec filii fuerunt Eliphazi. Contrarium eſt in Cap. 36. Geneſeos ℣. 12; ubi Thamna deſcribitur Eliphazi concubina, & Mater Amalec.

Reſp. I. locum hunc Paralip. eſſe ſupplendum ex Cap. Geneſeos laudato, hoc fere pacto = Et Thamna Eliphazi concubina peperit ei Amalec = ſive *Thamna autem filius Amalec.* 2. Ellipſin quamdam eſſe hoc in loco nonnulli volunt, adeo ut legendum ſit = Et Thamnæ filius Amalec = utramque ſeligamus reſponſionem, antilogia quælibet evaneſcit. Non minori facilitate altera exſufflatur oppoſitio inter verſiculum 38. hujus Capitis Paralip, & ℣. 9. Capitis 36. Geneſeos, in quo filii Eſau diverſi prorſus habentur a filiis Seir (qui eſt idem, ac Eſau) hoc in loco Paralip recenſitis. Quamvis enim Eſau, *Seir* etiam appellaretur, qui tamen in loco Geneſeos memoratur, vir alter erat ab Eſau, ex Horræorum gente progenitus, ut clare in Geneſi refertur.

(2) Ad ℣. 55. Capitis 2. hujus Lib. legimus veniſſe Cynæos *de Calore Patris domus Rechab.* Conſtat autem ex cap. 10. libri IV. Regum ℣. 15. circa tempora Jehu Regis Iſrael vixiſſe Rechab; cum Cynæorum progenies jam Judicum ætate extitiſſet, ut conſtat ex cap. I. Judicum ℣. 16.

Reſp. Nullum negotium nobis hujuſcemodi oppoſitionem faceſſeret ſi dixerimus veniſſe Cynæos de *Chamath*, quæ *Calor* redditur a Vulgato, quæque fuit civitas patrix familiæ Rechab, unde Rechabitæ. Si autem pro Calore intelligamus *Semen*, ut nonnulli interpretantur, quis obſtabit ne dicamus hoc in loco Paralip. indicati peculiares quaſdam *Cynæorum* familias, quæ ex ſemine Rechab exortæ ſint, appellatos autem fuiſſe *Cynæos*, quamvis ex Rechab exortos, ex vetuſtiſſimo hujus gentis nomine, quo & ipſe Rechab inſignitus erat, cum & ipſe Cynæus eſſet? Ejus itaque poſteri *Cynæi-Rechabitæ* dicebantur, & de iſtis in Paralip. fieri ſermonem incredibile non eſt.

Ad ℣. 19 Capitis 3. Zorobabel dicitur (3)
Phadajæ filius: & tamen Matthæi 1. ℣. 12. Zorobabelem a Salathiele genitum legimus.

Plures ad hujuſce nodi nodum reſolvendum apud Criticos ſacros proponuntur ſententiæ. Alii quippe ajunt Zorobabelem Matthæi diverſum omnino eſſe ab eo, qui in hoc Paralip. loco recenſetur. Alii vero Phadajam putant alio nomine Salathielem fuiſſe vocatum. Alii tandem Zorobabelem natura Phadajæ filium, adoptione vero Salathielis. Quamcumque ex iſtis amplectamur ſententiam nulla reſtat in ſacris textibus oppoſitio.

Capite 4. ℣. 1. Inter Judæ filios *Phares Hezron*, & *Carmi* recenſentur. Ex Geneſis tamen ℣. 12 capitis 46. Hezron eſt nepos Judæ; Carmi autem pronepos Judæ ex Zare, ut patet ex cap. 7. Joſue ℣. 1.

Reſp. Nequaquam in hoc Paralip. textu filios Judæ immediatos recenſeri, ſed ejus ſucceſſores & poſteros qui omnes dicuntur filii, ſicut multoties univerſa Iſraelitica gens *filii Jacob*, vel *filii Iſrael* appellantur. Si autem cur hi ſucceſſores Judæ, & non alii ejus Poſteri commemorentur quis inquirat, reſpondebimus quod hoc in loco homines virtute, aut poſteritate inſignes, vel qui principaliores erant, nominantur.

℣. 22. hujus ipſius Capitis vir quidam innominatus enarratur inter filios Sela, cui nomen *Qui ſtare fecit ſolem.* Nunquid Joſue indicatur, cum nullus, quem ſciamus, mortalium præter Joſue tam maximum ſit patratus miraculum?

Reſp. & omittimus in primis quidquid otioſi inter Rabbinos de Elimelecho fabulantur. Virum hoc in loco recenſitum, aliquem extitiſſe præclarum hominem arbitramur, qui vocabatur *Jokim*: vox autem

iſta

iſta cum *ſtare faciens* ſignificet, ac vocem alteram *Solem* eidem adjecerint, *ſtator Solis* is appellabatur.

Hujus Libri Paralip. Cap. 5. ℣. 1. Primogenita Ruben tradita leguntur Joſepho. Veruntamen Sacerdotium Levitis, ſceptrum autem Tribui Judæ conceſſum fuit.

Reſp. Nomine *primogenitorum* duplam hæreditatis portionem intelligi, quæ primogenito tradi ſolebat: iſtam autem Joſeph eſt conſecutus, quia in terræ promiſſæ diviſione domus ejus pro duplici Tribu conſiderata eſt in Ephraim, & Manaſſe; unde duplicem partem Joſephus obtinuit.

℣. 11. Ejuſdem Capitis cum filii Gad enumerantur, ſatis eorum recenſio ab ea diſcrepat, quæ in Cap. 46. Geneſeos ℣. 16. inſtituta conſpicitur.

Reſp. In Paralip. non filios immediatos, ſed potius ſucceſſores Patriarcharum a ſacro Scriptore fuiſſe commemoratos, qui in familiis principes erant, & Capita. Idipſum, dum in hoc Libro aliorum Patriarcharum filii deſcribuntur reſpondendum eſt, cum aliqua diſcrepantia repetitur.

Cap. 7. ℣. 24. Sara filia Ephraim ædificaſſe in Chanaan tres Civitates refertur. Id autem eſt impoſſibile cum in Ægypto cum Patre ſuo ſemper extiterit.

Reſp. A Sacro Scriptore hoc etiam in textu nomen *filia* pro *deſcendente* eſſe uſurpatum; niſi velimus cum nonnullis aſſerere hanc Saram Berihæ filiam, non Ephraimi iſto in loco dictam eſſe.

Cap. 8. ℣. 28. Plures ex Beniamitica Tribu Principes Familiarum habitaſſe dicuntur in Jeruſalem. Hoc autem incredibile videtur, cum a Deo vetitum eſſet portionem unius Tribus ab alterius Tribus viris occupari.

Reſp. Civitatem Jeruſalem in confinio extitiſſe duarum Tribuum Judæ ſcilicet, & Beniamin, unde ejus pars ſeptentrionalis ad Beniamitas, meridionalis vero ad Judæos pertinebat. Sunt nihilominus, qui opinantur Sacrum Paralip. Scriptorem ad tempus reſpexiſſe, quo Babylone reverſi Iſraelitæ permixti in Civitatibus commorabantur. Plures in hoc Capite homines diverſo appellatos nomine comperimus, ac in Libris aliis nuncupentur; aſt binomios fuiſſe ſupponunt Interpretes.

Cap. 9. ℣. 11 Azarias filius Helciæ nominatur, atque Pontifex Domus Dei aſſeritur. Conſtat tamen ex 1. Eſdræ Cap. 3. ℣. 8. & Aggæi Cap. I. ℣. I. Pontificem a reditu ex Captivitate fuiſſe Joſue, ſeu Jeſum.

Reſp. ex Tirino, Mariana, Strigelio, Junio, aliiſque in Synopſi Criticorum, hunc Azariam non primarium, aut ſummum Sacerdotem fuiſſe, ſed aliquem ex ſecundariis, nempe Capitibus 24. familiarum Sacerdotalium, qui & *Principes Sacerdotum*, & *Pontifices Templi* vocabantur. Alii aliter vertunt nempe = Azarias filius Helciæ filii Achitob ducis, vel Principis domus Dei = dicere tandem poſſumus Azariam fuiſſe binomium.

Cap. 18. ℣. 16. Sadoc, & Abimelec filius Abiathar Sacerdotes nuncupantur: cum ex Lib. 3. Regum Cap. 2. ℣. 27. compertum ſit Abiatharum in Sacerdotio uſque ad Salomonem permanſiſſe.

Reſp. Hoc in loco ita conſtruendam eſſe orationem ut Abimelec in caſu genitivo intelligatur, hoc ferme pacto = Sadoc autem filius Achitob, & Abimelechi filius Abiathar Sacerdotes. = Dicere etiam poſſumus hunc Abimelechum, filium Abiatharis extitiſſe, cui a Patre ſuo honor Sacerdotii fuerit communicatus, ut olim Eli fecerunt, & Samuel filiis ſuis.

Cap. 20 ℣. 2. David abſtuliſſe narratur coronam Melchom, cujus pondus erat talentum auri, ſibique diadema ex eadem conſtruxiſſe refertur. Quomodo autem id ſi ſculptilia comburi juſſa erant Deuteron. 7. ℣. 5.? Melchom autem idolum Ammonitarum fuiſſe legimus Jeremiæ 49. 1. & Lib. 4. Regum Cap. 23. ℣. 13. Talentum denique pondus erat 125. Librarum Romanarum: quis Capite hoc onus ſuſtinere potuiſſet.

Reſp. ex Guilielmo Eſtio legem illam *Sculptilia combures* ad loca & populos Terræ promiſſionis, eorumque Idola eſſe reſtringendam. Ammonitæ autem erant extra eos. Faciliorem tamen reſponſionem atque probabiliorem nobis ſuppeditant Mariana, Tirinus, & Grotius, qui ajunt *Melchom* hoc in loco eſſe nomen Regis Ammonitarum, idque conſtat ex Lib. 2 Regum Cap. 12. ℣. 30. neque coronam tanti ponderis aut in Capite Regis illius extitebat, vel in Capite Davidis locanda erat, ſed ſupra Caput in throno, & Connpeo regio appendebatur ut vertici ſedentis perpetuo immineret; ita Expoſitores hunc explicant locum. Dicere tamen poſſumus hoc in loco talentum minus eſſe intelligendum, cujus pondus erat decima pars talenti majoris, ſcilicet ad trecentos Siclos pertingebat, qui duodecim Romanas Libras cum tribus unciis conficiebant, & in hujuſcemodi expoſitiune pondus non maxime excedere videtur quin talis corona ſuper Caput aliquantulum ſuſtineri non potuerit. Tandem cum coronam illam ex auro, & gemmis legamus compoſitam, ſunt, qui opinantur per vocem *pondus* æſtimationem, ſeu valorem illius ſignificari non onus, in hac enim ſignificatione quandoquidem uſurpari notat Bocharthus *de Animal*, Sac. par. I. Lib. 2. Cap. 58. Nil ergo vel impoſſibile, vel contradictorium hoc in ſcripturæ divinæ textu adinvenitur.

Cap. 21. ℣. 12. Tres anni famis Davidi proponuntur; cum tamen 7. annos Lib. 2. Reg. Cap. 24. ℣. 13. legamus.

Reſp. Ex Librariorum errore *tres* pro *ſeptem* hic fuiſſe exaratos, ait Oſiander. Alii vero in Librum 2. Regum mendam incurriſſe opinantur, ibidemque *tres* pro *ſeptem* eſſe legendum cum LXX. Alii tandem hujuſcemodi comminationem eſſe factam anno 4. ex quo premebantur flagello famis Iſraelitæ propter Gabaonitas, adiecto autem novo Davidis peccato triennium famis iterum eſſe in ejus pœnam comminatum quod ſi quadriennio copulatum ſup-

ponamus, ſeptem anni conficiuntur; in Libris Regum igitur comminatio ad hunc ſenſum reddi poteſt *aut ſeptem annis veniet*, ſcilicet venire perſeverabit fames uſque ad 7. annum; aut &c. In Paralipomenis autem ſola pœna de novo infligenda pro Davidis delicto commemoratur. Alias alii tradunt explicationes quas brevitatis gratia relinquimus, cum ſatis ex dictis Antilogiæ ſpecies exſuffletur.

(5) Cap. 23. ℣. 3. numerati dicuntur a Rege David Levitæ ab anno vigeſimo, & ſupra. Contrarium eſt in ℣. 24. hujus Capitis cum a vigeſimo anno, & ſupra filii Levi in opus miniſterii ſelecti dicantur.

Reſp. cum Grotio, & Eſtio duplicem a Davide Levitarum cenſum fuiſſe inſtitutum, in quorum primo ætatem miniſtrorum juxta præſcriptum num. 4. ℣. 3. deſignavit: In ſecundo autem ſpiritu Dei modus minorem ætatem decrevit, quod collectio Levitarum in priori cenſu deſignata non ſufficeret ad opera templi; & quod ulterius opus jam non eſſet tanta ætate, & robore ad officia Sanctuarii, ſicut olim, dum vaſa ſacra, aliaque ſuppellex erat transferenda de uno in alterum locum ſimul cum Arca.

(6) Libro 2. Paralip. cap. 1. ℣. 3. legimus Salomonem abiiſſe in Gabaon, ubi erat Tabernaculum fœderis. ℣. autem 13. ſcriptum eſt Salomonem de Gabaon, veniſſe in Jeruſalem coram Tabernaculo fœderis. Nunquid idem Tabernaculum ſimul in Gabaon, & Jeruſalem exiſtebat?

Reſp. 1. ſpeciem hujus antilogiæ ſtatim evaneſcere, ſi legamus cum hebræa = venit ergo Salomon in Jeruſalem *de coram Tabernaculo fœderis*. = LXX. pariter habent = venit in Jeruſalem a facie Tabernaculi = Verum diluitur oppoſitio ſi dicamus in Gabaon remanſiſse Tabernaculum, ſub Moſe conſtructum, cum a Rege Davide Arca Dei translata eſt in Jeruſalem 2. Regum 6. ℣. 12.; cui tabernaculum tetendit, ut patet ex eodem libro Regum cap. citato, ℣. 17. Manifeſtum eſt ergo quod Salomon potuit de Gabaon, ubi erat tabernaculum, quod fecerat Moſes, in Jeruſalem venire, atque coram tabernaculo a Davide extructo, in quo erat Dei Arca, ſe ſiſtere.

Cap. 2. ℣. 2. ter mille, & ſexcenti præpoſiti operarum numerantur, qui tamen in Lib. 3. Regum Cap. 5. ℣. 16. ad termille trecentos perſtringuntur.

Reſp. Ex Menochio, Sà, & Cajetano in Libris Regum ſolos recenſeri Præpoſitos operarum; hoc autem in loco etiam Præfectos Præpoſitorum. Junius opinatur in Paralipomenis deſignari, qui vicarias operas præſtabant. Quidquid ergo eligamus, contra ſe invicem repugnare ſacri textus minime convincuntur.

(7) Cap. 5 ℣. 10. Nil aliud in Arca fœderis extitiſſe adfirmatur quam duas tabulas a Moſe poſitas, cum eſſent in Horeb. Oppoſitum docet Apoſtolus Paulus Hebræorum cap. 9. ℣. 4. manifeſte tradens in Arca ultra tabulas teſtamenti, urnam extitiſſe, in qua manna repoſitum erat, & virgam Aaronis, quæ floruerat.

Reſp. Ad hujuſcemodi eluendam oppoſitionem plura a Criticis ſacris reſponſa fuiſſe excogitata, quæ in Criticorum Synopſi ad laudatum Apoſtoli textum videri queunt. Nos ex illis unum ſeligimus, quod brevius, & expeditius difficultatem convellit. Præpoſitionem itaque ב hebraicam, ſicut & ἐν græcam varie uſurpari in ſacris literis notum eſt, aliquando enim pro *cum*, quandoque autem pro *juxta* uſurpatur; hinc impedie nemo, quin dicamus urnam, in qua Manna, & virgam Aaronis in Sanctuario cum Arca, vel juxta Arcam extitiſſe; idque ab Apoſtolo eſſe traditum; in Paralip. autem quid intus in Arca contineretur fuiſſe deſcriptum.

℣. 11. ejuſdem Capitis tempore Salomonis Regis nondum extitiſſe vices, & ordines inter Sacerdotes, & Sanctuarii miniſtros ſcriptum eſt: cujus tamen oppoſitum legimus lib. I. Paralip. cap 24. ℣. 6. in quo ordines, & vices ſacrorum Miniſtrorum a Davide diſtributæ perhibentur.

Reſp. A Davide fuiſſe quidem Miniſtrorum Sanctuarii vices, & ordines præſcriptos, ſed nonniſi poſt conditum templum, & dedicatum executioni mandatos; idque ſolummodo hoc in loco Paralip. indicari. Ex hebraica ſiquidem verſione hæc reſponſio illuſtratur quammaxime, cum in eadem habeatur = nec tunc obſervabant diviſiones = ut legit Munſterus; ſive = Non ad obſervandum (pro *ſervabatur*) diviſiones = ut Petrus Martyr interpretatur; Alii autem opinantur tempore illo ſolemnitatis, non fuiſſe ſervatas Sacerdotum, & Levitarum vices pro hebdommade illa currentes, ſed quotquot Sacerdotes potuerunt accedere, omnes ad miniſterium fuiſſe vocatos, ut ſolemniori pompa ea celebraretur feſtivitas, particulam vero *adhuc*, quæ temporis continuationem aliquando ſignificat, hoc in textu pro *inſuper* eſſe appoſitam, adeo ut ſit ſenſus hujus parentheſis = Vocati ſunt quot inveniri potuerunt Sacerdotes; nec inſuper illo tempore vices, & miniſteriorum ordo, qui inter eos diviſus erat, attendebatur. = Quamcumque ex iſtis expoſitionem amplectamur, nullam difficultatem ſupereſſe dignoſcimus.

Cap. 8. ℣. 2. Hiram Rex Tyri Civitates Salomoni dediſſe narratur. Cum tamen ex lib. 3. Regum cap. 9. ℣. 11. evidenter conſtet non Salomoni, ſed ab ipſo Hiramo Regi traditas fuiſſe Civitates.

Reſp. ex Vatablo, & Menochio quod uterque alteri viginti urbes dederunt; ita certantes mutuis benevolentiæ ſignis. Probabilius tamen Malvenda, Tremellius, & Piſcator opinantur, hoc in loco verbum *dare* pro *reddere* eſſe uſurparum; habemus ſiquidem in 3. Regum cap. 9. ℣. 18. non placuiſſe Hiramo 20. illa oppida ſibi a Salomone conceſſa, unde eadem illi reſtituiſſe merito exiſtimatur.

℣. 18. Rex Hiram miſiſſe in Aſiongaber Salomoni naves, & nautas refertur; quis autem ſibi ſuadeat ex portu Tyri, qui in mediterraneo eſt, miſſas fuiſſe naves in Aſiongaber,

gaber, quæ ad oram maris rubri reperiebatur?

Reſp. Omiſſis quotquot a Commentatoribus adinventæ ſunt ad hunc textum expoſitionibus, Regem Tyri navium claſſem in maribus orientis habuiſſe, ſive illuc Tyro eaſdem miſerit, ſive in eis locis conſtructas coemerit. Videatur ỷ. 22. capitis 10 libri III. Regum; diſſita ergo loca, itinera per mare oblonga non ejus ſunt roboris, quæ Scripturæ Sanctæ veracitatem infirmare queant.

Cap. 9. libri II. Paralip. ℣. 21. Claſſes Salomonis in Tarſis navigaſſe referuntur, indeque aurum, argentum, ebur, ſimias, & pavos detuliſſe. Quis autem ignoret hujuſcemodi merces in Cilicia, in qua, & Tarſus erat ex Actorum cap. 21. ℣. 39. non produci?

Reſp. Ab Hebræis hoc nomine *Tarſis*, nedum Civitatem Ciliciæ, ſed inſulas etiam alias, atque diſſitas regiones fuiſſe deſignatas, ſicut apud Italos *Indiarum* nomine, nedum regiones circa Indum, ſed quaſvis alias noſtro hemiſpherio oppoſitas indicari compertum eſt. Videatur peculiaris Calmeti Diſſertatio *De navigationibus Salomonis*.

Cap. 14. ℣. 9. Zara Æthiops contra Aſa Regem Juda cum ingenti exercitu progreſſus deſcribitur. Oppoſitum ferme legimus in cap. 15. hujus libri ℣. 19. in quo bellum aliquod extitiſſe negatur uſque ad annum trigeſimum quintum Regni Aſa. In lib. pariter 3. Regum cap. 15. ℣. 16. bellum fuiſſe inter Aſa, & Baaſa Regem Iſrael omnibus diebus ipſorum aſſeritur. Baaſa autem regnare cœpit anno tertio Regis Aſa.

Reſp. Varias huic dubio traditas jam eſſe ab Expoſitoribus Sacris reſponſiones compertum eſt. Nos eorum opinionem amplectimur, qui ajunt annos iſtos 35. non ab aſcenſu Aſa Regis ſuper ſolium Regni, ſed a diviſione Regnorum Juda, & Iſraelis ſub Roboamo Salomonis filio eſſe inchoandos; adeo ut ſenſus ſit: bellum non fuiſſe uſque ad annum 35. Regni Juda, in quo Aſa imperabat. Proſtrato autem Zara, anno ſequenti movit in Aſa Baaſa Rex Iſrael, ut patet ex ℣. 1. Capitis 16. Libri II. Paralip. inter quos bellum perſeveravit omnibus diebus ipſorum, ideſt a die, quo incœpit, uſque ad finem vitæ Regis Baaſa, poſt quem diu adhuc Rex Aſa ſupervixit.

Cap. 21. ℣. 12. legimus ab Elia Propheta literas adlatas fuiſſe Joramo Regi. Quis tamen neſciat jam ab annis novem Eliam igneo curru raptum ad Cœlum, ut patet ex Lib. 4. Regum Cap. 2.?

Reſp. Nullam hoc in loco antilogiam adinveniri quamvis ab ipſomet Elia hujuſcemodi literæ adlatæ forent. Nulla quippe eſt repugnantia, qua ex altera vita ad iſtam regreſſus habeatur, Deo ſic diſponente; Samuelis anima Sauli ſe videndam exhibuit ex plurium Scriptorum ſententia. Sunt qui opinantur hujuſcemodi Epiſtolam ab Elia fuiſſe conſcriptam, antequam ex hoc mundo tranſiret, cum prophetico ſpiritu quid Joramo eventurum erat prævidiſſet, ipſamque Epiſtolam Eliſæo, vel alteri, ſuo tempore exhibendam Regi, fuiſſe traditam; unde hoc in loco ab Elia Propheta dicitur allata, in quantum ab ipſo conſcripta, atque præparata fuit. Quod autem id ſatis mature Elia diſpoſuerit, mirum eſſe non poteſt, cum & Jeremias Propheta de futuro Cyri Regno plura conſcripſerit priuſquam ad illud aſſumeretur. Oportebat ut que Regem impium ab abſente Propheta redargui, quem præſentem minime ſuſtinuiſſet, inquit Junius.

Cap. 34. ℣. 28. Joſiæ promittitur, quod in pace moreretur: cum tamen Capite 35. ſequenti ℣. 25. vulnere in bello percuſſus occubuiſſe referatur. (8)

Reſp. Dei promiſſionem non privatam Joſiæ pacem reſpexiſſe, ſed publicam Regni tranquillitatem, quemadmodum ex verbis ſequentibus fit palam = infereris in ſepulchrum tuum in pace, inquit Propheta, nec videbunt oculi tui omne malum, quod ego inducturus ſuper locum iſtum = En de qua pace verba faciebat Olda Prophetis.

Cap. 35. ℣. 3. Levitæ jubentur Arcam fœderis in Sanctuario reponere. Ubi quæſo manebat Arca niſi in Templo?

Reſp. Ex Commentatoribus plurimis; eamdem e Sanctuario fuiſſe ſubmotam, vel Amonis, vel Manaſſis Regum Idololatrarum tempore, ne illa cum ſacrilegis Idolorum ſimulacris conſiſteret. Nec id mirum, cum inſtrumenta alia Sanctuarii loco ſuo movere, aut etiam truncare ſint auſi, quemadmodum ex Lib. IV. Regum Cap. 16. ỷ. 14. & ex Cap. 28. ℣. 24. Libri II. Paralip. ſacri textus oſtendunt.

Cap. 36. hujus Libri II. Paralip. ℣. 9. octo annorum fuiſſe Joachin narratur, dum Regni ſceptrum aſſumpſit. In Lib. autem IV. Regum Cap. 24. ℣. 8. octodecim annorum ætatem attigiſſe, cum regnare cœpit refertur.

Reſp. Varias ab Expoſitoribus ad hunc locum Commentationes fuiſſe propoſitas, ut antilogiæ ſpeciem eliminarent, contendentibus nonnullis ex Librariorum errore prætermiſſam numeri denarii notam eſſe. Verum, facillime ſacri textus genuina lectio locatur in tuto, ſi dixerimus octo fuiſſe annorum, quando regnare cœpit cum Patre ſuo in conſortium Imperii ab eodem aſcitus; & id refertur hoc in loco: poſt decem autem annos defuncto Patre, cum ſolus regnare cœpiſſet, ejus Regni principium in Libris Regum eſſe decretum W.

CA-

C A P U T VII.

Ex Libris Eſdræ, Tobiæ, Judith, Eſther, & Jobi.

§. I.

PUgnare videntur manifeſte hi duo Libri in recenſione eorum Judæorum, qui e captivitate Babylonica redierunt Jeroſolymam: Nam Eſdræ 11. v. 5. filii Area numerantur 775. At Nehem. 7. v. 10. ſunt 652. Inſuper apud Eſdram ibidem v. 6. filii Phahath Moab, filiorum Joſue Joab 280. 12. Apud Nehemiam vero XXVIII. v. 18. apud Eſdram v. 9. filii Zethua ſunt 945. apud Nehemiam v. 13. iidem ſunt 945. &c. Reſpondeo diſcrimen hoc eſſe petendum ex duplici indice diverſis in locis & diverſo tempore edito. Nam recenſio quæ extat apud Eſdram, facta eſt in Babylonia, in qua ſcripta ſunt nomina eorum qui ad exitum erant parati. Quæ vero eſt apud Nehemiam poſt illam Eſdræ, annis 72. eſt confecta ab ipſo Nehemia, ſi bene auguratur Grotius, eorum eſt qui revera redierant Jeroſolymam. Porro ex iis qui nomina ſua ad reditum conſignaverant, plurimi forte mutato conſilio, maluerunt ſtare in Babylonia; nonnulli etiam qui non fuerant ſcripti, ſe ſe exeuntibus comites dederunt; aliqui etiam forte in via defecerunt: inde fie quod eædem familiæ vel numeroſiores, vel minores in alterutro indice appareant. Unde
recte ſtat utriuſque veritas. (1) (1)

A D C A P U T S E P T I M U M

CONCILIATORII BIBLICI

S U P P L E M E N T U M.

(1) CAp. I. ℣. 8. vaſa Templi Saſſabaſar Principi Juda adnumerata dicuntur. Certum eſt autem Principem Juda fuiſſe Zorobabelem, ut patet ex Cap. 5. ℣. 2. hujus Libri.

Reſp. I. Incertum eſſe num vox illa *Saſſabaſar* ſit in caſu dandi, proindeque cum altera voce *Principi* copulanda? Cum præclari Scriptores non deſint, qui Saſſabaſar præfectum quemdam a Cyro deſtinatum opinentur, qui cum Iſraelitis aſcenderet Jeroſolymam, ut Civitatem, & terram eorum nomine Regis eiſdem reſtitueret, atque in poſſeſſionem immitteret e captivitate reduces. Alii vero Expoſitores hunc Saſſabaſar eundem cum Zorobabele extitiſſe arbitrantur, quamvis eo etiam nomine apud Perſas appellaretur; neque id novum eſt, cum plures ex Judæorum Primoribus ſub Chaldæorum dominatu agentibus duplici nomine, patrio uno, Chaldaico, ſive Aulico altero appellarentur.

Cap. 2. ℣. 2. Inter alios e Captivitate revertentes Mardochæus etiam accenſetur. Ex Libro autem Eſtheris Cap. 2. ℣. 5. notum eſt, Mardochæum in Suſis habitaſſe.

Reſp. I. Indubium non eſſe num eadem fuerit perſona, quæ ſub Mardochæi nomine hic, & in Eſtheris Lib. memoratur. Si autem eamdem fuiſſe velimus, eccur aliquot annis ab aſcenſu in Judæam non poterat in Perſidem reverti? nonne id & Nehemias eſt executus?

℣. 6. hujuſce Capitis quidam commemorantur *filii Phahath-Moab*, *filiorum Joſue*, *Joab*. Quis autem credat filios Phahath-Moab, poſteros fuiſſe Joſue, & Joabi?

Reſp. Hanc oppoſitionis ſpeciem a Commentatoribus faciliime exſufflari compertum eſt; ſive enim cum aliquibus dicamus eoſdem fuiſſe filios Phahath-Moab appellatos, ſicuti alibi *filii Bethlehem*, & *filii Anatoth* dicuntur aliæ familiæ, adeo ut *Phahath-Moab* ſit loci nomen in quo deſcendentes Joſue, & Joabi habitaverint; ſive dicamus cum aliis Expoſitoribus filios Phahath-Moab hoc in loco cum filiis Joſue, & Joabi fuiſſe connumeratos, antilogia prorſus evaneſcit, ut per ſe evidens eſt. Videantur Calmetus, & Critici Sacri ad hunc locum.

Cap. 4. ℣. 2. legimus Cuthæos alioſve Chaldaicæ regionis incolas ab Aſarhaddone fuiſſe in ditionem Samariticam translatos. Quis autem neſcit Salmanaſaris juſſu illuc e Chaldæa miſſos fuiſſe Cuthæos alioſque populos, ſicut ex Lib. 4. Regum Cap. 17. edocemur? Salmanaſar autem erat Aſarhaddonis avus.

Reſp. Non omnes fortaſſis a Salmanaſaro Colonias in terram Iſrael fuiſſe translatas, ſed aliquas ſub ejus Imperio, alias autem ſub ejus Nepote Aſſarhaddone; ex hiſce poſtremis forſitan, qui Zorobabeli loquebantur extiterunt. Alii autem Commentatores opinantur Colonias populorum, quæ imperante Salmanaſaro in terram Iſrael tranſlatæ ſunt, ab Duce Aſſarhaddone, eo fuiſſe perductas, etenim poſt deletam Samariam tribus annis cum regnaverit Salmanaſar, ſeptem poſt eum Sennacheribus, deinde Aſſarhaddon; facile, ſi Princeps iſte, oppreſſo Patre, Regni ſolium conſcendere potuit, etiam decennio prius potuere ſub ejus ducatu, & auſpiciis in Samariam Cuthæorum Coloniæ perduci. Alterutram amplectamur expoſitionem quælibet inter ſacros textus oppoſitio evaneſcit.

Idipſum ferme reſpondemus ad ℣. 10. hujus Capitis, in quo legimus gentes eſſe ab Aſenapharo magno, & glorioſo translatas.

Di-

Digitized by Google

Dicimus nempe virum hunc vere eumdem eſſe cum Salmanaſaro, quem nonnulli codices pro Aſenapharo exhibent, ut Lyranus teſtatur, vel Aſenapharum iſtum ducem aliquem extitiſſe, ſub cujus auſpiciis, & tutela Coloniæ illæ in Samariam perductæ ſunt.

Cap. 5. ℣. 15. Præceptum a Cyro legimus, ut vaſa ſacra reponerentur in Templo in Jeruſalem: conſtat autem ex ℣. immediate ſequenti Templum nondum fuiſſe ædificatum.

Reſp. Hoc in loco eſſe *Hyſteron proteron*, ideſt dictum prius, quod erat poſterius dicendum; prius etenim templum ædificari oportebat, quam in eo Sacra vaſa recondi.

Cap. 6. ℣. 14. Judæi ædificaſſe perhibentur domum Dei ſub Artaxerſe. Cum tamen ℣. 15. immediato Templi ædificium anno 6. Darii Regis completum adfirmetur.

Reſp. Nullam in ſacro textu oppoſitionem ad hunc locum poſſe ſomniari, niſi prius, quia, Artaxerſta hic nominatus extiterit, demonſtretur. Quamvia enim in hebraico texto ante *Artaxerſem* habeatur litera ו *vau*, hoc tamen in loco vim expoſitionia magis quam conjunctionis habère opinantur Wolphius, & ex Rabbinis Abenezra apud Munſterum; unde *Artaxerſis* nomen cum *Dario* conjungendum arbitrantur, veluti appellationem omnibus Perſarum Regibus communem, adeo ut ſenſus ſit = jubente Cyro, & Dario Artaxerſe. Alii vero commentatorum exiſtimant hoc in loco *Artaxerſem Mnemonem* Darii filium eſſe nominatum, vel quod ſui Patris, tunc Prorex extiterit, vel quod a Patre in Regni conſortium fuerit vocatus, propter bella contra Secundianum, alioſve proceres obeunda; lex enim erat apud Perſas Regem in expeditionem euntem Regni ſucceſſorem oportuiſſe declarare. Alii tandem exiſtimant fabricam templi anno 6. Darii fuiſſe completam; ſub Artaxerſe autem Civitatis ædificia continuaſſe.

℣. 22. Converſum dicitur cor Regis Aſſur ad eos, ut adjuvaret manus eorum in opere. Verum Aſſyriorum Reges jam a pluribus annis extincti erant, eorumque Regnum Perſia ſubiiciebatur.

Reſp. A nonnullia exiſtimari, quod Darius communicato Regno cum Artaxerſe filio, citeriores, ac meridianas Regni partes eidem regendas commiſerit, redemptis ſibi tractibus Regni Perſici ſuperioribus, qui ad Mare Caſpium interjacent, ubi a Syria inferior adinvenitur; hac de cauſa Darium hoc in loco Regem *Aſſur* appellatum ſupponunt. Alii autem Commentatorum arbitrantur Darium ſibi nomen Regis Aſſyriæ impoſuiſſe, ex quo Regnum illud Perſarum Monarchia ſubjugale factum eſt; ſicut Galliarum Rex *Corſica*, *Navarræ*, aliarumque Provinciarum Regem ſe vocat.

Ex Libro II. Eſdræ.

CAP. 2. ℣. 3. Civitas Jeruſalem dicitur deſerta, & portæ ejus combuſtæ igni. Hoc autem opponi videtur iis, quæ leguntur lib. 1. Eſdræ cap. 6. ℣. 15., ubi templum ſub Dario jam ædificatum aſſeritur, nec non ℣. 4. capitis 7. hujus libri.

Reſp. Nehemiam fuiſſe non de abſoluta deſertione locutum, ſed de relativa; civitas enim Jeruſalem eſto aliquantulum ex cineribus extolli cœpiſſet, nimis tamen adhuc deſolata permanebat, ſi ad Civitatem ante devaſtationem per Nabuchodonoſorem referebatur.

Cap. 12. ℣. 22. Eliaſib inter Sacerdotes ſub Darii Regno extitiſſe deſcribitur. Ex Libro autem primo Eſdræ cap. 5. ℣. 2. Joſuam Darii tempore fuiſſe Pontificem compertum eſt; Eliaſib autem ſub Artaxerſe, quemadmodum ex Lib. 2. Eſdræ Cap. 3. ℣. 1. commonemur. Quinimmo Eliaſib erat filius Joacimi, filii Joſue, ex eodem Cap. 12. Lib. II. ℣. 10.

Reſp. Varias eſſe Scriptorum ſententias de Dario Perſa ℣. 22. hujus Capitis 12. recenſito; Uſſerius enim hunc eſſe *Darium Nothum* Artaxerſis Longimani ſucceſſorem, ſub quo natum ait Jeddoam, vel Jaddum, ſub Dario Codomanno ſummum Pontificem arbitratur. Alii autem Darium hunc eſſe Codomannum ipſum opinantur; ſub Dario Hyſtaſpide itaque ſummus Sacerdos fuit Joſue; Eliaſib autem ſub altero Dario recentiore Pontificatum geſſit.

Ex Libro Tobiæ.

PLures, quæ in Tobiæ Libro ſpecie tenus antilogiæ videntur exiſtere jam in priore Diſquiſit. Biblic. volum. pag. 456., & ſeqq. eliminatæ ſunt a Fraſſeno paucula propterea poſſunt hic ſubnecti.

Cap. 2. ℣. 15. Reges inſultaſſe referuntur Sancto Job. Conſtat autem ex cap. 2. ℣. 11. Libri Job eoſdem ad amicum acceſſiſſe, ut eum conſolarentur; non igitur recte dicuntur in lib. Tobiæ eidem inſultaſſe.

Reſp Initio quidem animo conſolandi ad Sanctum Job ejus amicos acceſſiſſe; excitata vero deinceps inter eoſdem controverſia importune Sancti viri caſus exagitarunt ei inſultantes, ut patet ex Jobi 6. ℣. 26.

Cap. 9. Num. 3. Tobias junior obſecrat Angelum, ut in Rages Civitatem Medorum ad Gabelum pergat. Cur ergo in cap. 3. hujus libri ℣. 7. ſcriptum eſt Saram, cum qua jam Tobias habitabat in Ragea Medorum Civitate extitiſſe, ſi ab ejus domo in Ragea cum ſervis, & camelis Angelus erat perrecturus?

Reſponſum huic difficultati eſt a Fraſſeno loco citato Diſquiſit. Biblic. Multis nihilominus Commentatorum eam inſidere ſententiam intuemur, ut nomen *Rages* ſit commune Civitati, & Provinciæ, in qua Civitas illa conſiſtebat, quemadmodum *Lutzemburgum*, *Limburgum*, & *Namurcbum*

nomina ſunt Civitatis, & ducatus; unde Sara in Provincia *Rages*, Gabelus autem in Civitate Rages habitaſſe creduntur. Verum cum in Cap. 3. ℣. 7. non minus Sara in *Rages Civitate Medorum* habitaſſe dicatur, quam Gabelus præcluſa videtur iſtorum Commentatorem expoſitio, quod *Rages* ſit nomen etiam Provinciæ. Alii propterea in Vulgatam noſtram ex Librariorum incuria mendam irrepſiſſe rentur, ac *Ecbatanis* pro *Rages*, ubi de Sara, ejuſque Patre ſit ſermo, eſſe ſcribendum; de quibus Fraſſenus ipſe loco citato. Cur autem duæ Civitates ejuſdem nominis in Regno Medorum eſſe non poterant, ſi duæ Bethuliæ duæ Bethlehem in terra promiſſionis reperiebantur?. Quidquid ſit tamen in quacumque ex prædictis expoſitionibus Antilogiarum ſpecies evaneſcunt.

Cap. 14. ℣. 7. Incenſa dicitur Domus Dei in Jeruſalem. Compertum eſt autem Tobiam antequam a Nabuchodonoſore everteretur Jeruſalem, fatis ceſſiſſe; ipſe enim in captivitatem a Salmanaſare adductus eſt. Jeruſalem autem a Nabuchodonoſore everſa fuit annis circiter 133 poſtquam decem Tribus aſportatæ fuerunt, ſolis autem annis 102. vixit Tobias.

Reſp. Obviam eſſe hujus difficultatis ſolutionem, ſi dixerimus pro *incenſa eſt*, *incendetur* eſſe legendum, quemadmodum Itala antiqua apud Sabatierum præſefert. Si tamen ſpiritu prophetico ſanctum illum ſenem ſupponamus abreptum, non abſre in præterito perfecto locutum propugnabimus; Prophetarum quippe mos eſt ut futura, veluti jam præterita enuncient; Sic Iſaias de Jeſu flagellis cæſo, & Crucis ſuffixo diu antes vaticinabatur = vidimus eum, & non erat ei aſpectus, neque decor = non deſunt nihilominus ſi ſuſpicentur in numerum annorum Tobiæ aliquem irrepſiſſe mendum; quod tamen, non tam facile concedendum, ſi altera vis quælibet difficultas enodetur.

Ex Libro Judith.

CAP. 2. ℣. 7. Holofernes pro expeditione duodecim equitum millia collegiſſe refertur, verum Cap. 7. ejuſdem libri ℣. 2. equites viginti duo millia recenſentur.

Reſp. Primam militum collectionem in Aſſyria eſſe factam, in qua tot bellatores ad pugnandum decreti, quoc in Cap. 2. ℣. 7. recenſentur. Facta autem expeditione contra Reges, & Principes, qui Nabuchodonoſori ſeſe ſubjicere detrectarent, eorumque Civitatibus, atque ditionibus ſubjugatis auctum eſſe Holofernis exercitum ex Captivis, & ex iis, qui ſponte militiæ ſub ejus ductu nomen dederunt evidenter ex Cap. 7. ℣. 2. hujus hiſtoriæ commonemur. Non mirum ergo ſi in ſecunda exercitus enumeratione decem equitum millia adjuncta ſunt; niſi dicere velimus hanc equitum manum ab Aſſyria, ut Holofernis robur augeretur a Nabuchodonoſore fuiſſe tranſmiſſam. Cætera omnia, quæ ſpeciem quamdam in hoc Libro præſeferre videntur antilogiæ, in primo *Diſquiſit. Biblic. Volum.* pag. 451. & ſeqq. in annotationibus noſtris elevata ſunt.

Ex Libro Eſtheris.

CAP. 3. ℣. 1. Aman de ſtirpe Agag, proindeque Amalecita fuiſſe perhibetur. Oppoſitum habetur cap. 16. hujus hiſtoriæ. ℣℣. 10. & 14., in quibus Macedo extitiſſe narratur.

Reſp. Satis levem eſſe eorum conjecturam, qui Amalecitam ſupponunt, ex quo de Agag ſtirpe refeiatur; incertum quippe eſt num hoc in textu *Agag* locum ſignificet, vel perſonam? Si autem hanc ultimam importare credamus, nunquid erit Agag ille Amalecitarum Rex a Saule importune ſervatus? Alter ne hujus nominis vir eſſe non potuit? Id unum itaque veluti compertum nobis obſervatur Amanem iſtum videlicet in Perſide fuiſſe Peregrinum ſive interim ex Amalecitarum ſive ex Macedonum gente oriretur. Sunt qui opinantur illius majores ex Amalec in Macedoniam, inde vero in Perſidem pergraſſe.

Cap. 6. ℣. 3. Nihil mercedis recepiſſe traditur Mardochæus pro revelata in Regem Eunuchorum conſpiratione: & tamen cap. 12. ℣. 5. juſſus a Rege in aula morari perhibetur, datis ei pro delatione muneribus.

Reſp. Leviora fuiſſe, quæ ei donata erant, nec tanto Mardochæi beneficio Regi præſtito digna merces, unde nullus honor, nullumve præmium eidem conceſſum merito dici poterat. Hanc noſtram expoſitionem ſubſannant Hetherodoxi, qui difficultatem iſtam altera via devitare nituntur, exiſtimantes ſcilicet ſeptem poſtrema Eſtheris capita nullius auctoritatis eſſe, cum inter apocryphas ſcripturas amandent; ita homines dura cervice, & incircumciſis cordibus Spiritui Sancto ſemper reſiſtunt, & qui non verentur Synagogæ Judæorum aſſerere facultatem adjiciendi Scripturæ Divinæ aliquas partes, quippe quæ a Spiritu Sancto regebatur, ut illi ajunt, quemadmodum patet ex Criticis Sacris ad ℣. 11. Capitis 12. Nehemiæ; eamdem poſtea ablegare ab Eccleſia Catholica nituntur, quæ Spiritus Sancti aſſiſtentia fulciri in rebus dogmaticis a Sacris literis prædicatur. Garriant iſti nihilominus; latrare quidem poſſunt, mordere non poſſunt.

Cap. 9. ℣℣. 13. & 14. Decem filii Aman die 14. Menſis Adar ſuſpenſi in patibulis leguntur ante portas Civitatis Suſan, qui die 13. occiſi fuerant. Oppoſitum tamen evincitur ex Cap. 16. hujus hiſtoriæ ℣. 18. in quo refertur Aman, & omnis cognatio ejus ſuſpenſus in patibulis ante portas Civitatis Suſan; Caput quippe iſtud 16. nil aliud continet, quam exemplar Epiſtolæ ab Artaxerſe directæ pro Judæorum ſalute ad univerſas Provincias Imperii ſui, ut Amanis edictum de Judæorum exterminatione revocaretur. Epiſtola autem iſta Menſe

ſe Siban, ideſt novem menſibus ſcripta eſt, antequam Judæi filios Aman interficerent, ſi vera in Cap. 9. ℣. 14. narrentur. Quomodo igitur verum eſt quod Aman, & univerſa cognatio ejus in patibulis ſuſpenſa jam eſſet dum Epiſtolam illam Artaxerſes miſit per univerſum imperium; ſi decem filii Aman novem menſibus poſtea interfecti narrantur?

Reſp. Nullam ex textibus hiſce Sacris contradictionem eſurgere ſi dixerimus Aman, uxorem ejus, alioſque cognatos ſtatim fuiſſe interfectos; decem autem filios ejus in carcere fuiſſe detentos uſque ad diem 13. menſis Adar, qui tunc cum reliquis Judæorum hoſtibus ſunt interempti.

Eodem cap. 16. cum legamus Aman tranſferre voluiſſe Perſarum Regnum in Macedones videtur id incredibile, cum Macedones nonniſi diu poſt ſub Philippo Alexandri Patre florere cœperint. Verum Macedonum nomine Græcos quoſcumque vel intelligamus oportet, qui profecto jam metuendos ſe ſe Perſis exhibuerant, cum ſub Dario Hyſtaſpis veluti Perſarum hoſtes ſe gererent, atque paucis ante illius Regis mortem annis, celeberrimam pugnam apud Marathonem ſubierint: vel Epiſtolæ ſententiam in eo ſenſu accipiamus oportet, quod Aman Perſicum Regnum a ſanguine, vel ſtirpe Regia Artaxerſis ſubducere, ſibique, ſuiſque poſteris, qui Macedones habebantur, vindicare molitus fuerit: Nulla ergo hiſce in verbis oppoſitio continetur. Plura alia, quæ in Eſtheris hiſtoria aliquod difficultatis ſpecimen præſeferre videntur, ex iis, quæ in priore Diſquiſit. Biblic. Volumine pag. 468. & ſeqq. a Fraſſeno tradita ſunt explicari, atque difficultatibus omnibus expediri queunt.

Ex Libro Jobi.

CAP. I. ℣. 3. Job magnus inter Orientales appellatur; atque ex cap. 29. hujus Libri non obſcure inferri poteſt Principis dignitate refulſiſſe. Quis modo ſibi ſuadeat hominem hujus conditionis eo perveniſſe egeſtatis, ut in ſterquilinio jaceret, & ſaniem de cute ſua teſta purgaret, quemadmodum legimus cap. 2. ℣. 8.?

Reſp. Ad hunc infelicem ſtatum, Jobum ex teterrima ſui morbi conditione fuiſſe perductum opinantur Commentatores quamplurimi; ea urbe etenim ad locum ſolitudinis fortaſſis abire compulſus ob fœtorem, vel contagioſum morbum cunctis abominabilem; ſolitarius, & ab hominum commercio ſecretus in ſterquilinio ſedebat more lugentium, cum cognoſceret hoc ſibi a Deo immiſſum eſſe; ad ſummam pariter egeſtatem circa fortunæ bona ex Diaboli opera jam perveniſſe in cap. I. ſcriptum eſt; nil ergo mirum ſi in ſterquilinio ſedebat, ac teſta ſaniem purgabat.

Cap. 3. ℣. 1. Maledixit Job diei ſuæ alibi autem imprecationes, & diras ſibi precatum legimus. Cap. autem 38. & ſeqq. a Deo reprehenſum quaſi imprudentem intuemur: Oppoſitum tamen eſt in cap. 42. ℣. 7. ubi legimus Jobum recte locutum coram Domino fuiſſe.

Reſp. Hujuſcemodi objecta jam in primo Diſquiſit. Volumine Pag. 478. & ſeqq. a Fraſſenio præoccupatas fuiſſe; Nec enim, quæ maledicta videntur, aliud quam amantis animi enthuſiaſmos redolent, ſicut prophani amatores aliquando diem maledicunt, & horam, qua dilectam ſuam intuiti primo ſunt; mortem ſæpeſæpius ſibi imprecantur, & alia hujuſcemodi deliria pronunciant, cum amoris illecebris potiſſimum rapiuntur, atque de amati objecti conſtantia & fidelitate in ſuſpicionem trahuntur. Tali modo erga Deum, proportione, & ſanctitate affectuum ſervata, ſe gerebat S. Job, quemadmodum Pineda ſectione 8. in Caput 3. Jobi erudite demonſtrat. Quamvis autem vir ille ſummæ exemplar patientiæ, quid minus caſtigate pronunciaverit inter diſputandum cum Amicis ſuis; præ illis tamen longe rectius locutus eſt coram Domino, ut in Cap. 42. Deus ipſe teſtimonium reddidit.

Cap. 19. ℣. 17. Jobum oraſſe legimus filios uteri ſui: In Cap. autem I. ℣. 18. jam oppreſſi, & extincti in domus ruina.

Reſp. Sancto viro ſuperſtites remanſiſſe filios uxorum ſecundi ordinis, ſive concubinarum, ut legunt LXX. atque Nicetas, & Scultetus interpretantur.

Cap. 37. ℣. 7. legimus = In manu omnium hominum ſignat, ut noverint ſinguli opera tua = nunquid Chiromantiam commendavit Jobus, quam Deus prohibuit Levit. 19.?

Reſp. Varia fuiſſe hujus textus interpretamenta, ſicut apud Commentatores, & apud Criticos Sacros videri poteſt. Nos hunc amplectimur ſenſum: homines a Deo fuiſſe in manibus obſignatos, ut ſinguli noſcant ſe Dei facturas, opera, vel mancipia eſſe ipſius Dei, proindeque illi ſerviendum eumdemque colendum, atque timendum ab ipſis.

℣. 18. Ejuſdem Capitis: Cœli ſolidiſſimi quaſi ære fuſi dicuntur. Hoc autem Phyſicæ, & Aſtronomiæ aperte repugnat.

Reſp. Vocem illam *ſolidiſſimi* idem ſonare, ac *ſtabiles*, *conſtantes*, *immutabiles*; non quod corpora ſolida ſed corpora *ſtabilia* ſint, & *permanentia* quaſi ex ære fuſi eſſent.

Cap. 40 ℣. 14. Behemoth dicitur principium viarum Domini. *Behemoth* belluam quamlibet ſignificat apud Hebræos. Nunquid belluæ omnium primæ inter creaturas conditæ ſunt?

Reſp. Hoc in loco Creaturam primo conditam, ſed creaturam quamdam ex belluarum genere fuiſſe a Deo propoſitam Job, ex qua lucentiſſima quædam divinæ ſapientiæ veſtigia facilius apprehendere poſſet. Quænam autem fuerit bellua iſta incertum eſt, alii Commentatorum Elephantem, alii vero Hippopotamum exiſtimantes. Alia plurima ad hunc Librum ſpectantia in primo Volumine, ubi de Libro Job diſcuſſa ſunt. W.

CAPUT VIII.

Ex Libris Pſalmorum, Proverbiorum, Eccleſiaſtis, Cantici Canticorum, & Sapientiæ.

Ex Libro Pſalmorum.

§. I.

PSal. I. v. 5. *Non reſurgent impii in judicio:* Ac Actor. 17. v. 31 Rom. 14. v. 10. & alibi ſæpe aſſeritur futura omnium omnino hominum reſurrectio. Reſp. I. Illa verba intelligenda eſſe non de Reſurrectione generali hominum, & Judicio extremo, ſed de judiciis temporalibus, in quibus impii non conſiſtent, ſed cauſa eadent: verbum enim קום *Kum* hic ſcriptum non ſolum ſignificat *ſurgere* & *reſurgere*, ſed etiam *ſtare* & *conſiſtere*: hinc impii non conſiſtunt in judicio *emendationis*, in quo ſtant juſti, quia probantur velut aurum in fornace; impii vero in Deum blaſphemantes & murmurantes velut arentes paleæ, in igne tribulationis cremantur & abeunt in favillas. Nec in judicio *diſcuſſionis*, in quo ſi noſmetipſos judicamus, non judicabimur; quia impii peccatorum ſuorum pondere ita deprimuntur, ut nullam emendationis ſpem habentes, in deſperationem ruant. Si vero quis ea verba ad extremum Judicium referat, etiam verum erit dicere impios in eo non reſurrecturos, quia non reſurgent in æternum victuri & coronandi; ſed puniendi & morituri; nam ſicut oves in inferno detrudentur, & mors depaſcet
(1) eos. (1)

Pſal. VII. v. 7. *Perdes omnes qui loquuntur mendacium.* At obſtetricibus Ægypriacis propter mendacium, quo Pharaonem ludentes ſalvarunt Hebræorum puerulos, ædificavit Deus domum: & Rahab, quia mendacio liberauerat exploratores Iſraelitarum, ſortem in populo Dei, imo & in Genealogia Chriſti obtinuit. *Reſpondet* S. Auguſtinus I. Obſtetrices Ægyptias non fuiſſe præmio donatas ob mendacium, ſed propter timorem in Deum, & miſericordiam in illos puerulos: Similiter Rahab gratiam obtinuit, non propter mendacium, ſed propter beneficium; neque Deus in illis probavit verbum mendacii, ſed affectum obſequii. II. Cum triplex ſit mendacium, *perniciosum*, *officioſum*, & *jocoſum*: Iſtud lædit, illud prodeſt, hoc delectat; Deus abſolute perdet & caſtigabit graviter omnes qui loquuntur mendacium perniciosum, levius
(2) autem qui officioſum & jocoſum. (2)

Pſalm. XXXI. v. 3. *Quoniam tacui inveteraverunt oſſa mea dum clamarem tota die.* Si tacuit, quomodo clamavit tota die? *Reſp.* Tacuit dum peccatum per novem menſes occuluit, nec confeſſus eſt, donec a Propheta publice eſt objurgatus. Clamavit autem tota die, & rugiit a gemitu cordis, cum propter gravitatem admiſſi ſceleris, tum propter ſanitatem & vitam pueri ex adulterio nati.

Pſalm. XXXIV. v. 21. *Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, unum ex illis non conteretur:* at plurium juſtorum, præſertim Martyrum, oſſa conſtat eſſe contuſa, igne combuſta, ac in cineres & favillas diſſipata. *Reſp.* Duplicem cogitari poſſe oſſium contritionem, unam in deſtructionem, aliam in reparationem: Permittit quidem Deus ad tempus oſſa juſtorum comminui; at in reſurrectione omnia inſtaurabit ad unum, nec ſinet aliquid ex eis perire.

Pſalm. XXXVII. v. 25. *Non vidi juſtum derelictum, nec ſemen ejus quærens panem.* At Luc. XVI. Lazarus jacebat ad januam Divitis cupiens ſaturari de micis quæ cadebant ſub menſa ejus, & nemo illi dabat: quin & ipſe David Viaticum pro ſe & ſuis petiit a Nabale, & panes a Sacerdote. Reſpondent aliqui oraculum iſtud intelligi de pane ſpirituali verbi Dei, quo juſtorum animæ nuſquam deſtituuntur. At ſenſus litteralis eſt, quod licet juſti interdum & ad tempus egeant pane, & eas in anguſtias adigantur, ut a Deo videantur abjecti; attamen Deus non ſinit eos diu conflictari cum adverſis, ſed eripiens eos ab omni egeſtate ita bonis cumulat, ut eorum poſteritas abundet. (3) (3)

Pſalm. CIII v. 5 *Fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam.* At Pſalm. CXXXV. v. 6. *Firmavit terram ſuper aquas.* Reſp. Terræ baſis & fulcrum eſt ipſa Dei potentia, quæ hoc Univerſum virtute ſua ſubſtinet: Terra vero, utpote centrum Univerſi, velut in aquis conſiſtere dicitur, quia aquis inſtar inſulæ cingitur ac munitur.

Pſalm. CXII. v. 6. *Juſtus in æternum non commovebitur.* At Proverb. XXIV. v. 16. *Septies in die cadit juſtus.* Juſtus fide, ſpe & charitate firmatus, adverſitatibus undique ſævientibus non dejicitur, nec a juſtitia penitus declinat: dum vero ex humana fragilitate tumultuantibus tentationum procellis, jactatur, ſtatim erecta in Deum mente & fiducia reſurgit & conſiſtit.

Pſalm. CXVI. *Omnis homo mendax.* At Apocal. XIV. v. 15. *In ore eorum non eſt inventum mendacium.* Reſp. In priori textu admonemur ad quid inclinet inducta per peccatum humana fragilitas: in poſteriori, a quo præſervemur per Chriſti gratiam, quæ *ſanat omnes infirmitates noſtras.* (4) (4)

Ex Libro Proverbiorum.

§. II.

CAP. I. v. 26. *Ego in interitu veſtro ridebo;* At Ezech. XVIII. v. 33. *Nolo mortem morientis, &c.* Reſp. Deus ex miſericordia non vult mortem peccatoris impœnitentis: at ex juſtitia delectatur in vindicta & pœna qua ejus finalem perduellionem ulciſcitur.

Cap.

Cap. VI. *Vade ad formicam, o piger, &c.* His verbis exemplo formicæ ſtimulat homines otioſos, ut ſibi procurent in tempore opportuno quibus in adverſo veſcantur: at Lucæ XII. v. 22. Chriſtus D. ait *Nolite ſoliciti eſſe animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini, &c.* Reſp. In priori provocatur humana prudentia ad providendum ſibi de neceſſariis: in poſteriori nimia hæc ſolicitudo damnatur; unde homo in labore vultus ſui veſci quidem debet pane ſuo, ita tamen ut jactet cogitatum ſuum in Domino qui
(5) ipſum enutriet. (5)

Cap. XXVI. v. 4. *Ne reſpondeas ſtulto juxta ſtultitiam ſuam ne efficiaris ei ſimilis:* At v. 5. *Reſponde ſtulto juxta ſtultitiam ſuam, ne videatur ſibi ſapiens.* Reſp. His admonemur non eſſe imprudenter agendum cum ſtultis & excæcatis peccatoribus, nec eorum ſannis & conviciis reciprocandum: At ſi illorum petulantia vergat in Dei offenſam, proximi injuriam, & noſtram in-
(6) famiam, tunc pro viribus eſt coercenda, (6)

Ex Libro Eccleſiaſtes.

§. III.

(7) CAP. I. v. 10. *Nihil ſub Sole novum:* At Jeremiæ cap. 31. v. 22. *Creabit Dominus novum ſuper terram;* & Apocalypſis XXI. v. 5. *Ecce nova facio omnia.* Reſp. I. Nihil novi in rerum natura apparere intra ipſius naturæ ſeriem & primigeniam rerum conſtitutionem & conſiſtentiam; res enim cœleſtes & terrenæ eodem ordine conſiſtunt, quo primitus a rerum omnium Opifice fuerunt conſtitutæ: eadem enim eſt terræ cæterorumque elementorum virtus, eadem animantium fœcunditas ad alia ſibi ſimilia procreanda; iidem cœlorum & aſtrorum fleaus & influaus, non ſolum In genere, ſed etiam in ſpecie; tametſi propter hominum prævaricationem minus perfecta jam ſint iſta, ſi individua attendas, quam fuerant in primaria ſua formatione. II. Si hoc Salomonis effatum ad mores referas, ſenſus erit omnia mortalium ad fœlicitatem & animi tranquillitatem ſtudia, non eſſe nova: nam ſi quis res in primis ſæculis actas haberet in proſpectu, diſtinctiſſime animadverteret nihil jam ab hominibus tentari, quod a Majoribus non fuerit auſpicatum; quæ interpretatio proximius ad Salomonis mentem collineare videtur; neque enim hic agit de naturalibus & artificialibus, multo minus de ſupernaturalibus & divinis, in quibus nova pro libito quotidie Deus molitur.

Cap. III. v. 19. *Unus eſt interitus hominis & jumentorum, & æqua utriuſque conditio: ſicut moritur homo, ita & illa moriuntur... Quis novit ſi Spiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum?* at cap. XI. v. 7. *Spiritus hominis redit ad Deum qui dedit illum.* Reſp. In priori textu proferri ſententiam hominis carnalis voluptatibus indulgentis, qui nihil aliud quam corporeis deliciis inhians, ſibi perſuadere nititur non aliam eſſe poſt mortem ſperandam fœlicitatem; ſed homines quemadmodum & bruta totos interituros: In poſteriori vero refertur ſententia hominis fidelis, atque vere & pie de animæ immortalitate & futura poſt mortem altera
vita ſentientis (8) (8)

Cap. IX. v. 2. *Neſcit homo utrum amore an odio dignus ſit:* At II. ad Timotheum 4. v. 8. S. Paulus conſtanter aſſerit, *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ quam reddet mihi Dominus, &c.* Reſponſio. Neſcit homo naturali lumine & propriis ſuis viribus, atque humana ſapientia, an ſit odio vel amore dignus, cum Deus bona temporalia ſine ullo diſcrimine conferat probis & improbis: at iſtud noſſe poteſt, uti noverat Apo-
ſtolus, ex ſibi facta divina revelatione. (9) (9)

AD CAPUT OCTAVUM
CONCILIATORII BIBLICI
SUPPLEMENTUM.

(1) PSalm. 4. ℣. 5. legimus = Iraſcimini, & nolite peccare = Matthæi 5. ℣. 22. ſcriptum eſt = omnis, qui iraſcitur fratri ſuo reus erit judicio = Nunquid licitum ſimul, & illicitum eſt iraſci?

Reſp. In Pſalmo haberi hypotheticam hebræorum formulam, qua *imperative* pro *ſubjunctivo* uti ſolent, adeo ut ſenſus ſit = Si iraſcimini, ſi motus iræ in vobis excitentur, ne iracundiæ ita indulgeatis, ut conſenſus voluntatis ejus impetum ſequatur. In hoc ſenſu Pſalmiſtæ verba nequaquam Chriſti ſententiæ apud Matthæum expreſſæ adverſantur.

(2) Pſalm. 13. ℣. 3. Homines omnes a via veritatis adeo perhibentur declinaſſe, ut nec unus ſuperfuiſſe dicatur, qui faciat bonum. Nunquid tota Eccleſia Dei Davidis tempore a Dei mandatis receſſerat, atque impietatibus obvoluta erat?

Reſp. Ex Coccejo, Calovio, Gejero, aliiſque pluribus hoc in loco Regium Pſaltem non ad actualia hominum facinora, neque ad perſonas, cauſas, & facta particularia reſpexiſſe, ſed potius ad originalem illam ex Protoparente derivatam in omnes homines luem, qua nec uno excepto, omnes peccatores, omnes in maſſa perditionis, omnes denique iræ filii naſcuntur. In hunc ſenſum Pſalmi hujus laudata verba ab Apoſtolo Paulo ad Rom. cap. 3. ℣. 10. exponuntur, ni fallimur. Nec auda-

ces

Digitized by Google

ces illos audimus, qui ſpiritui veritatis reſiſtentes, non juſtam eſſe Pauli accommodationem, blaſphemant. Si autem de ſui temporis hominibus verba feciſſe David ſupponamus, eorumque actualia facinora exprobraſſe, tunc hyperbolice locutum fateamur oportet; atque univerſalitatis expreſſione ad majorem partem ſignificandam uſum eſſe. Nil ergo in hiſce Pſalmiſtæ verbis quod veritati opponatur comprehendi revincitur.

(3) Pſalm. 43. ℣. 19. legimus = Declinaſti ſemitas noſtras a via tua = Quomodo id fiat ſi Deus neminem tentat, cum malorum ſit intentator? Jacob. Epiſt. cap. 1. ℣. 13.

Reſp. 1. repetendam eſſe ex priori membro negationem, ac legendum cum S. Hieronymo, Muis, Gejero, aliiſque Interpretibus = & non declinaſti = ſi vero juxta Vulgatam & LXX. atque Chald. legamus affirmative *& declinaſti*, tunc ſenſus eſt = Et ſi quodammodo ob calamitates & infortunia, quibus nos puniebas juſte, occaſio nobis infirmis, & imbecillibus a præceptis tuis declinandi præſto fuerit, non receſſit tamen retro cor noſtrum. Intelligi poteſt tandem, quod Deus declinaverit, ideſt averterit aliquantulum populi ſui fœlicitatem, qua eumdem donare ſolebat, atque graviori manu in ipſum animadverterit quam ſoleret.

Pſal. 70. ℣. 15. = Non cognovi literaturam = ajebat Pſalmiſta. Oppoſitum tamen adfirmat ℣ 17. ſequenti, ubi cecinit = Deus docuiſti me a juventute mea = & Pſalm 118. ℣. 99. Subjungit = ſuper omnes docentes me intellexi =.

Reſp. Intelligi poſſe quod ſit locutus S. Propheta de divinis ſcripturis, adeo ut fateretur ſe minime poſſe earum ſenſus, ac myſteria pertingere, quæ Dei magnitudinem & gloriam repræſentant. 2. explicari poſſunt ea verba de humana Sapientia, & eloquentia, vel tandem *non cognovi*, ideſt *non probavi* humanam aſtutiam, atque prudentiam; ſed rectitudinem, & juſtitiam, quam ex lege Dei ab juventute didiceram; atque ſuper omnes docentes me jam intellexi, quia non regulis eorum œconomicis, atque politicis operam dabam, ſed lex tua meditatio mea erat. Omittimus alia Scriptorum, vel interpretamenta, vel expoſitiones, quia temporis brevitate perurgemur.

Pſalm. 13. ℣. 9. = Jam non eſt Propheta = Quomodo nullus eſſe Propheta conqueri poteſt, ſi in Babylonica ſervitute Ezechiel, Daniel, aliique ex minoribus Prophetis poſtea floruerunt?

Reſp. A nonnullis conjici quod agatur in hoc Pſalmo de tempore Antiochi, cum nullus erat in Iſraele Propheta; ita Molinæus; & Gejerus: Muis vero opinatur eo tempore juſſos fuiſſe Prophetas ut tacerent; hinc hujuſcemodi calamitatem lamentabatur Pſalmiſta, qua nulla equidem major, quia doctrina cœleſti carere maximum infortunium eſt populorum.

Pſalm. 77. Plura commemorantur Ægypti flagella, ut Cynomyia, ærugo, & immiſſiones per Angelos malos, de quibus omnibus nec verbum in Exodi Libro.

Reſpond. Eadem eſſe hoc in loco Ægypti flagella cum iis, quæ recenſentur in Exodo; etenim per *Cynomyiam* quamvis nonnulli colluviem animalium, ſive beſtiarum ſylveſtrium intelligant; nihilominus probabiliorem exiſtimamus ſententiam Gejeri, Muis, & aliorum, qui colluviem varii generis muſcarum, culicum, veſparum, aliorumque hujus furfuris inſectorum interpretantur; iſti quippe cum S. Hieronymi interpretatione apprime cohærent. Ærugo autem, quam legunt LXX. vertitur a S. Hieronymo, & Chaldæo *Bruchus*, quem profecto vox hebraica [illegible] *lechaſil* ſignificat utraque tamen lectio conſona eſt veritati. *Immiſſiones* tandem *per Angelos malos*, intelligi poſſunt calamitates ſuper Ægyptum opera malorum Angelorum immiſſæ, quemadmodum fuere tormenta, de quibus in capite 17. Libri Sapientiæ fit ſermo.

Pſal. 94. ℣. 10. Legitur in Vulgata = Quadraginta annis proximus fui generationi huic = Cum tamen melius habere videatur Hebraica = Offenſus fui generationi illi =. (4)

Reſp. Deum fuiſſe proximum generationi illi ſed rixans, litigans, puniens generationem ipſam duræ cervicis, & incircumciſi cordis. Deus ſiquidem nedum proximus dicitur beneficia impertiendo, ſed etiam criminum pœnas exigendo. Hinc nonnulli hebraica hæc verba [illegible] *akut bedor moleſtiam paſſus fui a generatione iſta, rixatus ſum cum generatione* hac: *faſtidio habui generationem* illam, interpretantur; quæ omnia cum explicatione noſtra cohærent.

Pſal. 142. Legimus = Non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens = Lucæ autem Cap. 1. ℣. 6. de Eliſabeth, & Zacharia pronunciatur = erant autem juſti ambo coram Domino =.

Reſp. Neminem mortalium coram Deo juſtificari poſſe, ſi judicio congrediatur cum Domino, eidemque merita propria, vitæ ſuæ rationem, dicta denique, facta, & cogitata proponat: quis enim juſtus coram eo, qui in Angelis etiam reperit pravitatem? omnes, quotquor ſunt homines, ſine Dei miſericordia juſtificari non poſſunt, qui autem juſti ſunt ex Dei beneficio, & gratia, non ex jure meritorum ſuorum habentur juſti.

Ad Librum Proverbiorum Supplementum.

PRoverb. Cap. 14. ℣. 15. legimus = Innocens credit omni verbo = Oppoſitum edocemur Eccleſiaſtici cap. 19. ℣. 4. ubi ſcriptum eſt = Qui cito credit levis eſt corde =. (5)

Reſp. Verbum *innocens* in iſto Proverb. loco in malam partem uſurpari. pro *imperito* videlicet, aut *ſtulto*; ita Mercerus, Junius, Tremellius, Piſcator, & alii. Vox enim hebraica [illegible] *pethi* non minus quam Latina *innocens* in bonum, pravumque ſenſum intelligi poteſt, atque transferri: Græci autem eamdem [illegible] vertunt, ſcilicet *vir minime malus*. In hoc autem interpreta-

men-

mento ſubintelligamus oportet quod credat omni verbo, cui veritas connexa dignoſcitur; nec pertinaci obſtinatione veritati ad-
(6) verſatur, ſicut Hæretici ſolent.

Proverb. Cap. 29. ℣. 18. = Cum Prophetia defecerit, diſſipabitur populus = Qui fieri poteſt, ut id contingat, ſi in Dei Eccleſia novæ Prophetiæ amplius faciendæ non ſunt, cum Chriſtus omnibus vaticiniis finem impoſuerit, atque in eodem conſummata ſint omnia?

Reſp. Per *prophetiam* hoc in oraculo non revelationem de novo factam intelligunt Commentatores, ſed potius doctrinæ Dei ex lege, & Prophetis prædicationem, qua per Eccleſiæ miniſtros, & paſtores fideles populi in vero Dei cultu, & religione continentur, atque a peccatis abſterrentur. Hac autem remota Chriſtianæ legis doctrina, & verbi Divini prædicatione, populus fit inſolens, principibus moleſtus, & adverſus; ſcelerum amans; legum, bonique ordinis impatiens: ſimultates, propterea, invidiæ, varii errores, & ſchiſmata, ac tandem Religionis defitio quod ſequantur neceſſe eſt. Epiſcoporum ſit ergo cura quammaxima, ut zelantiſſimos, atque piiſſimos Divini Verbi concionatores ſuis ovibus præparent, atque deſignent; qui Jeſum Chriſtum, & hunc Crucifixum annuncient, ejuſque Evangelium inſinuent, non indoctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina Spiritus.

Eodem cap. 29. ℣. 20. = Vidiſti virum velocem ad loquendum; ſtultitia magis ſperanda eſt, quam correptio = hoc autem conciliari non poſſe videtur cum verbis capitis 22. ℣. 29. quæ ſunt = Vidiſti virum velocem in opere ſuo? coram Regibus ſtabit, nec erit ante ignobiles =.

Reſp. Vocem illam *velox* duplicem ſenſum præſeferre; aliquando enim *præcipitem* ſignificat, quempiam videlicet temerarie, & inconſulte loquentem; qui cum pertinacia quæ protulerat tuetur; & iſtius ferme deſperanda eſt correptio, cum ex una in alteram ſtultitiam dilabatur; de iſto autem viro ſermonem haberi a Salomone in Cap. 29. tuentur ultra Catholicos Cartwrightus etiam, Baynus, & Gejerus. Eadem illa vox aliquando virum denotat ſtrenuum, diligentem, & expeditum in ſuis operibus, & in hoc ſenſu Cap. 22. eſſe uſurpatam tuentur Mercerus, Piſcator, Gejerus, aliique ultra Catholicos Expoſitores.

Cap. 30. De ſe Salomon pronunciavit ℣. 2. = ſtultiſſimus ſum virorum, & Sapientia hominum non eſt mecum = Contra eſt Lib. 3. Regum Cap. 3. ℣. 12. = dedi tibi cor ſapiens, & intelligens in tantum ut nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit =.

Reſp. Plures Scriptorum ea verba a Salomone pronunciata opinantur, cum conſcientiæ ſtimulis agitatum errorum ſuorum tædere cœpit; ita ferme Lyranus, Ugo, & Pineda; Nec hujuſcemodi ſententia a vero diſtans reperitur, cum Sapiens talia de ſe profari virum cum Deo commorantem adfirmet. Alii vero exiſtimant quod Agur ab Ithiele, & Ucale de rebus arduis rogatus ita reſponderit = Quid me hæc rogatis cum ego tardiſſimus, & inſipiens? Talem ſe vocat Agur modeſtiæ cauſa fortaſſis, cum ſapientum ſit antequam dicant, propriam ineptitudinem profiteri, atque ſemetipſos admodum extenuare, atque deiicere.

Ad Librum Eccleſiaſtis Supplementum.

CAP. 1. ℣. 4. = Terra autem in æter- (7)
num ſtat = Contra eſt Iſaiæ 24. ℣. 20. ubi legimus = agitatione agitabitur terra = & Lucæ 21. ℣. 33. = Cœli, & Terra tranſibunt. =

Reſp. Ab Eccleſiaſte terram in æternum, ideſt in longum tempus perſeveraturam adfirmari, durat quippe, & non interit ſicuti homines, quamvis extraordinarie aliquando ira Dei agitante commoveatur ad hominum peccata punienda. In hoc ſiquidem Scripturæ teſtimonio minime de terræ ſtatu, aut motu fit ſermo, ſed de ejuſdem duratione oppoſita durationi hominum, quæ ultra generationem non extenditur, ſi per generationem, hominum exiſtentium ætatem accipiamus; ita ferme Druſius, Mercerus, Grotius, & Piſcator.

Cap. 7. ℣℣. 17. 18. = Noli eſſe juſtus (8)
multum. Ne impie agas multum = Contra eſt Apocalypſis cap. ult. ℣. 11. = Qui juſtus eſt juſtificetur adhuc; & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhue =.

Reſp. Variis interpretamentis hæc Eccleſiaſtis verba a Commentatoribus explicari. Alii etenim eadem intelligunt de juſtitia vindicativa, adeo ut in eadem exequenda nimium rigidus exactor nemo eſſe debeat in taxandis tum privatim, cum publice aliorum erratis levioribus; ſi etenim juſtitia modum excedat, culpa non vacat, cum ſummum jus, ſumma ſit iniuria: ita Piſcator, Mercerus, atque Gejerus, & Dieu, poſt S. Hieronymum, Ferrandum Diaconum, & Franciſcum Valeſium. In Apocalypſi autem de ſanctitate, & juſtitia perſonali cum fiat ſermo, eam ſemper augendam fore ab juſtis de virtute in virtutem progrediendo, ut tandem videant Deum in Sion, commonemur, ſicuti ab oppoſito ab impiis, & reprobis ſordes iri auctum prænunciatur. Non enim Apocalypſis verba in modo imperandi, ſed juxta Hebræorum phraſim pro tempore futuro uſurpanda ſunt: niſi dicere velimus eſſe verba comminantis, & indignantis, atque ſæculo huic exterminium decernentis, quaſi diceret = Finis mundi prope eſt; relinquatur propterea unuſquiſque in via ſua, ſancti, & juſti in ſanctitate, & juſtitia perſiſtant; improbi in ſceleribus ſi volunt. Ecce venio cito reddere unicuique ſecundum opera ſua =.

Cap. 9. ℣℣. 5. & 10. legimus = Mor- (9)
tui nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem = Apocalypſ. autem cap. 6. ℣. 9. Animæ interfectorum ſubaltari exiſtentes deſcribuntur Deum vindicem exorantes, quibus ſtolæ albæ ſingulis datæ perhibentur.

tur. Quomodo hæc ad invicem conciliari queunt?

Reſp. Utriuſque Libri verba ſummam continere veritatem, nullamque inter eadem oppoſitionem propterea reperiri, dummodo ad propria objecta quælibet referantur. Poſſunt itaque Eccleſiaſtis verba ea ſententia Epicureorum ſupponi enunciata, qui nihil de altera vita ſoliciti ſunt, animam ſimul cum corpore interire exiſtimantes. Vel poſſunt intelligi, quod mortui nihil in altera vita cognoſcant emolumenti, aut mercedis ſibi ulterius comparandæ, cum nec nova præmia mereri, nec a malis reſipiſcentiam habere poſſint. Ita præter Catholicos Mercerus, Gejerus, aliique ex Proteſtantibus Commentatores. Datæ ſunt autem Animabus ſtolæ albæ juxta textum Apocalypſis, non tanquam præmium in altera vita de novo acquiſitum, ſed veluti præmium, & merces pro Sanguine in Chriſtianæ fidei conteſtationem effuſo.

Cap. eodem ℣. 11. ſcriptum eſt = Vidi caſum eſſe in omnibus = Nunquid Dei providentia denegatur hoc in textu? = Eadem aſtruitur Cap. 5 ℣. 5. Eccleſiaſtis, ubi legimus = dicas coram Angelo: non eſt providentia =.

Reſp. Hoc in textu referri ab Eccleſiaſte rerum eventus ad hominum prudentiam, & ſapientiam, quæ non ejus eſt indolis, ut omnia prævidere poſſit; plura eidem inopinato contingunt, quæ tamen Providentiæ Divinæ ordinem nequaquam effugiunt; media itaque hominibus parata debent eſſe ne imprudenter operentur; iis tamen aut fidere, aut gloriari ita non curent, quaſi manibus, quod exoptant, jam potiantur; ſæpe enim ſpe ſua fraudari contingit. Tali ferme pacto Gejerus, Mercerus, Piſcator, & Anglicanæ annotationes hunc textum exponunt. Si tamen literæ accuratius inſiſtamus non abs re intellectum iri hujuſcemodi textum opinamur, ſi dixerimus ſacrum Concionatorem hoc in loco monere homines de brevi rerum mundanarum duratione, quaſi dixerit: nihil ſub ſole diu perſeverat; omnia quippe tempori ſubjacent, & caſui, ideſt interitui.

Nil ferme in Canticis Canticorum, quod veræ antilogiæ ſpeciem præſeferat offendimus; quæ enim aliquam inter ſe ſe oppoſitionem videntur includere, ex ſola circumſtantia diverſi temporis, diverſæque figuræ, quam Interlocutores ſæpe ſæpius repræſentant, enodantur facillime; hinc ad ſapientiæ Librum gradum facimus.

Ex Sapientiæ Libro Supplementum.

CAP. I. Sapientiæ ℣. 13. ſcriptum eſt = Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum =. Oppoſitum legimus Joannis I. ℣. 3. = Omnia per ipſum facta ſunt = & Proverb. Cap. I. ℣. 26. = Ego in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo cum irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit. =.

Reſp. Deum per ſe, & immediate mortem nequaquam feciſſe, quia cum mors mera ſit vivorum deſtructio, non poteſt inter entia poſitiva reputari, quæ omnia per ipſum certe facta ſunt, quemadmodum Evangeliſta Joannes aſſeverat. Peccatores autem irridebit Deus, & ſubſannabit in interitu, eo quod iidem ſemper ejus præcepta contempſerint, ejuſque comminationes ſubſannaverint dum in vivis agebant, irruente autem calamitate, & vitæ fine, miſericordiam trementes, & pavidi requirent, ſed Antiochi more, miſericordiam non erunt conſecuturi.

Eodem Capite ℣. 15. ſcriptum legimus = Juſtitia eorum perpetua eſt, & immortalis. = Ezechielis autem 18. ℣. 24. ab oppoſito, ait Dominus quod = ſi juſtus averterit ſe ab juſtitia ſua, omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat non recordabuntur =.

Reſp. In Sapientiæ Libro vel ſermonem inſtitui de juſtitia, & rectitudine in generali, adeo ut ſit ſenſus: quod juſtum eſt ſemper juſtum erit, quia juſtitia deſinere minime poteſt, ſicuti nec veritas deficit; vel ſermonem, ut aliis placet inſtitui de juſtitia generali, & originali, quæ in complexu virtutum omnium repoſita cum eſſet, immortalitatem homini conferebat. Alii tandem Sapientiæ verba de juſtitia Dei interpretantur, quæ utique indefectibilis eſt, & immortalis. Denique opinantur S. Auguſtinus Lib. 14. *de Civitate Dei* Cap. 9. & S. Thomas t. 2. Quæſt. 57. artic. I. Juſtitiam cum cæteris virtutibus cardinalibus etiam in Cœlo in Juſtis permanſuram. Cum autem in Ezechiele de perſonali juſtitia, & rectitudine hominum viatorum diſſeratur, ab eadem cum per peccatum excidant homines, niſi ad meliorem frugem convertantur, nullius erunt pretii coram Deo juſtitiæ eorum, ſi per peccatum amiſſæ ſint.

Cap. 2. ℣. 1. Nullus ab inferis reverſus aſſeritur. Cum tamen Lib. 1. Regum Cap. 28. ℣. 15. Samuelem ab inferis ſuſcitatum legamus, & Maccab. 2. Cap. 15. Animæ Oniæ, & Jeremiæ Judæ apparuiſſe leguntur ad prænunciandam ex Nicanore victoriam.

Reſp. Sapientem ex impiorum perſona fuiſſe locutum ibidem, ut ex contextu ſatis fit palam. Hujus ſiquidem furfuris ſceleſti ne conſcientiæ ſtimulis divexentur, atque in impietate pacem cordis auſpicentur, ſibi ſuadere ſtudent nil poſt corporis mortem eſſe expectandum, cum neſciamus, ajunt, quidnam ſit de altera vita; nullus quippe ea eadem reverſus cognitus eſt. Cæterum Providentiæ ordo, naturæ lumen, univerſorum etiam renuentium credere ſuaſio, argumenta ſunt de alterius vitæ exiſtentia, quæ nullus a mente ſua velit, nolit, excutere poteſt.

Cap. 3. ℣. 1. Juſtos a mortis tormento non iri tactum, ſcriptum eſt. Regum tamen 2. Cap. 14. ℣. 14. legimus = Omnes morimur, & veluti aqua dilabimur = Experientia deinde ſatis hujus rei magiſtra dignoſcitur.

Reſp. Per *mortis tormentum* nequaquam ea hac mortali vita *diſceſſum* ſignificari a

facto

ſacro hujus Libsi Auctore: Tormentum quippe mortis in hujus mundi amiſſione conſiſtit, quæ mundi amatoribus dura quammaxime eſt, & acerba; in diſſolutione carnis, a qua per dæmonum manus peccatorum animæ divelluntur; in tormentis inſerni peccatori obeunti imminentibus repoſitum eſt. Tormentum mortis ita conſideratum, atque a S. Bernardo in ſermone 4t. *inter parvos* deſcriptum nequaquam profecto tanget juſtos.

Cap. 6. ℣. 8. legimus. Deum æqualiter de omnibus curam habere. Oppoſitum docet Apoſtolus s. Corinth. Cap. 9. ℣. 9. ſcribens = Nunquid de bobes cura eſt Deo =? & S. Hieronymus in Caput I. Habacuc = Non ſimus tam ſatui, ſcribit, adulatores Dei, ut dum potentiam ejus etiam ad ima detrahimus, in nos ipſos iniurioſi ſimus eamdem rationalium, quam irrationalium providentiam eſſe dicentes =.

Reſp. Diverſum ſatis fuiſſe ſcopum Sapientis, & Apoſtoli Pauli dum talia ſcripſerunt: in Sapientia etenim generalis illa Dei providentia, qua mundum univerſum regit, ordinat, atque gubernat, deſignatur, quæ ſiquidem in ordine naturali æqualis eſt reſpectu omnium; niſi forſitan ſacrum textum ita velimus explicare, ut vox illa *æqualiter* non parem pro rebus omnibus curam indigitet: ſed quod nulla ſit res in univerſo, quæ Dei curam, & providentiam effugiat, omnia quippe ordinibus providentiæ ſubjiciuntur, ſed non omnia æquali modo; & hæc explicatio fortaſſis erit Sacri Scriptoris menti congruentior. Apoſtolus Paulus, & S. Hieronymus ab oppoſito de ſpeciali cura, quam Deus erga homines habet, loquebantur; hinc tot leges pro optimo eorum regimine, & incolumitate decreviſſe intuemur; dum autem in Deuteronomio legem illam de non obturando ore bovi triturandi promulgavit, non ad boves reſpexiſſe, inquit Apoſtolus ad Corinthios, ſed Paſtoribus, atque Rectoribus populorum, quæ ſunt ad vitam neceſſaria minime fraudanda eſſe, commonuiſſe credendus eſt.

Cap. 8. ℣. 20. Legimus = Cum eſſem magis bonus veni ad corpus incoinquinatum =. Nunquid Priſcilliani error de animarum ante corpora exiſtentia hoc in loco firmatur?

Reſp. ſenſum legitimum hujus divini textus obvium ferme eſſe intelligere cupienti: ait enim: cum in bonitate, & ſectitudine per virtutum exercitia proficeret, eo tandem pervenit, ut corpus etiam incoinquinatum, ideſt obediens, atque ſubiectum legi mentis, caſtum videlicet, ſobrium, & mundum redderetur.

Cap. 12. ℣. 10. de Chananæis legimus = Nequam eſt natio eorum, & naturalis malitia ipſorum & quoniam non poterat mutari cogitatio eorum in perpetuum =. Erant ne Chananæi ſub abſoluta neceſſitate peccandi?

Reſp. Nequaquam ſub abſoluta peccandi neceſſitate Chananæos fuiſſe conſtitutos, maxime tamen ſub morali, & ferme inſuperabili neceſſitate peccandi reperiebantur, cum in iniquitatibus concepti, & educati adoleverint, ita ut habitus peccandi quaſi in eorum naturam converſi eſſent; quia autem homo juxta viam adoloſcentiæ ſuæ, cum ſenuerit ambulabit, ideo Chananæi neque flagellis, neque minis ad meliorem frugem converſi ſunt.

Cap. 19. ℣. 4. de Ægyptiis, inquit Sapiens = ducebat enim illos ad hunc finem (ſcilicet ad interitum in mari rubro) digna neceſſitas = Dei forſan decreto conſtituta erat illis hujuſcemodi mors?

Reſp. A Sapiente hoc in loco neceſſitatem nequaquam conſiderari ex parte Ægyptiorum libere peccantium, ſed ex parte Dei peccata libere commiſſa neceſſario punientis: regulis quippe immenſæ ſuæ ſanctitatis, & juſtitiæ compellitur pro iniuriis ulciſci; ad finem ergo vindictæ, ſeu pœnæ digna neceſſitas, ſcilicet iuſtitia Dei vindicativa eoſdem perduxit, poſtquam admiſere peccatum, nulla tamen ipſi neceſſitate ad peccandum protrahebantur. W.

CAPUT IX.

Ex Libris Eccleſiaſtici, Iſaiæ, & Jeremiæ.

(x) *Ex Libro Eccleſiaſtici*. (1)

§. I.

CAp. VII. v. 15. *Non iteres verbum in oratione tua*: At Matthæi 26. Chriſtus Dominus *tertio oravit eundem ſermonem dicens*. Reſp. In priori textu prohiberi verborum reiterationem inutilem ex ſcrupuloſa nimium conſcientia: non vero piam & humilem eadem verba majori ac ferventiori affectu iterantem. (2)

(2) Cap. XL. v. 29. *Fili, in tempore vitæ tuæ ne indigeas, melius eſt enim mori quam indigere*: At Matthæi 19. *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus*. Reſp. Prioribus verbis damnari otioſorum hominum inertiam, quæ illos ad egeſtatem & mendicitatem adigit: non vero paupertatem Evengelicam quam ſuis ſectatoribus Chriſtus Dominus inſtillat, quatenus liberi a rerum mundalium cura & ſolicitudine ſecurius Deo famulentur, & ſuæ ſaluti conſulant.

Cap. XLIX. v. 5. *Præter David & Ezechiam & Joſiam omnes peccatum commiſerunt*; At David ipſe etiam graviſſime peccavit, nec a peccatis & divina vindicta immunis fuit Ezechias, ut apparet ex IV. Reg. cap. 20. *Reſp*. In illo textu ſermonem eſſe de

Digitized by Google

peccato idololatriæ ac fœdere cum Idololatris, a quo tres illi tantum Reges Juda fuerunt immunes; nam hujus criminis Joſaphat, alioquin pius, arguitur. XX. Paralip. 18.

Ex Iſaia.

§. II.

CAP. I. v. 26. *Reſtituam tibi Judices tuos ut fuerunt prius & Conſiliarios tuos ſicut antiquitus*: At Judæi poſt reſtitutam a captivitate Babylonica libertatem, nuſquam eandem obtinuerunt auctoritatem Regiam & Judicialem ſupremam qua prius fuerant potiti. *Reſp.* Vaticinium iſtud intelligi de ſtatu Judæorum, *vel* poſt captivitatem, *vel* poſt adventum Chriſti. In priori ſtatu habuerunt Judices & Duces, qui præcedentibus, ſi non eadem dignitate & imperii majeſtate, ſaltem eadem pietate, prudentia, & religione eis præfuerunt, ut Eſdras, Nehemias, Macchabæi: In poſteriori vero ſtatu, Deus Pontificibus Judæis, Scribis, & Phariſæis ſubſtituit Apoſtolos & eorum Succeſſores Eccleſiæ Paſtores & Doctores, qui illos Synagogæ Judices & Duces vitæ innocentia, ſapientia ac vigilantia longe ſuperabant; igitur quovis ſenſu vaticinium accipias, habes impletum.

Cap. II. v. 4. *Conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces. Non levabit Gens contra Gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium*; quæ de hominum ſtatu poſt adventum Chriſti dicta eſſe liquet: At Matth. X. v. 34. Chriſtus ipſemet ait, *Nolite arbitrari quia venerim pacem mittere in terram; non veni pacem mittere, ſed gladium.* Reſponſ. Iſaiæ verba accipienda ſunt de Eccleſiæ propagatione, eaque pacifica; non autem armorum vi, nec adverſariorum exterminatione, uti contigit in inſtitutione & diſſeminatione Synagogæ, quæ nonniſi Chananæorum aliorumque Idololatrarum exciſione, in Palæſtina ſtabiliri & propagari potuit.

Cap. VII. v. 23. *Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum, Ecce Virgo concipiet, &c.* quæ Matth. I. v. 23. & Lucæ I. v. 31. accipiuntur de Chriſti Domini ortu futuro. At iſti interpretationi repugnant: I. Prophetæ *ſcopus* qui inquiunt Judæi, eo loci non agit de venturo Meſſia. II. Promiſſæ liberationis ab infeſtantibus adverſariis *Signum*, quod dari debuit Achazo de re præſenti, non vero futura poſt multa ſæcula, quando nec Achazus ipſe, nec aliquis ex ejus familia eſſet in vivis. III. Nominis [illegible] *alma* ſignificatio, quæ non virginem intactam, qualis fuit Deipara, ſed mulierem quamcumque etiam adulteram ſignificat. Ut Proverb. XXX. v. 19. IV. Conſtructio Participii temporis præſentis, quo Juvencula, de qua fit ſermo, dicitur *concipiens & pariens*; ſubindeque illa tum erat in vivis: Non agitur ergo, inquiunt, de matre Meſſiæ diu poſtmodum futura, ſed vel de conjuge Ezechiæ Achabi filii, vel de conjuge filii ipſius Iſaiæ Prophetæ. *Reſp.* Revera Prophetam his verbis annuntiare futuram Meſſiæ ex Matre Virgine conceptionem & nativitatem: neque ullas ex Judæorum argutiis, his quidquam officere: Non *Signum*. Cum enim Prophetæ, quoties ſpecialem aliquam futuram liberationem a ſummis calamitatibus ſpondebant, ſolerent injicere mentionem Meſſiæ Salvatoris, cujus intuitu tam ſtupenda beneficia Judaico populo conferebantur, quod ille ex ea Gente eſſet oriundus; appoſite Iſaias Chriſti Domini futuri ortus hic meminit, ut Achazi & Judæorum terrorem depelleret: Cum enim hi audiſſent duos Reges potentiſſimos Syriæ & Iſrael in Regni Judaici perniciem & extinctionem conſpiraſſe, & jam formidandos adeſſe eorum exercitus, de ſua fortuna ſuiſque rebus actum eſſe arbitrantes, abjiciebant animos; quos ut erigeret Propheta, & fidem faceret de proxima liberatione, repetit promiſſionem factam de venturo Meſſia, oſtenditque hoſtium conatus & minas fore inanes, quoniam non prius deſinere debebat Regnum iſtud & Sceptrum quam Meſſias veniſſet. Porro eum nondum adventaſſe demonſtrat ex eo quod ille oriundus eſſet ex Virgine, nulla autem virgo intacta permanens eo uſque pepererat: Quoniam vero Achazus ipſe idololatriæ deditus una cum Judaico populo hanc liberationem a Deo quem graviter offenderant, concedendam inficiabantur, ut certam de illa ſpem faceret Iſaias, longe præſtantius beneficium, nempe Incarnationem Verbi eis ſpondet, cujus adventus ſignum erit Virgo intacta concipiens & pariens, *Ecce Virgo concipiet, &c.* quaſi hic Propheta, agens non tam cum Achazo quam cum domo David diceret: Vos non vultis, aut non audetis petere ſignum liberationis promiſſæ, Dominus interim ipſe dabit aliud longe illuſtrius, non quo a duorum Regum inflammato odio, & toties jam victricibus copiis; ſed quo ab antiqua & longe duriori diaboli tyrannide liberemini. Quod ſignum eo etiam ſpectare videtur, ut animos confirmet languentes & conſternatos metu imminentis belli. Nam ſi a majori illa vi atque exitio liberabit aliquando Deus populum oppreſſum; multo ſane facilius id præſtabit a *duabus caudis titionum fumigantium*, hoc eſt, duorum Regum in perniciem Judæorum conſpirantium: Enimvero ſi ea fuit amoris vis in Deo, ut Filium ſuum unigenitum daret, quomodo negaret alia, quæ infinitis ſpatiis leviora ſunt? Proinde a dono majori, largitionem beneficii minoris Propheta hoc pacto confirmat, ut ſignum ipſi idem eſſet, quod argumentum.

Neque etiam his officit, imo ad ea confirmanda plurimum conducit vox [illegible] *alma*: Nam ut alias obſervavimus, revera Virginem adoleſcentulam deſignat, de cujus pudicitia & integritate nullum ſit dubium: uti planiſſime conſtat ex perpetuo hujus vocis uſu in Scriptura, in qua ſepties tantum uſurpatur, videlicet Geneſ. XXIV. v. 43. ubi vocabulum iſtud tribuitur Rebeccæ dum

adhuc

Digitized by Google

adhuc eſſet virgo, quoniam additur eam non cognoviſſe virum. Et Exod. II. v. 8. Maria ſoror Moſis quando adhuc adoleſcentula erat & virgo, dicitur *alma*. Idem nomen tribuitur Virgini juvenculæ Pſalm. LXVIII. v. 26. & Cant. I. v. 3. Quis itaque dubirabit idem nomen ab Iſaia hic uſurpatum, puram & illibatam denotare virginem, qualis fuit ante partum, in partu, & poſt partum Virgo Deipara?

At, inſtant Judæi, vox עלמה *alma* Proverb. XXX. v. 19. denotat Juvenculam temeratam: Nam inter ea quæ nullum ſui veſtigium poſt ſe relinquunt, atque adeo difficile cognoſcuntur, Salomon adjicit, *viam viri in alma*, ſeu juvencula. *Reſp.* His verbis non ſignificari juvenculam ex congreſſu virili temeratam & laxatam, ſed e contra ita clauſam & abſconditam, ut ad eam nullus viro ejus pudicitiæ inſidianti pateat acceſſus; nec ſubinde ullum operæ virilis veſtigium in ea deprehendere liceat; quia revera nullum eſt. Ac ſi diceret Salomon; Facilius deprehenderes in aere aquilæ viam, aut navis in mari, aut ſerpentis repentis ſuper petram, quam veſtigia viri ad januam illius adoleſcentulæ virginis, quæ ſe a virorum conſpectu & inſidiis ſubducit.

Urgent iterum, Hebræos ſignificare virginem non voce עלמה *alma* ſed voce בתולה *betula*. Reſpondeo vocem *betula* ſignificare quidem virginem quandio illa intacta permanet, ſive interim illa juvenis ſit, ſive annoſa: At vox *alma* ſignificat juvenculam virginem a virorum conſpectu & conſortio ſemotam, qualis erat Deipara.

Cap. XXIII. v. 17 *Et erit poſt ſeptuaginta annos viſitabit Dominus Tyrum, & reducet eam*. At Ezechielis XXVI. v. 14. *Non ædificaberis ultra*. & v. 21. *In nihilum redigam te, & non eris, & requiſita non invenieris ultra in ſempiternum*. Reſpondet S. Hieronymus Tyrum fuiſſe quidem reſtitutam & rurſus ædificatam in Civitatem, non vero in auctoritatem & dignitatem Regiam qua plurimis inſulis & populis imperabat: nam deinceps paruit Chaldæis, Græcis & Romanis. Adjici poteſt eandem civitatem non fuiſſe reſtitutam; quippe cum illius cives & incolæ fuerint extincti, & in varias Provincias diſſipati: alii vero novam Civitatem loco prioris inſtauratam habitaverint.

Cap. XXXVIII. v. 1. *Diſpone domui tuæ, morieris tu & non vives*: At v. 5. *Ecce ego adjiciam ſuper dies tuos quindecim annos*: quæ de eodem Ezechia Rege dicta, aut in Scriptura antilogiam, aut in Deo mutationem arguunt. *Reſp.* Ezechias juxta cauſarum naturalium ſeriem & diſpoſitionem haud dubie moriturus erat, niſi Deus ejus lachrymis, pœnitentia & pietate commotus, ipſi vitæ inducias conceſſiſſet; itaque Propheta primum edixit quod Deus ex naturali rerum diſpoſitione præviderat ab æterno futurum, niſi aliter ſtatueret; quod etiam ſe facturum præſciverat. Hæc egregie explicat S. Auguſtinus Lib. 6. de Gen. ad litteram Cap. 17. *Secundum quaſdam futurorum cauſas*, inquit *moriturus erat Ezechias, cui Deus addidit quindecim annos ad vitam; id utique faciens, quod ante conſtitutionem mundi ſe facturum eſſe præſciebat, & in ſua voluntate ſervabat. Non ergo id fecit, quod futurum non erat; hoc enim magis erat futurum quod ſe facturum præſciebat: nec tamen illi anni recte additi dicerentur niſi aliquid adderetur, quod ſe aliter in aliis cauſis habuerat. Secundum aliquas igitur cauſas inferiores, jam vitam finierat; ſecundum illas quæ ſunt in præſcientia & voluntate Dei, qui ex æternitate noverat quid illo tempore facturus erat, & hoc vere futurum erat, tunc erat finiturus vitam quando finivit vitam.*

Cap. LIII. v. 2. *Non eſt ſpecies ei* (Meſſiæ) *neque decor, &c.* At Pſalmo XLV. v. 2. dicitur *Speciosus forma præ filiis hominum, &c.* Reſp. Loquitur Propheta de Chriſto ſputis fœdato, flagris laniato, & plagis cruentato; qualis apparuit in Paſſione, in qua fuit deſpectus: humiliatus, & revera vir dolorum: Pſalmiſta vero eum repræſentat ſecundum eximias corporis & animi dotes quibus a nativitate fuit præditus, & quarum reſpectu ſpecioſus erat præ filiis hominum,

Ex Jeremia. (3) (3)

§. III.

CAP. XXII. v. 30. *Hæc dicit Dominus, ſcribe virum iſtum ſterilem*, quæ de Jechonia dicta ſunt: At I. Paralip. 3. v. 17. ſeptem filii ejus numerantur, inter quos Salathiel, qui in Genealogia Chriſti ſedem habet. *Reſp.* Sterilis fuit Jechonias, non defectu prolis, ſed ſucceſſoris in Regia dignitate & auctoritate. Unde additur: *Nec enim erit de ſemine ejus vir qui ſedeat ſuper ſolium David, & poteſtatem habeat ultra in Juda.* Tametſi enim Zorobabel ejus nepos Dux fuerit reducum in terram Juda, ejuſdemque opera & auſpiciis Templum fuerit inſtauratum: Nuſquam tamen vere Regiam auctoritatem eſt conſecutus: neque enim ille abſolute, & ſolus populo jus dicebat, ſed conſortes habebat Nehemiam & alios illuſtrium familiarum Principes; qui omnes a Regibus Perſarum pendebant. (4) (4)

Cap. XXXIV. *Oculi tui oculos Regis Babylonis videbunt, &c.* At Ezech. XII. v. 13 *Adducam Sedechiam in Babylonem, in terram Chaldæorum, & eam non videbit, ibique morietur.* Reſp. Sedechias captus a Chaldæis, & ad Nabuchodonoſoris præſentiam deductus, vidit equidem Regem Babylonis; at cum ad ejus imperium fuiſſet viſu privatus, in Babylonem dein captivus deportatus, eam videre non potuit. (5) (5)

Cap. XXV. v. 1. *In anno quarto Joakim filii Joſiæ Regis Juda, ipſe eſt annus primus Nabuchodonoſor Regis Babylonis*, quibus ſignificatur ipſum Nabuchodonoſorem expugnaſſe Jeroſolymam anno quarto Regni Joakim, & primo ſui imperii. At Danielis Cap. I. id factum aſſeritur *anno tertio Regni Joakim*; ubi Daniel primum Nabucho-

donoſoris annum aſſerit concurrere cum quarto anno Regni Joakim, non vero cum tertio, uti narrat Jeremias. *Reſp.* Primum imperantis Nabuchodonoſoris annum concurriſſe cum exeunte tertio & ineunte quarto Regni Joakim, quamobrem Prophetæ invicem non pugnant dum quartum vel tertium memorant. Porro hic Joakim (ut diximus) putatur bis captus a Nabuchodonoſore, ex eo quod *IV. Reg.* 23. colligitur illum *undecim regnaſſe annis*: cum autem hic ſcribatur tertio anno, ſcilicet pene completo, migraſſe in Babylonem, qui ſecundum Jeremiam primus ſuit annus Nabuchodonoſoris, iterum videtur rediiſſe in Regnum, ſerviens Regi Babel tribus annis *IV. Reg.* 24. 1. At poſtea rebellis effectus, denuo eſt captus, & in itinere mortuus. Hic autem Joakim erat filius Joſiæ Regis, pater Joachini, quem & Jechoniam appellant: frater autem Sedechiæ, qui & *Sellum* dicitur, ſub quo Jeruſalem deſtructa eſt; & ſratet Joachaz, quem Pharao Necao adduxit vinctum in Ægyptum. Admonet etiam S. Hieronymus, *Non putandum eſſe eundem in Danielis principio eſſe Joacim qui in Ezech. exordio Joachin ſcribitur: Iſte enim extremam ſyllabam* cim *habet, ille* chin. Hic ergo fuit a Pharaone Necao pro fratre ſuo Joachaz conſtitutus Rex Juda.

Cap. XXXVI. v. 3. *Non erit ex Rege Joachim qui ſedeat ſuper ſolium David*: At IV. Reg. v. 24. *Dormivit Joachim cum patribus ſuis, & regnavit Joachin filius ejus pro eo.* Reſp. Solium quidem paternum aſcendit Joachin, at in eo ſediſſe non eſt dicendus, quippe qui fixam Sedem non habuerit, & in eo breviſſimo tempore ſteterit, nimirum circiter tribus menſibus; dein namque abductus ſuit in Babylonem cum univerſa familia; poſteri vero illius qui Judaico populo præfuerunt, non egerunt ut Reges, ſed tantum ut Principes qui Regibus Perſarum tributum pendebant. (6) (6)

AD CAPUT NONUM

CONCILIATORII BIBLICI

SUPPLEMENTUM.

(1) ECcleſiaſticus in Prologo ſui Libri ait anno trigeſimo octavo temporibus Ptolomæi Evergetis a ſe Librum eſſe adinventum. Quis autem ignoret Evergetem ſolis viginti ſex annis regnaviſſe?

Reſp. Nequaquam eo in loco a Sacro Auctore de annis Regni Evergetis fieri mentionem, ſi de Evergete I. ſit ſermo. Hae de re ad pag. 507. in Nota primi Diſquiſitionum Biblicarum Voluminis diſputatum eſt, atque in Tabulis Chronologicis firmior proponetur ſententia.

Capite 5. Eccleſiaſtici ℣. 5. = de propitiato peccato noli eſſe ſine metu = Ezechielis autem Cap. 18. ℣. 21. certa promittitur peccatorum indulgentia, quotieſcumque peccator ingemuerit, atque ab iniquitate receſſerit.

Reſp. Promitti equidem veniam ſi peccator corde conteratur, ſi ſerio doleat, ſuaſque deteſtetur iniquitates, verumque in mente propoſitum cuſtodiendi mandata Dei retineat, aliaque in lege Chriſti adimpleverit, quæ neceſſaria ſunt ex Servatoris inſtitutione. Quis autem de neceſſariis ex parte ſui diſpoſitionibus præſumere audeat? Spiritus Sancti oraculum eſt, quod homo neſcit an odio, vel amore ſit dignus; in ſpe igitur, quæ cum timore conjungitur, vivamus oportet, non in damnabili eorum præſumptione, qui in Dei gratia ſe eſſe certo confidunt.

(2) Cap. 8. ℣. 13. = Ne incendas carbones peccatorum arguens eos = Oppoſitum habetur Matthæi 18. ℣. 15. in quo jubemur fratres peccantes corripere; & II. ad Timot. Cap. 4. ℣. 2. docet Apoſtolus arguendum, & increpandum eſſe peccatorem.

Reſp. Nullam oppoſitionem inter hæc divinæ ſcripturæ oracula adinveniri, quin potius ingentem inter eadem conſenſum haberi litera ipſa non obſcure demonſtrat. Quid enim ait Eccleſiaſticus niſi ita cum charitate, & humanitate eſſe arguendos peccatores, ut nullo modo ad iracundiam per correctionem provocentur. Dum arguis, inquit ille, cave ne incendas carbones, iracundiæ ſcilicet, & indignationis: idipſum docent Chriſtus, & Apoſtolus locis laudatis.

Cap. 12. ℣. 4. legimus = Da (eleemoſynam) miſericordi, & ne ſuſcipias peccatorem. Contrarium docuit Chriſtus Matthæi V. ℣. 44 jubens nos benefacere his, qui nos perſequuntur, ut ſimus filii Patris Cœleſtis, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper juſtos, & injuſtos.

Reſp. A Sapiente eos tantummodo excludi peccatores, qui in ſua pravitate, & nequitia foventur, dum eleemoſynæ beneficiis adjuvantur. Hi ſiquidem relinquendi ſunt, niſi urgente aliqua neceſſitate comprimantur, ut in ſudore vultus ſui veſcantur pane ſuo, nequiores enim ſæpe fiunt in otio, in detractionibus marceſcunt ut plurimum quoties nimium opitulantes ſibi adinvenerint. S. Auguſtinus Lib. 3. de doctrina Chriſt. Cap. 16. in ſenſu figurato hanc Eccleſiaſtici auctoritatem eſſe intelligendam advertit cum per eamdem beneficentiæ virtus perſtringi videatur, unde pro *peccatore*, *peccatum* eſſe intelligendum exiſtimat; S. Thomas tandem peccatorem ſub duplici aſpectu conſiderari poſſe notat, & ut peccator nimirum eſt, & ut homo; non eſſe ſuſcipiendum ut peccator eſt ab Eccleſiaſtico nos commoneri opinatur, eſſe tamen

eidem,

Digitized by Google

eidem, ut homo eſt, benefaciendum inſinuat, cum id Eccleſiaſticus non prohibeat,

Cap. 13. = Noli eſſe humilis in ſapientia tua, ne humiliatus in ſtultitiam ſeducatis = Oppoſitum edoceri videmur a Chriſto Jeſu Matthæi 11. ℣. 29 = diſcite a me quia mitis ſum, & humilis corde =.

Reſp. In hoc Eccleſiaſtici loco minime ſermonem inſtitui de humilitatis virtute, ſed de animi abjectione, & puſillanimitate, qua male nonnulli, ut potentioribus adulentur, veritatem, quam certo ſapiunt, diſſimulant, atque fallaci eorum ſubſcribunt ſententiæ, hanc humiliratem condemnat Eccleſiaſticus, minime vero Evangelicam illam virtutem, qua homo a ſe animi elationem, atque ſuperbiam excludit, quæque multoties in Scripturis Sanctis commendatur, cum per ipſam homines Deo chari, & amabiles reddantur.

In Iſaiæ Libro ſi quæ videantur alicujus conſiderationis dignæ inter ſacros textus oppoſitiones, cum ab Auctore noſtro ſatis enucleatæ ſint, ad Jeremiæ Librum perſcrutandum gradum facimus.

Ex Jeremiæ Libro Supplementum.

(3) JEremiæ Cap. 5. ℣. 1. = Circuite vias Jeruſalem, legimus, & aſpicite, & conſiderate, & quærite in plateis ejus an inveniatis virum facientem judicium, & quærentem fidem; & propitius ero ei =. Compertum autem eſt tunc temporis ibi Jeremiam, & Baruch, & Joſiam extitiſſe, aliosque fideles permultos.

Reſp. 1. Paucitatem bonorum hyperbolice hoc in loco fuiſſe indicatam, ut Eſtius exponit, Alii vero opinantur hoc in loco Jeremiam cum Rege Conſiliariis, Pſeudoprophetis, impiis Sacerdotibus, & ſcelerato populo fuiſſe congreſſum; unde cum ab ipſis Deum jam non arcano judicio, ſed & aperta ſententia fideles ſuos ſeparaviſſet merito S. Propheta, qui ad populi corpus loquebatur, ſepoſitis fidelibus, ne unum inter ipſos eſſe dicit, qui fidem quærat, & judicium,

Cap. 7. ℣. 16. = Tu noli orare pro populo hoc, & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te = Quonam modo conciliari hæc poſſunt cum bis Domini verbis Ezechielis 22. ℣. 30. ita conceptis = Quæſivi de eis virum qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra, ne diſſiparem eam, & non inveni =?

Reſp. A Domino prohibitum eſſe Jeremiam ne preces pro populo effunderet, quia aliquos de populo ipſo, qui obiurgabatur, ad pœnitentiam converti, & orationem pro reliquis effundere Deus exoptabat, ut ſuarum comminationum fructum aliquem ſibi colligeret. Omnes tamen, qui redarguebautur pertinacia damnabili in ſua perſeverantes iniquitate, terram eorum tandem diſſipari neceſſe fuit, ita Ezechielis textum explicatum invenimus apud Criticos ſacros.

Cap. 10. ℣. 23 = Non eſt hominis via ejus; nec viri eſt ut ambulet, & dirigat greſſus ſuos = Opponitur hæc ſententia illi Eccleſiaſtici Canoni Cap. 15. ℣. 14. expreſſo = Deus reliquit hominem in manu conſilii ſui = ℣. 18. = Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei dabitur illi, =

Reſp. Ex Tirino indicari hoc loco ab Jeremia in hominis poteſtate non eſſe, ut qua cuique libet via perducatur, a Dei quippe providentia non ſolum naturalium cauſarum operationes, ſed earum etiam, quæ liberæ ſunt, ita diſponuntur, & ordinantur, ut ad ſtatos fines, incolume tamen hominum libertate permanente, reducantur. In hominis ergo poteſtate non eſt Providentiæ ordinem invertere, & perturbare; ſed bonum, malumve operari in humana voluntate repoſitum eſt, quod Eccleſiaſticus ſignificavit.

Cap. 27. ℣. 7. Omnes gentes ſervituras (4)
Nabuchodonoſori, & filio ejus, & filio filii ejus prædixit Jeremias. Conſtat nihilominus unicum fuiſſe Nabuchodonoſoris ſucceſſorem in Regno nempe ejus filium Balthaſſarem, in quo deſiit Chaldæorum Monarchia, nullumque poſt ſe filium reliquit.

Reſp. Satis incertam eſſe Succeſſionem Regum Babylonis poſt Nabuchodonoſorem; de qua variæ conſpiciantur Scriptorum opiniones ad pag. 466. 1. Voluminis Diſquiſit. Biblic. Nos autem & ſi eos tantummodo admiſerimus, de quibus expreſſa in ſacris literis habetur commemoratio, non proinde oppoſitionem aliquam hiſtoricæ veritati in Jeremiæ texto poſſumus intueri, Illa ſiquidem oracula protulit S. Propheta ad initium Regni Joachim filii Joſiæ ut patet ex Capitis 27. initio; in principio autem Regni Joachim regnabat Nabuchodonoſor Senior, alio nomine Nabopolaſſarus nuncupatus; eidem poſtea ſucceſſit Nabuchodonoſor ejus filius quo deficiente regnavit Evilmerodach ejus ſucceſſor, & filius, quem eumdem eſſe cum Balthaſſare quamplures Chronologorum tuentur, nec immerito, eo quod eiſdem nonnulla Sacræ Scripturæ teſtimonia favere videantur. Hac de re fuſe agunt Ricciolius Lib. 5. Chronol. Cap. 6. num. 4. Petavius *de temporum doctrina* Lib. 9. Cap. 67. Si autem inter Balthaſſarem, & Nabuchodonoſorem Magnum alios interceſſiſſe Reges velimus, tunc facilius Jeremiæ oraculum cum hiſtorica veritate conciliatur.

Cap. 34. ℣. 4. Quomodo Sedeciæ prædi- (5)
ctum eſt quod in pace moreretur, ſi captivus in Babylone, effoſſis oculis, orbatus filiis ceſſit fatis?

Reſp. Ex Mariana, Munſtero, Grotio, & Piſcatore, prædictam ei Regi mortem naturalem fuiſſe, non violentam, non ex vi bellica, quidquid ſit de cæteris ærumnis, quibus in ſuorum ſcelerum pœnam ſubiectus eſt.

Cap. 51. ℣. 59. legimus Saraiam cum (6)
Sedecia Rege Babylonem perrexiſſe anno quarto Regni ejuſdem Sedeciæ. Compertum eſt autem ex Libro 4. Regum Cap. 25. ℣. 2. Sedeciam nonniſi anno undecimo Regni ſui in Babylonem fuiſſe translatum.

Reſp.

Reſp. Sarajam ſimul cum Rege Sedecia perrexiſſe Babylonem, ut Nabuchodonoſorem inviſeret, atque offenſas a Babyloniis conceptas ob Sedeciæ defectionem omnino tolleret. Ita hunc textum Doctores Catholici exponunt, & legunt Syriaca, Pagninus, Montanus, Caſtalio, Munſterus, Tigurina, & Anglicana. Nec abſurdum eſt, quod Sedecias Babylonem perrexerit, quidquid Calvinus, aliique nonnulli ex Novatoribus reponant, contendentes particulam *etb* hoc in loco vim habere præpoſitionis *a*.

Cap. 52. ℣. 12. Nabuzardam Princeps exercitus Jeruſalem veniſſe perhibetur die decima menſis quinti. Libro autem Regum 4. ℣. 8. Capitis ultimi die ſeptima idem Princeps Jeruſalem adventaſſe refertur.

Reſp. Cum Buxtorfio Nabuzardam Reblatà, ubi cum Nabuchodonoſore erat, diſceſſiſſe die ſeptima menſis, atque Jeroſolymam die decima perveniſſe. Nulla propterea neceſſitate compellimur erratum aſtruere ex veteribus Numerorum notis, vel in iſto Jeremiæ textu, vel in illo Libri 4. Regum, quemadmodum Grotius, & Auctor Anglicanarum Annotationum exiſtimarunt.

℣. 28. Ejuſdem Capitis Jeremiæ tria Judæorum millia a Nabuchodonoſore tranſlata referuntur. In Cap. autem 24. ℣. 14. Libri 4. Regum pluſquam decem Judæorum millia aſportata narrantur.

Reſp. Ex Eſtio, & Cornelio a Lapide tria millia ex Tribu Juda fuiſſe, reliqua ſeptem millia ex Tribu Benjamin, aliiſque Tribubus. Hujuſcemodi reſponſionem non obſcure indicare videtur locus Regum laudatus, & ℣. 16. illius Capitis; in quo ſeptem adductorum millia recenſentur, poſtquam decem millia numerata erant, a quibus tria millia forſitan ex Tribu Juda ſubducta ſunt.

Aliæ pariter aliis temporibus ſub Nabuchodonoſore factæ ſunt Iſraelitarum tranſlationes, quæ in prædicto Regum Libro deſignantur.

Cap. 4. Threnorum Jeremiæ ℣. 22. Non ultra deportandos eſſe Judæos vaticinabatur Jeremias. Poſt Chriſtum nihilominus Judæi omnes diſperſi ſunt quemadmodum prædixit Chriſtus Matthæi 23. ℣. 32.

Reſp. Jeremiæ vaticinium ad Judæos illius ætatis, & ſæculi pertinuiſſe. Poſt Chriſtum autem aliud erat ſæculum, alia Judæa, inquit Tirinus; vel ut alii exponunt ſub Tito non deportatio fuit Judæorum, ſed excidium totale, atque diſperſio illius gentis, quæ in terram ſuam ſub Principibus, & Ducibus ſuis, nequaquam ultra requieſcet.

Cap. 6. Baruchi ℣. 2. Judæi permanſuri dicuntur Babylone per ſeptem generationes. Capite autem 25. Jeremiæ ℣. 11. anni 70. Captivitati Judæorum decernuntur.

Reſp. ſatis a nobis diſputatum eſſe de vario annorum numero, qui in ſingulis continebatur generationibus, ad pag. 517. Voluminis 1. *Diſquiſit. Biblic.* jam dicta proinde non replicabimus. Si itaque decem anni ſingulis generationibus deſignentur, earum initium ab anno 4. Joakimi Regis Juda deſumendum eſt, ſi de Judæorum Captivitate loquebatur Baruch, ab eo enim anno ad primum annum Cyri, quo Captivitas Judæorum ſoluta eſt, anni 70. interceſſerunt juxta Prideauxium Lib. 1. part. 1. Hiſtoriæ Judaici populi.

Si autem ſeptem iſtæ generationes de annis deſolationis Civitatis, & Templi intelligantur, earum initium ab anno 11. Sedeciæ auſpicandum videtur. Diverſimode a Villalpando apud Cornelium a Lapide generationes iſtæ explicantur. W.

CAPUT X.

Ex Libris Ezechielis & Danielis.

Ex Ezechiele.

§. I.

CAP. I. v. 8. De Myſticis animalibus dicitur. *Non revertebantur cum ambularent*: At v. 14. *Ibant & revertebantur in ſimilitudinem fulguris*. Reſponſ. Primus textus ſignificat ea animalia non deflexiſſe a recta via, nec fuiſſe reverſa priuſquam deſignatum ſui curſus ſcopum tetigiſſent: at ubi illuc pervenere, recta via & pari velocitate reverſa ſunt; ut

(1) ſive eundo, ſive redeundo exactiſſime Deo parerent. (1)

Cap. XI. v. 13. Vaticinatur Ezechiel ad viros qui erant Jeroſolymis: At ipſe Jeroſolymis non ſtetit. *Reſp.* Cum in extaſi vaticinaretur Ezechiel, ac ſua oracula ad viros Jeroſolymis conſiſtentes dirigeret; ſicut illos ſibi videbatur habere præſentes; ſic etiam eis verba fecit quæ dein mandavit ſcriptis ut ad eorum notitiam venirent; *Accedit* quod non ſit inſolitum Prophetis verba ad abſentes facere, quæ per nuntios evulgarentur ad quos ſpectabant. Sic Nationibus remotiſſimis multa denuntiarunt Prophetæ, quæ demum vulgante fama eis innotuerunt.

Cap. XX. v. 11. *Dedi eis præcepta mea, & judicia mea oſtendi eis, quæ faciens homo vivet in eis*: At v. 27. *Ergo & ego dedi eis præcepta non bona, & judicia in quibus non vivent*. Reſp. in priori textu admonemur quantum divinorum Mandatorum obſervantia conferat ad vitam æternam promerendam, ut Legiſperito inquirenti, *Quid faciendo vitam æternam poſſidebo?* merito dixerit Salvator, *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*: In poſteriori vero ſignificatur ejus divinæ Legis tranſgreſſionem eſſe inobſervantibus ſumme noxiam, & eis mor-

tem

tem æternam inferre. Quamobrem prævaricatores illos arguit Deus, quod ſua pravitate fecerint, ut Lex quæ certa eſt & ſecura ad vitam æternam via, eſſet illius temeratori-
(2) bus in perniciem & ruinam. (2)

Cap. XXX. v. 14. *Faciam judicia in Alexandria*: At Alexandria extructa fuit ab Alexandro ducentis poſt Ezechielem annis, eam ergo ſubvertere non potuit Nabuchodonoſor Rex Babylonis de quo ibi fit ſermo. *Reſp.* Hanc Civitatem quæ Hebraice dicebatur *No*, & quæ teſte Nahum cap. III. v. 8. amplitudine æmulabatur Niniven, complectebaturque ſuo ambitu viginti leu-
a *Lib.* 30. *Cap.* 7. cas, ut refert Diodorus Siculus [a] per anticipationem dicta eſt Alexandria, quoniam a Nabuchodonoſore vaſtata, dein ab Alexandro Magno inſtaurata fuit, & ab ejus
(3) nomine dicta Alexandria. (3)

Ex Daniele,

(4) §. II. (4)

CAP. I. v. 21. *Fuit autem Daniel uſque ad aunum primum Cyri Regis*; quibus ſignificari videtur eum illo anno obiiſſe: At cap. X. v. 1. *Auno tertio Cyri Regis Perſarum verbum revelatum eſt Danieli, &c.* Reſp. In priori textu non excluduntur anni poſteriores duo quibus Daniel cum Cyro vixit; ſed cum paulo antea mentio facta eſſet initii captivitatis Babylonicæ, qua ipſe Daniel cum aliis e nobilioribus Judæis fuerat in Chaldæam deportatus, ſignificatur Deum vitam Danieli protogaſſe uſque ad illius captivitatis ſolutionem, quæ cœpit fieri anno primo Cyri regnantis; tametſi Daniel jam grandævus & ſenio confectus relicta Aula Regia in qua plurimum valebat, vitam privatam & qoietam ad duos annos deinde egerit, atque in Judæam fuerit reverſus, ſi qua Hebræorum traditioni fides.

Cap. II. v. 1. *In anno ſecundo, Nabuchodonoſor vidit ſomnium, &c.* At Cap. I. v. 5. Daniel enutritus eſt cum ſociis veſcens cibo regio tribus annis priuſquam appareret coram Rege. Reſpondeo ſomnium iſtud contigiſſe anno ſecundo non quidem *Regni* quo ſolis Babyloniis & Chaldæis Nabuchod. imperabat; ſed *Monarchiæ* qua devicta Ægypto aliiſque regnis adjacentibus expugnatis, atque Aſia ſubjugata, totius pene Orientis imperium obtinuit; ita tradunt Joſephus lib. X. Antiq. cap. XI. & ex eo S. Hieronymus, Liranus, & alii bene multi. Unde conſequens eſt iſta eveniſſe anno poſt expugnationem Jeroſolymæ ſeptimo.

Ibidem v. 3. In interpretatione ſomnii & ſtupendæ ſtatuæ, quatuor tantum deſcribuntur futuræ Monarchiæ, cum tamen longe plures fuerint. *Reſpondeo* hic dumtaxat repræſentari eas Monarchias a quibus Judæi erant vexandi, videlicet imperia Babyloniorum, Perſarum, Medorum, & Romanorum, quorum regna tunc temporis jam florere cœperant. Regnante enim apud Hebræos Ezechia, regnabat in Babylone Merodach Baladam, ut eſt Eſa. XXXVIII. apud Macedonas vero Perdiccas, Rex quartus; apud Romanos Romulus, Rex primus; apud Medos Medidus, Rex tertius. Quod autem regnum Babylonicum aureo capiti comparetur, non videtur tantum eſſe cauſa quod longior fuerit Monarchia, aut ditior, aut latior, ſed fortaſſe ob hoc quod ipſi Victori, domitis vicinis & rebellibus, majori pace regnare contigerit quam Cyro, Alexandro vel Julio, primis cæterarum Monarchiarum aſſertoribus. Nam Nabuchodonoſor invictiſſimus ultra quadrageſimum annum regnavit, & ſenex quietum regnum filio Evilmerodach reliquit uti promiſſionem habuit per Jeremiam, Cap. XXVII. Hinc apud Ezechielem Cap. XVII. eſt *aquila grandis*: apud Eſaiam *lucifer filius auroræ*. Joſephus Antiq. lib. X. ait Dioclem, Philoſtratum, Beroſum & alios exteros Scriptores honeſtam illius facere mentionem. Euſebius quoque Megaſthenem citat, qui illum Hercule robuſtiorem fuiſſe, univerſamque Lybiam & cæteram Aſiam uſque ad Armenios domuiſſe dicit. Oroſius vero teſtitur Hiſpanos ſuos Iberos ad illum pro pace legatos miſiſſe. Hinc patet quantæ potentiæ Rex fuerit.

Ibidem v. 46. *Tunc Rex Nubuchodonoſor cecidit in faciem ſuam & Danielem adoravit, & hoſtias & incenſum præcepit ut ſacrificarent ei*: At Deuter. VI. v. 13. & alibi ſæpe: *Dominum Deum adorabis, &c.* Reſponſio veroſimilior, Nabuchodonoſorem Ethnico more ratum Danielem eſſe numen aliquod divinum, cultum ei voluiſſe exhibere, maxime cum Chaldæos ſapientes, (a quibus & ſomnium & illius interpretationem ſciſcitatus fuerat) audiſſet reſpondentes, *Sermo quem tu quæris Rex, gravis eſt; nec reperietur quiſquam qui indicet illum in conſpectu Regis exceptis Diis.* At Nabuchodonoſor a Daniele admonitus, & melius informatus, propoſitum mutavit, & Deum verum adoravit. Cujus quidem conjecturæ argumentum eſt I. ipſa Danielis pietas antea perſpecta; qui enim regiis cibariis veſci noluit, ne quid in Moſaicam Legem peccaret, quomodo divinos honores ſibi deferri pateretur? II. Ipſa Nabuchodonoſoris ſtatim prolata Dei veri confeſſio; ait enim illico Danieli: *vere Deus veſter Deus Deorum eſt &c.* (5) (5)

Digitized by Google

AD CAPUT DECIMUM
CONCILIATORII BIBLICI
SUPPLEMENTUM.

(1) CAP. 4. Ezechielis ℣℣. 4. 5. & 6. Portare jubetur a Domino S. hic Propheta per dies 390. iniquitatem domua Iſrael; per dies 40. iniquitates domua Juda, datis Ezechieli pro ſingulis annis ſingulis diebus. Quid autem ſibi vult hæc temporum conſtitutio, quæ nullis prorſus temporibus congruere adinvenitur?

Reſp. Hujuſcemodi vaticinium diu Interpretum ingenia torſiſſe, variaſque in tricas adeo conjeciſſe, ut vix ab eiſdem ſeſe expedire potuerint. Nobis in ſingulis caponendis, rejiciendiſque hypotheſibus tempus inſumere datum non eſt. Dicimus itaque breviter ex Criticis ſacris per 390. dies ſignificatam eſſe obſidinnem Jeruſalem per Chaldæos, quæ incœpit anno nono Sedeciæ die 10. Menſis decimi; Capta eſt autem anno undecimo die nono menſis quarti, a quo nihilominus tempore ſubtrahendi ſunt menſes quatuor, quibus Chaldæi relicta Jeruſalem occurrerunt Pharaoni. Dies autem 40. quibus urbs exciſa eſt, atque vaſtata colliguntur ex Lib. 4. Regum Cap. 25. ℣℣. 3. & 8. ubi legimus die nona menſis quarti urbem eſſe captam, & die 10. menſia quinti incenſum eſſe templum; aliis autem decem diebus victores Chaldæi everterunt mœnia Civitatia, & domos; unde quadraginta dies Ezechielis colliguntur. Dies autem Ezechieli præfixos ad decumbendum, qui totidem annos ſignificant, a nonnullia intelliguntur de annis, quibua in captivitate gemere debebant Judæi, ſicque diverſam eorumdem annorum Epocham inſtituere compelluntur, ut tempus captivitatis eum illis reſpondere demonſtretur. Probabilius autem ab aliia Scriptoribus anni iſti 390. pro tempore iniquitatis Judæorum uſurpantur, eos vel ab anno 27. Salomonis, quo in idololatriam lapſus eſt, incipientibus, vel a bipartita Monarchia per Roboamum, & Jeroboamum iiſque finem imponentibus in excidio Urbia, & Templi, vel in captivitate Joacim, & Jechoniæ, quæ fuit excidii generalis principium. Ita ferme Cornelius a Lapide, Pineda, Pradus, Tirinus, Sanctius & Polanus apud Criticos Sacros, in Synopſi.

(2) Cap. 29. ℣. 9. = Faciam terram Ægypti deſertam quadraginta annis = Computus iſte annorum minime poſſe adinveniri videtur, cum neque in ſcriptura, neque in Joſepho, nec in aliis hiſtoricis quidpiam de annis iſtis habeamus.

Reſp. Hujuſcemodi annos juxta Prideauxium, Uſſerium, Cornelium, alioſve Chronologos ab anno 35. Regni Nabuchodnoſoria Magni eſſe inchoandos, dum Monarcha iſte Ægyptum devaſtavit, ſibique ſubjugavit; Alii autem quadraginta annoa vaſtitatis in Regno Ægypti inchoare malunt ab anno nono, vel decimo ante occupationem ipſius Ægypti per Nabuchodonoſorem, dum ſcilicet inteſtinum bellum inter Chophrahum, & Amaſim exortum eſt.

Cap. 39. ℣. 28. legimus, Deum promiſiſſe a ſe quempiam non iri relictum ex Judæis inter gentes, apud quas diſperſi erant. Conſtat tamen ex Lib. Eſther Cap. 3. plures eorum in Chaldæa remanſiſſe; idipſum ex Cap. 9. ejuſdem Libri demonſtratur. (3)

Reſp. Hoc Ezechielis vaticinium a plutibus ſenſu ſpiritali eſſe intellectum; adeo ut de ultima Judæorum reductione ad Chriſti Eccleſiam poſt Antichriſti mortem facienda Ezechielem prophetaſſe ſupponant, quod non obſcure ex ℣. immediate ſequenti videtur inferri. Si autem in ſenſu literali intelligatur, reſpondebimus Judæos inter gentes, in quas diſperſi erant, ſponte remanſiſſe, non ex Dei punientia decreto, tranſactis enim ſeptuaginta Captivitatis annis, qui ab Jeremia prædicti erant, Captivitas ſoluta eſt, & unicuique Judæorum ad Patrium ſolum revertendi poteſtas. Si qua autem in Libro Ezechielis circa ſtructuram Templi menſurarum varietas adinvenitur, nec menſuris in Libris Regum deſignatis cohærere videntur; nullam ex his antilogiam in Scripturis Sanctis auſpicetur, cum inter eaſdem eximium conſenſum intercedere peritiores Commentatores oſtenderint.

Cap. 44. ℣. 2. Legimus = Porta hæc clauſa erit Principi = ℣. autem 3. ab oppoſito ſcriptum eſt = Princeps ipſe ſedebit in ea, & per viam ejus ingredietur. =

Reſp. Participium *clauſa* hoc in loco ſumendum eſſe pro *reſervata*, vel *cuſtodita*, adeo ut ſit ſenſus = Porta hæc reſervata erit Principi, cum nullus præter ipſum per eam ſit tranſiturus.

Cap. 84. Nonnullæ in terræ partitione mutationes factæ leguntur, varium etenim ſitum hoc in loco Tribui Judæ, ac Benjamin deſignatum intuemur ab eo, quem apud Joſue Cap. 18. præſcriptum legimus. Hæc tamen nullum prorſus negotium nobis faceſſunt, cum plurima novo quodam ordine, novaque diſpoſitione circa Templum, ſacrificia, ſortes Levitarum, & Sacerdotum poſt reditum e Captivitate ſancita, atque conſtituta reperiantur.

Ex Danielis Libro Supplementum.

CAP. 1. Danielis ℣. 1. Dicitur Joacim traditus anno 3. Regni ſui in manu Nabuchodonoſoris. Conſtat autem ex Lib. 4. Regum Cap. 23. ℣. 36. Joacim annis undecim regnaviſſe. (4)

Reſp. 1. Duplicem fuiſſe Captivitatem Joacimi, primam anno Regni ejus tertio, quando a Nabuchodonoſore victus eſt, &

e ſolio

e ſolio dejectus, vinctuſque catenis perducebatur Babylonem; ſed ſupplex factus, veniamque conſecutus redit ſuper ſolium Regni, ut patet ex Lib. 4. Regum Cap. 24. ℣. 1. Rebellans deinde a Nabuchodonoſore uſque ad annos undecim regnavit. Reſp. 2. Joacimum conſtitutum fuiſſe Regem poſt occiſum a Nechao patrem ſuum, ſed Regem tributarium, non liberum, ſicque quatuor circiter annis regnaviſſe, ſubactum deinde a Nabuchodonoſore fuiſſe, eique tributarium conſtitutum, ac talem per alteros circiter quatuor annos permanſiſſe; donec tributum denegans Regi Babylonis, liber tribus annis Regnum adminiſtravit, quibus tranſactis Babylonem captivus cum aliis plurimis eſt adductus anno undecimo Regni ſui, ſed anno tertio, quo liber dominabatur; Daniel ergo ita loquitur, ac ſi tres ſolummodo annos regnaviſſet. Hanc reſponſionem confirmare poſſimus ex eo quod Nabuchodonoſor ante annum 7. Regni ſui nullos captivos adduxit, ut patet Jeremiæ cap. 52. ℣. 28., annus autem ſeptimus Nabuchodonoſoris cum anno tt. Joacimi concurrit; ita ferme apud Criticos ſacros ad hunc Danielis locum.

(5) Cap. 3. ℣. 38 = Non eſt tempore hoc Propheta = Quomodo hæc dici poterant ſi ipſemet Daniel erat Propheta, & cum eodem Ezechiel, & Habacuc florebant?

Reſp. In vaticinio iſto Danielis negari tantummodo, quod Prophetæ Domini ſint in Judæa publice fungentes apud populum Prædicatorum officio, ſicuti ante diſperſionem fieri ſolebat, hunc autem eſſe legitimum ſenſum patet ex ſequenti contextu, in quo ſacrificia, holocauſta, primitiarum oblationes defeciſſe aſſeruntur.

Cap. 8. ℣. 2. legimus factam eſſe viſionem Danieli in Suſan, caſtro Ælam. Quomodo hæc potuerunt contingere ſi Daniel captivus morabatur Babylone, Suſan autem erat Civitas Regia inter Perſas, qui tunc temporis hoſtes erant Babyloniorum?

Reſp. Non defuiſſe Scriptores apud Vatablum, & Maldonatum, qui Danielem miſſum Babylone Suſas alicujus negotii expediendi cauſa ſint opinati; quo expleto Babylonem reverſum eſſe non eſt incredibile. Alii probabilius ſanctum Prophetam ſpiritu, ſeu per viſionem Suſis fuiſſe arbitrantur, ſicut Ezechielem in ſpiritu Jeruſalem fuiſſe legimus cap. 8. ℣. 1. unde verba Danielis explicant hoc modo = Ego Daniel videbar mihi eſſe in Suſis = Hæc utique expoſitio optime cohærere videtur cum ℣. 2. hujuſce capitis, in quo legimus = Vidi autem in viſione eſſe me ſuper portam Ulai = Nun igitur corpore, ſed in viſione vidit ſe eſſe. Incertum autem eſt num Danielis ætate Suſan adhuc eſſet Metropolis Regum Perſarum, cum non deſint, qui opinentur tunc temporis ſimplex Caſtrum extitiſſe, quod poſtea amplificatum, & auctum in Metropolim Regum converſum eſt. Si autem tempore Danielis jam Civitas Regia factum erat; tunc Caſtrum a Daniele vocatum dici poteſt, quia ad inſtar validiſſimæ Arcis moenibus, & propugnaculis ea Civitas munita erat.

Cap. 8. ℣. 14. Concolcandum prædicitur Sanctuarium per dies 2300. Capite autem 12. ℣. 12. Dies enumerantur 1335. & cap. 7. ℣. 25. tres anni cum dimidio recenſentur.

Reſp. Iſtis in locis non ſemper idem objectum enunciari a Propheta Daniele, ſed modo unam, modo alteram perſecutionem contra Dei populum excitandam prædici. Nihili facimus in primis quotquot edita ſunt Hebræorum deliria; Newtoni in Mathematicis, & Phyſicis præſtantiſſimi, in rebus autem ſcripturæ obcæcatiſſimi maledicta, aliorumque errorum inſanias, quæ omnia ab Alphonſo de Nicolais in ſua XIV. ſuper Danielem *Diſſert.* proſtrata ſunt, & ingenti cum eruditione contrita; ſed inſignium Catholicorum ſequentes ſententiam, iſta Danielis vaticinia ad Antiochum ex parte, veluti ad Antichriſti Antitypum referimus; ſed præſertim Antichriſtum ipſum eadem reſpexiſſe minime dubitamus. Quantum itaque ad dies 2300. cap. 14. indicatos vere, & proprie dies naturales horarum 24. ſpatium continentes fuiſſe indicatos ſupponimus; quomodocumque R. Levi totidem annos eſſe intelligendos ſomniaverit; vel totidem menſes alii apud Willetum crediderint; vel tandem per *veſperam & mane* ſacrificium juge matutinum, & veſpertinum eſſe exponendum exiſtimaverint alii, ita ut tempus ibi deſignatum dies naturales tantummodo 1150. comprehendat, quæ profecto hypotheſis ſatis probabilis videtur. Initium itaque illarum dierum (quas revera 2300 fuiſſe opinamur, cum ita legant Codices omnes non vero mille 300.; ut Montanus, & Oſiander præſumunt) deſumere poſſumus a die 6. menſis 6. anni 142. Seleucidarum, cum Menelaus ultro Antiocho Epiphani operam obtulit; ex eo itaque die ſi progrediamur uſque ad diem 25. menſis 9. anni 148., quo reſtituta ſunt ſancta, & ſacrificia ſub Juda Macchabæo, ut Lib. Macchab. 1. cap. 4. ℣. 52. erudimur, anni habentur ſex, menſes tres, dies 18. adamuſſim, qui dies 2300. complectuntur, ſi annis ſingulis dies 365. deſignentur, duæque dies intercalares adjiciantur. Poteſt etiam earumdem dierum principium inchoari ab anno Regni Græcorum 143. dum Antiochus templum contaminavit, quorum finem in annum 140. rejiciemus, quo anno Antiochus mortuus eſt, ex 1. Maccab. Cap. 6. ℣. 16. Quamvis enim ab Juda Macchabæo anno præcedenti mundatum ſit Templum, nondum tamen deſolatio, & perſecutio defecerat, nec libere agere, & ſacrificare poterant Judæi. Qui autem per *veſperam & mane* ſacrificium juge matutinum, & veſpertinum intelligunt, dies illas ad dimidium perſtringunt, nempe ad 1150. quarum principium, & finem ita ex Macchabæorum Libris decernunt. Antiochus extruendum curavit Idolum Jovis Olympici, aramque illi ſubſternendam; idque perfecit die 15. menſis Caſleu anni 145. ut patet ex

Lib. 1. Macchab. Cap. 1. ℣. 57. Judas autem Jeroſolymam recuperavit, Templumque repurgavit anno 148. die 25. menſis Casleu, jam ergo triennium integrum & dies decem habemus. Aliquod tempus admittamus neceſſe eſt inter Jeroſolymam ab Apollonio Antiochi Duce captam, ſacroſque ritus, & ſacrificia ablata, quæ omnia ſimul contigere, ac Idoli, & Aræ extructionem; deinde aliquod tempus inter ejuſdem Idoli poſitionem in loco Sancto, atque ſacrilegam illius adorationem, quibus ſiquidem intervallis ſuppleri poſſunt quadraginta quinque dies, qui deſunt ad complendos dies illos 1150. cum in Maccbab. Libro citato tres anni cum diebus decem, hoc eſt dies 1105. abominationis reperiantur. Duæ tamen priores hypotheſes veroſimiliores, proindeque amplectendæ videntur; quamvis in ultima hypotheſi optime Antiocho videantur congruere tres illi anni cum dimidio, de quibus Danielis Cap. 7. ℣. 25. Verum annos illos de Antichriſto fuiſſe enunciatos optime tuentur Catholici Doctores, idque ex Apocalypſi evidenter revincitur. Dies tandem 1335. in Capite Danielis 12. enumerati, referri poſſunt ad Antiochi profanationem, ſi ad tempus, quo ea perſeveravit dies quadraginta quinque adjungantur, quibus poſt reſtitutum in Templo cultum Dei ſupervixit Antiochus. Verum dicemus potius ex hoc Danielis oraculo prædictam eſſe aliquam temporis durationem, v. g. quadraginta quinque dierum, quæ poſt Antichriſti mortem fidelibus concedetur uſque ad extremum finale judicium, ut S. Hieronymus interpretatur. Quid quæſo hujuſcemodi oracula cum annis Romanarum Indictionum ut Matthæus Poli in ſua Criticorum Sacrorum Synopſi delirat? Quid in Catholicis viris ejus criminationes in Sanctam Matrem Catholico-Romanam Eccleſiam evomitæ, quid ejus Encomia Valdenſibus, ac Albigenſibus Chriſtianæ Religionis profanatoribus indigniſſimis facta producent, niſi ſtomachum, & nauſeam?

Cap. 9. ℣. 1. Darius Aſſueri filius nominatur. Quomodo id verum eſt ſi Aſſuerus longe poſt Danielis ætatem, tempore ſcilicet Eſtheris regnavit?

Reſp. Aſſueri nomen apud Perſas appellativum potius, quam proprium perſonæ extitiſſe, ſicut *Pharao* apud Ægyptios, *Cæſar* apud Romanos; vox enim hebraica [illegible] *Achaſveros* componitur ex [illegible] *achas*, *Magnus*, & [illegible] *veros*, ideſt *Princeps*, ſeu *Caput*, ſunt propterea, qui opinantur Aſſuerum Danielis non alium fuiſſe, quam Aſtyagem Darii Medi Patrem, & Avum Cyri.

℣. 16. ejuſdem Capitis 9. legimus Chriſtum occidendum fore poſt ſexaginta duas Hebdomades ab Jeruſalem reſtituta ℣. 29. in medio ultimæ hebdomadis ceſſaturum ſacrificium, atque deſolatio abominationis futura prædicitur. Compertum eſt autem diu perſeveraſſe ſacrificium, & templum poſt Chriſti mortem, nempe uſque ad Titum.

Reſp. In primis Danielis celebre hoc vaticinium adamuſſim eſſe completum ſatis Jeroſolymitanæ urbis excidium, Templi deſolatio, Judæorum generalis diſperſio, nova lex, novumque fœdus inter Deum, & homines adeo demonſtrant, ut quibus cumque Judæorum effugiis ad extraneos ſenſus prophetica verba extorquentibus quilibet aditus ſit interclusus; nec propterea in eorum næniis refellendis tempus inſumere neceſſe eſt, cum hujuſcemodi argumentum viri longe præſtantiſſimi dilucide pertractarint. De annis tantummodo eo in vaticinio comprehenſis pauca dicam, qui profecto anni ſolares a nobis exiſtimantur, eorumque numerus ad 490. exacte pertingit, cum *ſeptem* ſeptuagies in ſe ductus eam ſummam efficiat. Horum annorum principium ab edicto de reſtaurandis Civitate, & Templo ſumendum, eorumque finem, vel in Chriſti morte, ut Prideauxio placet; vel in abolitione legalium publice ab Apoſtolis in Concilio declarata tribus ferme annis cum dimidio poſt Chriſti mortem, & Eccleſiæ enunciata Actorum 15. ℣. 23. & ſeq. conſtituendum eſſe, & Prophetiæ contextus, & inſigniores Scriptores oſtendunt. Cum autem quatuor in ſacris literis habeantur edicta pro reſtitutione Civitatis Jeruſalem a Regibus Perſarum edita, quorum primum a Cyro, alterum a Dario Hyſtaſpis, tertium ab Artaxerſe Longimano anno VII. ſui Regni, quartum denique ab eodem Artaxerſe anno XX. inter Chronologos diſputatum eſt quodnam ex iſtis veluti Epocha ſeptuaginta hebdomadum Danielis ſit decernendum? Nos cum brevitati compellamur inſiſtere, omiſſis, quæ hinc, & utrimque diſputantur, cum apud Criticos ſacros, alioſque Auctores videri queant, Prideauxii aliorumque inhæremus ſententiæ qui ab edicto anno VII. Artaxerſis Longimani edito hebdomadarum exordium auſpicantur a ſeptimo quippe illius Regis anno ad Chriſtum Ducem anni fluxerunt 490. niſi ſcriptis humanis Chaldæorum, Latinorum, atque Græcorum fidem omnem velimus prorſus ſubducere, inquit Bailius. Annum ſiquidem ſeptimum Artaxerſis Longimani concurrere ajunt cum anno 4. Olympiadis 80. & cum Anno Romæ 297. Chriſti vero baptiſmum, quo Meſſias Dux populi Dei conſtitutus, & declaratus eſt in annum Tiberii XV. incidiſſe, qui cum anno 4. Olympiadis 201. & cum anno Romæ 781. concurrit, tuentur; habentur ergo anni 483. ab anno 7. Artaxerſis ad Chriſti Baptiſmum. Si itaque in medio 70 ſive ultimæ hebdomadæ, ſive anno 487. occiſum dicamus Chriſtum, & tribus poſt annis abolita ſolemniter Judæorum legalia, jam habentur anni 490. ab illo Artaxerſis decreto ad deſolationem Templi, & Sacrificiorum, hoc eſt uſque dum publice deſierunt eſſe ſacrificia Deo accepta, proindeque eorum obſervatores deſierunt eſſe populus Dei. Hæc annorum ſeries confirmari poteſt ulterius ex quibuſdam circumſtantiis a Daniele præſcriptis; ait enim S. Propheta ſeptem Hebdomades in reſtitutione Civitatis

tis

Digitized by Google

tis eſſe ſumendas ab exitu decreti (nomine Civitatis, nedum Civitas materialis, ſed politicum etiam regimen, cultus divinus, & quidquid ad populum ſub optimo regimine conſtitutum requiritur intelligamus oportet). Compertum eſt autem ab anno VII. Artaxerſis, quo Eſdra poteſtatem reſtituendæ Civitatis uſque ad perfectam populi inſtitutionem, & reformationem ſub Nehemia, de qua reformatione in Cap. 13. Nehemiæ a ℣. 23. & ſeq. agitur, annos fluxiſſe 49. ab hac autem ſolemni populi reformatione uſque ad Chriſtum Ducem anni 434. reperiuntur, quibus ſi ultima, nempe ſeptuageſima hebdomada, in cujus dimidio occiſus eſt Chriſtus, adjungatur, anni computantur 490. Plurima adhuc adjungi poſſent, ſed brevitatem ſequamur oportet. Solummodo ad ſpecimen Antilogiæ ex Danielis textu removendum annotamus ſacrificia, & templum, quæ poſt Chriſtum diu perſeveraſſe dicuntur, jam fuiſſe jure abolita in Chriſti morte, quamvis aliquantulum poſtea in facto perſeveraverint, ut Synagoga cum honore aliquo ſepeliretur.

Ex Prophetis Minoribus Supplementum

Ex Oſee Propheta.

CAP. 4. ℣. 15. = Neque juraveritis: vivit Dominus = Oppoſitum legimus Deuteron. Cap. 6. ℣. 13. ubi Iſraelitæ per nomen Domini Dei ſui jubentur jurare.

Reſp. Ab Oſee increpari Iſraelitas, qui per Idola jurabant, atque Idololatriam committebant pro actu religionis in vero juramento, comprehenſo. Olim Dei gloria erat, citari eum in teſtem veritatis, ſed Iſraelitæ gloriam iſtam ad Idola converterant. Et ſi enim Deum Abraham adhuc nonnulli adorarent, eum tamen cum Idolis miſcebant, nomen Dei ſimul, & Idolorum uno ore uſurpantes. Deus autem nullum conſenſum, nullamque mixtionem cum Idolis patitur, hinc Sophoniæ Cap. 1. ℣. 5. ajebat = Perdam eos, qui, jurant in Deo vivo, & jurant per Melchom =. Ita ferme Dieu, Mercerus, Rivetus, & alii.

Cap. 5. ℣. 6. = In gregibus ſuis, & in armentis ſuis vadent ad quærendum Dominum, & non invenient = Contrarium habetur Deuteron. 4. ℣. 29. = Cum quæſieris ibi Dominum tuum invenies.

Reſp. In Oſee comminationem eſſe factam Judæis, vel quod idololatræ eſſent, vel flagitia, & crimina liberius committerent, exiſtimantes poſtea ſe Deum placaturum in gregibus, & armentis, ideſt cum victimis, & ſacrificiis, abſque ſincera cordis pœnitentia, & fide, quibus tantummodo Deus quærendus eſt, ſi eum velimus invenire; quas ſiquidem diſpoſitiones etiam in Deuteronomio requirit Deus, ut inveniatur.

Cap. 11. ℣. 8. = Quomodo dabo te Ephraim... Sicut Adama ponam te, ut Seboim?... non faciam furorem iræ meæ; non convertar, ut diſperdam Ephraim = Capite autem 14. ℣. 1. = Pereat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitavit Deum ſuum: in gladio pereant, parvuli eorum elidantur; & fœtæ ejus diſcindantur =.

Reſp. Hoc in Oſeæ loco duplicem a Deo ſignificari, ſeu veluti geſtari perſonam benigni patris videlicet, & juſti Judicis; nollet ut pater eos diſpergere ſicuti Adama, & Seboim, ut Judex autem eoſdem delere, atque exterminare deberet; affectui patris victoriam concedere judicat, ut hac via populum ſuum ad pœnitentiam perducat. In Cap. autem 14. minime revocat, quod antea conſtituerat, ſed per os Prophetæ populus minis, & exhortationibus ad pœnitentiam iterum incitat.

Ex Joele.

CAP. 3. Joelis ℣. 17. Legimus = Erit Jeruſalem Sancta; & alieni non tranſibunt per eam amplius = ℣. 20. Judæa in æternum habitabitur, & Jeruſalem in generationem, & generationem = Quid eſt ergo quod ſub Tito conculcata eſt Civitas ſancta atque alienigenæ incolunt eam, ſicut a Daniele Cap. 9. ℣. 26. prædictum fuit? Nunquid Joel, & Daniel contraria prædicunt?

Reſp. Hoc in loco Joelis vaticinia non ad Jeruſalem terreſtrem, ſed ad Eccleſiam Chriſti reſpexiſſe, quæ ſancta erat, & munda ab omni prorſus inquinamento ſordium in altera vita, non per ſolam juſtitiæ imputationem, ut hæretici fabulantur, ſed per charitatem Dei diffuſam a Spiritu Sancto in animabus juſtis, eiſdemque inhærentem. Sancta pariter Eccleſia militans eſt ob ſanctitatem doctrinæ, quam profitetur, ob ſanctitatem eximiam capitis ſui Jeſu Chriſti, ob ſanctitatem ſacramentorum, quibus peccatores etiam gratiæ Dei reſtituuntur, atque ſancta charitate perfuſi Deo grati redduntur, non quidem ſola imputatione juſtitiæ, ſed per formalem juſtitiam, qua juſti ſunt: & tandem propter ingentem Juſtorum numerum qui in ſinu Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholico-Romanæ continuo reperiuntur; de iſta ergo myſtica Jeruſalem loquebatur Joel; Daniel vero de Judæorum Civitate Jeroſolyma. Idipſum de Judæa perpetuo habitanda ſub ℣. 20. dicendum eſt.

Ex Amos Propheta.

CAP. 5. Amos ℣. 25. = Nunquid hoſtias, & ſacrificium obtuliſtis mihi in deſerto quadraginta annis domus Iſrael? = oblata eſſe ſacrificia in deſerto patet ex cap. 24. Exodi ℣. 5. ubi legimus = & obtulerunt holocauſta, & immolaverunt victimas pacificas Domino = Levitici pariter cap. 8. ſacrificia Domino oblata leguntur.

Reſp. Difficillima hæc Amoſi oracula ſemper viſa fuiſſe ſacris Commentatoribus compertum eſt = Varias propterea hiſce reſponſiones excogitarunt facillime profecto hujus textus intelligentia ſe prodit ſi pro *nunquid* cum LXX. legamus *nonne obtuliſtis mihi quadraginta annis?* Et tamen

illi ex Ægypto educti perierunt ob ſuas pravitates; non ergo ſacrificia, ſed animi puritatem attendo. Altero autem ſenſu, hoc modo videtur explicari poſſe textus prælaudatus = Nunquid me adoraſtis, mihique ſacrificia tantummodo obtuliſtis ut debebatis in deſerto? Noone portaſtis Tabernaculum Idolo Moloch, aliosque Deos adoraſtis? Hæc explicatio videtur peroptime congruere cum verbis Stephani Protomartyris Actorum 7. ℣. 42. qui verba Amos exponit de variis Idololatriæ generibus, quibus in deſerto intra annorum quadraginta, hoc eſt triginta octo circiter ſpatium contaminati ſunt Judæi. Hanc pariter expoſitionem tradit S. Hieronymus, & poſt eum alii quamplures, inter quos Gelaſius. Alias vero explicationes omittimus.

Cap. 8. ℣. 2. = Venit finis ſuper populum meum Iſrael = Cap. 9. ℣. 1 = Noviſſimus eorum gladio interficiam = Plures deinde populo Iſrael comminatur tribulationes. Oppoſitum deinde prædicitur ℣. 15. Capitis 9. ubi legimus = Plantabo eos ſuper humum ſuam, & non evellam eos ultra de terra ſua, quam dedi eis =.

Reſp. In ℣℣. 2. Capitis 8. & 1. Capitis 9. Modus præſcribitur, quo Deus pro iniquitatibus ejus flagellabit populum ſuum, donec ulciſcatur de eo, niſi convertantur a viis ſuis peſſimis filii Iſrael; ſi autem ad pœnitens cor reverſi fuerint, tunc eos in terra ſua plantare ſpondet ℣. 15. Capitis 9. nec ultra de eadem evulſurum adfirmat, ſi in ejus præceptis ambulaverint, conditionata quippe promiſſio eſt. Poteſt etiam de novo Chriſti Regno quod nunquam diſſipabitur, poſtremum illud Amoſi vaticinium explicari.

Ex Michea Propheta.

CAP. 2. ℣. 11. = Utinam eſſem vir non habens ſpiritum, & mendacium potius loquerer = Quomodo S. Propheta mendacia deſiderabat proferre, ſi Proverb. 12. ℣. 22. ſcriptum eſt = Abominatio eſt Domino labia mendacia? =

Reſp. Micheæ deſiderium non habuiſſe pro objecto mendacium, ſed potius falſitatem, in quantum non evenire populo ſuo mala, quæ prænunciabat in votis habebat, ſicque falſa, & inania ejus remanerent vaticinia. Apud nos ipſos etiam in more eſt hanc loquendi formulam adhibere, dum aliquod infortunium prædicimus eventurum *faxit Deus quod mentiar*, nec tamen mendacium abſolute volumus, ſed tantummodo in noſtris prædictionibus decipi amamus.

Cap. 5. ℣. 2. = Tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda = Oppoſitum legimus Matthæi 2. ℣. 6. = Tu Bethlehem terra Juda nequaquam minima es in Principibus Juda = Nunquid Bethlehem erat, & non erat parvula?

Reſp. I. Ex Micheæ exemplaribus excidere potuiſſe particulam illam *nequaquam*, quæ in Matthæo legitur = Eam quippe ex LXX. legebant olim Origenes, Cyprianus, Ambroſius, & Auguſtinus. Reſp. 2. legi poſſe Micheæ textum per interrogationem *parva ne ſis*, ideſt habearis *a populo Judæ?* Quæ ſiquidem loquendi phraſis vehementer negat, inquit, Grotius. Verum eſto legamus Prophetæ textum prout jacet, nullam cum Matthæo antilogiam habet. Michæas quippe ajebat, Bethlehem parvulam eſſe in ordine ad domos, ad Cives, ad incolas: Matthæus tamen non fore parvulam adſerit, quia ex illa veniet dux ille, & Meſſias, qui ſalvabit populum Iſrael a peccatis eorum.

Ex Aggæo, Zaccharia, & Malachia.

CAP. 2. Aggæi ℣. 7. = Adhuc unum modicum eſt, & veniet deſideratus cunctis gentibus = Nunquid modicum tempus appellari poteſt ſpatium quingentorum annorum, quod ab anno ſecundo Darii Hyſtaſpis ad Chriſti adventum interceſſit?

Reſp. Non defuiſſe Rabbinos, qui hujuſcemodi tempus ad ſtructuram Templi revocare conati ſunt, quaſi ſenſus eſſet: Vos qui templum ædificatis nolite contradictionibus gentium terreri; ſuſtinete tantiſper, quamvis effectus divinarum promiſſionum nondum appareat, ſinite ſpei locum, quia ſtatus hic non diu perſeverabit. Magna eſt Dei potentia; Cœlum potius, & terra miſcebuntur, quam ut impediant hoſtes veſtri in integrum Templi reſtitutionem toties a Prophetis promiſſam. Verum hoc inſigni vaticinio adventum Chriſti in carne eſſe prædictum nedum Catholici omnes, & etiam Proteſtantes tuentur, ſed & Antiquiores Rabbini confeſſi ſunt, & præſertim Akiba in Talmud, inquiens = Parum Regni dabo ipſis Iſraelitis poſt deſtructionem (Templi primi) & poſt illud Regnum ecce ego commovebo Cœlum, & Terram, & veniet Meſſias = Regnum intelligunt Machabæorum, quod puſillum fuit pauciſque annis perſeveravit. Spatium quingentorum annorum dicitur breve vel reſpectu æternitatis, vel temporis, quo antea Meſſiæ promiſſio facta erat, vel annorum a Creatione Mundi, ut Tirinus, Grotius, Menochius, & Tarnovius exponunt.

Cap. 1. ℣. 12 Zaccharia = iſte jam annus ſeptuageſimus eſt = Hæc annorum computatio nequaquam videtur Chronologiæ conſentanea cum anni pluſquam ſeptuaginta jam percurriſſent.

Reſp. Annis ſeptuaginta a Zaccharia deſignatis duplex poſſe principium decerni; Primum in anno 4. Joakim cum Nabuchodonoſor totam Judæam ſubjugavit; atque Babylonem primos tranſtulit Captivos; ab iſto ſiquidem anno uſque ad annum primum Cyri anni 70. ab Jeremia enunciati interceſſerunt. Secundum vero initium annorum 70. deſumi poteſt ab anno 11. Sedeciæ, dum totalis Captivitas Judæorum completa fuit. Ab iſto autem temporis cardine uſque ad annum ſecundum Darii, quo vaticinium ſuum emiſit Zaccharias anni 69. circiter intercedunt, unde in numero rotundo 70.

expri-

Digitized by Google

exprimuntur; quemadmodum, & biennio poſt idem numeraa a Propheta uſurpatur 70. *annorum*, ut patet ex Cap. 7. ℣. 5. Ab anno itaque 11. Sedeciæ ad annum 4. Darii anni 70. recenſentur adamuſſim, ſi Prideauxium, & Uſſerium audiamus.

Cap. 12. ℣. 2. Judas in obſidione contra Jeruſalem futurus prædicitur a Zacharia; nonne Jeruſalem erat Judeæ Metropolis? A ſuis ne civibus erat obſidenda?

Reſp. Ex pluribus Commentatoribus Vaticinium bujuſmodi ſuiſſe adimpletum, cum ex Judæis perfidi homines hoſtiliter in Patriam, & legem Dei ſe geſſerunt, cujuſmodi contigere facinora tempore Antiochi, cum Menelaus, & Tobiæ filii Macchabæorum tempore, ut ambitioni ſuæ morem gererent. Ultro Antiochum acciverunt ſanctiſſimaſque Dei leges, ejuſque cultum ſacrilegis profanationibus conculcarunt, ſuamque Patriam ultimo exitio expoſuerunt.

Cap. 14. Zachariæ ℣. 4. = Scindetur mons olivarum prærupto grandi valde = Hoc nunquam contigiſſe legimus neque in ſacris literis, nec in profanis Hiſtoricis.

Reſp. Non deeſſe, qui opinentur in olivarum monte hujuſcemodi præruptum factam eſſe Machabæorum tempore dum tanta cernebantur in aere portenta, quamvis id minime ab hiſtoricis referatur, ſicuti neque terræmotus, qui Oziæ Regis contigerat neque ab Joſepho, neque a ſacris Scriptoribus uſque ad Zachariam enarratus fuit. Probabilius tamen alii tenent hujuſcemodi montis fractionem in ultimo Chriſti Judicis adventu eventuram, dum montes ſicut cera liqueſcent a facie Domini.

Cap. 2. Malachiæ ℣. 6. Commendatur a Deo Levi, hoc eſt ejus familia Sacerdotalis, quod in ipſa non ſit iniquitas adinventa, atque in pace, & æquitate cum Deo ambulaverit. Pauca ne fuere Sacerdotum peccata? Aaron vitulum conflavit; Eli ſucceſſores a Sacerdotio dejecti, aliique non pauci peccatores fuerunt inſignes.

Reſp. Non deeſſe Commentatores, qui præclara hæc encomia ad Phineem Eleazari filium eſſe directa arbitrentur; ita in ſuis Comment. ad hunc Malachiæ textum indicat S. Hieronymus. Et ſane pactum Sacerdotii in eo ſtatuit Dominus poſtquam zelo divini honoris aeſtuans Zambri, & Chosbi pugione confixit Numer. cap. 25. ℣. 12. Cum S. Hieronymo ſentiunt Hebræi apud Munſterum. Hac igitur admiſſa opinione veriſſimum Malachiæ oraculum advinvenitur, cum Phinees nulla iniquitatis, & falſitatis labe fuerit inquinatus; ejus doctrina recta, & fidelis; non aliud ore, quam quod gerebat in corde, proferebat; neminem ſua blandiloquentia a Dei cultu abduxit, nihil ad ſuum quæſtum comminiſcebatur, Dei fœdus nunquam abrupit. Ita locum iſtum Prophetæ Commentariis illuſtrarunt Vatablus, Dieu, Tarnovius, Menochius, & Grotius apud Criticos ſacros. Si autem velimus ad Sacerdotum ſeriem Malachiæ oraculum reſpicere, non ad ſolum Phinees, tunc reponemus a Propheta comparationem inſtitui inter Sacerdotes, qui jam deceſſerant, inſignes, & conſpicuos in Dei cultu promovendo, in lege Dei populis explicanda, ac tandem in Sacerdotali explendo munere præclariſſimos; ac Sacerdotes temporis ſui, qui nimium ſuis indulgentes commoditatibus, lac quidem, & lanam ab ovibus excerpebant, de paſcuis autem earum, & ſpiritali cuſtodia nec tantillum ſoliciti erant.

Ex Machabæorum Libris Supplementum.

NON pauca jam in priore Diſquiſitionum Volumine pag. 547. & ſeqq. quæ antilogiæ ſpeciem quandam videbantur præſeferre diſcuſſa ſunt a Fraſſenio, & a nobis in notis illic adjectis; ea profecto legenda ſunt, ut nullam prorſus in ſacris Machabæorum Libris textuum oppoſitionem haberi dignoſcamus. Pauca ibidem prætermiſſa hic ſupplere ſatagemus.

Cap. 1. Libri 1. Machab. ℣. 1. Legimus Alexandrum Macedonem de terra Cethim egreſſum: Compertum eſt autem per *terram Cethim* vel Cretam, vel Cyprum, vel Italiam eſſe intelligendam, ut inſignes tuentur ſcriptores apud Criticos Sacros ſuper Cap. X. Geneſis ℣. 4. quod & ex Danielis Cap. XI. ℣. 30. revincitur, in quo Romani prædicuntur venturi.

Reſp. 1. Ab Hebræis per *Cethim* omnes ferme inſulaa: & loca maritima fuiſſe intellecta, ut Joſephus apud Caſtalionem advertit. Verum Macedones etiam fuiſſe Coloniam *Cittim* teſtatur Heſychius; Perſeus inſuper Rex Macedoniæ, Rex *Cittim* vocatur lib. 1. Machab. Cap. 8. ℣. 5 Ex variis itaque Scripturæ locis invicem collatis inferre legitime poſſumus a Macedonia uſque ad ultimos fines Græciæ, immo uſque ad Illyricum, & Italiam vocatos eſſe *Cittim*; unde nulla antilogiæ ſpecies ex iſto Machab. loco nobis obverſatur.

Cap. 4. ℣. 6. Viri Juda nec gladium, nec tegumenta dicuntur habuiſſe. Quo ergo pacto ℣. 15. hujus capitis, eorum gladio interempta dicuntur tria virorum millia?

Reſp. Non fuiſſe viros illos gladiis, & armis inſtructos *ſicut volebant*, ut legunt Græca, & plura Latinorum exemplaria; inſtrumentis itaque ruſticanis potius quam bellicis muniti erant Judæi, abſque loricis, & clypeis, aliiſque militum ſuppellectilibus incedebant; contriverunt nihilominus hoſtes, atque in fugam diſperſerunt, quorum ſarcinas, & arma cum ſubſtuliſſent, in ore gladii noviſſimos potuerunt occidere, ſicut in ℣. 15. hujus Capitis enarratur. Alia vero, quæ ſolent proferri de Antilogiis inter primum, & ſecundum Macchabæorum librum in ordine ad annos purgationis Templi, & Antiochi mortem ad paginam 552. primi Voluminis *Diſquiſit.* expenſa ſunt.

℣. 60. Capitis ejuſdem 4. legimus a Machabæis communitum montem Sion muris altis, & turribus firmis per circuitum. Quomodo id expleri potuit ſi arcem Sion Antiochi milites occupabant, eamque ad

Si-

Digitized by Google

Simonem uſque Machabæum poſſederunt, ut patet ex Cap. 13. ℣. 50. hujuſce Libri?

Reſp. Arcem præſidiariam in Sion ex oppoſito hoſtilis arcis fuiſſe conſtructam, ut locum Sanctum a Gentium contaminatione defenderent Machabæi; neque enim Antiochi milites, qui in arcem Sion ſeſe receperant præpedire poterant Judæorum opus cum vallati undique eſſent a Machabæorum exercitu. Anno tandem Græcorum 171. ſub Simone reliquiæ Gentium ex arce illa ejecti ſunt.

Cap. 5. ℣. 35. legimus Judam in Maſpha veniſſe, eamque occupatam igni ſuccendiſſe. Compertum eſt autem Maſpha locum fuiſſe, in quo conveniebant Judæi, diuque poſt Judam ſuperſtitiſſe.

Reſp. Plures fuiſſe Civitates eo nomine inſignitas: quæ autem a Machabæis combuſta fuit Moabitarum erat in Tribu Ruben, de qua Lib. 1. Regum Cap. 22. ℣. 3. Altera autem erat Maſpha in Tribu Beniamin & Juda, in qua congregabantur Machabæi; illa autem non iſta igni tradita eſt.

Cap. 6. ℣. 42. Sexcenti de exercitu Regis cecidiſſe referuntur. In Libro autem ſecundo Machabæorum Cap. 13. ℣. 15. quatuor millia narrantur occiſa.

Reſpondent Sacri Commentatores ſexcentos illos primo incurſu interemptos fuiſſe, antequam Eleazarus Beſtiam occidiſſet; poſtea vero tot enecati ſunt, ut quatuor millia enumeratis extinctis, in eo conflictu periiſſe ſint adinventa.

℣. 62. Capitis 6. Rex in montem Sion introiſſe, ruptoque juramento antea præſtito, murum deſtrui juſſiſſe, indeque receſſiſſe narratur. Ferme oppoſitum deſcribitur. Machab. 2. Cap. 13. ℣. 23. ubi legimus Regem iſtum ſe ſubditum Judæis conſtituiſſe, Templum honoraſſe, ac munera reliquiſſe, maximiſque honoribus Judam cumulaſſe.

Reſp. Ea omnia, quæ in utroque narrantur Libro executum fuiſſe Regem illum, iterato enim ab Juda percuſſus, animo aliquatenus dejectus erat, cum audita Philippi rebellione, ut ipſe opinabatur, pacem ab Judæis precari compulſus, eademque obtenta, Templum ingreditur, ut Sacrificium offerat, ſed interim murum deſtrui mandat, quod cum Judæis eſſet iniquum, quidquid Judæis æquum videbatur conceſſit, eorumque Ducem honoribus auxit, ſicque percuſſo cum eis de familiaritatis fœdere Antiochiam adverſus rebellem proceſſit.

Cap. 7. ℣. 9. Alcimus a Rege Demetrio ſummum Sacerdotium obtinuiſſe refertur. Hanc autem dignitatem jam ab Antiocho Eupatore conſecutus erat, ut in Lib. 2. Machab. cap. 14. ℣. 3. ſcriptum eſt.

Reſp. Hujuſcemodi nodum facillime ex contextu reſolvi; illegitime enim cum eſſet ad ſummum Sacerdotium evectus Alcimus opera Eupatoris, nullus Judæorum eum excipere voluit, cum multis ſacrilegiis ſeipſum coinquinaſſet; unde ad Regem Demetrium avolavit, ejuſque Patrocinium rogare non piguit, ut ſui muneris exercitium adimplere permitteretur, non ut Sacerdotium adipiſceretur.

Alia nonnulla hoc in Libro notari ſolent: v. g. quod tres Civitates pro Judæis ſtatuendæ promittantur Cap. 11. ℣. 34. Duæ tantummodo poſtea nominentur. Quod Cap. 14. ℣. 25. Romano Populo imputetur quidquid Judaico proprie ex contextu convenire revincitur; quid enim ad Romanam gentem, quod Simon liberaſſet populum ſuum Judaicum de manibus inimicorum ſuorum? Quod tandem Cap. 16. ℣. 3. Simon accitos ad ſe filios ſuos vocaverit eos *fratres*: nunquid ſimul filii ejus, & fratres eſſe potuerunt?

Reſp. In Vulgata ſiquidem nomen tertiæ Civitatis deeſſe; niſi forte ipſam Samariæ Civitatem pro tertia eſſe accipiendam ſupponamus, cujus paulo ante in ſacro textu facta eſt commemoratio. Græca pro tertia hac Civitate legunt [illegible] *Aphærema*, quæ fortaſſis Ephraim eſt, vel Ephrem, ſeu Ephra Gedeonis Patria. Ad ſecundum dicimus: Elogia, quæ pro Simone a ℣. 25. & ſequent. Capitis 14. leguntur ab Judaico populo facta probabilius judicandum eſſe; eo vel maxime quod nec Syrus, nec Græcus legant *Romanus*, ſed ſimpliciter habent *cum audiſſet populus ſermones iſtos*. Si autem vocem illam *Romanus* ad ſacrum textum pertineat, tunc intelligamus oportet ab Auctore hujus Libri poſt enarratam Simonis legationem, ſtatim Romanorum reſponſum, atque grati animi ſigna ab eiſdem exhibita, fuiſſe hoc in loco indicata, quæ uberius poſtea in ſequenti Capite recenſentur.

Ad ultimum denique dicimus, non deeſſe qui ſuſpicantur mendam aliquam hoc in loco adinveniri, in Græco quippe eſt [illegible] *eſtote ergo pro me, & pro fratre meo*. Si autem Vulgatæ liberam retineamus, ſenſus erit: *eſtote loco mei, & ſitis forti animo ſicut fratres mei.*

Ex Machabæorum Libro II.

CAP. 1. ℣℣. 9. & 18. frequentare jubentur Iſraelitæ Dies Scenopegiæ menſis Casleu. Quis autem ignoret dies Scenopegiæ in Menſe Tiſri fuiſſe celebrandos?

Reſp. In Menſe Casleu feſtum reſtaurationis, ſeu renovationis Templi ſolemniter fuiſſe peragendum, appellatum vero fuiſſe diem *Scenopegiæ* ob ſimilitudinem rituum, ac feſtivitatis durationem per dies octo, ut patet ex 1. Machab. Libro Cap. 4. ℣. 59.

Cap. 3. ℣. 4. Simon de Tribu Beniamin Præpoſitus Templi nuncupatur. Quomodo id evenire potuit, ſi Leviticæ genti res ſacræ commiſſæ erant?

Reſp. Virum hunc rebus Templi politicis non ſacris præfuiſſe, theſauris videlicet, aut potius militari Templi cuſtodiæ, de qua 1. Machab. cap. 4. ℣. ultimo.

Cap. 5. ℣. 27. Judas Machabæus *decimus*

mus dicitur inter Aſſidæos. Capite autem 14. Judas omnibus Aſſidæis præfuiſſe narratur.

Reſp. Judam fuiſſe *decimum* appellatum eo, quod *Dechadarchus*, ideſt unus ex decem viris, eſſet qui omnia ejus ordinis adminiſtrabant: Vel ideo *decimum* vocatum alii opinantur, quod cum aliis novem Aſſidæis ad montes fugiſſe ſupponant. Alia nonnulla in Machabæorum Libris ab invicem diſcrepantia ſi legantur, præſertim circa militum numerum dum variis in locis recenſentur, facili negotio conciliantur ad invicem; cum de una in altera die bellatorum ſumma mutationi eſſet obnoxia per novam militum acceſſionem, vel ab exercitu diſceſſionem: ſi varia nomina eidem rei, vel perſonæ tributa reperiantur, quod evenit frequenter, id ob nominum pluralitatem eidem rei convenientium factum eſſe poſſumus arbitrari. Si quæ tandem hoc in loco notanda relinquimus, id, ne repetamus, quæ in primo Diſquiſit, Volumine a pagina 547. & ſeqq. dicta jam ſunt, a nobis geſtum eſſe novelli ſtudioſi ſibi ſuadeant. W,

CAPUT XI.

Ex Sancto Matthæo.

CAP. I. in recenſenda & explicanda Chriſti genealogia invicem plurimum diſcrepant SS. Matthæus & Lucas; maxime vero quantum ad ordinem & nomina eorum qui in hac Majorum Chriſti ſerie referuntur. In ordine, ut notat Walterus, eſt diſſonantia triplex. *Primo* namque S. Matthæus ab Abrahamo per deſcenſum ad Chriſtum uſque procedit: Lucas vero per aſcenſum a Joſepho ad Adamum omnium hominum Proto-parentem. *Secundo*, Matthæus nullius ante Abrahamum meminit Patriarchæ; Lucas continuat ſeriem Patriarcharum ad Adamum uſque per poſteros Noe & Sethi. *Tertio*, Matthæus a Davide uſque ad Chriſtum generationes 28. a Salathiele uſque ad Joſeph 12. numerat: Lucas autem a Davide uſque ad Chriſtum generationes 42. a Salathiele uſque ad Joſeph 21. recenſet. Univerſe Matthæus tres teſſeradecades, & perſonas 42. Lucas vero 77. profert. *Quarto*, Matthæus verbo *genuit* uſus eſt: S. Lucas certo nullo. In nominibus quoque magna variatio eſt, Matthæus enim I. per Salomonem; Lucas per Nathanem ejuſque poſteros genealogiam Chriſti recenſet. II. In tertia teſſeradecade S. Lucas, Jechoniæ loco nominat Neri & alios præterea a Matthæo omiſſos. III. Joſephi patrem, quem S. Matthæus Jacobum dicit, S. Lucas conſtituit Heli.

Reſp. Ad *primum*, Ordinem numerandi diſparem & retrogradum, rei ipſi nihil quicquam derogare; dummodo recta rerum ſeries inſtituatur. *Ad ſecundum*, dico, idcirco S. Matthæum in Abrahamo conſiſtere; S. Lucam vero ad Adamum, Deumque progredi. I. Quia S. Matthæus ſuum ad Judæos Evangelium dirigebat, quamobrem ut facilius Chriſti hiſtoriam, quam ordiebatur, ipſis gratam redderet, eumque verum Meſſiam comprobaret, ſat judicavit illius genealogiam ab Abrahamo eorum protopatriarcha deducere: Lucas vero cum ad omnes prorſus nationes ſcriberet, neceſſarium duxit Chriſti genealogiam ſumma diligentia ad Deum uſque ducendam, quo facilius inſinuaret eum eſſe qui nos à Deo in protoparente lapſos, ad eum ſuis meritis & monitis revocaret; ideo aſcendendo proceſſit. II. S. Matthæus ſterit in Abrahamo, quia ei Patriarchæ primo ex hominibus poſt diluvium dictæ ſunt promiſſiones de Meſſia: unde cum ille communis eſſet parens ejus populi ex quo oriundus erat Meſſias: ad confirmandam de eo fidem, ſatis erat oſtendiſſe Chriſtum D. ex ſemine Abrahæ eſſe natum. Lucas vero ad communem omnium prorſus hominum parentem progreſſus eſt, ut oſtenderet Chriſtum D. eſſe propoſitum omnium hominum Salvatorem ab initio Mundi; neque aliud eſſe nomen datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.

Ad tertium diſſonantiæ momentum repono, nil mirum videri quod plures a S. Luca quam a S. Matthæo in Chriſti genealogia referantur; ſiquidem ille per Nathanem, hic per Salomonem Davidis ex Berſabæa filios, Chriſti proavos nominat; ac proinde ab utroque diverſi memorantur; potuit autem una proſapia in multo plures familias quam alia ſeſe effundere. Neque enim Salathiel & Zorobabel, qui apud Lucam, iidem ſunt qui a S. Matthæo recenſentur: illi enim ex ſtirpe Nathanis; hi ex ſtirpe Salomonis: illi vigeſimum aut vigeſimum primum in Chriſti Domini proſapia gradum obtinent; hi duodecim aut tredecim gradibus a Chriſto diſtant: illis alii Patres & proavi alio nomine quam his adſcribuntur. Porro eadem nomina pluribus interdum imponi ſolita nemini dubium eſt, præſertim dum illa ſunt præſtantium virorum & aliquid boni hominis portendunt: ita ergo duæ ſtirpes ſeu lineæ ſunt, ſicut nominibus, ſic & gradibus & perſonis prorſus diſtinctæ & diverſæ apud Lucam a Nathane per Neri uſque ad Heli; & apud Matthæum a Salomone per Jechoniam uſque ad Jacobum Joſephi patrem.

Quorſum autem in texenda Chriſti Domini genealogia diverſam rationem & inſtitutionem inierint SS. Matthæus & Lucas, non eadem eſt Auctorum ſententia & ratio. Sunt enim qui exiſtimant a Matthæo recenſeri genus Joſephi per lineam Salomonis, quæ ſceptrum Regale diu tenuit; a S. Luca autem Mariæ Virginis ex Davide per lineam

neam

Digitized by Google

neam Nathanis, ad quam poſtca ſolium Davidis Ducum titulo devolutum fuit: cujus rei duplex ratio aſſignari poteſt. Prior, ut conſtet, Mariam eſſe ex domo Davidis, licet non per lineam Salomonis ejuſque poſterorum penes quos plures annos fuit regia poteſtas. Poſterior, ut appareat, Mariam deſponſatam Joſepho non in domum alterius Tribus, aut familiæ, ſed in domum & familiam Davidis translatam eſſe, ut ita undique firmiſſime probetur, Chriſtum noſtrum eſſe ex domo & familia Davidis, ſive cenſeatur ex familia Matris, ex qua Virgine natus eſt, ſive ex illa familia, in quam Maria per deſponſationem tranſiit. Verum iſta ſententia nequaquam mihi videtur probabilis: nam cum S. Lucas eodem contextu dicat *Joſeph, qui fuit Heli qui fuit Mathat*, atque ita cætera deinceps filios patribus continua ſerie connectens, aut Joſepho omiſſo velle Chriſtum Heli nepotem dici, aut Joſephum ipſius Heli non filium ſed generum, a recto ſermone uſuque loquendi alienum eſt: fatendum eſt igitur, ait appoſite Gro-
„ tius, ejuſdem Joſephi genus ab altero
„ prorſum, ab altero retrorſum cenſeri.
„ Neque vero aliena a Chriſto exiſtimanda
„ eſt origo Joſephi, cum natus ſit Chri-
„ ſtus ex ea quam Joſephus in matrimonio
„ retinuerit. Nam ſi ea vis eſt Legis, ut par-
„ tus viduæ ex agnato defuncti viri con-
„ conceptus in omne Jus defuncti ſuccedat,
„ non aliter quam ſi ex ipſius genitura or-
„ tum traxiſſet, quidni id quod ſine huma-
„ na opera ex legitima illius conjuge na-
„ tum eſt, quaſi ipſius ſolo divinitus inſi-
„ tum, ipſius proprium cenſeatur? atque
„ hinc eſt nimirum quod non tantum ab
„ Evangelii Scriptoribus Joſephus pater
„ Chriſti, nuptiis videlicet patrem demon-
„ ſtrantibus, nominatur: ſed & Chriſtus
„ omnia obſequia atque operas illi præſti-
„ rit quæ expectari poſſunt a filio in ſacris
„ paternis conſtituto. Quod ſi ubique gen-
„ tium adoptivi liberi ex ejus gentis cui ve-
„ lut inſiti ſunt nobilitate cenſentur, quan-
„ to juſtius omnia jura gentilitia Joſephi
„ ac promiſſiones divinæ ipſius majoribus
„ factæ ad Dominum Jeſum pertinebant?
Hæc ille.

Neque neceſſum erat ſpecialem Beatæ Virginis genealogiam texere, non ſolum quia uſitatum non erat apud Judæos ut in genealogiis fœminæ cenſerentur; ſed maxime quia Beatæ Mariæ ſtemma ex Joſephi ſtemmate facile colligebatur, hæc enim non modo extra Tribum ſuam, ſed ne extra familiam quidem nubere potuit quippe quæ fratres conſanguineos nullos habuerit. Nam puellæ Iſraelitides, quæ fratres non haberent, lege divina jubentur nubere agnatis proximis, uti definitum eſt Numerorum 36. ex ſpecie facti quæ ſe in filiabus Salphaad Moſi obtulerat Deo ita decernente, cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipient, ut hæreditas permaneat in familiis: ubi vox מטה *Matte* quæ ſæpius ibi reperitur, non modo Tribum, ſed etiam ſtirpem, præſertim hoc loco ſignificat: itaut præſata verba, ſi hebraicum textum attendamus proprie ſignificent familiam ſtirpis paternæ, uti egregie hic demonſtrat Grotius; quod etiam, inquit, exigit ratio Legi addita, quæ hæc eſt, Ne bona avita mancipii jure ad extraneos devenant: quod non Tribuum tantum, ſed & Gentium, Familiarumque conſervandarum cauſa conſtitutum eſſe ex ſimili Lege, quæ eſt de Redempturis, intelligi poteſt. Hinc eſt quod is qui Tobiæ Hiſtoriam ſcripſit, moris Judaici non indiligens Obſervator, Saram virginem conquærentem introducit, quod pater ipſius filios hæredes non haberet; neque vero eſſet frater ei, cujus filio ſe uxorem ex Lege ſervaret, cap. III. 18. Nec ſecus is qui Judithæ Hiſtoriam ſcripſit, maritum ejus ait fuiſſe non modo τῆς φυλῆς αὐτῆς τῆς πατριᾶς αὐτῆς. Chryſoſtomus quoque & Epiphanius, quibus mores Judæorum ignoti vix eſſe poterant, iis in locis viventibus ubi maxima Judæorum erat multitudo, ita Legem quam dixi Moſis interpretantur. Legibus ſane Atticis, quarum antiquiſſimas ex Moſis Legibus deſumptas, ac tantum non deſcriptas eſſe facillimum probatu eſt, idem quod diximus invenitur conſtitutum. Vocabatur autem Puella talis, ſive ſola ex aſſe hæres eſſet patri, ſive ſorores non etiam fratres haberet: ut idem Grotius probat plurimis exemplis petitis a veteribus Ethnicis, quibus ea Moſaica Lex non ſolum innotuit, ſed etiam fuit in uſu.

Exiſtimant nonnulli Matthæum lineam Naturalem & Regiam ducere; Lucam vero Sacerdotalem, tum ex eo quod hic deſcribat Genealogiam Davidis per Nathanem, quem exiſtimant naturalem fuiſſe Uriæ Sacerdotis filium, a Davide, inito cum Betſabea matrimonio, adoptatum: Quamobrem iſthuc referunt hoc II. Reg. c. VIII. v. 18. *Filii autem Davidis Sacerdotes erant*; quam ſententiam tradit S. Ambroſius in tertium caput Lucæ, ſcribens. „ Quod per Salomo-
„ nem Matthæus generationem derivandam
„ putavit; Lucas vero per Nathan: alte-
„ ram Regalem, alteram Sacerdotalem
„ Chriſti familiam videtur oſtendere. Fuit
„ enim vere & ſecundum carnem. Regalis
„ & Sacerdotalis familiæ; Rex ex Regi-
„ bus, Sacerdos ex Sacerdotibus, quoniam
„ & Rex in Dei virtute lætatur, cui ju-
„ dicium a patre Rege defertur; & Sacer-
„ dos in æternum, ſecundum quod ſcriptum
„ eſt: *Tu es Sacerdos*, *&c.* Bene igitur uter-
„ que tenuit fidem, ut Matthæus per Re-
„ ges ductam originem comprobaret; &
„ Lucas per Sacerdotes a Deo tranſmiſſam
„ in Chriſtum ſeriem generis deducendo,
„ ſanctiorem ipſam originem declararet. „
Hæc ille: cui concinunt Nazianzenus in Carmine de Chriſti Genealogia, *a patre ſacrificum duxit genus*: Hilarius Canone I. in Matth. Petrus Bleſenſis Epiſtola III. *Ergo &c.*

Verum hujus ſententiæ plurima jugulum petunt I. Namque non conſtat Uriam fuiſſe Sacerdotem, ac proinde nec Nathanem putatum ejus filium. II. Quamvis Urias conce-

cederetur Sacerdos; non idcirco evincitur ipſum fuiſſe patrem naturalem Nathanis, immo contrarium deduci videtur ex I. Paralip. cap. III. ubi numerantur filii a Davide in Jeruſalem ex Berſabea geniti: *Porro in Jeruſalem nati ſunt ei filii Simmaa, & Sobab, & Nathan, & Salomon, quatuor de Berſabea, filia Ammiel.* Ubi Nathan eadem in ſerie ſcribitur cum Salomone, quem nullus dixerit adoptatum, & non vere a Davide genitum. III. Si fuerit Nathan adoptatus, ex ejuſque ſtirpe Chriſtus prodierit, falſum erit Chriſtum eſſe ex Davide oriundum ſecundum propagationem naturalem & fructum ventris Davidici, cui repoſitum erat a Deo patris ſolium & Regnum. IV. Tametſi gratis concederetur Nathanem revera fuiſſe Sacerdotem, inde non eſſet conſequens omnes qui in ejus ſerie numerantur, ad ultimum uſque, ſummos Sacerdotes extitiſſe, quippe nullius eorum in Pontificali ſerie meminit Joſephus, Lib. XV. cap. 16.

Unde veroſimilior mihi videtur eorum ſententia, qui exiſtimant S. Matthæum genealogiam naturalem Joſephi, ac ſubinde Chriſti: Lucam vero tantum Legalem ſcripſiſſe. Ita poſt S. Juſtinum Martyrem ſenſit Julius Africanus in Epiſtola ad Ariſtidem, quam nobis ſervavit Euſebius Lib. I Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. VII. ubi inter cætera ſcribit. „ Cum igitur velut Scopus „ nobis propoſitus ſit Joſephus, explicandum nobis eſt, quomodo uterque pater „ illius eſſe dicatur, tam Jacob, qui ea Salomone, quam Heli, qui ex Nathan originem ducit: ac præterea, quomodo iſti „ duo Jacob & Heli fratres fuerint. Deinde qua ratione horum patres Matthan „ & Melchi diverſo genere prognati, avi „ Joſephi fuiſſe probentur. Matthan & „ Melchi cum eandem uxorem, alter poſt „ alterum habuiſſent, liberos ex ea, qui „ uterini fratres erant, ſuſceperunt. Quippe Lex non vetabat, ne mulier vidua, „ ſeu repudiata, ſeu viro ipſius mortuo, „ alteri nuberet. Igitur ex Eſtha (hoc enim „ mulieris nomen fuiſſe accepimus) primus „ Matthan, qui a Salomone genus ducebat, Jacobum filium ſuſtulit. Poſt Matthanis autem interitum, Melchi, qui ad „ Nathanem originem referebat; cum ex „ eadem Tribu ſed diverſa familia editus „ eſſet, ut antea diximus, uxorem eam „ ſortitus, Heli filium ſuſcepit. Hoc modo Jacob & Heli, licet diverſo genere „ prognatos, uterinos fratres reperiemus; „ quorum alter, Jacob ſcilicet, cum frater ipſius Heli ſine liberis deceſſiſſet, viduam ejus conjugem ſibi accipiens, tertium ea ea Joſephum genuit, naturali „ quidem ratione filium ſuum. Unde etiam „ ſcriptum eſt: *Jacob autem genuit Joſeph.* „ Sed ſecundum Legem filius erat Heli, „ quippe cum ejus ſemen Jacobus frater „ ſuſcitaſſet. Proinde nec generis per eum „ deducta ſeries, vana ac futilis deprehendetur; quam Matthæus quidem recenſens, *Jacob*, inquit, *genuit Joſeph.* Lucas „ vero e contrario a filiis ad parentes aſcendens: *Jeſus*, inquit, *qui erat, ut putabatur* (hoc enim diſerte addit) *filius Joſeph, qui fuit Heli, qui fuit Melchi*. Neque enim poterat diſertius exprimi fictitia illa generandi ratio, quæ ex Lege profecta eſt. Ideo in hujuſmodi liberorum „ generatione, verbum iſtud, *genuit*, ad „ finem uſque reticuit, cum ad ipſum uſque Adamum, qui fuit Dei, gradatim „ aſcendendo, totius generis ſeriem perduxiſſet. Neque vero id certa ratione deſtitutum, aut temere confictum eſt. Cognati enim Salvatoris noſtri, ſive ad „ oſtendendam generis ſui nobilitatem, ſive „ ut ſimpliciter rem docerent, veraci utique ſermone hæc nobis tradiderunt. „ *Hæc Africanus*, cujus ſententiæ ſcopus eſt, oſtendere Jacobum fuiſſe fratrem uterinum Heli, ex una eademque matre Jeſcha; quæ cum ex Mathat genuiſſet Heli, jam vidua nupſerit Mathano, & procreaverit Jacobum. Cum autem Heli ſine liberis defunctus eſſet; ex præſcripto Legis Deuteronom. XXV. de ſuſcitando ſemine fratri, uxorem Heli duxit Jacob ejus uterinus frater, & ea ea procreavit Joſephum; naturalem quidem ſuum, Legalem autem Heli filium: Sicut Booz ea Rutha, Mahalonis vidua, genuit Obed; naturalem ſuum, Mahalonis vero filium Legalem.

At, inquies, ſi Joſephus fuiſſet filius Legalis Heli, debuiſſet ejus nomine appellari: Nam Deuter. XXV. in deſcriptione Juris & Exercitii Leviratus, videtur præcipi, ut primogenitus ſuſcitatus fratri defuncto, nomen ejus ſortiatur. [a] Verum ut egregie docet S. Auguſtinus, „ hac Lege conſtituitur, non ut filius procreatus nomen defuncti patris, cui ſuſcitatur, obtinear; „ ſed quod ille non ſine poſteritate mortuus eſſe videatur: & ideo permanet ejus „ nomen, hoc eſt memoria. Neque enim „ etiam ſi ipſe filium genuiſſet, nomen „ ſuum ei fuerat impoſiturus, ut nomen „ ejus non deleretur ex Iſrael; ſed ex hoc „ utique non deleretur, quia non ſine liberis ex hac vita emigraret: & hoc jubetur in ejus uxore frater ejus implere „ quod ille non potuit. Nam & ſi frater non „ fuiſſet, & propinquus ducebat uxorem ejus „ qui ſine filiis mortuus eſſet, ad ſuſcitandum ſemen fratri ſuo: ſicut fecit Booz „ ducendo Ruth, ut ſemen excitaret propinquo ſuo, cujus fuerat illa uxor, nec de „ illo pepererat: & tamen qui de illa natus eſt, ex nomine quidem defuncti conſtitutus eſt, quia filius ejus eſt dictus: „ atque ita factum eſt ut nomen defuncti „ non deleretur ex Iſrael, nec tamen ejus „ nomine appellatus eſt. *Hæc S. Auguſtinus.*

[a] *Quæſt. XLVI. ſuper Deuter.*

Nonnihil tamen peccat Africanus in hac recenſione, præſertim dum ait in generatione illa Chriſti quam refert S. Lucas, tertium eſſe Melchi: Nam in Evangelio S. Lucæ tertius nominatur Mathat, avus ſcilicet Joſephi, Melchi vero quintus, atavus ſcilicet Joſephi. Itaque aut Africanum me-

moria lapſum eſſe dicendum eſt, aut certe in codice Evangelii quo uſus eſt Africanus Melchi ſcriptum fuiſſe pro Mathat: quæ eſt conjectura Bedæ in cap. III. Lucæ. Certe Gregorius Nazianzenus in Carmine 38. de Chriſti Genealogia, Africanum ſequens Melchi pro Mathat poſuit, & Ambroſius in Lib. III. Commentariorum in Lucam.

Ibidem v. 8. *Joram autem genuit Oziam*: At IV. Reg. VIII. I. Paralip. cap. III. *Joram genuit Ochoziam, Ochozias genuit Joas, Joas genuit Amaſiam*: Hic vero Oziam alio nomine Azariam genuit. *Reſp.* Joram genuiſſe Amaſiam generatione non immediata, ſed mediata; quo ſenſu Nepotes ab Avis dicuntur geniti; & omnes homines ab Adamo Protoparente procreati. Quare autem tres illi Reges intermedii, fuerint ab Evangeliſta prætermiſſi, diximus *pag. 667.*

Ibidem, *Joſias autem genuit Jechoniam in tranſmigratione Babylonis*: At II. Paralip. cap. XXXIV. v. 8. *Colligam te ad Patres tuos & infereris in ſepulchrum tuum in pace; nec videbunt oculi tui omnem malum quod ego inducturus ſum ſuper locum iſtum.* Itaque filios non genuit in illa tranſmigratione, quæ nonniſi poſt ejus mortem contigit. Tranſmigratio enim facta eſt tertio menſe Regni Jechoniæ, IV. Reg. XXIV. Itaque inter natalem diem Joachim & tranſmigrationem interfuerunt triginta ſex anni. *Deinde* Joſias non genuit Jechoniam, ſed Joachim, qui fuit pater Joachin, ſeu Jechoniæ Joſias enim quatuor genuit filios; primus fuit Johanan, ſecundus Eliakin, qui Joakim, tertius Joachas, qui & Sellum, quartus Sedecias, qui & Matanias. Porro Joachas, licet tertio genitus, proxime in Regno ſucceſſit Joſiæ patri occiſo; ſed amovit eum Pharao Rex Ægypti, eique ſuffecit fratrem ſecundo genitum, puta Joakim: hunc poſt undecim annos Regni cœpit & occidit Nabuchodonoſor Rex Babylonis, eique ſubſtituit filium nomine Joachin: quem poſt tres menſes in Babylonem abducens, ſubrogavit ei in Regno Patruum, puta Sedeciam, quem tandem rebellantem abduxit, & excæcavit, in eoque deſiit Stirps Regia Davidis.

Reſp. I. *In tranſmigratione* idem eſſe ac *ſub tempus tranſmigrationis*, cum videlicet peccata Judæorum maxime Deum urgerent ad vindictam, ut illos perduelles exilio, & captivitate plecteret. Porro tranſmigratio Judæorum in Babylonem fuit triplex: Prima enim contigit anno undecimo Joachin Regis, in qua abductus fuit Daniel & Ezechiel: Secunda contigit poſt tres menſes, in qua cum Rege Joachin, filio Joakim, abductus fuit Mardochæus, patruus Eſther: Tertia & generalis; accidit poſt undecim annos, ſcilicet anno undecimo & ultimo Sedeciæ Regis, qua pene omnes reliqui abducti ſunt.

Ad ſecundum, Cenſent Interpretes filium Joſiæ, & patrem Joachin, ſeu Jechoniæ, dictum fuiſſe etiam Jechoniam. Quare hic ſupplenda videtur una generatio, addendumque ante verſum 12. *Jeconias autem genuit Jechoniam*, uti ferunt nonnulli Codices Græci & Latini; tametſi Joachim Joſiæ filius in Veteri Teſtamento nullibi dicatur Jechonias; ſolus enim hoc nomine donatur Joachin I. Paralip. cap. III. v. 16. Cenſerem ego prætermiſſum eſſe illum Joachim, ſive ab ipſo S. Matthæo, ne ſcribendo Joachim & Joachin videretur idem repetere, uti exiſtimat S. Auguſtinus; ſive potius Scriptorum vitio & ignorantia, putantium ſcilicet eundem eſſe Joachim & Joachin, quare alterum quaſi redundantem expunxerunt. Ita S. Epiphanius adverſus Epicureos. Affirmat etiam Stapulenſis vetuſtiſſimum quoddam exemplar Evangeliorum ita habere: *Joſias genuit Joachim, Joachim autem genuit Jechoniam.*

Ibidem v. 12. *Poſt tranſmigrationem Babylonis Jechonias genuit Salathiel.* At quomodo potuit Jechonias poſt tranſportationem Babylonicam, ſeu in ipſa captivitate filios procreare, cum in carcere vinctus fuerit? *Reſp.* Hanc generationem non contigiſſe tempore Nabuchodonoſoris, qui erga Joachin acerbiſſime ſemper egit quandiu fuit in vivis, at illo mortuo, Evilmerodhac ejus filius Joachin eduxit e carcere, *& poſuit thronum ejus ſuper thronum Regum qui erant cum eo in Babylone* IV. Reg. cap. XXV. v. 27. quo tempore Joachin, cum libere ageret, haud dubie filios genuit, qui ideo *in Terram, quam ignorabant, projecti* fuiſſe dicuntur Jerem. XXII. 28. Quia nempe captivi nati ſunt: Nam tempore tranſmigrationis, etſi Jechonias uxorem habebat, IV. Reg. XXIV. 15. tamen credibile eſt nondum filios habuiſſe. Alioquin Nabuchodonoſor, non Mathaniam ejus patruum, ſed aliquem potius ex ejus filiis Regem pro ipſo conſtituiſſet IV. Reg. XXIV. 17. & II. Paralip. cap. XXXVI. v. 8

Ibidem, *Salathiel autem genuit Zorobabel*: Iſta non cohærent cum I. Paralip. cap. III. v. 19. ubi Zorobabel dicitur *Filius Phadaiæ* fratris Salathielis. Reſpondet Alphonſus Toſtatus, Zorobabelem iſtum, de quo in Paralipomenis, non eſſe eundem cum eo qui filius Salathielis a Matthæo conſtituitur, ſed alium cognominem ex Pedaja genitum: rationem affert; quia Zorobabel a S. Matthæo commemoratus, dicitur genuiſſe filium Abiud: At I. Paralip. cap. III. inter filios Zorobabelis, nullus nominatur Abiud, ſed Meſullam, Hananias, & alii; ſed parum videtur probabile diverſos fuiſſe Zorobabeles, quorum mentio in Paralipomenis & apud Matthæum. Quamobrem, omiſſis aliis ſolutionibus, veroſimiliorem eam exiſtimo, quæ tradit Salathielem fuiſſe Jechoniæ primogenitum, qui cum abſque liberis fuiſſet extinctus, probabile eſt Phadajam fratrem ejus pro jure Leviratus ducta Salathielis uxore, ſemen ei ſuſcitaſſe, & ſic Zorobabelem ab illo genitum, cenſeri filium Salathielis, quaſi ab eo fuiſſet procreatus. Quamobrem etiam Eſdras cap. III. v. 2. ut & Aggæus cap. I. v. 1. Zorobabelem non Phadajæ, ſed Salathielis filium faciunt, quos dubio procul etiam ſecutus

Mat-

Matthæus: tametſi enim Phadaja filius naturalis fuerit, Legalis tamen fuit Salathielis.

Ibidem v. 13. *Zorobabel autem genuit Abiud:* At I. Paralip. cap. III, v. 19. ubi recenſentur filii Zorobabel, nullus apparet Abiud: Legimus enim *Zorobabel genuit Moſallam, Hananiam, & Salomith ſororem eorum; Haſabam quoque & Obol, & Barachiam, & Haſadiam, & Joſabbeſed, quinque.*

Hujus nodi ſolutio negotium non modicum faceſſit Interpretibus. Reſpondent enim aliqui, Moſollam fuiſſe binominem, & vocatum etiam Abiud. Aliqui putant Haſubah vel Ohel poſteritatem, quæ non deſcribitur in Paralipomenon Lib. a Matthæo recenſeri. Alii arbitrantur Zorobabelem, præter filios, quorum nomina habentur primo Paralipomenon Libro, adhuc habuiſſe alios, & inter illos Abiud, cujus Genealogia texitur a Sancto Matthæo. Addit Spanhemius, & ex eo Waltherus Genealogiam a Matthæo contextam, & ad Joſephum deductum per Abiud, fuiſſe quidem hominum e Davidis familia deſcendentiom, ſed obſcurorum admodum, & redactorum ea ſingulari Dei diſpenſatione ad ſtatum privatum & conditionem vilem & abjectam: & quia iſta declinatio facta eſt ſtatim in Abiud, inde forte factum quod nec illius, nec poſterorum ejus Majorum Joſephi, obſcuram prorſus vitam agentium meminerit Scriptor ſeriei genealogicæ in Paralipomenis, ſed illos deſcripſerit, qui tum temporis in majori dignitate & æſtimatione erant conſtituti.

Si vero quis requirat unde S. Matthæus hanc Genealogiam Abiud & omnium ex eo ad Joſephum uſque deſcendentium texuerit. *Reſponſio* communis eſſe poteſt, id accepiſſe a Spiritu Sancto dictante, qui ei in conſcribendo Evangelio peculiari afflatu & inſtinctu adfuit. Verum quoniam hoc reſponſo non fieret ſatis argutiis & cavillis Judæorum, & Paganorum; reponerem S. Evangeliſtam hanc Genealogiam ſcripſiſſe ex Tabulis Genealogicis Judæorom, in quibus illæ ſolebant ſumma diligentia, & conſcribi & aſſervari; præſertim vero eorum qui erant oriundi, ſive ex Tribu Juda, ſive ex Tribu Levi: Ex Tribu Levi quidem, ne Sacerdotium quiſquam invaderet, qui non eſſet ex Tribu illa, cui peculiari ratione Deus honorem illum deſtinaverat: Ex Tribu Juda vero, ob Meſſiam ex illa naſciturum.

Quia autem promiſſio generalis poſtmodum reſtricta fuit ad domum Davidis, dubium non eſt, quin poſterorum Davidis quorumcumque major fuerit habita ratio quam aliorum, ut conſtaret qui a Davide, qua linea, & quo gradu deſcenderent.

Nam a Judæis conſcriptas fuiſſe in Tabulariis publicis origines & propagationes familiarum, uti rem exploratam & perſpectam, conſtantiſſime tradit Africanus apud Euſebium, „ adjiciens, qualiter Herodes „ priſcas illas Iſraelitarum familias nihil ad „ ſe pertinere intelligens, ignobilitatis ſuæ „ conſcientia ſtimulatus, omnia illa Familiarum monumenta concremavit; ratus „ ſe tum demum Nobilem viſum iri, cum „ nemo eſſet qui ea publicis monumentis „ originem generis ſui ad Patriarchas poſſet „ referre. Tametſi hanc narrationem non„ nihil peccare exiſtimem: „ nam ut appoſite advertit Valeſius ad hunc locum, Joſephus in Libro de Vita ſua originem & antiquitatem ſtirpis ſuæ commemorans, ex publicis Archivis eam repetit. Igitur reſtabant adhuc ætate Joſephi publica Tabularia, in quibus Judaicarum familiarum origines continebantur. Ac proinde falſum eſt Herodem ea omnia combuſſiſſe. Porro hæc tabularia erant in Templo Hieroſolymitano ſub cuſtodia Scribarum, ut equidem exiſtimant rerum Judaicarum Scriptores. Itaque optime Rufinus verba Africani ita vertit: *Omnes Hebræorum generationes deſcriptæ, in Archivis Templi ſecretioribus habebantur.*

Cenſerem igitur ejuſmodi tabulas extitiſſe inter Judæos, etiam temporibus S. Matth. & illum inde aliqua derivaſſe, quæ in hoc capite proponit. Cum enim hoc ipſo catalogo Judæos convincere vellet, Chriſtum natum ex poſteritate Davidis, utpote oriundum ea Matre deſponſata Viro de domo Davidis, nec tamen in omnibus ſecutus fuerit ſeriem genealogicam, prout extat in Veteri Teſtamento inde a Zorobabele; dubium non eſt, quin ejuſmodi tabulas deſcripſerit, quæ & veritatem continerent, & quarum auctoritas eſſet indubitata inter Judæos: Alioquin ſcopum ſuum non attigiſſet, & ſine cauſa obnoxium ſe feciſſet cavillis hoſtium Chriſtiani nominis, ut qui ſtatim in limine adeo graviter impegiſſet: & ſic totum ſuum de Chriſto Evangelium ſuſpectum reddidiſſet. Niſi ergo Genealogia hæc ex publicis documentis tunc temporis inter Judæos notis petita fuiſſet, Judæi Chriſti Domini adverſarii hanc invehendi in Evangelicam ipſius Hiſtoriam occaſionem avide arripuiſſent.

Cap. III. v. 15. *Ego debeo a te baptizari, & tu venis ad me!* Verba ſunt S. Joannis Baptiſtæ, quibus dat intelligi ſe noviſſe divinam Chriſti majeſtatem & ſanctitatem etiam antequam ab eo baptizaretur: At Joann. I. v. 33. *Et ego neſciebam eum, ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit, Super quem videris Spiritum deſcendentem, &c.* Reſpondet S. Auguſtinus a Joannem equidem noviſſe Chriſtum eſſe Meſſiam, etiam ante baptiſmum; ea ſigno autem illo viſibili cognoviſſe inſuper aliud, quod propria quadam excellentique poteſtate baptizaret, ut ſoli ipſi baptiſmi ſanctitas tribuatur. At magis probatur expoſitio S. Chryſoſtomi, Euthymii, & Theophylacti: *Non noverat ipſum*, id eſt, ex familiari conſuetudine, & amica converſatione, antequam Chriſtus ipſe accederet ad baptiſmum; quippe cum Chriſtus in Ægypto & Nazareth, Joannes vero in deſerto ab infantia ſteriſſet. Simul autem atque vidit eum accedentem ad baptiſmum, divino afflatu cognovit illum ipſum eſſe ad cujus præſen-

a *Lib. 2. de conſenſu Evangel. Cap.* 15.

tiam exultaverat in utero Matris; quem in medio Judæorum ſtare, nec tamen ab eis cognitum; cujus non eſſet dignus ſolvere corrigiam calceamenti; & quem poſt ſe venturum, & in Spiritu, ac igne baptizaturum prædicaverat. Quemadmodum olim Samuel, ait Rupertus, certo ſciebat inter filios Iſai, unum eſſe qui in Regem ungendus erat, eum neminem eorum ex facie cognoviſſet: At ſimul atque Davidem vidit, Deo revelante, eum eſſe cognovit quem ungere deberet. Brevius, noverat antea Joannes Chriſtum cognitione interiori & inchoata: At novit etiam notitia exteriori, & interiori pleniſſime confirmata & conſummata, dum (quando baptizaretur Chriſtus) vidit cœlos apertos, & Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam in eum, quæ manifeſtatio externa internæ revelationi & illuminationi conjuncta, eum induxit ut Chriſtum vere Meſſiam affirmaret, & Agnum Dei, qui Mundi peccata tolleret.

Cap. IV. v. 2. *Cum* (Chriſtus D.) *jejunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus, eſuriit; & accedens tentator*: At Lucæ I. v. 2. *Agebatur a Spiritu in deſertum diebus quadraginta, & tentabatur a Diabolo*: quibus ſignificat Chriſtum a Dæmone tentatum, non poſt quadraginta jejunii dies, ut ait S. Matthæus, ſed toto ipſo jejunii & ſolitudinis tempore. Inſuper SS. Matthæus & Lucas variant in ordine tentationum; quam enim ille tertiam, eam hic ſecundam recitat. Reſp. *quadraginta dies* ita ſcriptum a S. Luca, ut poſſit vel ad ſuperiora verba, nimirum *agebatur in deſertum, &c.* vel ad inferiora & ſequentia ſcilicet *tentabatur, &c.* referri. Certe Origenes, vel quiſquis fuit alius Auctor Homil. XXIX. ita legit, ut ſentiat Chriſtum quadraginta diebus tentatum; nec abhorret ab hac ſententia quod ſcribit S. Marcus I. 13. *Erat in deſerto quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & tentaba-*
a Lib. 2. de conſ. Evang. cap. 4. *tur a Satana*. Unde S. Auguſtinus a, Beda,
b Lib. 1. in Marc. b & alii plerique Interpretes exiſtimant præter tres celebres illas tentationes, Chriſtum per dies quadraginta, alias leviores, veluti præludia, fuiſſe perpeſſum. *Ad ſecundum*, Dicit S. Auguſtinus ibidem cap. 16. *Ad ſummam rei nihil intereſſe, nec aliquid deperire veritati. quod unus Evangeliſta eaſdem ſententias aliis verbis, & alio interdum ordine, quam alter, explicat, dum manifeſtum ſit omnia illa, quæ ſcribuntur, eſſe facta.*

Ibidem v. 17. *Exinde cœpit prædicare, &c.* nimirum cum audiſſet Joannis Baptiſtæ detentionem & incarcerationem: At Joannis III. v. 22. Chriſtus ſimul cum Joanne baptizabat: unde facta eſt contentio inter Diſcipulos Chriſti & Joannis; ſubindeque prædicabat ante Joannis incarcerationem. *Reſp.* S. Matthæum prætermiſiſſe ea quæ tribus primis capitibus narrat S. Joannes: hic enim ſolus recenſet ea quæ Chriſtus D. egerit poſt ſuum baptiſmum, & antequam ejus præcurſor Joannes in vincula conjiceretur; quamobrem S. Matthæus non negat Chriſtum D. antea prædicaſſe & baptizaſſe; ſed tantum indicat illum eo munere præſertim functum eſſe cum jam S. Joannes miniſterium iſtud implere non poſſet. Si vero quis requirat quamobrem S. Joannes, prædicante Chriſto, ab utroque munere non deſierit. Reſpondent S. Chryſoſtomus, Theophylactus, & Euthymius; ideo non deſtitiſſe, ut ſemper aliqui ad ſe venirent, eoſque baptizatos a ſe, & quodammodo initiatos, mitteret ad Chriſtum. Inſuper ſi deſiiſſet, majore adverſus Chriſtum æmulatione ejus Diſcipuli concitarentur, quaſi cauſa eſſet, ut ipſorum Præceptor minus inclareſceret, & ab officio ceſſaret. Si enim tam ſæpe ab eo moniti ſe nonniſi aqua baptizare; Chriſtum vero Spiritu ſancto baptizaturum, in eoque jam baptizare; nihilominus tamen invidebant Chriſto: quid facturi eſſent ſi baptizare deſiiſſet? Adde, inquiunt iidem Authores, quod ſi baptizare ceſſaſſet, indignatione quadam, quod Chriſtus etiam baptizaret, feciſſe videretur. (1) (1)

Cap. VIII. v. 5. *Acceſſit ad eum Centurio*: At Lucæ VII. v. 3. *Miſit ad eum Seniores*, & v. 6. *Miſit Amicos* Reſpondent communiter Interpretes, Centurionem ad Chriſtum acceſſiſſe, cum ad eum Amicos & Seniores delegavit; quæ enim quis per Legatos ſuos dici vel geri curat, ea ipſemet dicere aut gerere perhibetur, haud aliter ac ſi ipſe præſto eſſet. Verum probatur magis S. Chryſoſtomi & Theophilacti Reſponſio, Centurionem *Primo*, delegaſſe Seniores ad Chriſtum, deinde Amicos ſuos; tandem, cum Chriſtus D. non longe abeſſet a domo, ipſemet ei proceſſit obviam.

Ibidem v. 20. *Occurrunt ei duo Dæmonia habentes*: At Marci V. 22. *Occurrit de monumentis homo in ſpiritu immundo*: S. Lucas ſimiliter cap. VIII. v. 27. unius tantum meminit. *Reſp.* SS. Marcum & Lucam unius dumtaxat Dæmoniaci meminiſſe, quia hic famoſior & truculentior erat, utpote eum in eo integra Dæmonum legio hoſpitaretur; quamobrem alterius Dæmoniaci liberatione prætermiſſa, illuſtre Chriſti miraculum in hujus curatione potiſſimum enarrant, multaque de eo recenſent quæ S. Matthæus prætermiſerat. (2) (2)

Cap. X. v. 10. Prohibet Chriſtus Apoſtolis quos ad Prædicationem delegat, ne habeant in via *pecuniam, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam*: At Joan. XIII. v. 23. Chriſtus ipſe excipiebat loculos, eos ſervante Juda, in Apoſtolorum victum & ſubſidium: ſimiliter Chriſtus plurima veſtimenta habebat, Joann. XIX. v. 23. Etiam Marci VI. v. 8. permittit virgam, & v. 9. uſum ſandaliorum. *Reſp. ad primum*, Chriſtum in prima illa delegatione ad Judæos. Diſcipulis interdixiſſe uſum pecuniæ, ut expeditius ſuo munere defungerentur, quia noverat eis neceſſaria ab auditoribus eſſe copioſe miniſtranda: quamobrem Lucæ XXII. v. 36. de prima hac Prædicatione & velitatione loquens, ait, *Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? & illi*

dixe-

dixerunt nihil. Aliunde vero, quia Apoſtolico cœtui miniſtranda erant neceſſaria ad victum & veſtitum, permiſit acceptationem & uſum pecuniæ, urgente neceſſitate impendendæ. *Ad ſecundum* dico, eum non prohibere ne quis duas tunicas ſimul habeat neceſſitatis & frigoris pellendi cauſa; ſed ne divitum inſtar plures mutatorias, & citra neceſſitatem veſtes habeat. *Ad tertium*, Vetat calceos qui totum pedem tegant, oon ſandalia quæ plantam pedis muniunt, ne in ſaxa impingant; cum enim Judæa aſpera & ſaxoſa eſſet regio, eaque calida, ſufficiebant ſandalia quæ pedis plantam protegerent. *Ad poſtremum* Vetat uſum virgæ, imperatoriæ, & defenſoriæ, non ſuſtentatoriæ, & portatoriæ. Triplex enim eſt uſus virgæ: primus in ſignum poteſtatis & juriſdictionis. Sic Pſal. XLIV. *Virga æquitatis, virga regni tui*. Secundus, defenſorius & vindicatorius, Pſ. LXXXVIII. *Viſitabo in virga iniquitates eorum*. Tertius, portatorius, quo pauperes innixi ſolent incedere ad fatigationis levamen. Duos priores uſus virgæ vetat Apoſtolis, quos mittebat ſicut oves in medium luporum; poſteriorem vero permittit.

Cap. XI. v. 8. *Venit Joannes, neque manducans, neque bibens*: At cap III. v. 4. *Eſca autem ejus erat locuſtæ & mel ſylveſtre*. Reſp. Joannem Baptiſtam veriſſime quidem dici non manducaſſe, neque bibiſſe, aut quia parciſſime victitabat, quaſi nullo potu & cibo reficeretur, juxta illud vulgare, parum reputatur pro nihilo: aut quia non more aliorum hominum, ſed veluti feratum inſtar vivebat locuſtis, herbis & radicibus. Ideo apud S. Lucam cap. VII. v. 33. ſignanter dicitur *neque manducans panem, neque bibens vinum*, potu & victu apud homi-
(3) nes uſitatis. (3)

Cap. XIV. v. 15. *Veſpere autem facto, acceſſerunt ad eum Diſcipuli ejus, dicentes... Dimitte turbas*: At v. 24. *Veſpere autem facto ſolus erat ibi*. Reſp. Veſperam apud Judæos fuiſſe duplicem; unam *Solis*, qua incipit declinare ad Occidentem; alteram *Luminis* quod poſt Solis occaſum aliquandiu refulget, uti diſerte tradit R. Aben-Ezra. *Ecce*, inquit, *ſunt duæ veſperæ una veſpera Solis, hoc eſt tempus quo occidit Sol & abſorbetur ſub terram. Veſpera ſecunda eſt lux, ſplendor, ſive irradiatio illa, quæ poſt occaſum ejus in nubibus aliquando apparet. Durat autem hoc tempus, quod eſt inter occaſum Solis & irradiationem ejus in nubibus, ad integram horam tertiamque ejus partem*. De priori veſpera ſermo fit in primo textu:
(4) de poſteriori in ſecundo. (4)

Cap. XV. v. 22. mulier quæ Chriſtum exorat, ut filiam a Dæmone vexatam liberare dignetur, dicitur *Chananæa*: At Marci VII. v. 26. appellatur *Syrophœniſſa* & [illegible], id eſt *Græca*. Reſp. Mulierem illam triplici hac appellatione dictam, ratione proſapiæ, Religionis, & habitationis, ſeu patriæ: ratione quidem *proſapiæ*, dicta eſt *Chananæa*, non a Cana majori, quæ urbs in Phœnicia erat contermina Tribui Azer, Joſue XVIII.; ſed a poſteris Chanaan: Chananæi enim fuere populus unus e ſeptem, qui Palæſtinam juxta mare, ut patet Numer. XIII. v. 30. olim incoluere, & ab Hebræis, Duce Joſue, fuere expulſi ſed non ex toto; nam aliqui ſuperſtites fuerunt, & manſerunt in Phœnicia, puta in Tyro & Sydone, a Chanaanis poſteris conditis; nam Chanaanis primogenitus filius, vocatus eſt Sydon, & Sydonis urbis conditor, Geneſ. X. v. 15. Quamobrem Sydonii *Syrophœnices* dicti ſunt, compoſito nomine, quia Phœniciam incolebant, ut diſtinguerentur ab aliis Phœnicibus, qui non in Syria, ſed in Africa habitabant, dictique ſunt *Libyephœnices*, id eſt Phœnices habitatores Libyæ. Quamobrem hæc mulier dicta eſt *Syrophœniſſa*, quod Phœniciam Syriæ partem incoleret; unam enim partem Syriæ fuiſſe Phœniciam Plinius [a] & Strabo [b] auctores ſunt, Phœniciam autem eam fuiſſe oram ubi conditæ erant Tyrus & Sydon, iidem docent. Tandem vocatur *Græca*, ratione religionis, quod Gentilis eſſet; nam in Novo Teſtamento, maxime apud S. Paulum ad Rom. VII. v. 17. Gal. III. v. 28 omnes Gentiles vocantur *Græci*: atque etiam quia Græci olim dominabantur Phœniciæ, & Syriæ: ideoque Lingua eorum Græca latiſſime, & ad Syriam uſque propagabatur.
Ita S. Auguſtinus Epiſt. 200. (5) (5)

[a] lib. 5. cap. 12.
[b] lib. 6.

Cap. XXI. v. 19. *Et videns fici arborem unam ſecus viam, venit ad eam; & nihil invenit in ea niſi folia tantum, & ait illi: Numquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum, & areſacta eſt continuo ficulnea: & videntes Diſcipuli mirati ſunt, dicentes: Quomodo continuo aruit?* At Marci XI. v. 13. *Cumque vidiſſet a longe ficum habentem folia, venit ſi quid forte inveniret in ea; & cum veniſſet ad eam, nihil invenit præter folia: non enim erat tempus ficorum*: ubi tria pugnare videntur I. Namque Matthæus dicit ficum fuiſſe ſecus viam; Marcus vero a longe conſpectam. Addit Marcus tunc nondum adveniſſe tempus fructuum: quorſum igitur intempeſtiva illa fructus poſtulatio, & quod non adeſſent, fulminata maledictio? III. Matthæus ait ficum maledictam continuo aruiſſe, atque miratos Apoſtolos, quod tam cito aruiſſet: Marcus vero innuit Apoſtolos iſtud die ſequenti deprehendiſſe. *Reſp.* Iſta minime pugnant; non *primum*, quia tametſi ficus illa fuerit ſecus viam, nihilominus potuit a longe conſpici priuſquam ad eam Chriſtus accederet: Neque *ſecundum*, quia Chriſtus rerum omnium ſupremus Dominus hanc arborem, tametſi nihil de ſe tale promeritam, ſua maledictione areſacere voluit, ut ſignum eſſet Judæis, quemadmodum Origenes in Matthæum XVII. interpretatur, quod Synagoga, arbor a Deo plantata & exculta, tandem propter infœcunditatem ſuam multo magis eſſet areſacienda & abjicienda. Hoc enim inter arbores & homines intereſt; quod arbores natura ſua nonniſi certo quodam anni tempore fructus ferre debent: homines vero toto vitæ ſuæ tempore tenentur bene-

fa-

facere. Tota vita nobis eſt æſtas, tota debet eſſe frugifera; nec quicquam nos præter voluntatem noſtram ſteriles facit. *Ad tertium* dico, quod tametſi fulminata Chriſti maledictione ficulnea continuo exaruerit, ejus tamen ariditas mane ſequenti fuit (6) manifeſtata Apoſtolis & turbæ. (6)

Cap. XXVI. v. 22. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis uſque in diem illum, cum illud bibam vobiſcum novum in Regno Patris mei*: At Actor. X. v. 41. teſtatur S. Petrus; *Manducavimus & bibimus cum illo, poſtquam reſurrexit a mortuis*. Reſp. Chriſtum a mortuis ſuſcitatum, exuta infirmitate & mortalitate corporis, ſæpe quidem cum Apoſtolis manducaſſe & bibiſſe in teſtimonium veræ ſuæ Reſurrectionis; non vero ut naturæ neceſſitati indulgeret: Significat ergo hac loquendi formula, mortem ſuam inſtare; ac deinceps ſe communi hominum more cum eis non converſaturum uti hactenus fecerat; tametſi poſt Reſurrectionem ſuam jam immortalis, atque ea ratione, in Regno Patris conſtitutus eſſet eis appariturus.

Cap. XXVII. v. 44. *Id ipſum autem, & Latrones qui crucifixi erant cum eo improperabant ei:* ubi utrique Latroni tribuitur quod probra dixerint Chriſto patienti. At S. Lucas cap. XXIII. v. 39. *Unus autem ex iis qui pendebant Latronibus, blaſphemabat eum*. Reſp. SS. Chryſoſtomum & Hieronymum exiſtimare utrumque Latronem initio Paſſionis Chriſto fuiſſe convitiatum, ſed alterum poſtea, viſa Chriſti patientia, & conſpectis tenebris, aliiſque portentis & miraculis, reſipuiſſe, atque ſocium increpaſſe, quemadmodum habet S. Lucas. Cæteri vero SS. Patres Ambroſius [a], Auguſtinus [b], Leo [c], & alii arbitrantur hæc a S. Matth. dicta eſſe per ſynecdochen, atque ſcriptum numerum pluralem pro ſingulari, quatenus ſignificaret omnium hominum conditiones in Chriſti Paſſionem & mortem conſpiraſſe, etiam & Latrones qui cum eo crucifixi erant. (7) (7)

Cap. XXVIII. v. 29. *Illæ autem* (piæ mulieres) *acceſſerunt, & tenuerunt pedes ejus*: At Joan. XX. v. 19. Chriſtus a mortuis reſurgens, dixit Magdalenæ, *Noli me tangere*. Reſp. Quod ſi ab utroque Evangeliſta eadem Chriſti facta mulieribus & Mariæ Magdalenæ apparitio commemoretur; veroſimile eſſe eas omnes ſimul ad Chriſti pedes proruiſſe, eoſque fuiſſe amplexatas: neque enim S. Joannes dicit Magdalenam Chriſti pedes non tetigiſſe, ſed Chriſtum illi dixiſſe, *Noli me tangere*, tametſi forte cum Chriſtus hæc diceret, cum jam illa tetigiſſet, ut nonnulli Interpretes, referente Maldonaro, ſentiunt. Si vero diverſa referatur apparitio, forte idcirco prohibita fuit Magdalena Chriſtum tangere, quia de ejus Reſurrectione, etiam teſtificante Angelo, dubitabat, & viventem cum mortuis adhuc quærebat.

a *lib. x. in Luc.*
b *lib. 3. de conſenſu Evang.*
c *in Sermone de Paſſione.*

AD CAPUT UNDECIMUM
QUOD EST PRIMUM NOVI TESTAMENTI
S U P P L E M E N T U M.

CAP. 5. S. Matthæi ℣. 17. = Non veni ſolvere legem, ſed adimplere = Hanc ſententiam, ſeu Chriſti proteſtationem omnibus ferme ejus dictis, & factis repugnare, continue nobis exprobrare non deſinunt obcæcati Rabbini; eo quod in aliis novi Teſtamenti Libris oppoſita prorſus legamus. Joannis equidem Capite I. ℣. 17. = Lex per Moſen, gratia per Chriſtum = Matthæi 9. ℣. 13. = Miſericordiam volo non ſacrificium = Joannis 8. ℣. 11. Adulteræ juxta Moſis legem condemnandæ Chriſtus dixit = Neque ego te damno = abrogavit tandem Chriſtus Circumciſionem, aliaque omnia, ſi quæ erant veteris Teſtamenti Sacramenta.

Reſp. Longe a veritate dilabi Rabbinos rerum Chriſtianarum ignoratione deceptos. Venit equidem filius Dei cum carne mortali non ad legem tranſgrediendam, vel reprobandam; ſed potius ad eam, perficiendam, cum figuris, & umbris, quibus ea innitebatur, figuratum, & [illegible] ſubſtituerit. Hoc totum evidentius redditur apud Criticos ſacros in hunc Matthæi locum duplex etenim ibi diſtinguitur jus, naturale ſcilicet quod perpetuum, immutabile, & omnibus commune eſt; & poſitivum, quod plerumque peculiare eſt, & mutabile, quale jus proprium cujuſque populi, ſeu nationis eſſe ſolet. Lex Moſaica cum unicæ Hebræorum genti data ſit, præter naturalia præcepta ex æternis divinæ ſapientiæ, & ſanctitatis fontibus derivata quædam habere debuit populo illi, ejuſque temporibus accommodata. Primi generis præcepta ſatis expreſſa legimus, ubi de amore in Deum, & proximum verba habentur, quæ poſtea explicatius in decem præceptis Decalogi proponuntur. Horum obſervatio mandatorum homines omnes ſanctificavit omni tempore, omnive ante Chriſtum ætate, qui poſtea in temporum plenitudine e Cœlo deſcendens nova, ac robuſtiora Sancti Spiritus auxilia, Sacramenta non inania, ſed gratiam ſanctificantem producentia ex Dei promiſſione, & pacto hominibus eſt elargitus, quibus homines Decalogi legem facilius, atque fœlicius obſervarent, ſeque a commiſſis in legem expiarent, ac tandem bonis inhærentes operibus beatam immortalitatem conſequerentur, quæ univerſæ legis finis eſt, atque ſcopus. Hoc itaque pacto Chriſtum ad legem implendam veniſſe teſtimonium de

ſe

ſe perhibet. Præcepta autem legalia Moſaicæ legis cum pro temporum populique conditionibus data eſſent, iis tranſactis, rebuſque immutatis præcepta illa ex ſua evaneſcere debuerunt natura, ſicut jus tempore belli conſtitutum ſtatim ceſſat, quo pax decreta eſt, & indicta. Falſum eſt ergo quod Rabbini contra Chriſtum, ejuſque diſcipulos calumniari moliuntur.

Eodem cap. ℣. 34. Chriſtus abſolute quodlibet vetat juramentum dicens = Ego autem dico vobis non jurare omnino = In Deuteron. cap. 6. ℣. 13. juſſi ſunt Iſraelitæ juramentum emittere per Dominum Deum ſuum.

Reſp. Ex communi Expoſitorum ſententia non quodlibet juramentum, neque ex cauſa quacumque exploſum eſſe a Chriſto actum religionis in juramento legitime emiſſo contentum. Ea ſententia Salvator noſter eorum Rabbinorum rejicere curavit errorem, qui homines a facilitate jurandi tantummodo abſterrebant, ſi formulis iis uterentur, quibus Deus nominabatur directe, minime vero de iis curam aliquam ſibi demandabant, qui per res minores uſu quotidiano jurarent. Chriſtus autem ſummæ veritatis Præceptor optimus pravum jurandi uſum, etiam per res alias a Deo improbat omnino, cum res Deo minores quodammodo Deum ipſum repræſentant, dum in jurejurando aſſumuntur in veritatis teſtimonium; quod & Ulpianus ipſe confeſſus eſt dum ſcripſit = qui per ſalutem ſuam jurat, Deum jurare videtur, reſpectu enim divini nominis jurat. Non ergo juramentum legitime factum, quod quidem actus religionis eſt, improbavit Chriſtus, ſed illam jurisjurandi conſuetudinem redarguit, quæ ſine judicio, juſtitia, & veritate adinvenitur.

Cap. 6. ℣. 1. = Ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis = Et ℣. 6. = Clauſo oſtio ora Patrem tuum in abſcondito = His opponuntur mehercle, quæ legimus Cap. 5. S. Matth. ℣. 16. = Luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona. =

Reſp. Non vetari a Chriſto, conſpici recte facta in Dei gloriam, aliorumve ædificationem, ut patet ex Exiſt. 2. Corinth. 8. ℣. 22. & Philip. 2. 15. atque Spanhemius exponit; ſed non vult hoc animo fieri opera bona, hoc fine, ut ab hominibus ſpectemur; non etenim Deo probari poſſunt, quæ ideo fiunt ut laus captetur, aut gratia; ita poſt S. Gregorium Magnum Homil. 12. *in Evangelia* hunc locum commentariis illuſtraut Lucas Brugenſis, & Schmidius.

(2) Cap. 8. ℣. 22. = Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos = Eccleſiaſtici autem 38. ℣. 16. legimus = Fili in mortuum produc lacrymas... & ſecundum judicium contege corpus illius, & non deſpicias ſepulturam illius =.

Reſp. Ex S. Ambroſio lib. 7. in caput 9. S. Lucæ. Chriſtum Dominum hoc in loco monuiſſe, quod rebus quibusvis humanis ſit valedicendum, cum ad divina vocamur. Alii opinantur Servatorem noſtrum de mortuis ſpiritaliter fuiſſe locutum; de iis ſcilicer, qui per ſeparationem a Deo mortui quo ad gratiam dicuntur; vel tandem de hominibus infidelibus, irregenitis, de Evangelii doctrina non ſoliciris; qui cum ſpiritaliter mortui ſint, relinqui poſſunt, ut ſuos ſimiles ſepeliant, nempe mortuos corpore, quia utrique, quamvis non eodem modo, mortui ſunt. Hanc expoſitionem poſt SS. Hilarium, Auguſtinum, & Chryſoſtomum exhibuerunt Beza, Cameratius, & Piſcator ex Proteſtantibus.

Cap. 9. ℣ 18. = Filia mea modo defuncta eſt = Hæc nequaquam cum verbis S. Marci Cap. 5. ℣. 23. & S. Lucæ Cap. 8. ℣. 42. quibus in extremis conſtituta deſcribitur puella, non tamen mortua, cohærentia reperiuntur.

Reſp. Ex Maldonato, quod Archiſynagogus eam jam eſſe mortuam conjecit, aut dolor ejus orationem exaggeravis. Alii autem a S. Matthæo ſtudio brevitatis eſſe prætermiſſum opinantur, quod accuratius ab aliis Evangeliſtis recenſetur; ille enim in ipſo exordio ponit, quod in progreſſu factum eſt. (3)

Cap. 12. ℣. 31. Spiritus blaſphemia non remittetur; verbum contra Spiritum Sanctum non remittetur neque in hoc ſæculo, neque in futuro = Nunquid in Dei Eccleſia aliquod eſt peccatum, de quo deſperanda ſit venia, contra toties replicata ſcripturarum oracula, quibus peccatori ploranti indulgentiam non iri denegatum aſſeritur?

Reſp. Nullum eſſe peccatum, cujus remiſſam homo corde verecontritus conſequi abſolute non poſſit, quamvis ordinarie loquendo, peccatum in Spiritum Sanctum nonniſi maxima cum difficultate deleatur. Spiritui Sancto munus ſanctificandi homines, Eccleſiam, quam ſibi Dei filius ſanguine ſuo acquiſivit, colligendi, atque æterno Patri per gratiam ſanctificantem in animabus diffuſam reconciliandi in Scripturis Sanctis potiſſimum tribuitur. Quicumque ergo miniſterium iſtud Sancti Spiritus aſpernatur, qui veritati cognitæ contradicit, qui Sacramenta contemnit, & alia Sancti Spiritus dona conculcat, odit, perſequitur; qui deſtinata malitia contra proprium animi ſenſum, contra habitantem in ſe Spiritum ſciens, & volens dimicat; nec ſibi perſuaderi patitur, quod refelli non poteſt, vix, aut ne vix quidem a ſuo peccato recedit, atque ad cor revertitur; neque propterea ob pravam ſui diſpoſitionem obdurationis, & excæcationis remiſſionem eſt conſecuturus.

Cap. 12. ℣. 40. Erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus = Certum eſt autem ſub terram vix duas noctes conſumpſiſſe Servatorem.

Reſp. I. Maldonatus ex Auguſtino, Hieronymo, Beda, aliiſque tradit hoc in loco Synecdochem haberi, qua pars pro toto ſup-

ſupponitur. Alii vero probabilius ajunt dixiſſe Chriſtum *tribus diebus & tribus noctibus*, ut dies naturales indicaret; cum enim Hebræi in ſua lingua vocum componendarum libertatem non habeant, hinc circumlocutionibus uti compelluntur, ac per phraſim iſtam *diei*, ac *noctis* diem naturalem exprimere ſolent. Græci autem diem hunc naturalem νυχθήμερον appellant; nil ergo aliud Servator noſter per ea verba ſignificatum voluit, quam quod τρεῖ νυχθήμερα in corde terræ, ideſt in ſepulchro quoad corpus, in partibus inferni quoad animam erat permanſurus. Ut autem id impleretur, ſatis erat, quod ſepultus eo temporis intervallo perſiſteret, cujus partes ad tria νυχθήμερα pertingerent, quamvis non explerent in integrum; ubicumque enim lex Moſis numerum dierum exponit, ut in circumciſione, receptum apud Interpretes etiam Semhoram unius νυχθήμερα diem facere.

Cap. 13. ℣. 28. Inimicus homo Zizania ſuperſeminaſſe perhibetur in agro. ℣. autem 39. ejuſdem Capitis Diabolus pravi illius ſementis auctor exponitur.

Reſp. Per hanc phraſim *inimicus homo* aliquem hoſtem in genere apud Hebræos ſignificari, quem poſtea Diabolum extitiſſe inferius exponit.

(4) Cap. 15. ℣. 9. = Sine causa colunt me docentes doctrinas, & mandata hominum = Capite autem 23. ℣. 3. legimus dixiſſe Chriſtum de eiſdem Phariſæis = Quæcumque dixerint vobis ſervate, & facite =.

Reſp. Phariſæos in dupliti aſpectu eſſe conſiderandos, in quantum ſcilicet Legis doctores, & zelatores erant, cujus obſervationem apud populum promovebant; & in quantum privatam perſonam geſtabant, quæ regulis morum & ipſa erat in ſuo officio continenda: dum itaque legem explicabant, recta utique populos edocebant; dum autem proprios mores dirigebant a lege deſciſcentes hominum documentis innitebantur; male igitur ſeipſos, optime alios erudiebant; unde Chriſtus facienda, quæ docebant admonuit; ſecundum autem opera eorum ſe gerere quempiam vetuit. Dum autem ait *docentes mandata hominum* intelligi poteſt *ſequenter*, & etiam alios exemplo ſuo edocentes.

(5) Cap. 17. ℣. 1. Poſt ſex dies a Chriſto ducti in montem excelſum referuntur Apoſtoli S. Lucas id poſt dies fere octo ſactum eſſe narrat Cap. 9. ℣. 28.

Reſp. Ex SS. Hieronymo, & Auguſtino Lib. 1. *de conſenſu Evangeliſt.* Cap. 56. a S. Matthæo recenſitos fuiſſe dies intermedios integros, omiſſos autem duos extremos primum ſcilicet, & octavum, quorum neuter completus fuit. S. Lucas autem omnes dies propoſuit, in quibus hiſtoricum hoc factum aliquam tenuit partem. Hoc ferme pacto hunc locum intelligunt etiam Maldonatus, Scultetus, & Camerarius.

Cap. 18. ℣. 7. = neceſſe eſt ut veniant ſcandala = Cur ergo ſubiungitur = væ homini illi, per quem ſcandalum venit =?

Reſp. Nullam prorſus ex neceſſitate a Chriſto indicata in hominum voluntates coactionem induci; mera neceſſitas eſt, ut ſcandala veniant, quæ tamen non a Deo, vel alia extrinſeca cauſa, ſed ab homine ipſo eſt, a voluntaria depravatione cordis, ab inclinationibus vulneratæ per peccatum originale naturæ, quibus tamen ſingillatim acceptis reſiſti poteſt; unde nec Deus peccatis involvitur ea permittendo, neque peccator injuſte punitur; cum nemo eſſe poſſit proximo in ſcandalum invitus, ſed vel per incogitantiam, ut ajunt, vel ſponte.

Cap. 19. ℣. 9. = Quicumque dimiſerit uxorem ſuam niſi ob fornicationem, & alteram duxerit mœchatur = Lucæ 16. ℣. 18. abſolute mœchus enunciatur, qui uxorem dimittit, & alteram ducit, nulla facta etiam fornicationis exceptione.

Reſp. Ex Catholicorum ſententia vinculum matrimonii prioris nequaquam diſſolvi, eſto repudium inter conjuges contingere queat propter adulterium, in ordine ad mutuam cohabitationem, & thorum; idque voluit S. Lucas, qui abſolute mœchum propterea enunciat quemcumque uxore ſua dimiſſa, cum altera contrahit. Minime nos fugiunt Græcorum, aliorumque defendentium conjugalis vinculi ſolutionem ex adulterio unius conjugis enaſcentem; ſed cum de hoc Polemici agant, atque a nobis alibi ſit diſputatum, in Notis videlicet *ad Dialogum tertium Libri poſterioris Antonii Auguſtini* Lucanæ Editionis, hinc ea omnia prætermus.

℣. 24. Ejuſdem Capitis 19. legimus facilius Camelum per foramen acus tranſiturum, quam dives ingrediatur Cœlorum Regnum. Nunquid tot Reges, & Principes Sancti non ſunt, quos veneratur Eccleſia, & Scriptura divina commendat?

Reſp. Chriſtum Dominum minime de divitibus abſolute eſſe locutum, ſed de iis qui opibus ſuis ita turgent, & tument, ut contemptis Chriſti pauperibus, turpi, & cæca auri aviditate inſimul adeo exagitantur, ut in eodem cor ſuum tanquam in ultimo fine defixum habere videantur. Cum autem pecuniæ amor in hominum mentem alte radices extendat, nonniſi maxima cum difficultate ab eadem divellitur; adeo ut merito dixerit Chriſtus facilius Camelum tranſiturum per foramen parvulum, quod acus efficit, vel quod ipſe habet, quam avarus dives anguſtam ſalutis portam introeat. Alii per *Camelum funem nauticum* intelligunt, ſive *rudentem*, ita Bochartus, Caſtalio, & Camerarius. Camelum autem animal Chriſto obſervatum eſſe dum eam protulit ſententiam, Eraſmus, Beza, Druſius, Grotius, Scultetus & alii poſt S. Hieronymum, Talmudiſtas, & Gemaræ Auctores, tuentur.

Cap. 23. ℣. 8. = Vos autem nolite vocari Rabbi = Quomodo ergo Apoſtolus in ſua ad Timoth. 1. Cap. 2. ℣. 7. Gentium *magiſtrum*, ſeu *Doctorem* ſe vocat? In Epiſtola pariter ad Corinth. 1. Cap. 12. ℣. 28. a Deo poſitos affirmat in Eccleſia Apoſtolos, Prophetas, & docto- (6)

res;

Digitized by Google

res; Nunquid aliud Chriſtus, aliud docet Paulus?

Reſp. Faſtum, ambitionem, atque ſuperbiam a Chriſto condemnari, non titulum in ſe non officium Doctoris, atque Magiſtri; illud Magiſterium, eamque auctoritatem excludit a ſuis diſcipulis, quam Scribarum, & Phariſæorum nonnulli, utcumque privati, ſibi vindicabant apud Judæos, qui ſcilicet quodcumque ſibi viſum eſſet docebant, atque nemini doctrinis ſuis ſeſe opponere licitum eſſe opinabantur. In Chriſti autem Eccleſia, hanc Doctorum tyrannidem eſſe non poſſe ipſemet Salvator admonuit, cum ea ſolummodo tradi queant fidelibus, quæ unus Magiſter Chriſtus tradenda commiſit. Doctores itaque ſunt in populo Chriſtiano, non quidem veluti dogmatum Auctores, ſicuti de ſe præſumebant Phariſæi; ſed veluti dogmatum revelatorum nuncii, cujuſmodi erat Apoſtolus Paulus, cæterique ſunt in Eccleſia Magiſtri. Ita locum iſtum poſt Auguſtinum, alioſque Catholicos, Beza, & Camero ferme exponunt.

Cap. 24. ℣. 36. = De die autem illa, & hora nemo ſcit, neque Angeli Cœlorum, niſi ſolus Pater = Nunquid & ea neſciebant Chriſtus Dominus, & Spiritus Sanctus?

Reſp. Per negativam illam *nemo* quaſcumque creaturas etiam excellentiores excludi, quales ſunt Angeli; Filius autem, & Spiritus Sanctus cum creaturæ non ſint, ſed Deus, in eadem minime comprehendi dicendi ſunt. Ita locum iſtum Evangeliſtæ Zegerus, & Lucas Brugenſis ex Euthimio commentati ſunt.

Cap. 28. ℣. 1. legimus = Veſpere autem Sabbathi, quæ luceſcit in prima Sabbathi (7)
venit Maria Magdalenæ, & altera Maria videre ſepulchrum = Marci autem cap. 16. ℣. 2. Scriptum eſt = Et valde mane una Sabbathorum veniunt ad monumentum; orto jam ſole = Joannes denique cap. 20. ℣. 1. refert mulieres ad monumentum veniſſe, cum adhuc tenebræ eſſent. Nunquid *mane* & *veſpere, & orto ſole*, & cum adhuc *tenebræ eſſent* eſt una, eademque temporis differentia?

Reſp. Ex S. Auguſtino lib. 3. *de conſenſu Evangeliſtarum* cap. 24. Per *veſperam* noctem ſignificari, cujus extremum eſt diluculum; proindeque ea nocte venere mulieres, quæ ſignificata eſt nomine veſperi; non poteſt autem dici veſpera lucens in prima Sabbathi, niſi nomine veſperi nox ipſa intelligatur, quam lux terminat. Uſitatus equidem loquendi modus Scripturæ eſt a parte, totum ſignificare, ac per hoc circa finem illius noctis venerunt, quæ ſignificata eſt nomine veſperi. Venerunt autem cum vel tantillum auroræ acceſſu dealbeſcere aer incipiebat, unde adhuc tenebræ erant, quia nondum clara dies; ortus autem erat Sol non ex integro, ſed in quantum ejus radii ſupra horizzontem quodammodo conſpici inceperant. Alii putant fœminas ipſa veſpera Sabbathi, cum ex more Judæorum primus dies ſeptimanæ initium caperet accinxiſſe ſe ad iter ſepulchrum verſus, in eo itinere emiſſe aromata, exiiſſe urbe, tota nocte hæſiſſe in ſuburbio, ut ſummo mane antequam urbis portæ aperirentur, & ab ullis conſpici poſſent ad ſepulchrum contenderent; ita Matthæus Poli in Criticorum Synopſi ad hunc Matthæi locum. W.

C A P U T XII.

Ex S. Marco.

§. I.

(1) CAP. 1. v. 24. *Quid tibi & nobis, Jeſu Nazarene? veniſti perdere nos; ſcio qui ſis, Sanctus Dei*: verba ſunt Dæmonis, quibus profitetur ſe noſſe Chriſtum: At I. Cor. II. v. 8. dicit Apoſtolus Principes hujus ſæculi (quos alibi Dæmones appellat) & eorum miniſtros non agnoviſſe Chriſtum. *Si enim cognoviſſent*, inquit, *numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*. Reſpondeo Dæmones cognoviſſe quidem Chriſtum eſſe Meſſiam; tum ex vaticiniis de Chriſto venturo, quæ longe perſpicacius quam homines noverunt impleta: tum ex S. Joannis Baptiſtæ Prædicatione, & deſignatione, *Ecce Agnus Dei, &c.* tum forte quia audierant vocem divini Patris, *Hic eſt Filius meus, &c.* tum denique ex prodigiis & miraculis, quæ Chriſtus ipſe in hujus veritatis confirmationem operabatur: hinc infra v. 34. *Non ſinebat ea loqui, quia ſciebant eum*: Et Lucæ IV. v. 41. *Exibant autem a multis Dæmonia, clamantia, & dicentia, quia tu es Filius Dei; & increpans non ſinebat ea loqui, quia ſciebant eum eſſe Chriſtum*. At iſta noverant tantum conjecturaliter, non certo & citra omnem dubitationem. Unde Dæmon Chriſti tentator ait, *Si Filius Dei es, &c.* Itaque loquitur S. Marcus de notitia conjecturali: Apoſtolus vero de notitia certa & indubitata.

Cap. II. v. 4. *David intravit in domum Dei ſub Abiathar Principe Sacerdotum*: At I. Reg. cap. XXI. v. 1. *Venit David in Nobe ad Achimelech, &c.* qui tunc erat ſummus Sacerdos, & pater Abiathar. Reſpondet venerabilis Beda hos textus nihil habere diſſonantiæ: Abiathar enim jam tum erat Pontifex cum patre Abimelech, atque eo vel ægrotante vel abſente, Pontificis munia obibat. Neque enim apud Hebræos inſolitum erat ut duo ſimul ſummo Sacerdotio fungerentur, ut apparet Numer. III. v. 4. & XXXII. & I. Reg. XIV. v. 4. &c. tametſi unus eſſet primus, alter ſecundus, II. Reg. cap. XXV. v. 18. Fungebatur igitur Abiathar Sacerdotio cum patre:

At hoc a Saule occiſo, fugit Abiathar ad David, & comes factus eſt totius exilii ejus. Poſtea vero, eo regnante, ſummi Sacerdotii gradum & dignitatem obtinuit, ac toto tempore Regni illius in Pontificatu perſeverans, multo majoris excellentiæ quam pater effectus eſt; ideoque dignus fuit, cujus memoriam Dominus, etiam vivente patre quaſi ſummi faceret Sacerdotis.

Cap. XV. v. 27. *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum*: At S. Joannes cap. XX. v. 14. *Erat hora quaſi ſexta*, quando videlicet Pilatus ſedens pro Tribunali, dixit Judæis, *Ecce Rex veſter*. Reſp. In hujus difficultatis ſolutione, mirum in modum ſeſe torquere Interpretes. Sunt enim qui exiſtimant in Marco itidem ſcriptum fuiſſe; quod Dominus Jeſus Chriſtus crucifixus fuerit hora ſexta; verum Librariorum errore numerum 6. in 3. commutatum eſſe; ita Auctor Commentariorum in Pſalmos, S. Hieronymi titulum referentium in explanatione Pſalmi 77. Alii vero ajunt apud Sanctum Joannem corruptum eſſe textum, & pro ſexta hora legendum tertiam: Sic Petrus Alexandrinus in Diſputatione de Paſchate: *Erat hora quaſi tertia*, ait, *ſicut habent Libri accurate deſcripti; atque adeo ipſum Autographum manu propria Joannis Evangeliſtæ ſcriptum, quod gratia Dei ad hanc diem ſalvatum extat in ſanctiſſima Epheſiorum Eccleſia, & a Fidelibus eo accedentibus magna cum reverentia inviſitur*. Verum cum Evangeliſtæ non expreſſerint tempus crucifixionis notis numeralibus, ſed dictionibus integris, ſuſpicio de textus interpolatione nequaquam hic locum habere poteſt.

Itaque tam his quam aliis plurimis omiſſis explicationibus, minus rei veritati, & textus ſinceritati congruis, ſimpliciorem, & ſi bene augurer, congruentiorem ut ſubjiciam, paucula hic ſunt advertenda, & præmittenda: I. Apud Judæos & pluſimas alias Nationes, diem alium eſſe *naturalem*, alium *civilem*, ſeu Aſtronomicum. *Naturalis*, eſt tempus ab exoriente Sole ad occaſum, cui oppoſita nox ab occaſu Solis ad ejuſdem ortum decurrit. *Civilis dies*, eſt tempus quod ex uno cœli circumactu reſultat, quo dies naturalis & nox continentur. Vicenæ quaternæ partes unius diei civilis *horæ* vocantur, quarum prima a diverſis Gentibus diverſimode inchoabatur. Nam Hebræi inſiſtentes primæ rerum creationi, qua tenebræ præceſſerunt lucem, inchoabant diem civilem cum occaſu Solis, quos ſecuti ſunt plures alii populi, maxime Athenienſes: Contra vero Babylonii inchoabant illum ab ortu Solis: Et veteres Umbri a meridie: Romani autem a media nocte, quorum mos apud alias omnes pene Nationes jam invaluit.

Alia præterea apud Hebræos eſt diei civilis diſtributio, nimirum in octo partes, quarum quatuor aſſignabantur diei, & nocti totidem. Noctis quidem partes illæ dicebantur *Vigiliæ* tribus horis jam nobis communibus conſtantes quod milites vigiles tanto tempore excubias agerent: prima autem vigilia incipiebat cum Solis occubitu: Secunda deſinebat cum nocte media; & ab eadem deinde incipiebat tertia: Quarta vero cum Solis ſeu diei ortu deſinebat. Horarum diurnarum prima incipiebat ab ortu Solis, complectebaturque tres horas jam nobis communes; ſecunda tot horis conſtabat, principiumque a fine tertiæ, unde vocabatur hora tertia: Apud eos namque vigebat conſuetudo, quam videmus apud nos etiam obtinuiſſe, ut horæ ſequentes ex præcedentibus nomen acciperent: ſicut nos, poſtquam meridianæ horæ ſignum datum eſt, uſque ad horam primam, aut certe uſque ad majorem horæ partem, meridianam horam appellamus, cum proprie non meridiana, ſed prima pomeridiana ſit; nam meridiana ea eſt quæ ab undecima inchoatur, & duodecima finitur. Itaque aliquando dicimus, de ſpatio loquentes quod inter undecimam eſt, eſſe horam undecimam, aliquando eſſe duodecimam, nunc a principio, nunc a fine nomen accipientes.

Quæ deinde ſequebatur etiam tres horas nobis communes continens, quia incipiebat a meridie, in qua ſexta numerabatur, & etiam ipſa dicebatur ſexta. Ultima denique, quod inciperet a communi nona finiente, etiam appellabatur hora nona, durabatque ad finem duodecimæ communis, ſeu ad occaſum Solis. Ita Cenſorinus [a], & ex eo Janſenius, Baronius, Tirinus, & alii. Porro inter illas horas, notiores vulgo & inſigniores erant *tertia*, *ſexta*, & *nona*; quod, ut notat S. Hieronymus, Sacrificia [b] & preces publicæ illis horis fieri ſolerent, atque populus, feſtis maxime diebus, ſono tubæ ad orandum convocabatur, ut docemur Numer. X. v. 10.

His ita præmiſſis, facilis eſt textus conciliatio. Nam, inquit Maldonatus, quia Chriſtus, & damnatus, & crucifixus fuit eo temporis ſpatio quod eſt inter finem horæ tertiæ, quod idem ſextæ initium erat; & finem ſextæ, quod erat initium nonæ; S. Joannes ex fine ſpatium illud appellans, vocavit horam *ſextam*; S. Marcus ex initio vocavit *tertiam*: Sed quia non eſt veroſimile Joannem ſextam horam vocaturum fuiſſe, niſi ſpatium illud ad finem ſextæ inclinatum fuiſſet; ſicut non ſolemus horam primam pomeridianam appellare niſi cum meridiana & ſemis tranſacta eſt; credendum eſt Chriſtum D. poſt horam decimam & ſemis, ſi noſtro more horas numeremus, damnatum fuiſſe: reſpondebat enim hora tertia nonæ noſtræ, ſexta duodecimæ tertia & ſemis erat decima & ſemis: eo ergo tempore damnatus eſt Chriſtus: Ideo S. Joannes ſcribit *hora quaſi ſexta* damnatum eſſe, poſt unam circiter horam noſtram, id eſt hora decima & ſemis crucifixus eſt, quam Marcus *horam tertiam* appellat, quia totum illud ſpatium horarum ab hora tertia uſque ad ſextam hora tertia vocabatur. (2)

(2)

a *Lib. de die natali, c. XXIII.*

b *In cap. VII. Danielis.*

Ex

Ex S. Luca.

§. II.

CAP. II. v. 34. *Ecce poſitus eſt hic* (Chriſtus) *in ruinam & in reſurrectionem multorum in Iſrael*: At cap. IX. v. 5. 6. *Filius hominis non venit animas perdere; ſed ſalvare*. Reſp. Chriſtum equidem veniſſe quærere, & ſalvum facere quod perierat, nihilominus tamen in cauſam, ſeu verius in occaſionem eſſe cur plurimi, ejus gratiam reſpuentes, atque ſalutaria dogmata contemnentes, majorem ſibi damnationem acquirant. Neque enim exiſtimandum eſt, hac voce (*poſitus*) Chriſtum ita comparatum, & a Deo Patre, definito conſilio, datum hominibus, ut aliqui ruinam & caſum incurrerent: Sed, inquit Maldonatus, hujuſmodi locutionibus, quales in Scriptura multæ ſunt, non Dei conſilium, ſed tam certus ſignificatur eventus, ut divino conſilio tribui poſſe videatur. Similis locus eſt, ex quo magnam hic lucem accipit, Iſaiæ VIII. 13. 14 15. *Dominus exercituum ipſum ſanctificate, ipſe pavor veſter, & ipſe terror veſter, & erit vobis in ſanctificationem: in lapidem autem offenſionis, & in petram ſcandali duabus domibus Iſrael, in laqueum & in ruinam habitantibus Jeruſalem, & offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur*. Cum enim Deus non in ruinam ſe, ſed in ſanctificationem Populo ſuo poſitum eſſe dicat; tamen multos eorum ſua culpa caſuros affirmat.

Itaque Chriſtus Dominus per ſe & directe poſitus eſt in reſurrectionem multorum *a Deo, qui vult omnes homines ſalvos fieri*: indirecte vero, & per accidens, in ruinam, eorum videlicet qui fuerunt rebel-
(3) les lumini. (3)

Cap. III. v. 2. *Sub Principibus Sacerdotum Anna & Caypha*: At Joannis XVIII. v. 13. Solus Cayphas dicitur Judæorum Pontifex. Reſpondent communiter Interpretes Annam & Caypham alternis vicibus Pontificatum geſſiſſe. At Joſephus ſententiam refellit, ſcribens multos fuiſſe Pontifices medios inter Annam & Caypham, aſſeritque Caypham creatum fuiſſe Pontificem a Valerio Gracco, qui Pilatum proxime anteceſſit, atque toto tempore Pilati ſummo Pontificatu functum uſque ad finem Imperii Tiberii Cæſaris. Itaque dico Annam, quia ſocer erat Cayphæ, fueratque ſummus Pontifex atque ſummi Pontificis filius, plurimumque auctoritatis apud Judæos obtineret, hic Cayphæ adjungi tanquam præcipuum Sacerdotum Principem. Tametſi enim unus apud Judæos ſummus eſſet Pontifex; plures tamen erant Sacerdotum Principes, ſeu Capita familiarum Sacerdotalium: unde paſſim in Chriſti Domini Paſſione nominantur *Principes Sacerdotum* & *Pontifices*, qui Chriſtum apud Pilatum accuſarunt,
(4) & crucifixo inſultarunt. (4)

Cap. XVIII. v. 35. *Factum eſt autem cum appropinquaret Jericho, cæcus quidam ſedebat*. At Matthæi XX. v. 29. *Et egredientibus illis ex Jericho ſecuta eſt eum turba multa: & ecce duo cæci, &c.* Ubi non unus ſed duo nominantur, qui Chriſtum, non ingredientem Jericho, ſed inde egredientem dicuntur interpellaſſe ut eis viſum reſtitueret. Reſpondet S. Auguſtinus [a] diverſum eſſe cæcum de quo agit S. Lucas, ab eis quos S. Matthæus commemorat. Verum cum omnes circumſtantiæ non ſolum ab illis Evangeliſtis, ſed etiam a S. Marco annotatæ in hac cæci illuminatione conſentiant, nimirum quod ſederit ſecus viam, quod audierit Jeſum tranſire, quod clamaverit dicens *Jeſu Fili David, &c.* Ideo veroſimilius exiſtimo unam eandemque cæcitatis curationem ab illis narrari: unius vero dumtaxat cæci a SS. Marco & Luca mentionem fieri, quod ille notior eſſet in ea civitate. Unde ejus nomen etiam annotavit S. Marcus dicens eum appellatum fuiſſe Bartimæum, hoc eſt filium Timæi.

[a] *Lib. 2. de conſenſu Evang. hiſt. cap. 65.*

Quod vero S. Lucas dicat eum fuiſſe illuminatum a Chriſto dum intraret Jericho; alii vero Evangeliſtæ id accidiſſe referant cum inde exiret, non omnino pugnat. Nam inquit S. Ambroſius [b], veroſimile eſt cæcum illum in ingreſſu urbis rogaſſe Chriſtum ut illuminaretur: At cum propter turbam forte non audiretur ab Apoſtolis, vel Chriſtus ipſemet ſe audire diſſimularet, quatenus fidem ejus & ſpem magis ac magis excitaret, poſtridie iterum ſtetit ad portam civitatis & elatiori voce clamans viſum poſtulavit & impetravit.

[b] *In cap. XVIII. S. Luca.*

Cap. XXII. v. 24. S. Lucas contentionem Apoſtolorum de primatu refert poſt inſtitutionem cœnæ: At S. Matthæus & S. Marcus cap. X. v. 41. Eam referunt ante cœnam. Reſp. Contentionem illam tribus vicibus & temporibus diſtinctis contigiſſe: *Primo*, quidem dum Chriſtus exiſtens Capharnaum juſſit cenſum tam pro ſe quam pro Petro ſolvi, ut refertur Matthæi XVIII. v. 1. Marci IX. v. 34. Lucæ IX. v. 46. *Secundo*, dum mater filiorum Zebedæi petiit a Chriſto ſeſſionem ad dexteram & ad ſiniſtram in regno ejus pro duobus filiis, cujus meminit S. Matthæus præfato cap. XX. *Tertio*, vero poſt inſtitutionem cœnæ, quam ſolus S. Lucas commemorat: nulla itaque eſt hic verborum pugna, cum diverſa a diverſis Evangeliſtis proferatur Apoſtolorum contentio. (5) (5)

Cap. XXIV. v. 33. Duo diſcipuli euntes Emmaus poſt cognitum Chriſtum Dominum qui eis apparuerat, dicuntur regreſſi in Jeruſalem & *inveniſſe congregatos undecim*: At tantum decem Apoſtoli cum Diſcipulis ibi convenerant: ſiquidem teſte S. Joanne cap. XX. v. 20. Thomas non erat cum eis dum apparuit Jeſus illis diſcipulis congregatis, quando ſcilicet illi duo diſcipuli referebant quæ eis contigerant in via; & quomodo Chriſtum cognoverant in fractione panis: inſuper Judas etiam aberat ſuſpendio antea necatus. *Reſp.* Poſt Judæ ſuſpendium, Apoſtolorum collegium id obtinuiſſe nomen, ut vocaretur *unde-*

cim quo a cæteris diſcipulis diſtinguerentur, tametſi pauciores eſſent; quoniam denominatio fieri conſuevit a potiori parte, etiam ſi unus & alter deſit: ſic triumviri & ſeptemviri dicuntur congregati, tametſi forte omnes non adſint. Hæc autem appellatio *undecim* ita facta eſt communis, ut etiam poſt Matthiæ ſubſtitutionem in locum Judæ & reſtitutionem numeri duodenarii Apoſtolorum, dicatur Petrus Actor. II. v. 14. ſurrexiſſe *cum undecim;* licet jam ſuffecto Matthia in locum Judæ, duodecim Apoſtoli adeſſent. Hinc non aliter quam *undecim* nominantur Matthæi XXVIII. v. 16. Marci XVI. v. 14. & alibi.

Ex Sancto Joanne.

§. III.

(6) CAP. I. v. 8. *Non erat ille lux*, nimirum Joannes Baptiſta: At cap. V. v. 5. *Ille erat lucerna ardens & lucens*. Reſp. Hæc non pugnare; neque enim S. Joannes Baptiſta erat lux illa quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, nimirum Meſſias, Doctor, & Salvator mundi: ſed tantum erat lucerna ardens & lucens; non propria quidem luce, ſed a Chriſto accepta: *Non erat ille lux*, inquit Origenes, *ſed particeps luminis: ſuum non erat quod in ſe & per ſe fulgebat.*

Cap. II. v. 11. *Hoc fecit initium ſignorum Jeſu in Cana Galilææ & manifeſtavit gloriam ſuam*. Quando videlicet, aquam in vinum convertit. At Lucæ II. cum factus eſſet annorum duodecim, jam manifeſtam fecerat gloriam ſuam: nam ſedens in medio Doctorum; *Stupebant omnes qui eum audiebant, ſuper prudentia & reſponſis ejus*. Reſp. Revera quidem Chriſtum duodecennem egregium divinæ ſuæ majeſtatis & gloriæ ſpecimen dediſſe: at nullo adhuc ſenſibili & viſibili miraculo id demonſtrarat: quamobrem illa aquæ in vinum converſio revera primum fuit ex miraculis ſenſibilibus ab eo editis cum vitam publicam ageret, & commiſſum ſibi officium impleret. Itaque illa in medio Doctorum Seſſio & doctrinæ propalatio primum fuit ſignum ſapientiæ; hoc vero divinæ potentiæ: ad illud Doctores quidem obſtupuerunt, nec tamen ipſi adhæſerunt: ad hoc vero, Diſcipuli in eum crediderunt.

Ibidem v. 20. *Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc*, videlicet Jeroſolymitanum: at iſta non cohærent cum Hiſtoria Sacra. Sive iſta accipias de prima hujus templi ædificatione a Salomone: ſive de duplici illius inſtauratione a Zorobabele & Herode. Nam prima illius ædificatio a Salomone peracta eſt ſeptem annis cum dimidio: Reſtauratio vero illius poſt captivitatem Babylonicam a Zorobabele & ſociis cœpit anno primo Cyri: non quidem *Regni*, quo imperabat in Perſide: ſed *Monarchiæ*, qua, expugnata Babylone, Chaldæorum imperium tranſtulit ad Perſas. Ab hoc itaque anno primo cœpit fabrica templi, duravitque ad annum ſextum Darii Hiſtaſpis; at in hac temporis ſerie non ſunt quadraginta ſex anni, ſed tantum quindecim: Cyrus enim tres annos regnavit ut monarcha; huic ſucceſſit filius Cambyſes, qui poſt Cyrum Patrem ſex dumtaxat annis regnavit; deinde Magi per ſeptem menſes. Denique Darius Hiſtaſpis, cujus anno ſexto conſummatum fuit templum. Ex quibus conficiuntur tantum quindecim anni. Neque tandem hæc verba videntur accipi de inſtauratione templi per Herodem. Nam Joſephus a auctor eſt ædificationem Herodiani templi novem annis cum dimidio abſolutam eſſe. *Reſp.* Omiſſis aliorum ſententiis, probabiliorem eam opinionem mihi videri quæ hos quadraginta ſex annos quibus ædificatum eſt templum, adſcribit illius templi inſtaurationi factæ ab Herode: cœpit enim opus illud Herodes anno Regni ſui XVIII. (computando ſcilicet Regni ipſius annos ab eo tempore quo expugnatis Hieroſolymis, & pulſo Antigono, Regnum occupavit: non vero ab eo tempore quo a Senatu Rom. Rex fuit declaratus) ac proinde annis ante mortem XVI. Nam inquit Ludovicus Capellus, depulſo Antigono, regnavit annos XXXIV. Chriſtus autem natus eſt ſub finem Regni Herodis, & (uti videtur) paulo ante ejus obitum. Cum autem Chriſto iſta dicerent Judæi, natus erat annos dumtaxat XXX. Hoc enim contigit paulo poſt Chriſti baptiſmum Paſchate, nimirum quod proxime ſecutum eſt ipſius baptiſma. Itaque a primis ab Herode jactis templi fundamentis ad id momentum, quo iſtud Chriſto objiciunt Judæi, fluxerunt præciſe anni XLVI. Nec obſtant Joſephi verba; tametſi enim eo tempore abſoluta fuerit Templi ſtructura; planum eſt tamen ex eodem ſemper aliquid additum & exſtructum ab eo tempore ad illius ornatum. Imo & pluribus poſt annis. Hinc idem Joſephus b teſtatur Agrippæ demum Junioris tempore, LX. circiter poſt Chriſtum natum annis, abſolutum fuiſſe totum templi ædificium & ornatum. Itaque nihil aliud videntur ſibi voluiſſe hic Judæi quam reponere Chriſto: *Jam ab annis quadraginta ſex cœpta eſt ab Herode hujus Templi ſtructura, necdum eſt abſoluta: tu vero illud brevi dierum trium ſpatio inſtaurabis collapſum?* (7) (7)

Cap. V. v. 31. *Si ego teſtimonium perhibeo de meipſo teſtimonium meum non eſt verum*. At Cap. VIII. v. 14. *Etſi ego teſtimonium perhibeo de meipſo, verum eſt teſtimonium meum*. Reſp. Chriſtum D. in priori textu occurrere tacitæ objectioni adverſariorum, qui Cap. VIII. v. 13. ipſi opponunt: *Tu de teipſo teſtimonium perhibes, teſtimonium tuum non eſt verum*; quia ex communi Judæorum ſententia: *Nemo hominum teſtatur de ſeipſo*; nam ſi teſtimonium unius firmum non eſt, multo minus firmum eſſe debet ſi quis de ſeipſo teſtatur: unde vulgare apud Romanos adagium *Neminem idoneum eſſe teſtem in re ſua*, cum videlicet ipſe ſolus teſtimonium in ſui fa-

vorem

a *Lib. XV. de Antiq.*

b *Lib. 20. cap. 8.*

yorem & patrocinium perhibet; quod ultro juxta hominum opinionem etiam de ſeipſo gratis admittit Chriſtus D. At ut adjicit in ſecundo textu, aliter ſentiendum eſt dum proprium hoc teſtimonium, alterius fide digniſſimi etiam aſſertione firmatur. Unde ſic eos urget Cap. VIII. v. 17. *In lege veſtra ſcriptum eſt, quia duorum hominum teſtimonium verum eſt: Ego ſum qui teſtimonium perhibeo de meipſo; & teſtimonium perhibet de me; qui miſit me pater.* Ex quo clariſſime conſpicitur quod Chriſtus non excludat proprium de ſeipſo teſtimonium; ſed ex Patris teſtimonio cum ſuo exactiſſime convenienti, proprium ſuum firmat, ut ſe verum Meſſiam eſſe demonſtret.

Cap. VI. Recenſet S. Joannes miraculum in multiplicatione quinque panum & cibatione hominum quinquies millium. Quam Hiſtoriam deſcribunt etiam S. Matthæus cap. XIV. & Marcus cap. VI. & Lucas cap. IX. At in ea deſcriptione multiplex occurrit inter Evangeliſtas diſſonantia, ut appoſite obſervant, Pelargus, Witacherus, &c. Nam I. tres poſteriores Evangeliſtæ referunt Chriſtum D. ab Apoſtolis ſollicitatum ut turbam dimitteret; Joannes vero oſtendit eum præveniſſe diſcipulos & dixiſſe ad Philippum. *Unde ememus panes ut manducent hi.* II. Joannes Philippo tribuit reſponſionem, *ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, &c.* Cæteri vero eam adſcribunt omnibus Apoſtolis. III. Joannes dicit Andræam Chriſto D. denuntiaſſe unum eſſe puerum qui haberet quinque panes & duos piſces: At hanc præſentem eſcam alii Evangeliſtæ penes Apoſtolos fuiſſe memorant. IV. S. Lucas narrat homines diſcubuiſſe quinquagenos; Marcus vero centenos & quinquagenos. V. Tres Evangeliſtæ dicunt turbam dimiſſam eſſe peracto miraculo; Joannes vero aſſerit illos homines ſtetiſſe ut Chriſtum raperent & facerent Regem. Tandem Matthæus & Lucas narrant ex hoc Chriſtum veniſſe Genezareth, Marcus Bethſaidam, Joannes Capharnaum.

Reſp. ad primum utrumque videri factum ex parte Apoſtolorum & Chriſti, ut ſimul illi cum eo fuerint ſoliciti de cibatione numeroſiſſimæ turbæ; ita tamen quod tres Evangeliſtæ prius, Joannes poſterius enarret. *Ad ſecundum* dico Philippum non tam ſuo, quam omnium Diſcipulorum nomine fuiſſe locutum; unde quod unus geſſit, aliis tribuitur: neque enim id inſolitum eſt in Scriptura, ut unius actio alteri ejuſdem conſortii adſcribatur. *Ad tertium* repono, quod cum puer ille ab Andræa demonſtratus Chriſto, unus eſſet ex eis qui collegio Apoſtolico miniſtrabant, merito id quod habebat ille, dicitur fuiſſe penes diſcipulos, cum ille eſſet unus ex Diſcipulis & Sectatoribus Chriſti. *Ad quartum* dico, S. Lucam partis illius turbæ meminiſſe, S. Marcum vero omnem omnino expreſſiſſe numerum. *Vel* illum dumtaxat meminiſſe virorum; hic etiam puerorum & mulierum. *Ad quintum* Reſp. utrumque accidiſſe, nempe ut poſt cibationem dimiſſa fuerit turba quatenus quiſque ad propria rediret; omnes tamen aliquandiu ſimul ſtetiſſe ut Chriſtum Regem ſalutarent. *Ad ultimum* tandem, cenſeo Chriſtum D. poſt illud inſigne miraculum, plures quantocius adiiſſe civitates; ut ex illius miraculi, ab eis qui præſentes aderant, diffamatione per eam regionem, paratos homines ad excipiendam lucem Evangelicam, ſua cœleſti prædicatione & doctrina imbueret.

Cap. VII. *Non poteſt Mundus odiſſe vos.* At cap. XV. v. 19. *Ego vos elegi de Mundo propterea odit vos Mundus.* Reſp. Duos illos textus ad diverſas perſonas dirigi, in priori namque Chriſtus alloquitur parentes ſuos *qui in eum non credebant* v. 15. nec ejus Evangelicam doctrinam ſectabantur; quippe qui nil aliud quam inanem gloriam ambiebant. Quamobrem Chriſtum ſtimulabant ut manifeſtaret ſeipſum Mundo, quatenus eo per miracula & famam inclareſcente, ipſi quoque ratione cognationis fierent illuſtres. Cum itaque ſæcularibus deſideriis urgerentur & hominibus terrena ſectantibus in omnibus conſentirent, non poterat Mundus eos odiſſe, quos habebat ſectatores & aſſeclas. Secus autem de Diſcipulis & Apoſtolis, qui cum omnibus Mundi illecebris nuntium remiſiſſent, non poterat eos Mundus non odiſſe quos habebat ſuis deſideriis & votis repugnantes; nemo enim Apoſtolorum eſt qui cum S. Paulo aſſerere non potuerit *Mundus mihi crucifixus eſt & ego Mundo.* (8) (8)

Ibidem v. 34. *Ubi ego ſum vos non poteſtis venire.* At cap. XVII. v. 24. *Pater quos dediſti mihi, volo ubi ſum ego, & illi ſint mecum.* Reſp. Chriſtum priori loco damnare Pharisæos carnales homines, Evangelicam gratiam reſpuentes, quibus denuntiat, propter eorum perduellionem, nullam habituros cum eo ſocietatem in æterna beatitudine, qua fruebatur. Poſteriori vero agit de fidelibus omnibus qui ejus præcepta & dogmata ſectantes, repromiſſam hæreditatem æternam accipient: hinc cap. XII. v. 26. ait: *Ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit.*

Cap. IX. v. 39. *In judicium ego in hunc Mundum veni.* At Cap. XII. v. 47. *Non veni ut judicem Mundum, ſed ſalvificem.* Reſp. Venit unigenitus Dei Filius per incarnationem in Mundum ad *judicium redargutionis* contra perduelles & ſuperbos Phariſæos qui Evangelicæ luci infidelitatis tenebras objiciebant, & ejus diffuſioni pro viribus adverſabantur. Venit etiam ad *judicium examinis & diſcretionis*, ut diſcerneret credentes ab incredulis, & pios ab impiis: non autem venit ad *judicium reprobationis* quo in Mundi fine hœdos ſeparabit ab ovibus, & juſtos ab impiis; hos in inferno perpetuo cruciandos; illos vero in cœlo æternum coronandos. (9) (9)

Cap. XV. v. 15. *Jam non dicam vos ſervos, ſed amicos.* At Matthæi cap. XXV. v. 21. ait: *Euge, bone ſerve, &c.* Reſp. Diſcipuli Chriſti ſervi quidem ſunt jure creationis, redemptionis, vocationis; Amici

vero

vero jure adoptionis, communicationis, ae manifeſtationis ſecretorum, ut interpretatur S. Auguſtinus tractatu LV. in Joannem. Quamobrem priori rextui Chriſtus Domi-
(10) nus adjicit: *Omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* (10)

Cap. XX. v. 1. *Maria Magdalena venit mane cum adbuc tenebræ eſſent:* At Marci XVI. v. 2. De mulieribus Mariam Magdalenam comitantibus legimus, *Valde mane una Sabbathorum veniunt ad monumentum, orto jam Sole.* Reſp. Mariam Magdalenam in ipſo primo diei articulo, quando nonnihil illuxerat, exiiſſe de domo & urbe, expectans alias pias fœminas, cum quibus poſtea, orto jam Sole, pervenir ad monumentum: tametſi, ut norat Vatablus, S. Joanoes videatur hic Hebræorum ſcribendi morem ſectarus, præteritum pro futuro ponentium, ut, *orto jam Sole*, idem ſignificet cum jam-jam oriturus eſſet Sol, & adhuc eſſent tenebræ: non quidem illæ denſiores, ſed quales in crepuſculo matutino, cœlo jam albeſcente; unde S. Marcus dixit *valde*
mane; Lucas autem *valde diluculo.* (11) (11)

AD CAPUT DUODECIMUM
CONCILIATORII
SUPPLEMENTUM.

Ex Sancto Marco.

(1) CAP. I. ℣. 2. legimus = Sicut ſcriptum
eſt in Iſaia Propheta = Compertum eſt autem verba illa: *Ecce ego mitto Angelum meum* &c. nequaquam in Iſaia, ſed potius Malachiæ cap. 3. ℣. 1. eſſe exarata.

Reſp. Ab aliquibus dubitatum fuiſſe oum Propiietæ Iſaiæ appellatio hoc io loco ſit genuina, vel potius aſſuta ab antiquis Chriſtianis ex Judaiſmo converſis? Qui cum legerent in Autographo Evangeliſtæ = ſicut ſcriptum eſt in Prophetis = minus eiſdem arriſit, quod Marcus a Propheta unius claſſis, ad pruphetam alterius claſſis, tranſiret, idque retrorſum, a Malachia ad Iſaiam, quod contra Judæorum canonem eis cum videretur, pro *in Prophetis* inſeruerunt *in Iſaia Propheta*. Hujuſcemodi quidem dubitatio, quæ in mentem aliquibus venit, facillime excutitur ex vetuſtiſſimis Interpretum, & SS. Patrum teſtimoniis, quacumque exceptione majoribus. In Vulgatæ quippe lectione Syrus, Arabs Latinus, & Græci Codices ætate S. Hieronymi exiſtentes conſentiunt, S. Irenæus, Chryſoſtomus, & alii eo antiquiores, quemadmodum & Victor Antiochenus ex Origene ita legebant, ſi Maldonatus, & Lightfootus apud Criticos ſacros, vera pronunciant. His adjungi poteſt quod in Matthæi cap. 3. ℣. 3. Lucæ 3. ℣. 4. Joannis 1. ℣. 23; ubi de Joanne miniſterium ſuum ineunte differitur, unius Iſaiæ teſtimonium citatur. Marcus itaque vaticioio Iſaiæ alterum adjungit Malachiæ Prophetæ, ut evidentius oſtendat a Deo tanquam nuncium miſſum fuiſſe Joannem, in cujus prædicatione ioitium habuit Evangelium Jeſu Chriſti ad ea Joannis verba *Parate viam Domini Pœnitentiam agite*; quod quidem ioitium ab Iſaia fuerat prænunciatum. Duo itaque vaticinia, alterum Malachiæ, Iſaiæ alterum, Evangeliſta Marcus in unum conflara uni tribuit Iſaiæ, tanquam principaliori; cum Malachiæ locus explicationis gratia tantum præmittatur, atque in Iſaiæ verbis Chriſti Evaogelium revera principium habuerit.

Cap. 16. ℣. 5. Unum vidiſſe Angelum (2)
ſtola candida coopertum mulieres ad monumentum accedentes referuntur; cum tamen Lucæ 24. ℣. 4. duo Angeli mulieribus apparuiſſe dicantur.

Reſp. Unius Angeli meminiſſe Matthæum, & Marcum, quia hic mulieres alloquebatur, vel dicere poſſumus cum S. Auguſtino Lib. 3. de conſenſu Evangeliſt. Cap. 24. a duobus prioribus Evangeliſtis eſſe commemoratum ſolummodo primum Angelum, quem obvium habuerunt ad primum Monumenti recintum in parte interiori; ab aliis autem Evangeliſtis eos Angelos quos viderunt poſt primum io interiori ſpecu, ubi Chriſti corpus jacebat, fuiſſe recenſitos.

Ex S. Luca.

CAP. 2. S. Lucæ ℣ 52. Scriptum eſt = (3)
Proficiebat Jeſus Sapientia, & gratia apud Deum, & homines = Quomodo autem proficere poterat, qui erat ipſamet gratiæ plenitudo, & origo.

Reſp. 1. Evangeliſtæ oraculum de Sanctiſſima Chriſti humanitate eſſe intelligendum, in qua cum ſimilitudo cæterorum hominum, dempto peccato ſervata ſit, gradatim in actus ſuos perfectiores, juxta ætatis incrementum proficiebat. Profectus ergo, de quo Evangeliſta, non in ordine ad gratiam habitualem, & infuſam, ſed in ordine ad actualem, ſeu potius in exercitium actuum ſapientiæ, & gratiæ quos in dies perfectiores efficiebat, ſeu opera, & verba ſapientiora proferebat, quo in ætate proficiebat, intelligendus eſt. Alii aliter hunc textum exponunt.

Cap. 6. ℣. 1. legimus = Factum eſt au- (4)
tem in Sabbarho ſecundo primo = Quodnam eſt Sabbathum iſtud *ſecundo primum* appellatum? Nunquid erant apud Judæos varia Sabbatha, quorum alia *primo-prima*, alia vero *ſecundo-prima* appellarentur?

Reſp. Vix poſſe quid probabile afferri, ubi

ubi tot ſententiarum eſt diverſitas, quæ confuſionem, & dubietatem non tollit, ſed inducit. Alii propterea non verum Sabbathum hic ab Evangeliſta indicari, ſed alterum Feſtum quemcumque diem; Alii vero ſecundam Azymorum diem ita vocatam, quod ſecunda eſſet a Paſcha; nonnulli tandem ſabbathum fuiſſe, quod proxime Feſtum aliquod ſequebatur in feriam ſextam incidens, ſunt arbitrati. Methodum ſabbatha connumerandi aliam Scaliger adinvenit; unde ſabbathum hoc δευτερόπρωτον, illud eſſe opinatur, quod proxime poſt ſolemne Paſchatis ſequitur, ſic dictum quod ſit a craſtino Paſchatis primum Sabbathum in computo Pentecoſtes; lex enim jubet ſeptem hebdomades computare a craſtino Paſchæ, ut patet ex Levitici cap. 23. ℣. 11.; ab illo itaque die hebdomades, & Sabbatha a Paſchate ad Pentecoſten ſumunt appellationem: non potuit vero aliter temporis interlabentis calculus retineri quod Sabbatha, quam ſic numerando: hoc eſt σάββατον δευτερόπρωτον *Sabbathum a ſecunda die Paſchatis primum:* hoc eſt δευτεροδεύτερον *Sabbathum a ſecunda die Paſchatis ſecundum*, & ſic de cæteris; putat itaque Scaliger eam diem appellari *Sabbathum ſecundo primum*, quæ primam a poſtero die Paſchatis hebdomadem claudebat, inter illas ſeptem, quæ ab illo die uſque ad Pentecoſten numerabantur. Iſtæ nihilominus ſententiæ rejectæ conſpiciuntur a Maldonato in cap. 12. S. Matthæi, nec non in Criticis ſacris ad hunc S. Lucæ textum. Alteræ ſuperſunt duæ, quæ reliquis præferendæ videntur ſententiæ, ſi Matthæum Polum audiamus. Prior eſt ipſiuſmet Matthæi, qui duo *prima Sabbatha* in anno haberi, juxta duplex anni principium, civile nimirum, quod in menſe Tiſri; & ſacrum, quod in menſe Niſan celebrabatur, exiſtimat. Sabbathum autem menſis Tiſri πρωτόπρωτον idest *primo* primum appellabatur, in quo Deus requievit poſt ſextam diem creationis. Alterum autem Sabbathum, quod in menſe Niſan erat, *primum* etiam & ipſum appellari ſolebat, cum revera primum eſſet in anno ſacro; ſed ut ab altero *primo* diſtingueretur, δευτερόπρωτον, ideſt *iterum primum* ſive *ſecundo-primum* nuncupabant. De iſto itaque Sabbatho S. Lucam fuiſſe locutum opinatur, objectioni occurrens (quod ſcilicet nondum maturæ eſſe poſſent ſpicæ camporum in menſe Niſan,) per Scaligeri doctrinam, contendentis ad initium menſis hujus ordinarie inchoatam eſſe meſſem aliquam, ut manipulum ſpicarum haberent, qui in craſtino Paſchatis offerretur. Notum eſt autem a Maimonide, quod ſi meſſe adinveniente Paſchatis tempore, nondum maturuiſſent, addebatur ad annum iſtum menſis embolimæus, ſive intercalaris uſque dum ſpicæ matureſcerent. Altera tandem ſententia, quæ adhuc ſupereſt exponenda, Sabbathum a Sancto Luca indicatum non quod in Feſto Azymorum, ſed quod in Feſto Pentecoſtes occurrebat, extitiſſe *ſecunda primum* tuetur. Cum enim tria penes Judæos cæteris ſolemniora celebrarentur feſta, *Azymorum* videlicet *primitiarum*, & *tabernaculorum*, etiam ſabbatha in hiſce occurrentia feſtivitatibus, veluti ſolemniora cæteris judicabantur, hinc *ſabbatha magna*, ſeu *prima* dici ſolebant; cum autem tria eſſent *ſabbatha hæc magna*, ſeu *prima*, ut ab invicem diſtingui aliquatenus poſſent, ſabbathum Paſchale, quod ordine antegreditur *ſabbathum* πρωτόπρωτον, hoc eſt *primorum primum*, ſabbathum vero Pentecoſtes δευτερόπρωτον nempe *primorum ſecundum*, ſabbathum tandem ſcenophegiæ τριτόπρωτον, ſcilicet *primorum tertium* appellabatur. Chriſti ergo diſcipuli in hoc ſententia ſpicas evulſiſſe in ſabbatho Pentecoſtes ſupponuntur, quod quidem maxime veroſimile eſt.

Cap. 14. ℣. 12. = Cum facis prandium, aut cœnam noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, = Oppoſitum legimus Proverb. 27. ℣. 10. = Amicum tuum ne dimiſeris =.

Reſp. Nequaquam a Chriſto prohibita eſſe mutua inter homines amicitiæ teſtimonia, & officia; ſed opera miſericordiæ multo præfert, quæ ſine ſpe mutuæ vicis humanæ, ſolius Dei amore præſtantur. Locus itaque iſte Evangelicus per comparationem, non per excluſionem intelligamus oportet, ne decipiamur. Præſtantiora autem eſſe, quæ Chriſtus hoc in loco charitatis opera commendat, ipſis Gentilibus, ſola natura duce cognitum fuit, ut ex Lib. 1. de Offic. apud Ciceronem videre poſſumus, qui ſcripſit = In collocando beneficio, hoc maxime officii eſt ut quiſque maxime opis indigeat, ita ei potiſſimum opitulari; quod contra fit a pleriſque, a quo enim plurimum ſperant, etiamſi ille his non eget, tamen ei potiſſimum inſerviunt = idipſum docet Plinius Lib. 9. Epiſt. 30.

Cap. 15. ℣. 7. Majus in Cœlo gaudium dicitur futurum ſuper uno peccatore pœnitentiam agente quam ſuper nonaginta novem juſtis, qui non indigent pœnitentia. Anne gratior Deo eſt, qui legem tranſgrediendo ipſum offendit, & poſtea reſipiſcit, quam qui intra debitum erga Deum officium ſemper ſeſe continuit?

Reſp. A Chriſto rejectam fuiſſe Phariſæorum detractionem, qua ſemetipſum tingere moliebantur, quod ad peccatores divertiſſet, ac manducaret cum illis; pro peccatoribus quippe, & male habentibus Cœleſtis medicus in Mundum devenerat; ut ergo eoſdem confundat, gaudium in Cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente majus eſſe ait; quam ſuper nonaginta novem juſtis; loquitur tamen Jeſus de gaudio actuali, & inopinato ſuperveniente, quo Angeli afficiuntur, dum qui mortuus erat coram Deo reviviſcit, & gratiam conſequitur, non autem de gaudio habituali, & continuo, quo ſuper juſtis nunquam a vitæ ſanctitate deſciſcentibus afficiuntur, quod certe in ſuo valore majus eſt; quamvis minus in actuali tripudio. Cum enim iis magis afficiamur, quæ dum deſperata prorſus erant, adipiſcimur, ita ex noſtro loquendi modo Angelis omnium ſalutem ardentibus, dum quis ad

pœ-

pœnitentiam convertitur, atque in melius permutatur, contingit; Concivem quippe ſuum, quem perdiderant, iterum aſſequuntur. Plura alia de hoc textu apud Commentatores.

Cap. 17. ℣. 20. Regnum Dei non cum obſervatione adveniſſe prædicitur; ſed intra hominum corda futurum perhibetur. Quodnam eſt Chriſti Regnum intra homines? & nunquid inviſibilem Eccleſiam ſibi conſtituit?

Reſp. Varios in ſenſus diſtrahi poſſe hanc Chriſti Servatoris ſententiam. Primo intelligi poteſt, quod Regnum a Meſſia ſtabiliendum, de quo Chriſtum interpellarunt Phariſæi, abſque mundano ſplendore, & magnificentia ſit ædificandum, quæ in oculos incurrat, & obſervationem hominum excitet. Secundo quod Regnum Chriſti cum gloria Majeſtatis venturi ad ponendum inimicos ſuos ſcabellum pedum ſuorum in die judicii, & in æternum deinceps eo in ſtatu permanſuros, veniet adeo ſine obſervatione, ut ejus tempus nec prædici poſſit, neque ſciri. Verum hoc in loco Chriſtum locutum fuiſſe de ſuo Regnn gratiæ, & fidei, per quas in hominum animis imperat Jeſus, & regnat, ſaniores tuentur Commentatores; quamvis enim hujus regni aliqua ſigna exhibuerit Chriſtus, non tamen ea fuere, quæ a Phariſæis tunc temporis, & modo a ſuperſtitibus Judæis expectantur. Alii tandem hoc in textu minime agi opinantur de Regno Chriſti in Eccleſia, ſed de illius adventu in mundum; unde inquit Jeſus *intra vos eſt:* ſcilicet, Meſſias, quem expectatis eſt in gente veſtra, eſt intra vos collective ſumptos, in ipſo ſcilicet populo Judaico, vobis non obſervantibus. Eccleſiam autem Chriſti eſſe viſibilem, omniumque oculis conſpicuam ſatis patet.

(5) Cap. 23. ℣. 34. = non ſciunt, quid faciunt = Joannis 15. ℣. 22. oppoſitum legimus = Nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo = quia ſcilicet Chriſtus locutus eſt eis.

Reſp. Duplicem fuiſſe hominum claſſem, qui in Chriſti occiſionem concurrerunt; in prima Gentiles, & rude Judæorum vulgus, quibus profecto minus peccatum ob eorum ignorantiam imputabatur: in ſecunda vero Principes Judæorum, Scribæ, Legiſque periti includebantur, quibus magis culpa aſcribenda, quia Chriſtum ex operibus dignoſcere potuerunt, niſi odio, & malitia ſe excœcari non permiſiſſent. Chriſtus attamen hoc in loco veri deprecatoris, veniamque implorantis vicem geſſit, quippe omiſſo, quod in facto Judæorum erat accuſandum id æterno refert Patri, quod ad minuendam aliquo modo culpam pertinebat. Erat utique ignorantia eorum craſſa, & ſupina, & multis fortaſſe ex vitiis proveniens, ſed nihilominus in extrema gravitatis linea non peccabant, qui in eum peccabant, quem perfecte non noverant. Chriſtus itaque ut interceſſor, eorum culpam extenuare conatur, quin tamen ipſi ex parte ſua excuſabiles omnino forent, ut ex Evangelio S. Joannis præmonemur. Hoc eodem ſenſu intelligenda eſt Apoſtoli Pauli excuſatio pro Chriſti crucifixoribus in 1. Corinth. 2. Cap. 8.

Capite eodem ℣. 43. = Hodie mecum eris in Paradiſo = Chriſtus autem nonniſi poſt 40. dies Cœlum aſcendit; in quo ergo Paradiſo futurus erat Latro cum Chriſto?

Reſp. Nomine *Paradiſi* neque Cœlum Empyreum, neque hortum fœlicitatis in Eden, ubi Adam erat permanſurus, ſi legem ſervaſſet, intelligi poſſe, quidquid nonnulli dicant, ſed fœlicem, communemque cæteris juſtis ſocietatem viſione Dei, & gloria beatifica perfruentibus nomine *Paradiſi* potius accipiendam, quam ſtatim a morte corporis anima illius fœliciſſimi Latronis donanda erat in quocunque interim loco perſiſteret; ubicumque enim Deus ſe beatifice manifeſtat, ibi Paradiſus eſt.

Ex Sancto Joanne.

(6) CAP. 1. ℣. 28. = In Bethania trans Jordanem = Quonam pacto conciliari hæc poſſunt cum iis, quæ leguntur Joannis 11. ℣. 18. quibus Bethania prope Hieroſolymam aſtruitur cis Jordanem?

Reſp. Horum conciliationem in I. Volumine Diſquiſit. Pag. 325. & in notis ibidem, eſſe propoſitam, unde eamdem non replicabimus.

Cap. 3. ℣. 13. = Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de Cœlo, filius hominis, qui eſt in Cœlo = Si Chriſtus de ſe, ut filius hominis eſt, loquitur, quomodo deſcendiſſe de Cœlo, & ſimul eſſe in Cœlo potuit?

Reſp. Chriſtum de ſe locutum tanquam de filio hominis, non tamen in abſtracto, ut ajunt, ſed in concreto, in quantum ſcilicet divinæ perſonæ hypoſtatice humanam naturam copulatam habebat, in qua unione, quæ propria unius naturæ ſunt alteri tribuuntur; aut propria alterutrius naturæ tribuuntur Perſonæ non in abſtracto, hinc non Deitas crucifigi dicitur ſed Deus: pari modo filius hominis dicitur aſcendiſſe in Cœlum, quia ejus perſona divina erat in Cœlo; & deſcendiſſe dicitur, quia eadem divina perſona, aſſumpta humana natura, cœpit non quidem eſſe, ſed videri, ſeu manifeſtari in terra ſuis admirandis operibus, quæ nihilominus cœlum nequaquam deſeruit, unde & in Cœlo eſſe merito Chriſtus de ſeipſo affirmabat.

Cap. 3. ℣. 22. legimus = Jeſus baptizzabat = Capite autem 4. Joan. ℣. 2. = Jeſus non baptizzabat =. (7)

Reſp. Chriſtum per manus diſcipulorum baptizzaſſe; quia tamen ipſe gratiam ſanctificantem conferendi vim baptiſmo conceſſerat, quia ipſe erat, qui maculas peccati abluebat, ideo merito, & jure baptiſmum adminiſtraſſe ſcribit in Cap. 3. S. Joannes. Dicere etiam poſſumus ex Tertulliano Lib. *de Baptiſmo* = ſemper is dicitur facere, cui præminiſtratur = ſic Pharaonis filia Moſen educaſſe dicitur Act. 7. ℣. 21. Salomon ædi-

ædificaſſe Templum Reg. 3. Cap. 6. & 7. quamvis per miniſtros hæc omnia geſta ſint.

Cap. 5. ℣. 34. = Ego autem non ab homine teſtimonium accipio = ℣. 46. ejuſdem Capitis teſtimonium Moſis pro ſe Chriſtus appellat; & ℣. 32. præcedenti Joannis Baptiſtæ teſtimonium pro ſeipſo jam recitaverat Jeſus. Nunquid homines non erant Moſes, & Joannes?

Reſp. Objurgari a Chriſto Judæorum duritiam, & incredulitatem, quam ut frangat, & vincat non hominum teſtimonium pro ſe citat, ſed opera ſua profert, nimis evidenter ſe a Patre divino miſſum oſtendentia, eos dein ad Scripturarum provocat oracula, quæ de ſeipſo a Moſe tradita erant; nec non ad ipſius Baptiſtæ, ad quem miſerant, teſtimonium; non quod hujuſcemodi teſtes opus Chriſto eſſent, ſed ut Judæos *ad hominem*, ut ajunt, redargueret, & iis nimirum teſtimoniis, quæ ſummæ veracitatis habebantur.

(8) Cap. 7. ℣. 8. = Ego non aſcendo ad diem feſtum hunc = ℣. 10. = Et ipſe aſcendit ad diem feſtum =.

Reſp. Plura eſſe ad hunc nodum ſolvendum excogitata a Commentatoribus, præſertim recentibus. Ajunt itaque in variis Græcorum codicibus vocem *οὔπω* nondum haberi, pro *οὐ non*, ſicque nodum facillime abrumpunt. Alii autem ſcripſerunt *οὐκ ἀναβαίνω νῦν non aſcendo nunc*. Denique nonnulli deleverunt pronomen *ταύτην hunc*. His profecto minime nodum reſolvi, ſed amputari compertum eſt. Vulgatæ noſtræ lectio utique eſt, quæ Porphyrii tempore habebatur; occaſionem quippe ex eadem deſumpſit vir ille infidelis calumniam impingendi Servatori, quaſi mentitus eſſet, cum dixit, ſe non aſcendere, cum poſtea aſcenderit; locus calumniæ defuiſſet prorſus, ſi Evangeliſtæ textus ea ætate non idem ac noſtris hiſce temporibus extitiſſet. Facillima videtur ex Cyrillo, Auguſtino, & Eucherio excerpta ſolutio = Non aſcendo ad primum feſtum diem = hæc ſiquidem optime cum ℣. 14. hujuſce Capitis cohæret, in quo legimus = jam autem die feſto mediante = ideſt, jam currente die medio, feſtivitatis ſcilicet die tertio, vel quarto feſtivitatis Tabernaculorum, quæ Feſtivitas diebus ſeptem perdurabat, aſcendit Jeſus. Non tamen inficiamur, quod Jeſu Chriſti verba in aliis ſenſibus ſumi poſſint, juxta varias Commentatorum hypotheſes, dummodo in eiſdem ſumma veracitas conſervetur.

℣. 16. Ejuſdem Capitis = Doctrina mea non eſt mea = Quomodo ſua, & non ſua?

Reſpondet S. Auguſtinus Tract. 29. in Joannem „ Quæ eſt doctrina Patris niſi Verbum Patris? ipſe ergo Chriſtus doctrina Patris ſi Verbum Patris, ſed quia Verbum non poteſt eſſe nullius, ſed alicujus, & ſuam doctrinam dixit ſeipſum, & non ſuam, quia Patris eſt verbum: Quid enim tam tuum, quam tu? & quid tam non tuum quam tu, ſi alicujus eſt quod es? = Ad literam dici poteſt: quod Chriſti doctrina non erat ſua, hoc eſt induſtria propria, & abſque ab Æterno Patre dependentia acquiſita, adeo ut ſuo ipſius ſenſu, & arbitrio eam prædicaret. Erat nihilominus etiam ſua quia ille, & pater ejus unum ſunt; & cuncta, quæ erant Patris ſui etiam ſua erant.

(9) Cap. 10. ℣. 8. = Omnes quotquot venerunt fures ſunt, & latrones = Quomodo ergo Matthæi 23. ℣. 2. obedire jubentur populi ſedentibus ſuper Cathedram Moyſi?

Reſp. Ex Auguſtino Lib. 6. contra Fauſtum Cap. 12. & Hieronymo Lib. 2. contra Pelagianos = Prophetas non præter Chriſtum veniſſe: venerunt enim cum verbo Dei: venturus præcones miſit, & eorum, quos miſeras corda poſſidebat = Non de ſuis ergo Præconibus hoc in loco Sermonem Chriſtus inſtituit, inter quos etiam Legis doctores, deficientibus Prophetis habebantur, in quantum legem explicabant; alludit itaque hoc in loco Chriſtus ad pravos illos paſtores, qui ſua non Dei quærebant, ovium lacte ſe ſaginabant, miſerumque populum veræ doctrinæ pabulis fraudabant.

Cap. 10. ℣. 9. = Ego ſum Oſtium. Per me ſi quis introierit ſalvabitur: & ingredietur, & egredietur, & paſcua inveniet = Quid ſibi volunt hæc Servatoris verba? nunquid qui egreditur ex Chriſti Corpore ſive Eccleſia ſalvabitur & ipſe, & paſcua inveniet?

Reſpond. ex S. Auguſtino Tract. 48. in Evangel. S. Joannis „ Oves meæ vocem „ meam audiunt, & cognoſco eas. .. &c. „ vitam æternam do eis. Ecce ſunt paſcua. „ Si recolitis; ſuperius dixerat, & ingre- „ dietur, & egredietur & paſcua inveniet. „ Ingreſſi ſumus credendo, egrediemur mo- „ riendo; ſed quomodo per oſtium fidei in- „ greſſi ſumus, ſic fideles de corpore exea- „ mus: ſic enim per iſtud oſtium egredi- „ mur, ut paſcua invenire poſſimus. Bona „ paſcua vita æterna dicitur „ Ita S. Auguſtinus.

Alii autem magis literalem ſenſum attendentes, ajunt hanc eſſe hebraicam phraſim, qua ſecuritatem ſignificant, atque tranquillitatem in quotidianis hominum converſationibus, & exercitiis; unde mos iſte loquendi *ingredietur & egredietur* idem omnino exprimit hoc in loco ac *ſecurus vitam aget, quia fidum receptum inveniet apud Deum qui per Chriſtum ad illum* accedit. Hanc ſignificationem proverbio illi *ingreditur & egreditur* affixam dignoſcimus Deuteron. 28. ℣. 6. Lib. 2. Regom Cap. 3. ℣. 25. & aliis Scripturæ locis. Videantur ad hunc locum Joannis Cornelius a Lap. Lucas Brugenſis, Grotius, & Beza.

Cap. 12. ℣. 7. = Sinite illam, ut in die ſepulturæ meæ ſervet illud = Quomodo ſervare poterat, quod effuſum legimus ℣. 3. ſuper pedes ejus?

Reſp. A Commentatoribus ita hunc textum exponi, ut ad tempus præteritum reducatur verbum *ſervet*; hinc Tirinus, & Cornelius reddunt *ut oſtendatur ſervaſſe illud in diem ſepulturæ meæ*. In tempore præterito legunt Syrus, & Græcus, quamvis non-

nonnolli Græcorum codices ſicut Vulgata noſtra verbum iſtud retineant. Id unum itaque certum eſt, quod unguentum jam effuderat pia mulier ſuper Caput, & pedes Servatoris, dum ab ipſo ea verba enunciabantur; hinc reddi etiam poſſunt in hunc ſenſum Chriſti verba = Sinite illam, quia a Dei providentia præordinatum eſt, ut iſtud unguentum ſervet in die ſepulturæ meæ, quamvis hac die pietatis opus ſit executa =.

Cap. 13. ℣. 34. = Mandatum novum do vobis ut diligatis invicem = Quonam pacto novum dici poteſt mandatum, quod tempore Legis Moſaicæ ſecundas in ipſa lege tenebat, fatente Chriſto Lucæ 10. ℣. 27.?

Reſp. Adjectivum illud *novum* diverſimode intelligi poſſe 1. pro *præſtans*, & *eximium*, quo ſenſu Pſal. 33. ℣. 3. legimus *canticum novum*, & Iſaiæ 65. ℣. 17. *Cœlum novum* Matthæi 26. ℣. 29. *vinum novum*. Sumitur etiam nomen *novum* pro *aliud*; & tandem *novum* pro *renovatum* intelligitur, ita Gerhardus, Maldonatus, & Grotius. Sunt tamen, qui putant *Novum* eſſe dictum, quia novo modo expoſitum, & practicatum, nova formula traditum: illud enim *ſicut dilexi vos* longe expreſſus eſt, quam illud ſicut *teipſum dilexi vos* nullis veſtris præcedentibus meritis, imo cum inimici eſſetis non meam utilitatem, ſed veſtram ſalutem quærens *dilexi* uſque ad Sanguinis effuſionem. Ita ex S. Auguſtino, & Chryſoſtomo Vatablus, Menochius, & ex Proteſtantibus Beza.

Cap. 15. ℣. 15. = Omnia quæcumque audivi a Patre meo nota feci vobis = Oppoſitum legimus Cap. 16. ℣. 12. = Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo =.

Reſp. Ex Beda, & S. Auguſtino Epiſt. 57. & Lib. *de Agone Chriſtiano* Cap. 9. Nondum diſcipulis omnia nota facta fuiſſe dum hæc Chriſtus ait, cum plurima Spiritui Sancto reſervarit dicenda: dixit autem ſe feciſſe, quod paulo poſt erat facturus, ſicut ℣. 8. dixit, clarificatum eſſe Patrem, qui clarificandus erat, non utique inſolitum eſt ut verbum feci non pro *actu*, ſed pro *voluntate faciendi operis* uſurpetur. Alii vero Commentatores nomen *omnia* ad ea coercent Myſteria, quæ diſcipulorum munus, atque ſalutem concernebant, quæ ad eorum conſolationem pertinere quodammodo poterant, quæ tandem pro tunc eiſdem eſſe nota conveniens fuit, ſic enim quam ſæpe univerſalitas ex ſubiecto ſermone reſtringitur: ita poſt Chryſoſtomum Theophylactum, & Euthymium Lucas Brugenſis, aliique Expoſitores commentantur.

(10) Cap. 17. ℣. 9. = Non pro mundo rogo ſed pro his, quos dediſti mihi = Nunquid pro ſolis electis, & prædeſtinatis rogavit Chriſtus? Quomodo ergo Joannes in Epiſt. 1. Cap. 2. ℣. 2. ſcripſit = Advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum Juſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius Mundi?

Reſp. Sicuti non ſemel tantummodo Chriſtus Patrem ſuum rogavit, ita non ſemper idem fuit obiectum orationis Chriſti, non etenim omnia omnibus, & ubique, & ſemper petenda ſunt, inquit Lucas Brugenſis. Cum itaque hoc in loco Salvator mundum opponat electis, conſtat pro iis hoc in textu preces ad Deum Patrem effudiſſe; neque enim Jeſus orationem decreto, aut voluntati divinæ, quam certe cognoſcebat, oppoſitum emiſiſſet, quia omnis oratio Chriſti exaudienda erat, cum fruſtranea eſſe non poſſet. Quæ itaque nunc orat de paterna protectione, de ſpiritu, de concordia, de perſeverantia in fide, & charitate ſolos Apoſtolos, atque electos reſpiciunt. Oravit tamen etiam pro mundo ut reſipiſceret, & veniam peccatorum acciperet, immo, & ut crederet, ut patet ex Lucæ 23. ℣. 34. & ex hoc ipſo Capite Joannis ℣. 21. Oravit tandem etiam pro reprobis, & incredulis Chriſtus Dominus, non quidem immediate ut ſalutem conſequantur æternam, ſed immediate ut ad Deum convertantur, atque incredulitatem relinquant; ſicuti modo pro infidelibus orat Eccleſia non ſtatim ut ſalventur, ſed prius ut ad fidem convertantur; ad quam converſionem cum non ex ſolo divinæ voluntatis decreto, ſed etiam ex libera voluntatis eorum determinatione ſit veniendum, hinc orationes Eccleſiæ multoties, ſicut & ille Chriſti non ſortiuntur effectum. Quomodocumque etenim efficaces ſint, atque ex parte Dei nihil deſit, deeſt tamen converſio voluntatis creatæ a qua dependent.

Cap. 19. ℣. 14. = Erat autem Paraſceve Paſchæ = Quomodo dies illa paraſceve Paſchæ eſſe potuit ſi in præcedenti veſpera Paſcha comederant Judæi?

Reſp. Nomen *Paſcha* hoc in loco *feſtivitatem* Paſchalem ſeptem dierum ſignificare, quia autem prima azymorum dies, ſive ſolemnitas Paſchæ Judæorum in feriam ſextam eo anno inciderat, qua feria omnia ad ſabbathum ſequens neceſſaria parabantur, hinc dicitur *paraſceve*, non in ordine ad feſtum Paſchæ, ſed in ordine ad ſabbathum ſubſequens. Propterea autem *Paſcha* appellatur, quod in diebus Paſchalibus haberetur. Quod autem dixerat Evangeliſta Cap. 18. ℣. 28. non ingreſſos Prætorium Judæos ne contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha; poteſt intelligi, non de agno paſchali, quem veſpere præcedenti comederant, ſed de aliis ſacrificiis pacificis, quæ totis illis ſeptem diebus immolabantur, quæque non minus quam agnus, *paſcha* appellabantur, ut conſtat ex Deuteron. Cap. 16. ℣. 2. *Mactabis paſcha Deo oves, & boves*, ita Bochartus, Brugenſis, Menochius, & Toletus. Alii tamen alias proferunt Expoſitiones.

Cap. 21. ℣. 14. = Hoc jam tertio manifeſtatus eſt Jeſus diſcipulis ſuis cum reſurrexit a mortuis = Compertum eſt autem multoties eſſe manifeſtatum Jeſum a die Reſurrectionis ad hoc tempus. (11)

Reſp. Ternarium hunc numerum eſſe referendum ad tres diverſos dies, quibus Jeſus

ſe

ſe manifeſtavit: Die quidem reſurrectionis pluribus ſeſe exhibuit; iterum die octavo; tertio tandem iſta die: ita explicatur hic locus a S. Auguſtino lib. 3. *de conſenſu Evangeliſt.* cap. 25. apud Maldonatum; qui ſubjungit ab Evangeliſta notari apparitiones Chriſti publice diſcipulis in unum congregatis, ſaltem juxta majorem eorum numerum factas, quæ ſiquidem tres uſque ad iſtam extiterunt. Multa alia, & a nobis quod dici potuerint ſuper Evangeliorum textus omnes agnoſcunt; ſed principaliora ni decipimur, jam attigimus. W.

CAPUT XIII.

Ex Actibus Apoſtolorum, & Epiſtola ad Romanos.

§. I.

CAP. I. S. Lucas hujus Libri Auctor, teſtatur initio ſe ſermonem feciſſe *de omnibus quæ cœpit Jeſus facere & docere*: At Joann. 21. v. 25. *Sunt autem & alia multa quæ fecit Jeſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror Mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, Libros.* Reſp. Iſta nullatenus invicem pugnare: Neque enim (ut apposite notat S. Chryſoſtomus) S. Lucas ait ſe ſcripſiſſe in Evangelio *omnia*, ſed *de omnibus*; nimirum ordinem & ſeriem rerum geſtarum; non vero ſingula quæ adorandus Salvator geſſerit. Neque enim Evangeliſtæ omnes omnino Chriſti D. actus, omniaque ejus verba Scriptis tradiderunt, ſed ea dumtaxat annotarunt de illius Conceptione, Nativitate, Vita, Miraculis, Oraculis, Paſſione, Morte, Reſurrectione, & in Cœlum Aſcenſione, quæ ſaluti credentium ſufficere videbantur, ut exponit S. Auguſtinus Tractatu XLVIII. in Joann.

Ibidem v. 18. *Et hic quidem* (Judas) *poſſedit agrum de mercede iniquitatis*: At Matthæi XXVII. v. 3. *Pœnitentia ductus retulit triginta argenteos* Principibus Sacerdotum & Senioribus, atque illico *ſuſpenſus crepuit medius.* Reſp. Hic eſſe τὸ ἀντίχημον quo quod alicujus ære emptum eſt, hoc illius eſſe cenſetur. Porro agri illius emptio tribuitur Judæ, non quod ipſe revera ipſum emerit, vel poſſederit, ſed quia Pontifices ex triginta argenteis, quos Judas in mercedem traditionis acceperat, & retulerat, agrum illum coemerunt in ſepulturam peregrinorum; unde acquiſivit ille pecuniam, & pretium quo ager ille emptus eſt. *Accedit*, quod Proditor ille revera acquiſivit agrum; ſi non eventu, ſaltem reſpectu & effectu, quia ille in cauſa fuit cur ager emptus diceretur, *Ager ſanguinis.*

Cap. II. v. 23. *Hunc* (Chriſtum) *definito conſilio, & præſcientia Dei traditum per manus iniquorum affigentes interemiſtis*: quibus ſignificatur Chriſtum a Deo traditum ad mortem: At ipſemet Chriſtus Joan. XIX. v. 11. hanc traditionem hominibus tribuit, Pilato dicens, *qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* Reſp. Chriſti D. traditionem ad mortem, Deo, & hominibus tribui, diverſo reſpectu: Deus enim ex nimia ſua charitate Unigenitum Filium ſuum tradidit ad mortem, ut ſuo ſanguine noſtra peccata elueret, & ſua morte nobis æternam vitam promereretur. Judæi vero eum tradiderunt Pilato crucifigendum, ex odio & Diaboli inſtinctu, ut nomen & gloriam illius cum vita extinguerent. (1) (1)

Cap. IV. v. 27. *Convenerunt enim vere in civitate iſta adverſus ſanctum puerum tuum Jeſum, quem unxiſti. Herodes, & Pontius Pilatus, cum Gentibus, & Populis Iſrael, facere quæ manus & conſilium tuum decreverunt fieri*: ac ſi Deus decreto ſuo ſtatuiſſet, ac prædefiniviſſet ut Herodes, Pilatus, & Populus Judaicus cruentas manus in Chriſtum injicerent, eumque crucifigerent; quod utique variis Scripturæ ſacræ textibus adverſatur, in quibus Deus negatur malorum tentator & auctor. *Reſp.* Impietatem crucifigentium Chriſtum nequaquam Deum prædefiniviſſe; ſed ita uſum eſſe impio iſtorum hominum facto, ut fini a ſe intento, nempe humani Generis per mortem Chriſti redemptioni, eorum malitia ſubſerviret. Qua de re audiendus eſt S. Leo, qui expendens hæc verba; *quæ manus tua, & conſilium tuum decreverunt fieri*, ait: *Numquid iniquitas perſequentium Chriſtum ex Dei eſt orta conſilio? & illud facinus, quod omni majus eſt crimine, manus divinæ præparationis armavit? Non hoc plane de ſumma Juſtitia ſentiendum eſt, quia malum diverſum, multumque contrarium eſt id, quod in Judæorum malignitate præcognitum, & quod in Chriſti eſt Paſſione diſpoſitum. Non inde proceſſit voluntas interficiendi, unde moriendi; nec de uno extitit ſpiritu atrocitas ſceleris, & tolerantia Redemptionis. Non enim impias furentium manus immiſit in ſe Dominus, ſed admiſit; nec præſciendo quod faciendum eſſet, coegit ut fieret, cum tamen ad hoc carnem ſuſcepiſſet, ut fieret.* Et inferius; *Quod itaque Dominus Jeſus Chriſtus furorem frementium pati voluit, in nullo auctor eorum criminum fuit, nec egit ut hæc vellent, ſed ceſſit ut poſſent; & ſic uſus eſt obcæcatæ plebis inſania, quomodo & perfidia traditoris, quem ab immanitate concepti ſceleris, & beneficiis eſt revocare dignatus, & verbis, aſſumendo in Diſcipulum provehendo in Apoſtolum; monendo ſignis, conſecrando myſteriis, ut cui nihil benevolentiæ deeſſet ad correctionem, nihil occaſionis ſupereſſet ad crimen.* (2) (2)

Cap. IX. v. 7. *Viri autem illi qui comitabantur, ſtabant ſtupefacti; audientes quidem vocem, neminem autem videntes*: At cap. XXVI. v. 14. *Omneſque nos cum decidiſ-*

cidiſſemus in terram, audivi vocem loquentem mihi. Cap. autem XXII. v. 9. *Et qui mecum erant, lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt ejus qui loquebatur mecum*, In quibus duæ videntur antilogiæ: *Prima*, Quod Sauli comites dicantur ſtetiſſe ſtupefacti & ſimul proſtrati: *Secunda*, Quod in priori loco dicantur audiviſſe vocem, neminem autem vidiſſe: In *poſteriori* vero, vocem non audiviſſe, lucem autem vidiſſe. *Reſp.* Illos Comites, Chriſti tonante voce attonitos, initio quidem cum Saulo fuiſſe collapſos & proſtratos; deinde vero ſurrexiſſe, atque præ metu pene exanimatos, non auſos ulterius progredi: unde *ſtabant*, id eſt, *ſiſtebantur*: Statio enim hic opponitur, non tam ſeſſioni, aut proſtrationi, quam motui & progreſſioni. *Ad ſecundum*, Dico eos Comites audiviſſe quidem vocem, ſeu potius vocis ſonum, non diſtinctum, & articulatum, ſed confuſum; itaut nec quæ dicerentur, nec qui loqueretur poſſent deprehendere: quamobrem additur, *ejus qui loquebatur mecum*, id eſt, Chriſti. Cui non abſimile eſt id, quod refertur Joann. XXII. v. 29. quod cum vox de cœlo ad Chriſtum fieret, turba circunſtans ſonum vocis audiens, verba autem, & ſenſum verborum non percipiens: *Alii dicebant tonitru eſſe factum, alii putabant Angelum Chriſto fuiſſe locutum.* Similiter viderunt quidem lumen circumfuſum; Chriſtum vero cum Saulo loquentem non viderunt.

Cap. XIII. v. 2. *Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod aſſumpſi eos:* quibus ſignificat Chriſtus Paulum ab Apoſtolis & Fidelium ſuffragiis in Apoſtolum, & Eccleſiæ Doctorem eſſe ordinandum: At ille ad Galat. I. v. 1. *Paulus Apoſtolus, non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum & per Deum Patrem.* Reſp. Segregationem illam Pauli ad opus, non fuiſſe primam illius vocationem ad Apoſtolatum, ad quem jam Chriſto vocante, fuerat electus initio ſuæ converſionis (Dixit enim Dominus ad Ananiam de ipſo Paulo *Vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram Gentibus, &c.*) ſed potius commiſſi ipſi a Chriſto Apoſtolici muneris exercitium; nec non declarationem publicam eum revera fuiſſe a Deo electum in Apoſtolum & Evangelii Doctorem; ut haberet etiam teſtimonium ab Eccleſia ſinceritatis & veritatis ſuæ Doctrinæ,
(3) ne quis de illius certitudine dubius eſſet. (3)

Cap. XXII. v. 39. *Ego homo ſum quidem Judæus a Tarſo Ciliciæ*: At Cap. XXII. v. 28. Interrogatus a Tribuno, an Romanus eſſet, dixit *etiam* & Romanum ſe eſſe natum. *Reſp.* Revera Paulum fuiſſe patria Tarſenſem; nihilominus civium Romanorum privilegiis & juribus donatum: Tarſus enim, ubi natus erat, juribus & privilegiis Civitatis Romanæ gaudebat, teſtibus Plinio [a], Dione, & Caſſio [b]. Hæc ergo minime pugnant; nempe origine & profeſſione eſſe Judæum, patria Tarſenſem, privilegiis & juribus civem Romanum.

[a] Lib. VII. cap. XXVII.
[b] Lib. XXXVII.

Cap. XXV. *Ad Cæſaris Tribunal ſto, ibi me oportet judicari:* At I. Cor. cap. VI. v. 1. Reprehendit Fideles, qui in judicio contendebant coram Judicibus Ethnicis: *Audet*, inquit, *aliquis veſtrum habens negotium adverſus alterum judicari apud iniquos!* Reſp. Hic eſſe diſtinguendum inter perſonas litigantes, quando videlicet uterque, tam actor, quam reus, Fideles ſunt, & Eccleſiæ filii: tunc enim damnandus eſt ille, qui fratrem ſuum Chriſtianum ad Tribunal Ethnici Magiſtratus, præſertim pro re leviſſima, provocat, cum litis & contentionis ſuæ deciſionem excipere poſſet ab adhibitis Fidelibus Arbitris, & Paſtoribus Eccleſiæ. Secus vero eſt, quando alteruter litigantium Infidelis eſt, nec poteſt aliunde damnum reſarciri, aut præpediri vexatio, quam per Judicium & Sententiam Ethnici Magiſtratus. Porro S. Paulus a Judæis vim paſſus, & in extremo vitæ diſcrimine propter eorum inſidias & infeſtationes, poſitus, cum aliud Tribunal, & medium ſeſe tuendi non haberet, licite provocavit ad Tribunal Cæſaris: maxime cum, non ſolum vitæ ſuæ, ſed & Eccleſiæ conſuleret; ut nempe Fideles quos Chriſto pepererat, verbis, vel ſcriptis poſſet in fide confirmare. Quo etiam divinis mandatis & monitis parebat; nam, ut legimus cap. XXIII. v. 11. Chriſtus apparens ei nocte, ait: *Conſtans eſto; ſicut enim teſtificatus es de me in Jeruſalem, ſic te oportet & Romæ teſtificari.* Ut ergo huic divinæ monitioni faceret ſatis, occaſionem commodam nactus, appellat Cæſarem, ut ſic tuto poſſet Romam proficiſci, & ibi Evangelium diſſeminare.

Cap. XXVII. v. 33. *Quarta decima die, hodie expectantes, jejuni permanetis, nihil accipientes*; At homo, alioquin ſanus, teſte Hypocrate, non poteſt ultra ſeptem dies, ſine ullo cibo vivere. *Reſp.* Quod etſi miraculo deputet S. Chryſoſtomus quod illi tamdiu jejuni ſteterint incolumes; nihilominus verius dicendum arbitror, verba iſta *nihil accipientes*, ſic eſſe intelligenda; quod illi nihil comederint per modum ſtati & ordinarii convivii, ſed tantum carptim & obiter quædam delibaverint, quantum ſcilicet neceſſarium erat ad vitam tuendam, & vires fovendas.

Ex Epiſtola ad Romanos.

§. II.

CAP. I. v. 8. *Gratias ago Deo meo per Jeſum Chriſtum pro omnibus vobis, quia fides veſtra annuntiatur in univerſo Mundo*: At eo tempore quo Apoſtolus hæc ſcribebat ad Romanos, Evangelium non erat ubique terrarum diſſeminatum. *Reſp.* Quod etſi forte Evangelica lux eo tempore nondum ſingulis Nationibus irradiaſſet; nihilominus tamen cum Roma eſſet Caput Imperii, & ex omnibus Mundi Nationibus homines in eam confluerent, fieri facile potuit, ut per numeroſiſſimum Gentium illuc affluxum, Fides Chriſtianorum ibi degentium longe lateque inclareſceret. *Accedit*,

dit, quod cum Epiſtola ad Romanos, una ſit ex poſtremis quas ſcripſit S. Paulus; veroſimile eſt eo tempore Evangelicam prædicationem, & lucem omnibus Nationibus jam innotuiſſe.

Cap. II. v. 13. *Factores Legis juſtificabuntur:* At cap. III. v. 20. *Ex operibus Legis non juſtificabitur omnis caro*. Reſp. Apoſtolum in priori textu ſermonem facere de Legis obſervantia cum fide & gratia Chriſti, in his maxime quæ ex Lege Moſaica per Evangelicam non fuerunt reſciſſa & innovata: In poſteriori vero de obſervatione pura & nuda ipſius Legis Moſaicæ, in qua maxime Judæi gloriabantur; quorum ut ſupercilium reprimeret Apoſtolus oſtendit perfectam non eſſe ſperandam juſtitiam ex ſimplici iſtius Legis obſervatione, quæ dumtaxat immunditiam Legalem eluebat. Unde ſubdit, *Juſtitia autem Dei per fidem Jeſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes qui credunt in eam.* (4) (4)

Cap. III. *Quæ utilitas Circumciſionis? multum per omnem modum*: at I. Cor. VII. v. 19. *Circumciſio nihil eſt*; & cap. V. ad Galat. *Neque Circumciſio aliquid valet*. Reſp. Circumciſionem plurimum profuiſſe Judæis ante promulgationem Legis Evangelicæ; ſiquidem eis erat in ſignaculum Fidei: & nota qua in Dei peculium adlegebantur, ut eſſent *Populus ejus, & oves paſcuæ ejus*: quin etiam inſerviebat ad remiſſionem Peccati Originalis, uti docent SS. Auguſtinus a, Bernardus, b & Gregorius: *Quod*, inquit, *apud nos valet aqua Baptiſmi, hoc egit apud Veteres, vel pro parvulis ſola fides, vel pro majoribus virtus ſacrificii, vel pro iis qui de Abrahæ ſtirpe prodierant myſterium Circumciſionis*. At promulgata Evangelica Lege, illius, ſicut & antiquæ Legis Sacramentorum virtus omnis elanguit, & eorum utilitas reſciſſa fuit & abrogata. Quamobtem Apoſtolus ad Galat. Cap. II. v. 1. ait, *Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit*.

a Lib. de Civit. cap.
b Lib. quarto Moralium, cap.

Cap. IV. v. 20. De Abrahamo dicitur *in repromiſſione etiam Dei, non hæſitavit diffidentia:* At Geneſ. XV. Cum audiſſet Deum ſibi promittentem poſſeſſionem terræ Chanaam, illam promiſſionem ſigno confirmari petiit, dicens, *Unde ſcire poſſum, quod poſſeſſurus ſum eam*: Similiter Geneſ. XVII. audita promiſſione divina ſibi facta de futura Prole, cum jam eſſet centenarius *Riſit dicens in corde ſuo, putaſne centenario naſcetur filius?* Reſp. I. Ea verba Abrahamum non protuliſſe ex animi diffidentia: Nam ibidem v. 6. legimus *Credidit Abrahum Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam*: Sed requiſivit modum exequendæ illius divinæ promiſſionis. Vel petiit ſignum, non ſibi, ſed poſteris; ut ipſi, tametſi in terra aliena captivi, certiſſimi eſſent ſe divinitus aliquando in libertatem reſtituendos propter illam Abrahæ factam repromiſſionem, & ſigno ſenſibili confirmatam. *Ad ſecundum* dico, Abrahamum ea dixiſſe, non ex incredulitate, & cordis hæſitatione; ſed ex admiratione, propter repromiſſum ſibi tam inſolitum, & ſtupendum beneficium; unde ibidem Apoſtolus paulo ante dixerat, *Et non infirmatus eſt in fide, nec conſideravit corpus ſuum emortuum, &c.*

Cap. V. v. 20. *Lex ſubintravit ut abundaret delictum*: At cap. VII. v. 12. *Lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, &c.* Reſp. Revera quidem Legem eſſe immaculatam & ſanctam, quippe cum nihil præſcribat quod non ad Dei cultum, utilitatem proximi, & propriam hominis Legem ſervantis ſanctimoniam ſpectet. Triplicia enim erant veteris Legis præcepta; ſcilicet *Ceremonialia*, quibus cultus & Religio erga Deum; *Iudicialia*, quibus juſtitia erga proximum; & *Moralia*, quibus modi comparandæ & ſervandæ ſanctitatis & virtutis erga ſeipſum præſcribebantur. Nihilominus Lex fuit, non quidem cauſa, ſed occaſio, ut abundaret delictum: non per ſe & directe, ſed indirecte & per accidens: *Nitimur enim in vetitum ſemper, cupimuſque negata*. Unde S. Auguſtinus c *Lex ideo data eſt, ut creſcente peccato, humiliarentur ſuperbi; humiliati confiterentur; confeſſi, ſanarentur*. Non quidem per Legis iſtius virtutem; Siquidem illa neminem ad perfectum adducebat: Hinc idem S. Auguſtinus d; *Lex minabatur, non opitulabatur; jubebat, non ſanabat; languores oſtendebat, non auferebat*; ſed per gratiam Jeſu Chriſti, qui ſanat omnes infirmitates noſtras.

c In Pſalm. 102.
d Tractatus III. in Joann.

Cap. VI. *Liberati autem a peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ:* At ibidem v. 20. *Cum ſervi eſſetis peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ.* Reſp. Fideles a peccatis ſolutos, & jugo Chriſti, atque Evangelicæ Legi mancipatos, ſimul eſſe juſtitiæ ſervos & liberos. *Servi* quidem ſunt, quia non habent licentiam quidvis agendi pro arbitrio, ſed tenentur ſectari normam vivendi a Chriſto D. & Eccleſia præſcriptam. *Liberi* vero, quia durum peccati & Dæmonis jugum excutientes voluntarie, & animo lubenti ſeſe divinorum mandatorum obſervationi ſubjiciunt. Unde in ipſis eſt libertas religioſa, non effrænata licentia; & voluntaria ſervitus, non violenta coactio: hoc eſt, libertas ſerva, & ſervitus libera.

Cap. VII. v. 6. *Nunc autem ſoluti ſumus a Lege*: At Matthæi V. 7. Chriſtus D. ait *Non veni Legem ſolvere, ſed implere*. Reſp. Apoſtolum ſignificare nos eſſe per Chriſti gratiam ſolutos & liberos a graviſſimo Legis veteris jugo, & irritatione ad peccandum; quo fiebat ut illa eſſet occaſio mortis & divinæ animadverſionis: non vero ab obſervantia præceptorum Decalogi, & aliorum quæ ad mores probe inſtituendos ſpectabant, & quæ Chriſtus non venit ſolvere, ſed implere, tam in ſe, quam in ſuis Sectatoribus. (5) (5)

Ibidem v. 18. *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio:* At Phil. II. v. 13. *Deus operatur in nobis velle & perficere*. Reſp. Apoſtolum ſignificare, in ſe quidem jam ad Chriſtum converſo bonam eſſe propenſionem ad volendum id quod bonum eſt, imo & ipſam bonam voluntatem a Spiritu

ritu S. excitatam: at reluctantibus illecebris corporis & animi affectibus, nonniſi cum difficultate, atque alia opitulante gratia, piam illam voluntatem executioni poſſe mandare. Quamobrem v. 22 ſubjicit, *Condelector Legi Dei, ſecundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.*

Cap. XIV. v. 6. *Qui ſapit, diem, Domino ſapit*: At ad Galat. cap. IV. v. 10. *Dies obſervatis, & menſes, & tempora, & annos*: quibus Apoſtolus reprehendit Fideles, qui abrogatam Legem Moſaicam in Feſtorum dierum obſervatione iterum ſectabantur: igitur improbat quod prius approbaverat. *Reſp.* Apoſtolum in priori loco indulgere infirmitati Judæorum, qui recens ad Chriſtum converſi, præſcriptos in Moſaica Lege Feſtos dies religioſe ſervabant, diſcernebantque diem Sacrum a Prophanis, ut a cibis in ipſa Lege vetitis, illis præſertim diebus abſtinerent. *Erant enim*, ait Theophylactus, *inter Romanos nonnulli ex Judæis Chriſtiani, qui etſi a carne ſuilla ordinarie non abſtinerent; ſtatutis tamen diebus ab ea cavebant: alii vero qui illa aſſidue veſcerentur, & qui abſtinentes illos incuſabant.* Quamobrem inter eos ea de re non levis exoriebatur contentio, quam ut cohiberet Apoſtolus, quemque reliquit ſuo conſilio, dummodo id ſolum ad Dei gloriam referat.

Siquidem utrumque vacabat crimine, neutrumque juſta erat reprehenſione dignum; quoniam qui id ſectabantur, non id præſtabant quod crederent Legis Moſaicæ obſervantiam adhuc vigere; ſed ea dumtaxat ex devotione, & pietate, in qua fuerant inſtituti ab infantia, exequebantur. Secus autem erat de Galatis, qui in eo errore verſabantur, ut Legem Moſaicam una cum Evangelica neceſſario ad ſalutem, ſervandam eſſe judicarent. Neque enim putandum eſt Apoſtolum his in locis damnare ciborum certis diebus abſtinentiam; dierumque Feſtorum obſervantiam ab Eccleſia præſcriptam; quippe eum ejus præceptis alibi jubeat eſſe parendum; ſed tantum id vetat fieri animo & ritu Judaico. Qua de re audiendus S. Hieronymus a. „ Dicet, *inquit*,
„ aliquis; ſi dies obſervare non licet, &
„ menſes, & tempora, & annos, nos quo-
„ que ſimile crimen incurrimus, quartam
„ Sabbati obſervantes, & Paraſceven, &
„ diem Dominicam, & jejunium Quadrage-
„ ſimæ, & Paſchæ Feſtivitatem, & Pente-
„ coſtes lætitiam: & pro varietate Regio-
„ num, diverſa in honore Martyrum tem-
„ pora conſtituta. Ad quod, qui ſimplici-
„ ter reſpondebit, dicet; Non eoſdem Ju-
„ daicæ obſervationis dies eſſe, quos no-
„ ſtros. Nos enim non azymorum Paſcha
„ celebramus, ſed Reſurrectionis & Crucis:
„ nec ſeptem juxta morem Iſrael numeramus
„ hebdomadas in Pentecoſte, ſed Spiritus
„ Sancti veneramur Adventum. Et ne in-
„ ordinata congregatio populi fidem minue-
„ ret in Chriſto, propterea dies aliqui con-
„ ſtituti ſunt, ut in unum pariter omnes ve-
„ niremus: Non quo celebrior ſit dies illa
„ qua convenimus, ſed quo quacumque die
„ conveniendum ſit ex conſpectu mutuo læ-
„ titia major oriatur. Qui vero oppoſitæ
„ quæſtioni accuratius reſpondere conatur,
„ illud affirmat, Omnes dies æquales eſſe,
„ nec per Paraſceven tantum Chriſtum cru-
„ cifigi, & die Dominica reſurgere, ſed
„ ſemper ſanctum Reſurrectionis eſſe diem,
„ & ſemper eum carne veſci Dominica:
„ Jejunia autem & Congregationes inter
„ dies propter eos a viris prudentibus con-
„ ſtitutos, qui magis ſæculo vacant quam
„ Deo; nec poſſunt, imo nolunt toto in
„ Eccleſia vitæ ſuæ tempore congregari,
„ & ante humanos actus Deo orationum
„ ſuarum afferre ſacrificium. Quotus enim
„ quiſque eſt, qui ſaltem hæc pauca quæ
„ ſtatuta ſunt, vel orandi, vel jejunandi
„ ſemper exerceat? Itaque ſicut nobis licet,
„ vel jejunare ſemper, vel ſemper orare,
„ & diem Dominicam, accepto Domini
„ Corpore, indeſinenter celebrare gauden-
„ tibus; non ita & Judæis fas eſt omni
„ tempore immolare Agnum, Pentecoſten
„ agere, Tabernacula figere, jejunare quo-
„ tidie.

Idem quoque ſenſum indicans Apoſtoli, tradit hunc locum plenius ab Apoſtolo eaplicari in Epiſt. ad Colloſ. ubi ita ſcribit: *Nemo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei Feſti, aut Neomeniæ, aut Sabbatorum: quæ ſunt umbra futurorum.*

a In hunc locum ad Galat.

AD CAPUT DECIMUMTERTIUM

SUPPLEMENTUM

EX ACTIBUS APOSTOLORUM.

(1) CAP. 2. ℣. 38. = Baptizzetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti = Matthæi ultimo ℣. 19. jubentur Apoſtoli baptizzare fideles in eaplicita Trinitatis invocatione.

Reſp. Varias eſſe Commentatorum opiniones circa baptiſmum, quem legimus in nomine Chriſti adminiſtratum. Alii etenim ex divina diſpenſatione id factum arbitrantur, ut nomen illud Servatoris, in quo ſolummodo eſt ſalus, exoſum Judæis, venerabile magis, magiſque redderetur fidelibus. Nec opus eſt, quod hujuſcemodi diſpenſatio ad tempus, in Scripturis Sanctis legatur expreſſa; cum enim factum legimus ab Apoſtolls Spiritu Sancto repletis, legitime factum ſupponamus oportet, quemadmodum Abraham, cæteroſque Patriarchas Sanctiſ-

ſimos

Digitized by Google

ſimos a Deo diſpenſatione donatos in ordine ad polygamiam credamus neceſſe eſt, ſi ea legi naturæ quodammodo ſit oppoſita, quamvis hanc eis factam libertatem a lege haudquaquam legamus. Alii autem nunquam baptiſmatis formam fuiſſe mutatam tuentur, ſed potius hoc pacto enunciatam conjiciunt = Ego te baptizzo in nomine Patris, & Filii ejus Jeſu Chriſti, & Spiritus Sancti = Denique baptiſma in Chriſti nomine adminiſtratum, nil aliud ſignificare ajunt alii, quam divinum lavacrum in fide, profeſſione, virture, & meritis Chriſti fuiſſe collatum; aut per *baptiſma in nomine Chriſti* baptiſma a Chriſto inſtitutum intelligunt; quamcumque ea hiſce amplectamur ſententiis, nullum admittitur inconveniens; modo formam eſſentialem baptiſmi, quidquid ſit de aliqua diſpenſatione divinitus tradita primis Eccleſiæ temporibus, explicitam Trinitatis invocationem eſſe confiteamur.

(2) Cap. 9. ℣. 2. legimus a Saulo obtentas Epiſtolas a Sacerdotum Principe, ut ſi quos inveniſſet Damaſci viros, ac Mulieres ad Chriſtum converſos in Jeruſalem vinculis adſtrictos perduceret. Quo jure ea aliena ditione vinctos perducere poterat eique ſacerdotum Princeps talem committere poteſtatem?

Reſp. Hojuſcemodi literas non mandata, ſed potius declarationes, & hortationes continuiſſe. Romani ſiquidem Synedrio permiſerant jus reprehenſionis, & verberum, non tantum in Judæos Palæſtinæ, verum etiam extra Palæſtinam, ubi erant Synagogæ, quæ ſponte ſua juriſdictionem Synedrii in rebus Religionis agnoſcebant. Rea etiam Damaſci Judæis permiſiſſe creditur, ut ſuæ gentis hominibus jus dicerent. Ex Epiſtola denique 2. ad Corinth. Cap. 11. ℣. 31. intelligimus Regem Aretam in perſecutionem contra Chriſtianos conſenſiſſe: Non ergo mirum ſi Saulus Epiſtolas in Damaſcum perferendas accepit.

(3) Cap. 13. ℣. 48. = Et crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam = An quicumque ea turba illa crediderunt ſalvati ſunt; & qui non crediderunt pro tunc ſpem conſequendæ ſalutis amiſerunt?

Reſp. Multa, & varia ab Interpretibus, magiſque a Polemicis etiam Catholicis in diverſas abeuntibus de prædeſtinatione ſententias tradita eſſe, ut ſenſum huic textui propriæ opinioni faventem unuſquiſque tribueret. Calvinus & Beza ex Hæreticis, & alii ex Catholicis eam ea hoc Scripturæ loco prædeſtinationem ad gloriam nituntur aſtruere, quæ a ſola Dei electione, atque decreto, quælibet ſalvandorum merita prævertente, etiam in ordine ad eorum prævifionem, dependet; adeo ut ſit ſenſus: ideo crediderunt, quia præordinati erant ad vitam æternam; in qua præordinatione (finis) continetur, & præordinatio mediorum, quorum primum eſt fides: ita præter citatos opinantur Carthuſianus, Eſtius, aliique Catholicorum Theologorum plures, qui nihilominus a Calviniſtarum, aliorumque Hæreticorum ſententia, toto Cœlo diſcriminantur. cum ex decreto illo electionis prævertente humana merita, nec tantiſper creatam libertatem offendi tuentur Catholici; ab oppoſito autem Calviniſtæ nullum in homine libertatis arbitrium relinquant, quod extinctum ex una parte per efficax prædeſtinationis decretum, ex altera per efficacem illam gratiam, quæ ad opera bona hominem præmovet, & ineluctabiliter determinat, arbitrantur. Alii vero Commentatores nihil in hoc Actorum textu conſpiciunt quod poſſit ad prædeſtinationem æternæ vitæ referri; ubi enim revelatum eſt quod omnes unius loci prædeſtinati eodem tempore credere debuerint? ubi pariter omnes credentes illos fuiſſe etiam ad vitam æternam deſtinatos ſcriptum eſt? quis oſtendat Sancto Lucæ arcanum de ſingulis, qui erant ad vitam æternam perventuri, quique ab eadem deſcituri, fuiſſe patefactum, & non potius hoc in loco eos recenſuiſſe, qui digni erant, ſeu aptè diſpoſiti ad recipiendum fidei donum in ea Apoſtolorum concione? profecto ſacer Hiſtoricus uſus non eſt voce προωρισμένοι, quæ eſſet *prædeſtinati*, ſed τεταγμένοι quæ *ordinati* ſonat; unde Chryſtomus explicat *Separati Deo, devoti, addicti, parati*, ſive *diſpoſiti ad vitam æternam*: qui ſcilicet cor habebant probum, ſincerumque pie vivendi deſiderium, in qualibus Evangelium fructum ferre ſolet; non tamen credenda eſt hujuſcemodi diſpoſitio ex eorum voluntate ſine gratia Dei præveniente originem habuiſſe. Sunt tandem, qui putant vocem illam τεταγμένοι verti poſſe *in ordine collocati*, ſive *congregati*, adeo ut ſenſus ſit, *&* *crediderunt quotquot jam convenerant* (ad audiendum verbum Dei) *ſeu congregati erant in vitam æternam*.

Cap. 19. ℣. 10 dicitur Paulus per biennium in Schola cujuſdam Tyranni evangelizaſſe. Capite autem 20. ℣. 31. ait ipſemet Apoſtolus per triennium apud eoſdem nempe Epheſios permanſiſſe, atque ſalutis monita tradidiſſe.

Reſp. Ex Cornelio, Capello, & Grotio biennium integrum coniungendum eſſe cum tempore prioris adventus Pauli in Epheſum, de quo Actorum 18. ℣. 19. unde annus ille unus anni pars eſt intelligendus, nempe bimeſtre, quo antea docuerat; ſæpe enim Scriptura integrum tempus pro una parte deſumit; triennium itaque a Paulo commemoratum non a poſteriore Pauli adventu Epheſum, ſed a priore eſt incipiendum.

Cap. 21. ℣. 27. Legimus = dum autem ſeptem dies conſumerentur = Hæc autem minime conciliari poſſunt cum duodecim diebus, quos Paulus Cap. 24. ℣. 11. deſignat, niſi dixerimus eum captum ab Judæis die tertio purificationis ſuæ non vero ſeptima die.

Reſp. Verbum iſtud *dum conſumerentur* non finem illorum dierum ſignificare, ſed potius actualem illorum dierum tranſitum: adeo ut ſenſus ſit: dum autem pertranſirent ſeptem illi dies; quæ quidem expreſſio quamlibet indicat temporis differentiam intra ſeptem

ptem illos dies incluſam. Quando autem inchoandi ſint illi dies ſeptem diſputant Commentatores, cum vel ab adventu Pauli Jeroſolymas, vel ab initio ſuæ incœptæ purificationis poſſint habere principium.

Ex Epiſtola ad Romanos.

(4) CAP. 2. ℣. 14. = Gentes naturaliter ea, quæ legis ſunt faciunt = Capite autem 15. Joannis ℣. 5. = ſine me nihil poteſtis facere =.

Reſp. Ex hoc Pauli teſtimonio non minus confoſſum Baii errorem fuiſſe, in propoſitione ejus ſub num. 25. contentum, quo defendebat omnia infidelium opera eſſe peccata; quam omne a Pelagianiſmi fæce infectis præſidium aſciſci ſolitum ex eodem teſtimonio eſſe ſublatum, ſi legitime Apoſtoli mentem interpretemur. Actus itaque humani ſub duplici relatione conſiderari cum poſſint, & in quantum videlicet ordinem dicunt ad meritum præmii ſupernaturalis, quia legi divinæ cohærentes; & in quantum meræ actiones ſunt humanæ, quæ a quadam naturali affectione, non inordinata procedunt, cujuſmodi eſſet in egentem commiſeratio, ex mera naturali propenſione derivata; hinc fieri non poteſt, ut præmii ſupernaturalis dignum ſit opus, quod ex mero naturali principio deſcendit, quomodocumque illud opus rectæ rationi ſit conſonum, ſemper etenim intra ſphæram naturalitatis relinquitur, niſi ex gratia Dei ſupernaturali tanquam ex principio proveniat; hac de cauſa jure, meritoque ajebat Chriſtus Dominus nihil ab hominibus fieri poſſe abſque influxu divinæ gratiæ, quod dignum eſſet æternæ vitæ: Apoſtolus autem, dum inquit a Gentibus fieri, quæ ſunt Legis, naturaliter; non de operibus loquitur præmio ſupernaturali dignis, ſed de operibus, quæ ad culpam imputari non poſſunt, cum legi ſaltem lumine naturæ perſpectæ ſint conſona, proindeque in ordine naturali laudabilia. Sunt tamen, qui putant ab Apoſtolo ſermonem fuiſſe inſtitutum de Gentibus, quæ abſque exteriori doctrina, & revelatione, ſed ſolo inſtinctu, ac naturali judicio plura exequebantur, quæ in lege præcepta erant, quin tamen omnia Dei auxilia ab hujuſmodi gentibus eſſent ſublata. Nec Baii ſuffragatur errori altera Pauli ſententia Cap. 14. ℣. 23. *omne quod non eſt ex fide peccatum eſt*, quaſi ſcilicet deficiente fide, quæ radix eſt, & principium omnis juſtificationis, quælibet opera hominis ſint peccata. Ibidem etenim per *fidem* Apoſtolus *fiduciam* intelligit, *perſuaſionem internam*, atque *conſcientiam*, adeo ut ſit ſenſus: eſſe peccatum, quod fit reclamante conſcientia, vel dubitante. . .

Cap. 7. ℣. 7. = Non cognovi peccatum niſi per legem = Cap. 2. hujus Epiſtulæ ℣. 12. dixerat perituros quoſcumque ſine lege peccantes. (5)

Reſp. Ab Apoſtolo minime excludi quamcumque peccati notitiam, ubi lex deſit ſcripta ſed diſtinctam, & claram; quamvis enim aliquo modo divina voluntas, ſeu naturalis juris præcepta in hominum cordibus exculpſerit ſummus Deus; poſtquam tamen diuturna morum, atque conſuetudinum varietate obnubilatum ferme naturæ lumen, atque obſcuratum fuit, vix rectum a curvo, juſtum ab injuſto, honeſtum a turpe hominibus diſcernendi facultas remanſerat; unde revelatio divinæ legis fuit neceſſaria, per quam quid amplectendum, quidve fugiendum innoteſceret. Quis enim noverat ex gentilibus concupiſcentiam eſſe peccatum? quis ante legem putaſſet ſe ſontem ex temeraria divini nominis uſurpatione, ex inimici occiſione, ex uſurarum extorſione, aliiſque innumeris actionibus, in quibus tamen habebatur peccatum? Perituras utique gentes ſine lege ſcripta, vel revelata peccantes monet Apoſtolus, non vero ſine quacumque lege delicta patrantes: quia nullus eſt ſui compos, & uſu rationis donatus, qui legem aliquam digito Dei in corde ſcriptam non geſtet. W.

C A P U T XIV.

Ex Epiſtolis ad Corinthios, ad Galatas, & ad Epheſios.

§. I.

CAP. 1. v. 17. *Non enim miſit me Chriſtus baptizare, ſed evangelizare*; At Matth. XVIII. v. 19. Chriſtus Apoſtolos delegans ad hominum converſionem & ſalutem, ait: *Euntes, docete omnes Gentes, baptizantes eos, &c.* Reſp. Duplex potiſſimum fuiſſe Apoſtolici miniſterii munus: nimirum Evangelii Prædicationem, & Sacramentorum adminiſtrationem: iſtud principale; hoc minus præcipuum. Apoſtoli namque id potiſſimum debebant intendere, ut ſalutarem Evangelii Doctrinam hominibus ingererent; quatenus illi ad Chriſtum converſi per Baptiſmi gratiam regenerari poſſent, & in Fidelium cœtum adlegi: quod cum per inferiores Eccleſiæ Miniſtros, puta Sacerdotes & Diaconos, poſſet executioni demandari; Prædicationi Evangelii potiſſimum Apoſtoli incumbebant.

Cap. III. v. 11. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus*: At Epheſ. XI. v. 20. *Ædificati eſtis ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum*. Reſp. Eccleſiæ & ſalutis noſtræ fundamentum eſſe duplex; principale, ac primarium; & minus principale; ac ſecundarium: Chriſtus D. ſolus eſt primarium Eccleſiæ, & cujuſque animæ fidelis fundamentum quod ſeipſo conſiſtit, & omnia propria virtute, ſuſtinet etiam Apoſtolos:

los: *Ipſius enim gratia ſalvati ſumus*. Quamobrem [a] S. Auguſtinus eum appellat *Fundamentum fundamentorum*, in quo omnium noſtrum ſalus ſtabilitur & fulcitur. Nihilominus tamen Apoſtoli, qui Evangelicam fundamentalem Doctrinam diſſeminarunt, quique in fide & charitate poſt adventum in eos S. Spiritus ſteterunt inconcuſſi, etiam recte dicuntur Eccleſiæ fundamenta ſecundaria & minus præcipua: utpote qui plures fundarint Eccleſias, & Fideles omnes ſua Doctrina, conſtantia, & ſanctimonia confirmaverint.

a In Pſalm. 86. v. 1.

Cap. IV. v. 13. *Neque meipſum judico*: At cap. XI. v. 31. *Si nos judicaremus, non judicaremur*. Reſp. Apoſtolum in priori textu proſcribere judicium vanitatis, quo quis ſe aliis inani gloria anteponens, dignitates aut honores ambit, optatque ſe aliis præferri. In poſteriori vero, commendat judicium probationis & correctionis, quo quis proprios defectus inveſtigans, & habens ob oculos, invigilat ut eos emendet.

Cap. VII. v. 1. *Bonum eſt homini mulierem non tangere*: At v. 2. *Unuſquiſque ſuam* [b] *habeat uxorem*. Reſpondet S. Hieronymus Apoſtolum non dicere: „ *Bonum*
„ *eſt mulierem non habere*, ſed *bonum eſt mu-*
„ *lierem non tangere*, quaſi & in tactu pe-
„ riculoſum ſit, quod qui illam tetigerit,
„ non evadat; nempe quæ virorum præ-
„ tioſas animas rapit, & facit adoleſcen-
„ tium evolare corda. Alligabit quis in ſi-
„ nu ignem, & non comburetur? aut am-
„ bulabit ſuper carbones ignis, & non ar-
„ debit? Quomodo igitur qui ignem teti-
„ gerit, ſtatim aduritur; ita viri tactus &
„ fœminæ, ſentit naturam ſuam, & diver-
„ ſitatem ſexus intelligit. Narrant & Gen-
„ tilium fabulæ, Mithram & Erichthonium,
„ vel in lapide, vel in terra de ſolo æſtu
„ libidinis eſſe generatos. Unde & noſter
„ Joſeph, quia tangere eum volebat Ægy-
„ ptia, fugit ex manibus ejus; & quaſi ad
„ morſum rabidiſſimi canis, ne paulatim
„ virus ſerperet, pallium quod tetigerat,
(1) „ abjecit. Hæc S. Hieronymus. (1)

b Lib. 1. contra Jovinianum.

Ex II. ad Corinthios.

§. II.

CAP. I. v. 8. *Supra modum gravati ſumus ſupra virtutem*: At I. ad Corint. X. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis*. Reſp. Apoſtolum in hoc utroque textu intelligendum eſſe de tribulationibus & tentationibus, vel corporeis, vel ſpiritualibus, ab hominibus, aut a Dæmone ingeſtis, eiſque vel per ſolas naturæ vires, vel animo divina gratia vegetato & roborato, ſubeundis. Certum eſt autem calamitates illas omnes interdum ita graves videri, ut in eis animus omnino deficeret, niſi cœleſti gratia & virtute roboraretur. Ubi vero divino vegetatur auxilio, glorioſum de iis tribulationibus triumphum agit. Quamobrem gloriabatur Apoſtolus ad Romanos VIII. v. 38. *Certus ſum quia neque mors, neque vita .... poterit nos ſeparare a charitate Dei*. Unde illud (*ſupra virtutem*) ſignificat ſupra vires naturæ & corporis; non ſupra vires animi & gratiæ: tantum enim abeſt ut Apoſtolus divina gratia vegetatus, animum abjiceret; ut etiam diceret ad Romanos V. *Gloriamur in tribulationibus*, &c. quoniam, ut ſubjicit in hoc Capite quod expendimus, v. 5. *Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra*.

Cap. V. v. 16. *Etſi cognovimus ſecundum carnem Chriſtum, ſed nunc jam non novimus*: At S. Paulus non fuit Chriſti D. Diſcipulus, nec ejus converſationis in vita mortali comes. Reſp. Apoſtolum his verbis ſignificare, vel quod ſi aliquando Chriſtum (quem haud dubie vidit, aut ſaltem plurima de eo audivit dum viveret) judicavit hominem pure mortalem, jam depoſito illo errore, noverat immortalem & impaſſibilem: *Vel* quod ſi olim gloriaretur de Chriſto, quod ex ſua Gente eſſet oriundus: Et ea ratione, longe majorem cum eo, tam ipſe, quam Fideles ex Hebræis, haberent affinitatem, quam ex gentibus converſi, jam vana & inani illa jactantia abjecta, illuſtrius de Chriſto ſentiret; eum videlicet eſſe Hominem Deum, totius mundi Redemptorem & Doctorem, qui non ſolum Judæis, ſed & cunctis hominibus eſſet auctor gratiæ & ſalutis æternæ. *Vel* denique intendit Apoſtolus, quod ſi, dum Chriſtum, ejuſque Sectatores perſequeretur, affectu carnali de eo ſentiens, exiſtimaret eum eſſe Legis adverſarium & expugnatorem; jam prava illa rejecta ſententia, religioſius & verius de eo ſentiret.

Cap. XI. v. 4. *Si quis alium Chriſtum prædicat quem nos non prædicavimus, aut alium Evangelium quod non recepiſtis, recte pateremini*: At Galat. XVIII. *Licet nos, aut Angelus de Cœlo evangelizet vobis præter quod evangelizavimus, anathema ſit*. Reſp. Apoſtolum priori loco arguere Corinthios, quod ejus Prædicationi minus quam par erat deferrent, atque parati eſſent alteri etiam oppoſita iis quæ dixerat, Evangelizanti adhærere. Quamobrem ſubdit: *Exiſtimo me nihil minus feciſſe a magnis Apoſtolis: nam etſi imperitus ſermone, ſed non ſcientia*. In poſteriori autem textu, loquitur de Doctrina falſa gratiam & meritum Chriſti evacuante, quam Pſeudo-Apoſtoli diſſeminabant. Unde in utroque textu quærimoniam adverſus novellorum Fidelium inconſtantiam inſtituit. (2) (2)

Ex Epiſtola ad Galatas.

§. III.

CAP. I. v. 17. *Non veni Hieroſolymam ad anteceſſores meos Apoſtolos, ſed abii in Arabiam*: At Actor. IX. v. 26. refertur Paulum a converſione ſua Damaſco iviſſe Hieroſolymam. Reſpondent communiter Interpretes S. Paulum poſt converſionem ſuam, abiiſſe in Arabiam, cum rediiſſet Damaſ-

cum poſt annos tres, inde iviſſe Hieroſolymam, ut videret Petrum, quemadmodum ipſe teſtatur v. 8. Verum cum S. Lucas in præfato loco Actuum ſubjiciat, omnes Fideles Hieroſolymis conſiſtentes timuiſſe Paulum; *non credentes quod eſſet Diſcipulus. Barnabas autem apprehenſum duxit illum ad Apoſtolos, & narravit illis quomodo in via vidiſſet Dominum*; veroſimile non ſit Apoſtolos & alios Fideles Hieroſolymis conſiſtentes, nihil per triennium de miraculoſa Pauli converſione audiviſſe. Quamobrem dicendum arbitror cum S. Hieronymo, S. Paulum ſtatim a converſione ſua iviſſe Hieroſolymam, ſed clam & in abſcondito, atque neceſſitate fugæ compulſum; non autem ut videret Petrum, & conferret cum eo Evangelium quod tantum ſe feciſſe initio ſuæ converſionis, hic negat; quippe cum id egerit ſolum per tres annos; *Deinde*, inquit,
(3) *poſt annos tres veni Hieroſolymam, ut viderem Petrum, &c.* (3)

Cap. IV. v. 25. *Sina enim mons eſt in Arabia, qui conjunctus eſt ei, qui nunc eſt Jeruſalem:* At mons Sina longiſſimo intervallo diſtat ab Hieroſolymitana civitate. *Reſp.* Sina Hieroſolymæ eſſe conjunctum, non vicinia loci, quaſi eſſet confinis & conterminus Hieroſolymæ, ſed conformitate ſimilitudinis, ut explicat Theophylactus. Hinc Gloſſa ordinaria, *conjunctus*, inquit hoc eſt, *ſimilis*, eſt enim convenientia quadruplex (juxta mentem Apoſtoli) inter montem Sinai & Jeruſalem I. Quia ſicut Sina mons ſterilis eſt in deſerto; ſic Hieroſolyma civitas brevi futura erat ſterilis, & expugnanda atque vaſtanda a Romanis; jamque ſterilis erat in ſuis Sacramentis, Sacrificiis, & Legalibus cæremoniis, quarum virtus per Chriſti mortem fuerat evacuata. II. Sicut Sina eſt extra terram promiſſionis; ita Jeruſalem hæc Legalis & Synagoga a Deo reprobata, erat extra Eccleſiam Chriſti. III. Quod Hebræi illi (qui in monte Sinai, Moſe promulgante, divinam Legem acceperant) Judæorum, qui Jeruſalem ut Metropolim ſuæ Gentis incolebant, eſſent Majores. IV. Denique proximius ad mentem Apoſtoli, ſicut montis Sinai Arabes incolæ, agreſtem & ſervilem vitam ducebant; ita Jeruſalem ſeu Synagoga a Sina ortum habens, filios in ſervitutem generabat, qui umbris & figuris delectari, ſolidam Evangelii Doctrinam reſpuebant: Hic enim probare vult Apoſtolus Teſtamentum Vetus, quod in monte Sinai habuit exordium, filios dumtaxat in ſervitutem generare: quod utique hoc argumento evincit. Qualis fuit Sina, talis eſt Jeruſalem: at Teſtamentum in Sina conditum, fuit pro ſervis: igitur Jeruſalem, ſeu Synagoga, tantum ſervos generat. Quamobrem ſignanter ait, *quæ nunc eſt Jeruſalem*; quaſi diceret, *præſens Judaica Jeruſalem*, quam verſu ſequenti opponit Hieroſolymæ cœleſti, ſeu Eccleſiæ, quæ non eſt inſtar ancillæ. *Illa autem*, inquit, *quæ ſurſum eſt Jeruſalem, libera eſt, quæ eſt Ma-*
(4) *ter noſtra.* (4)

Cap. VI. v. 2. *Alter alterius onera portate:* At v. 5. *Unuſquiſque onus ſuum portabit.* Reſp In priori loco agi de vitiis & infirmitatibus Fratrum quæ nobis oneri quidem ſunt; nihilominus ex charitate debent tolerari, ut data opportunitate poſſimus eos ad meliorem frugem revocare, maxime cum nos ipſi aliunde plurimis infirmitatibus & delictis laboremus. Unde præclare admonet Theodoretus: *Tu habes hoc delictum, illud vero non; ille contra quod tu non habes, ſed aliud. Tu fer illius delictum, ille tuum; ſic impletur lex charitatis.* Poſterior locus intelligitur de extremo Judicio Dei, in quo cujuſque propria opera probabuntur, & unicuique retribuet Deus ſecundum opera ejus: quæcumque enim homo geſſerit, erunt illius onus & ſarcina dum perget ad Tribunal Chriſti, ut ab illo æquiſſimo Judice accipiat prout geſſerit, ſive bonum, ſive malum.

Ex Epiſtola ad Ephesios.

§. IV.

CAP. I. v. 7. *In quo* (Chriſto) *habemus redemptionem per Sanguinem ejus:* At idem Apoſtolus ad Romanos VII. v. 24. præſtolatur & exorat liberationem ſuam de corpore mortis hujus. *Reſp.* Duplicem diſtingui poſſe a Chriſto D. redemptionem; unam *liberationis*. qua per ſanguinem ejus erepti ſumus e poteſtate Dæmonum, qui nos peccatis inquinatos, atque criminum vinculis irretitos veluti captivos detinebant: alteram *ſecuritatis*, qua ab omni Dæmonum infeſtatione, & carnis atque Mundi illecebris futuri ſumus immunes. Illam Chriſtus nobis promeruit & contulit in Cruce. Nam, inquit idem Apoſtolus ad Coloſſenſes II. 15. *Delens quod adverſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio affigens illud Cruci, & expolians Principatus & Poteſtates traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo:* Hanc vero ex parte quidem jam obtinemus: at pleniſſime tantum in Cœlo donanda eſt, cum videlicet noſtrum corpus hoc corruptibile induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem: I. ad Corinthios capite XV. de poſteriori hac liberatione agit Apoſtolus in Epiſtola ad Romanos: de priori vero in hoc loco.

Cap. III. v. 8. *Data eſt gratia hæc mihi in Gentibus evangelizare quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi a ſæculis*: at Incarnatio Verbi revelata fuerat & repromiſſa Patribus Veteris Teſtamenti, qui omnes illius adventum præſtolabantur: igitur Myſterium illud non erat a ſæculis abſconditum. *Reſp.* S. Paulum hic agere, non cum Judæis, quibus nota erant de venturo Meſſia Prophetarum oracula, ſed cum Gentilibus, qui nihil omnino de eo audierant.

Ibidem v. 15. *Ex quo* (Patre Æterno) *omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur*: At Joann. VIII. v. 44. Chriſtus D. Judæos alloquens, ait: *Vos ex patre Diabolo eſtis.* Reſp. Apoſtolum hic agere de paternitate

nitate proprie dicta, quæ importat generationem & originem ab aliquo vivente in ejus naturæ ſimilitudinem: Chriſtum vero de paternitate improprie dicta & ſimilitudinaria, qua quis dicitur ejus eſſe filius, cujus affectus & opera ſectatur: quo ſenſu revera Judæi dici poterant filii Diaboli; quia, inquit Chriſtus D. deſiderium illius & opera
(5) maligna ſectabantur. (5)

Cap. VI. v. 2. *Honora patrem tuum & matrem tuam, quod eſt Mandatum primum in promiſſione:* At Exod. XX. ubi recenſentur Præcepta Decalogi, primo Præcepto, de cultu uni vero Deo impendendo promittitur *miſericordia in millia*, ſeu in milleſimam uſque generationem. Non itaque honor parentibus impendendus, eſt primum Præceptum in promiſſione. *Reſp.* Hoc Præceptum eſſe primum ſecundæ Tabulæ, cui facta ſit repromiſſio longævitatis: cæteris enim nulla ſimilis divina promiſſio annexa eſt. *Accedit*, quod illa promiſſio, quæ Præceptis primæ Tabulæ adjungitur, non ad illa dumtaxat ſpectet, ſed etiam in aliorum Præceptorum obſervatores diffundatur; quippe Deus ſua beneficia repromittit Legem ſervantibus; ſupplicia vero minatur iis qui divinorum illius præceptorum erunt
tranſgreſſores. (6) (6)

AD CAPUT DECIMUMQUARTUM

SUPPLEMENTUM.

(1) CAP. 7. Epiſtolæ primæ ad Corinth. ℣. 14. ſanctificatus eſt vir infidelis per mulierem fidelem, & filii Sancti ſunt = Epiſtola autem 2. ad Corinth. Cap. 6. ℣. 14. Scripſit Apoſtolus = Nolite jugum ducere cum infidelibus ... quæ enim pars fideli cum infideli? =

Reſp. Nullam inter utrumque textum oppoſitionem adinveniri cum diverſa in utroque ſed rectiſſima contineantur præcepta. In Capite enim 7. Epiſtolæ primæ non eſſe a fideli conjuge dimittendam mulierem infidelem, ſi iſta habitare cum ipſo minime renuat, ſalvo tamen Religionis honore, & citra contumeliam Creatoris; dummodo conjugium in utriuſque conſortis infidelitate contractum fuerit; ſanctificatur enim, ideſt præparatur quippe, atque diſponitur ad ſanctitatem conjux infidelis ex precibus, exemplis, atque hortationibus fidelis conjugis. Si tamen conjugium ante converſionem ad fidem celebratum diſſolvendum prohibet Apoſtolus ab eo, qui fidem ſuſcepit; pari modo matrimonium, & aliam quamcumque arctam neceſſitudinem, qua fiat ut cum infidelibus in moribus, ac Religione communicemus, cum illis inire interdicit Apoſtolus. Aliud quippe eſt de vinculo matrimonii jam contracto, aliud de contrahendo ſermonem inſtituere; primum non diſſolvendum juxta Apoſtolum; ſecundum vero non inſtituendum.

(2) Cap. XI. Epiſtolæ ad Corinth. ℣. 18. = Multi gloriantur ſecundum carnem, & ego gloriabor = Epiſtola autem I. ad Corinth. cap. 3. ℣. 21. Scripſit Paulus = Nemo glorietur in hominibus = Nunquid aliud prædicat, aliud operatur?

Reſp. Duo eſſe diverſa objecta Paulini ſermonis; in prima etenim ad Corinth. monet vanam eſſe eorum jactantiam, qui ſuis gloriantur Magiſtris, eoſque veluti duces, & Doctores ſequi volunt, potius quam Chriſtum; hos ut convincat Apoſtolus admonet quod Dominus novit omnes ſapientum cogitationes vanas eſſe, nec ultra faciendas quam veluti adminicula, quibus ad Chriſti, & Dei cognitionem deveniamus, non autem ut in illis adminiculis hæreamus. In Epiſtola autem ſecunda eorum retundit ſuperbiam, qui in rebus carnalibus, & externis, nobilitate videlicet, divitiis, ſapientia, lege, & circumciſione gloriabantur, contemptis interim virtutibus animi, veramque Jeſu Chriſti doctrinam adulterantes. In hujuſcemodi pſeudo-Apoſtolos inſurgit Paulus, aitque ſibi nihil ex carnalibus hiſce dotibus deeſſe, ſi in ipſis ſecundum homines, ſe vellet gloriari. Nulla itaque in Apoſtoli verbis oppoſitio eſt, ut per ſe patet.

Cap. 3. Epiſtolæ ad Galatas = In lege nemo juſtificatur apud Deum = Zaccharias, & Eliſabeth in lege viventes juſti (3)
erant apud Deum, ex Cap. 1. S Lucæ ℣. 6.

Reſp. ſatis claram eſſe Apoſtoli mentem ex Epiſtolæ contextu; negat itaque S. Paulus ſolis Legis operibus hominem fieri juſtum apud Deum, cum fides veluti radix ſit, & principium ex quo omnis juſtificatio derivanda: Zaccharias autem, & Eliſabeth ejus conjux non ex ſolis legis operibus apud Deum juſti erant, ſed potius ex recta fide in Deum, & in promiſſum a Deo Servatorem quem expectabant.

Cap. 5. ad Galatas ℣. 3. = Si circum- (4)
cidamini Chriſtus vobis nihil proderit = Cur ergo ipſemet Paulus Timotheum circumcidit Act. 16. ℣. 3.?

Reſp. In Epiſtola ad Galatas voluiſſe Apoſtolum ſignificare fidelibus, quod circumciſio jam per novæ legis promulgationem evanuerat, & irrita facta erat; eamdem propterea ſuſcipere ex perſuaſione quod neceſſaria eſſet ad ſalutem, & juſtificationem, erat idem ac Chriſtum abjicere; hortatur itaque Galatas S. Paulus ne ſeducere ſe ſinant, quia in Chriſto Jeſu ſola fides, quæ per charitatem operatur ſatis eſt. Dum autem Timotheum circumcidit Apoſtolus nondum ex integro ſepulta erat Synagoga Judæorum, cum plures adhuc ſupereſſent legi Moſaicæ quammaxime addicti. Maximam altera ex parte Eccleſiæ Chriſtianæ utilitatem cum expectaret Apoſtolus

Digitized by Google

ex Timothei prædicatione, & miniſterio; ne eum evitarent Judæi ſi incircumciſum reſciſſent, illa uſus eſt Cæremonia legali, ot facilius eumdem Judaica gens ſuſciperet, & Chriſti Evangelium audiret; non itaque Paolus circumciſionem vel in Chriſto prodeſſe, vel ad juſtificationem exiſtimavit neceſſariam, dum eadem Timotheum inſignivit.

(5) Cap. 5. ℣. 27. Epiſtolæ ad Epheſios = Ut exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam = Oppoſitum eſt Matthæi 22. ℣. 10. ubi legimus Domini ſervos ad nuptias congregaſſe bonos, & malos, donec nuptiæ diſcumbentium implerentur. In hac autem figura Chriſti Eccleſia ſignificata eſt.

Reſp. Longe a veritate recedere, qui ex eo teſtimonio Pauli nullos in Chriſti Eccleſia peccatores contineri fabulantur. Eccleſiam itaque Chriſtus Dominus ſibi talem exhibet, qualis ab Apoſtolo deſcribitur, ſed In hac vita inchoate, ut ajunt, in altera perfecte. Nunc mundat, ut aliquando glorioſam, & immaculatam exhibeat, nempe in futuri ſæculi nuptiis. Dicere poſſumus quod Chriſti Eccleſia Sancta, & immaculata eſt in hoc ſæculo, quo ad ejus partem nobiliorem, quo ad animam ſcilicet, minime veto quo ad Corpus, in quo membra aliqua infirma ſunt, & inutilia, quæ tamen vel ſananda, vel aſcindenda erunt.

Cap. 6. ejuſdem Epiſtolæ ad Epheſ. ℣. (6)
12. = non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem = Contrarium docet Jacobus in ſua Epiſtola Cap. 1. ℣. 14. = unuſquiſque tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus =. Ipſe etiam Paulus in Epiſtola ad Rom. cap. 7. ℣. 23. legem in membris ſuis repugnantem legi mentis, & captivantem ſe in lege peccati, expertum eſſe confitetur.

Reſp. Ab Apoſtolo Paulo in Epiſtola ad Epheſios nequaquam alios hoſtes humani generis, coi perpetuo inſidiantur, excludi, ſed tantummodo poteſtates tenebrarum, veluti totius belli auctores indigitari, qualibuſcumque eædem utantur inſtrumentis, quorum præcipuum eſt profecto carnis concupiſcentiam, jam adverſus legem Spiritus perpetuo conſpirantem, certum eſt: Paulus itaque ut ab hoſtibus ſubdolis, ingentique malitia præditis caveamus advertit: Jacobus autem alterum indicat hoſtem, qui eo robuſtior in homines eſt, quo cum eiſdem arctius coniunctus. W.

C A P U T XV.

Ex Epiſtolis ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, & Theſſalonicenſes.

§. I.

CAP. II. v. 7. Chriſtus dicitur *in ſimilitudinem hominum factus*. Unde inferebant Manichæi, illum vere humanam carnem non induiſſe. Cujus contrarium diſtincte aſſerit S. Joannes, ſcribens; *Verbum caro factum eſt*. Reſponſ. Chriſtum fuiſſe in ſimilitudinem hominum factum, non accidentaliter, ſed ſubſtantialiter, quod videlicet humanam naturam induerit cæteris hominibus perſimilem: qua ratione Adamus Geneſ. V. dicitur genuiſſe filium ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, hoc eſt, in natura conſimilem: qualiter etiam I. ad Corinth. V. dicimur geſtare imaginem hominis terreni, quia in humanitate ſumus Adamo ſimiles, idem ſpecie cum eo corpus geſtantes, & eadem ſpecie anima viventes.

Cap. IV. v. 13. *Omnia poſſum in eo qui me confortat*: At ad Rom. VII. v. 8. *Velle adjacet mihi perficere autem bonum non invenio*. Reſp. Apoſtolum in priori textu ſermonem facere de homine divina gratia vegetato & illuſtrato; ea namque roboratus, omnia quæ occurrere poſſunt ad ſalutem obſtacola, facile poterit devincere: Secus vero de homine propriis ſuis viribus relicto, qui habere quidem poteſt aliquod deſiderium boni: at propter repugnantes carnis & mundi illecebras illud ſectari nequit, nec perficere.

Ex Epiſtola ad Coloſſenſes.

§. II.

CAP. I. v. 15. Chriſtus dicitur *Primogenitus omnis creaturæ*: Igitur, inquiebant Ariani, Chriſtus eſt inter creaturas cenſendus. *Reſpondet* S. Anſelmus illa Apoſtoli verba intelligenda eſſe de Chriſto ut homine: qua ratione eſt *Primogenitus omnis creaturæ*; non tempore, ſed dignitate; quippe cum ſit finis quem Deus in Mundi formatione primo intendit, & propter quem creavit omnia: Verum proximius ad Apoſtoli mentem hæc videntur de Chriſto, ut Verbum divinum eſt, intelligenda: in idem collimant verba hæc quæ ſequuntur: *Quoniam in ipſo condita ſunt univerſa in Cælis & in terra, viſibilia & inviſibilia, ſive Throni, ſive Dominationes, ſive Principatus, ſive Poteſtates: Omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt:* At Chriſtus, qua homo, non poteſt dici Angelorum conditor. Igitur vox *Primogenitus* hic, ſicut & Matthæi I. v. 27. idem ſonat ac *Unigenitus*, vel prius genitus quam creatura: ut S. Paulus ſignificet Chriſti Domini generationem, utpote æternam, longe anteriorem eſſe temporali creaturarum productione.

Ibidem v. 24. *Adimpleo ea quæ deſunt paſſioni Chriſti in carne mea*: At Paſſioni Chriſti nihil deeſſe potuit; ſiquidem ille teſtatur Lucæ XXIII. *Ea quæ ſunt de me finem habent*: & Joan. XVII. *Opus conſummavi &c.* Reſp. Du-

Duplicem diſtingui poſſe Chriſti Domini Paſſionem, & in duplici corpore, proprio ſcilicet, & myſtico. Prioti nihil defuit, nec ad doloris acerbitatem, nec ad meriti valorem & plenirudinem: Poſteriori vero plurima deſunt; ſiquidem perſecutiones ab Eccleſia & Sanctis ſubeundæ, nondum finem obtinuerunt, ſed ad conſummationem uſque ſæculi vigebunt: oportet enim nos per multas tribulationes intrare in Regnum Dei. Igitur ea quæ deſunt iſti Paſſioni ex parte ſua, & reſpective ad ſe implebat Apoſtolus pro ædificatione & profectu Eccleſiæ. Unde II. ad Timotheum II. ait *ſe ſuſtinere omnia propter Electos, ut ſalutem conſequantur.* Cum Chriſto itaque S. Paulus patiebatur, non expiando & redimendo, ſed Fideles exhortando, & exemplo ſuo ad conſtanter ferendas tribulationes excitando. Vel brevius, Apoſtolus implebat quæ deerant Paſſioni Chriſti in ſe, quia fructum Dominicæ Paſſionis ſibi procurabat: tametſi enim Chriſtus D. pleniſſime pro nobis Deo Patri fecerit ſatis, & omnia cœleſtia beneficia nobis fuerit promeritus, eodem S. Apoſtolo dicente ad Epheſ. I. v. 3. *Benedictus Deus, & Pater Domini Noſtri Jeſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto:* nihilominus tamen participatio divinæ illius benedictionis per Sacramentorum receptionem, exercitium bonorum operum, & conſtantiam in adverſis, nobis eſt concilianda.

Ex priori Epiſtola ad Theſſalonicenſes.

§. III.

CAP. I. v. 10. Hortatur eos ut *Expectent Chriſtum e Cœlis*: At in Epiſtola poſteriori, cap. 2. v. 2. ait *Diem Domini non inſtare:* Fruſtra ergo ad præſtolandum Chriſti adventum e Cœlis excitabat. *Reſp.* Senſum Apoſtoli non eſſe, quod brevi futurus eſſet Chriſti Domini ad judicium adventus; ſed Theſſalonicenſes monebat ut erigerent animos, & firmiſſimam ſpem haberent ſe liberandos ab illis tribulationibus, quibus vexabantur; atque pro eis æterna fœlicitate & gloria fore donandos a Chriſto D. æquiſſimo hominum Judice, & bonorum operum remuneratore.

Cap. II. *Nec quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis:* At v. 10. ait *Vos teſtes eſtis, & Deus, quam ſancte, & juſte, & ſine querela, vobis, qui credidiſtis, fuimus;* & plurima his ſimilia profert paſſim, quibus videtur inanem gloriam, & jactantiam ſectari. *Reſp.* Duplicem diſtingui poſſe gloriationem; unam hypocritarum, & vanitati ſtudentium; alteram juſtorum, & ædificationi ac ſaluti proximi invigilantium; uti diſtinxiſſe videtur Apoſtolus II. Cor. V. v. 6. *Non iterum commendamus nos vobis*, inquit, *ſed occaſionem damus vobis gloriandi pro nobis; ut habeatis ad eos qui in facie gloriantur, & non in corde.* Hypocritæ gloriantur *in facie*; quippe cum ſint ſui-ipſius demiratores, laudumque ſuarum buccinatores vaniſſimi, licet eorum intus reclamans conſcientia dictorum Inanitatem demonſtret. Juſti vero habentes teſtimonium conſcientiæ bonum, intus gloriantur *in corde*, nec niſi ſoli Deo placere geſtiunt; & dum gloriantur, in Domino gloriantur; noverunt enim quod qui ſeipſum commendat, ille non ſit probatus; ſed quem Deus commendat. Nihilominus tamen contingit interdum, ut ſuorum laborum & bonorum operum præcones fieri debeant; tum ad ſui miniſterii commendationem; tum ad confirmandos eos quos per Evangelii prædicationem Chriſto pepererant; tum maxime ad reprimendum hypocritarum & Pſeudo-Prædicatorum Evangelicorum ſupercilium, qui in proprias laudes excurrentes, infimæ plebis corda verborum lenociniis demulcent, & eam in ſui admirationem rapiunt: quem ob finem ingentes ſuos pro Chriſto & animarum ſalute labores, atque vitæ integritatem ſæpius commendat Apoſtolus, ne quis ex minori de illo concepta æſtimatione, Miniſterum ejus deſpectui haberet, & ſic illius Prædicationis fructum penitus evacuaret. (1) (1)

AD CAPUT DECIMUMQUINTUM

SUPPLEMENTUM.

(1) CAP. 2. Epiſtolæ 1. ad Theſſalonic. ℣. 16. = Prævenit ira Dei ſuper Judæos uſque in finem = Oppoſitum legimus in Cap. XI. Epiſtolæ ad Roman. ℣. 26. ubi ex Scripturis Prophetarum oſtendit Apoſtolus omnem Iſraelem in fine eſſe ſalvandum.

Reſp. Nullam eſſe inter hæc duo Scripturæ loca oppoſitionem; quandoquidem in Epiſtola ad Theſſalonic. de illa Dei ira Apoſtolus loquitur, quam Judæis imminere prædictum eſt a Chriſto, & Apoſtolis cæteris, quæque juxta S. Thomam, & Anſelmum tempore Veſpaſiani per generalem totius Judaicæ gentis rejectionem, & diſperſionem ultio de eorum peccatis exacta eſt. In Epiſtola autem ad Romanos non de temporali Judaici Regni inſtauratione, ſed de ſpiritali converſione illius populi ad Chriſtum prope mundi finem eventura loquitur Paulus ſi ejus mentem ex Origene, Hilario, Ambroſio, Chryſoſtomo, Thoma, aliiſque ſanctis Interpretibus auſpicamur: compoſſibilem autem eſſe finalem illam Judæorum circa temporale Regnum deſolationem cum æterna eorum ſalute, qui convertentur ad Chriſtum, unuſquiſque cognoſcit; proinde antilogiam quamcumque evaneſcere.

Cap.

Digitized by Google

Cap. 4. Ejuſdem Epiſtolæ. ℣. 15. Scripſit Apoſtolus = Nos qui vivimus, qui reſidui ſumus in adventum Domini non prævenie-mus eos, qui dormierunt = Nunquid Apoſtolus Paulus fore opinabatur, ut viveret uſque ad diem Judicii, nec unquam ſe moriturum exiſtimabat? Ad Hebræos 9. ℣. 27. Scripſit ſtatutum eſſe hominibus ſemel mori.

Reſp. Apoſtolum hoc in loco utique in perſona prima ſermonem inſtituiſſe; ſed nihilominus de eis fuiſſe locutum, qui tunc temporis ſupererunt Antichriſti perſecutionibus fatentur accuratiores Commentatores; cum enim Eccleſia Chriſti unum ſit Corpus ex omnibus Chriſtianis compoſitum tam præſentibus, quam futuris; non impropria locutio eſt, quæ hac phraſi componitur = Nos infelices Chriſtiani, qui tempore Antichriſti ſupeterimus = ea quippe non quod nos modo exiſtentes ſimus etiam tunc temporis ſuperſtites futuri, ſed quod ex noſtris aliqui, tunc futuri erunt, indicamus. In hoc ſenſu loquebatur Apoſtolus, ut Eſtius, & Medus animadvertunt. Appellat autem *vivos*, qui reſidui erunt fideles, quod etſi morituri ſint ante generalem reſurrectionem, ob temporis tamen brevitatem ab eorum morte ad reſurrectionem, veluti non mortui habentur a Paulo, ſicut & Chriſtus Lazarum, non extinctum, ſed dormientem pronunciat, quem brevi reſurrecturum ſciebat.

Cap. 2. ℣. 8. Epiſtolæ II. ad Theſſalonic. legimus Antichriſtum ſpiritu oris Jeſu iri interſectum. Apocalypſis autem Cap. 19. ℣. 20. vivus in ſtagnum ignis, & ſulphuris mittendus narratur.

Reſp. Apud S. Paulum verbum *interficio* uſurpatum eſſe pro *diſperdo*, vel *deſtruo*, aut *extermino*, id enim ſonat Græcum ἀναλώσει, ſcilicet *diſperdet*, *conſumet*, *deſtruet*, quod verificatur eſto vivus in ſtagnum mittatur *ignis*. W.

C A P U T XVI.

Ex Epiſtolis ad Timotheum, & ad Titum.

§. I.

CAP. I. v. 9. *Lex juſto non eſt poſita:* At nemo juſtus, niſi qui divinæ Legi ſeſe conformat. *Reſp.* Apoſtolum hic urgere Judæos, qui Moſaicam legem etiam a Chriſtianis obſervandam eſſe contendebant: quorum ut ſupercilium reprimeret, ait Legem quidem adhuc urgere Judæos, qui ſervorum inſtar ſub ejus ſarcina & jugo vitam ducere geſtiebant; non vero Chriſtianos, qui per Baptiſmatis gratiam renati & juſtificati, grave illius ſeveriſſimæ Legis jugum excuſſerant, ut Legi Evangelicæ ex amore colla ſubjicerent.

Ibidem v. 15. *Chriſtus Jeſus venit in hunc Mundum peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum.* At ad Philip. III. v. 6. aſſerit ſe *ſecundum juſtitiam quæ ex Lege eſt, converſatum eſſe ſine querela*, hoc eſt *inculpate*: Quomodo ergo fieri potuit, ut jam ad Chriſtum converſus, revera eſſet peccatorum omnium peſſimus? Maxime cum noſſe poſſet Adamum, Cainum, Judam, Herodem, Caypham, & Pilatum tradentes Chriſtum ad mortem, longe gravius peccaſſe. *Reſp.* Apoſtolum iſta dixiſſe, non ſolum ex humilitate, ut plurimi interpretantur; vana quippe eſt humilitas, quæ contradicit veritati; ſed ex proprio ſuæ conſcientiæ judicio: Cum enim ex divino ſibi affulgente lumine ſuorum peccatorum gravitatem apprime noſſet, illamque aſſidue meditaretur, ac velut haberet in proſpectu, in aliorum vero offenſam oculos minus intenderet, mirum non eſt quod præ cæteris quaſi omnium reorum maximus ſe accuſet, atque tam humiliter de ſe ſentiat, ut I. Corint. XV. v. 8. ſe reputet *tanquam abortivum*, & *Apoſtolorum minimum*; imo *qui*
(1) *non ſit dignus vocari Apoſtolus.* (1)

Cap. II. v. 12. *Docere autem mulieri non permitto*: At ad Titum cap. II. præſcribit ut *anus ſint bene docentes, quatenus prudentiam doceant adoleſcentulas.* Reſpondeo eum prohibere ne mulieres publice, & in Fidelium cœtu, Doctoris & Concionatoris Evangelici fungantur officio; eis tamen concedit facultatem privatim filios & domeſticos inſtruendi de rebus Fidei, & ad ſalutem neceſſariis.

Ibidem v. 14. *Adam non eſt ſeductus*: At Geneſ. III. Adamus ab uxore inductus eſt in prævaricationem, & ab ea fructum vetitum accepit & comedit. *Reſp.* Adamum non fuiſſe ſeductum a Serpente, quemadmodum Eva, quæ Serpenti nimium credula, exiſtimavit ſe ea, quæ promiſerat, conſecuturam, ſi de fructu prohibito comederet; nimirum ſcientiam boni & mali, immortalitatem, & perfectam cum Deo ſimilitudinem. Unde illa ab ipſo tentatore Serpente ſe deceptam fuiſſe ingenue profitetur: *Serpens*, inquit, *decepit me*: Adamus vero eandem excuſationem non profert: ſed ait ſe illectum ab uxore ad eſum illius fructus: *Mulier*, inquit, *quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Igitur mulier illa viro fuit offendiculo, & tranſgreſſionis cauſa. Quamobrem non tam dici poteſt Adamus ſeductus, quam ab uxore inductus in crimen. (2) (2)

Cap V. v. 20. *Peccantes coram omnibus argue*: At Matth. XVIII. v. 15. *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipſum ſolum.* Reſpondet Sanctus Auguſtinus [a] Chriſtum Dominum loqui de peccato occulto & ſoli homini in quem committitur, vel in cuius præſentia fit, qui ad emendationem ex affectu charitatis, privatim eſt corripiendus; ne ſi publice argue-

[a] *Serm. XVI. de verbo Dom.*

Digitized by Google

argueretur, aut factum proterve negaret, aut adverſus arguentem excandeſceret. Apoſtolus vero agit de peccato publico, atque de peccatore in judicio convicto & manifeſto, qui tam in criminis vindictam, quam in aliorum terrorem & emendationem, publice eſt arguendus. Unde in correctione fraterna attenditur hominis privati ad meliorem frugem receptio & converſio: At in reprehenſione publica, quam hic præcipit Apoſtolus, providetur omnium illorum ſaluti quibus crimen iſtud innotuerat.

Ex poſteriori Epiſtola Cap. I. v. 9. *Data eſt nobis hæc* (gratia) *in Chriſto Jeſu ante tempora ſæcularia:* At nullus hominum erat ab æterno, qui gratiam exciperet *Reſp.* Gratias omnes, quæ intuitu meritorum Chriſti nobis conceduntur, datas ab æterno cenſeri, non *in effectu*, ſed *in decreto Dei*; ut idem ſignificet vox *data*, quod dari decreta & prædeſtinata. Unde ad Titum I. v. 2. non dicit eam gratiam datam, ſed promiſſam: *Quam*, inquit, *promiſit*, *qui non mentitur Deus*, *ante tempora ſæcularia*. Vel data cenſetur, reſpectu Dei donantis, cui omnia præſentiſſima ſunt ab æterno; tametſi futura eſſet reſpectu noſtri, pro ea temporis differentia in qua eramus exituri, & eam gratiam excepturi.

Ex Epiſtola ad Titum.

§. II.

CAP. I. *Dixit quidam ex illis proprius ipſorum Propheta*, *Cretenſes ſemper eſſe mendaces*: At qui iſta protulit, non fuit Propheta, ſed Poeta; & quidem Ethnicus: nimirum vel Epimenides, vel Callimachus Poeta
a *Lib. III. contra Celſum.* Cyrenenſis, qui referente Origene, [a] cum infinita Poemata perlegiſſet, percurriſſetque Græcam fere omnem Hiſtoriam, nihilque de Jove ejuſque ſepulchro, quod apud ſe repoſitum Cretenſes gloriabantur, dictum intellexiſſet; illos hoc Diſticho, quem paulo
b *pag. 18.* lo aliter ſupra dedimus [b] ſic perſtringit:

Cretenſes ſemper vani ſtruxere ſepulchrum,
Cretenſes, Rex alme, tuum: at ſuccumbere morti
Non poteras; &c.

Verum hos Verſus Epimenidis eſſe, & ab illo Callimachum eos fuiſſe mutuatum,
c *Sermone III. ſuper hanc. Epiſt.* d *Lib. I. Panarii.* aſſerunt S. Chryſoſtomus [c], & Epiphanius [d], atque ex illo Apoſtolum ſuperiora verba accepiſſe, communis eſt Interpretum ſententia. *Reſp.* Omiſſis aliorum ſententiis, veroſimilius mihi videri, idcirco Epimenidem Poetam ab Ethnicis proprium Cretenſium Prophetam effedictum, vel quod exiſtimaretur aliquo afflatus fuiſſe Numine, qui ſcribenda ſuggereret, atque divina quadam virtute putaretur præditus: unde Laertius refert eum ab Athenienſibus accerſitum luſtrandæ Urbis cauſa; quin etiam ipſi, tanquam Numini a Cretenſibus fuiſſe ſacrificatum. Itaque Apoſtolus illum Cretenſium Prophetam nominavit, ex eorum quidem opinione, & ad pleniorem eorum convictionem. Forte etiam Prophetæ nomen ei indidit, quod Poetæ communiter appellarentur Vates, qui Carmina ſua divino quodam afflatu efferre putabantur, juxta illud Ovidii:

Eſt Deus in nobis, ſunt hæc commercia Cæli;
Sedibus Æthereis Spiritus ille venit.

Hinc Poetæ antiquitus illi dicebantur, qui Phœbi & Muſarum interiori afflatu verba promerent. *Accedit* etiam quod ille Epimenides ſcripſerit Librum *De Oraculis*. Neque etiam inſolitum eſt apud Ethnicos, Prophetas quoſdam cenſeri: enimvero Clemens Alexandrinus referens ordinem Miniſtrorum *Lib. VI. p. 269.*
ſacrorum apud Ægyptios, noviſſimum dicit inter eos incedere Prophetam: Similiter Auctor Libri primi *Recognitionum*, nomine *Clementis*, non procul ab initio ſcribit; *Ægyptum petam, atque ibi Hierophantis vel Prophetis, qui Adytis præſunt, amicus efficiar; & pecunia invitatum Magum precabor, ut educat mihi animam ab inferis.* Fuerunt etiam Idæi Jovis Prophetæ in Creta, de quibus Porphyrius in lib. VIII. *De Abſtinentia*. Noti ſunt etiam Prophetæ Baal, & aliorum ementitorum Numinum ex Scriptura ſacra.

At, inquies, ſi Epimenides, ſive Callimachus, merito ſcripſerint Cretenſes eſſe mendaces, ut contendit Apoſtolus, quod divina non ſentiant dum fingunt Jovem in eorum inſula ſepultum, conſequens erit Jovem non eſſe mortuum, ſed vivum; ſubindeque veram eſſe Idololatrarum de Jove ſententiam. *Inſuper* aut Epimenidis Carmen verum eſt, aut falſum; ſi verum, Cretenſes ergo non ſunt mendaces, quia Epimenides Auctor Carminis fuit Cretenſis: ſi falſum, igitur Cretenſes fallaces non ſunt.

Ad primum Reſpondet S. Hieronymus: *Sicut in eo quod ait Apoſtolus*. CORRUMPUNT BONOS MORES COLLOQUIA PRAVA, *& in illo*, IPSIUS ENIM ET GENUS SUMUS, *non ſtatim totam Menandri Comœdiam, & Arati Librum probavit: ſed opportunitate Verſiculi abuſus eſt, ita & in præſenti loco non totum opus Callimachi, ſive Epimenidis (quorum alter laudes Jovis canit; alter de Oraculis ſcriptitat) per unum Verſiculum confirmavit: ſed Cretenſes tantum mendaces vitio Gentis increpavit; non ob illam opinionem, qua ſunt arguti a Poetis, ſed ob ingenitam mentiendi facilitatem, de proprio ejus Gentis Auctore confutavit.* Et ut *ſciamus Apoſtolum, non fortuito, & tranſitorie, ſed conſiderate, & circumſpecte, & ex omni parte ſe protegendum adverſus Cretenſes locutum.* TESTIMONIUM, *inquit*, HOC VERUM EST, *non totum Carmen, de quo teſtimonium ſumptum eſt, non univerſum opus, ſed hoc tantum teſtimonium, hic tantum Verſiculus, quo mendaces vocantur.* Hæc S. Hieronymus.

Ad ſecundum dico, Propoſitionem illam, *Cretenſes ſunt mendaces*, vel particularem eſſe;

Digitized by Google

eſſe; & ſic neceſſe non eſt ut Epimenidem includat: *Vel* generalem, quatenus connotat innatum Gentis illius vitium & proclivitatem ad mentiendum. Cum autem non adeo commune eſt proprium cuique Genti vitium, quin aliquis illius ſit eapers; ab ea prava Cretenſium inclinatione potuit immunis eſſe Epimenides. *Accedit* etiam quod mendaces interdum verum loquantur, quorum veritas alterius hominis fide digni teſtimonio fieri poteſt manifeſta.

AD CAPUT DECIMUMSEXTUM
CONCILIATORII
SUPPLEMENTUM.

(1) CAP. 2. ℣. 1. Epiſtolæ 1. ad Timoth. obſecrat Paulus pro omnibus hominibus orationem fieri. Hoc manifeſte adverſatur Epiſtolæ primæ Joannis Cap. 5. ℣. 16. ubi ait Evangeliſta eſſe peccatum ad mortem; pro quo non dicit, ut quis oret.

Reſp. Nequaquam duos hoſce teatus ad invicem repugnare, ſi diaerimus ab Apoſtolo Paulo monitos eſſe fideles ut orent pro hominibus omnis generis, ſeu cujuſcumque ordinis, ut ſequentia ejuſdem Pauli verba indicare per ſe videntur. Quoniam tamen nullius deſperanda eſt correctio, quomodocumque peccatoris inſignis, cum neſciamus utrum in finem uſque ſit in ſua iniquitate perſeveraturus; idcirco pro ſingulis omnino, nullo prorſus eacepto, deprecandum ſcripſiſſe Apoſtolum opinamur, quin contradixerit Evangeliſtæ Joanni non audenti præcipere ut rogemus pro peccantibus ad mortem, cum adhuc ſit incertum quodnam peccatum indicaverit Joannes, de cujus indulgentia ulla ſpes non ſuperſit. Incertum eſt pariter num pro tali peccato Deum rogare fidelibus interdiaerit, vel potius negative ſe habuerit Evangeliſta, quaſi diaerit: non audeo certam impetrandi ſpem facere: non impero preces pro iis fundi quia nullum eſt promiſſum, quo tales preces nitantur: unde non excludit abſolute orationem etiam pro hujuſcemodi peccatoribus, quamvis ordinarie loquendo nullum omnino fructum, aut ſaltem raro admodum, & cum maaima difficultate tales preces ſint producturæ. Ita Eſtius, Menochius, & Hammondus. Multo minus inter loca prædictarum Epiſtolarum antilogiæ ſpecies ſupererit, ſi diaerimus peccatum ad mortem ab Joanne indicatum, non aliud eſſe quam finalem impœnitentiam, in qua quis ex hac vita recedit, ſicuti intellexere SS. Auguſtinus, Gregorius, Pacianus, Beda, & plures deinde Commentatorum; cum enim poſt mortem nullus poſſit a peccatis reſurgere, & in peccato deceſſiſſe ſupponatur impœnitens finalis nullus ſupereſſe poteſt pro eo deprecandi locus; neque iſtum Apoſtolus Paulus comprehendi cum illis voluit, pro quibus Deum eaorandum admonuit.

(2) Cap. 4. Ejuſdem ad Timotheum Epiſtolæ ℣. 3. Dæmoniorum doctrinam eſſe ait, quæ monet abſtinendum a cibis, quos creavit Deus. Quomodo non illis Actorum 15. ℣. 29. = viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis ut abſtineatis a ſuffocato, & ſanguine = iſta repugnant?

Reſp. Ea S. Auguſtino Lib. contra Adimantum Manichæi diſcipulum Cap. 14. ita poſtquam Apoſtoli teatum hunc, *in noviſſimis temporibus* futuros quoſdam *prohibentes nubere, abſtinentes a cibis, quos Deus creavit*, retuliſſet, ſcribente = Hos enim proprie deſignat, qui non propterea temperant a cibis talibus, ut aut concupiſcentiam ſuam refrænent, aut infirmitati alterius parcant; ſed quia ipſas carnes immundas putant, & eorum Creatorem Deum eſſe negant = Paulus itaque de iis loquitur, ut ex contextu etiam ſatis revincitur, qui nuptias, & certos cibos damnaturi eſſent tanquam res per ſe malas, & immundas; quales tunc erant Ebionitæ, teſtibus Ignatio Epiſt. ad Philadelph. & Epiphanius hæreſi 28. ac deinceps alii fuerunt ſequentes Hæretici Encratitæ, Marcionitæ, & Manichæi. In actis autem Apoſtolicis indultum eſt aliquid ea Judaiſmo recens converſis, qui ſuis inſtitutis adhuc præoccupati longe abhorrebant a comedentibus ſanguinem, & animalia ſine ſanguinis emiſſione interfecta, ea perſonarum itaque, & temporum circumſtantiis hoc diſciplinæ caput ſtatuerunt Apoſtoli, quod mutationi erat obnoaium, ex circumſtantiarum, quibus innitebatur, permutationibus; Neque enim illiuſmodi cibos interdiaerunt ſancti viri tanquam in ſe malos, ſed ut concordiam, & pacem inter fideles ex Judaiſmo, & Gentiliſmo converſos in tuto conſtituerent. Nunquam ergo in Chriſti Eccleſia fuere, qui dæmoniorum doctrinam proponerent, ſed eatra ipſam in quos invehit Apoſtolus eatirerunt; quidquid in filios veræ Chriſti Eccleſiæ, quos contumelioſi Novatores Calvinus, Medus, & Downhamus *Pontificios* appellant, criminationum, atque maledictorum Reformatores illi Evangelii eructaverint. Quis enim ſuſtineat ſceleſtiſſimum illum Hæreſiarcham Calvinum in verbis iis Apoſtoli Catholico-Romanos fideles fuiſſe prænunciatos edocentem, ob quadrageſimale jejunium, quod ad Chriſti imitationem, ad carnis mortificationem ad divinæ Majeſtatis offenſæ ſatisfactionem eaequuntur? Quis in Downhamum non ſuccenſeat eaiſtimantem per os Apoſtoli a Spiritu Sancto Monachos eſſe depictos, & Doctores Monaſticæ vitæ, qui ſibi toto vitæ tempore quaſdam ciborum ſpecies interdi-

ctas

ctas volunt, atque per votum paupertatis opibus, & poſſeſſionibus renunciant? Iſtos præcipuos fautores, & Auctores hujus apoſtaſiæ, & doctrinæ dæmonum appellat Summus ille criminationum inventor Medus. = Quanta, ſcribit maledico ſuo more Calvinus, hominum arrogantia eſt, eripere quod Deus largitur! an cibos ipſi crearunt? An Dei creationem poſſunt irritam reddere? = ita gurges ille voraciſſimus de grege perditorum hominum virtutem Evangelicæ temperantiæ, atque Chriſtianæ mortificationis tumeſcentium verborum fluctibus nititur abſorbere. Cur in vetuſtos illos Rechabitas, de quibus Jeremiæ cap. 35. ſua non convertit maledicta Calvinus, qui toto vitæ ſuæ tempore vinum bibere, domos ædificare, ſementem ſerere, vineas plantare, aut poſſidere tenuerunt, quod hæc omnia eis prohibuiſſet Jonadab pater eorum? Deus judicet cauſam noſtram: legimus loco Jeremiæ citato ℣. 18. = Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael: pro eo quod obediſtis præcepto Jonadab Patris veſtri, & cuſtodiſtis omnia mandata ejus, & feciſtis univerſa, quæ præcepit vobis: propterea hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael: non deficiet vir de ſtirpe Jonadab filii Rechab, ſtans in conſpectu meo cunctis diebus = Hæc ſi percipiantur, vitam Monachorum non minus defendunt, quam Hæreticorum os iniqua loquentium occludant. W.

C A P U T XVII.

Ex Epiſtola ad Hebræos.

(1) CAP. VII. v. 3. *Melchiſedech ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens*: At iſta nulli hominum ab Adamo propagatorum conveniunt. *Reſp.* Revera Melchiſedechum habuiſſe patrem & matrem, atque aliorum hominum inſtar genitum & mortuum: dici autem *ſine patre & ſine matre*, quod nec ejus generationis ſeriem, nec quandiu vixerit, & quando obierit Scriptura referat. Nimirum ut appareret eum differre a Leviticis Sacerdotibus, qui patre eſſe debebant Aaronide, matre autem Iſraelitide, ut legitur Levit. VIII. v. 1. & XXI. v. 14. Quamobrem diligentiſſime obſervari ſolebant cenſus Generis ipſorum, ut videre eſt Eſdræ II. v. 62. Cui explicationi favet Syrus Interpres illa Apoſtoli verba, ſic reddens, *Cujus nec pater, nec mater ſcripti ſunt in genealogiis.* Porro ex ſilentio Moſis de ortu, propagatione, & obitu Melchiſedechi, Apoſtolus colligit in eo adumbratum fuiſſe Chriſtum D. Non quidem reſpectu perſonæ & naturæ; nam Chriſtus reſpectu perſonæ, patrem habet æternæ ſuæ generationis principium; matrem vero reſpectu humanæ naturæ; ratione cujus etiam habuit *initium dierum*, dum conceptus eſt ex Spiritu S. & *finem vitæ*, dum expiravit in Cruce. & *genealogiam*, quam SS. Matthæus & Lucas deſcribunt. Fuit ergo Melchiſedech typus Chriſti, præſertim reſpectu Sacerdotii, in eo quod quemadmodum ille neminem habuit in Sacerdotio Anteceſſorem cui fuerit ſubrogatus; nec Succeſſorem, cui officium moriendi conſignaverit: ſic Chriſtus D. non habuit ſibi a Majoribus traditum Sacerdotale munus; nec moriendo tranſmiſit ad alterum, uti fiebat ab Aaronicis Sacerdotibus: neque enim Sacerdotes novæ Legis ſunt Chriſti in Sacerdotio Succeſſores, ſed Miniſtri, in quibus, & cum quibus ipſe ſe ipſum quotidie ſacrificat, idem ſimul Sacerdos & Victima.

Ibidem v. 11. Populus ſub Sacerdotio Aaronis dicitur *Legem accepiſſe*: At Lex fuerat Iſraelitis a Deo per Moſem præſcripta ante inſtitutionem Aaronici Sacerdotii. *Reſp. Legis* nomine hic non tantum intelligi Decalogum, ſed quæcumque ad diſciplinam & inſtitutionem Judæorum pertinebant, quorum plurima etiam poſt inſtitutum Sacerdotium Aaronicum ſunt tradita.

Cap. IX v. 6. *In priori quidem Tabernaculo ſemper introibant Sacerdotes Sacrificiorum officia conſummantes*: At victimæ non offerebantur in Tabernaculo, ſed in atrio ſuo dio, ubi erat altare holocauſti, ut videlicet fumus & nidor victimarum combuſtarum ſolveretur in aerem; fuiſſet enim fœtor intolerabilis, ſi omnes hæ victimæ in Tabernaculo undique clauſo fuiſſent crematæ. *Reſp.* Nomine *Tabernaculi* Apoſtolum comprehendere etiam illam atrii partem in qua erat altare holocauſti; id namque ad ejus ſcopum ſuffiiciebat: nimirum ad diſtinctionem prioris Tabernaculi a novo; quæ utique diſtinctio viget, etiamſi priori Tabernaculo locus altaris holocauſti adjungatur. *Vel* voce *Sacrificii*, non intelligit oblationem victimarum, & ritum eas mactandi atque comburendi: ſed officia Sacerdotalia quæ fiebant in Tabernaculo; nimirum oblationem ſanguinis, candelabri, & lucernarum accenſionem & extinctionem, Panum Propoſitionis ſingulis Sabbatis appoſitionem, & Thymiamatis, tam mane quam veſpere, poſt oblatum juge ſacrificium. fumigationem.

Cap. XII. v. 24. *Novi Teſtamenti Mediator Jeſus*: At fuit etiam Mediator Veteris: Nam, inquit Origenes, *Ante manifeſtum hunc in carne in fine ſæculorum adventum, nondum erat homo, erat tamen & tunc Dei & hominum Mediator; unde & data Lex in ipſius Mediatoris manibus dicitur, ut Lex eſſet ſancta, & Mandatum ſanctum & bonum, & hæc omnia a Chriſto D. ſanctificarentur.* Quamobrem Apocalyp. XIII. v. 8. dicitur *Agnus occiſus ab origine Mundi;* quod ejus Paſſionis virtus & gratia ab ipſo Mundi exordio jam in homines, quo-

vis ſeculo ſuerint diffuſæ. Unde S. Leo, *Non novo*, inquit, *conſilio Deus rebus humanis, nec ſera miſeratione conſuluit: ſed a conſtitutione Mundi unam eandemque omnibus cauſam ſalutis inſtituit. Gratia autem Dei qua ſemper eſt univerſitas juſtificata Sanctorum, aucta eſt Chriſto naſcente; non cœpta. Et hoc magnæ pietatis ſacramentum; quo totus jam Mundus impletus eſt, tam potens etiam in ſuis ſignificationibus fuit, ut non minus adepti ſint qui in illud credidere promiſſum, quam qui ſuſcepere donatum*. Reſp. Chriſtum D. revera quidem fuiſſe utriuſque Teſtamenti Mediatorem & Auctorem ſanctificationis; nihilominus tamen potiori jure appellari *Mediatorem Novi*, quam *Veteris*, quod in novo fœdere & pacto inter Deum & homines ſanciendo, impleverit omnia Typica quæ in Veteri Teſtamento ipſius Adventum & Paſſionem figurabant, uberioreſque gratias contulerit, quam quæ fuerint conceſſæ Patribus Veteris Teſtamenti; atque etiam omnia Sacrificia, omneſque Legales Ritus antiquaverit, & ſua morte conſummaverit.

AD CAPUT DECIMUMSEPTIMUM

SUPPLEMENTUM.

(1) CAP. 5. Epiſtolæ ad Hebræos ℣. 8. legimus Chriſtum Dominum ea iis, quæ paſſus eſt obedientiam didiciſſe. Quomodo diſcere potuit, qui ab initio erat ipſa Dei ſapientia?

Reſp. Chriſtum Dominum non didiciſſe per [illegible], ideſt *mentis agitationem*, qui diſcendi modus a peccato eſt, & ignorantia, adeoque a Chriſto abjudicandus, ut poſt Sanctos Eccleſiæ Patres, Anſelmum præſertim, Cameron, Zegerus, Beza, Tena, aliique ex Proteſtantibus docuerunt; ſed per [illegible] *experientiam* videlicet, obedientiam oſtendit, & exercuit. quaſi eſſet obedientiæ diſcipulus. Expertus itaque eſt Dominus noſter in tantis tentationibus quam ſit arduum Deo obedire, ait Grotius, & quanta ſit vis, atque præſtantia obedientiæ, quam Deo grata, quantave bona conciliet; per obedientiam quippe ſuam eam promeruit gloriam, quæ ſibi tanquam Dei filio naturali jure debebatur.

Cap. 6. Ejuſdem ad Hebreos Epiſtolæ ℣. 4. impoſſibile eſſe, ſcribit Apoſtolus, eos, qui ſemel ſunt illuminati, & prolapſi rurſus renovari ad pœnitentiam. Contrarium tamen ab Ezechiele Cap. 18. ℣. 27. docemur; quoties etenim, ait, impius averterit ſe ab impietate ſua, animam ſuam vivificabit.

Reſp. Utrumque divinæ Scripturæ teſtimonium eſſe veriſſimum; cum inter fidei Catholicæ dogmata, & iſtud recenſeatur, quod remiſſionem peccatorum Deus ſit conceſſurus homini peccatori, ſincero corde ad meliorem vitam converſo, & a via iniquitatis recedenti, quomodocumque vetuſtis Eccleſiæ temporibus aliquando rigidior Eccleſiæ diſciplina in ordine ad aliqua crimina haberetur; cum tamen ſincera converſio, dignaque pœnitentia longe ſit in homine poſt acceptum Spiritum Sanctum ad antiquum vomitum redeunte difficilior, quod vires humanæ debilitentur, auxilia divinæ gratiæ ſubtrahantur in pœnam peccati; hinc impoſſibile eſſe, ait S. Paulus, non quidem phyſice, ſed moraliter, ut qui ſemel in baptiſmo voverunt ſe peccatis renunciaturos, & Chriſto conſtanter adhæſuros, per quem translati erant ex tenebris in lumen, ad peccata reverſi, per veram reſipiſcentiam, fructuſque dignos pœnitentiæ, quales ab Ezechiele requiruntur, denuo æterno Patri per Chriſtum reconcilientur, & convertantur.

Ex S. Jacobi Epiſtola.

CAP. 1. ℣. 2. = Omne gaudium exiſtimate, cum in varias tentationes incideritis = Quare ergo Matthæi 6. ℣. 9. Sic orate monemur ad Deum = & ne nos inducas in tentationem =?

Reſp. Diverſi generis in hac vita tentationibus exagitari homines poſſe compertum eſt. Aliis quippe hominum corda ad peccatorum illecebras protrahuntur, & de iſtis locutum eſſe Salvatorem apud Matthæum unuſquiſque fatetur. Aliis autem hominum fides, conſtantiæ virtus, & Dei amor in ipſis redditur exploratus, ut qualis ſit cæteris innoteſcat, hujuſcemodi ſunt afflictiones, tribulationes, exilia, confiſcationes, odia, & ſi quid aliud, quæ certe ii, qui pie in Chriſto Jeſu vivere ſatagunt, patientur. Cum autem hujuſcemodi calamitatibus condignum pro altera vita præmium invicte ſuſtinentes in hoc ſæculo adverſa, ſibi adipiſcantur, hinc Jacobus Apoſtolus hortatur fideles, ne in tribulationibus animo dejiciantur, ſed eas potius veluti plenum gaudium exiſtiment. Ita ferme Tirinus, Eſtius, Menochius, Vorſtius, Paræus, & Piſcator.

Cap. 4. ℣. 4 = Amicitia hujus mundi inimica eſt Deo =. Contrarium videtur docuiſſe S. Paulus Hebræor. 12. ℣. 14. ubi ait pacem cum omnibus eſſe cuſtodiendam.

Reſp. In Epiſtola ad Hebræos non quamlibet nobis pacem cum omnibus commendari, ſed eam, quæ citra conſcientiæ, & veritatis diſpendium cuſtoditur; jubemur quidem erga omnes charitatis, & benevolentiæ officia exercere, non tamen adeo ut impiorum vitiis aſſociamur; tunc enim amicitia cum illis inimicos Deo nos ſtatim conſtituit, de qua ſolummodo loquitur Jacobus, ut Cornelius, Tirinus, Grotius, aliique Catholici, & Proteſtantes Commentatores exponunt.

Cap.

Digitized by Google

Cap. 5. ℣. 16. = Coofitemini alterutrum peccata veſtra = Nunquid ſingulis indiſcriminatim hominibus peccata aliorum audiendi, eademque remittendi poteſtatem facit Jacobus?

Reſp. Hæc Jacobi verba de diverſis confitendorum delictorum modis intelligi poſſe. Confitetur, enim quis peccatum, dum offenſam in proximum commiſſam eidem exponit, veniam, ac reconciliationem expoſcens, enixeque orans ut ſibi indulgeatur. Hanc delictorum confeſſionem ab Jacobo exoptatam inter fideles, dum quis alterum lædit, opinantur Gomatus, Eraſmus, Zegerius, & alii. Plures vero S. Jacobum locutum de ea delictorum confeſſiune fratribus facta, vel conſilii cauſa, ut peccata curent, & in poſterum evitent; vel auxilii cauſa, ut eorum interceſſione veniam conſequantur; ita ex Auguſtino Eſtius, a quo non diſſentit Calvinus. Tandem ea Jacobi verba de confeſſione ægroti, generali ſaltem, ſive de omni delictorum ſuorum genere Presbyteris facienda, ut iis ſe probet, & ab iis abſolutionem accipiat, interpretatur Hammondus. Verum Sacramentalem peccatorum confeſſionem, quam *auricularem* vocamus, & *ſecretam* in iis Jacobi verbis fuiſſe indicatam nequaquam diffitemor, quamvis Eraſmus, aliique intemperantiores Critici huic ſententiæ obſtare opinentur pronomen *ἀλλήλοις vobis invicem, alter alteri*, quo uſus eſt S. Jacobus, qui *Sacerdotibus* ſcripſiſſet, ſi de Sacramentali confeſſione voluiſſet intelligi. Veruntamen nullius ponderis eorum conjecturam eſſe ex eo revincimus, quod pronomen iſtud debeat apposite ad ſubiectam materiam exponi, ut ex aliis Scripturæ locis fit manifeſtum, ita Epheſ. 5. ℣. 21. *ſubiecti invicem eſtote*, de ſubditis reſpectu ſuperiorum debet intelligi. Dicere pariter ſolemus *doceto invicem, curate invicem, ſubſtentate invicem*, quamvis ſoli medici curare, Magiſtri docere, ditiores ſublevare queant, infirmos, ignorantes, egenos; unuſquiſque enim ſicut accepit gratiam alterutrum illam adminiſtrare debet. Dogma nihilominus de ſacramentali confeſſione peccatorum Sacerdoribus facienda non ex iſto tantummodo Jacobi aſtruitur teſtimonio, aliis utique argumentis Catholici Doctores inſtructi ſunt, quibus in vanum moliuntur reſiſtere quotquot maledici inferorum miniſtri cornibus ſuis adverſus illud arietare blandiuntur ſibi, ſuiſque ex legibus veritatis oppugnatoribus. De his tamen ſatis agunt dogmatiſtæ Catholici. W.

CAPUT XVIII.

Ex Epiſtolis S. Petri.

EX *Priori*. Cap. I. *In quem deſiderant Angeli proſpicere*: at Matth. XVIII. v. 10. *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris*. Reſp. S. Matthæum loqui de viſione beatifica, qua ſanctiſſimi Angeli fruuntur perpetuo: Apoſtolum vero, de Myſterio Redemptionis factæ per Chriſtum; cujus Operis tanta eſt altitudo & profunditas, ut quamvis Angeli divinæ Sapientiæ luce collustrari, longe perſpicaciorem illius quam homines notitiam habeant, cum tamen eam penitus pleniſſime apprehendere non poſſint, quodam deſiderio tenentur, majorem & ſplendidiorem obtinendi. Unde colligere licet Angelos mire delectari viſione humanitatis Chriſti, & gloriæ, tum corporis, tum animæ quæ longe eos tranſcendit. *Vel*, ait S. Julianus Toletanus, *Angeli* ſemper Deum vident, & videre deſiderant. Nec enim ſit in deſiderio anxietas, deſiderantes ſatiantur; & ne ſit in ſatietate faſtidium ſatiari deſiderant. Deſiderant igitur ſine labore, quia deſiderium ſatietas comitatur & ſatiantur ſine faſtidio, quia ſatietas ex deſiderio accenditur.

Cap. II. v. 11. *Obſecro vos tanquam advenas & peregrinos*: at S. Paulus ad Epheſios I. v. 16. *Jam non eſtis hoſpites & advenæ, ſed cives Sanctorum, &c.* Reſp. Loquitur S. Paulus de ſtatu gratiæ, atque converſis Gentibus ad Chriſtum, qui cum olim a Judæis haberentur pro peregrinis & alienis a vero Dei culto, jam diſcrimine ſublato, fierent Eccleſiæ filii, & in una Chriſti Familia adunarentur. S. Petrus vero loquitur de ſtatu gloriæ, reſpectu cujus omnes Fideles, quandiu in terris militant, cenſentur advenæ & peregrini.

Ex Poſteriori Epiſtola.

CAP. I. v. 19. *Habemus firmiorem Propheticum ſermonem*: At vox Patris, quam in ipſa Transfiguratione Chriſti audivit S. Petrus, ſcilicet *Hic eſt Filius meus, &c.* non videtur minus certa quam vox ejuſdem audita a Prophetis, maxime Davide, cum diceret *Filius meus es tu, &c.* Igitur ſermo Propheticus non erat firmior viſione & ſermone S. Petri. a Reſpondet S. Auguſtinus, Propheticum ſermonem dici quidem *firmiorem*, non autem *veriorem*, quia vocem illam cœlo delapſam Judæi calumniatores tribuere poſſent Magicis præſtigiis, uti vocem ſimilem Patris ad Chriſtum tribuerant tonitruo: at idem de ſermone Prophetico, dato quod eſſet Propheticus (quod ultro concedebant) non poterant aſſerere; præſertim quia Prophetæ multis ſæculis Chriſtum præceſſerant. Unde colligit S. Auguſtinus: *Nondum erat Homo Chriſtus quando miſit Prophetas: Si ergo Magicis artibus fecit, ut coleretur & mortuus, numquid Magus erat ante quam natus?* Reſpondent alii. Oracula Prophetarum per lumen fidei nota, firmiora & certiora cenſeri omni cognitione ſenſitiva & quovis teſtimonio oculari & de auditu quod habuerat S. Petrus in Myſterio Transfigurationis; ita quod, vox divini Patris, tametſi eadem fuerit audita ab Apoſtolis & Prophetis, ſubjective tamen quatenus in Apoſtolorum auribus reſonabat, non tam videbatur certa & firma, quam

a Sermon. XXVII. de Verb. Dom. in cap. IV.

quam Oracula Prophetica, quæ vere eſſe divina, & a Deo eſſe derivata per fidem conſtabat. *Verum* ſimplicius & ad mentem Apoſtoli proximius dicendum arbitror ſermonem Propheticum dici firmiorem, non abſolute & ſimpliciter, ſed reſpective ad eos, ad quos Apoſtulus ſcribebat, qui cum eſſent ex Judaiſmo converſi, haberenrque Scripta Prophetarum in ſumma veneratione & auctoritate, quibus Apoſtolorum Prædicatio nondum videbarur æquanda, quod non adhuc conſtaret pleniſſime eos eſſe a Spiritu S. illuminatos & inſtructos; idcirco S. Petrus cum Chriſti D. ſupremam dignitatem, ejuſque Doctrinæ veritatem ex iis quæ manifeſtata cœlitus, fuerant in Transfiguratione probaſſet, huic quaſi domeſtico teſtimonio adjungit aliud quod Auditoribus videbarur firmus & majoris auctoritaris, ſcilicet Oracula Prophetarum de Chriſto vaticinantium.

Cap. II. v. 4. *Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus Inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos*: Quod utique confirmat S. Judas in Epiſtola v. 6. dicens Deum *Reſervaſſe Angelos in Judicſum magni diel vinculis æternis ſub caligine*: At in Priori Petri, Cap. V. v. 8. Diabolus *tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret*. Similiter Dæmon ille Jobi tentator, dixit ſe *circuiviſſe terram & perambulaviſſe eam*: Dæmones ergo non ſunt alligati; quod inſuper conſtat ex plurimis energumenis aliiſque hominibus, qui variis Dæmonum infeſtationibus vexantur. *Reſp.* Revera Dæmones initio ſuæ prævaricationis & in Deum perduellionis, fuiſſe infernalis ignis carcere mancipatos, ibi cruciandos in æternum; nihilominus Deum in hominum vel peccatorum vindictam, vel juſtorum exercitium & probationem aliquando permittere, ut ex illo tenebricoſo carcere exeuntes, per aerem excurrant, & virus ſuum in homines eructent; tametſi nihil eis ex ſuppliciorum ſuorum acerbitate remittatur. (1) (1)

AD CAPUT DECIMUMOCTAVUM

SUPPLEMENTUM.

(1) CAP. 3. ℣. 9. Deus dicitur nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti. Epiſtola tamen ad Roman. cap. 9. ℣. 18. de ipſomet Deo ſcriptum eſt = cujus vult miſeretur; & quem vult indurat = Hæc minime conciliari poſſe videntur.

Reſp. Varias eſſe Commentatorum expoſitiones ſuper utrumque divinæ Scripruræ teſtimonium. Ad illud Petri reſpondent nonnulli Deum omnium ſalutem vero affectu deſiderare, cum nullius perdirionem intendere poſſit ex ſe. Alii opinantur ita Deum velle neminem perire, quatenus omnibus media quædam, & auxilia generalia contulis, & providit, quibus converti quilibet poſſit; ſpatium interim pœnitentiæ omnibus concedens, ut mores emendent, ne in æternum pereans, ſi nolint. Sunt etiam qui putant Deum hoc non ſimpliciter velle, ſed certa conditione, ac certis mediis, v. g. per verbum, & Spiritum Sanctum, quem ſi repellant, tunc Deus juſte vuls eorum damnationem. Hujuſcemodi autem commentationibus minus explicari ſenſum legitimum in textu Sancti Petri contentum Eſtius opinatur; cum enim omnipotentiſſima ſit voluntas Dei, nec fruſtranea reddi poſſit quibuſcumque hominum voluntatibus; intelligi adhuc non poteſt, quomodo ſincere omnium ſalutem velle queat, ſi multi perire comperiuntur? Hominum ſalus magis in Dei, quam in hominum ipſorum voluntate eſt, a Deo quippe ipſum *velle ſalvari* eſt hominibus concedendum; non igitur eorum ſaluti proficit quod eam Deus ſincere deſideret, quod media conſulerit, atque paraverit, ſi aliquam conditionem ad ſalutem obtinendam hominibus elargiri deſierit, vel in hominum libertate infirma, & mutabili depoſuerit, cum poſſint eamdem facillime non adimplere. Hoc peroptime noverat ingeniorum culmen S. Auguſtinus, qui propterea alias expoſitiones circa voluntatem Dei ſalvandi omnes in Enchiridio cap. 103. exhibere curavit. In primis itaque verba S. Petri per quamdam ſuppoſitionem accommodam, ut ajunt, intelligi debere exiſtimavit S. Doctor, adeo ut eorum ſit ſenſus: Deus vult omnes ad pœnitentiam reverti, quicumque revertuntur, quia nemo revertitur niſi Deo volente, & ideo rogandus ut velit. In altera, quam tradit ibi expoſitionem Auguſtinus hunc reddit ſenſum Petri verbis: Deus vult omnis generis homines ſalvari v. g. Judæos, Græcos, Romanos, ſervos, dominos, Principes, ſubditos, doctos, ignaros, & de alio altero quocumque genere, ſi quod ſit, ſed non omnes cujuslibet generis. S. Damaſcenus lib. 2. de *Fide Orthod.* cap. 29. Deum velle ait ſalutem omnium hominum voluntate antecedente, cum omnes, ut ſalutem conſequantur, creaverit; ſi autem aliqui perduntur, id ex eorum peccatis contingit, unde ex conſequenti ſolummodo Dei voluntate damnatio peccatorum derivanda eſt. Eſtius tandem eam expoſitionem commendat, & amplectitur, quæ ponit Deum velle, ut nos omnium quæramus ſalutem orationibus, & obſecrationibus ad ipſum Deum effuſis; cum enim arcana ſit prorſus, & omnino recondita Dei voluntas circa numerum ſalvandorum, piam hanc voluntatem in homines ſpirat, qua veliot, & ardeant omnium ſalutem; hinc animadvertit a Scriprura non dici = Deus vult omnes homines ſalvare = ſed *ſalvos fieri*, ſcilicet

per

per nos, & quantum ex nobis eſt orando, & obſecrando pro omnium ſalute.

Neſcimus tamen cur dici non poſſit Deus vere, & ſincere ſalvare nos velle; ſed qui fecit nos ſine nobis, non ſalvabit nos ſine nobis: parat igitur Deus, & exhibet nobis quotquot habemus neceſſaria, ſed oportet, ut ea recipiamus, & ampleſtamur, ut ea minime reſpuamus: id tamen ſine Dei gratia nec incipere poſſumus eaequi, neque perficere, ſed gratiæ divinæ cooperanti nobiſcum, voluntatem noſtram ad bonum allicienti, mentem illuminanti, & vires ſufficientes ad bene agendum impertienti poſſe libertatem creatam reſiſtere, eamque reſpuere ad creatas oblectationes ſe flectendo, dubitare non ſinit dogma *de humanæ voluntatis libertate*. Poſtquam autem gratias adjuvantes reſpuit creata voluntas, quæ primis motibus ad bonum ſufficientiſſimæ erant, alias robuſtiores demeretur, nec eidem propterea a Deo conceduntur; unde in perverſitate induratur, & nonniſi maxima cum difficultate deinceps ab eadem eaſurgit; tunc autem Deus induraſſe perhibetur, quatenus jure eidem denegat auxilia, quæ non meretur, neque *de congruo*. Hoc modo duo Scripturæ loca conciliata videntur; cum Deus ſalutem omnium ſincere velit, & nihilominus per gratiæ ſubtractionem hominem id merentem induret. De his tamen plura apud Theologos. W.

C A P U T XIX.

Ex Epiſtolis S. Joannis.

CAP. I. v. 8. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*: At Cap. III. v. 9. *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit.... & peccare non poteſt.* Reſpon. Apoſtoli ſenſum in priori textu hunc eſſe, neminem mortalium ita innocentem cenſeri (niſi ſingulari & extraordinario Dei favore & privilegio præveniatur) quin alicujus peccati reus appareat; quippe cum *ſepties in die cadat juſtus*, Proverb. cap. XXIV. & ut ait S. Jacobus Cap. III. *In multis offendimus omnes*. Quamobrem S. Auguſtinus a ait, „ Sola B. Virgine „ excepta, ſi omnes illos Sanctos, cum hic „ viverent, congregare poſſemus & inter„ rogare, utrum eſſent ſine peccato, quid „ fuiſſe reſponſuros putamus? Utrum hoc „ quod iſte dicit, an quod Joannes Apo„ ſtolus? Rogo vos, quantalibet fuerit in „ hoc corpore excellentia ſanctitatis, ſi hoc „ interrogari potuiſſent, nonne una voce „ clamaſſent: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, &c.*

a Lib. de Natur. & Gratia cap. XXVI.

In poſteriori vero textu ſignificat Apoſtolus hominem gratia Dei vivificatum & vegetatum, quandiu ſemen gratiæ qua renatus eſt, vigilanter ſervat, ejuſque ductum ſequitur, nuſquam peccat, nec peccare poteſt. Vel non poteſt peccare, niſi cum difficultate, & quadam reluctantia propriæ conſcientiæ, urgentis eum, ne accepti divini beneficii fiat ingratus.

Cap. II, v. 18. *Filii noviſſima hora eſt: & ſicut audiſtis quia Antichriſtus venit*. At II. ad Theſſalonicenſes Cap. II. v. 3. Teſtatur S. Paulus non prius futurum Judicium, *niſi venerit diſceſſio primum, & revelatus fuerit Homo peccati, & Filius perditionis*, hoc eſt, *Antichriſtus*, qui erit ſceleratiſſimus & perditiſſimus. *Reſp.* Antichriſtum eum cenſeri, qui Chriſto D. ejuſque Doctrinæ adverſatur: cum vero temporibus S. Joannis, plurimi eſſent Chriſti Fidelium perſecutores, merito jure dixit jam adeſſe Antichriſtum, non quidem in ſe, ſed in ſuis præcurſoribus; verum nondum adveniſſe in propria perſona, uti aſſerit S. Paulus, licet jam adeſſet in ſuis fautoribus & præcurſoribus. (1) (1)

AD CAPUT DECIMUMNONUM

CONCILIATORII

SUPPLEMENTUM.

(1) CAP. 3. V. 6. Epiſtolæ primæ Joannis legimus = Omnis qui in eo manet non peccat = V. 9. = Omnis qui natus eſt ex Deo peccatum non facit, & non poteſt peccare = Oppoſitum ſcripſerat cap. 1. V. 8. Ejuſdem Epiſtolæ Evangeliſta = Si dixerimus, inquiens, quia peccatum non habemus ipſi nos ſeducimus = Et Jacobus Apoſtolus cap. 3. V. 2. in multis offendimus omnes jam ſcripſerat.

Reſp Ex S. Juliano Toletano. Qui manet in Deo, & ex Deo natus eſt non peccat contra fraternam dilectionem, non odit ſcilicet fratrem ſuum. Fraterna quippe dilectio veram eſſe notam, & characterem filiorum Dei pluries affirmavit Joannes; unde, qui manet in dilectione, characterem filii Dei nequaquam amittit, quamvis ad tempus aliis inquinetur peccatis. Cum autem quis fratrem odit, Diaboli charactere ſtatim inſignitur, ejuſque filiationem induit. Alii autem opinatur hominem minime peccatum poſſe committere quandiu in ſtatu gratiæ perſeverat, quia duo ii ſtatus gratiæ videlicet,

cet, & peccati inſimul uniri nequaquam poſſunt; permanente itaque ſemine divinæ gratiæ, & ſanctitatis, per quam filii Dei vocamur, & ſumus, peccatum committere nullatenus poſſumus, quamvis ab eo ſtatu poſſimus deſciſcere; ſicut Adam in ſtatu innocentiæ mori non poterat, quamvis ab eo ſtatu recedens, erat moriturus; in hoc ſenſu locutum eſſe S. Joannem Eſtius, Tirinus, Menochius, Hammondus, & alii arbitrantur. Plures aliæ Commentatorum explicationes ad hunc locum penes Criticos ſacros videri queunt.

Cap. 4. ℣. 18. Ejuſdem Epiſtolæ = Timor non eſt in charitate, ſed perfecta charitas foras mittit timorem = Oppoſitum ex Pſal. 18. edocemur, cum ibi legamus timorem Domini ſanctum permanere in ſæculum ſæculi.

Reſp. Ex S. Juliano: in Epiſtola Joannis ſermonem haberi de ſervili illo timore, quo pœnarum meruimus afflictionem, & iſte a charitate rejicitur. In Pſalmo autem de timore filiali, & caſto diſſeritur, quo ne juſtitiam, & charitatem amittamus, anxii ſumus; & hunc timorem caſtum, & ſanctum cum ex charitate proveniat, cum charitate permanſurum ſaltem in hac vita certum eſt. Alii cum Tertulliano locutum putant S. Joannem de timore pœnarum, exilii, mortis aliarumque perſecutionum, quas invicti Chriſti Martyres ob fidei confeſſionem contempſerunt, expellente charitate ab eorum animo quemcumque timorem = Quam dilectionem, ait Tertullianus, perfectam affirmat, niſi fugatricem timoris, & animatricem confeſſionis? = W.

CAPUT XX.

Ex Libro Apocalypſis.

CAP. I. v. 1. Apocalypſis dicitur Revelatio.... eorum *quæ oportet fieri cito:* At a tempore quo facta fuit hæc Revelatio S. Joanni, plurima jam effluxerunt ſæcula, nec tamen hactenus quæ in eo Libro prænunciata ſunt, fuerunt executioni demandata. *Reſp.* Vocem *cito* ſignificare res quæ in hoc Libro prænuntiantur, quamprimum eſſe incipiendas, tametſi non cito finiendas. Nam perſecutiones Chriſtianorum quæ hic revelantur, cœperunt ſub Trajano, perſeverabuntque ad finem Mun-
(1) di. (1)

Cap. IV. v. 8. Quatuor Animalia myſtica quæ referunt ſortem & ſtatum Beatorum in cœlis cum Chriſto regnantium, dicuntur non habuiſſe *requiem die ac nocte:* At Cap. XIV. v. 13. Mortuis in Domino *Dicit Spiritus, ut requieſcant a laboribus ſuis.* Reſponſ. Beatas Mentes in cœlis non eſſe otioſas, ſed aſſidue occupari in Dei laudibus & gratiarum actionibus perſolvendis; occupatione quidem, non quæ laborem & dolorem inferat; ſed quæ cœleſti voluptate eas repleat & reficiat. Quamobrem operantur quieſcendo, & quieſcunt operando.

Cap. V. v. 1. *Vidi Librum ſcriptum intus & foris:* At v. 4. ait *neminem dignum inventum aperire Librum & videre eum.* Reſpon. Joannem nuda & ſimplici viſione vidiſſe quidem Librum ſignatum ſigillis ſeptem; ac neminem præter Agnum inventum eſſe qui ſolveret ſignacula, & inveſti-
(2) garet Myſteria quæ in eo referantur. (2)

Cap. VII. v. 4 Referuntur ſignati *ex omni Tribu Filiorum Iſrael:* At omittuntur Tribus *Ephraim*, & *Dan.* Reſp. I. Tribum *Ephraim* non fuiſſe prætermiſſam; tametſi diſtincte non exprimatur: ſiquidem nomine *Joſeph* fuit declarata; cum enim Tribus Manaſſe expreſſe recenſeatur inter alias, neceſſario conſequitur per *Tribum Joſeph* verſu octavo memoratam, non aliam intelligi quam Tribum Ephraim. Omiſſa autem fuit Tribus Dan, quod ex ea, ut tradunt SS. Irenæus [a], Ambroſius [b], Auguſtinus [c], &c. oriundus ſit Antichriſtus, cui præ cæteris, Danitæ tunc temporis ſuperſtites famulabuntur. At verius cenſerem idcirco hanc Tribum fuiſſe prætermiſſam a S. Joanne, quod illa jam olim redacta fuerit ad unam familiam *Huſſim*, ut tradunt Hebræi, referente Grotio, quæ Familia bellis & calamitatibus penitus interiiſſe videtur, etiam ante Eſdræ tempora, nam Paralip. poſteritas Patriarcharum omnium commemoratur,
Dan autem omittitur. (3) (3)

a *Lib. V. cap.* 30.
b *Lib. de Bened. Patriarcharum, cap. VII.*
c *Quæſt.* 22. *in Joſue.*

Plures ſunt aliæ hujuſmodi apparentes antilogiæ & contradictiones in ſacris Libris ſed minoris difficultatis & momenti, quas facile diſſolvet Lector quiſquis erit in ſacrorum Librorum lectione tantillum eruditus, quique noverit veram contradictionem, ut definiunt Logici, eſſe pugnam duarum Propoſitionum, ex affirmatione & negatione ejuſdem ſubjecti, & eodem modo ſpectati, ortam. Inde vera oppoſitio requirit quinque conditiones: I. Ut fiat circa eoſdem terminos, tam numero quam ordine: II. Circa eamdem partem ſubjecti: III. Circa ſubjectum eodem reſpectu conſideratum: IV. Secundum eandem temporis circunſtantiam: V. Denique, ut una Propoſitio diſtincte affirmet, altera neget: quæ ſi ſingula attendantur, omnis certe in ſacris Libris antilogia evaneſcet; quæcumque enim proferri poteſt pugna textuum, vel non ſpectat ad idem ſubjectum, vel non ad eandem ipſius partem: Vel non eodem reſpectu atque in eodem tempore conſideratum. Vel unus textus aperte non affirmat quod alius negat. Quamobrem ne benigno Lectori videar importunus, ab hoc Opere, quod præter mentem, majorem in molem jam excrevit, manum tandem ſubducam.

A D

AD CAPUT VIGESIMUM
CONCILIATORII
SUPPLEMENTUM.

(1) CAP. 2. Apocalypſis ℣. 13. = Scio ubi habitas, ubi ſedes eſt Satanæ = Nunquid Pergami erat Diaboli ſedes, ſi ex Cap. 20. ℣. 1. Diabolum in abyſſo ab Angelo legimus alligatum?

Reſp. Satanas tunc temporis regnaſſe Pergami traditur ab Evangeliſta, quia in ea Civitate potiſſimum dominabatur per ſuos miniſtros, per gentes videlicet, per Idololatras Tyrannos, per Nicolaitas hæreticos; ibi perſecutio in Chriſti fideles exercebatur. Ibi triumphatrix extollebatur impietas, ibi prophanitas, & irreligio veluti lege ſancitæ erant. Hac de cauſa Satanæ ſedes Pergami conſtituta dicebatur; ſicuti enim corda juſtorum Dei habitacula, ita iniquorum, dæmonum domicilia nuncupantur, quamvis in eis revera non habitent.

Cap. 3. ℣. 11. = Tenes quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam = Quis accipiet electorum coronam, ſi non peribunt in æternum, nec quiſpiam rapiet eos de manu Salvatoris, ut ipſemet Joannis 10. ℣. 28. proteſtatur?

Reſp. Inſolubilem prorſus humano ingenio hujuſcemodi nodum eſſe, fatebuntur quotquot hoſce textus de corona finali perſeverantiæ, aut prædeſtinationis ad gloriam intelligere voluerint. Quid enim eſt *nemo rapiet oves de manu mea, quas mihi dedit Pater meus?* Quid altera ex parte = tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam =? hæſit ad hunc locum ſanctus Thomæ, & Auguſtino aqua, Duplicem propterea coronam gratiæ ſcilicet, & gloriæ diſtinxit S. Thomas 1. p. q. 23. a 6. A gloriæ corona nullum prædeſtinatorum excidere poſſe habet pro certo, quamvis & illi diu in hac vita exiſtentes, a gratiæ corona deſciverint, aut deſciſcere potuerint. S. Auguſtinus lib. *de correpr. & gratia* cap. 13. fatetur quidem coronam gloriæ amitti a prædeſtinatis non poſſe; ſed ne quiſque de ſua prædeſtinata ſalute præſumat, monet Evangeliſta eſſe unicuique laborandum, bonis inſiſtendum operibus, doctrinam fidei, conſtantiam, fortitudinem, & patientiam ſervandam, nulliſque cedendum inimicorum incurſibus, ac tandem eodem modo peragendum, ac ſi ex operibus noſtris corona fœlicitatis dependeret. Alii vero Apocalypſis textum ita exponunt, ut ſenſus ſit = perge, ut cœpiſti, retine tuam fidem, & profeſſionem; vide ne metu deficias, ne quis in locum tuum ſubſtituatur, qui auferat coronam, quam tibi paraveram, & ad quam conſequendam opus eſt ut legitime certes, & vincas =. Si in re tam difficili quid ſubjungo venia mihi fiat. Chriſtus Dominus in Evangelio Joannis ajebat a nemine rapi ſibi poſſe oves illas, quas Pater conceſſerat. Ea tamen expreſſione id unum fortaſſis indicavit; nullum ſcilicet eſſe robuſtiorem ſeipſo, adeo ut oves ex violentia luporum de ſuis manibus rapiantur, quaſi non poſſit ab eorum faucibus cuſtodire. Minime certe perituræ ſunt oves quantum ex Deo eſt; ſi tamen ex ovile ſponte aufugere, ac lupis, & feris ſe tradere velint, utique peribunt ex mala ſua voluntate, non ex auxiliorum divinorum deficentia. Hæc eadem auxilia Epiſcopo Philadelphiæ non denegantur, ſed ejus cooperatio neceſſario requiritur, ad quam excitabatur ab Joanne, ne coronam eidem paratam amitteret. Circa hujuſcemodi myſteria, quam ſibi libet, unuſquiſque amplectatur hypotheſim; modo extra limites doctrinæ Catolico-Romanæ Eccleſiæ non exorbitet.

(2) Cap. 5. ℣. 13. = Omnem creaturam, quæ ſub terra audivi dicentem: ſedenti in Throno, & Agno benedictio, & honor = Nunquid Dæmones, & animæ damnatorum laudis hymnos Deo, & Jeſu Chriſto dicentes audiebantur?

Reſp. Nullam eſſe neceſſitatem recurrendi ad Spiritus condemnatos in Inferno, ut creaturas de ſub terra Deum benedicentes reperiamus. Eſt quidem hoc in loco excellens proſopopœia, qua ſermo inanimis rebus, mutiſque tribuitur. Si tamen Dæmones ipſos a Deo compelli velimus ejus majeſtatem, & gloriam confiteri, ſicut, & Agni divinitatem, atque poteſtatem, non a vero aberravimus; ſcripſit enim Apoſtolus ad Philippenſes 2. ℣. 10. omne genu tam Cœleſtium, quam terreſtrium, & infernorum ad nomen Jeſu inflecti, omnemque linguam faseri Dominum Jeſum Chriſtum in gloria eſſe Dei Patris.

Cap. 6. ℣. 9. Vidiſſe teſtatur S. Joannes ſubtus Altare animas interfectorum. Quomodo ergo cap. 14. ℣. 4. ſequi dicuntur Agnum quocumque ierit, animæ illæ, eidemque ſervire die, ac nocte, quemadmodum legimus cap. 7. ℣. 15.?

Reſp. Sub Altari viſas eſſe ab Joanne in ſpiritu animas Martyrum, non quidem Altare materiali, quod nullum profecto erat in Cœlis, ſed figurate intellecto. Deſcribit enim hoc loco Evangeliſta phraſibus ex veteri teſtamento depromptis beatiſſimum illorum ſpirituum ſtatum in Cœlis. *Sub altari*, ideſt ſub Chriſti cuſtodia, & præſidio; in Chriſti, adeoque & Dei viſione fruentes: ideo autem viſæ ſunt ſub Altari, ideſt ad pedem Altaris ſunt, quia erant inſtar hoſtiarum recens jugulatarum, vel quia ſub Altare incenſi deſignabantur veluti immolantes hoſtias perpetuæ laudis ſummo, & excelſo Deo. Quid ergo mirum ſi poſtea

viſæ

viſæ ſunt ab Joanne ſequi Agnum quocumque iret, ac Deo noctibus, & diebus ioinſervire? Non quidem ſub Altare velut in carcere detinebantur, ſed ſecus Altare, ideſt prope Chriſtum, qui *Altare* dicitur Hebræorum 13. ℣. 10. permanebant. Hujuſcemodi expoſitiones tradidere Anſelmus, Haymo, Paræus, Pererius, Cluverus, Gagnæus, & Grotius.

(3) Cap. 10. ℣. 7. = Cum ſeptimus Angegelus cœperit tuba canere, conſummabitur Myſterium Dei = Quis autem non videat poſt ſonitum ſeptimæ tubæ plura adhuc eventura Dei myſteria prædici ab Joanne a Capite 11. Apocalypſ. uſque in finem? Quomodo ergo ad ſonum iſtum conſummari dicuntur Dei myſteria?

Reſp. Per *Myſterium Dei conſummandum* intelligi a multis Commentatorum omnia, quæ ore Prophetarum a Deo revelata ſunt de fine ſæculi, & de bonorum, & malorum remuneratione; quæ cum ſub obſcuritate verborum, & figurarum umbris enunciata ſint, tunc aperta, & manifeſta omnibus fient. Ita Menochius, Tirinus, Gagnæus Piſcator, & Cobberius. Alii vero opinantur Myſterii complementum Regnum illud eſſe, quo Rex Sanctorum univerſo orbi terrarum eſt imperaturus poſt deletum, & abſumptum Regnum Beſtiæ, quod ſub ſeptima phiala continget; ac proinde cum initio tubæ ſeptimæ concurret, quæ ibidem tuba conſummationis eſt. Finis itaque temporis, & mundi huic merito aſcribitur tubæ, quamvis ea clangente, ſtatim non adveniat, quia clangorem ejus ſtatim ſequuntur ſeptem phialæ, quæ ſeptem ultimæ plagæ erunt, & finem tempori imponent.

℣. 11. Ejuſdem Capitis = Oportet te iterum prophetare Gentibus, & populis, & linguis, & Regibus multis = Accuratiores tamen Chronologi quatuor circiter annis poſt viſionem hanc celeberrimam Joannem e vivis ereptum arbitrantur.

Reſp. Nullum eſſe inconveniens ſi divinæ Scripturæ oraculum ita intelligatur, ut non futurum tempus reſpiciat, quaſi Joannes aut in mundo permanſurus eſſet, aut in mundum reverſurus ad prophetandum: ſed reſpitiat potius alteram prophetiæ partem ipſimet Evangeliſtæ adhuc revelandam, & ab ipſo literis conſignandam, quæ Reges poſtremos, & populos hujus mundi perſtringat; ita ut ſenſus ſit: quamvis multa hactenus de extremis temporibus fueris vaticinatus, adhuc tamen multa ſuperſunt, quæ de eiſdem es vaticinaturus. Alii autem ita ſacrum illum textum exponunt, ut non ſolum Joanni, ſed in ejus perſona omnibus Evangelicæ veritatis præconibus dictum ſit, quod oporteat prophetiam, & Evangelium prædicare iterum, & iterum gentibus, & Regibus uſque ad mundi finem ſed præſertim Antichriſti tempotibus; utramve amplectantur expoſitionem non officit oraculo Dei, mors Evangeliſtæ, quæ paucis poſt annis a viſione iſta, eveniſſe ſupponitur.

Cap. 13. ℣. 8. = Agnus qui occiſus eſt ab origine mundi = Quomodo a Mundi origine Chriſtus dicitur occiſus?

Reſp. Agnum ab origine mundi occiſum dici non quidem actu quod repugnat, ſed reſpectu vel divini decreti, quo ſenſu Chriſtus præcognitus dititur ante Mundi conſtitutionem; vel reſpectu promiſſionis illius, qui hominibus in redemptionem promiſſus eſt ab initio mundi, vel occiſus dicitur ab origine mundi reſpectu virtutis, & efficaciæ paſſionis ejus, quæ ab orbis ſere condito viguit, cum per merita illius omnes, quotquot ſalvati ſunt, vitam æternam ſint conſecuti. Sunt tandem, qui textum hunc ita legendum arbitrantur: *quorum nomina non ſunt ſcripta ab origine mundi in libro vitæ agni, qui occiſus eſt.*

Cap. 19. ℣. 12. Nomen ſcriptum habere dicitur Jeſus, quod nemo novit niſi ipſe. ℣. autem 16. ſcriptum habere narratur in veſtimento, & fæmore ſuo *Rex Regum & Dominus Dominantium*. Hoc autem nomen non ſoli Jeſu, ſed omnibus notum eſt.

Reſp. Quatuor hoc in Capite nominibus Dei filium eſſe nuncuparum, quorum tria ſatis explicite proponuntur, quia nonnulla ejus attributa deſcribunt. Nomen autem quo ejus divinitas, & eſſentia ineffabilis fortaſſe ſignificabatur, ineffabile hominibus, & Angelis, quinimmo & imperceptibile prædicatur.

Cap. 20 ℣. 14. Inſernus, & mors miſſi dicuntur in ſtagnum ignis. Nonne ſtagnum ignis eſt in inſerno? quomodo ergo inſernus in ſtagnum dicitur miſſus?

Reſp. Per *infernum*, & *mortem* Regnum mortis, & Inſerni eſſe intelligendum, quod diu inter mortales extiterat, in ſolo ignis ſtagno deinde permanſurum. Vel hic metonymia ſubiecti eſt inſtituta, qua continens pro contento uſurpatur, unde per *infernum*, mortui, qui erant in Inſerno, per *mortem* autem illi, quos mors, & ſepulchra reddiderant ſunt intelligendi, non quidem omnes, ſed major eorum pars, qui morti æternæ deſtinati ſunt. Hæc quæ Tyronum gratia Conciliatorio Fraſſenii adjunximus, ſufficiant, cum alia plura penes Commentatores videri queant, ſi difficultates, quas habent ex Scripturæ lectione reſolvi non poſſunt. W.

Conciliatorii Finis.

DE

DE RE CRONOLOGICA
L I B E L L U S,

I. PLurium in his *Diſquiſitionum Biblicarum* Voluminibus geſtorum tum ſacram, cum civilem reſpicientium Hiſtoriam propriæ temporum diſferentiæ, quibus contingere, cum a nobis fuerint deſignatæ; non ingratum novellis ſacræ civiliſque Hiſtoriæ ſtudioſis, in quorum gratiam, non Magiſtrorum labores noſtros, ſi qui ſint, exoptamus impendere, atbitramur futurum, ſi Chronologicum quemdam conſpectum, quo facillime cujuslibet, celebrioris ſaltem, eventus proprium tempus, atque ætas inſpiciatur ponamus ob oculos. Non rectam propterea annorum ſeriem a mundi primordiis ad primum uſque Chriſti ſæculum, ſed potius alphabetico ordine rebus Hiſtoriæ digeſtis, earum cuilibet debitum tempus, quo fieri poſſit, deſignare curabimus.

II. Tempus quid ſit = Si nemo ex me quærat, ſcripſit S. Auguſtinus lib. XI. Confeſs. cap. 14. ſcio, ſi quærenti explicare velim neſcio: fidenter tamen dico ſcire me, quod ſi nihil præteriret, non eſſet præteritum tempus; & ſi nihil adveniret non eſſet futurum tempus; & ſi nihil eſſet, non eſſet præſens tempus = res igitur, quæ præterierunt, tempus præteritum; res, quæ evenient, tempus futurum; & res tandem, quæ ſunt, præſens tempus nobis oſtendunt. Quid ergo erit, ſi dixerimus temporis nomine nil a nobis intelligi, quam = entis cujuslibet ſive permanentis, ſive ſucceſſivi exiſtentia perſeverans, ſive in ſe, & abſolute; ſive in comparatione ad aliorum entium perdurantem exiſtentiam conſiderata? = Parum Chronologi de abſoluta entium duratione ſoliciti ſunt, cum potius eo convertant animum, atque ſolertiam, ut rem quamcumque eis rebus coexiſtentem decernant, quibus revera, & non aliis coextitiſſe revincitur.

III. Nullius itaque entis, cujus exiſtentia jam deſiit, ætatem, & tempus certo ſtatuere poſſumus, niſi certo pariter cum quibus coextiterit entibus, quorum ætas nobis innoteſcat. perdiſcamus. Cum autem ea ſit omnium Creaturarum conditio ſi de corporeis, & ſublunaribus ſermocinemur, ut ad interitum dilabantur; paucorum entium, quæ noſtram præceſſerunt ætatem tempus, & exiſtentiam cum certitudine dignoſcemus niſi ad quamdam regulam in ſuo eſſe perſeverantem, quæ cum entibus jam non extantibus fuerit, animum convertamus, & cum illius exiſtentia, rerum præteritarum & exiſtentiam, & durationem, quæ fuit, comparemus. Regula profecto, qua certiſſime rerum diverſarum perſeverantem exiſtentiam, ſeu tempus; & qua rei unius ætas quandiu ab alterius ætate diſſita fuerit dignoſcamus, a ſupremo hujus aſpectabilis univerſi omnipotentiſſi no Conditore poſita fuit & indicata dum Solem, & Lunam, & Stellas in firmamento conſtituit perennive donavit motu, ut ſuis periodicis, ordinatiſque revolutionibus eſſent in ſigna, & tempora, & dies, & annos, ut Geneſeos 1 ℣. 14. Scriptum eſt. Ex motibus igitur Solis, quibus utrumque Hemiſpherium, atque duodecim Zodiaci ſigna percurrit duæ temporum differentiæ, ſeu duæ admodum diſcrepantes indicantur durationes, quarum una *dies*, altera vero *annus* appellatur; quodlibet igitur ens tandiu in ſua exiſtentia perſeverans, quandiu Sol ab uno Cœli puncto recedens ita gyrat, ut ad idem ſenſibile punctum revertatur, illud ens per integrum diem extitiſſe in univerſo exiſtimatur.

Si vero pluribus hujuſcemodi ſolaribus revolutionibus coexiſtat per dies plures perſeveraſſe dicitur; unius autem anni tempore quidpiam in univerſo perſeverat, quod in ſua exiſtentia tandiu continuat, quandiu Sol ab uno Zodiaci gradu recedens duodecim ſigna ejuſdem pertranſit, atque ad eumdem gradum ex quo receſſerat, ſe ſe reſtituit, cum autem hujuſcemodi tam annuæ, quam diurnæ Solis progreſſiones ordinatiſſimæ ſint, & conſtantiſſimæ, cumque ab univerſi primordiis incœperint, nec unquam perturbatæ ſint, atque confuſæ (quidquid nimium licenter Burnetus Archæol. Sacr. Lib. 2. Cap. 3. & cum eodem Shuckfordus Tom. 1. Hiſt. in Præfat. ſupponant, quod per generalem videlicet κατακλυσμὸν, nedum terra maximam fuerit paſſa jacturam, ſed in ſyſtemate etiam planetario perturbatio quamgrandis evenerit) aptiſſime regulæ, atque menſuræ ad entis cujuſcumque exiſtentiam, quandiu nedum, ſed & quando in univerſo fuit, dignoſcendam eſſe poterant, ſi earum computo revolutionum recta methodo notato, ſub quo revolutionum numero eſſe cœpit, ac deſiit illud ens, memoriæ traditum eſſet, certiſque monumentis commendatum. Hæc tamen omnia vel a majoribus noſtris prorſus neglecta, vel more creatarum rerum tandem deperdita ſunt. Chronologi itaque eo labores, vigiliaſque perducunt, ut varios hujus univerſi eventus, variaque geſta, intra eas reſtituant diurnas, vel annuas Solis revolutiones, in quibus revera contigerunt; hoc autem dum iis pro

Digitized by Google

voto cedit, opus numeris abſolutum exhibuiſſe gloriari queunt.

IV. Quis tamen brevem cujuslibet hominis in hoc ſæculo vitam eſſe non videat? pauca proinde unuſquiſque poteſt ſuis oculis intueri; ſi ergo eorum, quæ ætatem uniuſcujuſque præceſſerunt, tempora addiſcere exoptet, rectoque percipere ordine & ſerie, ab eorum fide, quæ ea ſcriptis, aliiſque monumentis commendavere, dependeat neceſſe eſt. Quænam igitur rerum præteritorum, earumve temporum monumenta falſitatis neſcia, veritatis conſerta poſſimus adire, quibus certiſſime quidquid in hac rerum univerſitate a Creationis initio ad noſtram uſque ætatem evenit, quando evenit, & quandiu perſeveravit diſcernere valeamus? Diu ſine ſcribendi arte homines in mundo extitiſſe præclariſſimi tuentur Scriptores; nil certi propterea de rebus, atque temporibus, quæ Moſis præceſſerunt ætatem nobis eſſet compertum, ſi ab eodem Mundi Geneſis, hominum productio, vetuſtiſſimorum Patriarcharum ætas, & geſta, divino inſpirante Numine literis data non eſſent, atque fideliſſima diligentia ad nos uſque tranſmiſſa, cum cæteris, quæ deinde ſequentibus ſæculis Judaicæ gentis Scriptores ſpiritu veritatis aſflati in perpetuum rerum ſuarum monumentum literis conſignarunt.

Aliarum gentium pariter Scriptores longe tamen Moſis ætate recentiores nonnulla inter ſuos, alioſque populos geſta literis tradere ſategerunt, quæ tamen tot fabulis, tantiſque commentis reſperſa viſuntur, ſi præſertim Olympiadum Epocham præceſſiſſe ſupponantur, ut nullam, vel admodum dubiam fidem a viris cordatis exigere queant, ſive eorum exiſtentia, ſive tempus, quo contigiſſe referuntur ad trutinam revocetur. Quidquid ſit tamen, temporum ſeriem, & ordinem vix perveſtigare poterimus niſi ad vetuſtos Auctorum codices recurramus, inter quos nulli ſubiectos exceptioni cognoſcimus Sacros Bibliorum Libros, quoties Divini Auctoris genuinum ſenſum in eiſdem expreſſum percipiamus; ad iſtos ergo tanquam ad lydium lapidem omnia alia, quæ nobis ſuperſunt ſcriptorum monumenta circa temporum, ordinem, reducenda ſunt, quomodocumque audacter nimis Scaliger *de tempor. emend.* pronunciaverit quod = actum eſſet de Chronologia Sacra, ſi abſque exoticis documentis foret =; longe autem minoris facienda, quæ in ſuo Syſtemate Chronologico Diſſert. 2. pag. 51. Michael exaravit; a Babyloniorum videlicet Hiſtoria Hebraicam Chronologiam de mundi origine, de Diluvio, de Patriarchis ante, & poſtdiluvianis uſque ad Abraham, regulam, atque normam recepiſſe. Hæc profecto Michaelis adſertio neſcio an riſum potius, vel ſtomachum moveat?

V. Temporum durationes, ſeu menſuræ in tres claſſes apud Scriptores Sacros, præſertim Moſem primo inveniuntur diſcretæ in annos videlicet, in menſes, in dies. Annus alter Solaris dicitur, Lunaris alter; prior integro Solis gyro per duodecim Zodiaci ſigna perficitur, dieſque includit, juxta Ricciolium in Chronol. Refor. Lib. 1. Cap. 28. tercentum ſexaginta quinque, horas quinque, minuta 48. Secunda pariter 48. unde ad ſex horas completas deſunt minuta undecim, & ſecunda 12. quod minime vetuſtiores Aſtronomi, atque Soſigenes, cujus opera uſus eſt Julius Cæſar in Kalendario reſtituendo ad annum 46. ante Chriſtum, obſervarunt. Ex minutorum autem iſtorum neglectu non levis annorum aliquot decurſu, etiam poſt Julianam reſtitutionem perturbatio in temporum ſeriem, & ordinem eſt invecta, cum etenim annum perfici opinarentur Aſtronomi integris diebus 365. & ſex horis, ſingulis quadrienniis diem intercalarem adjungebant integram, atque perfectam ut in ſuis locis æquinoctia conſiſterent; aſt æquinoctium vernum non eo temporis intervallo a futuro æquinotio ſequenti diſtabat, cum undecim minutis, & duodecim ſecundis citius quam arbitrarentur, contingeret, hinc factum eſt, ut ſingulis tercentenis, & quadragenis annis cum uno, æquinoctium cœleſte tribus integris diebus citius quam exiſtimabatur in anno civili, haberetur; annis autem 1257. quot ab univerſali Nicæna Synodo prima uſque ad Gregorianam Kalendarii reſtitutionem percurrerunt, æquinoctium cœleſte, civile æquinoctium dierum undecim ſpatio præceſſerit. Hoc inconveniens niſi fuiſſet Gregorii XIII. Romani Pontificis tempore ſublatum, futurum erat longiore annorum curriculo, ut eo temporum turbatio protenderet, quod Chriſti natalis in vernum tempus incideret, aliaque abſurda contingerent.

Accitis itaque Romam viris in aſtronomica re verſatiſſimis, inter quos celebris Clavius, ſub Cardinalis Sirleti præfectura, temporum reſtitutio pertractata fuit; quo tempore cum Aloyſius Lilius Librum, in quo Epactarum Cyclus pro aureo numero ſufficiebatur, edidiſſet, iſque ſummo Pontifici eſſet oblatus, ejus libri compendium a Romano Pontifice tum ad Chriſtianos Principes, cum ad celebres quaſcumque Accademias miſſum eſt, ut adhibito peritiorum conſilio Mathematicorum, diligentius exhibita Lilii emandatio expenderetur, & ſi quid addendum, demendum, immutandumve foret, exponerent. Poſt varias tandem peritorum auditas opiniones Kalendarium ex mandato Pontificis juxta Lilii inventum caſtigatum fuit, decem ſuppreſſis menſis octobris diebus, & quæ eſſe debebat dies quinta anno Chriſti 1582. numerata eſt dies octobris decimaquinta; ſicque reſtitutum fuit æquinoctium vernum ad diem Martii 21. ſicuti a Patribus Nicænis anno Chriſti 325. fuerat conſtitutum.

VI. Ne autem eveniret ut æquinoctium iterum verſus Martii initium retrocederet, ſtatutum eſt in Gregoriana emendatione, quod ſingulis centenariis annorum, omitteretur annus biſſextilis, ſicque per tres annorum centurias: quarta autem centuria annus biſſextus haberetur; id autem decre-

tum

Digitized by Google

tum eſt, quia intra ſpatium annorum 134 proxime, uno die æquinoctium anticipat, annis autem 268. diebus duabus, & tandem annis 400. proxinè, tribus diebus a die 21. Martii retto contingeret. Tres itaque iſti anticipationis dies inſumuntur in tribus prioribus centuriis annorum in quibus biſſexta perimuntur; ſicque factum eſt ut æquinoctium in die 20, ac 21. Martii perpetuo conſiſteret. Modo nonnulla de Lunationum emendatione indicabimus.

VII. Meton Atheniensis aſtronomus Græcis ſuaſerat poſt annos decem, & novem Lunæ Soliſque Syzygiss ad eamdem ejuſdem diei horam reverti, quam ſuppoſitionem cum Alexandrini prius, Latini deinde ſuſcepiſſent, paulatim contigit, ut novilunia diebus quatuor citius fierent, quam per aureos numeros indicarentur; hinc eveniret tandem, niſi medica manus eſſet adhibita, ut Paſcha in novilunio celebrari contingeret, hujus profecto rei cauſa éxtitit quod falſa ſit Metonis ſuppoſitio de regreſſu noviluniorum ad idem menſis ejuſdem, diei, & horæ momentum, nec non falſum ſit, quod annis 19. ſolaribus lunationes 235. fiant adamuſſim, unicuique lunationi alternatim concedendo dies civiles 30. & 29. Menſis quippe lunaris medius, juxta Ricciolium Lib. I. Chronol. Reform. Cap 28. dies 29. horas 12. min. 44 ſecunda 3. Tertia 10. complectitur; ideoque in annis ſolaribus Julianis 19. computatis biſſextilibus, dies continentur 6939 horæ autem 18. Ducentæ autem, & triginta quinque lunationes mediæ exigunt ſolummodo dies 6939. horas 16. min. 32. ſecun. 28. Tert. 5. Si Tabulæ Prutenicæ, quibus Kalendarii correctores ſunt uſi, attendantur, vel juxta Riccioli calculum exigunt dies prædictos, horas, & minuta eadem, ſecunda vero 24. Tert. 10. ex quo fit ut peractis annis Julianis ſolaribus 19. Novilunia media anticipant hors 1. min. 27. ſecun. 31. Tert, 55. circiter; tranſactis itaque Cyclis Metonicis quatuor, ſeu annis 76. Novilunia media citius anticipant horis 5. min. 50. ſec. 7. Tert. 40: hinc fit, ut annorum 312. $\frac{1}{2}$ curſu peracto, integra ferme die novilunia præcedant aureum numerum in Kalendario veteri retentum, & tandem poſt annos 1250. antevertitur aureus numerus toto quatriduo a noviluniis; non poterant igitur, hoc perſeverante lunationum computo, quem Meton invenerat, feſta Paſchalia debito celebrari tempore, quod Synodus Nicæna decreverat. Errori itaque occurſum eſt, cum lunarum epactæ in locum aurei numeri ſuffectæ ſunt.

Epacta nil aliud importat, quam dierum numerus, qui in menſe Decembri, completa lunatione duodecima, ſupereſt uſque ad anni finem. Supponamus Kalendis Januariis novilunium haberi; annus lunaris, duodecim compoſitus lunationibus, diebuſque praeterea 354. die 20. Decembris complebitur; dies ergo undecim ſupererunt, qui ad lunationem 13. ſpectabunt: ſequentis itaque anni lunationes 12. cum a die 21. decembris anni præcedentis habeant initium, abſolventur profecto die 9. Decembris ſicque ad finem anni dies 22. ſupererunt; & tandem anno tertio duodecim lunationes die 28. Novembris finem conſequentur, & lunatio 13. dierum 30. die 28. Decembris complebitur; ſicque remanebunt tres dies pro lunatione prima anni quarti ſequentis: hoc itaque ordine retento tali ſerie Epactæ ſibi ſuccedunt. 11. 22. 3. 14. 25. 6. 17. 28. 9. 20 1. 12. 23. 4. 15. 26. 7. 18. 29. 10. 21. 2. 13. 24. 5 16. 27. 8. 19. 30. vel o. Ita ferme lunationum emendationem, ac diſpoſitionem ſub Gregorio XIII. fuiſſe digeſtam tradit Ricciolius Libro 1. Chronol. loco ſuperius laudato.

VIII. Nos itaque libellum hunc Chronologicum eo conamur perducere, quemadmodum ſuperius indicavimus, ut rei cujuſlibet memorabilis, quæ hoc in univerſo contigit ab initio uſque ad totum primum Eræ Chriſtianæ ſæculum, in quo libri Novi Teſtamenti exarati ſunt proprium tempus inſcriptum exhibeat, ſaltem juxta excellentiorum Auctorum hypotheſes; neque enim tanti facimus noſmetipſos, ut rebus tamdiu a præclariſſimis viris diſcuſſis quid novi adjungere præſumamus. Animadvertimus tamen ſero nimis exactam temporum, annorum ſcilicet, & menſium periodum eſſe adinventam, qua cum vetuſtiores carerent mundi homines, quamvis annorum, & menſium in ſuis, quos reliquerunt rerum geſtarum libris, meminerint aliquando, impervia tamen nobis eſt perfecta, qua utebantur menſium, annorumque menſura; quinimmo cum menſes, & anni diverſi ſint generis *Solares* ſcilicet, & *Lunares*, ut ſuperius num. V. dictum eſt, de ſingulis nonnulla pro clariori apud Tyrones intelligentia præmittere operæ pretium opinamur.

Annus itaque ſolaris in *Civilem* dividitur, & *aſtronomicum*. Civilis eſt illa temporis duratio, qua Sol Zodiacum percurrit, non computatis in ea duratione temporis minutiis, ſed integris ſolummodo diebus attentis; hinc hujuſcemodi annum in *abundantem*, & *deficientem* partiuntur Scriptores; primum ex diebus 366. compoſitum, alterum ex 365 confectum affirmant; Sol autem nec integros 366. dies in Zodiaco perluſtrando conſumit, nec ſoli 365. dies ſufficiunt. Annus autem *aſtronomicus* in *Tropicum* diſtinguitur, atque *Sydereum*; Tropicus in illa temporis menſura comprehenditur, quam ex Ricciolio ſub num. 5. exhibuimus; vel juxta Caſſinum, Blanchinum, & De la Hire in diebus 365. horis 5. Min. 49. intercluditur. Annus vero *Sydereus*, temporis illa duratio eſt, quæ perſeverat, quandiu Sol ab una fixarum ſtella recedens ad eamdem revertitur, quod contingit poſt integrum annum Tropicum, & 22. minuta, juxta obſervationes De la Hire, unde annus *Sydereus* diebus 365. horis ſex & minutis fere decem perficitur, ideſt minutis 9. ſecun. 21. Tert. 42. ut Ricciolius Lib. 1. Chronol. Cap. 8. decernit.

Digitized by Google

Annus lunaris etiam in *Civilem*, & *aſtronomicum* disiungitur. Aſtronomicus duodecim menſes lunæ Synodicos includit; menſis autem Synodicus aſtronomice ſumptus dies complectitur 29. horas 12. min 44. ſecunda fere 4. ideſt ſecunda 3. cum Tert. 10. juxta Ricciolium; hinc annus lunaris aſtronomicus diebus componitur 354. horis 8. minutis ferme 49. ſcilicet min. 48. ſecund. 38. Tert. 20. Quart. 6. Annus lunaris *civilis* certum numerum continet menſium Synodicorum civilium lunæ. Annus autem *lunaris civilis* dividitur in *Communem*, & *Embolimeum*; communis duodecim menſes Synodicos civiles lunæ habet; Embolimeus autem tredecim menſes plenos, & cavos alternatim includit; habet ergo annus lunaris civilis dies 354. Embolimeus autem 384. in præſentiarum quippe omnes minutias temporis negligere debemus, ſi de annis, menſibuſque civilibus diſputare velimus; annus ergo lunatis civilis duodecim menſes Synodicos includit, qui alternatim pleni, & cavi ſunt, ideſt ex diebus 30. ſex menſes; & ex diebus 29. alteri ſex menſes componuntur; hoc autem evenit ex eo quod unuſquiſque menſis Synodicus civilis ex diebus 29. & horis 12. coaleſcat, hinc poſt primum menſem dierum 29. horæ 12. ſuperſunt quæ ſi cum ſecundo menſe copulentur, dies 30. ſtatim habentur, cum & ille ex diebus 29. & horis 12. eſſet compoſitus; bis duodecim autem horæ integram diem conſtituunt, unde ſecundo lunaris menſis Synodicus civilis ex diebus 30. neceſſario conficitur.

Menſis Synodicus, cujus menſuram exhibuimus, eam continet durationem temporis, quæ perſeverat quandiu luna ab una conjunctione cum ſole recedens iterum cum eodem alteram conjunctionem aſſequitur, Menſis tandem alter habetur, qui dicitur *illuminationis*, & tempus includit, quod a prima apparitione lunæ veſpertina poſt novilunium, uſque ad ultimam apparitionem ejuſdem matutinam ante proximum novilunium dilabitur; iſte autem menſis diebus 26. perficitur.

IX. Menſis ſolaris aſtronomicus id temporis comprehendere dicitur, quod a ſole in percurrendo uno ex duodecim Zodiaci ſignis conſumitur, Cum autem non æquali temporis intervallo ſingula ea ſigna corpus ſolare percurrat diutius quippe in ſex borealibus, quam in cæteris auſtralibus ſignis pertrahit moram, hinc ſolares menſes non omnes ſunt æquales. Medius itaque menſis Solaris aſtronomicus inter maximum, minimumque intercedens, dies 30. horas 10. min. fere 30. complectitur. Menſis autem Solaris civilis eſt temporis ſpatium a ſole in uno percurrendo Zodiaci ſigno conſumptum, neglectis tamen minutiis; cum itaque ſol in percurrendis omnibus Zodiaci ſignis dies abſolvat 365. & fere ſex horas, menſes nonnulli dierum 30. alii vero 31. neceſſario ſunt.

Poſtquam de anno, & menſe nonnulla expoſuimus, de diebus etiam, eorumque partitione aliqua ſubnectere nequaquam piget, eo vel maxime quod in rebus hiſtoricis enarrandis, non raro dies etiam recenſeantur ab Auctoribus, præſertim a Moſe, aliiſque Scriptoribus ſacris. Quodnam temporis ſpatium dies comprehendat ſuperius ad num. 111. jam tradidimus. Supereſt modo animadvertere cum Theologis, atque Aſtronomis præſtantioribus diem in *naturalem*, & *civilem* dividi conſueviſſe; quorum prior totam includit temporis durationem, quæ perſeverat, donec ſol ab uno Cœli ſenſibili puncto recedens ad illud iterum revertitur; & in hujuſcemodi duratione nox etiam comprehenditur: *Civilis* autem eo temporis intervallo concluditur, quo ſol ſuper horizontem commoratur. Cenſorinus *de Die Natali* Cap. 53. diem *naturalem*, quem nos *civilem*; civilem vero, quæ nos *naturalem* vocamus, appellat. Diem naturalem in partes æquales 24. partiuntur ab multis jam annis Aſtronomi, quæ partes *horæ* vocari ſolent. Quam ſit hæc dierum partitio perantiqua incertum eſt; tempore nihilominus Ezechiæ Regis Juda, ejus uſus jam fortaſſis invaluerat, quemadmodum patet ex Lib. 4 Regum Cap 20. in quo de gradibus, quibus ſol aſcendebat, fit mentio. Quidquid ſit tamen de iſta dierum partitione, in Libris Moſaicis non aliam offendimus diei diviſionem, quam in tres partes, quarum prima dicitur *Mane*, ſecunda *Meridies*, tertia tandem *Veſpera*, & hæc diei Civilis, ſeu artificialis erat partitio; tempus autem noctis, in tres alteras portiones intuemur diſciſſum, in *Veſperas*, ſcilicet, in *Mediam noctem*, & in *matutinam cuſtodiam*. Noctem ulterius in quatuor æquales partes diviſam fuiſſe legimus, quæ dicebantur *Vigiliæ*, quælibet autem *vigilia* tribus horis componebatur; quæ ſiquidem horæ modo breviores erant, modo longiores juxta noctium longitudinem majorem, aut minorem. Diem etiam Civilem in quatuor æquales partes diſſecabant; quarum prima dicebatur *Tertia*, ſecunda *Sexta*, tertia *Nona* quarta *Veſpera*. Hæc profecto diei naturalis, & artificialis diviſio tempore Chriſti Servatoris quammaxime in uſu extitiſſe videtur, cum ſæpius in Evangeliis, Actiſque Apoſtolicis recenſeatur. Noſtrum autem eſſe diei partes jam recenſitas ad noſtrarum horarum menſuram perducere minime diffitemur, ut faciliori via, qua diei hora factum aliquod contigerit Tyronibus præſertim innoteſcat. Horam interim definimus, eam temporis durationem, quæ tandiu perſeverat, donec 15. Æquatoris gradus ſuper horizontem aſcendant. Horæ cujuslibet diviſio eſt in partes æquales 60.; quæ ſolent *minuta* nuncupari. Minutum etiam in ſexaginta æquales partes ſubdividitur, earumque ſingulæ appellantur *ſecunda*. Hæc pariter *ſecunda* in partes 60. æquales diſſecantur, & iſtæ tertia nominantur; & ſic deinceps pro libito, temporis diviſio protenditur. In qualibet hora minuta ſecunda 3600. continentur; Tertia autem minuta 216000. Omittimus alteram diei partitionem in 60. partes æquales, quæ prima diei ſcrupula appellantur,

de

Digitized by Google

de qua partitione Petavius lib. 7. de doctrina temporum cap. 1.

Diverſimode a Chaldæis horæ tempus diviſum fuiſſe traditur, cum in partes 1080. æquales partiti ſint, quorum methodum Hebræi etiam retinuiſſe creduntur: portiones horæ a Chaldæis inventæ, *belakim* a Judæis vocatæ ſunt. Ea autem eſt *belakim* menſura, ut 18. ex illis unum minutum noſtrum adæquent Minutum autem eſt illa temporis portio, quæ inſumitur, dum 15. minuta unius gradus Æquatoris ſupra Horizzontem aſcendunt.

X. Cum jam generaliores temporis periodos, ſive menſuras, quibus res hiſtoricæ adligari queunt, recenſuerimus; adhuc de annorum, menſium, dierumque initiis apud gentes diverſas uſurpatis ſupereſt diſputandum, ut, iiſdem ad invicem comparatis, certam temporis differentiam in noſtris, quas retinebimus, methodo, temporumve periodis, rebus geſtis præſcribamus.

A variis temporis punctis *diei* principium a diverſis populis fuiſſe deſumptum dubitare non ſinunt præclariſſimorum hominum teſtimonia. Ad ſolis occaſum diei initium, & ad alterum occaſum illius finem conſtituiſſe antiquiores populi præſertim Hebræi, non obſcure revincuntur, ſi divinarum Literarum auctoritates attendantur; Levitici quippe 23. ℣. 32. Sabbatha celebrare jubentur Iſraelitæ a veſpera uſque ad veſperam. Neomenias pariter a prima, & veſpertina Lunæ phaſi inchoabant, quinimmo nedum feſtivos dies a veſpera præcedenti, ſed & alios quoſcumque etiam ab eodem puncto exordium habuiſſe non eſt incredibile, cum iidem termini pro Vulgaribus rebus fiendis a Moſe recenſeantur: ita coturnices a Deo immiſſum iri prædiair Exodi 16. ℣. 12. *a Veſpera;* ℣. autem ſequenti, facto jam veſpere coturnices aſcendiſſe commemorat. Non ſolum autem morem hunc conſtituendi diei principium in Veſpera apud Judaicum populum retentum fuiſſe, ſed & pene alias nationes olim invaluiſſe reſtantur celeberrimi Scriptores; ut apud Athenienſes, Gallos, Germanos, Numidios, Lybios, alioſve populos adfirmant Gellius lib. 3. cap. 2. Nicolaus Damaſcen. Tacitus *de Bello Gallico* lib. 6. & Plinius lib. 2. *Hiſt. Natural.* cap. 79. Hanc utique praxim penes Italos adhuc ſervari intuemur, qui poſt horam 24. ſeu ſolis occaſum, initium diei ſequentis incipiunt; horam etenim primam ſtatim enumerant, Judaicum hunc morem inchoandi diem a veſpera præcedenti nondum obſoletum extitiſſe Salvatoris noſtri tempeſtate compertum eſt, cum Evangeliſta Matthæus cap. 28. ℣. 1. primam hebdommadis diem a Veſperis incipiat ſcribens = Veſpere autem Sabbati, quæ luceſcit in prima Sabbati =. Diverſam profecto diei inchoandæ methodum Orientales populi, ut Babylonii, Perſæ, aliique retinuere, qui ab ortu ſolis, uſque ad alterum ortum diem naturalem ſtatuebant. Dies autem Civilis, quo res forenſes expendebantur, aliaque peragebantur negotia, a media nocte exordium, & ad mediam ſequentem noctem finem conſequabatur apud Ægyptios, & Romanos, quem utique morem in Europa ferme univerſa modo invalere conſpicimus.

XI. Menſium initia non minus varia apud diverſas gentes extitere, quam dierum. Hebræi in primis cum menſis cujuslibet initium ex Dei mandato, veluti feſtum ſolemne celebrare compellerentur, quod feſtum *Neomenia* appellabatur; quamdam ſibi methodum ad menſium principium vere auſpicandum, ac in legem committere convincerentur, exquirere coacti ſunt. Hanc autem Neomeniam, ſive primam menſis diem non a Synodo, veraque, aut media conjunctione Lunæ cum Sole ex Tabulis præcognita, ut Scaliger, & Paulus Foroſempronienſis Epiſcopus opinantur; vel potius ex prima Lunæ phaſi, ut præclariſſimi Scriptores cum Petavio lib. 2. de doctrina temp. cap. 24. & ſeqq. defendunt, nondum ſatis exploratum; quamquam in horum poſteriorum ſententias potius deſcendamus, cum innumeros pro eadem vetuſtos Hebræorum Rabbinos comperiamus apud Ricciolum lib. 1. Chronol cap. 12. Hanc methodum ſtatuendi Neomenias ex Lunæ phaſibus antiquitus a tempore Moſis uſque ad Judæorum diſperſionem, atque Synedrii ſuppreſſionem fuiſſe ſervatam ab Hebraica gente iidem tuentur Scriptores; hinc magnus Petavius in animadverſionibus ad S. Epiphanium ſub Hæreſi 51. conſtanter defendit longe a veritate recedere, qui ex Tabulis motuum mediorum Lunæ, & ex Cyclo decennovennali, aut antiquas Judæorum feſtivitates, Paſcha præſertim, perveſtigare nituntur, aut ex hujuſcemodi motibus mediis Lunæ Judaicum Paſcha ad Lunam 14. conantur perducere interdum quippe in anno Judæorum civili biduo, aut etiam triduo, vel quatriduo poſt verum novilunium, ſi Ricciolium Lib. 4. Almag. Cap. 3. audiamus, prima Lunæ phaſis contingere potuit, a qua tamen menſis Kalendas decernebant Judæi. Ex dictis patet menſium civilium Kalendas apud Hebræos eſſe non potuiſſe eo temporis conſtantes, ſed varietati admodum extitiſſe ſubjectas. Menſium pariter intercalationes, ut ajunt, certum ordinem retinere non poterant, ſed aliquando poſt triennium, quandoque biennio completo, & nonnunquam etiam duobus continuis annis intercalationes fieri oportebat. Intercalatio habebatur cum poſt menſem duodecimum qui Niſam præcedere debebat, alter Menſis interponebatur, qui *ſecundus Adar* appellari conſueverat. Hujus intercalationis cauſæ variæ erant apud Judæos; præcipua, tamen erat *Tekupha*, ſeu cardo Æquinoctii verni quod ſi contingeret vel uno die poſt lunam decimamquartam menſis ſuccedentis menſi duodecimo, jam totus ille menſis, qui eſſe debuerat Niſan, & primus Novi anni ad tempus Hybernum referebatur, atque menſis decimus tertius illius decurſi anni judicari ſolebat, & Phaſe, ſeu Paſcha ad ſequentem Lunam decimamquartam

trans-

Digitized by Google

transferebatur, ſicque Menſis Niſan in locum ferme ſecundi menſis, qui dicebatur *Jiar*, vel *Ziu* ſufficiebatur. Secunda intercalandi cauſa erat, ſi novæ fruges ob temperiem anni nondum ſpicam complevisſent; lege quippe cautum erat Levit. 23. ℣. 10. ut ſecunda Azymorum die, nempe 16. menſis Niſan ſpicarum manipulus offerretur; ſi ergo immaturæ adhuc, vel ineptæ eſſent ad oblationem fruges, in menſem proxime ſequentem Phaſe Domino celebrare differebant ad diem decimamquartam, quamvis vernum Æquinoctium ante diem 14. præteriti menſis contigiſſet. Si vero dies 14. cum ipſa Æquinoctii die concurrebat, aut poſt illam, frugeſque pro oblatione erant idoneæ minime intercalabant Judæi, dummodo aliæ cauſæ non adeſſent, quæ apud Ricciolium loco ſuperius indicato videri queunt. Methodum iſtam apud Judæos recenſendi menſium initia a Lunæ phaſibus Tabulis quibuſcumque mediorum motuum, aliorumve ſyſtematum neglectis, etiam poſt Servatoris ætatem invaluiſſe, conſtanter Petavius tuetur in ſuis ad Epiphanium Animadverſionibus, ubi pariter ex ipſomet Epiphanio methodum quamdam recenſet, ſive duos annorum Cyclos, quorum unum ſeptem annorum, alterum vero octuaginta quatuor conſtituit, quibus uſos fuiſſe Judæos aſſeverat. Hoc autem ad rem noſtram pertinere nequaquam videtur; cum ſatis nobis ſit id unum modo decernere, nimirum a quartadecima menſis Niſan, tanquam ab Epocha initium anni tam Civilis, quam Eccleſiaſtici, & initium pariter menſium penes Judæos dependiſſe: cognita quippe die 14. quæ cum Æquinoctii verni die concurrit, vel immediate poſt ipſum evenit, jam retro diebus 13. progredientes in Neomeniam incidimus menſis Niſan, quæ eſt principium anni Eccleſiaſtici inter Hebræos. Hac autem Neomenia conſtituta, cum annus Lunaris Communis diebus 354. componatur, ſi a Neomenia Niſan per dies 177. progrediamur, in Neomeniam menſis Tiſri incidemus, quæ eſt principium anni civilis Judæorum. Quia autem, ut dictum eſt, dies 14. menſis, qui duodecimo menſis ſuccedit, poterat antevertere Æquinoctii diem, propterea que ad annum præcedentem menſis ille referebatur, & pro decimaquarta Niſan, ſubſequentis lunæ dies decimaquarta decernebatur, hinc Neomeniæ menſium e communi loco dimovebantur apud Hebræos, huc illucque transferebantur, atque per integrum ſere menſem vagari poterant. Hæc omnia quammaxime ſunt obſervanda, ut res apud Hebraicam gentem in libris digeſtæ quandonam evenerint, auſpicari poſſimus. Menſibus duodecim annum Hebraicum fuiſſe compoſitum, ac diebus 365. non obſcure ex Geneſis 7. ℣. 8. & ſeq. demonſtratur in dierum, & menſium cenſu, quem Moſes pro Diluvii tempore inſtituit. In aliis autem veteris Teſtamenti Libris de ſingulis menſibus anni uſque ad numerum duodenarium expreſſa fit mentio, ut apud Ricciolium loco jam citato ad finem Capitis 12. videri poteſt. Huc uſque de veteri annorum forma, quæ apud Judæos invaluit diſſeruimus. Poſt ſecundum enim, vel tertium Chriſti ſæculum aut ſerius fortaſſis novam Kalendarii formam ſibi aſciverunt Judæi, novamque methodum Neomenias decernendi, & Æquinoctia, amplexi ſunt. Supponunt itaque in ſuo recenti Kalendario Rabbini mundi conditum non antevertere Epocham Chriſtianorum præterquam annis 3761. inchoatis; finem quippe anni 3760 mundi conſtituunt in Octobri præcedente annum primum Epochæ noſtræ Chriſtianæ. Anno primo Creationis mundi Cyclum Solis I. quemadmodum & Lunæ pariter Cyclum I. adſignant, in quo tamen decipi, atque a vero Kalendarii Romani Cyclo aberrare fatetur Mullerus, idque exemplo demonſtrat. Conficta pariter eſt illa annorum 3761. ſeries a mundi conditu ad Vulgarem Epocham Chriſti, quam ideo ſelectam a Rabbinis arbitrantur Chronologi, ut in primo anno mundi unitas habeatur pro initio Cyclorum Solis, & Lunæ. Plurima fabulantur alia de feria & hora feriæ, qua condita Luna fuit, quave cum Sole conjuncta eſt, primamve Lunæ phaſim Adamus conſpexit, quæ tamen omnia Rabbinis digerenda relinquimus. Id unum tamen advertimus quod Rabbini inter ſe diſcrepantes in præſcribendis Tekuphis anni ſolaris reperiuntur, atque non parum a veritate alieni; Eorum quippe nonnulli annum Julianum dierum 365. & horarum 6. aſſumunt, illumque in partes quatuor dividentes *Tekuphas* determinant, ideſt quatuor anni Cardines, Æquinoctia nimirum, & ſolſtitia; cum tamen ex aſtronomicis obſervationibus octo circiter diebus Sol in borealibus ſignis, magis quam in auſtralibus immorari comperiatur; in Tekuphis propterea civilibus errare Rabbinos, tam qui Samuelis methodum, quam qui Addæ alterius Rabbini regulam ſectantur, oſtendit Petavius lib. 2. de doctrina temp. capp. 44. & 45.

XII. Quidquid ſit tamen de methodo Rabbinorum in ſuo Kalendario recentiori inſtituendo, nobis ſatis eſt animadvertere duplicis generis annos ab Hebræis eſſe inſtitutos, *communes* nimirum, & *Embolimeos* quos jam ſuperius ad num. VIII. expoſuimus. Utriuſque generis annos in *ordinarios*, *deficientes*, & *abundantes* partiuntur. Annus *communis* deficiens dies habet 353. Ordinarius 354. Abundans 355. Annus vero Embolimeus deficiens diebus 383. completur, ordinarius 384. Abundans tandem 385. Iſti autem anni *abundantes*, *deficientes*, vel *ordinarii* ex quarumdam Feriarum translatione, quam Judæi aliquando vi ex cujuſdam ſuperſtitionis, quandoque autem ex Aſtronomici temporis neceſſitate deducunt in praxim, dignoſci ſolent; hæc autem omnia apud Ricciolium lib. 1. in Appendice ad Caput 14. videri queunt, ubi methodum reducendi ad annos Julianos Hebræorum annos juxta recens eorum Kalendarium computatos deſcribit, atque ad id facillime obtinendum uberrimas Tabulas proponit.

Ne

Ne tamen ad temporum rationes pro rebus hiſtoricis, quoad fieri poteſt, ordinata methodo recenſendas; factiſque ſingulis, de quibus mentio fiet, ſuum, quo contigere tempus deſignandum aliquid prætermittere, quod huic negotio conducere poſſit, videamur, duplicem in ſacris literis ſtatutam Epocham, diuque apud Judæos obſervatam, memorare non piget. Prima erat *annus ſabbaticus*; Secunda vero *annus Jubilæus*. *Annus ſabbaticus* fuit ſeptimus quiſque annus a dato quodam temporis puncto decurrens. *Annus* autem *Jubilæus* erat quiſque annus decurrens poſt quamcumque ſeriem annorum quadraginta novem a dato puncto incipientium. Controverſia quammaxima inter Chronologos exarſit pro ſtatuendo principio, ſeu cardine tam primi anni ſabbatici, quam Jubilæi; contendentibus Torniello, Saliano, Tirino, Uſſerio, & Natale Alexandro radicem anni primi ſabbatici referendam eſſe ad annum primum, quo ſub Joſue Iſraelitæ Terram promiſſionis ingreſſi ſunt; annum autem primum ſabbaticum celebratum eſſe a Neomenia Menſis Thiſri anni 2560. a mundi condito, juxta computum Uſſerii, completo anno ſexto cum aliquot menſibus ab ingreſſu Judaici populi in terram Chanaan. Alii, & quidem præclariſſimi Scriptores, inter quos Petavius Lib. 9. de Doctr. Temp. Cap. 27. annum primum ſabbaticum fuiſſe celebratum anno 13. ab ingreſſu terræ opinantur, cum ſibi ſuadere minime poſſint recenſendos fuiſſe annos ſex agriculturæ, qui anno ſabbatico præcurrere debuerant, antequam terra diviſa eſſet in familias, ipſaque terræ cultura cœpta foret, quæ profecto ſes primis annis ab ingreſſu in eamdem nequaquam contigit, cum rebus bellicis eo temporis intervallo operam dare compulſi fuerint Iſraelitæ. Verum

Cum nulla compellerentur neceſſitate Judæi differendi ad annum 13. ſui ingreſſus celebrationem *anni Sabbatici*, eo quod in Chananæos ſtatim bella commiſerint, paucisque menſibus magna ex parte ſubegerint, eorumque terras ſibi vindicaverint, non eſt, cur ab illius anni autumno agros colere, vineaſque putare nequiverint ſaltem in communi, qui ad bella non procedebant; eo vel maxime quod hoc eodem anno poſt celebrationem Paſchæ, & frugum oblationem, Manna ceſſaverit, ut legimus Joſue Cap. 5. Terra igitur excolenda videbatur, ut ea illius fructibus alimenta ſibi compararent Judæi. Parum nihilominus noſtra intereſſe poteſt ſi unum Sabbaticum annum oppoſitæ ſententiæ Patroni velint expungere. Nos cum Uſſerio, aliiſque ſentimus, etiam modo, quod in primo Diſquiſitionum Biblic. volumine ad pag. 73. in eorum cauſa fuetimus.

Nec vel tantillum eo Petavii Chronologico argumento, quo ſuam annorum ſabbaticorum ſtatutam Epocham cum tribus annis ſabbaticis in ſcriptura recenſitis congruere demoſtrat, commovemur; quandoquidem eamdem ſortitur fortunam Epocha noſtra, & Uſſerii, ſi ad tres illos ſabbaticos annos referatur. Primus itaque ſabbaticus annus a Petavio propoſitus cum eo concurrit anno, quo Antiochus Eupator Hieroſolymam oppugnavit. Secundus cum anno, quo Hircani mater, & Fratres occiſi ſunt, ſcilicet anni 28. poſt annum ſabbaticum primo loco enarratum; Tertius tandem poſt annum 98. a ſecundo ſabbatico, cum anno quo Herodes Judæam occupavit, concurrit; & omnes iſti, ait Petavius, cum anno 13. ab ingreſſu Iſraelitarum in Terram promiſſionis, cui ſiquidem anno primum ſabbaticum affigit, optime congruere adinveniuntur. Nos autem cum Uſſerio primum annum ſabbaticum ab Judæis celebratum, quem anno 7. ab ingreſſu eorum in terram adligamus, ad annum mundi 2560. referimus; annum autem ſabbaticum ſub Eupatore currentem, dum Jeruſalem oppugnabatur, in annum mundi 3841. rejicimus; cum itaque ab anno 2560. uſque ad 3841. anni 1281. intercurrant, qui ſi per numerum 7. dividantur, erit quoties 183. totque annos ſabbaticos a primo per Judæos celebrato uſque ad annum ſabbaticum Eupatoris tranſcurriſſe adfirmamus; eadem regula alios duos ſabbaticos annos a Petavio enumeratos Epochæ noſtræ convenire dignoſcimus.

XIII. Quantum pariter ad annorum Jubilæorum Epocham Auctores præfiniendam, non leviter ab invicem diſſentiunt. Uſſerius in Chronologiæ Sacræ Part. I. cap. 13. pro radice Jubilæorum autumnum illum ſtatuit anni 7. ab ingreſſu in Terram Chanaam, cui & primi anni Sabbatici initium adligavit: Vir quippe Clariſſimus opinatus eſt quinquagenarium annorum numerum, cui Jubilæus erat annexus, quo unuſquiſque ad rerum ſuarum poſſeſſionem revertebatur, initium habere debuiſſe in autumno immediate ſequente terræ partitionem inter Tribus, & familias Iſraelis; ut ſi quis aliquam terræ portionem, quæ ſibi contigerat diſtraxiſſet, poſt annos 50. eamdem ſtatim vindicaret. Computum vero annorum quinquaginta, ita inſtituendum arbitrabatur inſignis annaliſta. Numerandum annum Sabbaticum primum uſque ad ſeptimum, ſicque deinceps peracta enumeratione, atque incluſo ut moris eſt in eadem enumeratione utroque termino, ſeptem annorum hebdommadibus in medio relictis, Jubilæum exſurrexiſſe adfirmabat; idque a ſe iri demonſtratum ſpopondit in ſingulari *De ſacris Hebdommadibus* Tractatu.

Alii autem veluti certum ſupponunt quemlibet annum quinquageſimum arithmetice ſumptum eſſe Jubilæum; hinc annos Jubilæos decernunt 50. 100. 150. 200. &c. Tandem Ricciolius, Langius, variique Rabbini annum quinquageſimum, ſeu Jubilæum eſſe opinantur, qui immediate anno 7. Sabbatico, ſeu quadrageſimo nono ſuccedit, hinc veluti Jubilæos ſtatuunt annos 50. 99. 148. 197. ſicque deinceps. Petavius denique lib. 9. de *Temporum Doctrina* Jubilæum Solis quadragintanovem annis compleri eſt arbitra-

Digitized by Google

tratus, dictum autem fuiſſe *quinquageſimum* ob utrumque terminum enumerationis, in ipſamet incluſum enumeratione, quemadmodum febris a Medicis *tertiana* dicitur, & *quartana*, quia eadem die bis ſumitur, & uterque terminus includitur. Hanc Petavii opinionem cæteris prævalere, ſi rationum perpendantur momenta, Natalis Alexander in ſua Diſſertatione XIV. in Eccleſiaſt. Hiſtoriam Veteris Teſtamenti ad quartam mundi ætatem eaiſtimat; quamvis inſignis iſte Dominicanæ Religionis Alumnus eorum vincere opinionem, qui pro annis ſingulis quinquageſimis ſunt, ſi Auctoritatum pondera conſiderentur, minime diffiteatur. Jam in 1. Diſquiſitionum volumine Uſſerii ſequebamur opinionem, quam & deinceps minime relinquemus.

Supereſt tandem ut ſingula Menſium hebraicorum, qui in ſacris literis leguntur nomina recenſeamus, ne, dum inferius eoſdem commemorare neceſſe ſit, minus intelligantur. Primus itaque menſis anni in Eccleſiaſtico computo Hebræis *Niſan* appellatur: II. *Jiar*, aut *Zius*: III. *Siban*, aut *Siwan*: IV. *Thamus*, ſive *Tamuz*: V. *Ab*: VI. *Elul*: VII. *Thiſri*, ſeu *Ethanim*: VIII. *Marchenſam*, ſive *Bul*: IX. *Casleu*: X. *Tebeth*: XI. *Sabat*, ſeu *Schebat*: XII. *Adar*. In anno autem Embolimæo decimus tertius habetur menſis, qui *Ve-Adar*, ideſt *Secundus*, ſeu *poſterior* Adar ab Judæis nuncupatur.

XIV. Diutius profecto quam par eſt, ſi non pro rei dignitate, pro inſtituto noſtro dubio procul, de temporum diſpoſitione penes Hebræos jam conſervata diſputavimus; de methodis proinde, quas in recenſendis temporibus aliæ gentes retinuere nonnulla ſubjungamus oportet, ut res hiſtoricas debitis adligantes τοῖς χρόνοις hoc in Libello neminem ſenſus noſter effugiat, ſi aliquando menſes, vel annos alicujus nationis eahibuerimus.

Ab Ægyptiorum anno hujus noſtræ diſputationis inſtituemus exordium. Quam itaque temporis menſuram antiquitus Ægyptii ſuis præſcripſerint annis eſt adhuc incertum; cum Diodorus Lib. 1. & Plinius Cap. 44 Libri 7. nec non Plutarcus *in Numa* unico menſe Ægyptiacum annum fuiſſe præcluſum tueantur. Ejus, tali modo, conſiſtente intervallo, fidem non excedere nonnullorum Regum illius gentis oblonga ætas comperitur, quæ ad annos 1200. protracta legitur; ea quippe in æquali cum centum Julianis annis menſura conſiſteret. Quidquid ſit tamen de hujuſcemodi menſura, compertum eſt Ægyptiacos annos ea duodecim poſtea menſibus fuiſſe inſtitutos, quorum quilibet diebus 30. perficiebatur; quibus dierum 5. intercalationem ab Aſetho fuiſſe adjunctam legimus in Lib. 1. Chronic. Euſebii; non itaque Arminon, ut nonnulli opinantur, ad numerum menſium duodenarium Ægyptiacum annum ex quaternario menſium numero, quo tunc temporis compoſitum rentur, perduxit; ut enim Calmetus in ſua *Diſquiſitione in Ægyptiorum Chronologiam* animadvertit, ante Moſis ætatem fortaſſis duodecim menſibus apud gentem illam annus decernebatur; hinc non ab Epocha Nabonaſſari, dierum 365. eſſe cœpit annus Ægyptius, ſed diu antea; quamvis Aſtronomi, atque Chronologi quamplures ab inſigni illa Æra hujuſcemodi annos diebus 365. conſtantes deducant.

His autem nominibus Menſes in Ægyptio recenſebantur: 1. *Thot*. II. *Paophi*: III. *Athyr*. IV. *Choiac* V. *Tybi*. VI. *Mechier*. VII. *Phamenoth*. VIII. *Pharmuthi*. IX. *Pachon*. X. *Pauni* XI. *Epiphi*. XII. *Meſori*. Iſtiuſmodi menſibus dies triginta olim fuiſſe in Ægypto præſcriptos, proindeque eorum annum ſolis diebus 360. abſque ulla dierum intercalatione ante Aſethum Regem conſtitiſſe nonnulli tradunt; quibus tranſactis diebus, anni ſequentis initium habebatur in civili eorum computo; unde per omnes anni menſes caput ejuſdem anni vagabatur, donec numero annorum 69. $\frac{1}{2}$ decurſo, principium anni Ægyptiaci ad eamdem quaſi anni cœleſtis diem revertebatur. Poſita vero quinque dierum intercalatione, ſingulis quadriennis una ferme die citius habebatur Ægyptiaci anni principium, cum annis ſingulis fere ſex horæ ultra dies 365. ſuperſint; hac propterea intercalatione non ſatis proviſum fuit, ut conſtans caput anni penes gentem illam permaneret; hinc ſpatio anoorum 1460. decurſo, anni principium ad eamdem Juliani anni diem revertebatur, anni propterea Juliani 1460. annos adæquant Ægyptios 1461. Poſt victoriam denique Actiacam, formam receperunt Ægyptii anni Juliani, hoc tamen diſcrimine, quod ſingulis quadrienniis diem intercalarem ad finem anni, ſcilicet inter dies 28. & 29 Auguſti adiungerent. Antequam autem formam Julianam ſuſciperent, cum annum ſemper a menſe *Thot* inchoarent, menſis iſte per omnes Juliani anni menſes vagabatur intra ſpatium annorum 1460. ut ſuperius dictum eſt.

Stabilem itaque periodum apud Ægyptios extitiſſe annorum 1460, quorum peracta revolutione ad initium revertebantur, teſtis eſt Cenſorinus; hunc autem annorum circulum, *annum magnum*, *annum ſolarem*, *annum canicularem*, & *annum Dei* nominabant. Hujuſcemodi periodus quandonam apud Ægyptios ſit adinventa, eſt prorſus incertum, quamvis Ricciolius lib. 5. Chronol. Cap. 7. & alibi ad annum ante Chriſti Epocham 1322. illius principium deducat ea Cenſorini Cap. 8. ubi ſcribit annum centeſimum decurrere *anni illius magni*, ſeu *Canicularis*; Hæc autem a Cenſorino pronunciata cum ſint, juxta Ricciolium loco citato, Cap. 17. anno Chriſtianæ Epochæ 238. infert *annum ſecundum Canicularem* exordium habuiſſe ejuſdem Chriſtianæ Epochæ anno 138. eodemque anno finem habuiſſe primam Ægyptiorum periodum annis 1460. compoſitam; quapropter ejus initium ad prædictum annum 1322. ante Epocham noſtram eſſe rejiciendum; ſcribentibus itaque nobis anno Chriſti 1770; tertii *anni Canicularis* Ægyptiani annus percurrit 172. vel potius 174.

cum

cum aliqua minutia, eum, ut ſuperius dictum eſt, anni Juliani 1460. perfecte adæquent annos civiles Ægyptios 1461. Dictus eſt *canicularis* annus iſte magnus ſive periodus annorum 1460. quia ab ortu Syderis, quod *Canis* appellatur, deſumpſit exordium; ſtella autem iſta anno ante Epocham Chriſti 1322. exorta dicitur a Petavio die 20. Julii non quidem *Coſmice*, ut ajunt, ſed *heliace*. Alii aliter opinantur de ortu hujus Syderis, non minus quam de Cycli canicularis inſtitutione; eam quippe Euſebius Lib. 1. Chronic. a Concharo Ægypti Rege annis 700. poſt Miſraim, & 224 annis ante Aſethum fuiſſe inſtitutam adfirmat. Nos unum nihilominus, veluti certum aſſumere poſſemus, ſi vera Cenſorinus pronunciaret, atque Ricciolius exactam Chriſti Epocham decerneret, anno ſcilicet Chriſti 138. ſecundam ex Canicularibus periodis habuiſſe principium, neque enim ulterius harum periodorum numeri extendi poſſe videntur, attentis temporum rationibus, quas elegimus ſi etenim ante duas iſtas, alteram ſupponeremus præceſſiſſe periodum annorum 1460. jam ejus initium ad annum ante Epocham Chriſti 2782. eſſet referendum, ad annum mundi nimirum 1222. qui eſt ante Diluvium generale 434. & ante jacta Regni Ægyptiaci fundamenta per Miſraim 594

Cum itaque Cenſorinus ſuum *de Die Natali* librum anno 238. Chriſtianæ Epochæ ſcripſerit, ut probabilius arbitramur, quomodocumque annus Chriſti Natalis in controverſiam deducatur a variis Scriptoribus; attamen ſtatutum a Ricciolio ac Cenſorino annum Chriſti 138 veluti principium ſecundi anni Canicularis Ægyptii libenter amplectimur, quamvis Conſules ab ipſomet tali deſignatos anno, ad annum ſequentem 139. accuratiſſimi Chronologi revocaverint.

XV. Quam apud Ægyptios annorum formam in uſu fuiſſe animadvertimus, eamdem forraſſis apud Chaldæos, Aſſyrios, Perſas, & Medos uſque ad Nabonaſſarum ſaltem extitiſſe, ſuſpicari poſſumus; quamvis aliquid veluti exploratum ſtatuere nequeamus; ſi præſertim de intercalationibus loqui velimus. Certam nihilominus Epocham annorum Aſtronomi omnes ab initio Regni Nabonaſſari incipientem unanimi conſenſu recenſent; Tyrannus quippe iſte cum ſceptrum ſibi uſurpaſſet Babylonici Regni, quod antea Aſſyriis, vel Mediis utique ſubjugale fuerat, a primo ſui enthroniſmi anno novam iis populis annorum Epocham facillime præſcripſit, cujus exordium a menſis Thoth die prima, quæ incidit in diem 26. Februarii ſi Petavium, Pagium, Ricciolium, & Uſſerium audiamus, deſumpſit, cyclo ſolis eo anno XIX. Lunæ XV. Feria IV. currentibus, anno ab urbe condita ſexto, De his autem inferius, ubi de præcipuis annorum Epochis fiet ſermo.

Quis revera fuerit iſte Nabonaſſarus incertum prorſus eſt: cum in varias diviſæ ſint partes Chronologicorum ſententiæ. Falſitatis nedum redarguit, ſed ulterius revicit Petavius lib. 9. de Temp. Doctr. cap. 58. qui Nabonaſſarum, eumdem cum Salmanaſſare, vel ſaltem ætate parem cum illo faciebant. Regnante quippe in Jeruſalem Ezechia tres in Aſſyria Reges ſunt dominati, Salmanaſar videlicet, Sennacherib, & Aſſaraddon, quo autem tempore Aſſyriis imperabat Salmanaſar, Babyloniorum Rex erat Merodach; unde concludit Petavius unum, eumdemque eſſe debuiſſe Salmanaſſarem, Nabonaſſarum, & Merodachum; quod profecto ridiculum eſt: quapropter Nabonaſſarum, aut fuiſſe oportet Baladan illum, cujus filius Merodach appellatur; aut Ilulæum illum, qui in Canone Mathematico Regum Babyloniorum loco quarto collocatum intuemur. Uſſerius ad annum mundi 3262. eumdem virum fuiſſe opinatur, qui *Beleſis* Iſaiæ 39. V. 1. *Baladan*, Agathiæ lib. 2. Hiſt. ex Bione, & Alexandro Polyhiſtore, *Beleſſus*, vel *Beleuſus* a Nicolao Damaſceno, *Nanybrus* ab Hypparcho, *Nabonaſſarus* a Ptolomæo, & Cenſorino dictus eſt. Quicumque tandem ille fuerit, ad rem noſtram ſatis eſſe poteſt, ſi Æræ ab illo conſtitutæ initium dignoſcamus. Modo de vetere Græcorum anni forma.

XVI. Varias apud Græcos anni formam ſubiiſſe mutationes ſatis compertum eſt, ſi nobis vera vetuſti Scriptores enarrarunt; ex quorum teſtimoniis, Herodoti præſertim, Hyppocratis, Ariſtophanis, & Heſiodi Ricciolius lib. 1. Chronol. cap. 19. antiquum Græcorum annum duodecim menſibus fuiſſe compoſitum, quorum unuſquiſque diebus triginta coaleſceret, oſtendere nititur; quamvis poſtea ab inventoribus Tetraeteridis, & Octaeteridis, ac tandem a Merone Enneadecaeteridis inſtitutore menſium formam fuiſſe variatam, eoſdemque viciſſim cavos, & plenos fuiſſe decretos minime diffiteatur Gemini, & Cenſorini permotus auctoritatibus. Menſium nomina non minus quam eorum menſuram, varia apud Græcorum diverſas Civitates, & nationes legimus extitiſſe. Apud Atticos enim hæc erat menſium appellatio I. *Hecatombeon*, qui partim Junio, partim vero Julio, juxta ordinem Julianum reſpondebat. II. *Metagitnion* Julio, & Auguſto reſpondens III. *Boedromion* cum Auguſto, & Septembri conveniens. IV. *Maemacterion* Septembris partem, & Octobris complectens. V. *Pyanepſion* Octobris, ac Novembris partem includens. VI. *Poſideon prior* Novembris, ac Decembris portionem occupans. VII. *Gamelion* cum Decembri, & Januario decurrens. VIII. *Anthiſterion* cum Januario, & Februario fluens. IX. *Elaphebolion* cum Februario, & Martio dilabens. X. *Munychion*; Martio, & Aprili cohærens. XI. *Thargelion* Aprili, & Majo reſpondens. XII. *Scirrhophorion* cum Majo, & Junio percurrens. Cum autem intercalatio fiebat apud Atticos poſt ſextum menſem immediate alterum menſem interponebant, quem *Poſideonem poſteriorem* appellare ſolebant, ut docet Petavius lib. 1. de Temp. Doctr. cap. 12. & alibi.

Macedones, quorum provinciam ad Græciam ſpectaſſe indubie apud Strabonem compertum eſt, hiſce nominibus anni menſes recenſebant. I. *Dius*, II. *Apellæus*, III. *Audinæus*, IV. *Peritius*. V. *Dyſtrus*. VI. *Xanticus*. VII. *Artemiſius*. VIII. *Dæſius*. IX. *Panemus*. X. *Lous*, XI. *Gorpiæus*. XII. *Hyperberetæus*: Aliæ Græcorum Provinciæ, & Civitates anni menſes diverſis nominibus appellabant; ita Cyprii, & præſertim Paphii hiſce utebantur nomenclaturis. I. *Aphrodiſius*. II. *Apogonicus*. III. *Linicus*. IV. *Julus*: V. *Cæſarius*: VI. *Sebaſtus*. VII. *Autocratoricus*. VIII. *Demarchexaſius*. IX. *Plethytatus*. X. *Archiereus*. XI. *Eſthius*. XII. *Romæus*. Bithynii autem his nominibus ſuos menſes nuncupabant. I. *Ereus*, II. *Hermius*. III. *Metrous*. IV. *Dionyſius*. V. *Heraclius*. VI. *Dius*. VII. *Bendidæus*. VIII. *Strategicus*, IX. *Arius*. X. *Periepius*. XI. *Aphrodiſius*. XII. *Demetrius*.

Quamvis apud Græcos iſtæ menſium appellationes dubio procul habitæ ſint; ſub quo tamen numero locum quilibet menſis in anni compoſitione ſit aſſecutus incertum eſt apud Chronologos; qua de cauſa in tres abiiſſe ſententias iidem comperiuntur, ut Riccio-lius teſtatur. Primæ ſententiæ Auctores, inter quos Petavius loco ſuperius indicato, Keplerus in Rodulphinis Langius de annis Chriſti Cap. 12. atque Ricciolius ipſe menſes ita apud Græcos fuiſſe diſpoſitos tuentur, quemadmodum Atticorum ordinem ſuperius recenſuimus, dum eorum menſes deſcripſimus. Secundæ autem opinionis Patroni, quibus adſtipulantur Uſſerius in Cap. 1. ſuæ peculiaris diſſertationis *de Macedonum, & Aſianorum anno ſolari*, Salmaſius *in exercitationibus Plinianis*, Tirious *in Chronico ſacro Cap. 4.* nil ferme a præcedentis ſententiæ propugnatoribus diſcrepant in digerendis Græcorum Menſibus, niſi quod menſem *Pyanepſionem* præponunt *Mæmacterioni*. Auctores denique tertiæ opinionis, inter quos Theodorus Gaza Lib. *de menſibus* Capp. 5. & 6. ita eoſdem in anno diſponunt, ut *Antheſterionem* ſexto loco, *Poſideonem* ſeptimo, *Gamelionem* octavo conſtituant.

Vetuſtiores Græciæ populi quam fuerint in dirigendis cum anno ſolari lunationibus methodum perſecuti eſt prorſus incertum; niſi fortaſſis eamdem cum Ægyptiis, & Chaldæis regulam ab iiſdem uſurpatam ſuſpicari velimus, donec nonnullis, rudibus ſcilicet obſervationibus, intra biennium ſolare a Luna vigintiquinque fere menſes abſolvi animadverterunt; hinc ſingulis bienniis menſem unum intercalare cœperunt, ut annum lunarem quo fieri poſſet cum anno ſolari componerent. Brevi profecto hujuſcemodi viam minus idoneam agnoverunt, qua de re Endymion periodum annorum quatuor invexit, in quo ſemel, aut bis facta menſis unius intercalatione, felicius anni ſolaris principium, cum principio Lunaris anni connecti poſſe arbitrabatur, quem tamen ſpes longe fefellit; enim cito comperti ſint in quatuor annis ſolaribus dies 1461. proxime contineri; in quatuor autem Lunaribus, dies ſolummodo 1446. Si unius menſis fieret intercalatio, ſi autem duo menſes adjungerentur, ſtatim dierum ſumma ad 1476. excreſcebat; methodum itaque quadriennalis periodi expungere coacti ſunt, aliaſve methodos auſpicari; de quibus inferius, ubi de præcipuis annorum Cyclis ſermonem inſtituemus.

Græcorum plurimi anni principium a Neomenia illa, cujus plenilunium proximum ſolſtitio æſtivo ſuccedebat, ſtatuere ſolebant; quem ſiquidem morem Attici præſertim in praxim deduxerunt. Achæi autem ab illa, cujus plenilunium proximum verno ſuccedebat Æquinoctio. Aliarum Græcanicæ gentis Civitatum methodi in annis, menſibuſque ordinandis imperviæ prorſus ſunt, quamvis nonnulla earum veſtigia ex Epiſtola Philippi Macedonis, quam Demoſthenes in oratione *de Corona* recitavit colligi queant nec non ex Thucidide, & Plutarcho a Ricciolio lib. 1. Chronol. cap. 20. laudatis.

XVII. Inter varias apud Græcos annorum, & menſium methodos in praxim perductas, quæ a Macedonibus adhibebatur, ut explicetur digniſſimam Chronologi omnes habuere; diu quippe in maxima orbis parte a pleriſque nationibus retenta fuit poſtquam ab eo fulmine belli Alexandro Magno innumeri populi Macedonum jugo colla ſubmittere, ſuoſque mores, & vitam ad illorum leges componere adacti ſunt.

Macedones itaque anni principium ab illo novilunio, cujus plenilunium Æquinoctio autumnali proxime ſuccedebat, probabilius auſpicati creduntur (quidquid nonnulli opinentur, a Cardinali Noriſio Diſſert. 1. *de anno Macedonum* Cap. 1. ab Uſſerio Diſſert. *De anno Solari Aſianorum* Cap. 1. & a Ricciolio Lib. I. Chronol. Cap 20.) Major nihilominus controverſia circa Menſium ordinem apud Macedones retentum, inter Chronologus exarſit, contendentibus Scaligero Lib. 5. *de temporum emendat.* & Petito *in Eclogis Chronol.* Lib. 4 Cap. 14. anni principium apud Macedones a Menſe *Hyperberethæo* fuiſſe deſumptum, quibus tamen Noriſius loco citato refragatur pro viribus, teſtimonia proferens Zenobii *in proverbiis* Cent. 6. num. 30. & Suidæ auferentis *Hyperberethæo* eſſe apud Macedones anni finem deſcriptum. Annum popularem inter Macedones diebus 360. menſibus 12. quorum quilibet eſſet tricenarius conflatum fuiſſe tuetur loco indicato Noriſius; Uſſerii opinionem, quæ menſes lunares in Solares converſos propugnat, atque annum diebus 365. $\frac{1}{4}$ compoſitum nec non menſes aliquos tricenarios, alios vero diebus triginta, & uno conſtitutos, convellere prorſus nititur iis profecto argumentorum momentis, quæ nullam prorſus exceptionem pati poſſe videantur. Inoffenſo itaque pede Uſſerii viam in ſua *de anno ſolari Macedonum* Diſſert. propoſitam percurrere non poſſumus in exponenda Macedonum praxi circa anni, & menſium ſuorum periodum; conſtanter quippe

inſi-

Digitized by Google

inficistur Noriſius inter annum ſecundum Olympiadis CVIII. & ſecundum pariter Olympiadis CXI. converſos fuiſſe menſes Lunares Macedonum in Solares, annumque diebus 365. $\frac{1}{4}$ tunc temporis fuiſſe conſtitutum, cum potius apud gentes illas ea dierum in menſibus diſpoſitio longe poſt Alexandri mortem habita fuerit, cum anni Juliani formam videlicet ſibi adoptarunt.

Ab eo ſiquidem tempore, quo penes Aſianas gentes anni Juliani forma præ cæteris invaluit, Menſium etiam quantitas immutata fuiſſe apud Antiochenſes Syriæ potiſſimum a Noriſio defenditur Cap. 2. Differt. 3. *De anno Macedonum*, ubi Samuelis Petiti ratiocinia pro tricenariis menſibus concinnata reſolvit, contenditque anni menſes in gente illa æquali dierum numero cum menſibus Romanis decurriſſe.

Poſt Alexandri obitum quomodocumque Aſiæ populi Macedonum legibus etiam in anni forma inſtituenda dirigentur circa menſium numerum, & eorum quantitatem, atque appellationes; diverſum tamen anni principium apud Civitates, Provinciaſque diverſas fuiſſe retentum præclariſſimi demonſtrant Auctores, quamvis Chaldæi, Babylonii, Medi, Parthi, Bactriani, & Syrii annum intra menſes autumnales inchoarent; diverſitas itaque penes gentes illas vel in menſe, vel in die in ordine ad anni Caput conſiſtebat. Smyrnæi Aſiæ proconſularis incolæ non a menſe Dio juxta Macedones, ſed potius ab Hyperberetæo annum inchoaſſe exiſtimantur ab Uſſerio in Cap. I. Diſſertat. *De anno Solari Macedonum*, cujus opinionem Noriſius Differt. 1. Cap. 2. *De anno Macedonum* oppugnat; ex ipſis Græcorum Menæis, ex Epiſtolia Eccleſiæ Smyrnenſis, & ex Actia paſſionis S. Pionii a populis illis annum a menſe Dio cum cæteris Macedonibus eſſe inchoatum oſtendens. Advertit nihilominus Eminentiſſimus Noris tertium quidem Smyrnæorum menſem fuiſſe Audynæum, ſed vetuſtiori Jonum vocabulo *Poſideonem* fuiſſe dictum. Monet inſuper idem Auctor diſtinguendum eſſe inter *Macedones Aſiaticos*, & *Syro-Macedones* populos, ſi accuratam anni methodum inter eoſdem tetentam auſpicari exoptemus. Macedones quippe Aſiatici, hoc eſt Aſiæ proconſularis incolæ a Neomenia Menſis Diu, quæ cum 24. die ſeptembris Romanorum concurrebat, annum inchoabant: Syro-Macedones vero a menſe Hyperberetæo caput anni deſumebant, quamvis Hyperberetæi Neomeniam modo in unam, modo in alteram diem a diverſis Syriæ populis rejectam intueamur. Antiocheni profecto Hyperberetæum a Kalendis Octobris, quemadmodum & Cæſarienſes in Palæſtina, ſicuti Euſebius, & Evagrius teſtantur, inchoabant: Tyrii autem Neomeniam prædicti Hyperberetæi a die Octobris 19. deducebant; Gazzenſes vero a die 23. Septembris, alii a die 24. ejuſdem menſis. Veruntamen Gazzenſes anni principium a menſe Dio, cujus Neomeniam ad diem Octobris 28. in annis commu-nibus rejiciebant, auſpicabantur. Alii denique Syrii a die Octobris 24. cui Neomeniam ejuſdem Menſis *Dii* adligabant, deſumebant anni primordium. Hæc omnia diligenter ſatis obſervanda, ne in præſcribendis temporibus, quæ a vetuſtis recenſentur Auctoribus, juxta Romanorum annorum diſpoſitionem, decipiamur; ſi præcipue Epiphanium, Joſephum hiſtoricum, Euthalium Diaconum, alioſque illius generis Scriptores perlegamus. Hoc autem pacto Aſianorum menſes Romanis menſibus reſpondiſſe traduntur. *Dius* incipiebat die 24. Septembris. *Apellæus* die 24 Octobris. *Audynæus* die 23. Novembris. *Peritius* die 24. Decembris. *Dyſtrus* die 23. Januarii. *Xanthicus* dies 22. Februarii. *Artemiſius* die 25. Martii. *Dæſius* die 25. Aprilis. *Panemus* die 25. Maii. *Lous* die 24. Junii. *Gorpiæus* die 25. Julii. *Hyperberetæus* die 25. Auguſti. Hæc tamen menſium initia in anno communi habentur; in anno quippe biſſextili cum Menſi Februario una adjiciatur dies ſeptimus Aſianorum menſis *Artemiſius*, non die 25. Martii, ſicut in anno communi, ſed die 24. ejuſdem inchoatur, cæterique omnes menſes uſque ad duodecimum una die in Romanis menſibus citius habent initium. Juxta Gazzenſes autem quorum menſes numero, & nomine iidem ſunt cum Macedonum menſibus, anni exordium in diem 28. Octobris Romani, ut jam dictum eſt, quod rejiciamus oportet; cum autem tricenarios menſes omnes retinuerint, annumque propterea diebus 360 conflatum cuſtodierint, dies quinque ad diem 23. Octobris adjiciebant, quæ *Epagomenæ* dicebantur, ſicque ſtabile in die 28. Octobris anni communis Caput aſſervabant. In anno autem biſſextili ſex erant Epagomenarum dies, proindeque Menſis Dii, annique principium a die 29. Octobris deſumebant, donec novam intercalandi methodum a Romanis ſuſceptam additione unius diei ad finem Februarii, menſes a Xantico, ut in anno ſimplici iiſdem diebus menſium Romanorum inibant, ait Noriſius in diſſert. 5. Cap. 2. *De* Epochia Syro Macedonum.

XVIII. Poſtquam de annorum, & menſium inter Orientales methodo, & Ordine diſſeruimus operæ pretium eſt de Romanorum annis & menſibus nonnulla ſubjungere. Animadvertimus tamen quidpiam certi definiri non poſſe de menſium, annorumque forma inter Romanos populos conſtituta, diuque apud eoſdem ſervata, a Romuli ætate nimirum uſque ad Numam Pompilium, quo imperante annum triplici correctione emendatum, quoad numerum videlicet menſium, quoad numerum dierum, & tandem quoad ordinem intercalandi præclariſſimi tradunt Scriptores, Livius ſcilicet, Macrobius, Cenſorinus, atque Solinus. Tempore itaque Romuli, ſi Feneſtellæ, & Licinio Macro fides habenda, quorum teſtimonia recitat Cenſorinus de *Die natali* cap. 8. annum duodecim menſibus abſolvebatur. Si vero Macrobium lib. 1. Saturnal. cap. 12. Ovidium lib. 1. & 3. Faſtorum

ſtorum audiamus, decem menſibus ex Romuli inſtitutione annus circumſcriptus erat, diebus vero 304. interpoſita deinde tot dierum intercalatione, quot neceſſarii erant ut anni principium ad ſtatum tempus perduceretur. Veterum Scriptorum diſcrepantiam circa numerum menſium, quibus ætate Romuli annus componebatur, hac conjectura Ricciolius conciliare ſategit: Supponit ex Cenſorino loco citato cap. 7. ſcribente = Alium (annum) Ferentini, alium Lavinii, item Albani, vel Romani habuerunt = Varios in urbe Roma incolas, Sabinos, v. g. & Albanos extitiſſe, quorum aliqui vetuſtum duodecumeſtrem annum retinuerint, alii vero decumeſtrem cum Romulo ſint amplexi, donec prævalente Romulea ſecta unum omnes decem menſium annum receperunt; verum itaque eſt, quod ſcribunt Feneſtella, & Licinius Macro annum ab initio duodecim menſium definientes; verum pariter, quod alii proſerunt Scriptores, decem ſcilicet menſibus annum fuiſſe Romuli tempeſtate diſtinctum; neceſſitate fortaſſe compulſus ad evitandam, quæ in populo ſuo quammaxima verſabatur, confuſionem, ut Plutarchus enarrat = Sub Romulo, inquit, menſium nulla ratio conſtabat, nullus ordo; ſed alii paucioribus quam viginti, alii triginta quinque, alii pluribus etiam diebus cenſebantur = Romulus itaque annum decumeſtrem inſtituit, cujus initium in menſe Martio collocavit, ut teſtatur Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 12. Cum autem anni ordinatio a Romulo decreta minus idonea ad confuſionem evitandam eſſet inventa, a Tarquinio, ut nonnulli opinantur, vel ut alii probabilius exiſtimant a Numa Pompilio nova anni inſtitutio elaborata eſt, in qua duodecim menſes reperiuntur, numero dierum diſpari compoſiti, ex 29. nimirum, & ex 31. excepto Februario, cui dies 28. decreti erant, unde in ſyſtemate Pompiliano annus civilis diebus 355. compoſitus erat; cum autem annus lunaris diebus undecim a ſolari deficere jam noſceretur, & aliquibus horis, intercalatio neceſſario fuit adhibenda, quæ pro alternis annis conſtituta fuit addictione unius menſis ex diebus 22. compoſiti, qui poſt diem Februarii vigeſimam tertiam interferebatur; ex illis autem horis intra quadriennium dies componebatur, unde menſis intercalatis *Mercedinus*, ſeu *Merkedonius* appellatus, alternatim ex 22. & ex 23. diebus erat conflatus, ſicque intercalares anni alternis vicibus dies 377. & 378 includebant. Hoc in ſyſtemate Pompilii cum Superſtitio imparis numeri dierum 355. in anno Lunari detineretur, qui ſolis 354. revera componitur, factum eſt ut annis quatuor dies quatuor ſupereſſent anno naturali, unde altera emendatione fuit opus; hujus autem curam Pontificibus datam Cenſorinus adfirmat, eorumque arbitrio intercalandi ratio permiſſa fuit. Iſtorum autem vitio, ut vetuſti Romanarum rerum Scriptores teſtantur, adeo in anni methodo excrevit confuſio, & perturbatio, ut ſciri vix poſſet tunc temporis quinam anni menſis percurreret; qua de cauſa Cajus Julius Cæſar novam anni correctionem aggreſſus eſt, Soſigene Aſtronomiæ peritiſſimo adhibito in menſibus, diebuſque ordinandis, ut ſuperius Num. V. indicavimus, nec non M. Flavio Scriba in faſtis diſponendis, ut refert Uſſerius ad annum mundi 3953.

Anno a conditu Urbis per Romulum 708. juxta Varronis cenſum, quem Noriſius, & Petavius amplectuntur, vel juxta enumerationem Fabii Pictoris, quam Uſſerius recepit anno Urbis 703. ante vero Chriſtianam Epocham excluſive ſumptam anno 45. Cajus Cæſar Pontifex maximus, ſuo III. & Marci Æmilii Lepidi conſulatu, poſtquam bellum in Africa contra Scipionem, ac fœderatos ſuſcepit, & Idibus Junii Uticæ claſſem conſcendit, atque Romam pervenit, anni correctionem executus eſt, duos intercalarios menſes dierum 67. inter Novembrem, & Decembrem interponendo; cum jam in menſe Februario dies 23. intercalaſſent Pontifices Romæ exiſtentes, quia ex conſuetudine, ait Suetonius, eo anno intercalatio menſis *Marcedini* poſt Terminalia contingebat; fuit igitur intercalatio illius anni dierum 90. quindecim propterea menſes eidem aſſigare fuit opus, ut annus Civilis cum naturali componeretur, proindeque in anno iſto *correctionis*, ſeu, ut alii vocant, *confuſionis* dies 445. incluſi ſunt. Quis modo non videat ex tanta annorum perturbatione, ac temporum confuſione incertos prorſus eſſe annos legitimos, quotieſcumque rerum Romanarum celebres etiam Hiſtorici aliquod factum uno, vel altero anno ante Julianam correctionem eveniſſe pronunciant?

Nos itaque, dum annos Romanorum, qui ante Julianam correctionem effluxere contigerit numerare; in quantum poſſumus cum annis aliarum gentium comparabimus, ne factis hiſtoricis unum annum pro altero deſignemus, ſi fieri poſſit. Correctionem tamen Julianam ita adhibebimus ac ſi ſemper methodus illa annorum extitiſſet. De cætero Cenſorini adhærebimus ſuppoſitioni, exiſtimantis Cap. 8. *de die Natali* annos ante Julianum ita fuiſſe correctos, ut computatis exceſſibus eorum, ac defectibus, poſſint pro annis naturalibus, & ſolaribus, in ſumma ſaltem collecti judicari.

Julius Cæſar itaque annum Solarem dierum 365. cum quadrante ſelegit, eumque anno Lunari Pompiliano ſubſtituit, duodecim menſes in eo deſignavit cum tot diebus unicuique præſcriptis, quot in Kalendario hodierno Romano adnumeramus; ex diei autem quadrante ſingulis annis ſuperſtite integram diem ſingulis quadrienniis conſtitutam menſi Februario adjunxit, atque adjiciendam deinceps præſcripſit poſt diem 23. ejuſdem Februarii, adeo ut in anno biſſextili bis pronunciaretur dies 24. Februarii, ſeu more Romano bis *Sexto Kal. Martii*. Abſtulit menſem intercalarem *Marcedonium* ſingulis bienniis poſt diem 23. Februarii interferendum, annique principium

novi-

Google

novilunio medio, aut civili ſolſtitium hybernum proaime ſequenti adligavit, quod quidem novilunium anno 45. ante Epocham Chriſtianam, Romæ contigiſſe Kalendis Januariis docet Petavius Lib. 10. *de Temp. Doctr.* Cap. 59. a Kalendis itaque illis ab anno primo Juliano, qui ſuit 45. ante Epocham Chriſti vulgarem, ad noſtra uſque tempota annus ſolaris eaordium retinuit, atque retenturum opinamur.

Cum autem ſingulis quadrienniis annus biſſextilis habeatur ex Juliana correctione, atque habendum deinceps ex regula conſtanti decreviſſet, attamen ſacerdotibus cura intercalandi demandata, vel malitia, vel incuria neglecta adeo poſt Cæſaris obitum fuit, ut Auguſtus medicam manum iterum in anni emendatione compulſus ſit adhibere, atque ad priſtinam inſtitutionem Julianam anni ordinem revocare. Error intercalationis a Sacerdotibus commiſſus in eo fuit, quod ſingulis trienniis diem intercalarem adjungerent, hinc duodecies in triginta ſex annorum ſpatio intercalarunt, cum novies tantummodo oportuiſſet. Hujuſcemodi errorem abſtulit Auguſtus decernendo ut anni duodecim ſine intercalatione tranſigerentur, ſicque anni tempora ſuis punctis reſtituerentur apprime. Hujuſcemodi decretum anno Juliano editum opinatur Ricciolus, a quo incluſive eſſe numeratos duodecim annos ſine intercalatione tranſeundos arbitratur; deinde vero quatuor integros annos, ut biſſextilis haberi poſſet, recenſitos fuiſſe, primumque biſſextilem ab Auguſto conſtitutum incidiſſe in annum Julianum 53. ſtatuit pruinde Ricciolus annos biſſextiles juxta mentem Julii Cæſaris, ejuſque Kalendarii emendationem decernendos fuiſſe in annis Julianis 4. 8. 12. 16. &c. quidquid in oppoſitum opinentur Scaliger Lib. 4. *de emend. temporum*; Baronius in *Apparatu ad Annales*, & Petavius Lib. 4. *de Temp. doctrina* Cap. 3. eademque regula concludit annum confuſionis fuiſſe biſſextilem, ſicque retrocedendo cæteros biſſeatiles annos ad initium uſque mundi eſſe auſpicandos, atque poſteriores etiam ad uſque ſæculi finem eſſe dimetiendos, quos enim modo biſſextiles Romanum Kalendarium recenſet cum ſuo Biſſextilium cardine per Auguſtum præſcripto congruere tuetur. Hic temporum, annorumve ordo ab Auguſto reſtitutus quomodocumque civilis anni durationem, & menſuram ad anni aſtronomici, ſeu naturalis intervallum perduaerit, atque normam, ſuiſque cardinibus anni tempora affixerit, cum nihilominus, ut indicavimus ſuperius Num. V. non integras ſex horas ultra dies 365. annus complectatur, quemadmodum Julius Cæſar in ſua emendatione ſuppoſuiſſe viſus eſt longo annorum intervallo æquinoctium vernum a ſua ſede erga anni principium retroceſſit, donec ſub Gregorio XIII. Romano Pontifice ultimum remedium adhibitum eſt, atque anni civilis ordo in tuto conſtitutus fuit.

XIX. Temporis ſpatium, de quo in præſenti Libello differendum ſuſcepimus, ex fere omnia, quæ a mundi primordiis uſque ad Centeſimum poſt Chriſtum Servatorem annum contigiſſe referuntur in Sacris Literis complectitur; ipſumque intervallum in annos Julianos diviſum quamvis certam eorumdem annorum ſummam continere ſit indubium, in ſe, & abſolute conſideratum, ea nihilominus computatio annorum adhuc hominibus impervia eaiſtimatur omnino, eo quod non eadem penes ſacrarum, divinarumque hiſtoriarum volumina, multoque minus apud Auctores profanos recenſita comperiatur. Ingens eſt inter Hebraicos Græcoſve ſacrorum Bibliorum codices in annorum computo diſcrepantia; incertumque prorſus num vitium in Hebraica hodierna, vel potius in LXX. Interpretum irrepſerit eaemplaria? utraque diu venerata eſt Sancta Mater Eccleſia; lectionem quippe LXX. ad Sancti Hieronymi uſque ætatem univerſi retinuere Catholici, ipſique Evangeliſtæ eadem utebantur; Hebraicam autem veritatem latine a S. Hieronymo redditam, quæ in hodierna Vulgatæ lectione adinvenitur ab Eccleſia Catholica receptam eſſe, & approbatam tanquam authenticam ex Decreto Tridentini ſat manifeſtum eſt. Nemo propterea adigi poſſe videtur ad Hebraicam potius, quam ad Græcorum Chronologiam amplectendam; cum Vulgatæ authenticitas circa Fidei, morumve doctrinam minime vero circa temporum quæſtiones ſit neceſſario attendenda. Nos itaque verſioni Hebraicæ, ſeu Vulgatæ firmiter adhærentes annorum Computum exponemus, quamvis nemini ſinus impoſituri, Ideo autem eventus, qui primo Eræ Chriſtianæ ſæculo adligantur, recenſebimus, ut res Biblicas hiſce in Voluminibus diſquirentes, Libris Sacris Novi Teſtamenti intra Sæculum primum Eræ Vulgaris conſcriptis debitum tempus, quo in lucem editi ſunt deſignare valeamus, cum tamen potior difficultas in temporis intervallo circumſcribendo, quod a Mundi primordiis ad Chriſtum uſque Servatorem dilapſum eſt, ſummaque annorum in eodem contenta decernenda, conſiſtat, eo quod diverſum annorum calculum tam ea Græcorum verſione Sacrorum Codicum, quam ex ipſamet Vulgata, ſeu Hebraica poſſimus inire; hinc præcipuas, atque excellentiores Chronologorum ſuppoſitiones prius, qui Vulgatum, Hebraicumve textum retinuere, eorum poſtea, qui Græcorum exemplaria imitati ſunt in medium proferre haudquaquam pigebit. Inter eoſdem itaque ipſos, qui veritatem Hebraicam, ſeu Vulgatam noſtram amplexi ſunt, in ordine ad collectam annorum ſummam, qui fluaerunt a mundi creatione ad Chriſtum uſque diſſidium eſt, quod plurima intra eumdem annorum circulum geſta æque perſtringi, ac ad diverſas annorum periodos diſtrahi nequaquam repugnet. Præclarum rei hujuſce exemplum ſuppeditat Sacer Judicum Liber, in quo captivitates, & oppreſſiones Judaici Populi non minus appoſite ab aliquibus Chronologis temporis eidem adligari intervallo exiſtiman-

Digitized by Google

ſtimantur, cui pax etiam, & tranquillitas a ſacro textu conjungitur, quam ab aliis Auctoribus captivitatum tempora diſtincta omnino judicentur ab iis, quibus pace, atque libertate frui Iſraelitæ leguntur. Clarius hiſce de rebus in primo Diſquiſitionum volumine pag. 435 ſermonem habuimus. Id unum modo concludendum: varias potuiſſe annorum ſummas a Mundi Creatione uſque ad Chriſtum colligere eoſdem ipſos Chronologos, qui Vulgatæ noſtræ lectionem ſequuntur pro viribus. Præcipue interim opiniones a nobis proferentur in medium; ſed quoniam intervallum, quod inter mundi creationem, & Chriſtum ducem interceſſit, in ſex dividi ſolet partes, quas *ſex mundi ætates* appellari mos eſt, quot earum unaquæque annorum cenſum in qualibet Chronologorum ſententia a nobis enarranda contineat, referre curabimus.

Prius tamen cum Ricciolio Lib. 7. Chronol. Cap. 2. ſupponendum, annorum numerum ab initio Mundi uſque ad Chriſtum, ſecundum Vulgatam, Hebraicamque editionem neque ultra 4330. extendi, neque citra quam 3705. perſtringi; dum autem dicimus *uſque ad Chriſtum* ad Epocham uſque Vulgarem Chriſti intelligimus, quæ vero Chriſti natali poſterior aliquot annis a nonnullis ſupponitur; cum tamen eamdem a vero anno natali Chriſti ſeiungere nulla neceſſitate cogamur, ut Ricciolius Lib. 8. Chronol. Cap. 4. propugnat; quamvis mos invaluerit, ut a Kalendis Januariis anni principium deſumatur. Quidquid ſit, annum primum Epochæ Chriſtianæ cum anno 45. Juliano, cum anno Urbis Varroniano 754. Capitolino autem 753. cum anno I. Olympiadis 195. copulamus ex Pagio, Uſſerio Ricciolio, aliiſque inſignoribus Chronologis qui unanimi conſenſu hunc primum Vulgaris Epochæ annum cum anno mundi 4004. connectunt, unico excepto Ricciolio, qui ex LXX. Interpretum lectione Mundi annos decernit. En itaque præcipuos annorum cenſus a condıtu mundi ad Chriſtum, nec non cujuslibet ætatis mundi ſummam, juxta Vulgatam Bibliorum verſionem noſtram ab aliquibus Chronologis concinnatam.

Dionyſius Petavius.

Ab Adamo ad Diluvium anni	1656.
A Diluvio ad ortum Abrabae.	292.
Abortu Abrahae ad exitum ex Ægypto.	505.
Ab Exodo ad Templum conditum	520.
A Templi conditu ad finem Captivitatis.	474.
A Captivitatis fine ad Chriſtum.	536.
ſumma annorum juxta Petavium a Mundi primordiis ad Chriſtum Servatorem aſcendit ad annos.	3983.

Jacobus Gordonius.

Ab Adamo ad Diluvium anni,	1656.
A Diluvio ad Abrahamum.	322.
Ab Abrahamo ad Exodum.	505.
Ab Exodo ad Templi conditum.	430.
A Templi jactis fundamentis ad Captivitatem	420.
A Captivitate Babylonica ad Chriſtum.	497.
Annorum ſumma aſcendere invenimus juxta Gordoni calculum a Mundi Creatione ad Chriſtum ad annos.	3880.

S. Hieronymus Beda, & Georgius Hervartus.

Ab Adamo ad Diluvium anni.	1656.
A Diluvio ad Ortum Abrahae.	292.
Ab Ortu Abrahae ad Davidem.	942.
A Davide ad Captivitatem Babyl.	473.
A Captivitate ad Chriſtum.	589.
Iſtorum ſumma.	3952.

Ricciolius ex Hebraica, & Vulgata.

A Mundi exordio ad Diluvii finem anni.	1656.
A Diluvii finem ad Abrahae promiſſionem.	505.
A Repromiſſione facta ad Exodum.	430.
Ab Exodo ad fundamenta Templi.	580.
A Fundamentis Templi ad Captivitatem ſolutam.	4 6.
A Captivitate ſoluta ad Chriſtum.	536.
ſumma annorum a Mundi conditu ad Chriſtum juxta Ricciolium.	4184.

Alii alium collegerunt annorum cenſum ab initio mundi ad Chriſtianam uſque Epocham, juxta majorem vel minorem factorum numerum, quæ intra idem temporis intervallum contigiſſe, vel extra illud ſunt arbitrati; ita Cornelius a Lapide 3951. Henricus Philippi 4040. Tirinus 4000. Salianus, & Torniellus 4052. S. Julianus Toletanus 3834. Arias Montanus 3849. Nimii tamen ne ſimus in ſingulorum enumerandis Chronologorum hypoteſibus, iſtæ ex Ricciolio deſumptæ, & in legentium commoditatem hic enarratæ ſufficiant ad oſtendendum quibus in adytis tempora, quæ Supremum Numen in ſua voluit poteſtate, contexerit.

XX. Qui Græcorum innituntur Verſioni in annis a Mundi primordiis ad Chriſtum

uſque

uſque recenſendis, ſive ad Machabæorum tempora, fœliciores nequaquam ſe poſſunt cæteris judicare. Quis enim neſciat inter Adamum, & Chriſtum annos 5624. a Clemente Aleaandrino; 5700. a Nicephoro Conſtantinopolitano; a Suida 6000. Ab Julio Hilarione 5497. a S. Juliano Archiepiſcopo Toletano ea verſione LXX. 5200. A Ricciolio ex eadem LXX. Interpretum editione 5634. computari? Impoſſibile eſt ergo alterutram ſequamur verſionem, certam temporis menſuram a mundi creatione ad Chriſti Nativitatem ſecundum carnem, conſtituere. Veluti probatam nobis præ aliis, ab Uſſerio, Pagio, Prideauxio, Calmeto, aliiſque retentam hypotheſim de annis 4004. ab Univerſi conditu ad Æram Chriſti Dionyſianam, ampleċtimur, ut jam ſuperius indicavimus. Iſtos autem annos ita in ſex partes, ſeu ætates cum prælandatis Auċtoribus ordinamus.

	Anni	Menſ.	Dies
A veſpera primum Mundi diem aperiente, qui fuit juxta Uſſerium 23. Oċtobris in anno Julianæ periodi 710. uſque ad diluvium finitum eodem ejuſdem menſis die, anni interceſſetunt.	1656.	o	o
A Diluvio ad Abrahami eaitum e domo ſua poſt Thare mortem.	426.	6	14.
Ab initio peregrinationis Abrahæ uſque ad exitum de Ægypto ſub duce Moyſe anni.	430.	o	o
Ab exitu Judæorum de Ægypto ad jaċta Salomonis Templi ſundamenta.	479.	o	17.
A Templi conditu uſque ad ejus conflagrationem.	424.	3	8
A Templi ruina uſque ad Chriſtum ducem, & Servatorem.	583.	3	25.

Itaque a Veſpera primum diem mundi præcedente uſque ad mediam noċtem, quæ diem præcedit 25. Decembris, qua natus eſt Chriſtus, annos Julianos 3999. menſes tricenarios duos, dies quatuor, horas ſex decurriſſe ſupponit Uſſerius in ſua Chronol. ſacra Part. 1. Cap. 2. Si vero ab eadem illa veſpera, quæ primum mundi diem præceſſit uſque ad Kalendas Januarias anni primi Æræ Vulgaris, qui cum anno 4714. Julianæ Periodi copulatur, tempus percurſum ſupputemus, anni Juliani ſolidi tranſiiſſe reperientur 4003. cum menſibus duobus, undecim diebus, & ſex horis.

Chronologorum labor, ſtudiumque igitur eo contendit, atque dirigitur ut præcipuis, memoriave dignis, qui hoc in univerſo contigerunt, eventibus debitum annum, menſem, & diem, quo acciderunt, in quantum poſſibile eſt, decernant. Hunc finem, ut aſſequantur, quædam geſta omnibus ferme nota, tamquam cardines, ſeu punċta, ex quibus nonnullas veluti certas temporum menſuras derivarunt, ſtatuerunt, atque hujuſcemodi punċta *Epochas* appellarunt. Periodos pariter quaſdam, in quibus nonnullæ ſolis, aut Lunæ annuæ revolutiones includebantur, decrevere, iiſque tranſaċtis periodis, anni tempeſtates ad ſua loca juxta Cœleſtium corporum motus reſtituebantur. Hujuſmodi autem Periodos nomine *Cyclorum* ſolis, vel lunæ nuncuparunt, de quibus omnibus pauca radituri ſumus; deinde autem de variis hypotheſibus, ſeu periodis pro Chronologorum arbitrio compoſitis differemus, quibus veluti regulis uti ſolebant ne in annorum ſtatuendis computis a Mundi primordiis, vel ab altera Epocha ad factum, quod enarrant, errore abriperentur. De Cyclis itaque principalioribus primo diſputandum, ut quæ ſub Num. XVI, promiſimus, compleamus.

XXI. Quidnam *Cyclorum* nomine veniat intelligendum ſatis indicavimus ſupra, cum per eos nil ferme ſignificetur aliud, quam *certus annorum numerus, quo tranſacto tam Novilunia, quam feriæ ad ſedem priſtinam reſtituuntur*. De Cyclo Lunæ a Metone adornato jam ſuperius Num. VII. diſſeruimus; ubi pariter animadvertimus Mathematici hujus inventum non ſatis idoneum fuiſſe repertum ad Novilunia in ſuis temporibus ſtabilienda. Neque rem acu tetigit Calippus Cyzzicenus, quamvis ab annis 76. Metonicis unum abtaſerit diem, annumque ſolarem ex diebus naturalibus 365. $\frac{1}{4}$ compoſuerit, quam quidem hypotheſim Soſigenes poſtea ſub Julio Cæſare in anno reſtituendo, fuit perſecutus. Alii alios Cyclos invexere; Epaċtæ deinde Lunares in aurei numeri locum ſuffeċtæ ſunt, iiſdemque utuntur nonnulli in Tabulis Chronologicis dum tempora præſcribunt, nec non Cyclo illo decemnovennali, qui cum Cyclo Solari, & indiċtionibus adeo temporis charaċteres firmat, ut vix error in ſtatutos annos irrepere poſſit, ſi eorum fuerint Cyclorum notis inſigniti.

Cyclus ſolis eſt 28. annorum circulus, quo elapſo, Feriæ hebdomadales eædem in anno decurrunt, quæ antea annos 28. volvebantur. Si annus ſolaris ex 365. diebus tantummodo coaleſceret, earumdem feriarum revolutio ſingulis haberetur ſeptenniis; cum etenim numerus 365. per 7. diviſus unam relinquat diem, evidens eſt, quod ſi Kalendæ Januariæ cum feria I. ſeu Dominica concurrant, etiam ultima ejus anni dies nempe 31. Decembris erit Dominica, ſicque Kalendæ Januariæ anni ſequentis cum feria ſecunda concurrent, & eædem Kalendæ anni tertii cum Feria tertia, donec ſeptennium expleatur, eodemve abſoluto iterum Kalendæ Januariæ ad Feriam primam revertentur. Quoniam autem Solaris annus diebus 365. & ferme ſex componitur horis, ex quibus intra quadriennium cum una componatur dies, intra ſeptennium Feriæ nequaquam poſſunt ad ſuæ revolutionis Caput reverti, ſed ſeptem quadriennia neceſſario requiruntur, quibus elapſis Janua-

Januariæ Kalendæ in eadem Feria reperiuntur, in qua erant anno primo Cyeli Solaris ex annis 28. compoſiti.

Alter remanet Cyclus annorum quindecim indicandus, cujus profecto inſtitutio tum quoad annum, cum in ordine ad Auctorem, ſeu inventorem incerta eſt. Communior tamen fert ſententia periodum iſtam anno Æræ Chriſtianæ 312 poſt debellatum a Conſtantino Imperatore Maxentium Tyrannum die 24. Septembris habuiſſe principium; quamvis Conſtantinopolitani indictionum Caput ad Kalendas Septembris, in quibus & anni Caput conſtituerant, revocarint; Romani autem Pontifices indictiones deinde vel a die 25. Decembris, vel a Kalendis Januariis inchoarunt. In perlegendis itaque Hiſtoriarum Auctoribus indictiones adhibentibus, caute obſervandum num in recenſendis eiſdem methodum Conſtantinopolitarum vel Imperatorum, vel Pontificum ſint ſecuti, ut vera temporum ratio adinveniatur. De Indictionum Cyclo, utpote intra primum Chriſti ſæculum, ad quod Tabulas noſtras perſtringere decrevimus, minime invento, ſermonem inſtituere opus nequaquam erat, ſi quindenarius annorum numerus veluti unus ex temporum characteribus non ſoleret aſſumi ad annum certum in periodis artificialibus deſignandum; ſed quoniam & hujuſmodi Cyclus tanquam legitima annorum nota pro temporibus etiam Chriſtianam Æram præcedentibus, ad quæ prolepſi quadam extenditur, ſolet aſſumi, periodum iſtam idcirco exhibere neceſſe fuit.

Plures alii annorum Cycli ad Novilunia in priſtinam ſedem reſtituenda ultra laudatos a nobis, per diverſos Auctores invecti ſunt, ut præſertim ſeſta Paſchalia ad eamdem Anni Feriam temporis decurſu reverterentur; ſed eos omnes omittere poſſumus, cum ad rem noſtram minime ſaciant. Nonnulla ſolummodo de Literis Dominicalibus adiungemus, quarum artificio perquamdam prolepſim uti poſſumus in diebus annorum uſque ad primum Chriſti ſæculum deſignandis, nec non in iis etiam annis, qui Æram Chriſtianam præceſſere, quinimmo, & in iis pariter, qui ante mundi conditum præceſſiſſe confinguntur in periodis quibuſdam ſummo artificio confictis, quæ veluti regulæ ad cavendum errores, ſolent a Chronologis adhiberi.

Literæ itaque veluti Feriarum notæ, ſeu characteres aſſumuntur, quibus una ab altera Feria ſecernitur; cum autem ſeptenarium numerum Feriæ nequaquam excedant, hinc ſeptem unius menſis decurſis diebus, Feria prima, ſeu dies Dominica revertitur iterum, ſi in Dominica die Menſis Neomenia, habita fuit. Singulis annis uſque ad ſeptimum una decernitur litera Characteriſtica, quæ primam illius anni diem Dominicam in Kalendis Januariis, vel immediate poſt ipſas occurrentem ſignat, ex qua poſtea facillime aliorum menſium Kalendæ in quam Feriam incidant innoteſcit. Cum nihilominus anni feriæ recto ſibi, & invariato ordine ſuccedere minime queant ob annus biſſextiles, ſingulis quadrienniis occurrentes, hinc quædam literarum permutatio contingat neceſſe eſt; ac unamquamque literam unicuique Feriæ copulemus oportet. Literæ autem pro Feriarum characteribus ſtaturæ ſunt A, B, C, D, E, F, G. In anno autem biſſextili duplicem literam dominicalem ſtatuamus oportet, quarum una a Kalendis Januariis ad diem uſque 24. Februarii; altera vero ab illa die uſque ad anni finem inſerviat. Nos in præſenti de anno iuxta formam Julianam accepto ſermonem habemus, cum, ut aliquoties jam dictum eſt, nonniſi ad primum uſque Æræ Chriſtianæ ſæculum Tabulas Chronologicas protrahamus. Ut autem hæc omnia percipiantur facilius Tabellam Cycli ſolaris, & Literarum Dominicalium juxta morem antiquum digeſtam a Clariſſimis viris Petavio lib. 7. *de Temporum Doctr.* Cap. 3. Petro Gaſſendo *in Kalendario Romano compendioſe expoſito*, atque Ricciolio Lib. 1. Chronol. Cap. 30. proponemus.

TABELLA.

1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14
GF	E	D	C	BA	G	F	E	DC	B	A	G	FE	D
15	16	17	18	19	20	21	22	23	24	25	26	27	28
C	B	AG	F	E	D	CB	A	G	F	ED	C	B	A

Pro hujuſce Tabellæ intelligentia advertimus numeros arabicos annos Cyeli ſolaris indicare a primo uſque ad 28. in quo Cyclus abſolvitur atque ad initium, ſive ad unitatem revertitur; duæ autem Literæ in eodem quadrato annum ſignificant biſſextilem, ut jam indicavimus, earum autem prima. v. g. G in quadrato primo eſt litera Dominicalis a Kalendis Januarii uſque ad diem 24. Februarii, deinde vero per totum annum litera Dominicalis eſt F; ſicque de cæteris differendum. In hac Tabella primum Cycli annum biſſextilem fuiſſe ſuppoſuerunt Conditores methodi Paſchalis. Hujus Tabellæ auxilio facillime in qualibet, etiam excogitata annorum periodi artificiali, litera Dominicalis, ſeu characteriſtica primæ Feriæ adinvenitur. Si enim periodus annorum excogitata initium habeat cum anno primo Cycli ſolaris, invenitur litera, facta totius annorum ſummæ in periodo artificiali contentæ, per numerum 28. diviſione:

ſione: ſi enim numerus diviſor 28. totam exhauſerit annorum ſummam dividendam, jam numerus Cycli erit ipſe 28. proindeque litera Dominicalis illius anni erit A. Si autem peracta ſummæ diviſione, aliqua fractio ſuperſit, numerator fractionis literam Dominicalem ſub ſe continebit in Tabella. Cum tamen poſſit contingere, ut periodus, ſeu annorum ſumma, in cujus aliquo anno litera Dominicalis inquiritur, initium aliunde quam a primo Cycli ſolaris anno deſumat, caute obſervandum a quo Cycli anno exordium habeas; atque numerus illius anni, uno minus ſummæ dividendæ adjungendus; tota deinde annorum collectio per 28. dividatur, ſicque reſiduum literam Dominicalem indicabit; Si vero nullum reſiduum ſuperſit, ſive ſi nulla fractio adſit, jam erit, ut diximus, in anno illo Cyclus ſolaris 28. rem totam exempla palam facient. Si alicujus anni a Creatione mundi v. g. literam Dominicalem inquiramus, deſcribatur numerus annorum a mundi condito uſque ad annum, cujus literam auſpicari volumus; quoniam autem in Uſſerii ſyſtemate, quod ſequimur, mundus fictione quadam proleptica Cyclo ſolis 10. ſupponitur creatus numerum iſtum unitate mutilum cum ſumma annorum mundi conjungatur, & tota collectio dividatur per 28. fractionis, ſi ſuperſit. numerator, in Tabella propoſita literam Dominicalem indicabit. Anno mundi 3416. Templi conflagratio contigit; quæ litera Dominicalis illius anni foret, ſecundum formam Julianam, ſi ſcire velim; prædictæ annorum ſummæ Cyclum ſolis decimum, uno minus, hoc eſt novem adjungam, fietque ſumma 3425, quæ per 28. diviſa, ejus quotiens eſt 122. $\frac{9}{28}$; ideſt Cyclus ſolis illius anni erat 9. cui in præſcripta Tabella literæ D C reſpondent; quarum prima a Kalendis Januariis ad diem uſque 24. Februarii illius anni, pro reliquo autem litera C erat aſſumenda. Periodus etiam Græco-Romana, qua utemur, in Cyclo ſolis 5. exordium habuiſſe ſupponenda, ſi methodum Romanum in Cyclis ex eadem auſpicandis obſervemus: proindeque diviſa per 28. qualibet annorum collectione in ea periodo deprehenſa, ſemper numerus 4. addendus numeratori fractionis, ſi qua ſuperſit, vel ipſimet numero quotienti, ſi, facta per 28. diviſione, nil fractionis ſupereſſet; vel tandem numerus iſte 4. in Periodo Græco-Romana addi poteſt ad numerum illius anni, cujus literam Dominicalem inquiro. Exhibetur v. g. in Periodo illa annus 5494. qui concurrere ſupponitur cum anno primo Æræ Vulgaris noſtræ, ut ejus Dominicalis litera deſignetur. Adjungatur prædicto anno numerus 4. & erit ſumma 5498. hae per 28. diviſa, habebitur quotiens diviſionis 196. $\frac{10}{28}$ Cyclus ergo ſolaris illius anni 5494. erit 10. cui in Tabella reſpondet litera B, Poteſt etiam dividi annus præciſus Periodi Græco-Romanæ, qui proponitur, & numerus 4. adjungi ex conſtanti regula, numeratori fractionis ſi ſuperſit, ſin minus; ad numerum quotientem in ultimo copulari inſtar fractionis ſuperſtitis, ſicque Cyclus eo in caſu erit 4. Si etenim dividamus annos Periodi Græco-Romanæ 5376. per 28. ejus quotiens erit 192. abſque reſiduo; ſed cum ex conſtanti regula in hac Periodo numerus 4. vel ſummæ dividendæ, vel poſt quotientem ſit adjungendus, ſi nulla fractio ſuperſit; hinc prædictæ ſummæ quotiens erit 192. $\frac{4}{28}$ ut vetus Cyclus ſolis in eo anno adinveniatur, qui ſiquidem Cyclus erit 4. eique reſpondebit Litera Dominicalis C.

Periodus Juliana a Scaligero adornata ſuum initium cum a primo Solis Cyclo deſumere exiſtimetur ſive potius cum ſit compoſita ea producto a Cyclis Solis 28., & Lunæ 19. invicem multiplicatis, & ex indictione 15., & producto 532. multiplicatis pariter inſimul, nil adjungere, vel auferre neceſſe eſt, ut cuilibet anno in eadem periodo exiſtenti Cyclum Solis ei convenientem deſignemus; ſed ſatis eſt datam annorum ſummam quamcumque in eadem exiſtentem periodo per numerum 28. dividere, atque fractionis, ſi habeatur, numeratorem veluti Cyclum Solis pro anno illo conſtituere, alioquin numerus 28. pro Solari Cyclo ſtatuendus erit, Idipſum in ordine ad Cyclum Lunæ, aut indictionem auſpicandam eſt agendum; dividendus ſcilicet idem annorum numerus in Periodo Juliana exiſtenſium per 19. ſi quid ſuperſit, erit Cyclus Lunæ; ſi nihil, idem Cyclus erit 19. Si autem requiratur indictio, dividatur per 15. & operatio, ut ſupra peragatur.

XXII. Periodi Julianæ ſumma extitit apud celebriores Chronologos exiſtimatio, per eamdem quippe tam certa, quam incerta ante Chriſtum tempora innoteſcunt. Omnium inſuper Epocharum Æram Dyoniſianam præcedentium, v. g. Olympiadum, annorum Urbis aliarumve, veluti fulcrum habetur, cum omnes in periodo iſta contineantur, earumque Cycli ab eadem oſſerantur. Eſt autem Juliana Periodus = annorum ſumma 7980. quæ ex Cyclo Solis, & Cyclo Lunæ in ſe invicem ductis, ac indictionum Cyclo poſtea multiplicatis conſurgit, ut jam diximus. Duo autem in iſta anni, quibus idem Cyclorum character conveniat, ſunt impoſſibiles. v. g. anno hujus Periodi 4714. congruere adinveniuntur Cycli Solis 10. Lunæ 2. Indictionis 4. alter nequaquam erit annus ex omnibus 7980. quibus abſolvitur Periodus, cui tres illi Cycli cohæreant. Periodus iſta *Juliana* a Scaligero nuncupata eſt, quod anni Juliani formam, atque Kalendas Januarias tanquam anni principium retineat. Prolepſi Mathematica Mundi Creationem juxta Uſſerii Chronologiam annis 710. antevertit, annis autem 4713. Vulgarem Chriſti Epocham; atque per annos 3268. ſi mundus & tempus adhuc perſeverent, rurſus tres illi Cycli Solis Lunæ, & Indictionis ab unitate deſument initium.

Alteram Periodum ſibi Ricciolius confin-

Digitized by Google

xit Lib. 1. Chronol. Cap. 29. quam Juliana magis idoneam judicavit; in ea quippe neque ulla biſſextilium annorum regula continetur, neque omnes includuntur anni, qui a Chriſti natali ad Mundi primordia juxta quam plures numerantur: compertum quippe eſt a Conſtantinopolitanis annos Mundi ad Chriſti ortum 5509. ab Antiochenis 5493; ab Alexandrinis 5503. fuiſſe computatos, qui dubio procul excedunt annos 4713. quot in Juliana Periodo ab ejus initio ad Chriſtum uſque comprehenduntur. Periodum itaque *Solis-auream* invexit; eamque hoc inſignivit nomine, quod ex Solis Cyclo 28. per quadratum aurei numeri 19. nempe per 361. multiplicato componatur; tota propterea ſumma in Periodo *Solis-aurea* contenta eſt annorum 10108, cum hujuſcemodi productum ex 28. per 361. multiplicato coaleſcat. Cum tamen iſta annorum collectio longe excedat quemcumque annorum numerum, tam a Græcis, quam Latinis Chronologis hac uſque excogitatum inter Mundi Creationem, & Chriſti adventum, aliquatenus ſummam iſtam attemperavit Ricciolius, atque ſelegit numerum annorum 7373, quod ante Chriſti Epocham tranſiviſſe ſupponit; ſi autem ſumma iſta cum annis poſt Chriſtum elapſis coniuncta, vel ab eiſdem diſcreta dividatur per 28; deinde per 19. & tandem mutilata unitate dividatur per 4. Cyclos Solis, Lunæ, & biſſextiles annos indicabit, ut ipſemet Auctor demonſtrat.

Nos autem re diligenter perpenſa, minime ab opinione viri Clariſſimi Antonii Pagi recedendum arbitramur qui ſeligendam præ cæteris periodum *Græco-Romanam* a ſe adornatam propoſuit. Talis utique periodus non minus quam cæteræ quæcumque excogitatæ veluti fulcrum, ac ſubſtentaculum Chronologiæ haberi poteſt; ſed inſuper ſtatim paucorum numerorum additione, qui memoriæ commendantur facillime, tres mundanas Græcorum Periodos menti noſtræ proponit: Periodus etenim iſta nihil eſt aliud quam Æra Mundana Antiochenorum, qui a mundi conditu uſque ad annum Julianum 45. cui Chriſti ortum illigavit Dionyſius, annos 5493. recenſent. In Periodo hujuſcemodi Cycli Solis, & Lunæ, ac Indictionum Dionyſiani reperiuntur non minus, quam in Juliana Periodo, dummodo ut ſuperius indicavimus, ex regula conſtanti Cyclo Solis ſemper quatuor unitates adjiciantur, a Cyclo Lunæ vero unitas abjiciatur perpetuo; Indictiones tandem relinquantur omnino, prout ex diviſione enaſcuntur. Si anni periodi Græco-Romanæ anni decem addantur, ſumma ex illis confecta erit Alexandrinorum Epocha mundana uſque ad Diocletianum Imperatorem; deinceps enim tam Antiocheni, quam Alexandrini in Æræ Mundanæ annis conſentiunt. Si vero annis Periodi Græco Romanæ ſexdecim adjiciantur anni, ſtatim Æram Mundi Conſtantinopolitanam poſſidebimus. Cycli juxta Romanorum methodum ex Periodo noſtra eruuntur, ſi quæ præmonuimus obſerventur. Cycli autem aliorum Orientalium proponuntur in eadem Periodo, ſi Cyclis Antiochenis, qui ex ſola diviſione per 28. & per 19. conſurgunt, tot adjiciantur Cycli, quot adjecti ſunt anni ad habendam Æram vel Conſtantinopolitanam Mundi, vel Alexandrinam e. g. annus Periodi Græco-Romanæ 5493. juxta Antiochenorum rationem reddit Cyclum Solis 5. Lunæ 2. Si iſtis adjunxerimus 16. habebimus Cyclos Conſtantinopolitanos; ſi vero 10. adjiciantur, ſtatim Cycli Alexandrini uſque ad Diocletianum obtinentur. Qui plura de hujuſmodi Periodi Græco-Romanæ utilitate, atque præſtantia deſiderat, peculiarem diſſertationem ab Antonio Pagio hoc de argumento editam, ex qua pauca hæc excerpſimus, conſular; dum nos aliqua de præcipuis annorum Epochis non piget exhibere, eiſdemque in noſtra Periodo ſedes proprias conſtituere.

XXIII. Occurrit in primis celebris illa mundana Æra, quæ *ſeptuaginta Interpretum* appellari conſuevit, cujuſve uſus diu invaluit in Latinorum Eccleſia, quæ noſtris etiam temporibus in Nativitatis Dominicæ pervigilio, Chriſti Servatoris ortum enuncians in Martyrologio, Epocham illam annorum proponit. Cum ergo in Æra hujaſcemodi annus Chriſti primus anno 5199. illigetur, qui cum anno Periodi Græco-Romanæ 5491. currit, conſequens eſt illius Æræ mundanæ annum primum, eumdem eſſe eum anno 293. Græco Romanæ Periodi. Nos autem Chriſti annum primum cum anno Juliano 46. percurrere ſupponimus, cum in Æra LXX. anno Juliano 43. copuletur. Æræ autem mundanæ caput juxta hypotheſi n noſtram incidit in annum Periodi Græco-Romanæ 1490.

Antequam Epochas ſequentes juxta Periodum noſtram ordinemus, advertamus oportet annis in Periodo Græco-Romana exordium tribui in Januarii Kalendis, atque in eiſdem Cyclorum Solis, Lunæ, & Indictionum initia pariter collocari; quamvis apud Græcos Indictiones a Menſe ſeptembri, Cycli autem a menſe Martio principium habuerint; quæ conſideranda ſolerter ſunt, dum Cycli Græcorum in Æris eorumdem inquiruntur, atque cum Cyclis Romanis copulare, ſeu componere volumus. Sunt ulterius, qui opinantur ab aliquibus Græcis Auctoribus duplicis anni *Eccleſiaſtici* ſcilicet, & *Civilis* habitam eſſe rationem; quorum priorem ab Aprili una cum Cyclis ſolis, & Lunæ inchoabant; civilem vero a Septembri ſimul cum indictionibus. De his plura videri queunt apud Petavium Lib. 9. *de Doctrina Temp.* Cap. 3.

Occurrit modo Epocha in Abrahæ anno natali conſtituta, quam Scriptores nonnulli Euſebius Cæſarienſis nimirum, S. Hieronymus, & Idacius ſuis in Chronicis adhibere ſolent; hanc itaque cum noſtra Periodo Græco-Romana componemus facillime, ſi conſideremus ab Euſebio primum Incarnationis annum cum anno Juliano 43. & cum anno 2015. ſuæ Abrahamiticæ Æræ fuiſſe copulatum, atque annorum ejus a Kalendis

iendis Octobris initium eſſe deſumptum. Annus itaque Abrahamiticus 2015. cum anno 5491., Periodi Græco-Romanæ connectendus; ſi autem ab iſto retro progrediamur initium Æræ Abrahamiticæ in Octobris Kalendas incidet anni Periodi Græco-Romanæ 3477. cui Cyclus ſolis 9. Lunæ XVIII. Indict. 12. Annus autem primus Æræ Abrahamiticæ cum Lunæ Cyclo 1. notetur, evidens eſt duos Lunæ Cyclos ſemper abiiciendos, ut Abrahamiticæ Æræ anni optime cum annis Periodi noſtræ cohæreant. Advertimus tamen diverſas prorſus temporum rationes a noſtris retinuiſſe Euſebium; Abraham quippe anno 130. Thare Patris ſui natum ſupponimus cum Fraſſenio *Tom. 2. Diſquiſit. Part. 2. pag.* 135. ut in Nota (aa) *ad Caput* 1 *Conciliatorii Biblici* indicavimus. Eum autem Thare annum in Periodi Græco-Romanæ annum 3498. Cyclo Solis 2. Lunæ 1. litera dominic. E Indictione 3. ut in Tabulis adnotabimus, incidiſſe compertum eſt.

Epocha a Trojæ excidio incidit in annum Periodi noſtræ 4310. ante Epocham Chriſti Vulgarem anno 1184.

Epocha Olympiadum maxime celebris eſt atque memoriæ digniſſima, cum ab eadem tempus hiſtoricum incæperit, Poetarumque fabulæ, & inventa aliquatenus deſierint. Annorum Olympicorum Caput in Neomenia Solſtitio æſtivo proxima conſtitutum fuiſſe tradunt, in qua civilis anni pariter initium decretum erat a Græcis in Europa commorantibus, ut ſuperius ad Num. XVI. diſſeruimus. Athletæ autem a die undecima in variis certaminibus exerceri ſolebant, donec die 15. in ſtadio Gymnicum certamen curſus celebraretur. Quamvis autem inter ſe diverſæ ſint Chronologorum ſententiæ in primo Olympiadum anno decernendo, eorum adhæremus ſententiæ, qui eumdem in annum ante Vulgarem Chriſti Epocham 776. conjiciunt, qui concurrit cum anno Periodi Græco-Romanæ 4?18. Cyclo Solis XVIII. Lunæ V. Indict. VIII. Litera Domin. F. inſignito; ad illum quippe ante Vulgarem Epocham annum Olympiadum caput, quæ Vulgares Iphiteæ nuncupantur, conſtituunt Pagius, Ricciolius, & Magnus Petavius, animadvertens interim Uſſerius ad annum Mundi 3228. primam a Græcorum Chronologis numeratam Olympiadem, eam eſſe, qua Coroebus Eleus vicit ſtadio, eamque ipſam in hunc incidere annum, quo Iphitea 28. currebat, quemadmodum ex Ariſtodemi Elei, & Polybii ſcriptis Julius Africanus demonſtrat. Hæc omnia mirum in modum cohærere deprehenduntur cum iis, quæ ex vetuſto Chronologo Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum tradit de tutela Charilai Regis pueri a Lycurgo ſuſcepta anno poſt excidium Trojæ 300. & anno 108. ante primam Olympiadem, ideſt ante eam, quæ veluti annorum Epocha ſumi cæpta eſt a Græcis; ſicque conciliantur, quæ a Pauſania ſcribuntur ex Plutarcho de Lycurgo, quem ſimul cum Iphito Olympicum certamen in agro amœniſſimo inter Piſam, & Elidem juxta Fluvium Alphæum, & Templum Jovis Olympici inſtauraſſe ſupponimus annis 108. integris, antequam Olympici anni enumerari cœpiſſent, atque victorum nomina in Cathalogo recepta eſſent. Olympiades tamen *Iphiteæ* appellatæ ſunt ab earum Inſtauratore Iphito, quomodocumque Epocham Olympiacam præceſſerit. Plurima de certaminum hujuſcemodi Inventore a Petavio lib. *9. de Tempor. Doctr.* cap. 41. exhibentur, aliiſque Chronologis, quæ ad rem noſtram veluti minus neceſſaria prætermittuntur; id unum obſervantes, non inter omnes parem eſſe de Olympiadum principio ſententiam. Olympias *Euſebiana*, quam in Chronico S. Hieronymus etiam perſequitur, anno uno tempusa nobis in Periodo Græco-Romana decretum antevertit, ejuſque initium a Kalendis Seprembris cum anno populari auſpicatur Euſebius. Socrates vero quamquam a Septembri, vel Octobri Olympicorum annorum repetat initium, eas tamen ab eodem anno exorditur, a quo communiter cæteri ordiuntur Chronologi, quamvis per biennium earum Epocham quandoquidem antevertat.

Julius Africanus, & cum eodem Georgius Syncellus Olympiades vulgares per biennium anticipant, cum illarum Epocham, ſi computandi methodum, quam perſequuntur attendamus, in annum Periodi Græco-Romanæ 4716. compellamur rejicere, ut egregie Pagius in ſua *de Periodo Græco-Romana Diſſertat.* Num. 86. evidenterque demonſtrat. Hæc præmonere opportunum arbitrati ſumus, ne legentium animus in ancipiti ſiſtat, dum noſtras computandi rationes non omnino cum prælaudatis Auctoribus cohærere adinvenerit. De Copernico, aliiſque uno anno Olympiadum initium poſtponentibus ſatis diſputat Petavius loco citato cap. 46.

Non minus in Epocha a Romæ conditu decernenda ab invicem Chrnnologi diſſentiunt; etenim Varro ita Urbis annos enumerat, ut ejus primus a die 21. Aprilis anni Periodi noſtræ 4741. Cyclo Solis 13. F. E. Lunæ 9. Indictione 1. initium habeat. Alii autem ab anno immediate ſequenti Epocham deſumunt annorum Urbis; ſuamque fecit hanc Epocham Verrius Flaccus in Faſtis Capitolinis. Frontinus vero, qui tempore floruit Imperatoris Nervæ integro biennio Urbem exiſtimat recentiorem, quam nos ipſi. Tandem Q. Fabius Pictor, quem ſecutus eſt Uſſerius, ut jam ad Num. XVIII. indicavimus, Romæ conditum quinquennio ſerius, quam Varro decrevit, quamvis Solinus an hæc fuerit Pictoris opinio ſit ſuſpicatus.

De Nabonaſſari Epocha plura ſuperius ad num. XV. jsm tradidimus, quæ profecto brevitati incumbentibus ſatis eſſe queunt. Petavius Part. 2. Rationarii temporum lib. 1. cap. 12.; nec non lib. *9. de doctrina temporum* capp. 57. & 58. hujuſcemodi Epocham fuſe nimis exponit. Nobis pro interim ſatis ſuperque eſt hujus Epnchæ initium ad annum Mundi 3257. nec non ad annum ante Vulgarem Epocham Chriſti 747. rejicere.

Digitized by Google

Aliæ deinde annorum Epochæ habitæ ſunt, ut Æra Philippi, quæ a Philippo Aridæo Alexandri ſucceſſore nomen obtinuit, ejuſque principium in anno 5170. Periodi noſtræ conſignatur; quamvis juxta Alexandrinorum computum ad annum mundi 5180. ſit referendum.

Poſt Alexandri obitum annis 12. cum in Aſia Seleucus regnare cœperit, Græci novam annorum Æram inſtituerunt, quæ *Seleucidarum* dicta eſt, variiſque aliis inſignita nominibus: *Alexandrea* conſuevit hujuſcemodi Æra nuncupari, quod ab Alexandri ſucceſſoribus fuerit inſtituta. Æra contractuum ab Judæis dicebatur, quod fortaſſis in actis publicis obſignandis eadem ſoleret adhiberi. Arabes autem eamdem, Æram *Dilkarnain* nuncupabant. Hac in Epocha annorum initium nonnulli a verno tempore, videlicet a menſe Niſan Judæorum; alii autem a menſe Tiſri, ab Octobri nimirum deſumebant; attente propterea in Machabæorum libris anni computandi ſunt; cum Auctor libri primi a menſe Niſan, libri vero ſecundi Scriptor a ſequenti Tiſri annorum principium recenſeat. Methodum libri ſecundi in annorum ſtatuendo principio celebris Mathematicus Albategnius eſt perſecutus, cum & iſte a menſe Septembri ipſum derivarit.

In percurrendis Græcorum Scriptorum Annalibus, quamnam Epocham iidem in uſu retinuerint obſervandum; cum ſæpe ſæpius Æram Antiochenam commemorent, cujus initium ab anno Periodi Græco-Romanæ 5445. a menſe Septembri eſſe repetendum Antonius Pagius ad finem ſuæ diſſertationis ſæpe laudatæ, & ex qua plura deſumpſimus, tueatur.

Anni tandem *Actiaci* apud Ægyptios auſpicantur initium a die 29. Auguſti anni immediate ſequentis Actiacam victoriam, proindeque in anno Periodi noſtræ 5464. annis ſcilicet ſolidis 29. ante Vulgarem Chriſtianorum Æram.

Poſt Actiacorum annorum apud Ægyptios Epocham annis duobus, menſibus quatuor, & duobus diebus exordium habuere anni *Auguſtorum* Romani, quorum proinde Caput in Kalendis Januariis anni Periodi noſtræ 5467., ac in anno ante Chriſtianam Æram 27. conſtituendum.

Alteras annorum Epochas poſt primum Chriſti ſæculum invectas, ut eſſent *Diocletianea* cujus initium ab anno Chriſti 284. repetunt Ricciolius, & Pagius. Æra *Hegiræ* Arabum, quæ Chriſti anno 622. inchoata eſt; Æra *Jezdagirdæ*, cujus caput in die 16. Junii anni Æræ Vulgaris 632. Ricciolius reponit; nequaquam ſatagemus exponere, cum Hiſtorica geſta in Tabulis noſtris ultra primum Chriſti ſæculum minime ſimus protracturi, ut jam aliquoties indicavimus.

XXIV. In Tabulis noſtris Chronologicis cum annos Periodi Græco-Romanæ ſimus deſcripturi, facillime ex eorum ſumma annos Mundi juxta præcipuas Græcorum Epochas intelligemus, ſi quæ de Periodo Græco-Romana ad Æras Conſtantinopolitanam & Alexandrinam reducenda ſub Num. XXII. tradidimus, recolantur. Fatemur quidem aliquos extitiſſe inter Chronologos, qui ex LXX. Interpretum verſione annorum ſummam ab orbe condito ad Chriſtum Servatorem longe majorem collegiſſe quam in Periodo Græco-Romana continetur; non ii tamen in hoc perbrevi libercolo eſſe poſſumus, qui omnium Chronologorum perſequamur ſyſtemata. Ricciolius equidem Periodum *ſolis auream*, in qua omnium Scriptorum anni ſive ex Græcis, ſive ex Hebraicis codicibus collecti a Mundi conditu ad Chriſtum uſque, continentur invenit, eamque veluti univerſæ Chronologiæ cardinem, & fulcrum conſtituit, de qua ſuperius Num. XXII. diſſeruimus. Inter illam tamen, & Periodum noſtram Græco-Romanam nil fere aliud intereſſe diſcrimen intuemur, quam illa ſummam annorum in Periodo noſtra contentam excedat annis 1880. hoc eſt noſtra Periodus Chriſtianam Æram annis ſolidis 5493. ſupponitur antevertere; illa autem annis 7373. Cæterum quilibet annus ante Chriſtum propoſitus iiſdem Characteribus Cyclorum ſolis, Lunæ, & Indictionum inſignitur in utraque Periodo, quibus iiſdem Characteribus anni etiam Julianæ Periodi notati conſpiciuntur. Facillime propterea tres illæ Periodi ad manus haberi queunt, ſi enim cuicumque dato in Periodo Græco-Romana anno alii adjiciantur anni 1880. ſtatim annus conſurget, qui in Periodo *ſolis aurea* tunc temporis currit. Si autem ab annis in Periodo noſtra deſcriptis anni 780. removeantur, in reſiduo annus Periodi Julianæ percurrens habebitur.

Si quandoque in Tabulis noſtris menſium nomina adhibeamus, quæ ab aliqua ſingulari gente uſurpari ſolebant ad menſem in anni Juliani forma eidem correſpondentem ſatagemus perducere, quamvis id unuſquiſque mente recolens, quod de diverſis annorum formis tradidimus, ex ſe perficere queat. Ut denique maxima cum facilitate legitimas unuſquiſque annorum ſummas in Tabulis hiſce deſcriptas colligere poſſit, ac mendas, ſi quæ irrepſerint nullo negotio corrigere, mente retineat in Periodo Græco-Romana annum primum Æræ Chriſtianæ cum anno 5494. illius Periodi percurrere; Mundum autem anno illius Periodi 1490. habuiſſe principium. Si ergo anni ante Chriſti Æram deſignati pro aliquo eventu ſubducantur annis 5494. reſiduum erit ſumma annorum, ſive indicabit annum, quo in Periodo noſtra eventus ille contigit. Si autem ab illo reſiduo iterum anni removeantur 1490. quæ ſupereſt annorum ſumma, erunt anni a Creatione Mundi in ſyſtemate noſtro decurrentes. Eadem utique regula in annis a Ricciolii Periodo numerandis obſervanda eſt; cum etenim ipſe inter Mundi creationem, & Vulgarem Æram annos 5634. percurriſſe ſupponat ex LXX. Interpretum Verſione, tot anni ſunt ab illa ſumma detrahendi, quot ab aliquo eventu uſque ad Chriſtum excurriſſe ſupponuntur, & ſtatim

in

in reſiduo numerus annorum habetur, qui ab initio Mundi uſque ad eventum ipſum efluxerunt.

Tabulas Chronologicas tandem eum ſimus exhibituri, in quibus præſettim annos rerum, quæ in divinis Libris enarrantur, expendere ſatagemus; qua de cauſa non alias ſumus Epochas indicaturi, quam quæ in Sacris literis recenſentur, unica excepta Græco-Romana Periodo, quam veluti conſtantem Chronologiæ regulam, & ſulcrum aſſumimus necnon periodum Julianam. Diverſæ profecto io Sacris literis Epochæ memoria digniſſimæ conſpiciuntur, quarum ſingulæ cum deſcribi non poſſint, epochas annorum *Sabbaticorum*, & *Jubilæorum* ſelegimus, quibus, ni fallimur, annorum cenſus facilius, expeditiuſque dignoſcitur, ſi de temporibus loquamur, quæ *Sabbatiſmis*, & *quinquagenariis* annorum ſuiomis ſucceſſerunt. *Sabbatiſmi* nomine eam intelligimus annorum hebdomadem, cujus ſeptimus annus erat Sabbaticus apud Judæos. *Quinquagenariæ* autem voce numerum annorum indigitamus quinquaginta, quorum ultimus erat Jubilæus apud Iſraelitas. Compertum eſt quidem hunc annos computandi modum nonnſi poſt ingreſſum Iſraelitarum ſub Duce Joſue in promiſſionis terram eſſe inchoatum; quapropter dum tempus deſignare contigerit, quod & primam hebdomadem, primamve *quinquagenariam* præceſſit annorum in mundo, iſtam adhibebimus expreſſionem = anno v. g. centeſimo ante primam *quinquagenariam* = ideſt ante annum illum, a quo numerari incipiunt anni quinquaginta, quorum ultimus, ſuit primus Iſraelitarum Jubilæus. Pari modo ſi dixerimus = anno v. g. decimo, vel vigeſimo ante *Sabbatiſmum* primum = intelligi volumus annum decimum, vel vigeſimum, ante illum annum, a quo numerari cœperunt ſeptem anni, quorum ultimus apud Judæos ſuit ſabbaticus primus. Si autem rei, quæ poſt inchoatos *Sabbatiſmos*, & *quinquagenarias* annorum evenit, tempus decernamus; tunc hac loquendi formula utemur = anno v. g. quinto, vel ſexto *Sabbatiſmi* tertii, vel quarti &c. nec noo = anno v. g. decimo, vel triceſimo *quinquagenariæ* primæ, vel tertiæ &c. Hos autem annorum Calculos juxta Uſſerii, aliorumve inſignium Chronologorum rationes diſponemus hinc, & utrimque tribus columnis in Tabulis noſtris appoſitis in quarum prima ad dexteram anni Periodi Græco-Romanæ, in ſecunda anni Mundi, in tertia tandem anni ante Epocham Vulgarem ordinabuntur. In prima autem ad ſiniſtram anni Periodi Julianæ, in ſecunda anni *ſabbatiſmorum*, & tandem io tertia *quinquagenariarum* aoni deſcribentur.

TABULÆ CHRONOLOGIÆ

S A C R Æ.

Anni Periodi Græco Rom. * ⊙	Anni Mundi	Anni ante Christum		Anni Periodi Julianæ	Anni Sabbatiſmorum	Anni Quinquagenariarum
3920 4. 5. C.	2430	1574	AAron ex Amramo, & Jochabeda ejus patruele, & uxore naſcitur *Exodi 6.* ℣. 20.	3140	ante Iᵘ Sabb. an. 124.	ante Iª Quinq. an. 130.
4003. 3. 12. D.	2513	1491	Aaron adjungitur ſocius Moyſi fratri ſuo dum ad Pharaonem ingreditur *Exodi. V.* ℣. 1. Variis Ægyptus plagis affligitur a die 18. menſis Adar, nempe a die 8. Aprilis Juliani, uſque ad diem 14. Menſis *Niſan*, ideſt ad diem 4. Maji.	3223	ante Iᵘ Sabb. an. 41.	ante Iª Quinq. an. 47.
4042. 26. 8. C.	2552	1452	Aaron poſt annum 40. ab exitu de Ægypto annis natus 123. Moſeræ in vertice Montis Hor exutus pontificalibus veſtibus, eiſque induto Eleazaro ejus filio, moritur. *Numer.* XX. 25. die 1. Menſis Ab, ſcilicet Auguſti 18.	3262	ante Iᵘ Sabb. an. 2.	ante Iª Quinq. an 8.
4933. 9. 11. DC.	3443.	561.	Abbarus Judæorum Pontifex a Rege Babylonis Judex Tyrionum conſtituitur. *Joſephus Lib.* 1. *contra Manethonem Cap.* 5.	4153	Sabb. 127ᵘ. an 7.	Quinq. 19ª. an. 1.
4906. 10. 3. B.	3416	588	Abdemelech Æthiops Eunuchus Jeremiæ defenſor & protector a gladio Chaldæorum liberatur, quia fiduciam habuit in Deum *Jerem.* XXXIX. 16.	4126	Sabb. 124ᵘ. an. 1.	Quinq. 18ª. an. 23.

Abde-

Anni Periodi Græco Rom. * ⊙	Anni Mundi	Anni ante Chriſtum		Anni Periodi Julianæ	Anni Sabbaticorum	Anni Quinquagenariorum
4907 11. 4 A.	3417	587.	Abdenago, qui & Azarias, in fornacem cum ſociis mitti jubetur anno 18. Regni Nabuchodonoſoris. *Daniel* III. ℣. 1. *juxta Græcam verſion.*	4127	Sabb. 124^{i}. an. 2.	Quinq. 18^{a}. an. 24
4586 28. 8. A.	3096	906.	Abdias diſpenſator domus Achab abſcondit a furore Jezabelis centum Prophetas III. *Reg.* XVIII. 4 idque fit anno decimo Regni Achab. *Uſſerius.*	3806	Sabb. 78^{i}. an. 23.	Quinq. 11^{a}. an. 46.
4907 11. 4 A.	3417	587	Abdias Propheta adverſus Edom vaticinatur videatur *Nota* (45) *ad pag.* 528. 1. *Volum. Diſquiſ.*	4127.	Sabb. 124^{i}. an. 2.	Quinq. 18^{a}. an. 24.
4330 21. 15. C. B.	2840	1165	Abdon filius Elel fit Judex in Iſrael, & annis 8. populum rexit. *Judic.* XII. ℣. 12.	3549	Sabb. 41^{i}. an. 6.	Quinq. 6^{a}. an. 35.
1620 28. 4 C.	130	3874	Abel naſcitur ex Adamo, & Eva anno Mundi ſecundo, & vixit annis 128. quibus elapſis a fratre Caino occiditur. *Geneſ.* IV. 8.	840	ante 1^{u} Sabb. 2424	ante 1^{a} Quinq. 2430
4472 24 6. F.	2982	1022	Abela Civitas a furore Joabi incolumis ſervatur Mulieris prudentis conſilio. II. *Reg.* XX. 16.	3692	Sabb. 62^{i}. an. 1.	Quinq. 9^{a}. an. 30.
4313 4. 17. C.	2823	1182	Abeſan fit Judex in Iſrael, ſeptem annis populum rexit, & triginta filios, ac totidem filias habuit. *Judic.* XII. ℣. 10.	3532	Sabb. 39^{i}. an. 3.	Quinq. 6^{a}. an. 18.
4536 4. 13. C.	3046	958	Abia Roboami filius regnare incipit defuncto patre ſuo; tribuſque regnavit annis. III. *Reg. Cap.* XIV. 31. & XV. 1. & 2. (1)	3756	Sabb. 71^{i}. an. 2.	Quinq. 10^{a}. an. 47.
4434 14. 6. D.	2944	1060	Abiathar fugit ad Davidem de manibus Saul, qui Sacerdotes interfici juſſit 1. *Reg.* XXII. 20. Abibalus. Vide *Notam* (5) *Pag.* 23. I. *Voluminis Diſquiſit.*	3654	Sabb. 71^{i}. an. 6.	Quinq 8^{a}. an. 41.
4004 4. 13. C.	2514	2490	Abidan Princeps familiarum Beniamin repertus eſt a Moſe. *Numer.* 1. ℣. 11. dum cenſus filiorum Iſrael factus eſt die 1. menſis Jiar ſeu Maji die 21.	3224	ante 1^{u} Sabb. an. 40.	ante 1^{a} Quinq. an. 46.
4437 17. 9. G. A.	2947	1057	Abigail Davidis irati animum mulcet, & poſt dies aliquot cum eodem matrimonio copulatur 1. *Reg. Cap.* XXV. ℣. 18. & 42.	3657	Sabb. 57^{i}. an. 2.	Quinq. 8^{a}. an. 44
3597 17. 2. G. A.	2107	1897	Abimelech Rex Geraræ aufert Abrahæ Saram uxorem. *Geneſ.* XX. ℣. 2.	2817	ante 1^{u} Sabb. an. 447	ante 1^{a} Quinq. an. 453.
4259 7. 2. F.	2769	1235	Abimelechus Gedeonis filius e Concubina Sichemitana ſuſceptus Regnum Judæorum invadit occiſis 69. fratribus omnibſue tribus regnavit. *Judic.* IX. ℣. 5.	3479	Sabb. 31^{i}. an. 5.	Quinq. 5^{a}. an. 13
4378 14. 7. D.	2888	1216	Abinadab domi ſuæ in Gabaa recipit Arcam Dei circa initium menſis Siban, nempe poſt diem 20. Junii 1. *Reg.* VII. ℣. 1. ibidemque permanſit annis 70. (2)	3598	Sabb. 48^{i}. an. 5.	Quinq. 7^{a}. an. 34

Abi-

(1) Abiam annis tribus regnaſſe ex Cap. XV. ℣. 2. Libri III. Regum compertum eſt, cum tamen ſolium aſcendiſſe anno 18. Jeroboami, & ejuſdem Principis anno 20. vitam expleviſſe legamus ibidem. Videatur *Conciliatorium* pag. 145. col. 1.

(2) Arca Dei in domo Abinadabi tandin permanſit, donec a Davide in domum Obededom tranſlata fuit. II. *Reg.* VI. 3. Anni autem viginti, qui recenſentur I. *Reg. Cap.* VII. ℣. 2. ab ingreſſu Arcæ in domum Abinadab uſque ad concionem ad populum habitam a Samuele, computandi ſunt.

Digitized by Google

Anni Periodi Græco-Rom. * ⊙	Anni Mundi	Anni ante Chriſtum		Anni Periodi Julianæ	Anni Sabbatiſmorum	Anni Quinquagenariorum
4005 5. 14. A B.	2515	1489	Abiron cum Dathan, & Core quod contra Moſen, & Aaron inſurrexerint abſorti ſunt a terra deiſcenre. *Num.* XVI. 32.	3225	ante I^{u} Sabb. an. 39.	ante I^{a} Qoinq. an. 45.
4479 3. 13. D.	2989	1015	Abiſag Sunamitis puella Davidi deſponſatur ad calefaciendum eum, III. *Reg.* Cap. I. ℣. 4	3699	Sabb. 63^{i}. an. I.	Quinq. 9^{a}. an. 37.
			Abiu, & Nadab igne conſumuntur anno prius circiter quam Abiron, & Dathan abſorberentur a *terra*			
4439 19. 11. E.	2949	1055	Abner filias Ner Isboſethum Saulis filium præfecit Iſraeli, II. *Regum. Cap.* 11. ℣. 9.	3659	Sabb. 57^{i}. an. 3.	Quinq. 8^{a}. an. 46.
2498 2. 1. E.	2008	1996	Abraham credentium Pater in Ure Chaldæorum naſcitur ex Thare annum ætatis 130. agente, *Parte* 2. hujus *Volumin. pag.* 135.	2718	anre I^{u} Sabb. an. 546	anre I^{a} Quinq. an. 552
2573 21. 19. C. B.	2083	1921	Abraham a Deo juſſus egredirur de terra ſua poſt mortem Thare patris ſui, atque Cananitidem ingredirur anno 75. ætaris ſuæ expleto. *Geneſ.* XII. ℣. 4 (3)	2793	ante I^{u} Sabb. an. 471	ante I^{a} Quinq. an. 477
3597 17. 5. A. G.	2107	1897	Abrahæ annis 15. poſtquam percuſſerat Chodorlahorem Regem, ejuſque fœderatos, atque a Melchiſedecho benedictus fuerat, promittitur filius ex Sara uxore ſua, eumque anno ſequenti ſaſcepit *Iſaac* appellarum; & Sodoma cum aliis Civitatibus igne comburitur, & ſubvertitur. *Geneſ.* XIX. ℣. 24	2817	ante I^{u} Sabb. an. 447	ante I^{a} Quinq. an. 453
3623. 15. 12. C.	2133	1871	Abraham filium ſuum Iſaac annis natum 25. jubenre Domino in montem a Deo indicatum perducit immolandum. *Geneſ.* XXII. ℣. 10.	2843	ante I^{u} Sabb. an. 421	ante I^{a} Quinq. an. 427
3673 9. 5. D. C.	2183	1821	Abraham annis natus 175. poſt ſuum in Chananitidem adventum annis 100. e vita migravit, atque in ſpelunca cum Sara a filiis ſuis Iſaaco, & Iſmaele ſepelitur. *Geneſ.* 23. ℣. 9.	2893	ante I^{u} Sabb. an. 371	ante I^{a} Quinq. an. 377
4464	2974	1030	Abſalom Davidis filias annis ſeptem priuſquam a Patre rebellis factus, & in fugam coniectus qoercui hærens capillis ab Joabo interficeretut fratrem ſuum Ammonem occidit II. *Reg.* XIII. 23.	3684	Sabb. 61^{i}. an. I.	Quinq. 9^{a}. an. 22.
4866 6. 8. G.	2376	1628	Acenchres Ori filia in Ægypto Regnum aſſumit ſeptem annis poſt Joſephi Patriarchæ mortem, regnatura annis 12. menſ. 1. *Manetho.*	3086	ante I^{u} Sabb. an. 178	ante I^{a} Quinq. an. 184
			Accaronitæ remiſerunt Arcam Dei cum muneribus aureis I. *Reg.* VI. *Vide Abinadab.*			
4576. 16. 15. B.	3086.	918.	Achabus filius Amri Thronum aſcendit, & 22. annis, ſed ultimo cum filio ſuo Ochozia ſimul regnavit. III. *Reg. cap.* XVI. 29. (4) Achan	3796	Sabb. 78.^{i} ann. I.	Quinq. II.^{a} an. 36.

(3) Abrahsm egreſſum e terra ſua die 15. Menſis *Abib*, nempe die 5. Maii, a quo die pariter inchoandos peregrinationis annos 430. de quibus *Exodi* XII. 40. & 41. eademque die fuiſſe completos, qua ex Ægypto egreſſi ſunt ſub Duce Moſe filii Iſrael, quamvis *Niſan*, tunc appellatus ſit menſis *Abib*, oſtendit Uſſerius *Chronol. Sacra Part.* 1. *Cap.* 7.

(4) Ochozias Achabi filius cum regnaſſe dicatur annis duobus III. *Reg.* XXII. 52. eorum primo, cum Achabo patre ſuo Regnum adminiſtraſſe credendus eſt.

Anni Periodi Græco-Rom. * ☉	Anni Mundi	Anni ante Chriſtum		Anni Periodi Julianæ	Anni Sabbatiſmorum	Anni Quinquagenariorum
4043 15. 14. c.	2553	1451	Achan lapidatur *Joſue* VII. ℣. 25.	3163	ante I[us] Sabb. ann. 1.	ante I[us] Quinq. an. 7.
4732. 4. 19. c.	3142.	762.	Achaz filius Joathami naſcitur, annis 36. victurus; & ex his, 16. regnaturus. (5)	3952.	Sabb. 99.[i] ann. 2.	Quinq. 14.[a] an. 45.
5447. 18. 11. f.	3957.	48	Achillas ab Arſinoe interemptus. *Dio*, regnante in Judæa Hyrcano ab anno 16. Cleopatra in Ægypto ab anno 4. *Prideauxius*.	4666.	Sabb. 201.[i] ann. 3.	Quinq. 29.[a] an. 25.
4434. 14. 6. D.	2944	1060	Achimelech Sacerdos a Saule interficitur quod Davidi panem, & gladium tradidiſſet 1. *Reg.* XXII. ℣. 10.	3654	Sabb. 56.[i] ann. 5.	Quinq. 8.[a] an. 41.
			Achinoa ducitur a Davide in uxorem tribus annis poſt mortem Achimelech.			
5034 16. 7. a.	3534	470	Achior dux Ammonitarum cum Holoferne Bethuliam venit, & ad Deum convertitur gentilitate relicta. *Juditha* XIV. 6. (6)	4244	Sabb. 140[i] ann. 7.	Quinq. 20.[a] an. 43.
			Achis, Rex Geth concedit Davidi civitatem Siceleg I. *Reg.* XXVII. 6. eodem anno, quo David Abigail duxit. *Vide Abigail.*			
			Achitophel magnus conſiliarius Abſolomo peſſimum dedit conſilium II. *Reg.* XVI. 21. idque factum anno, quo rebellavit Abſalom.			
4514 14. 14. D.	3024	976	Adad Idumæus, qui fugerat in Ægyptum a facie David, ſuſcitatur a Domino contra Salomonem idololatria infectum. III. *Reg.* XI. 14.	3734	Sabb. 68.[i] ann. 1.	Quinq. 10.[a] an. 23.
2420. 16. 6. a.	930	3074	Adam omnium hominum protoparens, die ſexta mundi creatus, generat Sethum anno ætatis 130., quo Abel interfectus eſt a Caino. Vixit annis 930. & mortuus eſt.	1640	ante I[us] Sabb. a. 1624.	ante I[us] Quinq. a. 1630.
4479 3. 13. o.	2989	1015	Adonias filius Davidis affectat Regnum Patris; ſed Salomon eligitur qui anno ſequenti Adoniam interficit. III. *Reg.* I. 5. & *Capite* II. ℣. 25.	3699	Sabb. 63.[i] ann. 1.	Quinq. 9.[a] an. 37.
4060 4. 12. c.	2570	1434	Adonibeſec Rex mutilatur manuum, & pedum extremitatibus. *Judic.* 1. 6.	3280	Sabb. 3.[i] ann. 2.	Quinq. 1.[a] an. 10.
4784 28. 14. A.	3294	710	Adramelec, & Saraſar Sennacheribum patrem occidunt. IV. *Reg. Cap.* XIX. ℣. 37. (7)	4004	Sabb. 106.[i] ann. 4.	Quinq. 15.[a] an. 48.
4519. 15. 15. B.	3029	975.	Aduram Quæſtor ærarius Davidis ſub Roboam lapidibus obruitur. III. *Reg.* XII. 18. Agabus	3729	Sabb. 68.[i] ann. 6.	Quinq. 10.[a] an. 28.

(5) Ezechias Achazi filius dum Regni ſolium aſcendit annis 25. natus dicitur IV. *Regum Cap.* XVIII. 2. Achaz autem ejus Pater annos tantummodo 36. vixiſſe narratur, unde anno undecimo genuiſſe debuit filium ſuum Ezechiam, quod cum incredibile videatur, nodum reſolvimus aſſerendo Achazum annorum ferme viginti unius fuiſſe cum regnare cœpit, annos autem 17. & aliquot menſes regnaviſſe; Ezechiam autem dum Patri ſucceſſit in ſolio annum 25. habuiſſe inchoatum; his ergo ſuppoſitis annorum fere quatuordecim erat Achaz cum filium Ezechiam genuit.

(6) Quo contigerit mundi anno celebre Judithæ facinus in *Volum.* I. *Diſquiſit. Biblic. Nota ad pag.* 467. diſſeruimus; eamque Sententiam in Tabulis Chronologicis retinuimus ab Uſſerii opinione in hac controverſia recedentes. Difficultatibus tamen, & quidem maximis utramque premi ſententiam non diffitemur.

(7) Prideauxius Sennacheribi aſſaſſinium annis quatuor ſerius quam opinetur Uſſerius, factum eſſe arbitratur.

Anni Periodi Græco-Rom. * ☉	Anni Mundi	Anni ante Chriſtum		Anni Periodi Julianæ	Anni Sabbaticorum	Anni Quinquagenariorum
5534 22. 4. A.	4044	Æræ Chriſt. 41.	Agabus famem ingentem prædicit *Actorum Cap.* XI. ℣. 27. quæ incepit anno Claudii 4°. ut Uſſerius, & Capellus tuentur.	4754	Sabb. 213^{i}. ann. 6.	Quinq. 31^{a}. an. 14.
4423 5. 16. AB.	2933	1069	Agag Rex Amalec interficitur a Samuele 1. *Reg.* XV. ℣. 33.	3643	Sabb. 55^{i}. an. 1.	Quinq. 8^{a}. an. 30.
3583 3. 10. D.	2093	1911	Agar ancilla Saræ matrimonio com Abraham conjuncta ei peperit filium; cum quo poſt annos 19. ejicitur e domo Abrahæ. *Geneſ.* XVI. 3. & XXI. 14.	2803	ante I^{u} Sabb. 461.	ante I^{a} Quinq. an. 467
4974 22. 14. A.	3484	520	Aggæus Propheta ſua emittit vaticinia anno 2. Darii Regis. *Aggæi* cap. 1. ℣. 1. die autem prima menſis *Elul.* ſcilicet ad diem 21. Septembris Juliani.	4194	Sabb. 133^{i} an. 6.	Quinq. 119^{a}. an. 42.
5555 15. 6. C.	4065	Æræ Chriſt. 62.	Agrippa loquitur cum Apoſtolo Paulo, & ejus prædicationem miratur. *Act.* XXVI. Ahialon. vide *Elon.*	4775	Sabb. 216^{i}. an. 6.	Quinq. 31^{a}. an. 35.
4515 11. 11. A.	3025	979	Ahias Silonites Propheta diviſionem Regni Salomoni comminatur poſt ejus mortem futuram. III. *Reg.* XI. 11.	3735	Sabb. 68^{i}. an. 2.	Quinq. 10^{a}. an. 24.
5302 16. 11. B.	3842	162	Alcimus Sacerdotium invadit opera Demetrii Regis I. *Macbab.* VII. 9. quod jam obtinuerat fub Antiocho Eupatore, ſed ab Judæis receptus non fuerat, quod ritibus gentium ſe inquinaviſſet. II. *Macb.* XIV.	4552	Sabb. 184^{i}. an. 7.	Quinq. 27^{a}. an. 8.
5159 11. 9. A.	3669	335	Alexander Magnus completis ætatis annis 20. defuncto Philippo patre ſuo, in ejus locum dux, & Imperator ſuffectus, duodecim annis deinde, & menſibus octo regnavit, poſtea mortuus eſt die 28. menſis Dæſii, nempe Maii 22. ſub veſperam, diviſo prius inter ſuos pueros Regno. I. *Macb. Cap.* I. ℣. 7.	4379	Sabb. 160^{i}. an. 2.	Quinq. 23^{a}. an. 31.
5341 25. 1. DE.	3851	153	Alexander Balas amicitiam cum Jonathane Judæorum Pontifice perſtrinxit anno 160. Regni Græcorum. I. *Machab.* X. ℣. 19.	4561	Sabb. 186^{i}. an. 2.	Quinq. 27^{a}. an. 17.
5367 22. 7. A.	3877	128	Alexander Jannæus Joannis Hyrcani filius naſcitur, annis 49. victurus; annis natus 22. Rex a Salome, ſeu Alexandra conſtituitur. *Joſeph* lib. 13. *Antiq. Cap.* 20.	4586	Sabb. 189^{i}. an. 7.	Quinq. 27^{a}. an. 43.
			Alexander Zebina ſocietatem iniit cum Joanne Hyrcano annis circiter duobus poſt natum Alexandrum Jannæum. *Joſeph eodem Lib. Cap.* 17.			
5437 9. 2. CD.	3947	57	Alexander Ariſtobuli filius Judæam incurſionibus vexabat; adverſus quem Gabinius Syriæ Præſes expeditionem ſuſcepit. *Joſeph Lib.* 14. *Antiq. Cap.* 10.	4657	Sabb. 199^{i}. an. 7.	Quinq. 29^{a}. an. 15.
5416 16 19. a.	3926	78	Alexandra uxor Alexandri Jannæi poſt Mariti obitum Regina conſtituitur, & filium Hyrcanum Pontificem declaravit, anniſque novem Regnum adminiſtravit. *Joſeph. Lib.* 26. *Antiq. Cap.* 8.	4636	Sabb. 196^{i}. an. 7.	Quinq. 28^{a}. an. 43.

Aman

Anni Periodi Græco-Rom. * ⊙	Anni Mundi	Anni ante Chriſtian. Epocham		Anni Periodi Julianæ	Anni Sabbatiſmorum	Anni Quinquagenariorum
4984 4. 5. C.	3494	510	Aman Agagæus ira adeo in Judæos efferbuit, ut de omnibus interimendis conſilium inierit, conjectaque ſorte ad eorum internicionem in menſe Niſan, hæc indicavit perdendos eſſe die 13. menſis *Adar*, hoc eſt circa diem 4. Martii Juliani. (8)	4024	Sabb. 135^{i}. an. 2.	Quinq. 20^{a}. an. 3.
4471 23. 5. G.	2981	1023	Amaſa filius Abigail ſororis David a Joabo per fraudem occiditur II. *Regum Cap.* 20. ℣. 10.	3691	Sabb. 61i. an. 7.	Quinq. 9. an. 29.
4655 11. 18. A.	3165	839	Amaſias filius Joas ſolium Regni Judæ aſcendit annis regnaturus 29. percuſſit Idumæos anno 12. Regni ſui. Duobus vero annis poſt a Joas Rege Iſrael debellatus eſt. *IV. Reg. XIV.* ℣. 12.	3875	Sabb. 88 an. 2.	Quinq. 13^{a}. an. 17.
3598 18. 6. F.	2108	1896	Ammon naſcitur ex Loth, & ejus minore filia, a quo Ammonitæ exorti ſunt, qui dio cum filiis Iſrael pugnaverunt. *Geneſ.* 19. ℣. 38.	2818	ante Iũ. Sabb. an. 446.	ante Iã. Quinq. an. 452.
			Amnon filius David occiſus ab Abſalomo. *Vide Abſalom.*			
4851 11. 5. A.	3361	643	Amon filius Manaſſis annis 22. natus patri defuncto, in Regno ſucceſſit, duobus autem annis regnavit, & a ſuis famulis occiſus eſt. IV. *Reg.* XXI. 19.	4071	Sabb. 116^{i}. ann. 2.	Quinq. 17.ª an. 17.
4565 5. 4. AB.	3075	929	Amri Princeps militiæ, Rex a populo conſtituitur, ſed diviſo populo pars altera ipſum Amri, altera vero Thebni ſequebatur, quatuor tandem annis poſtea, mortuo Thebni, ſolus regnavit. III. *Reg.* XVI.	3785	Sabb. 75^{i}. an. 3.	Quinq. 11^{a}. an. 25.
4898 2. 14. B.	3408	596	Ananias contra Jeremiæ vaticinia propherat, & idcirco poſt duos menſes, videlicet menſe *Thiſri* poſt diem 21. Octobris & ante 21. Novembris nimirum morti occumbit. *Jeremiæ.* XXVIII.	4118	Sabb. 122^{i} an. 7.	Quinq. 18.^{a} an. 15.
5526 14. 15. D.	4036	Æræ Chriſt. 33	Ananias & Saphira uxor ejus ad verbum S. Petri ſubita morte percutiuntur, quod agri pretium defraudaſſent. *Act.* V. 3. & 10.	4746	Sabb. 212^{i} ann. 5.	Quinq. 31^{a}. an. 6.
5527 15. 16. C.	4037	Æræ Chriſt. 34	Ananias Chriſti diſcipulus Saulum in via Damaſci ad Chriſtum converſum baptizat. *Act.* IX. ℣. 18.	4747	Sabb. 212^{i} ann. 6.	Quinq. 31^{a}. an. 7.
5551 11. 2. A.	4061	Æræ Chriſt. 58	Ananias Sacerdotum Princeps os Pauli Apoſtoli percuti jubet. *Act.* XXIII. 2.	4771	Sabb. 216^{i} ann. 2.	Quinq. 31.^{a} ann. 31.
			Ananias, Azarias, & Miſael in fornacem ignis Babylone miſſi ſunt. *Vide Abdenago.*			
5523 11. 12. A.	4033	Æræ Chriſt. 30	Andreas frater Petri ad Apoſtolatum cum aliis vocatur a Chriſto. *Matthæi* IV. 18. An-	4743	Sabb. 212^{i} ann. 2.	Quinq. 31^{a}. 3.

(8) Qui cum Prideauxio Eſtheris hiſtoriam ſub Arthaxerſe Longimano contigiſſe opinantur, Amanis Aggæi crudelitatem annis 57. recentiorem eſſe exiſtimant.

Anni Periodi Græco-Rom. * ⊙	Anni Mundi	Anni ante Chriſtian. Æram		Anni Periodi Julianæ	Anni Sabbatiſmorum	Anni Quinquagenariorum
5324 8. 3. E.	3834	170	Andronicus a Menelao exoratus contra datam fidem Oniam perfide interimit. II. *Macbab.* IV. 34.	4544	Sabb. 183 ann. 6.	Quinq. 26^{a}. an. 49.
4339 3. 6. D.	2849	1155	Anna uxor Elcanæ parit filium Samuelem 1. *Reg.* I. 20.	2559	Sabb. 43^{i} ann. 1.	Quinq. 6^{a}. an. 44.
5490 6. 17. G.	4000	4	Anna Prophetiſſa filia Phanuelis ſimul cum Simeone agnovit infantulum Jeſum præſentatum in Templo, & Deum laudavit. *Lucæ* 11. 38.	4710	Sabb. 207^{i} ann. 4.	Quinq. 30^{i} an. 19.
5526 14. 15. D.	4036	Æræ Chriſt. 33.	Annas Caiphæ Socer vinctum Jeſum mittit ad Caipham	4746	Sabb. 212^{i}. ann. 5.	Quinq. 31^{a}. ann. 6.
5534 22. 4. A.	4044	41	Antiochia Civitas prædicatione Apoſtolorum ad Chriſtum convertitur.	47)4	Sabb. 213^{i}. ann. 6.	Quinq. 31^{a}. an. 14.
5319 3. 17. D.	3819	175	Antiochus illuſtris regnare incæpit anno Regni Græcorum 137. poſt annos quinque Ægyptum occupavit, deinde eodem anno diripuit Templi Jeroſolymitani vaſa Sacra. Duobus ab hac invaſione tranſactis annis Civitatem ſuccendit igni: anno ſequenti omnes populos ad Græcorum ritum compulit, & Idolum in Templo collocavit, annisque tribus hæc abominatio perduravit; tandem Rex hic improbus annis undecim in Regno completis cum aliquot menſibus mortuus eſt. I. *Macb.* I. & VI. (9)	4539	Sabb. 181^{i}. ann. 5.	Quinq. 25^{a}. an. 44.
			Apocalipſis *Vide Joannes*			
5329 12. 7. G.	3839	166	Antiochus Eupator poſt mortem patris ſui Antiochi Epiphanis Regnum ſuſcipit. I. *Macb.* VI. ℣. 17.	4549	Sabb. 184^{i}. ann. 4.	Quinq. 27^{a}. ann. 5.
5326 10. 5. B.	3836	168	Apollonius Antiochi Epiphanis dux die Sabbathi plures Judæorum confodit. I. *Macb.* I. ℣. 31.	4546	Sabb. 184^{i}. ann. 1.	Quinq. 27^{a}. ann. 2.
4042 t4. 13. D.	2552	1452	Atad Rex Chananæorum cum Iſraelitis præliatur. *Numer.* XXI. I.	326a	ante I^{a} Sabb. ann. 2.	ante I^{a} Quinq ann. 8
3146 14. 10. D.	1656	2348	Arca Noe requievit, ceſſantibus, ac deficientibus diluvii aquis, in uno montium Armeniæ die 17. Menſis ſeptimi, ſcilicet die anni civilis 6. Maii. *Geneſ.* VIII. ℣. 3. & 4.	2366	ante I^{a} Sabb. an. 898.	ante I^{a} Quinq. an 904
4004 4. 13. C.	2514	1490	Arca fœderis Deo jubente fabricatur in deſerto. *Exodi* XXV. ℣. 10.	3224	ante I^{a} Sabb. an. 40.	ante I^{a} Quinq. an. 46.
5491 7. 18. F.	4001	3	Archelaus Herodis Regis filius patri in Regno ſucceſſit. *Matth.* 11. 22.	4711	Sabb. 207^{i}. ann. 5.	Quinq. 30^{a}. an. 20.

Ari-

(9) Aotiochus Epiphanes anno 137. Regui Græcorum definente Regnum iochoaſſe dicendus eſt, atque anno 149. ineunte e vita exceſſiſſe. Triplicem inſuper annorum Seleucidarum Epocham in Libris Machabæorum uſurpatam adinvenimus. Primam a Menſe Niſan, quæ ab Auctore Lib. I. uſurpatur; ſecundam a menſe Tiſri autumni ſobſequentis, qua uſus eſt Auctor Libri ſecundi; Tertiam tandem, quæ Chaldæorum eſt a Menſe Niſan Veris ſubſequentis exordium habuiſſe tradunt celeberrimi Scriptores, & hanc pariter ab eodem Auctore Libri ſecundi adhibitam fuiſſe, ſive potius a Rege Antiocho patet ex lib. II. *Machab.* Cap. 11. ℣. 33.

Digitized by Google

Anni Periodi Græco-Rom. * ⊙	Anni Mundi	Anni ante Æram Chriſt.		Anni Periodi Julianæ.	Anni Sabbatiſmorum.	Anni Quinquagenariorum.
5553 12. 3. G.	4063	Æræ Chriſt. 59	Ariſtarchus Pauli diſcipulus Epheſi perſecutionem patitur. *Act.* XIX. 29.	4772	Sabb. 216^{i}. an. 4.	Quinq. 31^{a}. an. 31.
			Arphaſad Rex Medorum, de quo in Libro Judith, victus eſt a Nabuchodonoſore juxta hypotheſim noſtram integro anno antequam Achior ad Deum converteretur. *Vide Achior.*			
5353 9. 13. D. C.	3863	141	Arſaces Rex Perſidis & Mediæ Demetrium Regem ſuperat, & in cuſtodiam detrudit. I. *Mach.* XIV. 2. Iſte Arſaces fuit Mitridates Pampatii filius.	4573	Sabb. 187 ann. 7.	Quinq. 27^{a}. an. 29.
4972 20. 12. D.	3482	522.	Artaxerſes, de quo in *Cap.* 4. *Lib.* I. *Eſdræ* ℣. 7. eſt idem cum *Oropaſte* apud Juſtinum *Smerde* apud Herodotum; *Sphendadate* apud Cteſiam. Hic regni uſurpator Epiſtolas accepit ut templi ædificationem impediret, quod & præſtitit. *Loco Eſdræ cit.* ℣. 23.	4192	Sabb. 133^{i} ann. 4.	Quinq. 19^{a}. an. 40.
4539. 7. 16. F.	3049	955.	Aſa filius Abiam, ei ſuccedit in Regno annis 41. regnaturus. III. *Reg.* XV. 10. Aſael. *Vide Joab.*	3759	Sabb. 71^{i}. ann. 5.	Quinq. 10^{a}. an. 48.
			Aſarhaddon Sennacheribbi filios, Patri confoſſo ſuccedit in regno. IV. *Reg.* XIX. ℣. 37. anniſque 39. regnavit. *Vide Adramelech.*			
3779 3. 16. D.	2289	1715	Aſenetha Putipharis filia nupſit Patriarchæ Joſepho, quæ peperit ei Ephraim, & Manaſſem. *Geneſ.* XLI. ℣. 45.	2999	ante I^{a} Sabb. a. 265.	ante I^{a} Quinq. a. 271.
5305 17. 8. A. G.	3815	189	Aſiæ populi ſubjugantur a Romanis I. *Machab.* VIII. ℣ 6. Duce L. Scipione, inde dicto *Aſiatico.*	4525	Sabb. 181^{i} ann. 1.	Quinq. 25^{a}. an. 30.
4980 27. 19. B.	3490	515.	Aſſuerus Eſtheris, ſanctam illam fœminam in uxorem ducit. *Eſtheris Cap.* II. ℣. 16. anno 7. Regni ſui, menſe 10., qui vocatur *Tebeth*, noſtroque Februario ex parte reſpondet. (10)	4199	Sabb. 134^{i}. ann. 5.	Quinq. 19^{a}. an. 48.
4784 28. 14. A.	3294	710	Aſſyriorum exercitus ſub Sennacheribo diſpergitur, & perimitur ab Angelo, IV. *Reg. Cap.* 19. ℣. 35.	4004	Sabb. 106^{i}. ann. 5.	Quinq. 15^{a}. an. 48.
4610 22. 11. A.	3120	884.	Athalia filia Achabi filii Amri interfecit regios filios, ſolium aſcendit, & ſex integros annos regnavit. IV. *Regum. Cap.* XI. ℣. 4.	3830	Sabb. 81^{i}. ann. 6.	Quinq. 12^{a}. an. 21.
5355 11. 15. A.	3865	139.	Athenobius anno Græcorum 174°. miſſus eſt ab Antiocho Sidete ad Simonem Judæorum Pontificem, ut cum eo tractatum haberet. I. *Mach.* XV. 28.	4575	Sabb. 188^{i}. ann. 2.	Quinq. 27^{a}. an. 31.
4019 21. 1. C. B.	2559	1445	Axa Calebi filia nuptui traditur Othonieli Cenezi, qui fuit frater Calebi, filio *Joſue.* XV. ℣. 17	3269	Sabb. 1^{i}. ann. 5.	ante I^{a} Quinq. ann. 1.

Aza-

(10) Qui ſub Artaxerſe Longimano Eſtheris hiſtoriam reponunt, ad annum Mundi 3546. & ante Æram Chriſtianam 458, eamdem rejiciunt. Ita Prideauxius & alii Chronologi.

Anni Periodi Græco Rom. * ☉	Anni Mundi	Anni ante Æram Christian.		Anni Periodi Julianæ	Anni Sabbatiſmorum	Anni Quinquagenariorum
4684 12. 9. G.	3194	810.	Azarias qui & Ozias dicitur II. *Paralip.* XXVI. ℣. 1. filius Amaſiæ ſolium Regni aſcendit, & annis 52. regnavit. IV. *Reg.* XV. ℣. 2. (11)	3904	Sabb. 92^{i}. ann. 3.	Quinq 13^{m}. an. 45.
4553 21. 11. C B.	3063	941.	Azarias filius Oded Propheta mittitur ad Regem Aſa. II. *Paralip. Cap.* XV. ℣. 2.	3773	Sabb. 78^{i}. ann. 5.	Quinq. 11^{m}. an. 13.
4249 25. 11. A. D.	2759	1245	BAalis Altare a Gedeone deſtruitur, ac lucus ſucciditur, jubente Domino. *Judic.* XVI. ℣. 27.	3469	Sabb. 30^{i}. ann. 2.	Quinq. 5^{m}. ann. 3.
4446 26. 18. C.	2956	1048	Baana, & Rechab Isboſethum Saulis filium perfide occidunt; ſed a Davide enecari, atque ſuſpendi jubentur. II. *Reg.* IV. 12.	3666	Sabb. 58^{i}. ann. 3.	Quinq. 9^{m}. ann. 4.
4541 9. 18. D.C.	3051	953	Baaſa filius Ahiæ Iſſacarita Nadabum Iſraelis Regem occidit, ejuſque Regnum occupavit, tota Jeroboami ſtirpe deperdita; ac per annos viginti quatuor regnavit. III. *Reg.* XV. 28. *& ſeqq.*	3761	Sabb. 129^{i}. ann. 1.	Quinq. 11^{m}. ann. 1.
4888 20. 4. D.	3398	606.	Babylonicæ captivitatis initium, quæ annis ſeptuaginta duratura erat, deſumendum eſt ab anno 4. Joakimi Regis Juda.	4108	Sabb. 121^{i}. ann. 4.	Quinq. 18^{m}. ann. 5.
			Bacchides Dux Demetrii Hieroſolymam mittitur, & Alcimum in Pontificatu confirmatum ſibi in ſocium aſciſcit. I. *Mach.* VII. 5. *Vide Alcimus.*			
4042 14. 13. D.	2552	1452	Balaam a Moabitarum Rege ut Dei populo maledicat accerſitur; ipſe autem, ita volente Deo, fauſta emittit vaticinia improbum conſilium proponit, ac tandem in bello Madianitico, & ipſe occiditur. *Numer. Cap.* XXII. *& ſequent.*	3262	ante I^{m} Sabb. ann. 2.	ante I^{m} Quinq. ann. 8.
			Balac Rex Moabitarum Balaamum accerſivit. *Vide Balaam.*			
4939 15 17. C.	3449	555.	Balthaſar Evilmerodaci filius, & Nabuchodonoſoris nepos, qui apud Scriptores *Nabonidus*, *Labynitus*, *Nabannidochus*, & *Belshaſar* dicitur, Regnum aſſumit; illudque 17. annis adminiſtrat. Convivium magnificentiſſimum cum vaſis ſacris ex Hieroſolymis aſportatis inſtruit; incognita manus in pariete ſcribit, & eadem convivii nocte interimitur. *Danielis* V. ℣. 30. moritur ergo, & Imperium Babylonicum extinguitur anno mundi 3566.	4159	Sabb. 128^{i}. ann. 6.	Quinq. 19^{m}. ann. 7.

(11) Libro IV. Regum Cap. XV. ℣. 1. dicitur Azarias anno vigeſimo ſeptimo Jeroboami Regis Iſrael, regni gubernium inchoaſſe. Veruntamen Amaſias Pater Azariæ annis 29. regnavit ex IV. Regum Cap. 14. ℣. 2. Jeroboam autem regnare cæpit anno Amaſiæ 15. ex eodem loco Regum ℣. 23. non ergo videtur Azarias suſcepiſſe Regni gubernium anno 27°. Jeroboami, ſed 14°. proindeque Mundi anno non 3194. ſed potius 3179.
Nodum hunc diverſimode reſolvunt Chronologi; alii etenim duplex Regni initium Jeroboamo conſtituunt, quorum unum eſt, cum viventa adhuc Joas patre ejus Proregis fungebatur officio, ſicque per annos undecim vel duodecim perſeveravit, donec patre defuncto ſolus Sceptrum tenuit. Alii vero interregnum in Judæ Regno per undecim, vel duodecim annos agnoſcunt, ſcilicet ab anno 15. Jeroboami uſque ad annum 27. tempus autem interregni Azariæ tribuitur, & inter annos ſui Dominii computatur. Alterutram amplectamur ſententiam Chronologicam temporis diſpoſitionem noſtram ſubſiſtere compertum eſt.

Anni Periodi Græco-Rom. * ⊙	Anni Mundi	Anni ante Chriſt. Æram.		Anni Periodi Julianæ	Anni Sabbatiſmorum	Anni Quinquagenariarum
5520 8. 9. E.	4030	Æræ Chriſt. 27.	Baptiſmum ab Joanne ſuſcepit Chriſtus Servator noſter in Jordane, cum eſſet quaſi annorum triginta, fitque illuſtris patefactio totius ſacroſanctæ Trinitatis. *Matthæi* III. 19. & 17.	4740	Sabb. 211^{i}. ann. 6.	Quinq. 30^{a}. an. 49.
5538 26. 8. C.	4048	Æræ Chriſt. 45.	Barjeſu Magus, & Pſeudo-propheta oculis orbatur a Deo per Apoſtolum Paulum, quod Proconſulem a fide conaretur avertere. *Act.* XIII. ℣. 11.	*4758	Sabb. 214^{i}. ann. 3.	Quinq. 31^{a}. an. 18.
5526 14 15. D.	4036	Æræ Chriſt. 33.	Barnabas, qui antea vocabatur Joſeph, genere Levita, Cyprius Patria, vendito agro tulit ad pedes Apoſtolorum pretium, & officium Apoſtolicum poſtea ſuſcepit cum Paulo. *Act.* IV. 37.	4746	Sabb. 212^{i}. ann. 5	Quinq. 31^{a}. ann. 6.
4888 19. 3. E.	3398	607	Baruch Jeremiæ Amanuenſis ſcribit in volumine Libri verba Domini per os Jeremiæ facta anno 4. Joakim Regis Juda, quod quidem volumen anno ſequenti Rex Joakimus combuſſit, menſis 9^{i}. *Casleu* die 28. circa diem videlicet 21^{a}. Februarii. *Jeremiæ* XXVI.	4107	Sabb. 121^{i}. ann. 4.	Quinq. 18^{a}. ann. 5.
4471 25. 5. G.	2981	1023	Berzellai Galaadites cibaria Regi David adminiſtrat, Regios honores renunciat, aliaque viri optimi digna exhibet ſpecimina. Lib. II. *Regum Cap.* XIX. ℣. 32. *& ſeqq.*	3691	Sabb. 62^{i}. ann. 7.	Quinq. 9^{a}. an. 29.
4932 8 10. E.	3442	562	Belis, & Draconis hiſtoriam, quæ Danielis XIV. enarratur ad initium Regni Evilmerodaci contigiſſe opinatur Vitrè.	4152	Sabb. 127^{i}. ann. 6.	Quinq. 19^{a}. an. 49.
4658 14 2. D.	3168	836	Benadad filius Hazael Regis Syriæ in Patris defuncti locum ſufficitur, & tribus præliis a Joas Rege Iſrael vincitur. IV. *Reg.* XIII. 25.	3878	Sabb. 88^{i}. ann. 5.	Quinq. 13^{a}. an. 20.
3764 15. 1. B.	2274	1730	Beniamin filius Jacob naſcitur ex Rachele in Bethele. *Geneſ.* XXXV. 17.	2984	ante Iũ Sabb. an.280.	ante Iã Quinq. an.286.
			Beniamitæ ob violatam Levitis uxorem a reliquis Tribubus Iſrael dire puniuntur. *Judic.* XX. 48. & XXI. I. Tempore anarchiæ in populo Iſraelis inter annum mundi videlicet 2585. & 2591. *Antonius Vitrè.*			
4459 11. 12. A.	2969	1035	Bethsabea uxor Uriæ cognoſcitur a Davide, concipit filium, & ab eodem, interempto mulieris marito, ducitur in uxorem. *Lib. Reg.* II. *Cap.* II.	3679	Sabb. 60^{i}. ann. 2.	Quinq. 9^{a}. ann.17.
			Bethſamitæ puniuntur quod Arcam Dei conſpexerint, dum in domum Aminadab transferebatur. *Vide Abinadab.*			
			CAin naſcitur anno mundi primo. *Geneſ. Cap.* IV. 1. *Vide Mundus.*			
1815 27 9. B.	325	3679	Cainam natus eſt quartus ab Adam, annis victurus 910. *Cap.* V. *Geneſ.* ℣℣. 9. & 14. Ca-	1035	ante Iũ Sabb. a.2229.	ante Iã Quinq. a.2235.

Digitized by Google

Anni Periodi Græco-Rom, * ⊙	Anni Mundi	Anni ante Æram Chriſtian.		Anni Periodi Julianæ	Anni Sabbatiſmorum	Anni Quinquagenariorum
3964 20. 11. D.	2474	1530	Caleb filius Jephone natus eſt in Ægypto annis 39.; antequam populus ſub Duce Moſe inde egrederetur; hic ad explorandam terram miſſus eſt, fuitque fidelis. *Numer.* XIII. 28.	3184	ante Iū Sabb. an. 80.	ante Iī Quinq. an. 85
4513 11. 19. A.	3023	981	Camos idolo Moabitarum Salomon templum ædificat, cum jam ætate provectus eſſet III. *Reg.* XI. circa annum ætatis 53. *Antonius Vitrè.*	3733	Sabb. 67^{i}. ann 7.	Quinq. 10^{a}. an. 22.
5489 5. 16. B. A.	4000	5.	Chriſtus Servator verus Dei filius, & verus homo poſt novem a ſua conceptione Spiritus Sancti opera in utero Virginis Mariæ facta naſcitur in Bethelem Judæ eo ipſo anno, quo edictum a Cæſare Auguſto prodiit, ut deſcriberetur totus Romanus orbis; quæ quidem deſcriptio prima facta eſt Præſidente Syriæ Cyrino. *Lucæ. Cap.* II. ℣. 1. (12)	4709	Sabb. 207^{i}. ann. 3.	Quinq. 30^{a}. an. 18.
5545 5. 15. B. A.	4055	Æræ Chriſt. 52.	Concilium Apoſtolorum Hieroſolymis habitum eſt, quo abrogata ſunt legalia. *Act.* XV. 6.	4765	Sabb. 215^{i}. an. 3.	Quinq. 31^{a}. an. 25.
5534 22. 4. A.	4044	Æræ Chriſt. 41.	Cornelius Centurio ab Angelo monitus baptiſmum a Petro Apoſtolo ſuſcipit. *Act.* X. 9.	4754	Sabb. 213^{i}. an. 6.	Quinq. 31^{a}. an. 14.
4894 26. 10. C.	3404	600.	Cyaxares II. Aſtyagi, qui Aſſuerus dicitur *Danielis* IX. ℣. 1. naſcitur, iſte fuit Darius ille Medus, qui Balthaſarem occidit. *Vide Balthaſar.*	4114	Sabb. 122^{i}. an. 3.	Quinq. 18^{a}. an. 11.
4895 11. 13. A.	3405	559.	Cyrus Perſa naſcitur. Anno ætatis 63. Orientis Monarchia potitus Judæis in univerſo Regno ſuo verſantibus poteſtatem fecit in patriam revertendi, completis annis captivitatis ſeptuaginta. Ab eodem iſto anno, qui eſt mundi 3458. primum hujus Monarchæ annum deducit Sacra Scriptura. I. *Eſdræ Cap.* I. ℣. 1.	4115	Sabb. 122^{i}. an. 4.	Quinq. 18^{a}. an. 12.
4746 26. 3. C.	2256	1748	DAN filius Jacobi Patriarchæ naſcitur ex Bala Rachelis ancilla. *Geneſ.* XXX. ℣. 5. & 6.	2966	ante Iū Sabb. a. 298.	ante Iā Quinq. a. 304.
			Daniræ dum anarchias in populo Iſraelis habebatur, Civitatem Lais occuparunt, ſuaſque in ea ſedes collocarunt. *Judic.* XIX. 28. *Vide Beniamitæ.*			
			Daniel Propheta ex ſemine Regio natus in captivitatem puerulus a Nabuchodonoſore adducitur ſub anno Joakimi Regis 4. *Vide Babylonicæ captivitatis.*			
4957 5. 16. B. A.	3467	537.	Poſt LXX. hebdommades Chriſtum venturum prædicit; de quibus videatur *Conciliatorium Biblicum Pag.* 170. *primæ partis hujus Voluminis.* Darius	4177	Sabb. 131^{i}. an. 3.	Quinq. 19^{a}. an. 25.

(12) Quam variæ ſint Chronologorum ſententiæ circa annum, quo verom Jeſu Chriſti natale ſecundum carnem contigit omnibus notum eſt. Eam nos amplectimur quam præclariſſimi Scriptores tenuerunt, quæque annum omnibus inſignitum characteribus, qui ex divinis literis vero anno Natali Chriſti convenire deprehenduntur deſignat. Videantur Pagius, Uſſerius, Antonius Vitrè, aliique Chronologi, & Critici, a quibus etiam argumenta in oppoſitum convelluntur, præſertim ab Hyacinto de Graveſon *Diſſert.* 6 *de Myſteriis, & annis Chriſti.*

Anni Periodi Græco Rom. * ⊙	Anni Mundi	Anni ante Æram Chriſtian.		Anni Periodi Julianæ	Anni Sabbatiſmorum	Anni Quinquagenariarum
4915 21. 4. C. B.	3455	549.	Darius Hiſtaſpis filius naſcitur. Poſt annos 28. interemptis Magis, Regnum Perſarum conſequitur; anno autem ſecundo Regni ejus ſua vaticinia ediderunt Aggæus, & Zacharias. Ab hoc repudiatam Atoſſam Cyri filiam, & *Vaſti* in Libro Eſtheris nuncupatam, atque Eſtherem ipſam ſibi deſponſaſſe arbitramur cum Uſſerio.	4165	Sabb. 129^{i}. an. 5.	Quinq. 19^{m}. an. 13.
5071 7. 16. F.	3581	423.	Darius Nothus, qui antea *Ochus* dicebatur Regnum Perſarum obtinet, ipſumque annis 19. rexit. Iſto imperante Dario Templum Samariticum ædificatum eſt, quemadmodum diximus in *Nota* (18) *Pagin.* 454. I. *Volum. Diſquiſit.*	4291	Sabba. 147^{i}. an. 7.	Quinq. 21^{m}. an. 41.
5158 10. 8. B.	3668	336	Darius Codomanus, de quo I. *Mach. Cap.* 1. ℣. 1. Imperium Perſarum occupat. Anno 4° ſui Imperii ab Alexandro Macedone ingentem in ſuo Exercitu cladem perpeſſus eſt, cum decem equitum millia; peditum autem ad 90. millia cecidiſſe referat Arrianus. Ex parte autem Alexandri quatuor, & quingenti ſaucii fuere; triginta, & duo ex peditibus deſiderati ſunt; ex equitibus 150. interfecti. Pugnam hanc in Menſe Maemacterione, qui initium habuit circa finem Octobris noſtri, juxta ea, quæ ſuperius *Num.* XVI. hujus Libelli ex Uſſerio tradidimus, fuiſſe commiſſam ſcribit Diodorus Siculus. Duobus ab iſta pugna decurſis annis Darius a Beſſo Bactrianorum Satrapa, aliiſque comitibus telis confoditur, vitamque finit. *Curtius Lib.* 5. *Cap.* 25.	4378	Sabb. 160^{i}. an. 1.	Quinq. 23^{m}. an. 30.
4309 17. 19. A. G.	2919	1085	David filius Iſai vel Jeſſe naſcitur in Bethlehem Judæ. Anno ætatis ſuæ 22°. ungitur a Samuele in Regem Iſrael. Anno 30. Sauli in Regno ſuccedit; anniſque regnavit quadraginta, & mortuus eſt. III. *Regum Cap.* 2. ℣. 11.	3629	Sabb. 53^{i}. an. 2.	Quinq. 8^{m}. an. 16.
3764 16. 1. B.	2274	1730	Dina Jacobi filia anni circiter quindecim nata cum egrederetur ad videndas mulieres regionis rapitur a Sichem, & violatur, qua de re a filiis Jacob occiſi ſunt Sichimitæ, eorumque Civitas devaſtata. *Geneſ.* XXXIV. ℣. 26.	2984	ante I^{u} Sabb. a. 280.	ante Iā Quinq. a. 286.
5513 13. 4. F. E.	4063	Æræ Chriſt. 60	Druſilla Herodis Agrippæ filia, uxor poſtea Felicis Præſidis Paulum evangelicam doctrinam prædicantem audivit. *Act.* XXIV. 24. Hæc Druſilla diverſa eſt ab altera Druſilla, quam pariter Felix uxorem habuit.	4773	Sabb. 216^{i}. an. 4.	Quinq. 31^{m}. an. 33.
3658 22. 9. A.	2168	1836	EDom, qui & Eſau ſimul cum Jacob naſcitur ex Iſaac, & Rebecca, annum ætatis agente ſexageſimum Iſaaco cum in lucem editus eſt. *Geneſ.* XXV. 26.	2878	ante I^{u} Sabb. a. 386.	ante Iā Quinq. a. 392.

Ela

Anni Periodi Græco Rom. * ☉	Anni Mundi	Anni ante Æram Chriſt.		Anni Periodi Julianæ.	Anni Sabbaticorum.	Anni Quinquagenariorum.
4564 4. 3. C.	3074	930	Ela filius Baaſæ Regis Iſrael defunto Patre Regnum ſuſcepit, anniſque duobus regnavit. III. *Reg.* XVI.	3784	Sabb. 75^{i}. an. 2.	Quinq. 11^{a}. an. 24.
			Eleazarus Aaronis filius in Pontificatu Patri ſucceſſit eo anno quo mortuus eſt Aaron. Vide *Aaron*.			
4049 21. 1. C. B.	2559	1445	Eleazarus ſimul cum Joſue terram promiſſionis dividit inter Tribus Iſrael. *Joſue.* XIV. 1. poſt undecim circiter annos moritur.	3269	Sabb. 1^{i}. an. 5.	ante 1^{a} Quinq. an 1.
3206 2. 18. E.	3716	288	Eleazaros Oniæ I. filius, & Simonis juſti frater. ei ſuccedit in Pontificatu. Sub iſto Pontifice verſio Græca Sacrorum Bibliorum facta creditur a LXXII. Interpretibus; de qua vide *Notam* (23) *ad paginam* 165 *primi Volum. Diſquiſit. Biblic.*	4426	Sahb. 166^{i}. an. 7.	Quinq. 24^{a}. an. 29.
5239 9. 13. F.	3749	255	Eleazarus, qui poſtea Judæorum Sacerdos, alius ab Eleazaro Oniæ I. filio, naſcitur. Poſt annos 90. ſub Antiocho Epiphane ſimol cum ſeptem Machabæis illuſtre Martyrium pro religione ſubiit. II. *Mach. 6.*	4459	Sabb. 171^{i}. an. 5.	Quinq. 25^{a}. an. 13.
5331 17. 12. A. G.	3841	161	Eleazarus cognomento Avaran Judæ Machabæi frater Elephantem thorace regio loricatum occidit, & ſub eodem occubuit. I. *Mach* VI. 42. duobus annis poſt Eleazari, & Machabæorum Martyrium.	4551	Sabb. 184^{i}. an. 6.	Quinq. 27^{a}. an. 7.
4279 9. 13. D. C.	2790	1205	Eli Sacerdos naſcitur; annis 98. vixit, & & mortuus eſt anno Mundi 2888. I. *Reg.* IV. 15.	3499	Sabb. 34^{i}. an. 5.	Quinq. 5^{a}. an. 34.
4884 16. 19. B.	3394	610	Eliacim Joſiæ filius, mutato ejus nomine in *Joakim* a Pharaone Nechao Ægypti Rege conſtituitur Rex in Jeruſalem, & undecim annis regnavit. IV. *Regum* XXIII. 34.	4104	Sabb. 120^{i}. an. 7.	Quinq. 18^{a}. an. 1.
4598 10. 18. B.	3108	896	Elias Propheta zelo veræ Religionis, & caſtimonia inſignis poſt innumera patrata miracula igneo curru alio translatus a Deo eſt. IV. *Reg.* XI.	3818	Sabb. 81^{i}. an. 4.	Quinq. 12^{a}. an. 9.
5488 4. 15. C.	3999	6	Eliſabeth Zachariæ uxor concepit Joannem Baptiſtam Domini præcurſorem. *Lucæ* I. 24.	4708	Sahb. 207^{i}. an. 3.	Quinq. 30^{a}. an. 18.
4587 27. 7. B.	3097	907	Eliſæus filius Saphat ungitur Propheta ab Elia annis circiter ſex antequam Benadad Rex Syriæ expeditionem contra Regem Achab committeret. III. *Reg.* XIX. 19. & tandem anno mundi 3165. S. Propheta vitam finivit.	3807	Sabb. 78^{i}. an. 4.	Quinq. 11^{a}. an. 47.
4319 11. 5. A.	2830	1175	Elon Zabulonita conſtituitur Judex Iſraelis, ac per annos decem populum texit. *Judic.* XII. ℣. 11.	2539	Sabb. 40^{i}. an. 3.	Quinq. 6^{a}. an. 25.

Anni Periodi Græco-Rom. * ☉	Anni Mundi	Anni ante Æram Chriſt.		Anni Periodi Julianæ	Anni Sabbaticorum	Anni Quinquagenariorum
2112 16. 2. B.	622	3382	Enoch natus eſt anno 162°. Jared Patris ſui, cumque in mundo 365. annis permanſiſſet alio a Deo translatus fuit.	1332	ante 1^{u} Sabb. a. 1932	ante 1^{a} Quinq. a. 1938
1725 27. 9. B.	235	3679	Enos filius Seth naſcitur annum agente 105. patre ſuo, vixit autem Enos annos 905. *Geneſ.* V. 11.	1035	ante 1^{u} Sabb. a. 2319	ante 1^{a} Quinq. a. 2325
5557 17. 8. A. G.	4068	Æræ. Chriſt. 64	Epaphroditus a Philippenſibus Romam miſſus, inde ad eoſdem Pauli Epiſtolam transfert. *Philipp.* II. 25.	4777	Sabb. 217^{i}. an. 2.	Quinq. 31^{a}. an. 38.
			Eſarhaddon idem eſt ac *Aſſarbaddon*, de quo ſuperius.			
			Eſau, filius Iſaac, idem cum *Edom*.			
5027 19. 10. a.	3537	467	Eſdras anno ſeptimo Artaxerſis Longimani die 1. Menſis primi, nempe circa diem 22. Aprilis cum magna Judæorum multitudine e Babylonia Judæam verſus proficiſcitur. *Lib.* 1. *Eſdræ Cap.* 7. ℣. 7.	4247	Sabb. 141^{i}. an. 3.	Quinq. 20^{a}. an. 46.
			Eſther. *Vide Aſſuerus*.			
4932 8. 10. a.	3442	562	Evilmerodach Nabuchodonoſoris filius Patri in Regno ſuccedit circa diem 25. Aprilis, biduo poſt Jechoniam, ſeu Joachin e carcere educit, magniſque honoribus afficit. IV. *Reg. Cap.* XXV. 27.	4152	Sabb. 127^{i}. an. 6.	Quinq. 19^{a}. an. 49.
5553 13 4. F. E.	4063	Æræ. Chriſt. 60	Euthycus adoleſcens e Cœnaculo precipitatus, & mortuus vitæ a Paulo reſtituitur. *Act.* XX. ℣. 9.	4773	Sabb. 216^{i}. an. 4.	Quinq. 31^{a}. an. 33.
4742 14. 10. D.	3252	752	Ezechias Achazi filius naſcitur. Ultimo anno Regni Achazi aſciſcitur in Imperii conſortium; unde IV. *Regum Cap.* XVII. 1. & 2. regnaſſe dicitur ab anno 3. Oſeæ Regis Iſrael annis 29. in Jeruſalem. Anno 14. Regni Ezechiæ factum eſt ſolemne prodigium de ſolis retrogradatione, ſcilicet anno Mundi 3291. IV. *Reg.* XX. ℣ 6.	3962	Sabb. 120^{i}. an. 5.	Quinq. 15^{a}. an. 6.
4899 3. 1. D.	3409	595	Ezechiel poſt 30. annos a reſtitutione divini cultus, Joſiæ Regis anno 18. facta; anno 5. transmigrationis Regis Joachin, die 5. Menſis quarti, quæ juxta Uſſerium reſpondet diei 24. Julii prophetare cœpit, anniſque hoc in munere 22. perſeveravit, juxta Antonium Vitrè, vel ſaltem 20. juxta ea, quæ tradidimus in *Nota* (41) ad Paginam 518. *I. Voluminis Diſquiſitionum*.	4119	Sabb. 123^{i}. an. 1.	Quinq. 18^{a}. an. 16.
			FElix Judææ Præſes Paulum ab Judæis accuſatum ſuſcepit, & judicium diſtulit; ac tandem ipſum audit ſimul cum Druſilla uxore ſua. Vide *Druſilla*.			
5556 19. 10. a.	4066	Æræ Chriſt. 63	Feſtus duobus annis poſtea Felici ſucceſſit in Judææ gubernio, qui Paulum ſimul cum Agrippa Rege audivit, ac tandem eum ad Cæſarem miſit. *Act.* XXVII. 1.	4776	Sabb. 216^{i}. an. 7.	Quinq. 31^{a}. an. 36.

Anni Periodi Græco-Rom. * ⊙	Anni Mundi	Anni ante Chriſt. Æram		Anni Periodi Julianæ	Anni Sabbatiſmorum	Anni Quinquagenariarum
4261 9. 4. D. C.	2771	1233	GAal filius Obed conjurationem contra Abimelechum excitavit. *Judic.* IX. ℣. 26.	3481	Sabb. 31^{i}. an. 7.	Quinq. 5^{a}. an. 15.
4043 15. 14. C.	2553	1451	Gabaonitæ aſtu quodam ſibi provident coram Joſue, ſed ad ſervilia officia pro domo Dei obeunda deputantur *Joſue* IX. ℣. 9. & 23.	3263	ante I^{u} Sahb. an. 1.	ante I^{a} Quinq. an. 7.
4789 5. 19. B. A.	3299	705	Gabelus pecuniam ſolvit Tobiæ, atque ſuadente Raphaele Archangelo ad nuptias Tobiæ junioris acceſſit. *Tobiæ* IX. ℣. 6.	4009	Sabb. 107^{i}. an. 3.	Quinq. 16^{a}. an. 4.
5388 4. 15. C.	3998	6	Gabriel Archangelus mittitur ad Zachariam Eliſabethæ Maritum, atque ex eis Joannem Præcurſorem Domini naſciturum enunciat. *Lucæ* I. ℣. 11. ſex autem circiter menſibus poſtea fit Annunciatio B. V. Mariæ.	4708	Sabb. 207^{i}. an. 2.	Quinq. 30^{a}. an. 17.
3747 27. 3. B.	2257	1747	Gad filius Jacob ex Zelpha naſcitur. *Geneſ.* X. ℣. 10.	2967	ante I^{u} Sabb. a. 297.	ante I^{a} Quinq. a. 303.
4434 14. 6. D.	2944	1060	Gad Propheta monet Davidem, ut ex Maſpha Moabitarum revertatur in terram Juda I. *Reg.* XXII. 5. poſt annos 43. mundi 2987. idem Propheta Davidi optionem belli, vel famis, vel peſtis proponit.	3654	Sabb. 56^{i}. an. 5.	Quinq. 8^{a}. an. 41.
5526 14. 15. D.	4036	Æræ Chriſt. 33	Gamaliel S. Pauli magiſter, ut nonnullis videtur, loquitur pro Apoſtolis in Phariſæorum Concilio. *Actorum.* V. 34.	4746	Sabb. 212^{i}. an. 5.	Quinq. 31^{i}. an. 6.
			Gedeon Judex, & liberator Iſraelis conſtituitur, atque Altare Baal evertere jubetur. Vide *Baal.* Præfuit Iſraeli annis 40. *Vide Notam ad pag.* 436. 1. *Volum.*			
4004 4. 13. C.	2514	1490	Gerſonitis ex Tribu Levi officium excubiarum in Tabernaculo præſcribitur. *Numer.* III. ℣. 25.	3224	ante I^{u} Sabb. an. 40.	ante I^{a} Quinq. an. 46.
4604 12. 1. G.	3114	894	Giezi Eliſæi diſcipulus ob receptam pecuniam lepra percutitur. IV. *Reg.* V. 27.	3824	Sabb. 80^{i}. an. 7.	Quinq. 12^{a}. an. 15.
4906 10. 3. B.	3417	588	Godolias filius Ahicam conſtituitur præfectus reliquiis Judæorum, qui a Nabuchodonoſore in ſervitutem tranſlati non fuere; ſed in ſeptimo menſe, ſcilicet poſt diem 23. octobris ab Iſmaele filio Nathaniæ occiditur. IV. *Reg.* XXV. 25.	4126	Sabb. 124^{i}. an. 2.	Quinq. 18^{a}. an. 24.
4885 17. 1. A. G.	3395	609	HAbacuc Propheta ſub principio Regni Joakimi propheticum munus obiviſſe creditur ab Uſſerio, Antonio Vitrè, & Prideauxio.	4105	Sabb. 121^{i}. an. 1.	Quinq. 18^{a}. an. 2.
			Hazaelis Regis Syriæ Copiæ Judam, & Jeruſalem invaduot, maximumque eis damnom inferunt anno I. Regis Amaſiæ. Vide *Amaſias.*			

Ha-

Anni Periodi Græco-Rom. ⊙	Anni Mundi	Anni ante Æram Chriſtian.		Anni Periodi Julianæ	Anni Sabbatiſmorum	Anni Quinquagenariorum
4610 21. 11. A.	3120	884	Hazael Benadadum Syriæ Regem in lecto ægrotantem ſuffocavit, regnavitque pro eo. IV. *Reg.* VIII. Hazael autem annis circiter 44. regnavit, eique poſtea ſucceſſit filius ſuus Benadad IV. *Reg.* XIII. 24.	3830	Sabb. 81^{l}. an. 6.	Quinq. 12^{a}. an. 21.
3213 25. 1. B. D.	1723	2281	Heber filius Sala natus eſt cum ejus Pater annos ageret 30. annis quatuor Abrahamo ſupervixit, ac tandem cum annos 464. vixiſſet mortuus eſt.	2433	ante 1ũ Sabb. a. 831.	ante 1ã Quinq a. 837
5317 1. 15. G. F.	3828	177	Heliodorus Seleuci Regis miniſter flagellis ab Angelis ceditur, & Oniæ III. Judæorum Pontificis orationibus liberatur. II. *Machab.* III. ℣. 25.	4537	Sabb. 182^{l}. ao. 7.	Quinq 26^{a}. an. 43
			Herodes occidit infantes in Bethlem, & finibus ejus anno, quo natus eſt Chriſtus ſed incæpto anno Mundi 4001. *Vide Chriſtus.*			
5537 25. 7. E. D.	4047	Æræ Chriſt. 44.	Herodes Agrippa Jacobum fratrem Joannis gladio percuſſit. *Act.* XII. ℣. 2. eodem anno percuſſus ab Angelo, a vermibus eroſus obiit.	4757	Sabb. 214^{l}. an. 2.	Quinq 31^{a}. an. 17.
5532 20. 2. D.	4042	Æræ Chriſt. 37.	Herodes Antipas Philippi fratris ſui uxorem ſibi rapuit; Joannem decollari juſſit in carcere, & tandem Chriſto Redemptori illuſit. Sed poſt annos octo ab obtruncato Joanne, ſea vero annis ab lluſo Chriſto in perpetuum exilium cum ſua Herodiade compellitur.	4752	Sabb. 213^{l}. an. 4.	Quinq 31^{a}. an. 12.
			Hierombalus. *Vide pag.* 22. I. *Voluminis Diſquiſit.*			
			Holophernes Bethuliam obſidione circumdat, & ab Juditha obtruncatur. *Vide Achior.*			
4209 13. 9. F. E.	2719	1285	JAbin Rex Chanaan oppreſſit Iſraelitas, qui a Barako duce profligatus eſt. *Judic.* IV. 15.	3429	Sabb. 24^{l}. an. 4.	Quinq. 4^{a}. an. 12.
3658 22. 9. A.	2168	1836	Jacobus filius Iſaac naſcitur ſimul cum Eſau ætatis annum 60. agente eorum patre. Annis natus 77. benedictionem paternam ſurripuit ex Matris conſilio, inde ad Labanum in Meſopotamiam proficiſcitur; ibidem annis 20. commoratur; in Chananitidem revertitur; poſt annos 33. in Ægyptum deſcendit cum tota familia; ibidemque annos vixit 17. unde ætatis ſuæ 147. anno mortuus eſt nempe mundi 2315.	2878	ante 1ũ Sabb. a. 386.	ante 1ã Quinq. a. 392.
5556 16. 7. B.	4066	Æræ Chriſt. 63	Jacobus minor filius Alphæi Hieroſolymorum Epiſcopus, & Auctor Epiſtolæ Catholicæ, ab Anano Pontifice Judæorum accuſatus, & morti damnatus fuit	4776	Sabb. 216. an. 7.	Quinq. 31^{a}. an. 36.
5524 12. 13. C.	4034	Æræ Chriſt. 31.	Jacobus, & Joannes a Chriſto vocantur ad Apoſtolatum: tredecim annis poſt, Jacobus occiditur ab Agrippa	4744	Sabb. 212^{l}. an. 3.	Quinq. 31^{a}. an. 4.

Jair

Anni Periodi Græco-Rom. * ⊙	Anni Mundi	Anni ante Æram Chriſtian.		Anni Periodi Julianæ	Anni Sabbaticorum	Anni Quinquagenariorum
4284 4. 8. C.	2795	1210	Jair Galaadites ſactus eſt Iſraelis Judex, atque annis 22. populum rexit *Judic.* X. ℣. 3.	3504	Sabb. 35^{i}. an. 3.	Quinq. 5^{a}. an. 39.
5333 17. 12. A. G.	3844	161	Jambri filii die nuptiarum occiduntur a fratribus Judæ Macchabæi quod Joannem cum ſociis enecaviſſent. I. *Mach.* IX. 28.	4553	Sabb. 185^{i}. an. 2.	Quinq. 27^{a}. an. 10.
3046 26. 5. C.	1556	2448	Japhet filius Noe naſcitur annis 100. ante generale diluvium. *Geneſ.* V. 32.	2266	ante I^{a} Sabb. a. 998.	ante I^{a} Quinq. a. 1004
1950 22. 11. A.	460	3544	Jared filius Malaleel natus eſt cum ejus Pater annum ætatis 65. agebat. Vixitque Jared annis 962. *Geneſ.* V. 20.	1170	ante I^{a} Sabb. a. 2094	ante I^{a} Quinq. a. 2100
5319 3. 17. D.	3829	175	Jaſon Simonis II. Pontificis filius oblata pecunia Antiocho Epiphani Sacerdotium Summum invadit, in quo per triennium perſeverat, deinde expellitur. II. *Mach.* IV. 10. 26.	4539	Sabb. 181^{i}. an. 5.	Quinq. 26^{a}. an. 34.
5365 21. 6. C. B.	3875	129	Iduræi ab Joanne Hyrcano victi circumciſionem recipiunt, & inter Judæos cooptantur. *Jaſepus Lib.* 13. *Antiquit. Cap.* 17.	4585	Sabb. 189^{i}. an. 5.	Quinq. 27^{a}. an. 41.
4877 9. 12. D. C.	3387	617	Jechonias Joakimi filius naſcitur. Anno 18. ætatis ſuæ regnare cæpit; tribus menſibus regnavit, in Captivitatem deinde perducitur, ac Sedocias in ejus locum ſufficitur.	4097	Sabb. 119^{i}. an. 7.	Quinq. 17^{a}. an. 43.
4610 22. 11. A.	3120	884	Jehu filius Joſaphat ungitur in Regem ſuper Iſrael; totam Acabi Regis familiam extinxit; poſtquam autem annis regnavit 28. mortuus eſt. IV. *Reg.* X. ℣. 36.	3830	Sabb. 81^{i}. an. 6.	Quinq. 12^{a}. an. 21.
4306 26. 11. C.	2817	1188	Jephte Galaadites Dux Iſrael eligitur; votum mirandum emiſit, ſuoſque inimicos profligavit, anniſque ſex populum rexit. *Judicum* XI. & XII.	3526	Sabb. 38^{i}. an. 4.	Quinq. 6^{a}. an. 12.
4865 25. 4. B. D.	3375	629	Jeremias ad prophetandi munus vocatur anno 13. Joſiæ Regis Juda: plurima perpeſſus, tandem vitam finivit. Videatur *Nota* (39) *pag.* 516. I. *Volum. Diſquiſ.*	4085	Sabb. 118^{i}. an. 2.	Quinq. 17^{a}. an. 41.
4519 15. 15. C.	3029	975	Jeroboam filius Nabath ex Ægypto reverſus eligitur Rex Iſraelitici Populi; qui Idololatricas aras alteram in Bethel, alteram in Dan exeruxit. Poſtquam autem annis 21. regnaſſet mortuus eſt. Videatur *Nota* (21.) pag. 73. I. *Volum. Diſquiſit.*; quæ in ordine ad annum Sabbaticum corrigenda eſt.	3739	Sabb. 68^{i}. an. 6.	Quinq. 10^{a}. an. 28.
4658 14. 2. D.	3168	836	Jeroboamus II. in partem adminiſtrationis Regni a Patre ſuo Joas receptus eſt, dum ipſe expeditionem contra Hazaelem Regem Syriæ hoc anno commiſit; atque ab anno iſto computandi ſunt anni Regni Jeroboami, ut anno 27. Regni ejus Azarias Rex Juda regnare cæpiſſe intelligatur. IV. *Reg.* XV. 1. per annos ita-	3878	Sabb. 88^{i}. an. 5.	Quinq. 13^{a}. an. 20.

Anni Periodi Græco Rom. * ⊙	Anni Mundi	Anni ante Æram Chriſtian.		Anni Periodi Julianæ	Anni Sabbaticorum	Anni Quinquagenariorum
			que 11. cum patre regnavit, quadraginta, & uno poſt Patris ſui mortem.			
4362 18. 3. r.	3872	132	Jeſus filius Sirach Eccleſiaſtici librum ex Hebræo in Græcum tranſtulit anno 38. Evergetis II. juxta opinionem inſignium Chronologorum *Videatur Nota* (36) ad *pag.* 507. *Voluminis* I. *Diſquiſit. Bibl.*	4582	Sabb. 189[i]. an. 2.	Quinq. 27[a]. an. 38.
			Jeſus Chriſtus. *Vide Chriſtus.*			
			Jezabel Achabi uxor occiditur. *Vide Jehu.*			
4441 25. 13. C. B.	2951	1053	Joab filius Sarviæ cum pueris David occurrit Abnero, & pueris Iſboſeth in Gabaon, ibidemque facta eſt concertatio, & mortuus eſt Aſael Joabi frater. II. *Regum Cap.* II ℣. 23. Poſt ſex annos Joab occidit Abnerum; ſed & ipſe poſtea a Salomone interficitur anno mundi 2990. III. *Reg. Cap.* II. ℣. 31.	3661	Sabb. 57[i]. an. 5.	Quinq. 8[a]. an. 48.
4638 22. 5. A.	3148	856	Joachaz filius Jehu regnare incipit in Iſrael, mortuo patre ſuo, anniſque 17. regnavit. IV. *Reg.* XIII. 1.	3858	Sabb. 86[i]. an. 7.	Quinq. 12[a]. an. 49.
4884 16 19. B.	3394	610	Joachaz filius Joſiæ Rex a populo conſtituitur, tribus menſibus imperat; captivus deinde ducitur in Ægyptum ubi moritur, ſuffecto in ejus locum Eliacimo a Pharaone Nechao, qui nomen Eliacimi in Joakim mutavit (13). Undecim annis regnavit in Jeruſalem.	4104	Sabb. 120[i]. an. 7.	Quinq. 13[a]. an. 46.
			Joachin Rex Juda. *Vide Jechonias.*			
			Joannes Bapriſta naſcitur. *Vide Eliſabeth.* Moritur. *Vide Herodes Antipas.*			
			Joannes Evangeliſta ad Apoſtolatum vocatur a Chriſto cum Jacobo fratre ejus. *Vide Jacobus.*			
			Annis deinde 63. percurſis, anno perlabente Domitiani decimo quarto in ferventis olei dolium mittitur; illæſus inde evadens in inſulam Patmum relegatur, ubi mirabilem ſcripſit Apocalypſim anno Æræ Chriſtianæ 94. Ab exilio revocatus ſcribit Evangelium anno 96. Duobus deinde elapſis annis ſuas ſcripſit Epiſtolas, & tandem ſenio confectus annum ætatis agens 92. juxta S. Epiphanium, vel 99. juxta alios debitum naturæ Epheſi ſolvit, anno Æræ Chriſt. 100.			
			Joannes frater Jonathanis occiditur, eodem anno, quo filii Jambri. *Vide Jambri.*			

Joan-

(13) Joachaz filius Joſiæ in Lib. I. Paralip. Cap. 3 ℣. 15. *Sellum* nominatur. Hic Joſiæ primogenitus non fuiſſe ab inſignibus Chronologis exiſtimatur. Eliacim vero in ejus locum ſuffectus, qui & *Joakim* dicitur nuncupatus a Nechao, *Jechonias* etiam Matthæi Cap. I. ℣. 11. nominatus creditur a nonnullis; quamvis alii, & non abſque fundamento Jechoniam filium Joakimi exiſtiment; quod traditum eſt in Libro IV. Regum Cap. XXIV. ℣. 6. Videatur Conciliatorium pag. 178. aliique conſulantur Expoſitores, & præſertim Critici Sacri ad ℣. 11. Capitis I. S. Matthæi.

Anni Periodi Græco-Rom. * ⊙	Anni Mundi	Anni ante Æram Christ.		Anni Periodi Julianæ	Anni Sabbatiſmorum	Quinquagenariorum
5359 15. 19. C.	3869	135	Joannes Hircanus Pontifex renunciatur poſt mortem Simonis patris ſui, anno Sabbatico percurrente: annis 28. cum menſibus novem ſummum Sacerdotium executus eſt uſque ad vitæ ſuæ finem.	4579	Sabb. 188ⁱ. an. 7.	Quinq. 27ᵘ. an. 35.
4616 28. 17. A.	3126	878	Joas Ochoziæ filius de manu Athaliæ ereptus, atque per ſex annos in Templo abſconditus, anno ætatis ſeptimo Rex declaratur, & annis 40. ſceptrum tetinuit. IV. *Reg. Cap.* XII. ℣. 1.	3836	Sabb. 82ⁱ. an. 5.	Quinq. 12ᵘ. an. 27.
4653 9. 16. D. C.	3163	841	Joas filius Joachaz Regis Iſrael aſſumitur in Regni conſortium a patre ſuo duobus annis antequam moreretur, & annis 16. regnavit. IV. *Reg.* XIII. ℣. 10.	3873	Sabb. 87ⁱ. an. 7.	Quinq. 13ᵘ. an. 15.
4711 11. 17. A.	3221	783	Joathan Regis Azariæ, ſive Oziæ filius, natus eſt anno 27. Regni patris ſui. Anno 25. ætatis in locum Oziæ ſuffectus eſt, anniſque ſexdecim regnavit. II. *Paralip.* XXVII. ℣. I.	3931	Sabb. 95ⁱ. an. 2.	Quinq. 14ᵘ. an. 24.
			Jobi proſapia quæ & quis libri ejus ſcriptor, & quando floruerit, *Videantur Notæ* (27.) & (28) *ad pag.* 480. 1. *Volum. Diſquiſit. Biblic.*			
			Jochabeda Amrami uxor Aaronem peperit. *Vide Aaron.*			
			Jonas Propheta. *Vide Volum. I. Diſquiſit. Biblicarum Pag.* 529.			
			Jonathan Dux populi eligitur eo anno, quo occiſus eſt Joannes frater ejus. Annis autem 17. & menſibus ſeptem circiter populum rexit, poſtea a Tryphone occiſus fuit anno mundi 3861.			
5463 1. 9. G. F.	3973	31.	Jonathan Uzziel's filius, Auctor Paraphraſeos Chaldaicæ. *Vide Notam* (10) *ad pag.* 141. *Voluminis* I. *Diſquiſit. Biblic.*	4583	Sabb. 203ⁱ. an. 3.	Quinq. 29ᵘ. an. 41.
3749 1. 5. G. F.	2259	1745	Joſeph Jacobi Patriarchæ filius naſcitur annum ætatis agente 91. ipſomet Jacobo. Plura Joſephus patravit intra centum & decem annorum ſpatium quibus vixit.	2969	ante Iᵘ Sabb. a. 295.	ante Iᵘ Quinq. a. 301.
5530 18. 19. F.	4040	Æræ Chriſt. 37.	Joſephus Flavius rerum Judaicarum Scriptor, Matathiæ Sacerdotis filius natus eſt anno I. Imperii Caligulæ, ut ipſe in libro de ſua vita teſtatur. Plura ſcripſit, inter quæ inſigne habetur de Jeſu Chriſto teſtimonium in *Cap.* 4 *lib.* 18. *Antiq.* Supervixit Judæorum generali deſolationi, vita ſibi & libertate a Flavio Veſpaſiano donata, unde in ſui Patroni memoriam ſibi *Flavii* nomen aſcivit.	4750	Sabb. 213ⁱ. an. 2.	Quinq. 31ᵘ. an. 10.
			Joſephus B. M. V. ſponſus de domo, & familia David aſcendit in Bethlehem cum Maria conjuge ſua, eo anno, quo natus eſt Chriſtus. *Vide Chriſtus.*			
4853 13. 7. F. E.	3363	641	Joſias filius Ammon Regis Juda, conſtitutus eſt Rex, mortuo patre ſuo, cum adhuc eſſet octo annorum puer, anniſque regna-	4073	Sabb. 116ⁱ. an. 4.	Quinq. 17ᵘ. an. 19.

Anni Periodi Græco-Rom. * ☉	Anni Mundi	Anni ante Æram Chriſt.		Anni Periodi Julianæ	Anni Sabbatiſmorum	Anni Quinquagenariorum
			regnavit triginta, & uno IV. *Regum Cap.* 22. ℣. 1.			
4043 15. 14. c.	2553	1451	Joſue filius Nun annis natus 93. Moſi ſucceſſit in regimine Iſraelitici populi; vir fuit admirabilis juſtitiæ, & ſanctitatis, qui hoc eodem anno, obediente Domino voci ejus ſiſtere fecit curſum ſolis, & Lunæ. Poſt annos 17 anno nempe Mundi 2570. vitam finivit.	3263	ante I᷎ Sabb. an. 1.	ante I᷎ Quinq. an. 7.
			Iſaac naſcitur anno 100. Abrahæ patris ſui. *Geneſ.* XVII. ℣. 17. *Vide Abraham.* Vixit autem annis 180. mortuus eſt igitur anno mundi 2288. Periodi noſtræ 3778.			
4709 9. 15 D C.	3219	785	Iſaias filius Amos fratris Amaſiæ Regis Juda prophetandi munus incæpit anno Regni Oziæ, ſive Azariæ 25. *Vide notam* (38.) *ad pag.* 513. *Volum.* I. *Diſquiſit. Biblic.*	3929	Sabb. 96'. an. 7.	Quinq. 14ᵉ. an. 22.
			Isboſeth occiditur. *Vide Baana.*			
			Iſmael Abrahæ filius naſcitur, *Vide Agar.* annos vixit 137 Mortuus itaque eſt anno mundi 2231. Periodi noſtræ 3721.			
			Ismahel Nathaniæ filius menſe 7. die 3. *Tiſri* nempe 24. Octobris occidit Godoliam filium Ahicam, Præfectum terræ a Rege Babylonis conſtitutum. *Jeremiæ* XLI. ℣. 2. *Vide Godolias.*			
5003 3. 12. D.	2513	1491	Iſraelitæ egrediuntur ex Ægypto ſub Duce Moyſe, die 5. menſis *Abib*, qui erat ſeptimus anni menſis, *primus* poſtea a celebri hoc facto appellatus, cujus neomenia eo anno in diem incidit 21. Aprilis. Dies autem Paſchæ, ſive exitus de Ægypto in diem 5. Maji. *Uſſerius.*	3223	ante I᷎ Sabb. an. 41	ante I᷎ Quinq. an. 47.
3748 1. 5. C. F.	2259	1745	Iſſachar Jacobi Patriarchæ filius naſcitur ineunte anno mundi 2258.	2968	ante I᷎ Sabb. a. 295.	ante I᷎ Quinq. a. 302.
3745 26. 2. C.	2256	1748	Judas Jacobi Patriarchæ filius naſcitur; anno ætatis 37. ſuſcepit duos filios Phares ſcilicet, & Zaram de Thamar nuru ſua. (14) Judas	2966	ante I᷎ Sabb. a. 298.	ante I᷎ Quinq. a. 304.

(14) Circa tempus, quo Jacob Labani filias ſibi in conjuges duxit, proindeque filios ex eiſdem ſuſcepit variæ cum ſint Chronologorum Sententiæ; exiſtimantibus quamplurimis, inter quos Uſſerius, unico decurſo menſe ab Jacobi in domum Labani adventu nuptias cum Lia fuiſſe completas, & poſt unam hebdomadem etiam cum Rachele; quamvis nonniſi poſt integrum Septennium eaſdem fuiſſe celebratas Sacer textus *Geneſ.* XXIX. ℣. 20. quaſi evidenter indigitet; hinc literæ in quantum poſſumus ſatagentes adhærere, alteram ab illis Chronologis viam in recenſendis nativitatum filiorum Jacobi temporibus tenere compulſi ſumus. Hoc itaque pacto temporum differentias diſponimus. Rubenum Jacobi primogenitum natum opinamur cum Vitrè anno mundi 2253. Simeonem anno 2254. Levi 2255. Judam anno 2256. ineunte. Eodem ferme tempore cum Juda ex Lia, natus eſt Dan ex Bala Rachelis ancilla. Circa finem vero anni 2256. ex eadem Bala natum Nephtalim opinamur. Sentiens autem Lia quod anno elapſo, ex quo ultimum ſuum filium enixa eſt, nec interim fœcundabatur ſubſtituit Zelpham ancillam ſuam, quæ filium Gad in lucem emiſit vertente ad finem anno 2257. Eadem fœmina alterum paulo poſt concepit, ipſumque peperit nomine Aſer circa dimidium anni 2258. Poſt Aſer natum Lia iterum concepit, & peperit erga initium anni 2259 Iſſacarum; & ad finem ejuſdem anni, & ineunte anno 2260. Zabulon edidit, quo anno finiente Dinam in lucem emiſit. In Chananitidem tandem reverſo Jacobo cum familia ſua, Judas ejus filius mulierem Chananitidem duxit anno 2274. tribus ſequentibus annis tres ex eadem filios ſuſcepiſſe ſupponimus. Anno 2290. Thamar cum Judæ primogenito matrimonium iniiſſe credere poſſumus, quo a Deo percuſſo, cum altero nupſit illa fœmina Judæ filio, quo pariter mortuo Judæ ſuaſione in ſtatu viduitatis Thamar duobus circiter annis perſeverat, quibus elapſis, clandeſtino concubitu ex Juda geminos filios Phares & Zaram anno 2293. enititur, qui poſtea in Ægyptum cum reliqua Jacobi familia anno 2298. deſcendunt. Hæc aliquantulo longiuſcula quoquomodo ſint lucem aliquam novellis Scripturæ ſtudioſis afferre queunt. In noſtra hac hypotheſi ſatis tempora in ordinem revocari videntur eſto Jacob poſt ſeptimum ſuæ habitationis in Meſopotamia annum liberis operam dare cœperit, non diffitemur tamen in Uſſerii ſiſtemate magis diſtinctas temporum rationes aliquantulo haberi. Nos tamen nemini imponimus.

Anni Periodi Græco-Rom. * ⊙	Anni Mundi	Anni ante Æram Chriſt.		Anni Periodi Julianæ.	Anni Sabbathicorum.	Anni Quinquagenariorum.
5328 12. 7. G.	3838	166	Judas Machabæus Dux populi conſtituitur ſtatim poſt mortem patris ſui, anniſque quinque populum rexit, quibus elapſis in bello cecidit, anno currente ſexto ab obitu patris ſui, *Joſephus lib. 12. Antiq. 19.*	4548	Sabb. 184[l]. an. 3.	Quinq. 27[n]. an. 4
			Judas, & Sila ab Apoſtolis Antiochiam mittuntur cum Epiſtolą Synodica. *Vide Concilium Apoſtolorum.*			
			Judas Apoſtolus. *Vide Thaddæus.*			
			Judith celeberrima virago populum ſuum ab Aſſyriorum exercitu liberat . *Vide Achior, & Volum. I. Diſquiſit. Biblic. pag. 459. & ſeqq.*			
3638 2. 8. E.	2148	1856	LAban Rebeccæ frater Eliezerem Damaſcenum Abrahæ miniſtrum domi recipit.	2858	ante I[a] Sabb. a. 406.	ante I[a] Quinq. a. 412.
3745 15. 10. C.	2245	1759	Laban Jacobum Iſaaci filium pro filiabus ſuis Rachele, & Lia conducit per annos 14. per alios deinde ſex pro certa gregis portione: tranſactis autem ſervituris annis viginti Jacobum Chananitidem verſus commigrantem Labanus inſequitur, & pacem cum eodem init anno mundi 2265. *Geneſ. cap.* XXI. 22.	2955	ante I[a] Sabb. a. 309.	ante I[a] Quinq. a. 315.
2364 16. 7. B.	874	3130	Lamech Mathuſalæ filius natus eſt dum pater ejus annum ageret 187. vixit autem annis 777. *Geneſ.* V. 31.	1584	ante I[a] Sabb. a. 1680	ante I[a] Quinq. a. 1686
5526 14. 15. D.	4036	Æræ Chriſt. 33.	Lazarus Mariæ, & Marthæ frater morte correptus, & a quatuor diebus in monumento ſepultus ſuſcitatur a Chriſto Jeſu .	4746	Sabb. 212[l]. an. 5.	Quinq. 31[n]. an. 6.
3745 25. 1. E. D.	2255	1749	Levi Jacobi filius in Meſopotamia tertius ex Lia quam non admodum diligebat maritus, natus legitur *Geneſ. Cap.* XXIX. ℣. 34.	2965	ante I[a] Sabb. a. 299.	ante I[a] Quinq. a. 305.
			Levitæ Iſraelitarum peccatum ob conflatum vitulum, atque adoratum in deſerto, magno eum zelo caſtigant, idque menſe quarto ab exitu de Ægypto, *Vide Iſraelitæ.*			
3742 22. 17. A.	2252	1752	Lia filia Labani Jacobo Patriarchæ nubit poſtquam ille annis ſeptem famulatum exhibuiſſet Labano ipſi. *Geneſ.* XXIX. ℣. 23.	2962	ante I[a] Sabb. a. 302.	ante I[a] Quinq. a. 308.
3597 17. 5. A. G.	2107	1897	Lot ex Sodomorum ruinis eripitur, ejuſque uxor in ſtatuam ſalis convertitur. *Geneſ.* XIX. ℣. 26.	2817	ante I[a] Sabb. a. 447.	ante I[a] Quinq. a. 453.
5546 6. 16. G.	4056	Æræ Chriſt. 53.	Lucas Evangeliſta Antiochia Syriæ oriundus pictoriæ, & medicæ artis gnarus, anno 53. Æræ Chriſtianæ juxta Uſſerium comitem ſe Paulo in Evangelii prædicatione adjunxit. Quandonam Evangelium ſcripſerit incertum eſt; cum aliqui anno Chriſtianæ Æræ circiter tertio; alii ve-	4776	Sabb. 215[l]. an. 4	Quinq. 31[n]. an. 26.

Anni Periodi Græco-Rom. * ☉	Anni Mundi	Anni ante Æram Chriſtian.		Anni Periodi Julianæ	Anni Sabbaticorum	Anni Quinquagenariorum
			ro ſexto ſupra quinquageſimum ſcripſiſſe opinentur. Actus eriam Apoſtolorum ſcripſit, hiſtoriam ſcilicet a die Aſcenſionis Jeſu Chriſti in Cœlum anni 33. Æræ Vulgaris, a die nimirum 14. Maji illius anni uſque ad S. Pauli liberationem e vinculis, quæ ad annum Æræ noſtræ 65. ab Uſſerio reiicitur.			
			Lydia purpuraria, pia fœmina audiens Paulum Apoſtolum ad Chriſti fidem cum tota ſua familia convertitur, & baptizatur. *Act.* XVI. ℣. 13. eodem anno, quo Lucas ſe Paulo adiunxit. Æræ Chriſt. 53.			
5328 12. 7. G.	3839	166	Lyſias Antiochi Epiphanis Miniſter, Prorex conſtituitur, & Antiochi Euparoris curator. I. *Mach Cap.* III. ℣. 32. Annis tribus deinde circiter decurſis occiditur a militibus juſſu Demetrii Roma egreſſi, atque Regnum aſſecuti.	4548	Sabb. 184^{i}. an. 4.	Quinq. 27^{a}. an. 5.
5553 13. 4. F. E.	4063	Æræ Chriſt. 60.	Lyſias alter, qui & Claudius Tribunus in Judæa jubet Paulum virgis examinari, a quo ſupplicio Paulus declarans ſe civem eſſe Romanum liberatur. *Act.* XXII.	4773	Sabb. 216. an. 1.	Quinq. 31^{a}. an. 33.
5324 8. 3. E.	3834	170	Lyſimachus Menelai frater conſtituitur ab eodem ſuus in ſummo Sacerdotio Vicarius, quo in munere multa Sacrilegia operatus populi tumultu prope Gazophylacium interimitur. II. *Mach.* IV.	4544	Sabb. 183^{i}. an. 6.	Quinq. 27^{a}. an. 49.
4444 8. 12. E.	2954	1050	MAacha filia Tholmai Regis Geſſur, & uxor David Abſalom parit in Hebron, poſtquam David ibidem annos circiter quinque fuerat commoratus.	3664	Sabb. 58^{i}. an. 1.	Quinq. 9^{a}. an. 2.
5328 12. 7. G.	3838	166.	Machabæorum Principatus initium ſub Juda Mattathiæ filio ſuſcepiſſe a nobis exiſtimatur, quamvis anno præcedenti Mattathias Antiocho Epiphani obedire renuerit, atque Zelatorum turbam ſibi contra Epiphanis conatus collegerit.	4548	Sabb. 184^{i}. an. 3.	Quinq. 27^{a}. an. 4.
			Machabæi fratres, & Martyres cum Eleazaro nonagenario anno præcedenti, mundi ſcilicet 3837. crudeliter occiduntur. II. *Mach.* VII.			
			Machabæorum Libri primus, & ſecundus divinæ auctoritatis ſunt. Eiuſque Auctores qui ſint? *Vide* I. *Volumen Diſquiſit. Pag.* 540. *& ſeqq.*			
3644 4. 10. C.	2154	1850	Madian Abrahæ filius naſcitur ex Cetura circa annum mundi 2154. *Geneſ.* XXV. ℣. 2.	2864	ante I^{u} Sabb. a. 400.	ante I^{a} Quinq. a. 406.
4043 15. 14. C.	2553	1451	Madianitarum puellæ cum Iſraelitis fornicatæ eoſdem ad idololatriam induxere. Qua de re Gens Madianitica Dei juſſu exterminata eſt. *Numer.* XXXI. 7.	3263	ante I^{a} Sabb. an. 1.	ante I^{a} Quinq. an. 7.
			Magi Pharaonis Regis Ægypti, nomine *Amenophis* aliqua ſuis præſtigiis miranda portendunt contra Moyſen; die autem 27 menſis ſexti, qui anno ſequenti menſis duodecimus numeratus eſt, nempe circa diem 17. Aprilis juxta Uſſerium, cum			

cyni-

Anni Periodi Græco-Rom. * ⊙	Anni Mundi	Anni ante Æram Chriſt.		Anni Periodi Julianæ	Anni Sabbaticorum	Quinquagenariorum
			cyniphes non potuerint educere, confeſſi ſunt Dei digitum operari per Moſem. *Exodi* VIII. 19. Hoc evenit eodem ipſo anno, quo egreſſi ſunt ex Ægypto filii Iſrael. *Vide Iſraelitæ*.			
5490 6. 17. G.	4000	4	Magi ab Oriente veniunt adorare Chriſtum natum eodem ipſo, quo natus eſt, anno. *Matth.* II. ℣. 1.	4710	Sabb. 207i. an. 3.	Quinq. 30e. an. 18.
1885 13. 3. F. E.	395	3609	Malaleel naſcitur anno 70. Cainanis patris ſui *Geneſ. Cap.* V. ℣. 12. vixitque annis 895. *Geneſ. ibi* ℣. 17. mortuus eſt igitur anno Mundi 1290.	1105	ante 1ā Sabb. a. 2159	ante 1ā Quinq. a. 2165
			Malachias Propheta floruit Nehemiæ tempore. *Videatur Nota* (50) *Pagina* 539. I. *Voluminis Diſquiſit. Biblic.*			
4722 22. 9. A.	3232	772	Manahen filius Gadi Sellum filium Jabes occidit; ac Regnum Iſraeliticum uſurpat, decem annis regnaturus. *IV. Reg.* XV. ℣. 17.	3942	Sabb. 97i. an. 6.	Quinq. 14e. an. 35.
			Manaſſes, & Ephraim Joſephi Patriarchæ filii in Ægypto naſcuntur inter ſeptem ubertatis annos, inter annum mundi videlicet 2289. & 2296.			
4784 28. 14. A.	3294	710	Manaſſes filius Ezechiæ Regis Juda natus eſt poſt annum tertium vitæ propagatæ patri ſuo, & annis duodecim antequam moreretur. Anno 12. ætatis ſuæ regnare cœpit Manaſſes, regnumque ejus annis 55. perſeveravit, uſque ſcilicet ad annum mundi 3361.	4004	Sabb. 106i. an. 5.	Quinq. 15e. an. 48.
5071 7. 16. F.	3581	423	Manaſſes filius Jojadæ Pontificis ad Sanaballetum in Samariam fugit ne uxorem alienigenam dimittat; & quatuor circiter annis poſtea Templum in monte Garizim ædificatur. *Vide Notam* (18) *ad Pag.* 454. *Volum.* I. *Diſquiſit. Biblic.*	4291	Sabb. 147i. an. 5.	Quinq. 21e. an. 41.
4003 3. 12. D.	2513	1491	Manna pluere cœpit filiis Iſrael in deſerto Sin ad auroram diei 16. ſecundi Menſis, qui eſt *Jiar* ſeu *Zius*, nempe ſummo mane diei quintæ Junii, feria VI. unico expleto menſe ab exitu de Ægypto: eodemque cibo annis 40. minus uno menſe paſti ſunt Iſraelitæ ſcilicet uſque ad diem 16. menſis Niſan anni Mundi 2553. quæ fuit dies Maii ſexta feria V. ea quippe die Manna ceſſavit.	3223	ante 1ā Sabb. an. 41.	ante 1ā Quinq. an. 47.
5554 14. 5. D.	4064	Æræ Chriſt. 61.	Marcus Evangeliſta S. Petri diſcipulus, & Comes Romæ Evangelium ſcripſiſſe traditur circa annum Æræ Vulgaris 43. octavo autem Neronis anno martyrio coronatus eſt.	4774	Sabb. 216. an. 5	Quinq. 31e. an. 34
			Mardochæus. *Vide Aſſuerus*.			
5474 17. 19. A. G.	3984	21.	Maria Virgo Mater Jeſu Chriſti, Spiritus Sancti gratia præventa, abſque labe originalis peccati in utero Matris ſuæ concepta eſt die 8. Decembris, labente anno Juliano 25. & anni ante epocham Vulgarem 21. menſe duodecimo percurrente. Nata eſt Sanctiſſima Virgo anno ſequenti die 8. Septembris, ſi annos ad for-	4693	Sabb. 205i. an. 2.	Quinq. 30e. an. 3.

Anni Periodi Græco-Rom. * ⊙	Anni Mundi	Anni ante Æram Chriſtian.		Anni Periodi Julianæ	Anni Sabbatiſmorum	Anni Quinquagenariorum
			formam Julianam conſideremus. Anno ætatis ſuæ 14. cum menſibus quatuor, & diebus 13. juxta hodiernum Eccleſiæ Kalendarium deſponſata fuit Sancto Joſepho, die nempe 23. Januarii; & die 25. Martii ejuſdem anni, Gabriele Archangelo annunciante, Verbum Dei, Spiritu Sancto operante, in Virginis utero carnem humanam aſſumpſit, & die 25. Decembris iſtius anni ex Virginis alvo in lucem venit. *Vide Chriſtus*. Anno tandem ætatis ſuæ juxta plures Auctores 63. vel 72. juxta alios non paucos, obdormivit in Domino, & poſt tres dies reſurgens in Cœlum abſumpta eſt anno mundi 4048. Æræ Vulgaris 45. vel anno mundi 4057. Æræ Chriſtianæ 54.			
			Maria ſoror Moſis & Aaronis annis circiter 130. nata die 10. Menſis Niſan juxta Hebræos, nempe die Aprilis Juliani 30. eodem, quo fratres ejus, anno mortua eſt. *Vide Aaron.*			
5524 12. 13. G.	4034	Æræ Chriſt. 31.	Maria peccatrix in domo Simonis Phariſæi pedes ungit Jeſu accumbentis, atque peccatorum ſuorum remiſſionem conſequitur. *Lucæ* VII. ℣. 48.	4744	Sabb. 212^{i}. an. 3.	Quinq. 31^{a}. an. 4.
			Mathan Sacerdos Baal occiditur, templumque idoli evertitur eodem anno, quo Joas in Regem ungitur, & Athalia occiditur. IV. *Regum* XI. ℣. 18. *Vide Joas.*			
5526 14. 15. D.	4036	Æræ Chriſt. 33.	Mathias eligitur in Apoſtolum. *Actorum I.* ℣. 26.	4746	Sabb. 212^{i}. an. 5.	Quinq. 31^{a}. an. 6.
2177 25. 10. E. D.	687	3317	Mathuſalem natus eſt anno 65. patris ſui Henoch vixitque annos 969. nempe uſque ad annum Diluvii. *Geneſ.* V. ℣. 27.	1397	ante 1^{a} Sabb. a. 1867	ante 1^{a} Quinq. a. 1873
5327 11. 6. A.	3837	167	Mattathias Aſſamonæi filius, & Judæ Machabæi pater, Judæum Idolo ſacrificantem in Modin, & Antiochi Regis miniſtrum ad id impellentem occidit, & aram diruit. Anno vero ſequenti mortuus eſt, ac eidem filius ejus Judas ſucceſſit. *Mach. Cap.* II. 70.	4547	Sabb. 184^{i}. an. 2.	Quinq. 27^{a}. an. 3.
			Matthæus, qui & Levi, vocatur ab Jeſu ad Apoſtolatum. *Matthæi* IX. ℣. 9. eodem anno, quo Mariæ peccatrici delicta remiſit. *Vide Maria Peccatrix.*			
			Matthæus ſuum ſcripſiſſe Evangelium exiſtimatur a Vitrè anno ſexto poſt Chriſti paſſionem, anno nimirum Æræ Chriſtianæ 39. Ab aliis vero, ut Sandinus in Hiſtoria Apoſtolica refert, anno Chriſti 36. vel 41. vel 49. Sanctus hic Evangeliſta ſcripſiſſe judicatur. *Videatur Volumen* I. *Diſquiſit. Biblic. Pag.* 563.			
4956 4. 15. C.	3466	538	Medi ſub Ducibus Dario Medo, & Cyro Regni Babylonici potiuntur, ipſumque juxta Prophetarum oracula ſubvertunt. *Danielis* V. ℣. 31.	4176	Sabb. 131^{i}. an. 2.	Quinq. 19^{a}. an. 24.

Mel-

Anni Periodi Græco Rom. * ⊙	Anni Mundi	Anni ante Æram Chriſt.		Anni Periodi Julianæ	Anni Sabbatiſmorum	Anni Quinquagenariorum
3582 2. 9. B.	2092	1912	Melchiſedech Rex Salem Abrahæ ex pugna redeunti benedixit, ac panem, & vinum obtulit. *Geneſ.* XIV. 18.	2802	ante Iū Sabb. a. 462.	ante Iā Quinq. a. 458.
5322 6. 1. e.	3832	172	Menelaus, Onias antea dictus filius Simonis II. Pontificis, ingentis pecuniæ ſumma Antiocho Regi promiſſa, ſummum Sacerdotium uſurpat II. *Mach.* Cap. IV. ℣. 24. Poſt decem annos deinde Antiocho Eupatore jubente in turrim cinere oppletam coniectus vitam finivit. II. *Mach.* XIII. ℣. 6.	4542	Sabb. 183^{i}. an. 4.	Quinq. 26^{a}. an. 47.
			Meſſias ab Judæis expectatus eſt ipſemet Chriſtus Jeſus, qui ex Virgine Maria natus anno Mundi 4000., anno 4036., Æræ vulgaris 33. ſub Pontio Pilato Cruci affixus eſt ab Hebræorum invidia, die 3. Aprilis feria ſexta, & poſt diem tertiam reſurrexit a mortuis, in fine ſæculorum ad judicandum vivos, & mortuos reverſurus.			
			Michæas Propheta. *Vide Pag.* 530. I. *Volum. Diſquiſ. Biblic.*			
4443 13. 5. F. E.	2943	1061	Michol filia Saulis Regis Davidi in coniugium deſponſatur. I. *Regum Cap.* XVIII. 27. Anno ſequenti quæſitus David ad mortem ab ipſamet Michol per feneſtram dimiſſus liberatur, anno autem 2947. Mundi eadem Michol deſponſatur Phalti filio Lais, qui eam dimittere, & Davidi reſtituere compellitur annis novem poſtquam acceperat II. *Regum. Cap.* III. ℣. 15.	3653	Sabb. 56^{i}. an. 4.	Quinq. 8^{a}. an. 40.
4475 28. 10. A.	2986	1018	Miphiboſeth filius Saulis cum aliis ſex traditur a Davide in manus Gabaonitarum, qui eos patibulo ſuſpenderunt. II. *Regum.* Cap. XXI. ℣. 8.	3696	Sabb. 62^{i}. an. 5.	Quinq. 9^{a}. an. 34.
			Moab filius Lot, & filiæ ejus natu majoris ex inceſtu conceptus. *Geneſ.* XIX. ℣. 37. *Vide Ammon.*			
3923 7. 8. F.	2433	1571	Moſes naſcitur ex Amramo, & Jochabeda in Ægypto currente anno 6. Regni Rameſſis Miamun, annis vixit 120., mortuus quippe eſt anno 2553. menſe 12., qui *Dyſtrus* a Macedonibus, *Adar* ab Hebræis appellatur, ſi Joſephi diſpoſitionem menſium attendamus, die itaque prima illius menſis, quæ diei 21. Martii Juliani reſpondet debitum naturæ Moſes perſolvit in oſculo Domini.	3143	ante Iū Sabb. a. 121.	ante Iā Quinq. a. 127.
1490 10. 7. B.	1.	4004	Mundus in temporum principio a Deo ex nihilo conditus eſt die 23. Octobris juxta Uſſerii rationem, quam amplexi ſumus, anno ante Chriſtianam Æram 4004.	710	ante Iū Sabb. a. 2554	ante Iā Quinq. a. 2560
			NAaman Syrus mundatur a lepra facta in Jordane ablutione, eo anno, quo Giezi lepra percuſſus eſt. *Vide Giezi.*			

Anni Periodi Græco Rom. * ⊙	Anni Mundi	Anni ante Æram Chriſtian.		Anni Periodi Julianæ	Anni Sabbatiſmorum	Anni Quinquagenariorum
4399 7. 9. F.	2909	1095	Naas Ammonites pugnat adverſus Jabes Galaad, qui profligatus eſt a Saule I. *Regum* XI. ℣. 11.	3619	Sabb. 51us. an. 5.	Quinq. 8a. an. 6.
4595 7. 15. F.	3105	899	Naboth vineam cedere detrectantem calumniis oppreſſum Jezabelis iniquitate lapidibus obrui præcipit Rex Achab. III. *Reg.* XXI. ℣. 11.	3815	Sabb. 79us. an. 5.	Quinq. 12a. an. 6.
			Nabuchodonoſor magnus Regni ſui anno 1. in Captivitatem redigit Joakimum Regem Juda. *Vide Babylonicæ Captivitatis initium.*			
			Nabuchodonoſoris anno 8. translatus eſt in Babylonem Joachin Rex Juda, cum omnibus theſauris, & vaſis ſacris Templi Domini; in ejus locum ſuffectus eſt Matthanias patruus ſuus, qui & Sedecias dictus eſt; in cujus poſtea anno 11., & Nabuchodonoſoris 19. ſuccenſum eſt templum, & deſtructa civitas Jeruſalem anno mundi 3416 Duce Nabuzardane Babylonici exercitus.			
4925 1. 3. C. F.	3435	569	Nabuchodonoſor magnus mente alienatus a ſuis depellitur, & per annos ſeptem ſequentes ferinam eum beſtiis vitam egit, quibus tranſactis, agnita Dei potentia, ſanitati, & Regno reſtituitur, eodemque anno vitam finivit, poſtquam annis 43. ſolus, & menſibus circiter viginti cum Patre ſuo Regnum tenuiſſet.	4145	Sabb. 126us. an. 6.	Quinq. 18a. an. 42.
3339 9. 15. D. C.	1849	2155	Nachor natus eſt cum Sarug ejus pater annum 30. ageret, vixitque annos 148. *Geneſ.* XI. 25.	2559	ante Ium Sabb. a. 705.	ante Iam Quinq. a. 711.
			Nadab, & Abiu igne conſumuntur. *Levit.* X. 1. *Vide Abiu.*			
			Nadab Rex Iſrael a Baaſa occiditur cum duobus annis regnaſſet. *Vide Baaſa.*			
			Nahum Propheta. *Vide Notam* (46) *ad pag.* 533. *Voluminis* I. *Diſquiſit. Biblic.*			
4460 12. 13. G.	2970	1034	Nathan Propheta a Deo miſſus Davidi Regi peccatum in parabolis exprobrat. II. *Reg.* XII. ℣. 1.	3680	Sabb. 60us. an. 3.	Quinq. 9a. an. 18.
5040 4. 4. C.	3550	454	Nehemias anno 20. Artaxerſis Longimani ex Perſide Jeruſalem venit ad ædificandam civitatem, & Judæorum mores reformandos. Poſt duodecim annos in Perſidem revertitur, ibidemque annos 5. commoratus in Judæam iterum proficiſcitur, diuque illic permanens mortuus eſt. Videatur *Nota* (17) ad *Pag.* 451. *Voluminis* I. *Diſquiſit Biblic.* Juxta præſentem computum legendæ ſunt *Nota* (22) *ad Pag.* 73. & *nota* (18) *ad pag.* 454. *Voluminis Diſquiſitionum Biblicarum.*	4260	Sabb. 143us. an. 2.	Quinq. 21a. an. 10.

Nem-

Anni Periodi Græco-Rom. * ⊙	Anni Mundi	Anni ante Æram Chriſt.		Anni Periodi Julianæ	Anni Sabbatiſmorum	Quinquagenariorum
			Nembrod filius Chus Dominari cœpit in terra Sennaar, in qua Civitas, & turris ædificata eſt; ſed confuſione linguarum a Deo immiſſa, in varias orbis partes homines diviſi ſunt circa mundi annum 1800. Si Antonii Vitrè computum retineamus.			
5333 17. 12. A. O	3843	161	Nicanor Dux exercitus minatur comburere Domum Dei, ſed prælio commiſſo interfectus eſt, ejuſque exercitus diſſipatus. I. *Mach.* VII. ℣. 43.	4553	Sabb. 185^{i}. an. 2.	Quinq 27^{x}. an. 9.
			Ninive condita creditur a Nembrod, vel ejus filio *Aſſur* fortaſſis per anticipationem nuncupato, annis pluſquam 70. a nativitate Phaleg. *Videatur Nota* (15) *ad Pag.* 58. I. *Volum. Diſquiſit. Biblic.*			
			Ninive ad Jonæ prædicationem converſa in jejunio, & planctu, Dei iracundiam emollivit. *Jonæ* III. ℣. 10. Idque circa annum mundi 3197. Ante Æram Chriſtianam 808. factum eſt.			
2546 2. 18. E.	1056	2948	Noe filius Lamech naſcitur; annis victurus 950. Anno 500. vitæ ſuæ liberis operam dare cœpit. Poſt annos deinde centum univerſale diluvium hominum peccata lavit, & poſt annum unicum ex arca egreſſus eſt, novumque mundum inſtauravit.	1766	ante Iũ Sabb. a. 1498	ante I Quinq. a. 1504
4190 22. 9. A.	2700	1304	OBed ex Ruth Moabitide naſcitur annum ætatis agente Boozo Patre ſuo 107. (15)	3410	Sabb. 21^{i}. an. 6.	Quinq. 3^{x}. an. 42.
4609 21. 10. C. B.	3119	885	Ochozias filius Joram Regis Juda annos natus viginti duobus ſceptrum Juda ſuſcepit, unumque regnavit annum, interſectus poſtea ab Jehu IV. *Regum.* IX. ℣. 27. (16)	3829	Sabb. 81^{i}. an. 5.	Quinq. 12^{x}. an. 20.
			Ochus. *Vide Darius Nothus.*			
			Og Rex Baſan vincitur ab Iſraelitis eodem anno, quo mortuus eſt Aaron. *Vide Aaron.*			
5557 17. 8. A. G.	4068	Æræ Chriſt. 64	Oneſimus Philemonis ſervus offenſo Domino ſuo Romam ad Paulum in vinculis exiſtentem fugit, a quo in fide inſtructus, & baptizatus cum Epiſtola commendatitia ad Philemonem remittitur.	4777	Sabb. 217^{i}. an. 2.	Quinq. 31^{x}. an. 38.

One-

(15) In ſacris literis excedens annorum numerus a diruta Jerico per Dei potentiam, ac deſponſata Rahab Salmoni Judææ Principi uſque ad Davidis ortum cum recenſeatur, qui minime propterea diſtribui poſſe videatur in quatuor generationes, quot a Salmone ad Davidem incluſive interceſſiſſe leguntur, varias hypotheſes Sacri Chronologi excogitare compulſi ſunt. Si itaque juxta rationes Uſſerii Jericuntem Civitatem dirutam eſſe anno mundi 2553. cumque pertum ſit, jam demumque anno Rahab nuptam eſſe Salmoni ſupponamus; cum David natum anno mundi 2919. a Rahab conjugio ad Davidem anni recenſentur 366. Hoc itaque pacto eoſdem diſponimus. Anno ætatis 15. Rahab nuptam opinamur Salmoni, & anno ætatis ſuæ 55. mundi 2593. filium Boozum emiſiſſe in lucem, qui anno ætatis ſuæ 109. & mundi 2702. Obedum filium ex Rutha ſuſcepenit. Iſte autem anno ætatis 108. & mundi 2810. filium Jeſſe Davidis Patrem gignere potuit; a quo tandem anno ætatis 109. conſecuto David ſit procreatus, anno ſcilicet mundi 2919. unuſquiſque eam pro libito hac in re hypotheſim eligat, quæ ſibi probabilior, & Scripturæ textui convenientior videtur. Legatur *Nota* (11) *ad Pag.* 443. *Volum.* I. *Diſquiſit. Biblic.*

(16) Ochoziam in Regni partem aſſumptum a patre ſuo dicamus oportet, & unico anno poſt mortem patris regnaſſe, ut antilogia inter ℣. 25. capitis 8. & ℣. 29. capitis 9. *Libri* IV. *Regum* apparens eliminetur.

Anni Periodi Græco-Rom. * ⊙	Anni Mundi	Anni ante Æram Chriſtian.		Anni Periodi Julianæ	Anni Sabbatiſmorum	Anni Quinquagenariorum
			Oneſiphorus Epheſius Romæ Paulum ſtudioſiſſime quærit, & inventum recreat. Anno uno antequam Oneſimum ſuo Domino commendatum ad illum remitteret.			
5171 23. 2. G.	3681	323	Onias I. mortuo Jaddo ejus patre, ſummus apud Judæos Pontifex fuit per annos 21. teſte *Joſepho Lib.* 11. *Antiquit.*	4391	Sabb. 161ⁱ. an. 7.	Quinq. 23ᵘ. an. 43.
5251 19. 6. E.	3761	243	Onias II. Simonis juſti filius illiberaliter Pontificatum geſſit; multarum propterea calamitatum occaſio fuit; anniſque 12. eam dignitatem retinuit, juxta computum Uſſerii (57)	4471	Sabb. 171ⁱ. ao. 7.	Quinq. 25ᵘ. an. 25.
5285 26. 4. C.	3796	208	Onias III. vir benignus, & laudabilis Pontifex ſummus Judæorum renunciatur, & per annos 33. in eadem dignitate permanſit.	4506	Sabb 178ⁱ. an. 3.	Quinq. 26ᵘ. an. 11.
4089 5. 3. B. A.	2599	1405	Othoniel Judex, & vindex in Judæorum populo a Deo ſuſcitatur, Chuſan Regem Meſopotamiæ debellat, ac libertatem Iſraeli reſtituit. *Judic.* III. ℣. 10.	3309	Sabb. 7ⁱ. an. 3.	Quinq. 1ᵘ. an. 39.
			Paſcha primum ex Dei præcepto, & inſtitutione celebratum. *Exodi* XII. ℣. 14. eodem anno, quo egreſſi ſunt ex Ægypto Judæi. *Vide Iſraelitæ.*			
5524 12. 13. G.	4034	Æræ Chriſt. 31.	Paſcha I. a Chriſto Jeſu celebratum, Quartum autem fuit in quo immolatus eſt Chriſtus.	4744	Sabb. 212ⁱ. an. 3.	Quinq. 31ᵘ. an. 4.
5492 8. 19. E.	4002	2.	Paulus Apoſtolus Tarſi in Cilicia Patre Secta Phariſæo natus eſt annis duobus ante Æram Vulgarem ut nonnulli opinantur. Hieroſolymis ſub Gamaliele præceptore rebus divinis ſtudet; morti protomartyris Stephani conſentit toto animo; anno deinde a Chriſti paſſione ſecundo minas, & cædes in Chriſti diſcipulos ſpirans, ab Anna Pontifice literas ad Synagogam Damaſci perſerendas obtinet, atque Damaſcum verſus itinere arrepto, prope Civitatem illam fulgore inſolitæ lucis circumfuſus, & ad terram dejectus, ſurgere, & in Damaſcum ingredi juſſus baptizatur, & gentium Apoſtolus inſtituitur. Epiſtolas quatuordecim diverſis temporibus ſcriptas ab eodem recepit Eccleſia, quarum cuilibet tempus ab Uſſerio præſcriptum adligamus. *Vide Volum.* I. *Diſquiſit. Biblic. Pag.* 595.	4712	Sabb. 207ⁱ. an. 6.	Quinq. 30ᵘ. ao. 21.
			Petrus Apoſtolus, *Simon* antea dictus vocatur a Chriſto eodem, quo Andreas, anno. *Vide Andreas*. Sanctus hic Apoſtolus Romæ vitam expleviſſe unanimi conſenſu exiſtimatur a Catholicis, ſimul cum Apoſtolo Paulo, anno Vulgaris Æræ 67. juxta			

(57) Longe diverſum eſſe annorum cenſum, qui Judæorum Pontificibus aſcribuntur, apud Uſſerium, Prideauxium, aliosque Chronologos omnibus notum eſt. Uſſerii tamen rationes ſequi malumus cum methodo noſtræ ſint congruentiores in hoc caſu.

Anni Periodi Græco-Rom. ● ☾	Anni Mundi	Anni ante Æram Chriſt.		Anni Periodi Julianæ	Anni Sabbatiorum	Anni Quinquagenariorum
			juxta Uſſerii rationes, anno vero 65. Si Pagium audiamus, vel 64. ſi aliis Chronologis præbeamus aſſenſum.			
4735 7. 3 F.	3245	759	Phacee filius Romeliæ conjurat in Phacejam Manahemi filium, eumque a duobus annis regnantem occidit, ſceptrumque Iſraelis uſurpat; atque annis 20. retinet. IV. *Regum* XV. ℣. 25.	3955	Sabb. 99^{i}. an. 5.	Quinq. 14^{a}. an. 48.
3247 3. 16. D.	1757	2247	Phaleg Heberis filius naſcitur annos victurus 239. Poſt Phalegi ortum facta eſt confuſio linguarum, de qua *videatur Nota* (15.) *ad Pag.* 58. *Voluminis* I. *Diſquiſit. Biblic.*	2467	ante Iū Sabb. a. 797.	ante Iā Quinq. a. 803.
3260 16. 1. B.	1771	2234	Phalegi anno 14. initium habuere cœleſtes Babyloniorum obſervationes. Cum enim, occupata ab Alexandro Babylone, vetuſtiora illius Civitatis monumenta, poſtulante Ariſtotele, miſſa eſſent a Caliſthene in Græciam, inventa ſunt annos continere 1903. qui ſi demantur anno mundi 3674. quo Babylon capta ab Alexandro eſt, anni ſupererunt mundi 1771. ad quos vetuſtiſſimæ illæ obſervationes pervenire comperte ſunt. Qui igitur ex illis mundum longe vetuſtiorem quam ponatur a Moſe opinantur demonſtrari, longe decipiuntur.	2480	ante Iū Sabb. a. 783.	ante Iā Quinq. a. 789.
			Phares naſcitur ex Thamare, & Juda Jacobi filio, & Thamaris ipſius ſocero. *Vide Judas.*			
			Philippus Apoſtolus vocatur a Chriſto eodem anno, quo Andreas, & Petrus. *Vide Andreas.*			
5526 14. 15. D.	4037	Æræ Chriſt. 33.	Philippus eligitur Diaconus in Apoſtolorum Concilio cum Stephano, & aliis quinque, non ad temporalia ſolummodo miniſteria, ut nonnulli fabulantur, ſed & ad munia ſpiritualia prædicandi, & baptizandi. *Act.* VI. ℣. 6.	4745	Sabb. 212^{i}. an. 6.	Quinq. 31^{a}. an. 7.
4043 15. 14. C.	2553	1451	Phinees Eleazari filius iram Dei placat occidendo Zambri, & Chozbi in lupanare. *Numer.* XXV. 11.	3263	ante Iū Sabb. an. 1.	ante Iā Quinq. an. 7.
4724 24. 11. F.	3234	770	Phul Rex Aſſyriorum, qui Sardanapali a nonnullis pater exiſtimatur, quique fortaſſis Rex eſt ad pœnitentiam ob Jonæ prædicationem converſus tributum a Manahem Rege Iſraelit exegit. IV. *Reg.* XV. ℣. 19.	3944	ante Iū Sabb. 98^{i}. an. 2.	ante Iā Quinq. 14^{a}. an. 37.
5519 7. 8. F.	4029	Æræ Chriſt. an. 26.	Pilatus Pontius Valerio Grato in Præfectura Judææ ſuccedit. Anno ſuæ Præfecturæ ſeptimo inique Judæorum voluntati Chriſtum Jeſum crucifigendum relinquit; tribus autem inde percurſis annis, ab Judæis variis impetitur accuſationibus, unde a Vitellio Syriæ Præſide Romam adire jubetur reſponſurus apud Cæſarem ad objecta per Judæos crimina, exacto jam in ſua Præfectura decennio. Anno tandem Æræ Chriſtianæ 39. violentas in ſe manus injiciens occubuit.	4739	Sabb. 211^{i}. an. 5.	Quinq. 30^{a}. an. 48

Anni Periodi Græco-Rom. * ☉	Anni Mundi	Anni ante Æram Christian.		Anni Periodi Julianæ	Anni Sabbatiſmorum	Anni Quinquagenariorum
5324 8. 3. E.	3834	170	Ptolemæus Philometor Rex Ægypti bello vincitur ab Antiocho Epiphane. I. *Mach.* I. ℣. 20.	4544	Sabb. 183^{l}. an. 6.	Quinq. 26^{a}. an. 49.
5217 13. 10. F. E.	3727	277	Ptolemæus Philadelphus Bibliothecam inſignem extruit, atque ſacrarum Scripturarum verſionem in Græcum fieri curat. *Videatur Nota* (23.) *ad Pag.* 165. *Volum.* I. *Diſquiſit. Biblic.*	4437	Sabb. 168^{l}. an. 4	Quinq. 24^{a}. an. 40.
5555 15. 6. C.	4066	Æræ Chriſt. 62.	Publius Melitæ Inſulæ primarius Paulum naufragum humaniſſime hoſpitio ſuſcepit per tres dies, in quibus Publii pater morbo laborans a Paulo ſanatus eſt. *Act.* XXVIII. ℣. 8.	4775	Sabb. 216^{l}. an. 7.	Quinq. 31^{a}. an. 36.
5450 22. 15. A.	3960	44	QUintilis Romanorum menſis, legem ferente Marco Antonio, appellatus eſt *Julius* in honorem Julii Cæſaris. *Appianus lib.* 2. *Belli Civilis.*	4670	Sabb. 201^{l}. an. 6.	Quinq. 29^{a}. an. 28.
4459 11. 12. A.	2969	1035	RAbba Ammonitarum Metropolis obſidione cingitur ab exercitu Davidis, ipſe autem in Civitate Jeruſalem adulterium cum Bethſabee Uriæ uxore committit, cui infandum Uriæ homicidium adjunxit; ſed poſtea crimen utrumque lacrymis abſterſit. II. *Reg. Capp.* XI. & XII.	3679	Sabb. 60^{l}. an. 2.	Quinq. 9^{a}. an. 17.
4784 28. 14. A.	3294	710	Rabſaces cum ſociis ore blaſphemo ultimam Ezechiæ Regi Juda minitatur deſolationem, niſi ſeipſum & Civitatem Sennacheribo dedaret. IV. *Reg.* XVIII.	4004	Sabb. 106^{l}. an. 5.	Quinq. 15^{a}. an. 48.
3764 16. 1. B.	2274	1730	Rachel nobit Jacobo. *Vide Jacob.* Moritur dum Beniaminum parturit.	2984	ante 1^{m} Sabb. a. 280	ante 1^{m} Quinq. a. 2[illegible]6.
			Rahab meretrix exploratores Joſue ſervat, & liberat. *Joſue Cap.* II. ℣. 15. eodem anno, quo Moſi ſucceſſit Joſue. *Vide Joſue.*			
			Rameſſes Miamun in Ægypto regnat; atque nefarium decretum perdendi pueros Iſraelitarum promulgat; anniſque 66. & duobus menſibus imperavit. *Vide Moſes.*			
4789 5. 19. B. A.	3299	705	Raphael Archangelus comitem ſe facit Tobiæ juniori, ipſumque ducit, & reducit, aliaque operatur miranda, quæ *in Tobiæ Libro cap.* V. *& ſeqq.* leguntur.	4009	Sabb. 107^{l}. an. 3.	Quinq. 16^{a}. an. 4.
5333 12. 17. G.	3843	161	Razias vir inter Judæos inſignis ſeipſum occidit ne in manus Nicanoris deveniret, & morte quidem horrenda. II. *Mach Cap.* XIV. Hoc de facinore legendus S. Auguſtinus *in Epiſtola* 61. *ad Dulcitium*, & *lib.* 2. *contra Gaudentium* cap. 23. quibus in locis S. Doctor Raziæ facinus reprobat, atque condemnat.	4553	Sabb. 185^{l}. an. 1.	Quinq. 14^{a}. ao. 46.
			Razon filius Eliadæ ſuſcitatur a Deo, ut adverſarius eſſet Salomonis; idque eo anno, quo Salomon fanum Chamos ædificavit, ut coniici poſſe videtur ex III. *Reg. Cap.* XI. *Vide Chamos.*			

Re-

Anni Periodi Græco-Rom. * ⊙	Anni Mundi	Anni ante Æram Chriſt.		Anni Periodi Julianæ.	Anni Sabbatiſmorum.	Anni Quinquagenariorum.
3638 2. 8. E.	2148	1856	Rebecca Batuelis filia in uxorem ducitur ab Iſaaco; & poſt viginti ſterilitatis annos a Deo benedicitur, & gemellos parit filios Eſau, & Jacob, cum eorum pater Iſaac eſſet annorum 60 *Geneſ.* XXV. ℣℣. 20. & 26.	2858	ante 1^{u} Sabb. a. 406.	ante 1^{a} Quinq. a. 412.
			Rechabitæ a vino abſtinere juſſi ſunt ab Jonadabo filio Rechab. *Jerem.* XXXV. ℣. 6. Iſte Jonadab vivebat cum Jehu Rege Iſrael, dum ſamiliam Achabi exterminavit. IV. *Reg. Cap.* X. ℣. 15. *Vide Jehu.*			
			Reſpha Saulis concubina, ab Abnero carnaliter cognita. II. *Reg.* III. 7. inſigne pietatis, & fortitudinis exemplum exhibuit, dum filios occiſos cuſtodivit. II. *Reg.* XXI. 10. *Vide Miphiboſeth.*			
3743 23. 18. G.	2253	1751	Ruben Jacobi filius naſcitur ex Lia Labanis filia. Quot vixerit annis ſcriptura non indicat.	2963	ante 1^{u} Sabb. a. 301.	ante 1^{a} Quinq. a. 307.
3183 23. 9. G.	1693	2311	SAle natus eſt, cum Arphaſad Pater ejus annum exegiſſet ætatis 35. vixit autem Sale annos 433. *Geneſis* Cap. XI. 15.	2403	ante 1^{u} Sabb. a. 861.	ante 1^{a} Quinq. a. 867.
4773 17. 3 A. G.	3283	721	Salmanaſar exeunte anno tertio, ex quo Samariam obſederat, civitatem illam cœpit, atque decem Iſraelitarum Tribus in captivitatem perduxit. IV. *Reg. Cap.* XVII. 6.	3993	Sabb. 105^{i}. an. 1.	Quinq. 15^{a}. an. 37.
4461 13. 14. F. E.	2971	1033	Salomon filius David ex ea, quæ fuit Uriæ naſcitur. Anno 18 cum ſex menſibus ætatis ſuæ Rex conſtituitur integro ſemeſtri ante Patris mortem, & annis 40. regnavit.	3631	Sabb. 60^{i}. an. 4	Quinq. 9^{a}. an. 19.
4569 9. 8. D. C.	3079	925	Samariæ Civitas, quæ poſtea Iſraelitici Regni Metropolis fuit, ædificata eſt ab Amri Rege Iſrael, in qua habitare cœpit anno ſexto Regni ſui, completo Civitatis ædificio.	3789	Sabb. 75^{i}. an. 7.	Quinq. 11^{a}. an. 29
			Samgar circa annum mundi 2699. Iſraelem vindicavit.			
4339 3. 6. D.	2849	1155	Samſon filius Manue Danitæ naſcitur Saræ atque Nazaræus Domini eſſe debuit. *Judic.* XIII. 24. Anno ætatis ſuæ 18. nuptias cum muliere Thamnatana contraxit, leonem dilaceravit, ac melle in occiſi leonis ore reperto in enigmatis argumentum aſſumpto, ſponſione interpoſita, celebre enigma reſolvendum propoſuit, ex quo præliandi contra Philiſtæos occaſione deſumpta, ea per annos viginti, quibus Iſraelis vindex fuit, portenta patravit, quæ fidem humanam excedunt. Anno denique mundi 2887. cum ingenti Philiſtæorum multitudine in Dagonis templo a ſe concuſſo, & ſubverſo mortem oppetiit.	3559	Sabb. 43^{i}. an. 1.	Quinq. 6^{a}. an. 44

Sa-

Anni Periodi Græco-Rom. * ⊙	Anni Mundi	Anni ante Æram Chriſtian.		Anni Periodi Julianæ	Anni Sabbatiſmorum	Anni Quinquagenariorum
			Samuel Elcanæ filius natus eſt eodem anno cum Sampſone. Vixit annos circiter 98. mors itaque illius circa annum mundi 2947. contigit; annis autem 21. populum rexerat. *Uſſerius Chronologia Sacra Part.* I. *Cap.* 13.			
3508 12. 11. G.	2018	1986	Sara uxor Abrahæ nata eſt ex Harane ipſius Abrahæ fratre. Anno ætatis ſuæ 90. peperit Iſaacum, & tandem annis nata 127. mundi 2145. mortua eſt Hebrone, ibidemque ſepulta. *Geneſ.* XXIII. 19.	2728	ante Iũ Sabb. a. 536.	ante Iã Quinq a. 542.
4399 7. 9. F.	2909	1095	Saul filius Cis de Tribu Beniamin ungitur in Regem Iſrael a Samuele. Annos quadraginta deinde regnavit. *Act.* XIII. 21. Mortuus eſt igitur anno mundi 2949. biennio poſt Samuelem.	3619	Sabb. 51ⁱ. an. 5.	Quinq. 8ᵘ. an. 6.
4895 27. 11. B.	3405	599	Sedecias, qui antea Mattanias vocabatur, Rex conſtituitur ſuper Iſrael Jechoniæ loco; undecim annis iſte regnavit, nempe uſque ad annum mundi 3416. quo oculis orbatus in captivitatem perductus, in eadem vitam finivit.	4115	Sabb. 122ⁱ. an. 4.	Quinq. 18ᵘ. an. 12.
5183 7. 14 F.	3693	311	Seleucidarum Æra incipit juxta Auctorem Libri II. Machabæorum ab idibus Octobris anni Periodi Julianæ 4403. Juxta Auctorem autem Libri I. eorumdem Machabæorum, Æra iſta initium habebat a præcedenti Niſan. Nos in hiſce tabulis annos Mundi a die 23. Octobris incipimus, unde hoc obſervandum in computandis annis Julianis.	4403	Sabb. 163ⁱ. an. 5.	Quinq. 24ᵘ. an. 6.
5307 19. 5. E.	3817	187	Seleucus Philopator pietatis ſpeciem exhibuit erga Dei Sanctuarium II. *Mach. Cap.* III. ℣. 3. Succeſſit Patri ſuo Antiocho in Regno; annis duodecim ſceptrum retenturus.	4527	Sabb. 181ⁱ. an. 3.	Quinq 26ᵘ. an. 32.
3048 28. 7. A.	1558	2446	Sem filius Noe ſecundogenitus naſcitur annisque vixit ſexcentis uſque ſcilicet ad annum Mundi 2158.	2268	ante Iũ Sabb. a. 996.	ante Iã Quinq a. 1002
4519 15. 15. C.	3030	975	Semejas Dei vir mittitur ad Roboam ne bellum adverſus decem Tribus committeret. III. *Reg.* XII.	3739	Sabb. 70ⁱ. an 1.	Quinq. 10ᵘ. an. 30.
			Semei filius Gera Davidi maledicit, in eumque lapides jacit cum fugeret a facie Abſalomi rebellis. *Vide Abſalom.*			
4784 28. 14 A.	3294	710	Sennacherib Rex Aſſyriorum anno 14. Ezechiæ Regis Juda Civitates ejus occupat; magnumque ipſi Ezechiæ tributum ſolvendum indicit. IV. *Regum. Cap.* XVIII. ℣. 13. Tribus inde annis elapſis cum exercitu formidabili Hieroſolymam venit, qui ab Angelo Dei unica nocte profligatus eſt. *Reg.* IV. *Cap.* XIX. ℣. 35.	4004	Sabb. 106ⁱ. an. 5.	Quinq. 15ᵘ. an. 48
3963 19. 10. E.	2473	1531	Sephora Jethronis filia in uxorem ducitur a Moſe, quæ poſtea duos ei filios peperit Gerſam, & Eliezer. *Exodi Cap.* II. ℣. 22.	3183	ante Iũ Sabb. an. 81.	ante Iã Quinq. an. 87.

Ser-

Anni Periodi Græco-Rom. * ⊙	Anni Mundi	Anni ante Æram Chriſt.		Anni Periodi Julianæ	Anni Sabbatiſmorum	Quinquagenariorum
4042 14. 13. D.	2552	1452	Serpens æneus a Moſe fabricatur, atque ſuper haſtam pro ſigno reponitur. *Numer.* XXI. ℣. 9. in quo Chriſti in Cruce exaltatio figurata eſt. *Joan.* III. ℣. 14	3262	ante Iū Sabb. au. 2.	ante Iā Quinq. an. 8.
			Sichem filius Hemor Diuam rapit. *Vide Dina*.			
2532 15. 4 B.	1042	2962	Seth Adami filius naſcitur. *Vide Adam.* Mortuus eſt Seth anno ætatis ſuæ 912. *Geneſ.* V. ℣. 8.	1752	ante Iū Sabb. a. 1512	ante Iā Quinq. a. 1518
			Silas, ſive Silvanus cum Juda, & Paulo mittitur Antiochiam. *Vide Concilium Apoſtolorum*.			
3744 24. 19. F.	2254	1750	Simeon Jacobi filius naſcitur ex Lia in Meſopotamia.	2964	ante Iū Sabb. a. 300.	ante Iā Quinq a. 306.
3597 17. 5. A. G.	2107	1897	Sodoma, & Gumorra ſubvertuntur igne e Cœlo elapſo concrematæ.	2817	ante Iū Sabb. a. 447.	ante Iā Quinq. a. 453.
5526 24 15. F.	4037	Æræ Chriſt. 33.	Stephanus eligitur in Diaconum ſimul cum aliis. *Vide Philippus*. Lapidatur autem ab Judæis aſſiſtente Saulo, tunc Eccleſiæ hoſte. *Act.* VII. 58.	4746	Sabb. 212ⁱ. au. 6.	Quinq. 31ᵘ. an. 7.
4891 23 7. G.	3401	603	Suſannæ hiſtoria, quæ in *Cap.* XIII. Danielis enarratur, cum incerti ſit temporis hic reponimus cum Calmeto.	4111	Sabb. 121ⁱ. an. 7.	Quinq. 18ᵘ. an. 8.
5531 19. 1. E.	4041	Æræ Chriſt. 38	TAbita Petri Apoſtoli oratione ſuſcitatur a morte, vitæque reſtituitur. *Act.* IX. ℣. 40.	4751	Sabb. 213ⁱ. an. 3.	Quinq. 31ᵘ. an. 11.
			Tebni filius Gineth Imperium in Iſrael affectabat. *Vide Amri*.			
4482 6 16. B.	2992	1012	Templum Salomonis ædificari cœpit anno 480. a diebus ſexdecim incœpto ex die, qua egreſſi Iſraelitæ ſunt, ducente Moſe, de terra Ægypti quam incolebant. Exitus quippe eorum contigit die 15. menſis Niſan, ſeu die 5. Maii Juliani. Templi autem fundamenta jacta ſunt die ſecunda Menſis *Jiar*, ſeu *Zin*, ſcilicet Maii Juliani die 21. *Lib. I. Regum* VI. ℣. 1. anno 4. Regni Salomonis ineunte. Completum fuit mirabile hoc ædificium anno undecimo Regni Salomonis, menſe octavo, qui *Bul*, ſeu *Marcheſuam* appellabatur, cujus Neomenia, ſeu Kalendæ in diem 22. Novembris incidebant. Combuſtum fuit denique Templum ſub Nabuchodonoſore poſtquam condi cœptum eſt annis 424. menſibus tribus, & diebus octo.	3702	Sabb. 63ⁱ. an. 4.	Quinq. 9ᵘ. an. 40.
4959 7. 18. F.	3469	535	Templum Hieroſolymitanum iterum ab Eſdra ædificari cœpit anno ſecundo a Judæorum reditu in Judæam, menſe ſecundo *Jiar*, ideſt intra diem 21. Maii, & diem 20. Junii, diuque in ſuo decore perſeveravit, donec ab Antiocho Machabæorum tempore ad annum mundi 3837.	4179	Sabb. 131ⁱ. an. 5.	Quinq. 19ᵘ. an. 27.

Anni Periodi Græco-Rom. ⊙	Anni Mundi	Anni ante Æram Chriſtian.		Anni Periodi Julianæ	Anni Sabbatiſmorum	Anni Quinquagenariatum
			prophanatum eſt; ſed tribus elapſis annis ab Juda Machabæo reſtituitur. Tandem ab Herode maguifice extructum, & ornatum, iterum anno ſecundo Veſpaſiani, Mundi 4073. eadem die 10. Auguſti, qua ſub Nabuchodonuſore concrematum fuerat, incenſum eſt, & deſolatum; ſicque uſque modo perſeverat.			
5344 28. 4. A.	3854	150	Templum Heliopolitauum in Ægypto extrui poſſe impetrat Onias Judæus Oniæ III. Pontificis filius a Ptolomæo Philometore, & Cleopatra ejus uxore, atque ſimul ſorore, poſtquam egregiam bellis tum Ægyptiacis, cum Syriacis operam navaſſet; quamvis non perfecte ad nurmam Hieroſulymitani templi illud condiderit.	4564	Sabb. 186^{i}. an. 5.	Quinq. 27^{m}. au. 20.
			Templum in munte Garizzim extruitur. *Vide Manaſſes filius Jojadæ*.			
5524 12. 13. G.	4034	Æræ Chriſt. 31.	Thaddæus Apoſtolus, qui & Judas, & Lebbæus appellabatur, cum cæteris Apoſtolis a Chriſto ſeligitur ad munus Apoſtolicum. *Lucæ* VI. ℣. 14. Epiſtolam Catholicam ſcripſit, de qua *videatur nota* (68) *ad pag.* 633. I. *Voluminis Diſquiſit. Biblic.*	4744	Sabb. 212^{i}. an. 3.	Quinq. 31^{m}. an. 4.
			Thamar Judæ nerus ex ſocero concipit. *Vide Judas*.			
3368 12. 4. C.	1878	2126	Thare Pater Abraham naſcitur dum Pater ejus annum 29 ætatis exegerat. Anno ætatis ſuæ 130. Abrahamum filium ſuſcepit, & tandem annis natus 205. mundi 2083. ſupremam diem clauſit. *Geneſ.* XI. ℣. 31.	2588	ante Ia Sabb. a. 676.	aute Ia Quinq. a. 682.
4754 26. 3. C.	3264	740	Theglathphalaſar, qui & *Ninus Junior* appellatur in terram Iſraelis veuiens plures occupavit Civitates, maguamque populi multitudinem trauſtulit in Aſſyrios. IV. *Regum* XV. 29.	3974	Sabb. 102^{i}. an. 3.	Quinq. 15^{m}. an. 18.
4251 19. 14. E.	2772	1223	Thola filius Phua Judex in Iſraele conſtituitur, populumque annis 23. judicavit. *Judic.* X. ℣. 2.	3491	Sabb. 32^{i}. an. 2.	Quinq. 5^{m}. an. 16.
			Thomas Apoſtolus quandiu vixerit incertum eſt. *Videatur Sandinus* in ſua Hiſtoria Apoſtolica ad verbum *S. Thomas*.			
5546 6. 16. G.	4056	Æræ Chriſt. 53.	Timotheus Pauli diſcipulus aſſumitur ab Apoſtolo, & ne Judæis eſſet contemptui eum circumcidit. Annis pluſquam tredecim in Evangelii miniſteriu, & Epiſcopatu vixit, cum anno Æræ Chriſt. *66.* ſecundam a S. Paulo ſibi datam Epiſtolam acceperit.	4766	Sabb. 215 an. 4.	Quinq. 31^{m}. an. 26.
5445 5. 15. B. A.	4055	Æræ Chriſt. 52.	Titus aſſumitur a S. Paulo, & cum natione Gentilis eſſet noluit eum circumcidi. Cretæ Epiſcopus conſtituitur ab Apoſtolo, & ultra anuum *66.* Æræ Vulgaris vitam protraxit, cum eius mentionem fecerit Paulus in ſua ad Timotheum 2. Epiſtola *Cap.* 4.	4765	Sabb. 215^{i}. an. 3.	Quinq. 31^{m}. an. 25.

To-

Anni Periodi Græco-Rom. * ⊙	Anni Mundi	Anni ante Æram Chriſt.		Anni Periodi Julianæ	Anni Sabbatiſmorum	Anni Quinquagenariorum
4773 17. 3. A. G.	3283	721	Tobias ſenior annis circiter 44. natus in captivitatem ducitur ſub Salmanaſare cum uxore ſua, & filio Tobia puerulns quadriennis runc exiſtens; opera pietatis in eadem ipſa captivitate exercuit; ac tandem annis natus 102. poſtquam oculis ſanatus fuerat annis 42. obdormivit in Domino anno mundi 3341.	3993	Sabb. 105^{i}. an. 1.	Quinq. 15^{a}. an. 37.
4789 5. 19. B. A.	3299	705	Tobias junior annis natus 20. ducitur ab Archangelo Raphaele in Rages Medorum, Saram Raguelis filiam uxorem ducit, domum reverſus Patri viſum reſtituit; diuque poſtea vixit ad annum uſque ætatis ſuæ 99 unde Ninive relicta, perrexit ad ſoceros ſuos in Rages, ibidemque in pace quievit. *Tobiæ Cap.* XIV. ℣. 16	4009	Sabb. 107^{i}. an. 3.	Quinq. 16^{a}. an. 4.
5351 7. 11. F.	3861	143	Tryphon, qui antea *Diodotus* dicebatur Jonathan, & filios ejus inique interimit; occidit pariter Antiochum Regem juvenem, ſibique Aſiæ regnum uſurpavit, ſed poſt annos quinque vitæ finem infœliciter geſſit, ut referunt Strabo, Joſephus, Georgius Syncellus, & alii.	4571	Sabb. 187^{i}. an. 5.	Quinq. 27^{a}. an. 27.
4975 23. 15. C.	3486	519	VAſthi Regina, Aſſueri, nempe Darii Hyſtaſpis uxor, repudiatur ob ejus inobedientiam. Quatuor inde decurſis annis, ſcilicet anno Periodi Græco-Romanæ 4979. (ſi legas ad verbum *Aſſuerus*) regium Diadema Eſtheræ impoſitum eſt.	4195	Sabb. 134^{i}. an. 1.	Quinq. 19^{a}. an. 44.
			Veſpeſianus. *Vide Templum Hieroſolymitanum*.			
			Vitulus aureus ab Aarone in deſerto conflatur, revertente autem Moſe de monte, quarto menſe tabulas legis confregit in cujus facti memoriam annuum jejunium obſervant Judæi die 17. menſis 4. nempe die 5. Auguſti Juliani. *Vide Iſraelitæ*.			
			URias a Davide occiditur, ejuſque uxor Bethſabee ob eodem uſurpatur. *Vide Bethſabee*.			
4885 17. 1. A. G.	3395	609	Urias Propheta filius Semei de Cariathiarim ex Ægypto eductus occiditur ab Joakimo Judæ Rege.	4105	Sabb. 121^{i}. an. 1.	Quinq. 18^{a}. an. 2.
4754 26. 3. C.	3264	740	Urias Sacerdos extruit Altare juxta exemplar Altaris, quod erat Damaſci. *Regum* IV. *Cap.* 16. ℣. 11.	3974	Sabb. 102^{i}. an. 3.	Quinq. 15^{a}. an. 18.
			Urim, & Thummim quando in Iſraele defierint. *Vide Volum. I. Diſquiſit. Pag.* 6. *colum.* 2.			
4633 5. 1. B. A.	3243	761	Uzzias, qui & *Ozias*, & *Azaria* dicitur, lepra percutitur a Domino, quod offerre incenſum præſumpſerit, anno 49. Regni ſui juxta Salianum.	3953	Sabb. 99^{i}. an. 3.	Quinq. 14^{a}. an. 46.
5526 14. 15. D.	4036	Æræ Chriſt. 33.	ZAcchæus domi ſuæ Jeſum ſuſcipit paucis ante ultimum a Servatore celebratum Paſcha diebus.	4746	Sabb. 212^{i}. an. 5.	Quinq. 31^{a}. an. 6.

Zac-

Anni Periodi Græco-Rom. * ⊙	Anni Mundi	Anni ante Æram Chriſt.		Anni Periodi Julianæ	Anni Sabbatiſmorum	Anni Quinquagenariorum.
4654 10. 17. B.	3164	840	Zaccharias filius Jojadæ in atrio domus Domini lapidatur a Judæis, præcipiente Rege Joas. Hic eſt ille Zaccharias inter Templum occiſus, & Altare, de quo loquitur Chriſtus apud *S. Matthæum Cap.* XXIII. ℣. 35.	3874	Sabb. 88ᵘ. an. 1.	Quinq. 13ᵉ. an. 16.
4721 21. 8. C. B.	3232	773	Zaccharias Jeroboami filius, quartus & ultimus ex ſtirpe Jehu ſex menſibus regnat: IV. *Reg. Cap.* XV. ℣. 8.	3941	Sabb. 97ⁱ. an. 6.	Quinq. 14ᵉ. an. 35.
			Zaccharias Propheta floret ſimul cum Aggæo. *Vide Aggæus*, & *notam* (49) *Pagina* 536. *Volum.* I. *Diſquiſit. Biblic.*			
			Zaccharias Pater S. Joannis Baptiſtæ. *Vide Eliſabeth.*			
			Zorobabel anno primo Cyri Regis Perſarum Populum Judaicum ex captivitate in Judæam reduxit. *Vide Cyrus.*			
3792 28. 13. A.	2292	1718	Zara naſcitur de Thamar anno 37. ætatis Judæ Patris ſui.	3002	ante Iᵘ Sabb. a. 262.	ante Iᵃ Quinq. a. 268.

FINIS Tabulis hiſce Chronologicis imponitur anno Periodi Græco-Romanæ 7263. anno vero Julianæ Periodi 6483 Æræ Chriſtianæ 1770. qui concurrunt cum anno mundi 5773. die juxta correctionem Gregorianam Julii 17.

TABULA

TABULA

ANNORUM SABBATICORUM, ET JUBILÆORUM.

1	2554		38	2813		75	3072		112	3331		149	3590	Jub. XXI.	186	3849	
2	2561		39	2820		76	3079		113	3338		150	3597		187	3856	
3	2568		40	2827		77	3086		114	3345	Jub. XVI.	151	3604		188	3863	
4	2575		41	2834		78	3093		115	3352		152	3611		189	3870	
5	2582		42	2841		79	3100	Jub. XI.	116	3359		153	3618		190	3877	
6	2589		43	2848		80	3107		117	3366		154	3625		191	3884	Jub. XXVII.
7	2596		44	2855	Jub. VI.	81	3114		118	3373		155	3632		192	3891	
8	2603		45	2862		82	3121		119	3380		156	3639	Jub. XXII.	193	3898	
9	2610	Jub. I.	46	2869		83	3128		120	3387		157	3646		194	3905	
10	2617		47	2876		84	3135		121	3394	Jub. XVII.	158	3653		195	3912	
11	2624		48	2883		85	3142		122	3401		159	3660		196	3919	
12	2631		49	2890		86	3149	Jub. XII.	123	3408		160	3667		197	3926	
13	2638		50	2897		87	3156		124	3415		161	3674		198	3933	Jub. XXVIII.
14	2645		51	2904	Jub. VII.	88	3163		125	3422		162	3681		199	3940	
15	2652		52	2911		89	3170		126	3429		163	3688	Jub. XXIII.	200	3947	
16	2659	Jub. II.	53	2918		90	3177		127	3436		164	3695		201	3954	
17	2666		54	2925		91	3184		128	3443	Jub. XVIII.	165	3702		202	3961	
18	2673		55	2932		92	3191		129	3450		166	3709		203	3968	
19	2680		56	2939		93	3198	Jub. XIII.	130	3457		167	3716		204	3975	
20	2687		57	2946		94	3205		131	3464		168	3723		205	3982	Jub. XXIX.
21	2694		58	2953	Jub. VIII.	95	3212		132	3471		169	3730		206	3989	
22	2701		59	2960		96	3219		133	3478		170	3737	Jub. XXIV.	207	3996	
23	2708	Jub. III.	60	2967		97	3226		134	3485		171	3744		208	4003	
24	2715		61	2974		98	3233		135	3492	Jub. XIX.	172	3751		209	4010	
25	2722		62	2981		99	3240		136	3499		173	3758		210	4017	
26	2729		63	2988		100	3247	Jub. XIV.	137	3506		174	3765		211	4024	
27	2736		64	2995		101	3254		138	3513		175	3772		212	4031	Jub. XXX.
28	2743		65	3002	Jub. IX.	102	3261		139	3520		176	3779		213	4038	
29	2750		66	3009		103	3268		140	3527		177	3786	Jub. XXV.	214	4045	
30	2757	Jub. IV.	67	3016		104	3275		141	3534		178	3793		215	4052	
31	2764		68	3023		105	3282		142	3541	Jub. XX.	179	3800		216	4059	
32	2771		69	3030		106	3289		143	3548		180	3807		217	4066	
33	2778		70	3037		107	3296	Jub. XV.	144	3555		181	3814		218	4073	
34	2785		71	3044		108	3303		145	3562		182	3821		219	4080	Jub. XXXI.
35	2792		72	3051	Jub. X.	109	3310		146	3569		183	3828		220	4087	
36	2799		73	3058		110	3317		147	3576		184	3835	Jub. XXVI.	221	4094	
37	2806	Jub. V.	74	3065		111	3324		148	3583		185	3842		222	4101	

Sabbatiſmus primus incipit ab autumno anni Mundi 2554. quo coli cœpit promiſſionis terra ab Judæis, & definit in autumno anni 2561. & inde incipit Sabbatiſmus ſecundus; adeo ut annus Sabbaticus primus currit ab autumno anni 1560. uſque ad autumnum anni 1561. A primo anno Sabbatico exordium ſumit prima quinquagenaria Hebræorum, & in anno mundi 2610. definit; primus quippe annus eorum Jubilæus incipit ab autumno anni mundi 2609. & abſolvitur in autumno anni 2610. in quo enim anno deſcribuntur in hac Tabella Jubilæi, ibi definunt in autumno, cum in autumno anni præcedentis ſemper incipiant; & ita de annis Sabbaticis dicendum.

DISQUISITIONES BIBLICÆ
R. P. F. CLAUDII
FRASSEN

ORDINIS MINORUM REGULARIS
OBSERVANTIÆ S. FRANCISCI
PROFESSORIS EMERITI, ET PARISIENSIS DOCTORIS
IN DUO VOLUMINA DISTRIBUTÆ.

EDITIO ALTERA

Voluminis Secundi

Pars Secunda.

Additionibus nonnullis Hiſtoricis, & Criticis Illuſtrata

PER

P. F. N. W.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM,

Quæ in hac poſteriori Secundi Voluminis parte continentur.
Numerus prior paginam, Secundus columnam indigitat.

Aaronis virga in Serpentem converſa Pag. 318. C. I.
Abel Sacerdos, martyr, & virgo. 64. II.
Abimelechum monet Deus, ut Saram Abrahamo reſtituat. 184. II.
Abimelechus erga Abraham benevolus. 166. I.
Abraham quo anno Patris ſui ſit natus. 135. I.
Abrahæ pugna contra quinque Reges facta. 149. I.
Abraham Agar, & Iſmaelem ejicit. 189. I.
Abraham novem vicibus a Deo tentatus. 192. I.
Abyſſus quid ſit. 105. II.
Adam omnium hominum primus fuit, 30. I.
Adam mortuus eſt, & ſepultus in Golgotha. 86. I.
Adipem, & ſanguinem noluit Deus a Sacrificantibus ſorberi. 412. I.
Ægyptus quare vocetur terra Cham. 146. II.
Ægyptii bona in Regis dominium tempore famis transferuntur 277. I.
Ægypti flagella tempore Moſis. 320. & ſeqq.
Agar fugit in deſertum. 166. II.
Ana duæ perſonæ vir una, altera mulier. 248. I.
Animantia congregantur ut intrarent in Arcam. 114. I.
Anni Patriarcharum noſtris ſimiles. 80. I.
Aqua luſtralis quomodo conficienda, & ejus effectus. 473. I. & ſeqq
Aquæ ſupra Cœlos exiſtunt. 17. I.
Aquæ in ſanguinem converſæ. Vide *Ægypti flagella.*
Aqua e rupe per Moſen educta. 350. I.
Arbor ſcientiæ boni, & mali. 48. I.
Arca Noe *deſcribitur.* 109. & ſeqq.
Arca fœderis a ſolis Sacerdotibus portanda. 391. I.
Arca ad prælium deportata. 486. I.
Arca non fuit a Tito Romam translata. 367. II.
Aſtra ſunt ſigna temporum, & rerum naturalium, Civilium, & ſpiritualium. 23. & ſeqq.
Azazel *vox quid ſignificet.* 401. I.

Babyloniorum vana de ſua antiquitate jactantia. 33. II.
Balaam an verus Propheta. 479. II.
Balaam cum Madianitis occiſus. 486. II.
Beelphegor quondam Idolum. 483. I.
Beniamini nepotes viri belligerantes. 290. I.

Cadavere invento quid agendum erat. 509. I.
Cain fuit Agricola. 57. I.
Caini crimina, & eorum vindicta. 60. I.
Cain Civitatem ædificat. 65. I.
Cain occiditur. 68. I.
Cainan II. an admittendus. 131. I.
Capitales pœnæ Judæorum. 456. I.
Canticum Moſis fuit omnium primum canticorum, quæ habemus. 343. I.
Carnium eſus ante diluvium licitus non præceptus. 120. I.
Caſtrorum ordo inter Judæos ex Ægypto egredientes. 461. I.
Cethura Abrahæ uxor. 202. I.
Chananæos cur Deus tandia impunitos reliquerit, 160. I.
Chronologiæ Sacræ diverſitas cur. 74. I.
Cinæi qui fuerint. 482. II.
Circumciſio delebat originale peccatum. 170. I.
Circumciſio abrogata fuit in lege Evangelica. 171. I.
Cœli, & terræ nomen quid ſignificet. 10. I.
Columba bis ex arca dimittitur. 107. II.
Columna nubis, & ignis an eadem eſſet. 337. II.
Conſecratio Sacerdotum, qualis erat. 375. II.
Cultum Deorum reiiciendum. 423. I.

Deboræ mors & ſepultura. 448. I.
Decalogi diſtributio, & ſecundæ Tabulæ diviſio. 354. I.
Defunctos parentes deflere, & unguentis delinire antiqua conſuetudo eſt. 291. & ſequent.
Dæmones ſolitudines agreſtes incolunt. 402. II.
Dei nomen religioſe proferendum. 429. I.
Deum quomodo pœnituiſſe dicat Moſes. 98. I.
Deus ratam habuit benedictionem Jacobo datam 217. I.
Deus quomodo die ſeptimo quieviſſe dicatur & uſque modo operari. 36. I.
Deuteronomii Etymon. 491. I.
Deuteronomium ubi ſcriptum fuit. 514. I.
Dies & noctes fuerunt ante ſolis productionem. 8. I.
Diluvium an fuerit univerſale. 101. I.
Diluvium an ex cauſis naturalibus venerit. 108. I.
Dinæ Jacobi filiæ culpabilis curioſitas. 242. I.

Dominorum in ſervos auctoritas. 355. I.
Dudaim *vocis variæ expoſitiones.* 231. I.

E*Cclesia utitur verſione* LXX. *in quibus dam.* 79. II.
Eccleſiæ ritus in Altarium conſecratione a Jacobo derivatus. 224. I.
Eden quid ſignificet. 44. II.
Enos cœpit invocare nomen Domini. 87. I.
Ephod quadruplicis generis. 371. I.
Eſſe *eſt nomen proprium Dei.* 310. I.
Eſau genealogia inſervit hiſtoriæ ſacræ. 248. I.
Eſau poſteri ab Hebræis expugnati non ſunt. 493. II.
Eſau, & Jacobi characteres oppoſiti. 2:6. I.
Eſau aliæ operationes ibi & ſeqq.
Eſus ſanguinis prohibitus. 123. I.
Ethnici pretio habebant porcos. 419. II.
Ethnicorum uſus & ritus immanes. 421. II.
Ethnici ſuos capillos Diis devovebant. 427. I.
Ethnicorum horrenda turpitudo. 440. II.
Eva quid ſibi voluerit per illa verba poſſedi hominem per Deum, *& cur filiis nomen dederit.* 56. I.
Eunuchi nomen quid ſignificet. 259. I.
Expiationis feſtum cur inſtitutum, & quid in illo offerebatur, 401.
& ſeqq.

F*Alſi teſtes pœna talionis puniendi.* 508 II.
Fames a Joſepho prænunciata 265. I.
Fermentum in ſacrificiis prohibitum. 409. I.
Filii Dei quinam fuerint, qui filias hominum viderunt, 94. I.
Filius Dei cum Angelis ab Abrahamo hoſpitio ſuſceptus, 175. I.
Firmamentum quid ſignificet, 16. I.
& ſeqq.
Fœdus inter Deum, & homines. 361. I.
Forma in judiciis ſervanda, 456. I.
Fornicatio damnatur, 440. II.

G*Aaditæ viri fortiſſimi ad bellandum.* 520. II.
Ganges quiſnam fluvius. 45. I.
Generationes veterum Patriarcharum. 74.
Geneſis quiſnam liber. 2. I.
Geneſis liber in quot partes dividatur. 5. I.
Gentiles non ſunt extranei reſpectu Adami, 33. I.
Gentiles a fidelibus ritus ſacrificiorum acceperunt. 58. II.
Gigantes quinam fuerint. 96. I.
& ſeqq.

H*Aran dici potuit Abrahæ terra.* 140. I.
Heber *quid ſignificet,* 492. I.
Hebræi Ægyptiorum plagis afflicti non ſunt. 321. II.
Hebræi in ſolitudine divites. 384. II.
Hebræorum ſeditio juxta montem Sinai, 466. I.
Hebræorum flagellum per ſerpentes. 476. I.
Hœdus in lacte matris coqui non debet. 359. I.
Horræi Emim, & Zanzomin qui fuerint, 494. I.

J*Acob ſymbolum prædeſtinatorum.* 207. II.
Jacob in Syriam proficiſcitur, & ſcalam mirabilem videt. 221.
& ſeqq.
Jacobi varia geſta in Meſopotamia. 225.
& ſeqq.
Jacob in Patriam regreſſus, & varia illius geſta. 233.
& ſeqq.
Jacob in Ægyptum proficiſcitur, variique ibidem eventus. 273.
& ſeqq.
Jacob in Ægypto moritur, & in ſepulchrum Abrahæ transfertur. 291.
& ſeqq.
Japhet habitavit in tabernaculis Sem, & cur. 128. I.
Jeruſalem non erat Abrahæ tempore. 156. I.
Jethro ad Moſen accedit. 352. I.
& ſeqq
Joſephi injuſta criminatio in Rachelem. 245. I.
Joſeph venditur adhuc vivente Iſaaco. 249. I.
Joſephi varia geſta, 250.
& ſeqq.
Joſephi geſta in Ægypto. 258.
& ſeqq
Joſue Dux populi conſtituitur. 484. II.

I*Ris quodnam ſignum in Cœlo.* 123. II.
Iſaaci nativitas, gaudium. 186. I.
Iſaac magis Jacob, quam Eſau diligebat. 214. I.
Iſaac quo ſenſu dixerit Rebeccam ſororem ſuam. 211.
& ſeqq.
Iſraelitæ in Ægypto inſtituta propria ſervarunt. 82. I.
Iſraelitæ quo tempore, & qua hora ex Ægypto egreſſi ſint. 335. I.
Iſraelitæ quo tempore acceſſerint ad montem Sinai, eorumque in deſerto commoratio, 353.
& ſeqq
Judæ Genealogia cur referatur. 255. I.
Judæ ſententia in Thamarum iniqua. 256. II.
Judæi ter in anno ad Sanctuarium debebant accedere. 359. I.
Judæi tres excommunicationis ſpecies habebant. 458. I.
Juramentum apud omnes ſemper fuit ſacrum. 198. I.
Juramentum Chriſtianorum quale eſſe debeat. 429. II.
& ſeqq.

L*Abanus excuſat fraudem Jacobo factam.* 228. II.
Labanus variis artibus Jacobum detinet, variæque inter eos altercationes. 232.
& ſeqq.
Lamech primus Polygamus, 69. I.
& ſeqq.
Lamech Noe Pater diverſus eſt a Lamecho Polygamo. 93. I.
Leges cæremoniales quæ fuerint. 445 I.
& ſeqq.

Lex

Digitized by Google

Lex in ſingulis ſeptemniis legenda erat. 517. I.
Levitiens ſcriptus eſt juxta montem Sinai. 387. I.
Levitarum origo. 383. I.
Levitæ ad Dei cultum deſtinantur. 389. *& ſeqq.*
Levitæ triplicis generis munia habebant. 462. I.
Levitica Tribus elogia, & privilegia. 519. II.
Lia cur fœcunda, & Rachel ſterilis. 229. II.
Libatio quomodo facienda. 408. I.
Lingua Hebraica cur ſancta dicatur. 55. I.
Longævitas vitæ cur ad annos mille nunquam pervenerit. 83. II.
Lot uxor in ſtatuam ſalis convertitur. 180. I.
Luna, qua in phaſi producta. 22. II.
Luſtratio per ignem quomodo fiebat. 416. I.
Lux primigenia quæ fuerit. 15. I.

M*Adianitæ profligantur.* 485. I.
Magicæ artes damnantur. 424. I.
Magorum virgæ an in dracones converſæ ſint. 319. I.
Magorum Ægypti maleficia varia. 323. II.
Mariæ, & Sephoræ contentiones. 458. II.
Matrimonium cum infidelibus non ineundum. 497. I.
Matrimonium ſymbolum unionis Chriſti cum Eccleſia. 70. I.
Mel a ſacrificiis rejectum, & cur. 409. I.
Melchiſedech quis fuerit. 250. *& ſeqq.*
Melchiſedech cur dictus ſine Patre. 153. II. *& ſeqq.*
Minha quidnam fuerit. 395. I.
Mœchia quid ſit. 440. I. *& ſeqq.*
Montes quidam nubibus altiores. 107. II.
Mons, in quo Arca requievit. 117. I.
Mons idem Horeb, & Sina. 308. I.
Mons Hebal cur electus ad Sacrificium potius quam Garizzim. 516. I.
Monumentum a Jacobo erigitur juxta Bethleem. 247. I.
Moſis parentes qui fuerint. 301. I.
Moſis educatio. 303. I. *& ſeqq.*
Moſes fugit in Madian. 305. *& ſeqq.*
Moſis geſta apud ſocerum ſuum in Madian. 306. *& ſeqq.*
Moſis miſſio ad Pharaonem, ejuſque geſta apud illum. 315. *& ſeqq.*
Moſis, & populi præparatio ad exitum de Ægypto. 330. *& ſeqq.*
Moſis geſta poſt tranſitum maris rubri. 343. *& ſeqq.*
Moſes terram promiſſionis non ingreditur. 521. I.
Mundus ab æterno conditus non eſt. 3. I.
Mundum verno tempore conditum plures docent SS. Patres. 8. II.

N*Azaræi ſignificatio.* 464. I.
Neomeniæ quomodo eſſent feſta. 445. I.
Nembrod quis fuerit. 128. I.
Nembrod in Aſſyriam perrexit. 130. I.
Nephtali Tribus mare & meridiem colit. 521. I.
Noe jubetur Arcam conſtruere. 109. I.
Noe quandiu in Arca permanſerit. 115. I.
Noe ex Arca egreditur, & ejus geſta. 118. *& ſeqq.*

O*Blatio pro peccato Principis facienda erat ab aliis diverſa.* 400. II.
Og quomodo dictus Gigantum ultimus. 494. II.
Oleum in oblationibus adhibebatur. 409. II.
Operariorum merces non fraudanda. 442. I.

P*Alæſtina in hæreditatem Semi ceſſit.* 155. I.
Panes propoſitionis quales erant. 404. II.
Paradiſus terreſtris qualis fuerit & ubi. 41. *& ſeqq.*
Parentes primi e Paradiſo virgines exiviſſe creduntur. 55. I.
Parentibus quæ obſervantia debeatur. 435. *& ſeqq.*
Paſcha cur ita nominetur, & quid ſignificet. 333. II.
Paſtores qui Ægypto præfuerunt non fuerunt Iſraelitæ. 299. I.
Patriarchæ noverunt nomen Jehova. 316. II.
Peccatum ſummi ſacerdotis, & totius populi erat peculiariter expiandum. 400. II.
Pentecoſtes dicitur feſtum Hebdomadarum. 447. I.
Pharao, ejuſque domeſtici merito puniuntur propter Saram. 146. I.
Pharao in mari rubro ſubmerſus quis fuerit. 342. II.
Philiſtæos jubentur Iſraelitæ expugnare. 337. I.
Polygamia per divinam diſpenſationem contracta eſt. 71. II.
Principii nomen in Geneſi primo quid ſignificet. 2. I.
Primitiæ erant res ſacræ. 515. I.
Primogenitorum privilegia. 208. I.
Propheta falſus quomodo cognoſcitur. 455. I.
Prophetæ falſi cur a Deo permittantur. 502. I.
Proximi vitæ conſulendum eſt. 437. *& ſeqq.*
Puthipharis uxor Joſephi pulchritudine illicitur. 259. II.
Puthiphar, cujus filiam duxit Joſeph, diverſus ab altero. 265. I.
Pytones unde ſic dicti. 507. I.

R*Achel promittitur Jacobo.* 225. *& ſeqq.*
Rachel moritur in Bethel. 247. I.
Raguel an verum Deum cognoverit. 306. I.
Rebeccæ ſterilitas, deinde fœcunditas. 294. *& ſeqq.*
Refugii ſex Civitates. 508. I.

Re-

Repudii libellus, eiuſque effectus. 513. I.
Rex eligendus qualis eſſe debeat. 505. II.

SAbbathum magnum, & ſecundo primum. 434. I.
Sabbaticus fluvius. 435. I.
Sabbathi præceptum cæremoniale, & morale. 431. I.
Sacerdotalia indumenta. 370.
& ſeqq.
Sacerdotum officia, & ordines, quæ 392.
& ſeqq.
Sacrificia a Deo ſunt instituta. 59.
& ſeqq.
Sacrificia, & Sacramenta debent eſſe in omni religione. 395. I.
Sara licet ſexagenaria adhuc pulcherrima. 143. I.
Sara ſoror Abrahæ, quomodo 184 II.
Saræ ſepultura an licite empta. 197. I.
Saturnus filium immolans non alius est quam Abraham. 195. II.
Sem anno 502 Noe naſcitur. 93. I.
Semi genealogia texitur. 131. I.
Senatus Judaici auctoritas. 452.
& ſeqq.
Sepulchru concupiſcentiæ. 468. II.
Serpens tentator in paradiſo terrestri quis fuerit. 50.
& ſeqq.
Serpens æneus in deſerto quid ſignificaverit. 477. I.
Seth Adami genealogia perducit. 73. I.
Sichimorum Civitatis devastatio illicita. 243. I.
Sodomorum exterminium Abrahæ revelatum. 175. II.
Somniorum cauſæ diverſæ. 223. I.
Spiritus Domini, qui ferebatur ſuper aquas quidnam fuerit. 12. I.
Spiritus terram exſiccans quid fuerit. 117. II.
Suffitus ſacer qualis & a quibus ferendus. 407. I.
Stationum in Deſerto recenſio. 487. I.
Sterilitas in probrum. 231. II.

TAbernaculum duplex. 381. I.
Tabernaculorum festum. 449. I.
Thare & Abraham fuiſſe Idololatras nonnulli crediderunt. 141. I.
Tentare Deum non licet. 144 I.
Tentationis locus quis. 350. I.
Thymiamatis forma, & locus. 375. I.
Terra altior mari. 19. II.
Terræ variæ proprietates. 21.
& ſeqq.
Tranſitus maris Rubri figura baptiſmi. 343. II.
Tribunal duplex apud Judæos. 458. I.
Trinitas Perſonarum in Mundi creatione quodammodo indicatur. 3 I.
Tubarum festum institutum. 448. I.

VEſpera duplex in una die apud Judæos. 332. II.
Victimæ in ſacrificiis cruentis requiſitæ. 403. I.
& ſeqq.
Vitulus aureus cur in deſerto conflatus. 377. I.

USura grande peccatum. 443. I.
& ſeqq.
Uxorum pluralitatem licitam eſſe argumenta ſuadentia refellantur. 71.
& ſeqq.
Uxorum ſecuritati conſulitur. 511. II.

ZAbalonis opes, & divitiæ. 520. I.
Zelotypiæ potus quomodo fiebat. 463. I.

DISQUI-

DISQUISITIONES BIBLICÆ IN UNIVERSUM PENTATEUCHUM.

PRÆFATIO.

ARDUUM licet ac innumeris difficultatum ſalebris obſitum iter in prioris Voluminis decurſu fuerimus emenſi, longe tamen grandior atque laborioſior in hac poſteriori operis parte conficienda nobis reſtat via, quam collabeſcente per ætatem & aſſiduum laborem corpore inire detrectarem, niſi ſuſceptum opus ad optatum finem deducere, non ſolum promovenda Dei gloria, ſed etiam debita Superiorum mandatis obedientia provocaret.

Rem igitur tametſi viribus imparem (ea fretus confidentia, quod qui dat velle, dabit & perficere) auſpicor eo lubentius, quod plurimi ſeſe offerant incundi itineris Duces, qui præclaris ſuis in ſacram Scripturam lucubrationibus & commentariis facem præferant, & laboris acerbitatem emolliant. Neque enim alium in ſcopum collimant tot ſacrorum Bibliorum Verſiones, Paraphraſes, Interpretationes, aliaque plurima, tum Synagogæ, tum Eccleſiæ Doctorum, in Scripturam ſanctam edita volumina, quam ut illa, quæ in ſacris litteris obſcura implexaque paſſim occurrunt, claris expoſitionibus illuſtrentur.

Ea tamen mihi non eſt ſententia more Interpretum ire per ſingulos Scripturæ ſacræ textus: neque concionatorum inſtar, eximia pietatis ſemina ubique in ſanctis litteris obvia ſeligere, & ad vitæ inſtructionem inculcare. Nec etiam conſectabor eorum veſtigia, qui neglecta litteralis ſenſus inquiſitione, in id unum incumbunt, ſua locopletare commentaria variis ſpeculationibus myſticis, aut ad genium excogitatis controverſiis, ut magis Doctores aſceticos agere, aut ſacri belli claſſicum canere, quam ſacræ Scripturæ nodos diſſolvere voluiſſe videantur.

Aliud certe mihi propoſitum eſt: in id enim potiſſimum præſens incumbit labor, ut pro viribus. I. Cujuſque ſacri Libri textus obſcuriores illuſtrentur. II. Concilientur in ſpeciem pugnantes. III. Ex Chronologiæ atque Genealogiarum tricis graviores moveri ſolitæ controverſiæ componantur. IV. Præcipua ſub cortice litteræ latentia myſteria proferantur in lucem.

Nec eſt quod Zoilus aut Ariſtarchus aliquis me in hoc opere nihil novum & ſingulare proferre ſuccenſeat; hæc enim qualis quantaque putetur criminatio, me nihil quidquam a propoſito deterrebit. Nam ait appoſite ad inſtitutum præſens Severianus Gabalorum Epiſcopus, [a] „ Licet multi & „ magni ac admirandi priores dixerint, „ nihil vetat quin & noſtra dicantur, prout „ divini Spiritus gratia ſubminiſtraverit: „ quemadmodum enim, qui ante noſtram „ ætatem claruerunt, ab inſtituto minime „ prohibiti ſunt, occupato jam argumento „ ab iis qui illis ipſis ſuperiores fuiſſerunt: „ ſic nec hi quidem nobis officient. Nam „ & illis & nobis, nobiſque ſuperioribus, „ una eſt divini Spiritus gratia virtutem „ ſubminiſtrans. *Omnia enim*, inquit, *ope-* „ *ratur unus atque idem Spiritus dividens* „ *ſingulis pro ut vult*. Non ergo quæ di- „ cta a Patribus ſunt, eliminat: ſed noſtra „ illis apponit. Quamquam magna ſint quæ „ dicta ab eis ſunt, noſtra autem parva, „ illis tamen coædificantur. „

[a Orat. 1. de creat. mundi.]

Nullum quidem jam eſt dictum, ait Terentius, *quod non dictum ſit prius*. Verum addit Seneca; *qui præceſſerunt, non præripuiſſe mihi videntur quæ dici poterant: ſed aperuiſſe*.

Adiiciam cum Paſchaſio Ratberto [b], *quæ hic propono, multorum quidem ſunt eruditiſſimorum hominum, quos antiquior tulit ætas, & firmavit auctoritas veritatis; ſed proprio commendata ſtylo novitas facit eſſe mea*.

[b Præf. in l. 6. ſuper Math.]

Unde non eſt quod quis opponat ſe in hoc noſtro labore nihil deprehendere exquiſitæ illius eruditionis & ſapientiæ quæ ſublimiores mentes plene reficiat: ſed omnia jam eſſe ab aliis occupata, & doctis omnibus pervia. Reſciat enim quiſquis ille fuerit, mihi non eſſe propoſitum nova moliri, & aquilinis mentibus lumen ingerere: ſed hunc meum qualem quantumque laborem eo duntaxat tendere, ut ſacræ Scripturæ Studioſis nondum ſatis exercitatis, ad faciliorem illius intelligentiam, & arcanorum

reſerationem minns laborioſa pateat via, & jucundior aditus appareat.

His quidem ex parte præluſi in priori Volumine, explorans & expendens ea quæ ſacrorum Librorum ſinceritatem ſpectabant. At hæſi in hujus ſacri Tabernaculi veſtibulo: jam vero perlnſtrandum eſt intimum illius ſacrarinm, & exponendi veniunt illi textus qui in utroque Teſtamento obſcuriores, & aliqua egere luce videntur. Ut autem res ordine fiant, quæcnmque in ſacro contextu occurrent advertenda, ſub diſtinctis titulis & quæſtionibus diſcutienda & reſolvenda proponentur.

Cum autem ex priori Volumine jam ſatis ſuperque conſtet quis qnantuſque fuerit Moſes; quodque Pentateuchum omnium ſacrorum Librorum primum ſcripſerit; hinc prætermiſſis amplioribus velitationibus & præludiis, ſuſceptas in hos quinque Moſaicos libros diſqniſitiones ordiemur a primo, nomine *Geneſis* inſcripto.

QUÆRITUR I.

Quo titulo primus Pentateuchi liber inſcribatur?

RESpondeo, illum a prima illius Hebraica voce a Judæis appellari *Bereſith*, ideſt, *in principio*; ut teſte S. Hieronymo exponunt LXX. Interpretes Symmachns & Tneodotius. Triplex enim ſacros Libros inſcribendi ratio eſt apud Hebræos; nimirum ab exordio libri, a materia, & ab auctore. Ab *exordio* quidem, ſic omnes libros Moſis ab initiali voce appellationem accipere obſervat S. Hieronymus in prologo Galeato. A *materia* vero, ut libri Judicum, Regum, &c. in quibus referuntur quæ Iſraelitarum poſt Joſue & Moſem Præfecti ad ſtatnendam ſuæ gentis libertatem & fœlicitatem præclare geſſerunt. Ab *auctore* denique, nt omnium Prophetarum libri, quorum ſinguli auctoris, cujus oracula continent, nomine appellantur.

Hic autem liber tametſi Moſem (nt probatum eſt) auctorem habeat, ejus tamen nomine non inſcribitur: ſed ab Hebræis dicitur *Bereſith*: a Græcis vero atque Latinis *Geneſis* appellatur; quæ vox ab operis initio ſumpta, ad libri totius inſcriptionem tranſiit.

At inquies, cum mundus productus fuerit ex nihilo, illius productio convenientius diceretur κτίσις, *creatio*, quam γένεσις, *generatio*, cum generatio ſit mutatio materiæ ab una forma ad aliam formam.

Reſpondeo vocem generationis dupliciter accipi, 1. *ſtricte*, quatenus denotat productionem ex præjacente materia ad novam formam. 2. *latius*, prout deſignat effectionem rei antea non exiſtentis; ſive illa productio ſnpponat ſubjectum; ſive non: hoc autem poſteriori modo mundi productio vere dicitur generatio, non naturæ ex parte conſtitutæ, ſed omnino conſtituendæ.

Accedit quod plures generationes ex præjacente materia in hoc libro referantur, puta avium & piſcium ex aqua; ſtirpium & animalium ex terra in 1. capite: Adami e terra, & Evæ ex illius coſta in 2. Caini & Abelis in 4. Sethi in 5. &c. Refertur deinde hominum multiplicatio, & varias in orbis partes diſtributio; unde vox *Geneſis* huic libro recte adſcribitur. Cum autem illius prima vox *Bereſith* ſignificet *in principio*.

QUÆRITUR II.

Quodnam ſit illud principium?

TRes nominis *principii* (a quo primus Pentateuchi liber incipit, & nomen habet) expoſitiones producit S. Auguſtinus, ſeptem S. Baſilius, decem vero S. Ambroſius; ut appareat inde hanc rem non eſſe levis momenti, ſed dignam quæ a viro Theologo expendatur.

Communior tamen, ac meo judicio ſolidior tam veterum quam recentiorum Interpretum ſententia eſt, Moſem hac voce tria ſignificare volniſſe.

I. Quidem in ipſomet temporum exordio, & priuſquam ulla res creata, ſaltem ſenſibilis exiſteret, Deum creaviſſe cœlum & terram, veluti rerum omnium aſpectabilium primordia & ſeminaria: quo pariter ſenſu David [a] ait *initio tu Domine terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli*. Unde ſequitur cœlum & terram non fuiſſe producta in tempore, ſed in primo temporis incipientis momento; adeo ut tempus cum cœlo & terra, & hæc indiviſim cum tempore ortum habuerint: momentum enim quo Deus creare cœpit, non fuit tempus, ſed principium temporis; ſicut punctnm non eſt linea, ſed principium lineæ.

II. Cœlum & terram in principio producta dicit Mnſes, ut mundi æternitatem, quam fingebant Ægyptii & Chaldæi proſcriberet, doceretque Iſraelitas qualia fuerint rerum omnium vera exordia; ne vanis Gentilium figmentis de rerum origine inficerentur, ſcirentque mundum non aliam habere ſuæ originis & durationis ſeriem, quam quæ ab Adamo per Patriarcharum ætates numerabatur. Subindeque falſam & erroneam eſſe illorum exiſtimationem qui mundum ab æterno ſine ullo ſui principio & exordio extitiſſe putabant: nam inquit Tertullianus [b] nihil ſine origine, niſi ſolus Deus: & S. Auguſtinns [c] *Trinitas iſta ita eſt æterna, ut ei coæternum aliquid eſſe non poſſit.*

[a] Pſ. 101. 26.

[b] Initio lib. 5. contra Marcionem.

[c] Lib. 8. Geneſ. ad lit. cap. 28.

ſit. Quod pariter egregie docet S. Joannes Evangeliſta, [a] *omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.*

a Cap. 1.

Potuit quidem Deus, ſi ita voluiſſet, antea mundum condere, cum ei nec virtus deeſſet, nec potentia: cur autem noluerit, reſpondet S. Auguſtinus [b] idcirco Deum noluiſſe prius mundum condere, *ut intelligeretur quod non ea fecerit indigus, ſine quibus eſſe in ſua perfecta beatitudine potuit, ſine initio ſempiternus: ideo quippe iſtorum faciendorum cauſa, ſola Dei bonitas fuit, quia neceſſitas ejus nlla non fuit.*

b Lib. 1. contra adverſ. legis.

Si autem requiras, quid ageret Deus priuſquam conderet mundum? lepide reſpondebit quidam apud eundem S. Auguſtinum [c] *Talia ſcrutantibus, gehennas parabat*: quæ verba Sabinus inſignis Poeta his verſibus expreſſit de S. Auguſtino canens.

c Lib. 11. Conf. cap. 14.

Dum miranda refert populo primordia mundi,
Eſſe docens verbo cuncta creata Dei;
Impius aſſurgit verbis procacibus Afer;
Ergo opifex rerum quid faciebat? ait,
Et quibus intentus fallebat tempora curis,
Mundus adhuc nondum cum fabricatus erat?
Præſes ad hæc Libicas; fabricabat tartara, dixit,
His quos ſcrutari talia mente juvat.

Deſinant itaque mortales de divinis curioſius inquirere; etenim *ſcrutator majeſtatis opprimetur a gloria* [d].

d Proverb. 27. v. 27.

III. Nomine *principii*, hic a Moſe Dei Filium indicari docent plurimi veteres Eccleſiæ Doctores, inprimis Origenes [e] *quod eſt omnium principium*, inquit, *niſi Dominus noſter, & Salvator omnium Chriſtus Jeſus primogenitus omnis creaturæ? in hoc ergo principio ſuo, hoc eſt in Verbo ſuo Deus Cælum & terram fecit*. Quod utique conſentit cum S. Joanne 1. 3. & Coloſſ. 1. 6. &c. ubi dicuntur omnia per Dei Filium condita.

e Homil. 1. in Geneſ.

His ſubſcribit S. Hieronymus, qui licet initio libri de traditionibus Hebraicis improbet eorum ſententiam qui cum Tertulliano libro contra Praxeam, aſſerunt a Moſe ſcriptum *in Filio fecit Cælum & terram*. Hanc tamen expoſitionem approbat continuo ſubjungens „ De Chriſto qui tam in „ ipſa fronte Geneſeos, quæ caput omnium „ librorum eſt, quam etiam in principio „ Joannis Evangeliſtæ Cœli & terræ con„ ditor approbatur: unde in pſalterio de „ ſe ipſo ait, *in capite libri ſcriptum eſt de „ me*, id eſt, in principio Geneſeos, & in „ Evangelio *omnia per ipſum facta ſunt, & „ ſine ipſo factum eſt nihil.*

His conſentit S. Auguſtinus [f] ubi docet adorandam perſonarum Trinitatem in ipſa mundi creatione inſinuatam eſſe, Patrem in voce *Dei*; Filium in nomine *principii*; & Spiritum Sanctum in his verbis, *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.*

f Lib. 1. Gen. ad litt. cap. 6.

Sed eadem diſtinctius docet [g] ubi obiicientibus Manichæis hæc Evangelii S. Joannis verba cap. 1. *omnia per ipſum facta ſunt*, non conſentire cum his verbis Geneſis, *in principio creavit Deus Cælum & terram*, quibus ſolus Deus Pater innuitur Creator.

g Lib. 1. contra adv. Legis cap. 2. & ſerm. 14. de diverſ.

Reſpondet eos perperam hæc obtrudere, cum ipſemet Chriſtus D. ſe verbis illis *in principio* a Moſe deſignatum eſſe ſignificet: ait enim, *inquit*, Dominus incredulis Judæis: „ *Si crederetis Moyſi, crederetis & „ mihi, ille enim de me ſcripſit*... nam *in „ principio fecit Deus Cælum & terram* „ Moyſes ſcripſit, quem utique de Domi„ no ſcripſiſſe ipſius Domini voce firmatur „ loquente Evangelio, ubi Judæi cum a „ Domino quæſiſſent quis eſſet? reſpondit. „ *Principium qui & loquor vobis*. Ecce in „ quo principio fecit Cœlum & terram. „ Cœlum ergo & terram fecit Deus in Fi„ lio, *per quem facta ſunt omnia, & ſine „ quo factum eſt nihil*. „ Ita S. Auguſtinus, qui inde concludit Evangelium, cum Geneſi, & S. Joannem cum Moſe perfecte conſentire; nec ſine myſterio utrumque opera ſua ordiri, a voce principii.

At inquies, Moſis verba hac in re cum verbis S. Joannis non conſentiunt; neque enim Moſes dicit Deum feciſſe Cœlum & terram *per principium*, *ſed in principio*.

Reſpondet S. Auguſtinus loco ſupra laudato, particulam *in* hic idem ſignificare ac *per*, ut conſtat ex Apoſtolo, qui utraque indiſcriminatim utitur, ut demonſtret Chriſtum Deum eſſe mundi opificem, nam cap. 1. ad Col. de illo ait: *Qui eſt imago Dei inviſibilis primogenitus omnis creaturæ; quoniam in ipſo condita ſunt univerſa in Cælis & in terra*: ad Hebr. vero cap. 1. Dicit Deum noviſſime diebus iſtis locutum eſſe nobis in Filio *quem conſtituit hæredem univerſorum per quem fecit & ſæcula*: Inde concludere licet apud Moſem, & S. Joannem, *principii* nomen eodem ſenſu uſurpari, ad indicandum Dei Filium una cum divino Patre & Spiritu Sancto eſſe rerum omnium conditorem.

Hoc tamen eſt diſcrimen inter utriuſque divini Scriptoris verba, ut appoſite obſervat Severianus Gabalorum Epiſcopus, [h] quod Moſes loquendo de rebus creatis, ait, *in principio creavit Deus Cælum & terram*; at S. Joannes de Creatore ſcribens, ait, *in principio erat Verbum*. „ Longe vero, *in„ quit*, inter hæc diſtant *creavit*, & *erat*: „ alterum ortum accepit, cum non eſſet; „ alter erat qui ſemper extitit ... Dei eſt, „ ut *ſit*: creaturarum vero ut *fiant* &c.

h Orat. 1. de creat.

QUÆRITUR III.

Unde Moſes hanc de mundi opificio notitiam acceperit?

RESpondeo illam hauſiſſe ex duplici fonte. Primo quidem ex divina revelatione & afflatu Spiritus Sancti, qui cum omnia præterita, præſentia, & futura habeat ab æterno perſpicaciſſime comperta, ei liberum eſt illa, cui voluerit, indicare & reſerare; *Spiritus* enim *ubi vult ſpirat* inquit Chriſtus D. Joann. 3. v. 8. Quod autem divino ejus magiſterio potiſſimum edoctus fuerit Moſes, inde fit manifeſtum, quod cæteris Prophetis antecelluerit.

a Epiſt. 2. c. 1. Cum enim ait S. Petrus a *Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt Sancti Dei homines*; nemini dubium eſſe poterit Moſem præ ceteris divini Spiritus abundantiori lumine fuiſſe irradiatum, utpote qui fuerit veterum Prophetarum maximus & frequentiori ac intimiori cum Deo conſortio & colloquio donatus, ut videre eſt Exod. 33. & Num. 12. v. 8.

Inde fit, quod non minus perſpicax fuerit ad detegenda præterita, quam ad prævidenda futura. Porro prævidit & prædixit quæ multis deinde ſæculis acciderunt, puta futuram Gentium vocationem per Meſſiæ adventum, & alia bene multa, quæ duobus fere poſt ejus mortem annorum millibus extiterunt. Igitur qui longe poſt futura prævidere potuit, quidni eodem cœleſti magiſterio edoctus, intelligere potuerit mundi exordium, nondum ejus ætate tribus annorum millibus inceptum?

Hauſit ſecundo ea quæ ſcripſit de rerum origine ex traditione majorum, qui ab Adamo omnium hominum protoparente, ad ipſum uſque ſucceſſive vitam duxerant, atque ætate ſua res geſtas quaſi per manus ad eum tranſmiſerant. Nam ab Adamo ad Moſem uſque fieri potuit hujus doctrinæ propagatio per quatuor duntaxat homines, nimirum Mathuſalem, Semum, Iſaacum, & Amram Moſis patrem: Nam *Mathuſala* natus anno mundi 930. potuit Adamum ſæpenumero videre præſentem & audire referentem quæ ab initio mundi ad ſuam ætatem uſque contigerant. *Semus* vero natus anno mundi 1558, vixit 600. annis, proindeque nedum patrem ſuum Noe qui cum Mathuſala aliiſque Patriarchis antediluvianis plurimos egerat annos, ſed & ipſum Mathuſalam cui per 98. annos convixerat Semus, audire referentes quæ a majoribus de mundi exordio aliiſque rebus acceperant. *Iſaacus* vero natus anno mundi 2108. mortuus anno 2288. plures egit annos cum Semo, & pene centum cum patre ſuo Abrahamo a quibus traditam ab anteceſſoribus de Deo, deque rerum eventibus hiſtoriam excipere potuit & conſignare nedum filio ſuo Jacobo, ſed etiam illius filiis, maxime Levi, quem *Amram* Moſis pater pluribus annis docentem audivit & filium ſuum potuit erudire.

Inde conficitur quod etſi Moſes in ſua texenda hiſtoria nullo divino lumine fuiſſet irradiatus, illam tamen certo conſcribere potuit; quippe quæ a teſtibus omni exceptione majoribus accepta fuiſſet & comprobata.

Nihilominus tamen conſultius dicendum arbitror illum non niſi divini Spiritus afflatu iſta omnia ſcriptis conſignaſſe. Qui enim fieri potuiſſet, ut tot apices circumſtantiarum, temporum, locorum, perſonarum, præſertim vero ætatum & genealogiarum, per tot annorum centurias ita hominum memoriæ fideliter hæſerint, ut ad Moſem invariati deferrentur; cum humana traditio etſi recentior, plerumque aliquid falſi admixtum habeat? Verius itaque exiſtimandum eſt Moſem jam donatum prophetico ſpiritu, iſta de mundi exordio, & de priori hominum ætate divinitus accepta litteris conſignaſſe.

Cum autem nihil magis proclive ſit quam corrumpi ab hominibus Dei veritatem, ut pura hæc divina hiſtoria retineretur, eam Deus ſcribi voluit, ne temporis ſucceſſu, & pravo hominum genio ſemper ad deteriora vergenti peſſundaretur & quaſi a ſe ipſa degeneraret.

At inquies, ſi hoc fuit Dei propoſitum & conſilium, cur ad Moſis tempora dilatum? Nonne conſultius erat hanc mundi Geneſis hiſtoriam ab Adamo aut ei proxime ſuccedentibus hominibus litteris mandari?

Reſpondeo, non aliam hujuſce dilationis rationem eſſe quærendam quam Dei voluntatem. *Quis enim novit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit?* ait Apoſtolus: ſi quid tamen de hac arcana Dei diſpoſitione inquirere & aſſerere liceat, dicerem Deum idcirco hanc ſacram hiſtoriam ſcriptis mandari noluiſſe ante Moſis tempora, ut ipſi majorem fidem & auctoritatem apud Iſraelitas conciliaret. Cum enim illum elegiſſet in eorum Ducem & Rectorem quos ſibi in peculiarem populum devinciebat, ut illum majori in honore & veneratione haberent, voluit per eum nedum legem & recte vivendi normam præſcribi; ſed & mundi Geneſim & Patriarcharum ætates & geſta litteris conſignari.

Petes, in quibus differat Moſis de rerum origine narratio a recenſione Platonis? hic enim in Timæo & Critia ſimilia pene ac Moſes rerum exordia deſcribit, unde a Numenio philoſopho Pythagoræo apud b Clementem Alex. & c Euſebium Plato Moſes Atticus appellatur. b Lib. 5. Strom. c Lib. 11. Præp. Evan.

Reſpondeo, quod etſi Plato cum Moſe conveniat, mundum non a ſe ipſo, ſed a Deo; non ab æterno, ſed in temporum exordio; non multiplicem, ſed unicum; non infinitum, ſed limitatum eſſe conditum.

Diſcre-

Diſcrepat tamen in multis 1. quod Plato cenſeat mundum eſſe anima intelligente præditum. Non creatum ex nihilo, ſed ex materia Deo coæterna; unde Deum non *creatorem*, ſed δημιουργὸν, ideſt *opificem* appellat. 2. Exiſtimat aſtra totidem eſſe Deos qui ſpheras & inferiora dirigunt &c. Plurima etiam fingit circa hominis aliarumque rerum formationem a mente Moſis prorſus aliena, nimirum ut quæ a Moſis ſcriptis hauſerat, propriis figmentis interpolaret, & ut ſua venditaret.

QUÆRITUR IV.

Cur Moſes Iſraelitis, inſpirante Deo Legem præſcripturus, exorſus fuerit a mundi opificio & anteriorum temporum hiſtoria?

RЕſpondeo, id conſultiſſime factum: tria ſiquidem ad Legum obſervantiam nos provocant & alliciunt. 1. Summa Legislatoris auctoritas, æquitas & ſapientia. 2. Severa & in perduelles & prævaricatores præparata ſupplicia. 3. Proborum exempla, atque propoſita & exhibita Legum cultoribus immenſa præmia. Porro tria hæc in Geneſis libro ſpectaſſe videtur Moſes, atque propterea illum tres in partes diſtribuiſſe; quarum prima tribus prioribus capitibus comprehenſa, proponit Deum rerum omnium, ſicut & hominis ſapientiſſimum opificem, qui rebus ſingulis a ſe productis ſtatum, operationem & ordinem præſcribit, eaſque hominis obſequio & imperio ſubiicit, ut earum ope ad ſui Conditoris notitiam, cultum, & fruitionem aſſurgat, eumque ut ſupremum ſuum Monarcham veneretur.

Deinde vero a cap. IV. ad XII. varia exponit divinæ juſtitiæ, in homines probos & improbos argumenta, præcipue vero animadverſionem in fratricidam Cain, atque ſceleratam illius progeniem, quæ cum ſuis pravis exemplis, univerſum pene genus humanum in crimen induxiſſet, diluvii generalis clade cum reis omnibus miſere periit, ſola ſuperſtite juſti Noe familia.

Tertio tandem a cap. 12. ad finem uſque, Dei curam ac providentiam erga Noe humani generis reſtauratoris filios repræſentat; præſertim vero ſingularem ejus erga poſteros Semi fidelis ſui cultoris amorem & benevolentiam, ac præcipue erga Abrahamum ejuſque piam proſapiam, cujus virtutes eximias & egregia facinora recenſet: Abrahami quidem a cap. 12. ad 15. Iſaaci vero a 25. ad 37. Jacobi autem a cap 27. ad 37. Joſephi denique a 37. ad 50. Hæc omnia egregie docet Euſebius lib. 7. de præparatione Evang. cap. 2. „ Moſes, *inquit*,
„ eximius ille Theologus, ex Hebræis He-
„ bræus ipſe procreatus, cum patriæ gen-
„ tis hiſtoriam, accurate, ſi quiſquam alius
„ teneret, priſcorum Hebræorum vitas,
„ quæ ſacris Legibus cujuſdam quaſi proœ-
„ mii loco viam munirent, poſterorum me-
„ moriæ commendare voluit, nulla unquam
„ oblivione delendas. Iis porro, non ea
„ tantum quæ divinitus acceperant bene-
„ ficia; verum & nonnullorum præterea
„ qui omnem cum divinitate pietatis ſen-
„ ſum abjecerant, mores ſimul ac pœnas
„ intexuit; ratus iis, qui Legibus ſuis in-
„ ſtituendi eſſent, genus id cognitionis ap-
„ prime neceſſarium futurum, ut eos & ab
„ improborum imitatione deterreret, & ad
„ conſectanda proborum exempla ſtimularet.

QUÆRITUR V.

Utrum mundus ex nihilo fuerit formatus, aut ex aliqua præjacente materia?

HUjus difficultatis & quæſtionis anſam præbet verbum ברא, *Bara* quo hic utitur Moſes, quodque LXX. Interpretes Græci reddunt per verbum ἔκτισε, Latinus vero per *Creo*; horum enim verborum triplex diſtingui poteſt ſignificatio. I. *Laxior*, pro omni productione & effectione, ſic noſtri genitores dicuntur etiam procreatores; & Cicero lib. 2. de repub. ſcribit, *patria antiquior parens dicitur quam qui, ut aiunt, creaverit*, h. e. qui genuerit. II. *Strictior*, pro effectione rei ex nihilo quoad formam ex ſubjecto tamen, ſed minus diſpoſito ad eam formam. III. *Strictiſſima* pro productione rei ſecundum totam ſuam entitatem ex nihilo tam materiæ quam formæ.

Primum creationis genus, quatenus ſignificat aliquid efficere, vel novum in ſtatum erigere, tribuitur non ſoli Deo, ſed & creaturis; ſic homines dicuntur creare ſobolem, Magiſtratus, Prætorem, Cardinales, ſummum Pontificem .&c. Sic pariter Deus dicitur creator eorum omnium quæ etiam per generationem fiunt. Iſaiæ 43. v. 1. *Dominus creans te Jacob & formans te Irael*: & v. 7. *Omnem qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum* &c. Duo poſteriores creationis modi ſoli Deo conveniune.

Nam ad creationem proprie dictam tres requiruntur conditiones. 1. ut aliquid fiat ex nulla præexiſtente materia. 2. ex materia inhabili & indiſpoſita ad formam quæ indu-

ducitur. 3. ut fiat abſque prærequiſita diſpoſitione, ſine motu & in inſtanti. Priori modo Deus produxit Cœlum & terram: poſteriori vero ea omnia quæ per ſex dies condita primo Geneſis capite narrantur.

Nam primo die produxit lucem, non quidem ex nihilo ſimpliciter, ſed quod mirandum eſt divinæ potentiæ opus, ex ipſius lucis contrario, nempe ex tenebris: etenim *primo* creationis inſtanti, productis Cœlo & terra abſque ullo ornatu, ullave diſtinctione tenebræ erant ſuper faciem abyſſi dum Deus dixit: *Fiat lux.* Quod velut divinæ virtutis inſigne miraculum notat S. Paulus 2. ad Cor. 4. v. 6. *Qui dixit de tenebris lumen ſplendeſcere. Die ſecundo* firmamentum ſeu expanſum etiam ex puro nihilo produxit, nulla enim apparuit materia ex qua prodiiſſet. *Tertio die*, terra quidem, Deo jubente, edidit plantas & arbores, ſed in inſtanti, nulla prævia alteratione & abſque vi ſeminali. *Quarto die*, ſydera fulgentia cœlo affixit, non aliunde quam ejus omnipotenti virtute exorta. *Quinto die*, eructarunt aquæ, aves & piſces, ſed in momento, & non ſua, ſed ſola divina virtute, quomodo enim illæ vita & ſenſu omnino expertes ſenſum & vitam animantibus indidiſſent? Similiter *ſexto die*, beſtias & jumenta e terra erumpere juſſit Deus, tamquam e matrice, non ex propria illius virtute & fœcunditate, ſed ſolo Dei creantis imperio. Hominem quoque ipſo die ſexto produxit; ex nihilo quidem ſimpliciter quantum ad animam rationalem, quæ cum ſit omnino ſpiritualis, non educitur e ſubjecto, ſed creatur e nihilo: quantum vero ad corpus, Adamus quidem e limo terræ, Eva autem ex Adami coſta prodiit: at in neutro erat vis ſeminalis ad humani corporis formationem, quæ non cum aliqua tranſmutatione & aliquo motu ſucceſſivo, ut fieri ſolet corporum generatio, ſed facta eſt in inſtanti, & ſola imperiali voce Dei, quod creationi convenit.

Hic autem producendi modus cum ſit omnium nobiliſſimus, ſoli Deo proprius eſt: *Ars* enim opera ſua molitur in corporibus materia & forma conſtantibus: *Natura* autem in materia prima ex qua educit formas ut corpora conſtituat; ſolus vero Deus omnipotenti ſua virtute res, quando vult, educit e nihilo, & vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.

Unde Hebræi differentiam ſtatuunt inter hæc verba *creavit*, *formavit*, & *fecit*; *creare*, dicunt rem ex nihilo facere: *formare*, enti producto figuram inducere; *facere* vero, rei formatæ partes & membra ordinare; quo ſenſu hæc Dei apud Iſaiam cap. 43. v. 7. verba, *Omnem qui invocat nomen meum in gloriam meam creavi eum, formavi eum, feci eum:* quæ Rabbi David Kimki in lib. radicum ſic exponit: *primum* CREAVI EUM (hoc eſt) *produxi eum de nihilo ad eſſe: deinde* FORMAVI EUM, *eo quod feci eum exiſtere diſpoſitione formæ: poſtremo* FECI EUM, *hoc eſt, diſpoſui ſeu ordinavi eum.*

Itaque licet verba Hebræum *Bara*, & Græcum κτίζω, & Latinum *creo*, proprie ac per ſe productionem rei ex nihilo non ſignificent; attamen appoſite uſurpantur a Theologis ad denotandam productionem ex nullo præjacente ſubjecto, quæ cum ſit, ut dictum eſt nobiliſſimus efficiendi modus, convenienter uni & ſoli Deo tribuitur. Sic Iſaiæ 45. v. 6. 7. *Ego Dominus & non eſt alius, formans lucem & creans tenebras*, Jerem. 10. v. 11. *Dii, qui non fecerunt cœlum & terram, pereant de terra*. Hebr. 3. v. 4. *qui omnia creavit Deus.*

Porro hoc ſenſu vocem *Bara* hic a Moſe uſurpatam eſſe in productione cœli & terræ, argumentum eſt, quod indicare voluit Deum in principio, hoc eſt, ante omnia, creaviſſe cœlum & terram; nihil igitur ante productionem illam extabat præter Deum: illud enim fuiſſet vel increatum vel creatum: non primum, quia nihil eſt increatum niſi ſolus Deus rerum omnium opifex: neque creatum, quia cœlum & terra non fuiſſent vere producta in principio, cum aliud jam productum extaret: igitur Moſis mens fuit ſignificare per vocem *Bara*, cœlum & terram producta eſſe ex nihilo.

At inquies: ex nihilo nihil fit, igitur mundus non fuit productus ex nihilo, ſed ex aliqua præjacente materia. *Deinde* omnis productio fit per motum, eſt enim tranſitus a non eſſe ad eſſe: ſed motus ſupponit ſubjectum mobile: igitur mundi productio ſupponere debuit materiam aliquam informem quæ per virtutem & operationem Dei ſuam formam & perfectionem obtineret.

Reſpondeo, ad primum, nihil revera ex nihilo fieri poſſe arte & per operationem & productionem Phyſicam, concedo; per virtutem infinitam illius qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, nego.

Ad ſecundum dico, omnem quidem productionem Phyſicam & a cauſis ſecundis neceſſario fieri per motum, quia opus eſt ut variæ diſpoſitiones præſupponantur in ſubjecto priuſquam introducatur forma; at non ita eſt de divina operatione, quæ omnipotenti virtute in inſtanti ſuos poteſt edere effectus, dicente Propheta Regio; *ipſe dixit & facta ſunt; ipſe mandavit & creata ſunt.* Etſi vero Deus mundum ex nihilo, id eſt nulla præexiſtente materia & forma produxerit: nihilominus rerum faciendarum ideas in infinita ſua intelligentia præſentes habebat ab æterno; quod indicare voluit S. Baſilius [a] his verbis; *nec tamen abſimile vero fuerit credere fuiſſe quiddam vel ante mundi iſtius conſtitutionem, id quod arcana quadam animi contemplatione licuerit intelligi, tametſi hac de re nihil in literas Moſes tranſmiſerit, quod rei tantæ cognitio parum idonea videretur iſtis parvulis, qui lacte dumtaxat doctrinæ initiandi rudimentorum fidei veniunt & inſtituendi. Erat ſane ſtatus quidam mundi generatione ſuperior abſtractis illis a concretione materiæ potentiis mundo præſtantioribus pro decoro accommodatus, temporis etiam conditione anterior,* a Homil. 5. in Hexaem.

æter-

a Lib. 3. de conſolatione Philoſophia metro 9.

æternus nimirum ac perpes. Hæc brevius complectitur Boetius a ubi de Deo rerum omnium opifice ſcribit,

Tu cuncta ſuperno,
Ducis ab exemplo, pulcrum pulcherrimus ipſe
Mundum mente gerens, ſimilique ab imagine formans,
Perfectaſque jubens perfectum abſolvere partes.

Cum autem Moſes referat mundum univerſum ſex diebus fuiſſe conditum, & quid unaquaque die productum fuerit diſtincte enarret.

QUÆRITUR VI.

Utrum ſex illi dies revera fuerint naturales?

b Lib. xi. de Civ. Dei c. 20. & Lib. 4. de Geneſi ad Litteram c. 22.

SAnctus Auguſtinus b cum non caperet qua ratione ante Solis & Lunæ productionem, quorum decurſu tempora menſurantur & diſtinguuntur, veri & naturales dies effluxiſſent, exiſtimavit hanc Moſis narrationem, non ad literam, ſed metaphorice & myſtice eſſe intelligendam: nempe reſpective ad duplicem Angelorum de rebus notitiam, quarum unam *veſpertinam* appellat; non quod obſcura fuerit, aut erroribus & dubiis obnoxia; ſed quia, ut ipſe loquitur, *decoloratior erat* minuſque ſplendida; eam ſcilicet quam Angeli adhuc viatores habuerunt de rebus ipſis, vel propria intelligendi virtute, vel beneficio ſpecierum & idearum; quas in eorum creatione Deus illis indidit. Alteram *matutinam*, qua Angeli comprehenſores & beati res omnes intuentur in Verbo, ſeu in eſſentia divina, in qua longe ſplendidius tanquam in primordiali entium omnium fonte relucent, & prius repræſentantur, quam exiſtant in ſe ipſis. Unde S. Doctor arbitratur Moſem illuc intendiſſe, dum ait, *factum eſt veſpere & mane dies, &c.* veſpere præponens mane, quod Angeli prius fuerint viatores quam comprehenſores. Infert inde mundum fuiſſe quidem conditum in inſtanti, ſed Moſem illius formationem per ſex dies enumeraſſe, ut rudiori Iſraelitarum genio ſe ſe accomodaret; ſeu, ut ipſe ſcribit c *qui manet in æternum, creavit omnia ſimul; ſed commodiſſime in illo libro Geneſis, quaſi morarum per intervalla factarum a Deo rerum digeſta narratio, ſicut ipſa diſpoſitio, quæ ab infirmioribus animis contemplatione ſtabili videri non poterat, per hujuſmodi ordinem ſermonis expoſita, quaſi iſtis oculis cerneretur.*

c Lib. imperfect. de Geneſi ad lit. cap. 7.

Verum hæc expoſitio I. aperte repugnat Moſaicæ narrationi, qui enim fieri potuit ut eodem inſtanti tenebræ extiterint ſuper faciem abyſſi una cum luce abyſſum irradiante? terra fuerit operta aquis ſimul & nudata? ſimul inanis & vacua, atque plantis, floribus & fructibus ornata, & animalium mira varietate referta? hæc enim ſimul conſiſtere nequeunt.

II. Si omnia ſimul & eodem inſtanti fuiſſent producta, unum ex alio non prodiiſſet; quæ enim eodem inſtanti fiunt, ſimul habent exiſtentiam, nec unum alio præexiſtit. At Moſes aſſerit, ex terra plantas & animalia prodiiſſe, piſces autem & aves ex aqua: igitur terra prior fuit plantis & animalibus, & aqua piſces & alites anteceſſit: iſta ergo non fuerunt eodem inſtanti & ſimul ex nihilo producta, alioqui unum aliud non anteceſſiſſet; etenim in inſtanti nulla eſt prioris aut poſterioris ſucceſſio.

III. Idem ferendum eſt judicium de aliis ſex diebus, ac de ſeptimo: at certum eſt Moſem locutum eſſe de die ſeptimo tanquam de die vero & naturali; igitur, &c. Major conſtat a paritate rationis. Minor probatur ex ipſius Moſis verbis Exod. 20. v. 9. ubi nomine Dei, ſignificat Iſraelitis ipſis liberum eſſe ſex diebus operari, at quieſcendum eſſe die ſeptimo, exemplo Dei, qui ſex diebus continuis mundum condidit, die autem ſeptimo quievit & ceſſavit ab omni opere. *Sex diebus*, inquit, *operaberis & facies omnia opera tua; ſeptimo autem die, Sabbatum Domini eſt; non facies omne opus in eo:* cujus præcepti hanc rationem profert, *ſex enim diebus fecit Dominus Cœlum & terram & omnia quæ in eis ſunt, & requievit die ſeptimo: idcirco benedixit Dominus diei Sabbati, & ſanctificavit illum.* Similia habet cap. 31. v. 15. & ſequentibus: quæ ſane ratio prorſus eſſet abſurda & ineſficax, ſi Deus mundum unico inſtanti condidiſſet, &c.

At inquies, idem Moſes Geneſ. cap. 2. v. 4. dicit mundum fuiſſe conditum unico die, *iſtæ ſunt*, inquit, *generationes Cœli & terræ, quando creata ſunt; in die quo fecit Deus Cœlum & terram.* Igitur non cenſuit ſex dierum intervallo mundum fuiſſe conditum.

Reſpondeo, voces illas *in die*, idem ſignificare ac in tempore, ſeu quando Cœlum & terram Deus condidit; quamobrem addit, *& omne virgultum agri antequam oriretur in terra*, perinde ac ſi diceret, cœlum & terra creata ſunt priuſquam plantas & arbores terra germinaret: nempe ut confirmaret terram fuiſſe quidem conditam primo die, ſed inanem & ſuo ornatu deſtitutam, quod nondum procreatæ eſſent plantæ, quæ tertio tantum die e terra prodierunt. Unde tantum abeſt ut verba illa *in die*, noſtram aſſertionem convellant, imo ſtabiliunt & confirmant.

Inſtabis, Eccleſiaſtici cap. 18. v. 1. *qui vivit in æternum creavit omnia ſimul*; igitur non continua ſex dierum ſerie.

Reſpondeo, adverbium *ſimul*, hic non ſignificare ſimultatem temporis, ſed creat o-

nis

nis & communitatis, ita quod nihil extet in rerum natura, quod non fuerit a Deo creatum & productum. Vel omnia ſimul creata ſunt, ratione materiæ, non ratione formæ, quæ nonniſi ſequentibus diebus edita & inducta eſt; *rerum quippe ſubſtantia ſimul creata eſt*, inquit S. Gregorius [a], *ſed ſimul ſpecies formata non eſt; & quod ſimul extitit per ſubſtantiam materiæ, non ſimul apparuit per ſpeciem formæ. Sol quippe, Luna, & ſydera quarto die in cœlo facta perhibentur: ſed quod quarto die proceſſit in ſpecie, primo die in cœli ſubſtantia extitit per conditionem, &c.*

[a] Lib. 32. moral. in Job. cap. 9.

Pari ratione dicit Moſem 1. cap. Gen. ſcripſiſſe, Deum ſexto die produxiſſe hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, & maſculum ac fœminam feciſſe eos, quamvis ſolus Adamus eo die fuerit productus; *quia*, inquit, *ex Adæ latere procul dubio fœmina erat proceſſura in illo jam computata per ſubſtantiam, a quo fuerat producenda per formam.*

Inſtabis III. Cum Deus ſit agens præſtantiſſimum, modus operandi præſtantior ipſi tribuendus eſt: porro præſtantius eſt rem abſolvere in inſtanti, quam diuturno tempore, hoc enim indicium eſt majoris virtutis & potentiæ; igitur, &c.

Reſpondeo, quod etſi nulla alia congruentior proferri poſſit divinæ operationis ratio, quam ſuprema Dei voluntas: *Quis enim*, ait Apoſtolus ad Rom. 11. v. 34. *novit ſenſum Domini, aut quis Conſiliarius ejus fuit?* Nihilominus probabiles proferri poſſunt rationes, cur per ſex diſtinctos dies mundum producere voluerit; nimirum ut Deus ſub ſucceſſiva illa productione, triplicem mundi ſtatum oſtenderet, quorum primus eſt *creationis*; ſecundus *diſtinctionis*, tertius *decorationis*. Primo enim Deus creavit Cœlum & terram. Secundo, diſtinxit diem a nocte, lucem a tenebris, aquas ab aquis, mare ab arida. Tertio, ornavit terram plantis & animalibus; mare piſcibus; aerem avibus; firmamentum ſtellis. In primo maxime elucet Dei potentia; in ſecundo ſapientia; in tertio bonitas.

Adiicies, v. 14. *Dixit Deus fiant luminaria in firmamento cœli, & dividant diem ac noctem:* igitur antea nullus erat dies, nulla nox... Reſpondet auctor quæſt. ad Orthodoxos apud S. Juſtinum, *ex productione Lucis, diſtinctio facta eſt & tenebrarum; ex diſtinctione lucis & tenebrarum, dies extitit & nox. Ante-luminaria vero condita ex præſcripto Dei, lux invaleſcens, diem; & tenebræ invaleſcentes, noctem conſtituerunt.*

Difficultatem hanc aliter ſolvit S. Baſilius [b], dicendo primum illud triduum creationis ſic fuiſſe peractum, ut primigenia lux ſui diffuſione diem, contractione vero noctem conſtituerit: *tum vero*, inquit, *fiebat dies, cui cedenti nox viciſſim ſuccedebat; non quidem ſecundum motionem Solis: ſed primigenia illa luce ſuum ſplendorem diffundente, ſeque rurſum contrahente, idque pro menſura a Deo definita.*

[b] Homil. 2.

Brevius hanc ſententiam calculo ſuo confirmat S. Damaſcenus [c], *in tribus diebus*, inquit, *refuſo & contracto lumine, divino præcepto, dies fiebat & nox.*

[c] Lib. 2. de fide cap. 7.

Verum fieri nequit, niſi per miraculum, ut a corpore lucido præſente lumen non diffundatur. Quamobrem probabilior eſt S. Bonaventuræ ſententia, nempe primo die conditam lucem, affixam fuiſſe cuidam corpori diaphano, puta nubeculæ, quæ ſua ſuper globum terræ & aquæ giratione, inſtar Solis, diem & noctem conſtitueret; illa vero quarto die formato Solis corpori fuerit adjuncta.

Nec nos movere debet S. Auguſtini contrarium docentis auctoritas; neque enim iſti ſententiæ ita tenaciter adhæſit, ut oppoſitam improbaret: quin imo lib. 1. de Gen. ad litt. cap. 17. agendo de nocte & veſpera quæ ſexies in mundi creatione occurrunt, ait: *veſpera illa quæ in toto triduo, antequam fierent luminaria* (nempe Sol & Luna) *conſummati operis terminus non abſurde fortaſſe intelligitur: mane vero tanquam futuri operis ſignificatio.* Non exiſtimat ergo omnia fuiſſe condita in inſtanti.

Unde capite ſeq. prudenter admonet, ut cum in expoſitione divinæ Scripturæ diverſæ occurrunt ſententiæ, noſtræ non ita pertinaciter adhæreamus, ut eam velimus Scripturarum eſſe quæ noſtra eſt, cum potius eam, quæ Scripturarum eſt, noſtram eſſe velle debeamus. Addit cap. 20. *Quantum potui, enucleavi protulique ſententias de verbis ad exercitationem noſtram obſcure poſitis; non aliquid unum temere affirmans cum præjudicio alterius expoſitionis fortaſſe melioris, ut pro ſuo modulo eligat quiſque quod capere poſſit: ubi autem intelligere non poteſt, Scripturas Dei det honorem, ſibi timorem.*

QUÆRITUR VII.

Qua tempeſtate Mundus fuerit conditus?

SEnſus hujus quæſtionis non eſt, quænam temporis periodus, an hyems, an ver, an æſtas vel autumnus prior extiterit dum mundus eſſe cœpit; certum enim eſt quod ſi ſpectemus terrarum plagas univerſas, diverſoſque ad eas Solis aſpectus & influxus, neceſſe eſt variis in locis eodem tempore varias tempeſtates fuiſſe, alibi ver, æſtatem alibi, alicubi autumnum, alicubi forſan & hyemem, ut continua deinceps, & nuſquam interrupta tempeſtatum alternatione factum eſt.

Sed quæritur quænam earum tempeſtatum fuerit in ea mundi parte, ubi conſitus fuit *Terreſtris paradiſus*, & quam homines primum incolere cœperunt? Porro nullus,

arbi-

arbitror, Auctorum eſt ita glacialis cerebri & frigidæ mentis, qui contendat mundum in hyeme fuiſſe natum; neque enim terra frigore coucreta, ſua profundere potuiſſet germina, nec arbores ſuos edere fructus; proindeque homines & animalia in ipſo ſuo ortu fame periiſſenr.

Gerardus Mercaror & Julius Firmicus alios etiam ſecuri, in æſtate mundum prodiiſſe volunt. Ægyprii quoque ſacerdotes Calendas Auguſti mundi naralem adſcribebant: annus etiam *Atticus* & *Olympiadicus* ab æſtivo ſolſtitio cæpiſſe narrat Simplicius * quod in eo mundus ſuerit conditus.

* In Ariſt. Phyſ. lib. 5.

Verum æſtivi ardores non videntur apti ad vireotis herbæ germina, & fructificationem arborum quæ a Deo creante initio fuit imperara, Inde eſt, quod præſens de natali mundi controverſia potiſſimum verſetur de *Verno* vel *Autumnali* tempore. Plurimi autem ſunt clariſſimi nominis Auctores qui mundum ab autumno cœpiſſe contendunt; ita Lyranus noſter, Toſtatus, Scaliger, Petavius, aliique Recentiores bene mulri, His præſertim inducti rationibus.

I. Quod ea temporis periodo mundus fuis conoitus, qua fructus & alimenra hominibus & animalibus neceſſaria erant ad eſum: hoc autem fit autumnali tempore.

Verum reponi poteſt, in plagis orientalibus, ubi conditus fuit primus homo, cæteraque animalia primum extiterunt, fruges & arbores citius quam in ſeptentrionalibus & occidentalibus marureſcere & fructus ſuos ad humanum belluinumque victum apros edere; in eis namque regionibus, etiam verno tempore, plurimi ſuaviſſimique inveniuntur fructus qui apud nos vix in autumni exordio matureſcunt.

II. Aiunt homines non in infantili puerilive, ſed matura ætate primum prodierunt. Similiter animalia, non ut pulli, ſed ad generationem apta condita ſunt: igitur etiam arbores maturis ouerateæ fructibus ſuot conditæ: id autam cum tantum autumno fieri ſoleat; argumentum eſt mundum ea temporis periodo eſſe condirum.

At relum hoc in jaculatores facillime poteſt retorqueri: veroſimillimum enim eſt Adamum ærate juvenili & ad generandum idonea, non aurem virili & ſenectæ proxima fuiſſe conditum: unde ſi ætatis humanæ *pueritia* ſit ver, æſtatis rationem habebit juventus, non vero *autumni*.

Accedit, quod ſicut Eva non formata eſt puera gravida, ſed in eo ſtatu ut brevi concipere poſſet; ita & arbores conditæ ſunt ideo perfectæ, ut ſua quæque tempeſtate fructus producereot, aliæ verno, nonnullæ aſtivo, plurimæ autumuali tempore; non vero omnes ſimul; ſicut nec modo fit.

Neque his obſtant illa Evæ ad ſerpentem verba Geneſ. 3. *De fructu lignorum quæ ſunt in paradiſo veſcimur*. Hæc enim verba non indicant omnium arborum, quæ in paradiſo extabant, eo tempore fructus fuiſſe maturos: ſed ſibi a Deo ſuiſſe permiſſum ut comederent ex omnibus fructibus tempore idoneo maturis, una duntaxat interdicta arbore ſcientiæ boni & mali.

III. Adiiciunt, credibile eſt apud Orientales omnium Gentium antiquiſſimas idem fuiſſe anni, quod mundi fuerar exordium: at in Oriente, maxime apud Ægyptios & Hebræos, anni exordium erat in autumno; Hebræi enim annum ordiebantur a menſe *Tiſri*, qui partim noſtro Septembri, partim Octobri reſpondet.

At reponi poteſt Orientales, illos in ſtatuendo anni exordium, non ſpectaſſe mundi oatales: ſed uſum popularem, nempe agricolarum & pecuariorum, mutuoſque in agris locandis, & conducendis contractus; quæ omnia collectis frugibus, & facta in autumno vindemia, oporrunius fiebant, quam in alia temporis periodo.

Ad Hebræos vero quod ſpectat, dico quod ſicut duplex fuit apud eos annus, *Sacer* unus, *Civilis* alter; ita duplex apud eos erar anni exordium, aliud a menſe Niſan Martio reſpondente, aliud a menſe Tiſri, ut diſtincte exponit Joſephus. a *Moſes*, inquit, *Niſan qui Macedonibus Xanticus, menſem primum in ſuis faſtis ordinavit, quod in eo Hebræos ex Ægypto eduxiſſet. Eundem etiam omnium quæ ad rem divinam pertinent exordium fecit; alioqui quoad nundinationes rerum venalium, reliquamque diſpenſationem anni attinet, nihil de priſtino ritu innovavit.*

a Lib. 1. antiq. cap. 4.

His ita perpenſis veriſimilius dicendum arbitror, mundum fuiſſe conditum verni temporis periodo, maxime cum ea fuerit communior SS. Patrum exiſtimatio; ita enim docent SS. Cyrillus Hieroſolymitanus b, Baſilius c, Gregorius Nazianzenus d; ſed omnium elegantiſſime S. Ambroſius e dicens merito jure menſem Niſan in quo Paſcha celebrandum erat, fuiſſe a Deo per Moſem præfixum Iſraelitis anni exordium:
„ In hoc principio, *inquit*, quo Paſcha juſſu
„ Dei celebrant Judæi, Cœlum & terram
„ fecit Deus, quod inde mundi cæpi opor-
„ tebat exordium, ubi erat opportuna o-
„ mnibus verna tempeties. Unde & annus
„ mundi imaginem naſcentis expreſſit, ut
„ poſt hybernas glacies atque hyemales ca-
„ ligines ſerenior ſolito verni temporis
„ ſplendor eluceat... Ergo ut oſtenderet
„ Scriptura veris tempora in conſtitutione
„ mundi, ait: *menſis hic vobis erit initium*
„ *menſium, primus erit in menſibus anni.*
„ Primum menſem vernum tempus appel-
„ lans.

b Catecheſ. 14.
c In Hexaem.
d Orat. de Nativit. Domini.
e Lib. 1. Hexaem. cap. 4.

Ei ſuffragatur Theodoretus f, idque confirmat ex eo quod initio mundi juſſerit Deus ut terra germinaret herbam virentem; *incipiente enim vere*, inquit, *prata florere ſolent, ſegetes ſemina concipiunt, arbores fructum emittunt.*

f Quæſt. 12. in Exodum.

II. Quod veriſimile ſit Deum condidiſſe mundum in illa tempeſtate, quæ omnium amœniſſima eſt, & viventium generationi & accreſſioni aptiſſima; porro ralis eſt verna tempeſtas: cum enim moderate ſit calida & humida, generationis ac vitæ ſtirpium & animalium fovendæ valde idonea eſt; cumque eo tempore frondeſcant arbores, plantæ reviviſcant, & variis floribus ac

graminibus terra decoretur, mundus ex hyemali frigore, velut a ſepulchro renaſcens, ſe eadem tempeſtate primitus fuiſſe conditum non obſcure declarat.

III. Illa perſuaſio de mundo condito verno tempore a majoribus accepta, ita hominum animos occupavit, ut etiam apud Ethnicos pervaſerit, eam enim Virgilius egregie repræſentat 2. Georg. ubi cum dixiſſet num. 320.

Ver adeo frondi nemorum, ver utile Sylvis
Vere tument terræ; & genitalia ſemina poſcunt;

addit num. 335.

Non alios prima creſcentis origine mundi
Illuxiſſe dies, aliumve habuiſſe tenorem
Crediderim: ver illud erat, ver magnus agebat,
Orbis & hybernis parcebant flatibus Euri.

Quibus ſignificat ætate ſua perſuaſum mundi originem contigiſſe verno tempore. His etiam ſuffraganrur Aſtronomi, qui ſignum *Arietis* verno tempore dominantis idcirco cæterorum Zodiaci ſignorum caput eſſe docent, quod Sol in eo ſui curſus initium fecerit.

DE OPERE PRIMÆ DIEI.

Quæ in primo die Mundi condita ſint?

HIs verbis declarat Moſes: *In principio creavit Deus Cœlum & terram. Terra autem erat inanis & vacua. & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi; & Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas.*

Moſes ſcriptorum ſapientiſſimus, Geneſis deſcriptionem auſpicaturus; apposite orditur a præfatis verbis, nimirum ut primum hiſtoriæ ſummam exponat, eam deinde ſigillatim enarraturus. Ut ſi quis diceret, talis peritus artifex magnificum hoc palatium extruxit: adiiceret vero, primum fundamenta poſuit, demum parietes erexit, poſtea tectum impoſuit, tandem hoc & illo ornatu decoravit. Sic Moſes ut Deum totius Univerſi Conditorem oſtenderet, compendio dicit eum creaſſe cœlum & terram, quibus cætera continentur, tanquam ædificii fundamento & culmine; poſtmodum autem ſingulas hujus mirandæ fabricæ partes deſcribit.

QUÆRITUR AUTEM I.

Quid Coeli & terræ *nomine ſignificaverit?*

REſpondeo, triplicem potiſſimum eſſe hujus textus expoſitionem.

I. S. Auguſtini qui lib. 12. Confeſſ. cap. 7. dicit per *Cœlum* ſignificari naturam ſpiritualem & Angelicam; per *terram* vero naturam corpoream & aſpectabilem; adeo ut primo die mundi, Deus creaturas omnes cum immateriales, tum materiales condiderit; cæteris autem diebus, corporeas dotibus ornaverit, & unamquamque convenienti ordine & loco conſtituerit. Verum huic expoſitioni repugnat ipſa Moſis narratio, quæ duntaxat res ſenſibiles per ſeptem divinæ operationis dies ſigillatim conditas recenſet.

Moſes enim, aiunt S. Chryſoſtomus [a], & S. Baſilius [b] hiſtoriam ſuam rudiori Iſraelitarum genio attemperavit: illi namque ſervilibus operibus antea in Ægypto addicti, craſſioris erant genii & nonniſi terrena & ſenſibilia ſapiebant. Quamobrem rerum tantum ſenſibilium procreationem & exordia deſcribere voluit Moſes, quatenus ex earum conſideratione, ad intelligentiam ſupremæ Dei majeſtatis facilius aſſurgerent.

[a] *Homil. in Gen.*
[b] *Homil. 1. in Hexaem.*

Secundam expoſitionem tradit idem S. Aug. nimirum per *Cœlum* & *terram* primo die mundi creata, intelligendam eſſe materiam primam omni forma nudatam, ſed formarum omnium ſeminarium, & ex qua Deus cuncta deinde effinxerit. Ita docet lib. 1. de Geneſi contra Manichæos cap. 5. ubi cum dixiſſet, idcirco Moſem uſum eſſe nominibus *cœli* & *terræ* ad deſignandam materiam primam, propter infirmitatem parvulorum, qui minus idonei ſunt inviſibilia comprehendere; addit, *prima ergo materia facta eſt confuſa & informis, unde omnia fierent, quæ diſtincta atque formata ſunt; quod credo a Græcis chaos appellari.* Cap. autem 8. exponit qua ratione materia illa informis dicta ſit *cœlum* & *terra*:
„ Quemadmodum, *inquit*, ſi ſemen arboris
„ conſiderantes dicamus ibi eſſe radices, &
„ robur, & ramos, & fructus, & folia;
„ non quia jam ſunt ſed quia inde futura
„ ſunt; ſic dictum eſt: *in principio fecit Deus*
„ *cœlum & terram*, quaſi ſemen cœli &
„ terræ, cum in confuſo adhuc eſſet cœli
„ & terræ materia.

His ſimilia habet lib. 1. de Gen. ad litt. capp. 13. 14. & 15. nec non & lib. Confeſſ. cap. 3. & ſeq. idque confirmat ex his verbis lib. Sapientiæ cap. 11. v. 8. *Non enim impoſſibilis erat omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum ex materia inviſa.*

Verum ſapiens iſtis verbis non ſignificat materiam omni forma deſtitutam, quam Philo-

Philoſophi *materiam primam* appellant: ſed terræ corpus rude & impolitum. Cœlum item, nempe cœleſtes orbes a ſe invicem quidem diſtinctos, nullo adhuc aſtrorum ſplendore fulgentes.

Tertia vero expoſitio, eaque communior eſt, nominibus *cœli & terræ* Moſem generatim ſignificare voluiſſe, univerſam mundi machinam temporis initio a Deo fuiſſe conditam, priuſquam illius formationis modum & partes ſigillatim exponeret. Unde perſæpe Cœli & terræ nomina Scriptura ſacra uſurpat, ut ſignificet Deum rerum omnium extra ipſum extantium eſſe opificem. Ut videre eſt Gen. 24. 19. Exod. 20. 41. 2. Paralipp. 2. 12. &c. Quo pariter ſenſu S. Paulus Coloſſ. 16. de Chriſto ſcribit, *in ipſo condita ſunt univerſa in cælo & in terra, viſibilia & invviſibilia, &c.* Idipſum exprimit ſymbolum Nicœnum, *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium.*

Hanc expoſitionem aliis præferendam eſſe docet S. Auguſtinus lib. 12. de Geneſ. contra Manich. cap. 3. & lib. 1. de Geneſ. ad litt. cap. 4. maxime vero lib. 11. de civit. Dei cap. 33. ubi ſic ſcribit; *In principio fecit Deus cælum & terram, quibus nominibus univerſalis eſt ſignificata creatura, vel ſpiritualis & corporalis, quod eſt credibilius: vel magnæ duæ mundi partes, quibus omnia, quæ creata ſunt, continentur, ut primitus eam totam proponeret: ac deinde partes ejus ſecundum myſticum dictum numerum exſequeretur.* Itaque cum Moſes ait Deum creaſſe *cœlum & terram*, nihil aliud ſignificare voluit, quam eum condidiſſe hunc mundum, & quæ in eo continentur; ſicut etiam loquitur S. Paulus Act. 17. v. 24. *Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo ſunt.*

Solius autem Terræ, non vero aliorum elementorum, puta aquæ, aeris, ignis, creationem diſtincte expreſſit Moſes: *Quia*, inquit Severianus Gabalit. *dicendo creata fuiſſe cœlum & terram, ex extremis media deſignavit illis comprehenſa. Velut enim cum dixit, feciſſe Deum hominem, accepto e terra pulvere, formatum quidem dixit, non item membra recenſuit: nec dixit feciße Deum oculos & aures & naſum; ſed dicendo hominem, ea voce membra omnia complexus eſt. Sic & hoc loco, dicendo creaſſe cælum & terram cuncta complexus eſt.*

Adiicit Moſes, terra autem in primo ſuæ creationis inſtanti erat תהו ובהו tohu vabohu, hoc eſt juxta Vulgatum Interpretem, *inanis & vacua*; Ubi tres terræ primigeniæ conditiones notat, I. Quod fuerit expers illius fœcunditatis & elegantiæ ac venuſtatis qua nunc gaudet; illæ enim duæ voces Hebrææ *Tohu vabohu* horribilem quandam vaſtitatem & confuſionem ſignificant. Iſaiæ 34. Jerem. 4. 23.

II. Terra non erat ſicca & ſolida, ſed lutoſa, & undique aquis delibuta & circumfuſa. Unde etiam *Terræ* nomen nondum obtinebat; hoc enim nomine fuit donata tantum tertio die, dum videlicet aquæ in locum unum congregatæ, terra exſiccata, juxta naturalem ſuam conditionem apparuit. III. Terra erat nedum aquarum abyſſo immerſa, ſed & denſiſſimis involuta tenebris; quapropter non erat aſpectabilis. Unde LXX. Interpretes præfatas Hebræas voces ſic reddunt ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος *informis & inviſibilis*.

Cujus inviſibilitatis multiplex profertur ratio. I. a S. Baſilio *hom.* 2. 1. quia *nullus adhuc extabat homo qui illam aſpiceret.* II. a S. Aug. [c] quod *aquis cooperta non poſſet videri*, etiam ſi eſſet qui poſſet videre. III. a Severiano Gabal. orat. 2. quod *nondum erat læta ejus facies conſita; nondum erat fructibus coronata; nondum fluviis fontibuſque cincta; nondum vario ornatu decorata.*

c Lib. 1. de Geneſi ad lit. cap. 13.

At genuinam addit Moſes; *Quia*, inquit, *tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Ubi nomine *Abyſſi*, ſignificat non infernum, in quem projecti ſunt Dœmones, ut erronee putavit Origenes: neque enim Moſes hic agit de ſpiritualibus & incorporeis; nec terra fuit unquam in inferno demerſa. Sed indicat terræ ſtatum cœnoſum, aquis undique perfuſum, & in qua nihil adhuc ſolidum & ſtabile, nihil ordinatum & diſtinctum erat: *Abyſſus*, enim ait S. Auguſtinus [d], *eſt profunditas incomprehenſibilis, ut fere dici ſolet in aquis*,

d In Pſalm. 41.

QUÆRITUR II.

Quæ & quales fuerint tenebræ abyſſum operientes?

MAnichæi ore virulento Catholicos accuſare ſolebant, quod affingerent Moſi eum docuiſſe tenebras extitiſſe ab æterno, & Deum priuſquam lucem crearet, ſemper in tenebris fuiſſe verſatum: *De Deo*, inquiebat Fauſtus [a], *impudenter idem tanta finxerunt, nunc eum in tenebris, ex æterno verſatum dicentes, & poſtea miratum cum vidiſſet lucem.*

a Lib. 2. c. 4.

At hanc calumniam egregie refellit S. Auguſtinus [b]. „ Putant, *inquit*, credi a nobis „ etiam ipſum Deum aliquando in tenebris „ eſſe verſatum, quia ſcriptum eſt, *tenebræ erant ſuper abyſſum*: tamquam nos „ abyſſum dicamus Deum, ubi tenebræ „ erant, quia lux ibi non erat, antequam „ Deus verbo faceret lucem. Sed quia non „ diſtinguunt inter lucem quod eſt ipſe „ Deus, & lucem quam fecit Deus; ideo „ putant eſſe conſequens, ut in tenebris „ ipſe fuerit, antequam faceret lucem, cum „ tenebræ eſſent ſuper abyſſum, antequam „ diceret *fiat lux, & facta eſt lux.* Sicut „ enim in Novo Teſtamento utcumque de

b Lib. 2. contra Fauſtum cap. 8.

„ illo dicitur, nam & *Deus lux eſt, & tene-* „ *bræ in eo non ſunt ullæ*: & ibi legimus: „ *qui dixit de tenebris lumen clareſcere*. 1. Joan, 1. Unde cap. 10. concludit, *cum ergo eſſent tenebræ ſuper abyſſum, ille qui erat lux, dixit fiat lux.*

Itaque tantum abeſt ut tenebræ fuerint æternæ, imo nullam etiam habuerunt veram & realem exſtentiam in illo mundi exordio, quo dicuntur ſuper abyſſum reſperſæ: quin etiam, nedum erant *lucis privationes*, quales nunc dicuntur, dum per lucis abſentiam aer caligine infuſcatur, ſed erant *meræ negationes* & purum nihil, quales ſunt in oculis vel clauſis, vel cæcis, a quibus aer obſcurus nequidem percipitur.

Illæ igitur primordiales tenebræ non erant res aliqua, nec defectus tantum; ſed negatio lucis in abyſſo: ſicut ſilentium non dicitur res, ſed negatio ſermonis: ſeu ut ſcribit S. Auguſtinus [a]. *Tenebræ non ſunt corporeæ, totumque hoc nomen, lucis abſentia eſt; ſicut nuditas carere veſtitu, & inanitas vacare corporis plenitudine.* Et cap. 31. *Tenebræ, ut dixi, nihil ſunt aliud quam lucis abſentia, quæ oculis non videndo diſcernuntur, ſicut ſilentium auribus non audiendo: non quia tenebræ ſunt aliquid, ſed quia lux non eſt; ſicut non quia ſilentium eſt aliquid, ſed quia ſonus non eſt.*

a *Tract. contra Manichæ. cap. 30.*

Quæ cum vera ſint de tenebris jam extantibus, poſtquam productum eſt lumen, quo corpora irradiantur; multo magis de primordialibus illis tenebris, dum nulla lux adhuc extaret.

Erat igitur tunc terrarum moles tenebris & aquis operta, nullis adhuc floribus & plantis, ſed omni ornatu deſtituta.

Petes, quare Deus cœlum & terram ſuis perfectionibus abſoluta initio non condiderit?

Reſpondet S. Ambroſius [b]: „ Potuit utique, ſed ideo primo facta, poſtea compoſita declarantur ne vere increata, & ſine principio crederentur: ſi ſpecies eorum velut ingenerata ab initio, non poſtea addita, viderentur. Incompoſita terra legitur, & iiſdem a Philoſophis æternitatis quibus Deus privilegiis honoratur, quid dicerent, ſi ab initio ejus pulchritudo vernaſſet? &c.

b *Lib. 1. Hexaem. c. 7.*

Similia profert pene S. Chryſoſtomus [c] ubi cum varias terræ utilitates recenſuiſſet, infert: *Igitur ne commoditatis, quæ ex illa capitur, neceſſitas efficeret, ut illam præter meritum admirareris; ac beneficiorum multitudo ad impietatem te deiiceret, eum tibi demonſtrat, antequam eſſes, informem & inconditam.*

c *Homil. 5. in Geneſim.*

Inde eſt quod Moſes prudentiſſime non continua narratione abſolvit terræ & cœli formationem & ornatum, ſed eam recenſionem alternat. *Primo* quidem *die* dicit crearam terram, ſed incultam & ſub immenſa aquarum mole demerſam & latitantem: deinde ſurſum reſpiciens, ait *ſecundo die* creatum Firmamentum, ſed nullis aſtris fulgidum. Rurſum in terram reverſus. dicit eam *tertio die* aquis nudatam germinaſſe plantas & fruges: poſt hæc, in cœlum evolans, refert illud micantibus aſtris, maxime Sole & Luna, *quarto die*, exornatum. Tandem in terram deſcendens, ait illam una cum mari varia animalium & piſcium multitudine ac ſpecie ditatam, & exornatam; nimirum ut hac alternatione manifeſtum faceret, omnem coeli & terræ decorem & pulchritudinem, non ex nativa eorum fœcunditate, ſed ex Dei munere & bonitate prodiiſſe.

Itaque in uno triduo præcipuæ mundani corporis partes conſtitutæ ſunt; in altero vero triduo, atque eodem ordine rebus neceſſariis ſunt inſtructæ & ornatæ. *Die* enim *quarto* coeli, qui primo die fuerunt conditi, ornati ſunt ſtellis: *die quinto* firmamentum ſecundo die conditum, repletum fuit avibus: *ſexto die* terra, quæ apparuerat die tertio, inſtructa eſt beſtiis, & homine illius cultore.

Hinc apparet quam deformis & incondita fuerit prima mundi facies, dum videlicet omnia elementa una cum terra procreata, nullo adhuc ordine eſſent ab invicem ſejuncta; ſed cum ipſa terra aquis ſupernatantibus eſſent permixta. Quæ graphice ex Moſe (ut puto) repræſentat Ovidius initio Metamorphoſeon, his verſibus:

Ante mare & terras &, quod tegit, omnia cælum
Unus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere, Chaos, rudis indigeſtaque moles,
Nec quicquam, niſi pondus iners, congeſtaque eodem
Non bene junctarum diſcordia ſemina rerum ....
Sic erat inſtabilis tellus, innabilis unda:
Lucis egens aer, nulli ſua forma manebat,
Obſtabatque aliis aliud; quia corpore in uno
Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis,
Mollia cum duris, ſine pondere habentia pondus.

Quæ omnia Moſes complexus fuerat his verbis: *tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Addit vero, *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas:* unde

QUÆRITUR III.

Quis fuerit ille Spiritus Domini?

PRætermiſſis variis acceptionibus vocis *Spiritus* in Scriptura ſacra memoratis, de quibus abunde dictum eſt in noſtro Scoto Academico, triplici potiſſimum ſenſu hic ab Interpretibus uſurpatur. I. Pro *Vento* qui, quod ſit inviſibilis, *Spiritus Domini* interdum

Digitized by Google

dum vocatur; ſic Exod. 16. *Flavit ſpiritus ejus, & operuit eos mare:* & Pſal. 147. *Flabit ſpiritus ejus & fluent aquæ:* & Iſaiæ 30. *Exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos quia Spiritus Domini inſufflavit in eo:* hoc ſenſu præſata Moſis verba exponit Tertullianus: *Non ut quidam putant*, inquit, *ipſum Deum ſignificari ſpiritum, quia Deus Spiritus; neque enim aquæ Dominum ſuſtinere ſufficerent: ſed cum jam ſpiritum dicit, de quo etiam venti conſliterunt, ut ait per Iſaiam, quia ſpiritus a me exivit & flatum omnem ego feci.*

Huic expoſitioni ſubſcribunt *Theodoretus* quæſt. 8. in Geneſim, & *Severianus* Gabal. orat. 1.

Verum hæc ſententia non mihi videtur probabilis. I. Quia tunc quatuor elementa ſimul erant permixta, nec aer aut ventus erat a terra diſtinctus, ut ſuper eam perflare poſſet. II. Vento a Deo excitato, hoc eſt vehementiſſimo non convenit Hebræa vox [Hebrew] *Meruchephetb*, quæ leniſſimam agitationem ſignificat. III. Deus ad iſtius terræ & aquæ molis ſuſtentationem, perfectionem & fœcunditatem opus non habuit conſortio alicujus creaturæ, qualis eſt ventus.

II. Sunt qui per *Spiritum Dei* intelligunt vim & efficaciam quamdam vitalem aquis impreſſam qua fierent fœcundæ ad piſces & alites procreandos. Ita S. Chryſoſtomus [a]: *Quid ſibi vult*, inquit, ET SPIRITUS DEI FEREBATUR SUPER AQUAS? *Mihi videtur hoc ſignificare quod adfuerit efficax quædam & vitalis operatio aquis; & non fuerit ſimpliciter aqua ſtans & immobilis; ſed vitalem quamdam vim habens, &c.*

a *Homil.* 3. *in Geneſ.*

Ejuſmodi ſpiritum nonnulli veteres Philoſophi ſtatuerunt mundi animam, quam exiſtimationem ſic deſcribit Virgilius, Æneid. 6.

Principio cœlum ac terras campoſque liquentes,
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque aſtra
Spiritus intus alit: totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet,

At iſta expoſitio abludit a mente Moſis, qui non dicit Spiritum aquis infuſum, ſed ſuper eas effuſum, eiſque incubantem inſtar gallinæ ova foventis, ut pullos excernat.

Tertia vero, eaque communior expoſitio eſt, per *Spiritum Dei*, intelligi tertiam in divinis Perſonam quæ proprie SPIRITUS DEI dicitur: quam etiam Tertullianus melius conſultus, approbat [b]. Ubi cum præmiſiſſet præfata Moſis verba, addit: *Habes, homo, imprimis ætatem venerari aquarum, quod antiqua ſubſtantia, dehinc dignationem, quod divini Spiritus ſedes, gratior ſcilicet cæteris tunc elementis. Nam & tenebræ totæ adhuc ſine cultu ſyderum informes, & triſtis abyſſus, & terra imparata, & cœlum rude: ſolus liquor ſemper materia perfecta, læta, ſimplex, de ſuo pura, dignum vectaculum Deo ſubiiciebat, &c.*

b *Lib. de Baptiſmo ca.* 3.

Eandem præ cæteris expoſitionem comprobat S. Baſilius [c], cum enim præcedentem præmiſiſſet, adiicit: *Quod verius eſt, & a Majoribus noſtris probatum, Spiritus ille, Spiritus Dei ſanctus dictus eſt, propterea quod obſervatum eſt talem de illo peculiari modo, Scripturam præcipueque facere mentionem; & nihil aliud Dei Spiritum appellare, quam ipſum Spiritum, qui divinæ beatæque Trinitatis numerum complet.*

c *Homil.* 2. *in Geneſ.*

His ſubſcribit S. Ambroſius qui præmiſſa aliorum expoſitione, addit: *Nos tamen cum Sanctorum & Fidelium ſapientia congruentes, Spiritum-Sanctum accepimus, ut operatio Trinitatis eluceat: præmiſſo enim quod,* IN PRINCIPIO FECIT DEUS COELUM ET TERRAM, *id eſt, in Christo fecit Deus, vel Filius Dei fecit, vel per Filium Deus fecit,* QUIA OMNIA PER IPSUM FACTA SUNT; *ſupererat plenitudo operationis in Spiritu; quia ſcriptum eſt,* VERBO DOMINI COELI FIRMATI SUNT, ET SPIRITU ORIS EJUS OMNIS VIRTUS EORUM.

Concinit S. Hieronymus ad præfata Moſis verba *Pro eo*, inquit, *quod in noſtris codicibus* FEREBATUR, *in Hebræo habet* MERASCHEPHETH, *quod nos appellare poſſumus* INCUBABAT, *ſive* CONFOVEBAT, *in ſimilitudinem volucris ova calore animantis. Ex quo intelligimus non de ſpiritu mundi dici, ut nonnulli arbitrantur: ſed de Spiritu Sancto, qui & ipſe vivificator conſequenter & conditor; quod ſi conditor, & Deus; Emitte enim, ait ſpiritum tuum & creabuntur.*

Audiemus etiam S. Aug. maxime lib. 13. Confeſſ. cap. 5. *Tenebam*, inquit, *jam* PATREM *in* DEI *nomine, in quo fecit hæc, &* FILIUM *in* PRINCIPII *nomine, in quo fecit hæc, & Trinitatem credens Deum meum ſicuti credebam, quærebam in eloquiis Sanctis ejus, & ecce* SPIRITUS TUUS SUPERFEREBATUR SUPER AQUAS. *Ecce Trinitas Deus meus, Pater & Filius & Spiritus Sanctus, Creator univerſæ creaturæ &c.* Mitto cæteros Patres idem aſſerentes quorum ſententiam his verſibus comprobat & eleganter exponit Claudius Marius Victor Orator Maſſilienſis, Comment. in Geneſim.

Et Sacer extenſis impendens Spiritus undis
Altrices animabat aquas, ne ſemina rerum
Nondum compoſitis fundenda ad germina terris
Inſinuanda dabat.

Eſt igitur vera ſententia, divinum Spiritum incubuiſſe aquis, hoc eſt fœcunditatem vimque & efficaciam eis indidiſſe, ut S. Baſilius *præfata hom.* 2. *in Gen.* dicit ſe accepiſſe a viro quodam Syro in divinis Scripturis verſatiſſimo, qui prædicta Moſis verba expendens aiebat: *Verbum hoc, ferebatur, pro confovebat vitalemque fæcunditatem aquarum naturæ præbebat, ſumunt atque interpretantur, ad ſimilitudinem aviculæ incubantis, vimque vitalem quamdam imprimentis in ea, quæ ab ipſo foventur &c.*

Neque ſolum unanimis eſt Illuſtriorum Eccleſiæ Doctorum ea de re conſenſio, ſed

etiam

etiam Hebræorum, qui in Targo Hieroſolymitano pro Spiritu Dei, *Spiritum miſeratiónum* reddiderunt, quod nec de vento, nec de aliqua re creata poteſt intelligi.

Etſi vero hæc abunde ſufficiant ad refellendam impietatem Socinianorum negantium Spiritum Sanctum eſſe Deum, & aliquam in mundi creatione partem habuiſſe; nihilominus ut abunde refellatur ipſorum impietas, proponendæ ſunt & ſolvendæ eorum argutiæ.

Obiiciunt I. Ille Spiritus, de quo hic loquitur Moſes, dicitur *Spiritus Dei*: ſed Spiritus Dei diſtinguitur a Deo, nec proprie dici poteſt, Deus; ſicut ſpiritus hominis diſtinguitur ab homine, nec congrue diceretur, homo: igitur hic Spiritus, nec Deus eſt, nec Perſona divina.

Reſpondeo, Spiritum S. recte dici *Deum*, & *Spiritum Dei*: Deum quidem ratione divinæ eſſentiæ & operationis quam indiviſim habet communem cum Patre & Filio; Spiritum vero Dei, ratione ſuæ Perſonæ, quæ, ut procedit a Patre & Filio; dici poteſt Spiritus Dei.

Unde Minorem argumenti diſtinguo: Spiritus Dei diſtinguitur a Deo, ſi vox *Deus* accipiatur perſonaliter, ſeu pro perſonis Patris & Filii a quibus ille divinus Spiritus procedit, concedo; ſi accipiatur eſſentialiter & prout ſignificat divinam eſſentiam indiviſim tribus Perſonis communem, nego. Nec ad rem quidquam conducit exemplum propoſitum de ſpiritu hominis, cum enim homo duplici natura conſtet, corporea & ſpirituali, neutri hominis nomen ſenſim ab alia proprie tribueretur: neque enim humanum corpus dicitur, homo; nec pariter anima, homo, nominatur; ſecus eſt autem de divinis Perſonis, quarum quælibet indiviſim eſt Deus. Itaque cum in Deo nulla ſit diviſio, nulla compoſitio, ſed ſumma ſimplicitas; quidquid in Deo eſt, Deus eſt: ac proinde Spiritus Dei eſt etiam Deus.

Inſtant Spiritus ille dicitur *Spiritus Elohim*, ſeu Dei qui creavit cœlum & terram; igitur, vel eſt diſtinctus ab illo Elohim Creatore, vel non; ſi non ſit diſtinctus; ergo erit ſpiritus ſui ipſius, quod Sabellianiſmum ſapit: ſi ſit diſtinctus, cum illo nomine *Elohim creantis*, tres, ut volumus, ſignificentur divinæ Perſonæ ſimul & indiviſim creantes; cumque ille Spiritus incubans aquis ſit Spiritus illius Elohim creantis, inferendum erit quatuor eſſe admittendas Perſonas in divinis, aut Spiritum hunc non eſſe Deum.

Reſpondeo, vocem *Elohim* ſumi vel eſſentialiter & explicite, vel perſonaliter & implicite: priori modo ſignificat unitatem divinæ naturæ & operationis: poſteriori vero deſignat tres Perſonas in ipſa unitate naturæ ſubſiſtentes & operantes. Unde ad argumentum dico, nomen *Elohim* in priori verſu ſumi eſſentialiter explicite, perſonaliter vero implicite; in poſteriori autem verſu, in quo ſermo eſt de Spiritu Dei, vox *Elohim* ſumitur explicite perſonaliter, & quatenus ſignificat perſonam Divini Spiritus a Patre & Filio procedentem: Unde, cum hoc argumentum laboret vitio ignorantiæ elenchi, nempe prava terminorum acceptione & diſtributione, nihil concludit.

Urgent: axioma receptum eſt apud Theologos *opera divinæ Trinitatis ad extra eſſe indiviſa*; igitur illa incubatio Spiritus Dei, vel non eſt tribuenda alicui divinæ Perſonæ; vel tribus erit communis; quod ſi verum ſit, abſurde Moſes eam uni duntaxat attribuit.

Reſpondeo, divinæ Trinitatis operationem ad extra dici poſſe indiviſam, & diviſam: *indiviſam* quidem ſecundum rei veritatem & realem operationem; *diviſam* autem ſecundum attributionem, qua fit ut, quæ tribus divinis Perſonis reipſa ſunt indiviſim communia, uni tantum propter quamdam analogiam peculiariter attribuantur: ſic, quia divinus *Pater* ſons eſt & origo duarum divinarum Perſonarum ab ipſo procedentium, ipſi etiam attribuitur creaturarum principium, diciturque in Symbolo *Creator cœli & terræ*: ſimiliter quia *Filius* procedit per intellectum divinum, ei tribuitur ſapientia, quæ cuncta conſtituit & ordinat in pondere, numero & menſura; cum vero divinus *Spiritus* ſit complementum adorandæ Trinitatis, & ultimus divinæ fœcunditatis terminus, ipſi etiam attribuitur creaturarum virtus & perfectio.

Cum autem hæc appropriatio fiat tantum ſecundum imbecillem noſtrum modum res divinas concipiendi & exprimendi, fit etiam abſque ullo divinarum Perſonarum præjudicio; quia, quod tribuitur uni Perſonæ, non denegatur alteri. Approbat hæc David, dum ait Pſalm. 33. v. 6 *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.*

Adiiciunt Sociniani, ſi Spiritus ille, qui ferebatur ſuper aquas, eſſet una Perſona divina, quæ cum duabus aliis mundum condidiſſet, non minus deberet curam & vim ſuam impendere aliis rebus fœcundandis, quam aquis: at ita non eſt; non enim dicitur cœlo & terræ incubaſſe, ſicut aquis: igitur ille Spiritus aquis incubans, non erat aliqua divina Perſona.

Reſpondeo, quod *aquarum* nomine, tota jam condita rudis indigeſtaque moles ſit intelligenda per Synecdoken, qua pars pro toto ſolet accipi; idque maxime quod inter iſtius orbis partes nulla adhuc eſſet diſtinctio. Aquas vero ideo nominat Moſes, vel ut indicaret, eas una cum terra eſſe creatas: *Vel* quia ampliori fœcunditate quam terra & cœli donatæ fuerant: *Vel* quod major earum eſſet amplitudo, utpote cum terram univerſam operirent.

Accedit quod etſi Moſes aquas ſeorſim ab aliis mundi partibus ſignificare voluerit, non propterea has alias mundi partes ab illius divinæ fœcunditatis participatione voluit excludere; ſicut nec ipſas aquas, nec alias mundi partes excluſit a ratione creationis, dum ait, *In principio creavit Deus cœlum & terram.*

QUÆ-

QUÆRITUR IV.

Quæ fuerit lux primo die mundi creata?

VEroſimile putat S. Aug. nomine *lucis*, a Moſe ſignificatam eſſe creationem Angelorum; quam ſententiam confirmat, tametſi illam paulo aliter ibi exponat; nimirum quod nomine *cœli* initio conditi, deſignata ſit natura Angelica; nomine vero *lucis* die primo creatæ, inſinuata Angelorum confirmatio in gratia; &, ut ait, *participatio incommutabilis lucis & diei, quod eſt Verbum Dei*. Per diviſionem autem lucis a tenebris, dicit ſignificari diſcretionem ſocietatis Angelorum a perduellibus & reprobis: *non mibi videtur*, inquit, *ab operibus Dei abſurda ſententia, ſi cum lux illa prima facta eſt, Angeli creati intelligantur: & inter ſanctos Angelos & immundos fuiſſe diſcretum, ubi dictum eſt, & diviſit Deus inter lucem & tenebras*.

Verum, ut ibidem diximus, huic expoſitioni adverſantur alii Patres, qui unanimi pene conſenſu, in præfatis Moſis verbis, lucem corpoream ſignificari contendunt. At invicem non conſentiunt in aſſignando hujus lucis ſubjecto. Quidam enim cum S. Gregorio Nyſſeno putant lucem illam non fuiſſe aliam quam ignis fulgorem, qui cum aliis elementis antea confuſus, & permixtus, divino mandato ab iis ſecretus & exiliens, ſua luce cuncta illuſtraverit: *Nam cum*, inquit, *uno divinæ voluntatis motu nuper indiſtincta rerum univerſitas ſimul extitiſſet, omniaque elementa inter ſe concreta permixtaque eſſent, ignis qui ubique diſſeminatus erat, obſcurus jacebat, materiaque impotentia ſupprimebatur. Verum quoniam vis ejus velox atque agilis eſt, ſimul atque rerum naturæ ad mundi conſtitutionem a Deo motus principium atque incitatio adhibita eſt ante illa omnia quæ graviora ſunt, exiliens, lumine cuncta illuſtravit, &c.*

S. Baſilius lucem illam qualitatem quidem ſenſibilem putat: ſed primum abſque determinato ſubjecto conſiſtentem, deinde vero in Solis corpus quarta die conditum transfuſam: *Tunc*, inquit, *ipſa natura lucis producta eſt; nunc autem hoc ſolis corpus ei conditum eſt, ut illi primogenitæ luci vehiculum eſſet*.

Ei concinens S. Gregorius Nazianzenus:
„ Conveniebat, *inquit*, magno lumini opi-
„ ficium ſuum a lumine auſpicari, quo te-
„ nebras vaſtamque illam rerum congeriem
„ & confuſionem omnia occupantem ſolvit
„ ac depulit. Nec vero id organicum a prin-
„ cipio, nec mea quidem ſententia ſolare
„ protulit. Verum incorporeum & ſolis ex-
„ pers: ſed poſtea ad orbem terrarum illu-
„ ſtrandum ſoli traditum eſt. Nam cum in
„ aliis rebus hanc rationem tenuiſſet, ut
„ materiam prius conderet, ac deinde eam
„ forma conveſtiret, ordine videlicet ac fi-
„ gura magnitudineque unicuique rei im-
„ poſitis. Hic ut majoris cujuſdam mira-
„ culi ſpecimen ederet, formam materia
„ priorem protulit: (forma enim Solis lu-
„ men eſt) ac poſtea materiam induxit, So-
„ lem hunc nimirum diei oculum fabricatus.

Alii vero lucem illam primigeniam cenſent fuiſſe lumen corpori cuidam diaphano, puta nubeculæ affixam, circa abyſſum ingentem continuo giranti, & ſua præſentia diem a nocte diſterminanti, ut egregie docet Seraphicus Doctor in 2. diſt. 13. artic. 2. ubi de illa primordiali luce ait: „ Intelligitur
„ lux illa facta fuiſſe, ubi nunc eſt Sol;
„ nam ex illa formatus creditur eſſe Sol.
„ Producta autem fuit ſuper eam partem,
„ ſupra quam noſtrum eſt hemiſpherium;
„ & illud hemiſpherium illuminando fecit
„ *Diem*; & progrediens pervenit ad occa-
„ ſum, & fecit *Veſpere*; & poſt deinde re-
„ grediens ad ortum, fecit *Mane*. Unde,
„ reſpectu unius & ejuſdem hemiſpherii, no-
„ ctem & diem faciebat ſucceſſive, &c.

Petes I. cur mundi creationem a luce auſpicari voluit Deus?

Reſpondet, S. Ambroſius: *Merito*, inquit, *mundi ornatus a luce cœpit exordium: qui enim ædificium aliquod dignum habitaculo patrisfamilias ſtruere deſiderat, antequam fundamenta ponat, unde lucem ei infundat cogitat, & ea prima eſt gratia, quæ ſi deſit, tota domus deformi horret incultu*.

Addit Moſes *Vidit Deus lucem quod eſſet bona*: non quod illius utilitatem & excellentiam prius ignoraverit; aut ad ejus aſpectum mirabundus hæſerit, ut blaſphemabant Manichæi: ſed quod lucis præſtantia non ſermonibus & verbis, ſed ſolo viſu & intuitu comprobetur. *Illa enim*, inquit mox laudatus S. Ambroſius, *videndo complacet, quoniam ipſa videndi officium ſubminiſtrat; nec immerito ſibi tantum prædicatorem potuit invenire, a quo jure prima laudatur: quoniam ipſa facit ut etiam cætera mundi membra digna ſint laudibus*.

Diviſit autem *lucem a tenebris*. I. *Natura*, quia lux eſt forma; tenebræ vero privationes formæ; unde invicem ſunt incompoſſibiles, *nullaque eſt conventio lucis ad tenebras*, ait S. Paulus 2. Cor. 6. *v.* 14. II. *Ordine*, ut ex æquo ſibi invicem in hemiſpheriis continuo ſuccederent. III. *Officio*, ut tenebræ noctem, & lux ſua præſentia diem efficeret. IV. *Fine*, ut illæ animalium quieti, hæc labori & operationi inſerviret, nam ait Pſalmiſta, *ortus eſt Sol... exibit homo ad opus ſuum &c.*

Adiicit Moſes, *appellavitque Deus lucem, diem; & tenebras, noctem*.

An autem revera Deus primigeniam lucem nomine *diei*, tenebras autem *noctis* voce, apellandas eſſe voluerit? an vero duntaxat effecerit, ut lux pro toto illo tempore quo hemiſpherium unum perluſtrat, *dies* ab hominibus vocaretur; ſuccedentes

autem

Digitized by Google

autem illi tenebræ *noctis* apellationem obtinerent? anxie diſputat S. Gregorius Nyſſenus; poſteriorem tamen problematis partem diſerte propugnat, declaratque Deum per ſe nullis rebus nomina feciſſe, ſed duntaxat procreaſſe res, quibus Adamus, ejuſque poſteri nomina præſcriberent. Etenim ſi Deus nomen aliquod impoſuiſſet, maxime juxta primigeniam linguam, nempe Hebraicam; ſubindeque res illæ, Hebraica voce primitus deſignatæ, eadem apellatione prorſus invariata, omnibus nationibus debuiſſent innoteſcere: quis enim nomina rebus a Deo præſcripta invertere fuiſſet auſus?

Conſtat autem nationes ſingulas, lucem, diem, & noctem, non Hebraice ſed lingua ſibi vernacula deſignare.

His peractis *factum eſt veſpere & mane, dies unus*: non *artificialis*, qui fit ab ortu Solis uſque ad occaſum: ſed *naturalis* viginti quatuor horarum, complectiturque præſentiam tam tenebrarum quam lucis ſibi invicem ſuccedentium; computando nempe diem vel ab ortu ad ortum lucis: vel ab uno occaſu ad alium occaſum: vel a meridie ad meridiem: vel a media nocte ad mediam noctem; his enim quatuor modis a diverſis nationibus computari ſolet dies naturalis.

Petes 1. Cur veſperam mane præpoſuerit Moſes?

Reſpondeo, hoc idcirco factum, quod *Veſpera* ſit initium tenebrarum & noctis; *mane* vero initium diei & lucis: porro in mundi creatione tenebræ lucem antecefferant; non igitur mirum eſt, ſi quod prius fuit tempore, prius nominetur. Unde antiquiſſima & prima diei naturalis diſpoſitio fuit a veſpera ad veſperam; quam idcirco a Judæis in Solemnitatibus & Feſtis ſervari juſſit Deus. Levit. 23. v. 32.

Petes 2. Cur Moſes potius dixerit factum fuiſſe diem *unum*, quam diem *primum?*

Reſpondeo, I. In hoc eſſe Hebraiſmum, nam ſolent Hebræi *unum* pro *primo* ſubſtituere, ſic Geneſ. 8. v. 5. *menſe decimo in una menſis*; hoc eſt, ut vertit Vulgatus *prima die menſis*; & Daniel. 8. 1. *in uno anno*, id eſt, *primo Darii*, &c. II. Hac phraſi indicare voluit Moſes ex nocte & die artificiali, factum eſſe unum diem naturalem 24. horis conſtantem.

Petes 3. In quonam hemiſpherio prima lux eſt formata?

Putat Catharinus illam fuiſſe creatam in oppoſito nobis hemiſpherio, ac propterea Moſem veſperam præpoſuiſſe mane, quod tenebræ noſtrum hemiſpherium occuparent, dum oppoſitum luce perfunderetur. Verum probabilius eſt lucem fuiſſe creatam in ea mundi parte quam Adamus ejuſque filii debebant incolere; maxime cum mundus hominum habitationi deſtinaretur.

DE OPERE SECUNDÆ DIEI.

Quid actum ſit a Deo ſecunda die mundi, his verbis declarat Moſes, v 6. *Dixit quoque Deus, fiat Firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis, &c.* In quibus verbis tria ſunt ſtatuenda. I. Quid *Firmamenti* nomine hic ſignificaverit Moſes? II. Qua ratione Firmamentum hoc dividat aquas ab aquis? III. Quo ſenſu *Cæli* nomen huic Firmamento Deus indiderit?

QUÆRITUR AUTEM I.

Quid nomine Firmamenti hic ſignificetur?

Firmamentum Hebraice dicitur *Rakia*, quæ vox, inquit Alben-Ezra, ſignificat *rem extenſam* ſive *expanſam*, eo modo quo aulea expanduntur: vel quo argentum malleo diducitur & attenuatur. Ad vim & naturam iſtius vocabuli Scriptura ſacra attendit multis in locis, ut Pſalmo 103. 3. *Extendens cœlum ſicut pellem.* Iſaiæ 40. 22. *Qui extendit velut nihilum* (vel pellem) *cœlos, & expandit eos velut tabernaculum ad inhabitandum.*

Triplex autem de hoc Firmamento eſt Auctorum Sententia.

Prima eorum qui cum S. Chryſoſtomo exiſtimant hic deſignari cœlum, primo quidem die conditum, ſed hac ſecunda die deſtinatum ad dirimendas aquas ſuperiores ab inferioribus.

Cenſent alii, nomine *Firmamenti*, hic indicari cœlum ſydereum hac die formatum, ut ſubtiliores aquas a terrenis & craſſioribus dirimeret, ita S. Baſilius [a]. S. Ambroſius [b], & Theodoretus [c], qui cum quæſiviſſet utrum idem ſit Cœlum primo & ſecundo die commemoratum, dicit hanc quæſtionem inſcitiæ plenam videri: *Oportebat enim*, inquit, *ex temporis ratione, ex ipſo creationis modo cælorum diverſitatem noſſe.*

a *Homil.* 4. *in Hexaem.*
b *Lib.* 2. c. 4.
c *Quaeſt.* xi.

Quod utique probat triplici ratione. I. Quia cœlum primo die conditum, lucem anteceſſit, hoc vero illam ſubſecutum eſt, II. Illud conditum fuit ex nulla præjacente materia; hoc vero emerſit ex aquis; nam ait Deus: *Fiat Firmamentum in medio aquarum, &c.* III. Vocavit Deus Firmamentum *Cælum*: at prius cœlum Firmamenti nomine, non eſt donatum. Inde concludit, *qui igitur non credit ſecundum eſſe cælum, extra ſemitam rectam incedit: qui vero plures nominare conatur, adhæret fabulis poſtpoſita divini Spiritus doctrina.*

Tertia

Tertia ſententia eorum eſt, qui exiſtimant *Expanſum* illud, ſeu firmamentum, non aliud eſſe quam vaſtum illud ſpatium, quod protenditur a terræ & aquarum ſuperficie ad extremum Univerſi convexum, ita ut complectatur nedum tres aeris regiones (primam quidem temperatam, in qua formantur meteora aerea; mediam frigidiſſimam, in qua nubes imbriferæ coaleſcunt; tertiam calidiſſimam, in qua meteora ignea generantur) ſed & cœleſtes orbes quibus affixa ſunt ſydera; huic enim vaſtiſſimo ſpatio firmamenti nomen attribuit Moſes.

Unde firmamenti nomen hic tripliciter uſurpat. *Primo*, quidem pro toto ſpatio a terra ſurſum expenſo, v. 7. *Fiat firmamentum*, &c. *Secundo*, pro iſtius expanſi ſeu Firmamenti parte ſuperiori, v. 14. *Fiant luminaria in Firmamento cœli*. Tertio ſolum pro inferiori parte expanſi, v. 20. *Volatile volet ſuper terram ſub firmamento cœli*. Inde eſt quod in Scriptura ſacra perſæpe fit mentio trium cœlorum, *infimi*, nempe aeris; *medii*, quod eſt compages orbium in quibus ſunt ſydera; & *ſupremi* quod eſt Beatorum ſedes, & Paradiſus cœleſtis. Quam utique expoſitionem cenſeo probabiliorem.

At, inquies; Firmamentum hoc Deus vocavit *cœlum*: ſed cœli nomen aeri non competit: igitur nec firmamenti appellatio.

Nego minorem, cujus contrarium apparet ex plurimis Scripturæ textibus, ſic Pſalm. 149. *Qui operit cœlum nubibus*; nubes autem non in cœlo ſydereo, ſed in aere formantur & agitantur: ſic Math. 6. & Act. 10. Aves per aera vagantes dicuntur *volatilia cœli*: & Math. 16. Chriſtus D. reprimens Phariſæorum & Saducæorum malitiam qui ſignum aliquod in cœlo ab eo fieri poſtulabant; ait, *Facto veſpere dicitis ſerenum erit, rubicundum eſt enim cœlum, & mane hodie tempeſtas, rutilat enim triſte cœlum, &c.* Quæ certe non de cœlo ſydereo, ſed de aereo dicuntur. Vocavit autem Deus Firmamentum cœlum, ut prius lucem vocavit diem per prolepſin, quia poſtea ſic ab hominibus appellari voluit.

Inſtabis, illi ſoli competit appellatio & ratio *Firmamenti*, quod ſecundo die mundi formatum eſt ut divideret aquas ſuperiores ab inferioribus: at orbes cœleſtes & aer non ſunt formati ſecundo, ſed primo die; etenim ſupra dictum eſt, nomine *cœli* comprehendi omnes cœleſtes orbes, & nomine *terræ*, quatuor elementa; igitur appellatio Firmamenti illis non competit.

Reſpondeo, Firmamentum non tam dici factum ſecundo die, quam deſtinatum & applicatum ad officium ei proprium, nempe ad ſeparationem aquarum ſuperiorum ab inferioribus.

Unde licet aer & orbes cœleſtes jam eſſent conditi, quia tamen elementa nondum erant ab invicem diſcreta, nec cœli eo ſitu & ordine diſpoſiti, quo jam conſiſtunt; ſed omnia velut in mole inordinata adhuc eſſent compacta: ideo cum ſecundo die mundi juſſit Deus ut cœleſtes orbes ſe ſe expanderent, & aer e terræ ſinu erumpens, ampliſſimum illud ſpatium cœlum inter & terram occuparet, vere factum eſt expanſum, quod aquas ſubtiliores ſurſum elatas a craſſioribus dirimeret, & illas ſuſtentaret: quæ ut pateant evidentius.

QUÆRITUR II.

An & quæ ſint illæ aquæ ſupercœleſtes?

ALiquas extare aquas ſupra cœlum aperte teſtatur Scriptura ſacra, nedum præfatis Moſis verbis, quibus Firmamentum dicitur dirimere aquas ſuperiores ab inferioribus; ſed & *Pſalm.* 148. & in Cantico trium puerorum *Daniel.* 31. ubi ad laudandum Deum una cum Angelis hominibus & cœlis, invitantur *aquæ quæ ſuper cœlos ſunt*.

Hinc S. Baſilius [a], & S. Epiphanius [b] vehementiſſime ſuggillant Origenem, quod negaret verat aquas extare ſuper cœlos; textus vero Scripturæ id aſſerentes, exponeret allegorice dicens, per aquas ſuperiores, intelligendas eſſe beatas mentes quæ Deum aſſidue laudant: per eas vero quæ ſunt infra Firmamentum, *ſpiritualia nequitiæ a naturali ſublimitate, in imum totius improbitatis delapſas*, ut loquitur S. Baſilius, qui adiicit: *His igitur & ejus generis ſententiis, ut quæ ſomniorum conjecturis, & anilibus fabulis conferendæ veniunt, relegatis, aquam nos, ut aquam intelligimus*. Eandem allegoricam expoſitionem improbans S. Epiphanius exclamat: *O furor hominum junctus ſtultitiæ!* Sunt itaque revera aquæ ſupercœleſtes.

a Homil. 3. in Hexaem.
b in Epiſt. ad Joannem Hieroſolym.

Quænam vero illæ ſint, non ita liquet: ſunt enim qui cum Lyrano, Cajetano, & Toſtato putant aquas non alias eſſe quam cœlum, quod fingunt cryſtallinum, ex ipſis ſubtilioribus aquis ſurſum elatis & frigore concretis formatum.

Verum Moſes non loquitur de cœlis ex aquis emergentibus: ſed de aquis exiſtentibus ſupra firmamentum, quod ibi cœlum appellat. *Accedit* quod illæ aquæ ſupponantur tenuiſſimæ, & ſubtiliſſimæ; ac proinde ita facile in duriſſimam glaciem, inſtar cryſtalli, concreſcere & denſari nequeunt.

Communior SS. Patrum exiſtimatio eſt, revera extare aquas ſupra cœlum. Hoc imprimis diſerte docet S. Amb. [a] ubi refellit eos qui dicunt nullas eſſe aquas ſupercœleſtes quod cœlum ſit rotundum; in circuitu vero aquas ſtare non poſſe. Hanc eandem veritatem tum ſuis, tum aliorum argumentis probat S. Aug. qui refellit eorum errorem, qui idcirco negant aquas ſupra cœlum poſſe conſiſtere, quod cœlo ſint ponderoſiores. Hos inquam refellit, potiſſimum duobus argumentis. I. Quia etſi nubes aquis pluvialibus gravidæ, aere ſint

a Lib. 2. c. 3. in Hexa.

Digitized by Google

ponderoſiores & craſſiores, nihilominus in eo ſuſpenduntur & circumferuntur. Unde concludit *cap.* 4. „ Non impedire propria „ pondera elementorum quominus etiam ſu- „ per illud ſublime cœlum poſſint eſſe aquæ „ per illas minutias, per quas etiam ſuper „ hoc ſpatium aeris eſſe potuerunt; qui „ quamvis gravior & inferior ſummo cœlo „ ſubjaceat, procul dubio levior eſt aquis; „ & tamen, ut ſuper eum ſint vapores illi: „ nullo pondere prohibentur. Sic ergo & „ ſuper illud cœlum poteſt minutioribus „ guttis levior halitus humoris extendi, „ qui pondere cadere non cogatur. II. Id probat ex eo quod ſtella Saturni omnium celſiſſima, frigidiſſima dicatur, cum tamen ob velociorem curſum deberet eſſe calidiſſima; *Ergo*, inquit cap. 5. *eam frigidam fecit aquarum ſuper cœlum conſtitutarum illa vicinitas: quoquomodo autem & qualeslibet aquæ ibi ſint, eſſe eas minime dubitemus; major eſt quippe Scripturæ hujus auctoritas, quam omnis humani genii capacitas.*

Quæ vero ſit aquarum earum ſupercœleſtium utilitas, his verbis explicat Theodoretus; „ Bifariam Deus omnium diviſit „ aquarum naturam, & quaſdam ſurſum „ Firmamentum collocavit; quaſdam deor- „ ſum reliquit; ut ſuperiores illæ ſua hu- „ miditate atque frigiditate non ſinerent „ corrumpi Firmamentum ab igne lumina- „ rium: reliquæ vero, quæ deorſum reman- „ ſerunt, ſuis vaporibus aerem foveant „ exuſtum & exſiccatum ab Igne ſuperiore.

At plenius rem exponit Severianus Gabalorum Epiſcopus, ubi cum inquiſiviſſet: *Cur vero in excelſis aquæ? in quem uſum poſitæ? ut quis bibat? ut quis naviget?* Reſpondet. „ Sane eſſe quidem aquas in „ ſuperioribus teſtis eſt David cum ait: „ *Et aquæ quæ ſuper cœlos ſunt.* Attende „ jam Creatoris ſapientiam, erat cœlum „ glaciei in morem ex aquis concretum: „ quia enim Solis flammam & Lunæ, ſide- „ rumque immenſam multitudinem exceptu- „ rum erat, ac totum igne plenum erat „ futurum, ne nimio calore ſolveretur & „ exureretur, ſubſtravit cœli convexo aqua- „ rum illarum æquora, quibus quaſi impin- „ guaret atque imiret, ut in eum modum „ incendio illi reſiſteret, nec illo crema- „ retur. „

Salva tamen tantis Eccleſiæ Doctoribus, aliiſque viris maximi nominis eis ſubſcribentibus debita reverentia, cenſent alii aquas illas ſuperoœleſtes, non alias eſſe quam nubes aquis fœtas in media aeris regione, divina manu ſuſpenſas: nec immerito quidem; conſtat enim ex plurimis Scripturæ ſacræ textibus Deum aquas & nubes in cœlo poſuiſſe, ſic Pſal. 7. v. 12. *Poſuit tenebras latibulum ſuum: tenebroſa aqua in nubibus aeris*, & 146. v. 8. *Qui operit cœlum nubibus & parat terræ pluviam.* Et Jeremiæ 10. v. 13. *Ad vocem ſuam dat multitudinem aquarum in Cœlo, & elevat nebulas ab extremitatibus terræ:* & Job. 26. v. 8. *Qui ligat aquas in nubibus ſuis, ut non erumpant pariter deorſum.* Nubes igitur aquis fœcundæ, ſunt illæ aquæ in cœlo & Firmamento, ab aquis terrenis per inferiorem aeris regionem longiſſime diſſitæ.

Huic Sententiæ ſubſcribit S. Cyrillus Hieroſol. Exponens enim præfata Moſis verba ait; *Cum propter agriculturam opus eſſet aquis, conſtituit aquas ſupra cœlos, ut cum terra pluviarum irrigatione indigeret, paratum ſit ad hoc cœlum.* Quibus verbis ſignificat non alias eſſe aquas ſupercœleſtes, quam nubes quæ in pluvias ſolvuntur.

Idem docet S. Auguſtinus approbans viri cujuſdam ſententiam, qui aiebat, „ Moſem „ nomine *cœli* aerem appellaſſe, non ſolum „ ſermone communi, ſecundum quem di- „ cimus *ſerenum*, vel *nubilum cœlum*: ſed „ etiam noſtratum ipſarum conſuetudine „ Scripturarum, cum dicuntur *volatilia cœ-* „ *li, &c.* „ Addit, *hanc ego diligentiam conſiderationemque laude digniſſimam judico.*

Quod autem Moſes per aquas cœleſtes non alias, quam aeres videatur ſignificare, ſuadetur. I. Quod duplices duntaxat aquas ſtatuat, *ſuperiores & inferiores*, nempe terrenas & cœleſtes. Porro, nubes ſunt aquæ cœleſtes: igitur has indicavit. II. Ejus ſcopus erat aſſerere mundum hunc aſpectabilem, & omnia quæ in eo ſunt, fuiſſe ſecundum omnes illius partes a Deo conditum; quamobrem earum duntaxat creaturarum productionem recenſet, quæ ſub aſpectum & ſenſus cadunt. Scribebat enim maxime ad informationem Iſraelitarum, qui cum eſſent rudioris & agreſtioris genii, minus apti videbantur ad recipiendas res a ſenſibus remotas, quales eſſent illæ aquæ ſupra cœlum ſydereum extantes.

At inquies, aquæ ſurſum evectæ, dicuntur conſtitutæ *ſupra Firmamentum*: ſed nubes non ſunt ſupra aerem, ſed in aere: igitur illæ aquæ ſupercœleſtes non poſſunt intelligi de nubibus.

Diſtinguo majorem, ſunt ſupra Firmamentum, ſeu ſupra cœlum ſidereum, nego: ſupra infimam partem Firmamenti aerei, concedo; extant enim nubes pluvia refertæ in media regione aeris: vocem enim *Expanſi* ſeu *Firmamenti*, ut dictum eſt, tripliciter hic uſurpat Moſes I. Pro univerſo ſpatio a terra ſurſum uſque ad ſupremum cœlum. Sic v. 6. II. Pro parte ſuperiori in qua poſita ſunt aſtra, v. 14. III. Pro parte inferiori illius ſpatii, ubi aves volitant, & nubes extant: igitur hoc Firmamentum ſeu expanſum ita dividit aquas nubium a terrenis, ut tamen ſupra nubes quoque protendantur.

Inſtabis, Firmamentum, ex vi nominis, ſignificat rem firmam ac ſolidam: unde cœli dicuntur etiam *ſolidi*, Job. 37. v. 18. *Tu forſitan cum eo fabricatus es cœlos, qui ſolidiſſimi quaſi æs fuſi ſunt*: At aer nec firmus, nec ſolidus eſt, ſed fluidiſſimus: igitur aer dici nequit firmamentum illud, ſupra quod extant aquæ ſuperiores.

Reſpondeo, Firmamentum non ſic appellari, quod ſolidum ſit; ſed quia firmum permanet, ac ſemper idem perſeverat; quod utique etiam aeri convenit. Ad textum ex

Jobo

Jobo prolatum, dico illa verba non eſſe illius ſanctiſſimi viri, ſed Eliu, qui v. 2. ſequentis capitis, a Deo arguitur imperitiæ, his verbis: *Quis eſt iſte involvens ſententias ſermonibus imperitis?* Deinde cœli aſſimilantur æri, non ratione ſoliditatis, ſed ratione luminis & claritatis, quod videlicet acceptum ab aſtris ſplendorem, æris politi inſtar reflectant.

Ad rationes ex S. Auguſtino, aliiſque productas, dico illas mihi videri minus urgentes: nam ex ſententia omnium pene Philoſophorum conſtat cœlorum ſubſtantiam & naturam eſſe ſimplicem, elementorum mixtura, & qualitatibus expertem; proindeque nec calidam, nec frigidam eſſe. Nullo igitur cœli egent refrigerio, nulliſque alterationibus ſubjacent; unde fit ut aquarum illarum ſupra cœleſtes orbes nullus ſit uſus.

Urgebis, nubes & aquæ pluviales nondum extiterant ſecundo die mundi, ut apparet ex ſequenti cap. v. 5. & 6. ubi dicitur nondum pluiſſe, cum die tertio terra germinaret, ſed fons (aut vapor) aſcendebat e terra irrigans univerſam ſuperficiem terræ: igitur nubes & pluviæ dici non poſſunt aquæ cœleſtes, de quibus hic eſt ſermo.

Nego conſequentiam, etſi enim nondum pluiſſet ſuper terram, inde non eſt inferendum, nullas in aere expanſo tunc extitiſſe nubes imbriferas, quæ in aquas ſolverentur dum opus eſſet; nulla autem cœlitus terram irrigandi tunc erat neceſſitas, cum terra vix ab ingenti aquarum mole, qua operiebatur, eſſet libera, totaque lutoſa adhuc exiſteret.

Petes cur hoc ſecundo die, omiſſa fuerit operis approbatio, aliis diebus conceſſa, his verbis: *Vidit Deus quod eſſet bonum*. Hebræi varias hujus diſcriminis rationes commenti ſunt; ſed prorſus inanes. Ideo id factum, inquiunt, quod illo ſecundo die gehenna fuit condita: vel, quod tunc Angeli fuerunt e cœlo in abyſſum lapſi.

S. Hieronymus lib. 1. contra Jovinianum cap. 9. dicit ſecundum diem non fuiſſe divina benedictione ſacratum, quod binarius numerus, primus recedat ab unitate; *Scriptura*, inquit, *in primo*, *tertio*, *quarto die*, *expletis operibus ſingulorum*, *dixit*: Et vidit Deus quod esset bonum, &c. *In ſecundo die hoc omnino ſubtraxit; nobis intelligentiam derelinquens, non eſſe bonum duplicem numerum, qui ab unione dividat & præfiguret fœdera nuptiarum*. Unde concludit ſecundas nuptias, licet permiſſas, non tamen eſſe benedicendas.

Addunt aliqui hanc operis approbationem ſecundo diei non eſſe adjunctam, quia nondum extabat illius aquarum diviſionis utilitas, donec aquæ terreſtres in proprium & determinatum locum ſe reciperent, quod ſequenti tantum die factum eſt. Unde ſtatim ac terra fuit aquis nudata tertio die, habuit divinam iſtam approbationis notam. Verum hæc non fuit pariter addita poſt creatum hominem, ubi præſertim videbatur adjicienda.

Conſultius itaque dicendum arbitror, illam approbationem hic eſſe prætermiſſam ſpeciali aliquo Dei conſilio nobis ignoto; *Nihil igitur opus eſt, ut ea cum diſcrimine definiantur, quæ ſine diſcrimine neſciuntur*, ait S. Auguſtinus.

Sunt tamen, qui exiſtimant hanc diem etiam peculiari Dei benedictione fuiſſe donatam, ut patebit in articulo ſequenti.

Porro tam Firmamentum, quam cætera Dei opera, fuiſſe ab eo probata, conſtat ex his verbis ſexto die prolatis, v. 31. *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*.

DE OPERE TERTIÆ DIEI.

Tertiam mundi diem duplici Dei opere illuſtratam dicit Moſes, nimirum. I. Collectione aquarum in unum locum, ut terram, quam prius operiebant, hominum & animalium producendorum habitationi liberam relinquerent. II. Indita ipſi terræ ſtirpes & plantas germinandi virtute.

QUÆRITUR I.

Qua ratione fieri potuit in unam terræ partem aquarum congeries?

Manichæi in vetus Teſtamentum ore virulento debacchantes quaſi erroribus refertum, & a malo principio ſuggeſtum, hunc præcipue textum objiciebant, veluti rem omnino abſurdam, & factu impoſſibilem. Neque enim, inquiebant, fieri potuit, ut aquæ univerſam terram prius operientes, ita potuerint comprimi, ut in unum locum coaleſcerent. Hanc reprehenſionem ut præcaverent & elevarent SS. Patres, varii varia proferunt. S. Baſilius [a], & S. Ambroſius [b] innuere videntur ingentem illam aquarum molem terram tegentem idcirco in uno loco collectam, quod Deo jubente montis inſtar terra altius aſſurrexerit, adeo ut continuo tribuendum ſit miraculo, quod in terram non refluat, & eam obruat.

Verum plurimis rationibus & experientiis conſtat terram eſſe Oceano altiorem, neque hunc altius illa aſſurgere, niſi dum procellis & tempeſtatibus jactatur & intumeſcit, ut demonſtravi in Academica mea Philoſophia, his rationibus ductus, I. Quia Pſal. 106. v. 23. navigaturi dicuntur *deſcendere in mare*. II. Quia aqua præſertim marina, æquabilem planitiem exhibet; unde & mare

[a] *Homil. 4.*
[b] *Lib. 3. c. 2. in Hexaë.*

mare *æquor* dictum eſt. III. Quia flumina inferiorem & decliviorem locum petentia, præcipiti lapſu in mare ruunt. IV. Quia ſi mare eſſet terra altius; naves, quo longius a littore procederent, eo tardiorem haberent curſum, celeriorem vero dum ad illud accederent, quia ad decliviora tenderent, quod manifeſtæ experientiæ repugnat. V. Quia nullæ poſſent eſſe inſulæ in medio maris, ſi hoc longe altius terra aſſurgeret; cujus contrarium ex tabulis Geographicis apparet &c.

At inquies. Scriptura ſacra Dei beneficio attribuit, quod aquas maris cohibeat, ne in terram effluant Pſalm. 32. v. 7. *Congregans ſicut in utre aquas maris*. Job. 37. v. 8. *Concluſit oſtiis mare &c.* Jerem. 5. v. 22. *Poſui arenam terminum mari &c.* Igitur mare terra altius eſt.

Reſpondeo, mare quidem aliquibus terræ plagis eſſe altius, & Dei beneficio tribuendum, quod illas non obruat. *Deinde* interdum ita tempeſtatibus intumeſcit, ut in terram irrumperet, niſi Dei manu cohiberetur: ſecus autem eſt de naturali illius ſitu.

Conſultius itaque dicendum arbitror cum S. Auguſtino idem argumentum obiiciente, facili negotio potuiſſe illam aquarum molem in determinatum locum confluere. *Primo*, Quod aqua antea rarior, & vaporis inſtar circa terram volitans, denſior & gravior extiterit. *Secundo*, Quod terra Dei juſſu varios in montes aſſurgens, ſinus ingentes, & antra vaſtiſſima præbuerit, in quæ maxima pars illarum aquarum fuerit delapſa. „ Ignorans, *inquit*, conviciator il-
„ le quemadmodum aqua in aereos vapo-
„ res tenuata rareſcat, & nebuloſa caligine
„ multum occupet ſpatii; exiguum vero, ſi
„ congregata denſetur, nec jam levis voli-
„ tet, ſed gravis fluitet. Quid ergo mi-
„ rum ſi quæ rara, terram texerat, ſpiſſata
„ nudavit? Quid ſi etiam divino nutu in
„ magnos ſinus terra ſubſedit, atque ita
„ quidquid naturæ humidæ per totum ejus
„ jacebat, in partes concavas confluens re-
„ ceſſit a cæteris, & quod operiebat, ape-
„ ruit, congregata in humiliora ſuccumben-
„ tia qua mare interflueret & circumflue-
„ ret &c.

Eadem pene ad verbum habet, *lib. 1. de Gen. ad Litteram cap.* 12. Vide noſtrum Scotum academicum plura ſubminiſtrantem in *tract. de opere ſex dierum*.

Hanc autem aquarum congregationem idcirco fieri juſſit Deus, ut *appareret arida*, hoc eſt, ut terra, quæ aquis erat operta & delibuta, fieret conſpicua & ſicca, quatenus eſſet hominum & animalium habitationi idonea. Erat quidem terra natura ſua arida & ſicca, quippe cum ſiccitas ſit ipſius qualitas elementaris, ſicut frigus aquæ, humiditas aeris, & calor ignis: ſed cum tunc eſset aquis operta & diſſoluta, ſicca non erat actu, ſed tantum potentia: quamobrem neceſsum fuit ut aquæ in unum locum colligerentur, quatenus terra viſibilis & ſicca fieret; ita tamen, ut omnem ſiccitatem non excluderet, alioqui diſſolveretur, nec eſſet plantarum generationi & nutritioni idonea.

Etſi vero hæc aquarum collectio dicatur tantum die tertia peracta; ſunt tamen qui exiſtimant illam ad diem ſecundam eſſe referendam, nimirum ut dies hæc pari cum aliis Dei benedictione conſecretur, & opera in ea facta, eadem qua alia, divina hac approbatione illuſtrentur: *Vidit Deus quod eſſet bonum*, quæ verba abſunt a ſecunda die, bis autem referuntur in tertia. Attamen cum omnes prorſus Editiones iſta eodem tenore habeant, nihil eſt temere hac de re ſtatuendum.

Petes, Quo ſenſu aquæ terrenæ dicantur Dei juſſu confluxiſſe in unum locum, cum experientia conſtet aquas per univerſum orbem eſſe diffuſas in fontes, flumina, lacus, imo & maria ab Oceano longe diſſita, ut Pontus-Euxinus vulgo *mare Maiore* & *mare Caſpium* ſeu Hircanum, quæ nullam cum Oceano habent connexionem?

Reſpondeo, Per *locum unum*, non intelligi unum determinatum terræ angulum, in quem omnes aquæ terræ incubantes confluxerint, adeo ut aliæ terrarum partes aquis fuerint omnino deſtitutæ; ſic enim terra eſſet plantarum generationi & hominum ac animalium habitationi prorſus inepta: ſed iſtis verbis ſignificatur, aquas prius univerſam terræ ſuperficiem operientes, in unam decliviorem terræ partem confluxiſſe, ad quam aliæ per orbem aquæ extantes, ſe reciperent, velut in ſuum centrum.

Oceanus enim verſus omnes mundi cardines ſe diffundit; & licet varios efformet ſinus, aut maria, locis & nominibus diſtincta; revera tamen unum eſt mare; nam *Mediterraneum*, quod Europam ab Aſia & Africa dividit eſt Oceanus per Gades in loca mediterranea humiliora diffuſus. *Pontus-Euxinus* vero & *mare Caſpium*, per ſubterraneos meatus cum Oceano communicant, ut docent S. Baſilius, * Solinus, & Plinius, cujus rei indicium eſt, quod iiſdem motibus & tempeſtatibus agitentur: niſi velis maria hæc, ſicut & ingentes lacus, eſſe formata ex aquis diluvii in declivioribus iſtis locis confluentibus & ſtagnantibus.

* *Homil.* 4.

Ad fluvios & flumina quod ſpectat, certum eſt eos cohærere cum Oceano, ſive in ortu, ſive in effluxu, juxta illud Eccleſ. I. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat*, cujus rei hæc profertur ratio, *ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant*. Itaque mare eſt inſtar humani corporis, capite, brachiis, pectore, cruribus & pedibus diverſas unius loci partes occupantibus, diſtinctum.

Cum igitur aquæ dicuntur confluxiſſe *in unum locum*, vox *unum*, non debet intelligi de unitate numerica, ſed de generica, vel ſpecifica; ac ſi dictum eſſet, congregentur aquæ in loca uniformia, videlicet humiliora: quod utique indicant verba quæ ſequuntur, *congregationeſque aquarum appellavit maria*: neque enim dicit *congregationem*, ſed *congregationes*; neque appellavit *mare*, ſed *maria* numero plurali, ut ſignificaret diſtinctas fuiſſe aquarum collectiones, & maria diverſa.

Petes

Peter II. Cur recedentibus aquis, Deus terram uominaverit *aridam*, cum terra cœnoſa eſſet & aquis delibura?

Reſpondeo, terram per aquæ receſſum duo obtinuiſſe, quibus antea actu carebat. Primum, ut eſſet conſpicua, cum prius lateret ſub aquis abſorpta. Secundum, ut fieret ſicca & ſolida, quæ prius fuerat madida & aquis diſſoluta. Hæc duo indicat Deus dicens, *appareat arida*: hoc eſt, nativa ſua qualitate gaudeat, nempe ſiccitate, qua prius carebat; non poreſtate, ſed actu: ſicur puer eſt rationalis potentia per naturam ſuam & actu per adoleſcentiam Unde Deus non dixit *fiat arida*, ſed *appareat arida*.

Ad id autem quod addit Moſes hac eadem die Deum mandaſſe terræ ut germinaret herbam virentem.

QUÆRITUR II.

Utrum terra tunc plantis & fructibus fuerit decorata? an vero tantum vim ea producendi exceperit?

SAnctus Auguſtinus veriſimile putat „cauſaliter tantum, dictum eſſe, produxiſſe terram, herbam & lignum, id eſt producendi accepiſſe virtutem; in ea quippe jam tanquam in radicibus, ut ita dixerim, temporum facta erant quæ per tempora erant furura, &c.

At probabilior eſt aliorum Interpretum Sententia, aſſerentium plantas omnes ſuis ornatas & ditatas fructibus fuiſſe procreatas. Ita *S. Baſilius* a, *S. Chryſoſtomus* b, *S. Ambroſius* c, qui Dei ad terram mandatum expendens ait: „ Continuo igitur parturiens terra, novos ſe fudit in partus, & induit ſe amictum viriditatis, gratiam fœcunditatis aſſumpſit, diverſiſque compta germinibus, proprios ſuſcepit ornatus &c. „

a *Homil.* 6. *in Hexaem.* b *Homil.* 6. *in Gen.* c *Lib.* 3. *c.* 6. *& lib.* 4. *cap.* 1. *in Hexaem.*

Hinc non caſu neque fortuito accidit, ſed ex ſapienti Dei diſpoſitione, ut prius terra germinandi vim haberet, ſuiſque plantis & fructibus ornaretur, quam Sol & alia aſtra extarent, nimirum ut inde appareret (inquiunt præfati Patres,) eam ſuam fœcunditatem uni Deo debere acceptam. Nunc quidem Solis & Lunæ, aliorumque aſtrorum influxibus vegetatur, at ut primum extitit, ſic & deinde, ſecluſo eorum auxilio poterat eſse fœcunda.

Unde idem S. Ambroſius (*Præfato lib.* 3.) inducit naturam voce quadam ſic clamantem: *Bonus quidem Sol; ſed miniſterio, non imperio: bonus meæ jucunditatis adjutor; ſed non creator: bonus meorum alitor fructuum; ſed non auctor: interdum partus meos & ipſe adurit, frequenter mibi & ipſe damno eſt, pleriſque me locis indotatam relinquit. Non ſum ingrata conſervo, mibi eſt in uſum datus; mecum labori eſt mancipatus; mecum ſubjectus eſt vanitati.*

Itaque Dei ſapientiæ ac bonitati deputandum eſt. I. Quod terram ante aſtrorum productionem germinare fecerit, ne illius fœcunditas eorum influxibus adſcriberetur. II. Quod terram plantis & fructibus, priuſquam cœlum aſtris, ornaverit, ne quis putaret terram habendam eſſe deſpectui, quod cœlis longe ſit inferior & minus elegans. III. Quod priuſquam conderet homines & animantia, de domicilio & victu eis perſpexerit. De victu, inquam, ſaluberrimo quidem, ſed frugali; nempe herbis & fructibus: unde verſ. 29. Deus primos homines recens conditos alloquens ait; *Ecce dedi vobis omnem herbam &c.* hinc S. Ambroſius docet hoc cibo homines eſſe debere contentos, *quem liberalitas Dei prima donavit; ille ſalubris, ille utilis cibus, qui morbos repellat &c.*

Porro huic divino mandato acceptum referre debemus; quod terra etiamnum tota ex gremio ſuo divitias nobis effundat; quod e ſemine germen naſcatur, fruges ad maturitatem perveniant, & ſingula fructuum genera quotannis ex arboribus ſoboleſcant.

Etſi vero hæc perennis terræ fœcunditas primigeniæ ac perſeveranti Dei benedictioni potiſſimum ſit tribuenda, atque ideo merito dixerit David Deum adhuc producere *fœnum jumentis, & herbam ſervituti hominum*; quippe cum ſit rerum omnium cauſa princeps; nihilominus terra inditam ſibi a Deo habet vim naturalem excipiendi, fovendi, alterandi, & vivificandi excepta ſemina, eaque aſtrorum beneficio, ad perfectam altitudinem & maturitatem promovendi. Illa namque ad germinationem concurrit tripliciter: 1. *Paſſive*, quatenus a Deo vim & benedictionem, & ab hominibus ingeſta ſemina ſuſcipit. 2. *Active*, prout vim inſitam & naturalem in ſemina & radices diffundit. 3. *Materialiter*, quatenus alimentarium ſuccum plantis ſubminiſtrat, in earum naturam & ſubſtantiam convertendum. Unde vis germinandi eſt a Deo tanquam a cauſa principe: a ſeminibus, velut ab inſtrumentis; & a terra, tanquam a matrice & cauſa ſecundaria.

At inquies, cum Deus terræ juſſerit, ut ederet herbam & arbores fructiferas hominum & animalium pabulo convenientes, cur tot plantæ inſalubres, veneноſæ & infrugiferæ naſcuntur?

Reſpondet S. Auguſtinus d hanc infauſtam plantarum noxiarum originem refundendam eſſe in Adami prævaricationem quæ fuit in cauſa cur Deus maledixerit terræ, ipſaque exinde ſpinas & tribulos, aliaque noxia germinaverit.

d *Lib.* 1. *de Geneſ. contr Manich. cap.* 13.

Ipſi præiverat S. Baſilius e docens roſas ante peccatum, ſpinis non fuiſſe permixtas.

e *Homil.* 5. *in. Hexaem.*

Ve-

Verum etſi per hominis peccatum plurimum inverſa fuerit primigenia rerum naturalium conſtitutio; non arbitror tamen novas eſſe conditas earum ſpecies: ſed quæ homini innocenti futuræ non erant noxiæ, earum plurimæ prævaricatori ceſſerunt in pœnam, & peccati vindictam.

Accedit quod ea quæ jam non deſerviunt ad hominis pabulum, plurimum conferant ad ejus ſanitatem fovendam aut reſtituendam, nam plerumque medici ex venenatis conficiunt ſalubria pharmaca; adeo ut ne minima quidem ſit plantula, cujus ſi comperta eſſet ingeoita vittus, homini oon prodeſſet.

DE OPERE QUARTÆ DIEI.

HAc die refert Moſes Deum aſtra produxiſſe, ac deſtinaſſe corpora diaphana, quæ lucem jam prius creatam exciperent mutuis vicibus per mundum diffundendam, dividerentque diem a nocte: *diem* ioquam, *artificialem* qui ab ortu Solis incipit & deſinit in occaſu. Nam dies naturalis, cujus aotea meminit, noctes etiam complectitur.

Fecit itaque Deus duo luminaria magna: luminare majus, ut præeſſet diei; & luminare minus, ut præeſſet nocti &c. Ubi per *luminare majus*, Solem intelligit: per *minus* vero, Luuam; quia exigua eſt lucis portio quam ad nos emittit, comparative ad immenſum Solis fulgorem.

QUÆRITUR I.

Cur Lunam appellaverit Moſes LUMINARE MAGNUM, *cum alia ſint aſtra ipſa majora?*

CErto norunt Aſtronomi, plures eſſe ſtellas Luna majores, neque id Moſem latebat, qui nedom in omnibus Ægyptiorum ſyderali ſcientiæ imprimis deditorum documentis erat verſatiſſimus, ſed & divino eruditus magiſterio. Verum, cum Judaico populo ſcientiarum rudi datus eſſet doctor, ut injunctas ſibi divinitus partes impleret, debuit ſe ad ejus imbecillem captum demittere, & naturalem rerum ordinem juxta vulgi exiſtimationem exponere.

Porro communi hominum judicio, Luna cæteris aſtris, poſt Solem, cenſetur major. 1. Quod nocte magis quam alia aſtra nos illuminet, & Solis vices & abſentiam ſuppleat: 2. Quod ejus axis, quia propinquior, ita aliis grandior & ſplendidior appareat. 3. Quia efficaciores ſuut ejus in inferiora corpora influxus. 4. Quod ad varias illius phaſes & mutationes, varientur tempeſtates, & aeris, aquæ, & terræ diſpoſitiones &c.

Non eſt ergo, cur in Moſem ore canino irruant quidam impii, cumque imperitiæ inſimulenr; quod Lunam, ſecundum *Luminare magnum*, nominet: non enim ſcribebat viris doctis & aſtronomis, ſed ſimplici populo, qui rerum ſenſibus imperviatum notitiæ non erat capax. Unde populariter ea ſcripſit, quæ ſine doctrina & litteris idiotæ communi ſeuſu percipiunt; ſi enim de rebus vulgo ignotis locutus fuiſſet, cauſati fuiſſent litterarum rudes hæc altiora eſſe captu ſuo. Non quidem eum latebat quod Aſtrologis eſt compertum, Saturni Sydus, quod omnium minimum propter longinquitatem apparet, lunari eſſe majus: ſed Aſtrologis relinquens inquiſitionem dimenſionis Syderum, ſtylum ſuum communi vulgi exiſtimationi conſormare voluit, ut omoium doctor, omnibus prodeſſet.

Petes 1. Quo in ſtatu Luna fuerit producta? an plena? an corniculata?

Hanc quæſtionem ab aliis motam proponit & ſolvit S. Auguſtinus dicens duplicem ea de re eſſe Auctorum Sententiam: ſuut enim, qui aſſerunt eam productam eſſe plenam, quia non decebat Deum aliquid imperfectum initio muudi condere.

Alii vero contendunt eam in prima ſua phaſi, ſeu primo ad Solem proſpectu fuiſſe formatam; debuit enim ſtatim formata *prima Luna* dici; oon vero qoiuta decima, qualis plena dicitur:

„ Ego autem (*inquit S. Auguſt.*) medius
„ inter iſtos ita ſum, ut neutrum aſſeram:
„ ſed plane dicam, ſive primam, ſive ple-
„ nam Lunam Deus fecerit, feciſſe perfe-
„ ctam, ipſarum enim oaturarum eſt Deus
„ auctor & conditor: omois autem res quid-
„ quid progreſſu naturali per tempora con-
„ grua quodammodo prodit, atque expli-
„ cat, etiam ante continebat, occultum,
„ etſi non ſpecie, vel mole corporis ſui,
„ tamen ratione naturæ.

At inquies, ſi Luna noo fuerit initio plena, ſed in primo ſuo ad Solem aſpectu, dici non potuit *Luminare magnum*; minus enim tunc lucebat, quam ſtellæ ac cætera aſtra.

Reſpondet ibid. S. Auguſtinus, lunare corpus totum eſſe lucidum, etiam cum lumioe corniculato, ſive incipiens ad terras lucere, ſive deſinens fulgere: qualemcumque vero habeat ad terram aſpectum, experientia conſtat illam longe ſplendidius quam alia aſtra nocturna fulgere.

Plu-

Plures aliæ de cœlorum & aſtrorum natura, magnitudine, & virtute fieri poſſunt quæſtiones, ſed ait S. Auguſtinus. „ Iſtæ „ relinquendæ ſunt Philoſophis, nobis autem de intervallis & magnitudine ſyderum ſubtilius aliquid quærere, talique „ inquiſitioni rebus gravioribus & melioribus neceſſarium tempus impendere, nec „ expedit, nec congruit; & melius credimus ea eſſe cæteris majora luminaria, quæ „ S. Scriptura ita commendat.

Peter 2. Cur D-us non dixerit, *producat firmamentum luminaria*; ſicut dixerat terræ ut *germinaret herbam virentem? &c.*

Reſpondeo, hujus diſcriminis non aliam cauſam eſſe aſſignandam, quam quia ſic cenſuit; neque enim humani ingenii eſt omnium Dei dictorum & factorum rationem inveſtigare & exponere. Nihilominus videtur mihi ideo factum, quod terra, non ſolum ſemel concipere, ac producere debuit ſtirpes, miraculoſe conditas; ſed ipſas indita ſibi virtute novas deinceps naturaliter gignere: cœlum vero non debuit quotannis nova ſuſcipere aſtra, ſed ſemel condita & accepta perpetuo ſervare.

QUÆRITUR II.

Quem in finem hæc luminaria fuerint condita?

MOſes quadroplicem aſſignat a verſ. 14. ad 19. 1. *Ut dividant diem ac noctem.* At, inquies, jam Deus primo die diviſerat lucem a tenebris: Inſuper lux primigenia ſuo circa orbem motu, tres primos dies a noctibus diſtinxerat: igitur ad iſtam diſtinctionem opus non erat iſtis luminaribus.

Reſpondeo, Deum equidem ut primam cauſam per ſe agentem extraordinarie tres mundi dies diſtinxiſſe a noctibus, ut videretur utrorumque auctor, juxta illud Iſaiæ 45. v. 7. *Ego Dominus, & non eſt alter, formans lucem & creans tenebras:* at cum vellet hanc diviſionem fieri perpetuam per cauſas naturaliter agentes, iſta produxit luminaria, ut quotidiano ſuo ortu & occaſu, perpetuaque ſibi invicem ſuper hemiſpherium ſucceſſione, diem ac noctem efficerent.

Secundus horum luminarium uſus, ut ſint *in tempora & dies, & annos*, id eſt, ut eorum motus & curſus ſit menſura temporis diſtribuendi in partes majores, vel minores, priores & poſteriores: Solis enim ad noſtrum hemiſpherium acceſſu, vel receſſu, fiunt diverſæ temporis tempeſtates, nimirum Veris, Æſtatis, Autumni, & Hyemis: & ad illius & Lunæ motum, ordinantur menſes, anni & varia ad ſtatum civilem neceſſaria temporis ſegmenta.

Unde duplex, maxime ex Solis & Lunæ decurſu percipitur utilitas, naturalis una, civilis altera: *Naturalem* dico, eam quæ terræ culturam ſpectat; ſcilicet quando arandum, ſerendum, metendum &c, *Civilem* autem eam, quæ juvandæ memoriæ cauſa, vel in tabulas recipiendæ rerum geſtarum ſeriei, ſit temporis diſtributio, nedum in dies, menſes & annos; ſed & in Kalendas, Luſtra, Idus & Olympiades, aliaſque temporis diſtributiones ſecundum quas hiſtorici rerum geſtarum ſeriem recenſent.

Tertia utilitas aſtrorum eſt, ut ſint non ſolum ſigna, quæ ea varia ſua diſpoſitione, diverſa ſchemata videntur exprimere; cujuſmodi in Zodiaco duodecim, & triginta extra Zodiacum, ab Aſtronomis obſervantur; quibus variorum animalium figuras attribuunt, ut facilius diſtinguantur: ſed & *in ſigna*, hoc eſt, aliquid portendant & prænuntient. Tres vero ſunt ſyderum ſignificationes, quas vulgus prognoſticationes appellat, *Naturales*, *Civiles*, & *Spirituales*. Naturales dicuntur, quæ ex aſtrorum motu, ortu, occaſu, conjunctione, oppoſitione, aſpectu colliguntur ab Aſtrologis: ſic ex vario Solis & Lunæ ad alia aſtra aſpectu aeris mutationes, pluvias, grandines, ventos, ſiccitates, calorem, frigus, tempeſtates &c. prænuntiant.

Civiles ſunt quibus ex vario aſtrorum ſitu, colligitur oportunitas plurium actionum civilium; ſic ex diverſo aſtrorum ſitu & conjunctione *nautæ* judicant quando & ubi commode & ſecure ſit navigandum: *Piſcatores*, quo tempore opportune laxanda ſunt retia: *Agricolæ*, quando arandum, ſeminandum, metendum: *Hortulani*, quando ſeminandæ plantæ, inſerendæ & mundandæ arbores: *Vinitores*, quando vites fodiendæ, paſtinandæ, putandæ, novellandæ: *Medici*, quando aperienda vena, potandum pharmacum &c.

Spirituales dico, quæ ſunt ſigna vel Dei *clementiæ*, ut iris, ſeu arcus cœleſtis ſignificat mundum præſervandum a novo univerſali diluvio: Vel *iræ*, ut cometæ, acies armatorum in aere pugnantium &c. quæ plerumque portendunt formidandas Dei in homines plagas. Sic Chriſtus D. adventus ſui ad judicium ſigna horrenda in Sole, Luna & ſtellis futura denuntiat; Solem nempe convertendum in tenebras, Lunam in ſanguinem, ſtellas e cœlo lapſuras; additque ſigna iſta juſtis portendere proximam redemptionem; impiis vero ſignificare inſtantem damnationem.

Hic autem advertendum Planetarios ſeu Genethliacos præfata Moſis verba in ſuæ peſſimæ divinatoriæ artis confirmationem ſolito proferre. Deus, inquiunt, dedit aſtra ut ſint ſigna futurorum eventuum: igitur ex eorum aſpectu colligere licet fauſtos aut infauſtos rerum eventus, tamquam ex cauſis res inferiores moventibus & cientibus.

Diſtinguo, colligere licet eventus rerum naturalium quæ certam quandam habent cum ſyderum influxibus connexionem, concedo: eventus a cauſis liberis & arbitrariis pendentes, nego. Admitto quidem, pro di-

verſo

verſo ſyderum ſive fixorum, ſive erraticorum ſitu, corpora ſublunaria varie affici; nemini enim dubium eſt ad Lunæ incrementum ſuccum in plantis, humores in animalibus, atque etiam in humanis corporibus augeri & concitari; diminui vero interlunii tempore. Nec id ſolum Aſtrologis, ſed etiam Agricolis, hortulanis & ruſticis louga experientia compertum eſt; unde diverſas Lunæ phaſes obſervant in ſpargendis ſeminibus, lignis plantandis aut ſecandis, &c.

Norunt quidem Planetarii ſeu Aſtrologi cœleſtium orbium motus, conjunctiones, oppoſitiones & aſpectus. Unde certo prævidere poſſunt eclypſes Solis ac Lunæ, atque etiam coniicere varias aeris mutationes & impreſſiones, nempe pluvias, ventos, grandines &c.

At, quod ex ſyderum aſpectu certo deprehendere poſſint ea quæ pendent ex hominum arbitrio, eorumque ſortes & eventus detegere, id conſtantiſſime pernego cum S. Auguſtino, qui horum Lunaticorum vana præjudicia tribus rationibus inſectatur. 1. Quod animæ rationales ſint ſubſtantiæ omnino ſpiritales, & omnis materiæ expertes; nec proinde corporeis aſtrorum influxibus ſubjectæ. 2. Quod ille aſtrorum etiam in corpora influxus omnino ſit dubius, & incertus: multa namque corpora necdum animantium, ſed & hominum uno eodemque momento, etiam in eodem ſyderum aſpectu quotidie naſcuntur, quorum tamen tam variæ ac diverſæ ſunt affectiones, paſſiones, & ſortes. 3. Exemplo duorum gemellorum puta Eſau & Jacob, quorum hic illius naſcentis pedis plantam manu tenebat, *quaſi*, inquit, *unus infans in duplum prolixior naſci videretur*, ſicque eorum conſtellationes nullomodo diverſæ eſſe potuerunt. Attamen quam variæ fuerint eorum ſortes, quam oppoſiti corporis & animi affectus, ſolus ignorat Scripturarum ſacrarum ignarus. Igitur tametſi aſtra ſuis influxibus movere poſſint corpora ſublunaria, inde non eſt conſequens quod in hominum mores & ſortes dominatum habeant.

At, inquiunt, tales ſunt hominum mores & affectus, qualia ſunt eorum temperamenta; at eorum temperamenta pendent ab aſtris, igitur ex aſtris coniici poteſt quinam futuri ſint eorum mores, quæ ſortes. Major conſtat, anima enim ex intima ſua cum corpore connexione ſuos conformat affectus ad illius pondus, juxta illud Sap 9. *Corpus quod corrumpitur aggravat animam, & deprimit ſenſum multa cogitantem*. Minor pariter eſt evidens, temperamentum enim corporum pendet ab elementis, ita quod elementorum qualitas in corporibus prædominans nimirum ſiccitas aut humiditas, calor aut frigus, diverſum efficiat temperamentum: certum eſt autem elementa pendere a diverſis aſtrorum impreſſionibus, ſubindeque hominum temperamenta, & conſequenter mores ſyderum impreſſionibus ſubjacent: ac proinde ex diverſo ſyderum aſpectu, inferri poteſt quinam futuri ſint hominum mores.

Diſtinguo maiorem, tales ſunt hominum mores qualia ſunt eorum temperamenta, niſi rationis judicio eorum impreſſiones emendentur & corrigantur, concedo; ſecus, nego: Porro certum eſt hominum naturales conſtitutiones & propenſiones ſtudio & exercitatione poſſe mutari, adeo ut qui, *verbi gratia*, ex prædominante in ſuo temperamento bile & fervore ad iram naturaliter propendet, adjuvante gratia manſuetus fieri poſſit & pacificus. Idem dicendum de cæteris; proindeque ex diverſis hominum temperamentis certo colligi non poteſt illorum animi affectuum & morum diverſitas. Unde licet temperamenta pendeant ab aſtris, inde non ſequitur tales eſſe futuros hominum mores, quales in eis ſunt aſtrorum influxus, tritum enim eſt illud, *Sapiens dominabitur aſtris*.

Adde quod Aſtrologi certo noſſe non poſſunt quinam ſint aſtrorum in homines influxus: illi enim influxus maxime ſpectandi eſſent, vel in hominum nativitate; vel conceptione: at neutrum certo deprehendere poſſunt: non quidem *in nativitate*; cum enim aſtra rapidiſſime volvantur, nec fœtus ex materno utero unico temporis momento erumpat, inde fieret conſequens quod ſecundum omnia membra, conſtellatione mutata, aliud in eodem homine eſſet capitis fatum, aliud pectoris, aliud pedum &c.

Accedit quod eodem illo momento, quo unus infans prodit in lucem, plurimi alii eodem momento in eadem regione naſcantur, quorum tamen diverſum eſt temperamentum, diverſæ pariter ſortes, diverſa ingenia, diverſæ vires, diſtincta ſtudia, ac omnino oppoſitæ fortunæ.

Multo minus Planetarii ſuas conjecturas de hominum eventibus colligere poſſunt *ex puncto conceptionis*; ſiquidem momentum illud nulli matri certo compertum eſt, multo minus notum erit Planetario.

Neque id inferre licet *ex puncto nativitatis*, cum partus & ſeptimeſtres, & octimeſtres, & novimeſtres, aliiſque intervallis magna varietate fiant. Igitur ex iis inferre licet prorſus vanas eſſe Planetariorum de hominum moribus & ſortibus prædictiones & conjecturas.

Inſtant Cœlum aſtris diſtinctum dicitur *Liber*, Iſaiæ 34. v. 4. *Complicabuntur, ſicut liber, cœli*. Et Apocal. 6. v. 14. *Cœlum receſſit ſicut liber involutus*: at non alia ratione cœlum appellatur *Liber*, quam quia ex diverſa ſyderum conjunctione diverſi formantur characteres, quibus hominum ſortes & eventus poſſunt detegi: igitur &c.

Reſpondeo, permiſſa majore, negando minorem, non enim ea ratione cœlum dicitur *Liber*; ſed quod extendatur inſtar illarum pellium in quibus ætate Iſaiæ & S. Joannis ſcribebatur; quodque circa ſuum axem volvatur, quemadmodum illæ pelles ſcriptæ volvebantur circa axem Cylindri in quo plicabantur: cui expoſitioni favet illud Pſalmi 103. v. 3. *Extendens cœlum ſicut pellem*. Iſaias autem & S. Joannes utuntur hac metaphora, ut ſignificent quam formidan-

dandum ſit divinum judicium, ad cujus tremendum apparatum omnes mundi partes, etiam magis conſtantes & mutationi minus obnoxiæ concutiendæ ſunt, & veluti præ timore abſcondendæ & reſtringendæ, quod diſtinctius explicat Chriſtus D. Matth. 24. v. 29. ubi declarans ſigna futuri judicii ait, *Sol obſcurabitur, Luna non dabit lumen ſuum, ſtellæ cadent de Cælo &c.*

Urgent, atqui nedum metaphorice, ſed & proprie cœlum dicitur *Liber*, quia ex diverſa aſtrorum combinatione in eo diverſæ fiunt Hebrææ litteræ, quæ præſertim hominum eventus & ſortem ſignificant: igitur allata diſtinctio eſt nulla. Probatur antecedens. 1. Quidem ex Origene qui in fragmento quod Græce ſupereſt illius commentariorum in Geneſim, ad illa verba de aſtris, *erunt ſigna &c.* Cum diſerte refutaſſet eorum errorem qui exiſtimant a ſyderum influxu hominibus neceſſitatem imponi, ac proinde homines fato ſubiici; demonſtraſſetque aſtra nullam hominibus neceſſitatem imponere, ſicut nec Dei præſcientiam, tandem concluſit, quod *quemadmodum ea quæ Deus prænoverit, nihil prorſus voluntatis noſtræ poteſtati officiunt: ita nec eidem quæ rerum ſigna Deus eſſe voluit incommodant, ſed voluminis alicujus inſtar, futurum prophetica dictione complexi, univerſo quoque cælo*, QUI DEI LIBER QUIDAM EST, *contineri futura poſſunt*. Quibus verbis admittit quidem aſtra non eſſe cauſas futurorum eventuum, ſed duntaxat ea Prophetarum inſtar prænuntiare.

Deinde id confirmat auctoritate libri, ætate ſua notiſſimi & inſcripti, *narratio Joſephi*, in quo referebatur Patriarcham Jacobum filiis ſuis paternam benedictionem daturum dixiſſe, *legi in tabulis cæli quæcumque accident vobis & filiis veſtris*. Igitur, ex mente Origenis, cœli ſunt revera libri in quibus hominum ſortes & eventus enuntiantur inſtar propheticorum oraculorum.

Reſpondeo, auctoritatem Origenis hac in re non eſſe magni ponderis, quippe cum iſta protulerit non tam ex ſua quam ex Platonicorum Sententia, quorum placitis nimium erat addictus. Adde quod licet dixerit rerum ſublunarium eventus, maxime qui homines ſpectant, in ſyderum caracteribus poſſe legi, attamen infra demonſtrat lecturam iſtam hominum mortalium captum tranſcendere; quippe cum planetariorum nullus tantæ ſit perſpicacitatis ut poſſit planetas omnes unico intuitu, eodemque momento in puncto nativitatis hominum conſpicere, eorumque vim & influxus plerumque oppoſitos deprehendere. Unde adiicit nullatenus eorum dictis eſſe fidem faciendam: idque confirmat auctoritate Jeremiæ cap. 10. v. 2. ubi Propheta admonet, *a ſignis cæli nolite metuere, quæ timent Gentes, quia leges populorum vanæ ſunt*. Et cap. 27. v. 9. *Nolite audire divinos & ſomniatores & augures*, quamobrem Iſaias. cap. 47. v. 13. ſugillat hujuſmodi planetarios, *Stent*, inquit, *& ſalvent te augures cæli qui contemplabantur ſydera, & ſupputabant menſes, ut ex eis pronuntiarent ventura tibi. Ecce facti ſunt quaſi ſtipula &c.*

Ad librum *narrationis Joſephi* dico illum eſſe inter putida Rabinorum commenta relegandum, quippe cum certiſſimum ſit Patriarcham Jacobum nonniſi divinitus afflatum quæ filiis ac nepotibus ventura eſſent, prædixiſſe, ut ipſemet ibidem indicat: nam benedicendo Joſeph ait *Deus patris tui erit adjutor tuus &c.* qua autem fiducia hæc aſſeruiſſet, niſi Deus iſta revelaſſet?

Adiiciunt, atqui illa ſyderum delineatio & ſcriptura non ita fugit Planetariorum captum, ut inter eos peritiſſimi illam non poſſint apprehendere; igitur nulla reſponſio.

Probant antecedens ex illo axiomate, *a facto ad poſſe valet conſequentia*: Porro plurimi Aſtronomi ex ſyderum aſpectu multa prædixerunt etiam ex hominum arbitratu pendentia, quæ certo eveniſſe conſtat.

Probant hanc minorem innumeris exemplis, quæ cum operoſum eſſet referre, unum aut alterum magis ſingulare proferam ex Clariſſ. Frederico Spanhemio. Nobilis quidam Sileſius Planetariarum artium curioſus, tres Aſtronomos ſeorſim & ſecreto conſuluit quis ei futurus eſſet vitæ exitus? a primo reſponſum eſt ipſi pereundum febre: a ſecundo, caſu; a tertio, ſuffocatione in aquis: quæ cum rideret ille, his tamen tribus modis periit, febre enim violenta correptus, & in phreneſim actus, ſe ſe ex feneſtra arcis in foſſatum aquis plenum projecit & periit.

2. Stephano Poloniæ Rege mortuo, anno 1587. cum de Succeſſore eligendo magna fieret contentio, multique in Auſtriacum, alii in Tranſilvanum, nonnulli in alios Principes inclinarent, Zamoſcius regni Cancellarius Aſtrologum conſuluit quinam & unde futurus eſſet ille Succeſſor? cui Aſtrologus reſcripſit (*Deus*) litteris inverſis, id eſt *Sued*, quod utique contigit, Sceptrum enim Polonicum translatum eſt ad Sigiſmundum Sueciæ Regem.

3. Non ſine lacrymis referendum, quod eo die, quo execrando parricidio extinctus eſt Henricus IV. Galliæ Rex æterna memoria dignus, Dux Vindocinenſis eum ſecreto convenerat, ut ſe palatio contineret; Broſſæus enim celebris Mathematicus atrocia prædicebat, ſi Rex foras exiret. Mitto cætera exempla quibus conſtat Aſtronomos etiam ea quæ ex hominum arbitrio pendent. & aſtris prævidere & prædicere: igitur iſta norunt.

Reſpondeo 1. Ea omnia quæ referuntur, dubiæ eſſe auctoritatis & fidei, utpote ſcripta, vel ab ipſis Planetariis, vel ab eorum amicis & fautoribus, ut ſuæ arti fidem concilient. 2. Nil mirum quod ex tot prædictionibus, caſu potius quam ex artis regulis quædam eveniant; ſolent enim mendaces, etiam præter mentem, interdum vera dicere. 3. Perſæpe contingit, ut non tam ex arte ſua, quam ex Dæmonum ſuggeſtione certo ventura prænuntient. Dæmones enim, ut huic in Scripturis & ab Ec-

cleſia proſcriptæ arti divinatoriæ auctoritatem concilient, plerumque planetariis ſuggerunt, ea quæ ventura norunt, *vel* ex ordinatione & mandato Dei, qui malis iſtis Angelis utitur in ultionem peccatorum, eiſque præcipit, ut hæc aut illa tali tempore adverſus ſceleratos & impios exequantur; imo etiam ad juſtorum probationem & eorum virtutis & meriti incrementum, ut erga ſanctiſſimum Jobum factum eſt. *Vel* ex ſua perſpicacitate qua hominum affectus, inclinationes, machinationes, & conſpirationes comprehendunt, ex quibus quæ ventura ſunt, longe ſubtilius quam homines poſſunt colligere & Planetariis ſibi devinctis inſtillare.

Confirmat iſta S. Auguſtinus qui dicit, Planetarios interdum vera prænuntiare, ſed vel neſcientes & fortuito; vel Dæmonum inſtinctu. „ Fatendum eſt, *inquit*, quando „ ab iſtis vera dicuntur, inſtinctu quodam „ occultiſſimo dici, quem neſcientes huma- „ næ mentes patiuntur; quod cum ad de- „ cipiendos homines fit, ſpirituum ſedu- „ ctorum operatio eſt: quibus quædam ve- „ ra de temporalibus rebus noſſe permitti- „ tur; partim, quia ſubtilioris ſenſus acu- „ mine; partim, quia corporibus ſubtilio- „ ribus vigent; partim, experientia calli- „ diore, propter tam magnam longitudinem „ vitæ; partim a ſanctis Angelis, quod ipſi „ ab omnipotente Deo diſcunt etiam juſſu „ ejus ſibi revelantibus, qui merita huma- „ na occultiſſimæ juſtitiæ ſinceritate diſtri- „ buit. Aliquando autem iidem neſandi ſpi- „ ritus, etiam quæ ipſi facturi ſunt, velut „ divinando prædicunt: quapropter bono „ Chriſtiano, ſive Mathematici, ſive quili- „ bet impie divinantium, maxime dicentes „ vera, cavendi ſunt, ne conſortio Dæmo- „ niorum animam deceptam, pacto quodam „ ſocietatis irretiant.

DE OPERE QUINTÆ DIEI.

MUndi palatium numeris omnibus abſolutum ac præſtantiſſimum hactenus condiderat rerum omnium Sapientiſſimus Opifex: at incolis & habitatoribus vacua erat domus; neque enim erant aliquæ ſubſtantiæ corporeæ viventes, quæ terram & aerem incolerent, aquis uterentur, plantarum fructus ederent, fulgentium aſtrorum ſplendorem aſpicerent, & abundantiſſimis recentis mundi opibus fruerentur. Quamobrem voluit Deus ut die quinto aquæ producerent piſces & aves tanquam inferioris mundi incolas. quæ animalium terrenorum creationi die ſequenti præluderent, & homini eodem ſexto die producendo, tamquam ſuperiori ſuo & rectori famularentur & inſervirent.

QUÆRITUR I.

Utrum revera aves ex aqua prodierint?

ID negant plurimi cum Cajetano, ſuamque ſententiam firmare nituntur ex Hebræo textu, qui Dei mandatum ut fierent piſces & aves, his verbis effert; *repere faciant aquæ reptile animæ viventis, & volatile volet ſuper terram.* Ubi jubentur quidem aves volare ſuper terram in ſuperficie expanſionis cœli, non vero ut ex aquis prodirent.

Verum communis eſt aliorum Interpretum Sententia, qui conveniunt in poſtremis verbis Elipſim eſſe relativi pronominis *quod*, ut ſit hic ſenſus, *& volatile quod volet ſuper terram*.

Unde LXX. Græci & Latini Interpretes, apponunt particulam conjunctivam *&*, nimirum ut indicent tam aves quam piſces ex aquis emerſiſſe. Rem vero diſtinctius effert Chaldæus paraphraſtes; *& dixit Deus, ſerpant ex aqua animæ viventes & aves quæ volent ſuper terram.*

Hanc eandem ſententiam ſuo calculo confirmant SS. Patres, inprimis S. Baſilius a, ubi ait: „ Cur ortum ex volucribus quo- *a Loco ſupra laudato.*
„ que perinde ut aquatilibus præſtitit? quo- „ niam volatilibus ad natatilia, quaſi con- „ ſanguinitas quædam eſt: nam uti piſces „ aquam ſecant agitatinne quidem penna- „ tum ad ulteriora progredientes, caudæ „ vero natatione flexuoſos & rectos mo- „ tus & impetus gubernantes; ſic idem & „ in volucribus conſpicere licet, quæ per „ aerem pennis ſimiliter natant. Quare cum „ una ſit utriſque communis conditio, ipſis „ affinitas ex aquarum generatione tribu- „ ta eſt.

Ei concinit S. Ambroſius b qui hanc ve- *b Lib. 5. in Hexaem. c. 14.*
ritatem rationibus confirmat multiplici cognatione quam aves habent cum piſcibus. *Prima* enim, *inquit*, cognatio videtur avibus eſſe cum piſcibus quoniam natandi communia quædam videntur utrique generi eſſe conſortia. *Secunda* quoque cognatio omnibus avibus & piſcibus eſt, eo quod volandi uſus, ſpecies ſit natandi; ſicut enim aquam natando piſcis incidit, ita avis aerem volatu celeri ſecat. *Tertio* utrique generi ſimiliter cauda ſuppetit alarumque remigium ut piſces ad priora ſe alis ſubrigant, atque ad ulteriora procedant: caudæ quoque gubernaculo vel quo velint ſe facile convertant, vel impetu quodam e regione iter ſuum dirigant. *Quarto*, aves quoque aeri volatilibus ſuis velut aquis innatant,

tant, & quaſi quædam extendunt brachia, cauda quoque ſe, vel ad ſuperiora ſubrigunt, vel ad inferiora demergunt: unde quoniam in nonnullis idem uſus & ſpecies, ideo de aquis utriuſque generis nativitas divina præceptione proceſſit.

a Lib. 3. de Gen. ad litt. cap. 6.

Eadem docet S. Auguſtinus [a] qui cum dixiſſet aerem ſuperiorem, propter ſuam tenuitatem & raritatem, nullum habere viſibilem habitatorem, addit; *Iſte vero inferior, qui excipit exhalationes humidas maris ac terræ, & ad ſuſtinendas aves quodammodo craſſatur, non niſi ex aquis excipit animalia. Quod enim ejus humidum eſt, hoc portat alitum corpora, quæ ita nituntur pennis volantes, quemadmodum piſces quibuſdam ſuis alis natantes.* Huic eidem ſententiæ calculum ſuum addit Eccleſia in hymno feriæ quintæ ad veſperas, cum ita canit:

Magna Deus potentiæ
Qui ex aquis ortum genus
Partim remittis gurgiti,
Partim levas in aera.

Explicat hæc egregie Claudius Marius Victor:

Nec ſatis eſt piſces, genus omne exurgere, quodque
Squammea turba ſale ſummas evadit in undas;
Involitans in aquis ſenſim natet æthere puro,
Æthereos volucris contingere docta receſſus:
Ergo materies avibuſque & piſcibus una eſt.

Licet itaque rationi minus conſentaneum videatur, quod aves ex aquis prodierint, cum nullæ ſint quæ in eis continuo verſentur & vivant; attamen etiamſi nulla alia ratio conſtaret, niſi quod ita Deo placuit, annon deceret nos illius ordinationi & beneplacito acquieſcere? qui ex nihilo mundum creavit, an non potuit aves ex aquis educere? quid abſurdius habet avium origo ex aquis, quam lucis ex tenebris?

At inquies, Moſes ait: *formatis igitur de humo cunctis animantibus terræ & volatilibus cœli &c.* Inſuper convenientius videtur ut aves ex eo elemento prodierint, in quo verſari & quieſcere debebant; verſantur autem & quieſcunt, non in aquis, ſed in terra.

Reſpondeo ad primum, vocem illam *volatilibus*, non eſſe referendam ad voces *de humo*; ſed ad vocem *formatis*, nimirum ut ſignificaretur ea animalia quæ Deus ſiſtebat coram Adamo ut eis nomen imponeret, fuiſſe a Deo formata; beſtias quidem ex humo, volatilia vero aliunde.

Adiici poteſt cum S. Auguſtino *terram* hic univerſaliter ſic appellatam ſimul cum aquis, quemadmodum appellata eſt in illo Pſalmo, ubi cœleſtium laudibus terminatis, ad terram facta eſt converſio ſermonis & dictum, *Laudate Dominum de terra Dracones & omnes abyſſi &c.* Nec poſtea adjectum, *Laudate Dominum de aquis*; quia aquæ prius ſignificatæ fuerant terræ nomine: quo ſenſu terra etiam pro toto mundo elementari uſurpatur, cum dicitur, *Deus qui fecit cœlum & terram.*

Ad alterum dico, quod etiamſi nulla alia ratio produceretur, niſi quod ita Deo placuit, deceret nos ejus judicio acquieſcere: cur enim ei qui ex nihilo mundum creavit, non licebit aves ex aquis educere? quid habet abſurdius origo avium ex aquis, quam lucis ex tenebris? Nihilominus rationibus humanis conſtat aves potius ex aquis quam ex terra, vel aere prodire debuiſſe: nam terra craſſior eſt & gravior, ut ad volatilium formationem eſſet idonea: aer vero tenuior & ſubtilior, ut ſolidiorum corporum formandorum eſſet apta materia: at cum aqua levior ſit terra, & aere denſior, conveniens fuit alitum ſeminarium. His adde præmiſſam avium cum piſcibus convenientiam.

Tria igitur hac die produxit Deus. I. Cete grandia, id eſt, monſtra marina tantæ magnitudinis ac roboris, ut naves gyris implicare & ſubmergere valeant, videanturque inſtar montium & inſularum, ut conſtat teſtimonio non ſolum Plinii [b], Æliani [c], ſed & modernorum navigantium. Horum autem productionem Moſes adſcribit Deo, ne eorum vaſtitas materiæ virtuti tribuatur.

b Lib. 9. cap. 12. 13.
c Lib. 5. cap. 12.

II. Omnis generis ac propemodum infiniti piſces, quorum diverſitas & multitudo Dei potentiam & ſapientiam mirum in modum prædicat. III. Aves & volucres diverſæ ſpeciei, virtutis, figuræ & utilitatis quarum aliquæ dulci ſuo cantu homines recreant: aliæ miro plumarum variegato colore oblectentur; aliæ cibo & alimento ſuaviſſimo illis inſerviant.

Hic inſuper obſervandum, quod etſi multiplicis generis & ſpeciei ſint aves, longe tamen piſces eas excedunt, tamque multiplici ſunt numero, ut merito ſcripſerit Pſalmiſta, *mare magnum & ſpatioſum manibus, illic reptilia quorum non eſt numerus, animalia puſilla cum magnis*: fluidum enim elementum aquæ generationi aptiſſimum eſt: hinc piſces aliqui fœcunditate & corporis mole terreſtria animalia valde ſuperant, quod aquea ſubſtantia non ita facile quantitatis terminis, ut terrena coarctetur: Unde Plinius ſcribit, *ſunt complura in iis, majora etiam terreſtribus, cauſa evidens, humoris luxuria.* Elephans quidem ex terrenis animantibus maximus: at inferior eſt Ceto ſeu Balena quam Scriptura ſacra Leviathanem appellat. Eſt quidem magna Suis & Cuniculi fœcunditas; at non conferenda cum halecibus aliiſque piſcibus oviparis bene multis.

His accedit quod mare nedum terrenorum animalium, ſed & eorum quæ arte fiunt æmuletur & figuram adumbret: viſuntur enim in eo hominum, mulierum, equorum, canum, boum, luporum, arietum & ſimulacra viventia; ſunt & uvæ,

cucumis, gladil, ferræ &c. terrenis non abſimilia. Inde apparet Deum longe uberiorem ſuæ fœcunditatis effluxum inſperſiſſe aquis, quam cæteris elementis, quod indicare videtur Pſalmiſta his verbis, *In mari via tua, & ſemitæ tuæ in aquis multis.*

DE OPERE SEXTÆ DIEI.

HIc ſextus mundi dies cæteris in eo videtur illuſtrior & celebrior, quod in eo Deus belluas & homines velut operum ſuorum coronidem procreaverit. Cur vero hominem potius cum terrenis animantibus, quam cum avibus & piſcibus producere voluerit, etſi non alia quærenda ſit ratio quam ſuprema ejus voluntas; attamen exiſtimare poſſumus hoc idcirco factum, quod homo plus habeat affinitatis & convenientiæ cum iſtis animantibus, quam cum piſcibus & avibus; neque enim ordinarie natat in aquis, nec volat in aere, ſed cum belluis in terra graditur.

Dixit itaque Deus: *Producat terra animam viventem in genere ſuo, jumenta, & reptilia, & beſtias terræ &c.* Quibus verbis complectitur omne prorſus animalium genus: illudque triplicem in claſſem & ordinem diſtribuit, ſcilicet majora, nomine *jumentorum*; media nomine *beſtiarum*, & minima nomine *reptilium*. Eaque omoia Moſes dicit a Deo fuiſſe creata, quibus refellitur error Epicureorum aſſerentium animalia quæque exorta fuiſſe ex primigenia terræ fœcunditate, cum nulla hominum cultura adhuc egeret, ut ſomniavit Lucretius. Refelluntur & Manichæi, aliique hæretici rerum corporearum, præſertim animalium procreationem alteri, a Deo, principio attribuentes.

Neque his obſtat quod Deus terræ imperaverit ut produceret *animam viventem*; ea enim non ſignificant terram e ſinu ſuo animalia profudiſſe, ac ſi illa actu aut poteſtate continuiſſet: ſed verbis iſtis indicare voluit Deus, animalia terrarum eſſe incolas; jam enim aqua ſuos natantes, & aer ſuos volantes habebant hoſpites, debuit & terra ſuos habere, ne vacua permaneret. Produxerat quidem die tertia plantas & germina virentia, ſed vita minus perfecta; nunc autem decoratur omnis generis animalibus, vita ſenſitiva præditis, quæ vegetaote eſt præſtantior.

QUÆRITUR I.

Utrum Deus etiam cenſendus ſit auctor eorum animalculorum quæ ex putri materia & rerum corruptione & tabe gignuntur?

PRoponit hanc quæſtionem S. Auguſtinus, eamque ſic ſolvit, „ Horum omnium,
„ *inquit*, non poſſumus recte dicere Deum
„ noo eſſe Creatorem: ineſt enim omnibus
„ quoddam oaturæ ſui generis decus, ſic
„ ut in his major ſit admiratio bene con-
„ ſiderantis, & laus uberior omnipotentis
„ Artificis; qui omnia in ſapientia fecit,
„ qui a fine uſque ad finem pertendens, &
„ ſuaviter cuncta diſponens, nec & ipſa
„ rerum noviſſima, quæ pro ſui generis
„ ordine diſſolvuntur, & quarum diſſolu-
„ tionem ex pœna noſtræ mortalitatis hor-
„ remus, relinquit informia: ſed creat mi-
„ oima corpore, acuta ſenſu, animantia;
„ ut majori attentione ſtupeamus agilita-
„ tem muſcæ volantis, quam magnitudi-
„ nem jumenti gradientis; ampliuſque mi-
„ remur opera formicularum, quam onera
„ camelorum.

Deinde cum duplex genus horum animalculorum diſtinxiſſet, quorum alia ex aquis, vel terris naſcuntur; alia quæ gignuntur ex corporum corruptione, dixiſſetque illa una cum iſtis elementis dici poſſe producta; de his addit, ea dici pariter poſſe cum corporibus, ex quorum corruptione naſcuntur, eſſe genita; *Quia*, inquit, *inerat jam vis quædam naturalis & quaſi præſeminata & quodammodo initiata primordia futurorum animalium, quæ de corruptionibus talium corporum pro ſuo quæque genere ac differentiis erant exortura, per adminiſtrationem ineffabilem omnia movente incommutabili Creatore.*

His tamen adiicere licet, plura jam io mundo conſpici, quæ magis ad ejus corruptelam, quam ad ornatum ſpectant: nam ex quo deſcivit homo a prima ſua origine, ſimul neceſſe eſt ut a natura ſubinde degeneret mundus. Idem de pulicibus, bruchis, aliiſque inſectis eſt ſentiendum. In his, inquam, omnibus quædam eſt mundi deformitas, quam minime in ordine naturæ cenſeri decet, cum ex hominum peccato magis quam ex Dei manu proveniat. Creantur quidem hæc quoque a Deo, ſed ultore. Hic autem Moſes eum non conſiderat puniendis hominum peccatis armatum; ſed ut opificem, & opulentum patrem-familias conſiderat, qui nihil ad ſummam ædificii perfectionem omiſit. Hodie cum videmus corruptum mundum, & quaſi a creatione ſua degenerem, veniat in mentem illud S. Pauli, obnoxiam vanitati eſſe creaturam, non ſponte; ſed noſtro vitio; atque ita juſtæ noſtræ damnationis admoniti, ingemiſcamus.

QUÆ-

QUÆRITUR II.

Utrum animalia venenoſa & noxia cum aliis creata ſint?

RESpondet S. Auguſtinus hæc quidem cum aliis fuiſſe producta, ſed homini non nocitura, ſi in ſtatu primordialis innocentiæ perſtitiſſet; unde Daniel juſtus, inter voraces & furentes leones ſtetit illæſus: & in ipſius Apoſtoli mano mortiſera vipera hæſit, nec læſit. „ Potuerunt ergo, *inquit*, iſta etiam creata nihil nocere, ſi cauſa non extitiſſet, vel terrendorum, puniendorumque vitiorum, vel probandæ, perficiendæque virtutis: quia & exempla ſunt demonſtrandæ patientiæ, & ad profectum cæterorum, & ipſe ſibi homo in tentationibus certius innoteſcit, & juſte ſalus illa perpetua, quæ turpiter amiſſa eſt per voluptatem, fortiter recipitur per dolorem.

At, *inquies*, ſi beſtiæ nocivæ hominibus ſint in peccati vindictam, & virtutis, & patientiæ exercitium, cur ergo alias beſtias vitii & virtutis incapaces devorant?

Reſpondet ibidem S. Auguſtinus ideo beſtias quaſdam alias devorare, quod ſcilicet, *inquit*, „ Aliæ cibus ſint aliarum, nec certe poſſumus dicere, non eſſent aliæ quibus aliæ veſcerentur. Habent enim omnia quandiu ſunt, menſuras, numeros, ordines ſuos, quæ cuncta merito conſiderata laudantur, nec ſine occulta pro ſuo genere moderatione pulchritudinis temporalis etiam ex alio in aliud tranſeundo mutantur; quod etſi ſtultos latet, ſubluset proficientibus, clarumque perfectis eſt.

Inſtabis. Si animalia noxia vivos homines, aut pœnaliter lædunt, aut ſalubriter exercent, aut utiliter probant, aut ignoranter docent; cur in eſcas ſuas dilacerant etiam corpora hominum mortuorum?

Reſpondet S. Auguſtinus ibidem, quaſi vero quidquam interſit ad noſtram utilitatem iſta caro jam exanimis... Quamquam & hinc fiat quædam prudentibus admonitio, ut ſe ita commendent fideli creatori, omnia maxima & minima occulto nutu adminiſtranti, cui noſtri etiam capilli numerati ſunt, ne propter inanes curas exanimatorum corporum ſuorum ulla genera mortium perhorreſcant; ſed piæ fortitudinis nervos ad omnia præparare non dubitent.

Adiicies cum Manichæis: quid opus erat, ut tam multa animalia Deus faceret, ſive in aquis, ſive in terra quæ hominibus non ſunt neceſſaria? multa etiam perniicioſa ſunt & timenda?

Reſpondet S. Auguſtinus, „ Cum ita dicunt, non intelligunt quomodo omnia pulchra ſunt conditori & artifici ſuo, qui omnibus utitur ad gubernationem univerſitatis.... Et certe omnia animalia, aut utilia nobis ſunt, aut pernicioſa, aut ſuperflua. Adverſus *utilia* non habent quid dicant. De *pernicioſis* autem punimur, vel exercemur, vel terremur, ut non vitam iſtam multis periculis & laboribus ſubditam, ſed aliam meliorem, ubi ſecuritas ſumma eſt, diligamus & deſideremus, & eam nobis pietatis meritis comparemus. De *ſuperfluis* vero, quid nobis eſt quærere? ſi tibi diſplicet quod non proſunt, placeat quod non obſunt; quia etſi domui noſtræ non ſunt neceſſaria, eis tamen completur hujus univerſitatis integritas quæ multo major eſt, quam domus noſtra, & multo melior. Hanc enim multo melius adminiſtrat Deus quam unuſquiſque noſtrum domum ſuam. Uſurpa ergo utilia, cave pernicioſa, relinque ſuperflua.... Sic fortaſſe uberiorem capies fructum cum Deum laudas in humilitate formicæ, quam cum tranſis fluvium in alicuius jumenti altitudine.

Si plura de his deſideras, vide S. *Baſilium* [a], S. *Chryſoſtomum* [b], S. *Ambroſium* [c], & *Theodoretum* [d] &c. Idem argumentum egregie expendentes.

Proſequitur Moſes omnium Dei viſibilium operum præſtantiſſimi productionem, hominis nempe, cujus corporis & animi egregias dotes, ejuſque a Dæmone tentationem, & lapſum, cum abunde expenderimus in noſtro Scoto Academico, habebit inde ſtudioſus Lector quibus deſiderium ſuum impleat: ſed hic prætermittere non expedit hoc ſæculo quæſtionem non levem.

a *Homil.* 8. *in Hexaem.*
b *Homil.* 7. *in Geneſ.*
c *Lib.* 6. *in Hex. cap.* 6.
d *Quæſt.* 38. *in Geneſ.*

QUÆRITUR III.

Utrum Adamus fuerit omnium hominum primus?

COnſtantiſſima ſemper fuit illa de Adamo hominum omnium protoparente perſuaſio cum apud Judæos, tum apud Chriſtianos, nulluſque huic veritati contradixiſſe videtur ante delirum Paracelſum, qui inter cætera commenta, duplex finxit ac diſtinxit hominum genus, *Adamicorum* ſcilicet, & *non Adamicorum*; dementatus haud dubie ex Zabæorum fabulis, qui cum æternitatem mundi ſtatuerent, afferebant longe ante Adamum homines extitiſſe, illumque dicebant prognatum ex viro & muliere, ut refert R. Moſes Maimonides [e], & auctor libri *Coſri* apud Hottingerum [f]. Quin etiam inter plurimas alias ineptias, ibi legitur Jambuſchatum datum fuiſſe præceptorem Adamo.

e *In more Nevochim parte* 3. *cap.* 19.
f *Lib.* 1. *hiſt. Orient. cap.* 19.

Ho-

Horum autem delirantium veſtigiis inſiſtens vir quidam natione Gallus, ſecta tunc Calviniſta, cognomine *La Peirere*, anno 1655. edidit ſiſtema Theologicum, in quo probare nititur revera per quædam ſæcula ante Adamum homines extitiſſe, quorum procreationem, inquit, Moſes indicavit *primo* cap. Geneſ. *ſecundo* autem narravit formationem Adami protoparentis Judæorum, quorum hiſtoriam auſpicabatur. Unde colligit, Adamum eſſe quidem Judaicæ Gentis primum caput; non vero cæterorum hominum: hocque ſiſtema non ſolum Scripturæ ſacræ utriuſque Teſtamenti textibus; ſed etiam ex prophanis auctoribus confirmare nititur.

Verum quantum hallucinetur, difficile non eſt demonſtrare: certum enim eſt hominem, cujus formationis modum deſcribit Moſes 2. *cap.* eundem eſſe quem in primo capite dixerat eſſe formatum ad imaginem & ſimilitudinem Dei: quod utique

Probatur I. Eodem modo loquitur Moſes de formatione hominis in ſecundo capite, ac de productione cœli & terræ, & eorum quæ in eis ſunt; ait enim, *Iſtæ ſunt generationes cœli & terræ quando creata ſunt &c. Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ &c.* At non alii cœli, nec alia terra referuntur ſecundo capite, quam quæ in primo dicta ſunt creata: igitur non alia pariter cenſenda eſt hominis formatio in ſecundo Geneſia capite diſtinctius declarata, quam quæ in primo capite compendio fuerat expreſſa.

II. Priuſquam formaretur Adamus, *Non erat homo qui operaretur terram*. v. 5. Nulli ergo tunc extabant homines: proindeque nulli Præ-Adamitæ.

III Geneſ. 2. & Exod. 20. *Sex diebus fecit Dominus cœlum & terram & omnia quæ in eis ſunt: & requievit in die ſeptimo*; igitur nihil novum ultra produxit.

IV. *Adæ non inveniebatur adjutor ſimilis ejus*. v. 20. Nulla ergo adhuc extabat mulier quæ Adamo eſſet idonea thalami ſocia.

Reponit Novator, extitiſſe quidem tunc plurimas virgines; ſed cum eſſent omnes ex pravis hominibus prognatæ, erant indignæ Adami viri innocentis & morum candore præſtantiſſimi conſortio; timendum enim erat, ne illi fierent in periculum & ruinam. Hinc, inquit, impoſterum tam rigide interdicta matrimonia Judæorum cum fœminis Gentium: prohibitæ nuptiæ filiorum Dei cum filiabus hominum; ne, ſcilicet. contaminaretur populus electus cum Gentibus prophanis & gregatim creatis: *Hæc ille.*

Verum itane eſt, quod inter innumeras mulieres (quas ipſe ſupponit, tunc temporia in variis mundi partibus exitiſſe) nulla prorſus fuerit animæ dotibus, & formæ elegantia adeo ſpectabilis, ut Adamo eſſet thalami digna ſocia? Si potuit Deus ex Adami coſta effingere idoneam ipſi conjugem, quidni facilius erat aliquam ex Præ-Adamitis illis efformari virginem, iiſdem, quibus Eva, præcellentiis donatam, ut tanto viro apta fieret ſponſa?

Quod vero ait vetitum fuiſſe connubium Judæorum cum alienigenia, ne ex earum contubernio contaminarentur: ac proinde conveniens non fuiſſe ut ex Præ-Adamitis mulieribus una Adamo daretur uxor, ne ipſi foret in ruinam; hoc prorſus abſurdum eſt; unde enim novit Præ-Adamitas illos ita fuiſſe pravis moribus inquinatos, ut eorum nullus juſtitiam naturalem ſectaretur, & juxta rectum rationis dictamen vitam ſuam familiamque componeret? Heu! neſcit Evam Adamo datam conjugem, cauſam fuiſſe illius in Deum perduellionis & ſuorum poſterorum ruinæ. Inutilis itaque fuiſſet Dei præcautio, ſi idcirco noluiſſet Adamo ex terrigenis hominibus uxorem ſeligere, ne illi fieret in offendiculum.

Confirmantur hæc ex his verbis Geneſ. cap. 3. v. 20. *Vocavit Adam nomen uxoris ſuæ Heva, eo quod mater eſſet cunctorum viventium*. Nulli ergo præter Adamum fuerunt homines, qui ab illa originem non duxerint.

Confirmat iſta Apoſtolua, Act. 17. v. 26. ubi coram Areopagitis conſtanter aſſeruit, Deum eſſe mundi Creatorem; *Qui fecit ex uno omne genus hominum inhabitare ſuper univerſam faciem terræ*. Ille enim unus omnium hominum parens alius non eſt, quam Adamus: igitur &c.

Reponit fictor noſter, verba Apoſtoli non eſſe Latine fideliter expreſſa, Græce enim legitur ἐξ ἑνὸς αἵματος, *ex uno ſanguine*, quo ſignificatur Deum omnes homines formaſſe ex eadem materia, nempe terra, illoſque eadem carne & eodem ſanguine conſtare.

Verum, quis neſcit communem eſſe loquendi modum, ut qui eundem habent parentem, dicantur eſſe ejuſdem ſanguinis? Itaque dum Apoſtolus dicit omnes homines eſſe ex eodem ſanguine, nihil aliud ſignificare voluit, quam eos omnes ex eodem uno parente eſſe prognatos: nomine enim *ſanguinis*, plerumque in Scriptura homines intelligi conſtat ex *Pſalmo* 93. v. 21. *Proverb.* 1t. *Matth.* 27. v. 4. *ad Gal.* 1. v. 16. *Epheſ.* 6. v. 12.

Id ipſum inſuper probatur ex eodem Apoſtolo Epiſt. ad Rom. cap. 5. ubi docet omnes homines idcirco eſſe morti obnoxios, quod Adami ſui parentis peccati fuerint participes. *Sicut*, inquit, *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors; ita & in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt*. Ex 1. ad Cor. cap. 15. *Per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum: & ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.*

Ex quibus hoc elicitur argumentum. Omnes prorſus homines morti ſunt obnoxii, quia ſunt participes peccati illius hominis, ob cujus prævaricationem mors intravit in mundum: atque ille unus homo, alius non eſt quam Adamus: igitur ille eſt in cauſa cur homines ſint rei & morti addicti. At non alia ratione hac pœna plectuntur, quam quia illo peccante, ejus poſteri cum illo, & in illo tanquam in capite & parente ſuo,

pec-

peccarunt: igitur illum tanquam ſuum caput, ſuumque primum parentem debent agnoſcere. Omnes hujus proſyllogiſmi partes manifeſtæ fiunt ex præcedentibus Apoſtoli verbis.

Ut hujus argumenti vim eludat adverſarius noſter, reponit homines idcirco Adamici peccati pœnam incurrere, non quod in illo, & cum illo peccaverint; ſed quod illius peccatum ipſis imputetur propter ſocietatem humanæ naturæ, quam cum ipſo habent communem. Triplex enim, inquit, eſt ſocietas, qua fit, ut peccatum unius aliis attribuatur, nempe *Naturalis*, qua filii plectuntur propter peccata parentum; *Civilis*, qua principum crimina redundant in ſubditos: & *Myſtica*, propter moralem unionem unius cum altero; ſic fides Abrahæ imputata fuit ſuis poſteris, qui propterea dicti ſunt *Fideles*; & Chriſti mors, ac juſtitia ſingulis hominibus imputantur, quia ipſis imputatum fuerat Adami peccatum, qui unionem & ſocietatem myſticam habebat cum Chriſto, cujus ipſe Typus fuit. Unde Novator noſter colligit peccatum Adami fuiſſe imputatum cunctis hominibus propter naturæ ſocietatem ac ſimilitudinem.

Verum argumentum hoc in caput jaculatoris retorquetur; nam ſicut omnes homines revera non cenſentur fideles, licet myſticam ſocietatem & naturæ ſimilitudinem habeant cum Abrahamo credentium patre, nec juſti cenſentur eo quod habeant utramque illam ſimilitudinem cum Chriſto; alioqui non ſolum Barbari omnes, quibus vix ineſt alicujus Numinis notitia & cultus; ſed etiam Idololatræ, & peſſimi quique cenſendi eſſent fideles & juſti, quod ejuſdem humanæ naturæ cum Abrahamo & Chriſto ſint participes. Admitto quidem Abrahamum dictum eſſe *Patrem credentium*; at non fuit ſic apellatus ratione imputationis ipſius fidei, qua omnes homines cum eo naturæ ſocietatem habentes, dici debeant fideles; ſed ſola exemplari ratione quod, videlicet, fuerit præclarum fidei exemplar, cui conformare ſe debeant ii omnes qui volunt cenſeri fideles Dei cultores.

Similiter cum Chriſtus D. ſit Caput & Redemptor omnium bominum, inde fit, ut ejus merita & gratia hominibus imputentur, hoc eſt, eis inſerviant ad juſtificationem & promerendam beatitudinem, qui fide, charitate, & bonis operibus illius redemptionis & meritorum voluerint eſſe participes. Nulla autem ſimilis eſſet conjunctio Adami cum ipſis hominibus, qui ante ipſum extitiſſent; proindeque illius peccatum nulla ratione ipſis debuiſſet imputari.

Urget adverſarius, validumque, ut putat, proponit argumentum depromptum ex eodem cap. 5. Ep. ad Rom. in quo inter cætera Apoſtolus ſcribit v. 12. & ſeq. *Uſque ad legem peccatum erat in mundo; peccatum autem non imputabatur, cum lex non eſſet: ſed regnavit mors ab Adam uſque ad Moyſem, etiam in eos qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævarications Adæ, qui eſt forma futuri.* Unde ſic argumentatut, uſque ad legem peccatum erat in mundo quod non imputabatur; ſed illa divina lex, alia non eſt, quam quæ Adamo præfixa fuit, ne ederet de fructu vetito, Geneſ. 2. v. 16. *Ex omni ligno paradiſi comede; de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas; in quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris*: igitur ante illam legem peccatum erat in mundo; ac proinde homines peccatores. Probat minorem. Illa divinæ legis Adamo præfixæ tranſgreſſio imputata fuit, nedum Adamo; ſed etiam omnibus ejus poſteris, qui & illius reatus fuerunt participes, & ſimili pœnæ addicti: igitur &c.

Reſpondeo, negando minorem, ſiquidem illa lex, de qua ibi loquitur Apoſtolus, non alia eſt, quam lex Moſaica: *Lex* enim in Scriptura ſacra abſolute & ſine addito poſita, non aliam, quam legem Moſaicam ſignificat: ſic Joſue 6. *Poſt hæc legit quæ ſcripta erant in Legis volumine*; quibus millies ſimilia invenies in veteri Teſtamento, Cui concinit novum; quoties enim fit mentio *Legis*, non alia ſignificatur, quam quæ Judaicæ Genti per Moſem a Deo præſcripta eſt: ſic Matth. 5. v. 17. Chriſtus D. ait, *Nolite putare quoniam veni ſolvere Legem aut Prophetas: non veni ſolvere, ſed adimplere.* Et cap. 22. v. 40. *In his duobus mandatis univerſa lex pendet.* Luc. 16. v. 16. *Lex & Prophetæ uſque ad Joannem.* Joan. 1. v. 17. *Lex per Moyſem data eſt; gratia & veritas per Jeſum-Chriſtum facta eſt.* Et cap. 7. v. 19. *Nonne Moyſes dedit vobis legem?* Act. 7. v. 53. *Qui accepiſtis legem in diſpoſitione Angelorum, & non cuſtodiſtis &c.*

Quin etiam S. Paulus nomine *Legis*, non aliam, quam Moſaicam legem ſe intelligere aperte declarat, cum ait ad Rom. 7. v. 71. *Peccatum non novi, niſi per legem; nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: non concupiſces.* Et cap. 10. v. 4. *Finis legis Chriſtus ad juſtitiam omni credenti: Moyſes enim ſcripſit, quoniam juſtitiam quæ ex lege eſt, qui fecerit homo, vivet in ea.*

Mitto plures alios ejuſdem Apoſtoli textus, quibus aperte ſignificat ſe nomine *Legis*, non aliam, quam Moſaicam intelligere: maxime vero in ipſa Epiſt. ad Rom. 1. c. ad Judæos Romæ commorantes, qui ut cæteri, Moſis legem ſumma habebant in æſtimatione & veneratione. Quis autem hanc Apoſtolo imprudentiæ labem inurat, ut loco ſupra laudato, aliam legem, quam Moſaicam ſignificare voluerit?

Inſtat Præ-Adamitarum fictor, ibi loquitur Apoſtolus de lege, cujus tranſgreſſio cauſa fuit cur mors in omnes homines pervaderet, curque peccatum prius non imputatum, imputaretur: at Moſaicæ legis tranſgreſſio, nec imputata fuit cunctis hominibus; nec cauſa cur mors in omnes homines pervaderet; quippe cum ſolis Iſraelitis data fuerit; juxta illud: *Annuntiavit verbum ſuum Jacob, & judicia ſua Iſrael; non fecit taliter omni Nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis.* Ergo inquit, Apoſtolus non loquitur de alia lege, quam de ea quæ Adamo fuit præſcripta.

Ne-

Nego majorem: nec enim id ibidem intendit Apoſtolus, ut infra luce clarius aperiam.

Probat illam majorem: nihil aliud in toto illo 5. *cap.* agit Apoſtolus quam ut demonſtret revera eſſe peccatum originale, quo omnes homines inquinantur, & coram Deo rei ſunt: ſed peccatum illud originale non alium habuit ortum, quam ex tranſgreſſione legis Adamo poſitæ: igitur nomine *Legis*, non aliam ibi intelligit Apoſtolus, quam eam quæ Adamo fuit poſita.

Admitto quidem Apoſtolum in illo *cap.* 5. diſerte ſtatuere fidem de exiſtentia peccati originalis: ſed quia dubitare quis poterat, num in ſtatu naturæ, & ante promulgatam, ſtatutamque legem Moſaicam, homines illius temporis, peccati illius labe fuiſſent inquinati; cujus dubitationis anſa peti poterat ex eo quod ad illud expiandum peccatum, nullum memorabatur ordinatum remedium; nec ullus e veteribus diſtincte illud peccatum ſcriptis, vel dictis aſſeruiſſe legebatur: hunc dubitationis ſcrupulum ut elevaret Apoſtolus, ſubdit v. 13. *Uſque ad legem peccatum erat in mundo; ſed non imputabatur*; id eſt, eſſe non putabatur.

Ut autem probaret Apoſtolus peccatum illud etiam ante Moſem infeciſſe omnes homines, ſubjungit v. 14. *Mors regnavit ab Adam uſque ad Moyſem, etiam in eos qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ*. Hoc eſt: mors, quæ eſt effectus peccati, regnavit ab Adam uſque ad Moyſem, etiam in parvulis, qui non peccaverunt actualiter, ut Adamus; ergo & peccatum in eis extitit; cauſæ namque præſentia, ab effectu deprehenditur. Itaque illa Apoſtoli verba, *ante legem &c.* non de alia lege, quam de Moſaica ſunt intelligenda.

Urget iterum Præ-Adamita. Apoſtolus ibi diſcrimen ſtatuit inter peccatum *imputatum*, & *non imputatum*; illudque *imputatum* dicit, quod fuit tranſgreſſio legis poſitæ; *non imputatum* vero, quod admiſſum eſt ante legem poſitive latam & ſtatutam; non enim alia poteſt eſſe illius ſententia. Ex quo ſic argumentatur. Prius, ex Apoſtolo, fuit aliquod peccatum non imputatum, quam illud quod fuit imputatum: ſed peccatum Adami ſemper imputatum fuit: igitur ante peccatum Adami, fuit aliud quod non imputabatur; erant igitur ante Adamum homines peccatores.

Reſpondeo vocem *Imputationis* duplicem habere ſenſum, vel enim ſignificat rem alteri attributam, & imputatam: vel id de quo nullus cogitat, & non eſſe putatur: hoc autem poſtremo ſenſu, vocem illam hic uſurpavit Apoſtolus, ut exponit S. Auguſtinus, dicens, *quid eſt, non deputabatur, niſi ignorabatur, & non eſſe putabatur, non quidem ab ipſo Domino Deo tanquam non eſſet, ignorabatur; cum ſcriptum ſit, qui ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt.*

Itaque cum aſſuetudine peccandi obcæcati homines nil de primigenio illo peccato quidpiam cogitarent, merito dicit Apoſtolus toto illo temeratæ naturalis legis tempore, & uſque ad Moſaicam legem peccatum Adami non fuiſſe imputatum; id eſt, non putatum, ſeu non cognitum; quia vix quidpiam de illo homines cogitabant, quia pro eo expiando nondum haberent circumciſionis remedium, nec ulla eſſet lex quæ illud peccatum deſignaret. Unde Apoſtolus cap. 3. *Peccatum non cognovi, niſi per legem &c.* Ac ſi diceret, peccabant quidem homines agendo contra rectæ rationis dictamen; ſed, cum nulla adhuc eſſet lex poſitiva quæ rem prohiberet, ignorabatur quanta eſſet iſtius peccati gravitas, quamobrem cap. 5. v. 20. ait, *lex ſubintravit ut abundaret delictum:* Non quod lex fuerit cauſa peccati; ſed quod illud manifeſtum fecerit: *Sicut enim*, ait S. Hieronymus, *medicina non eſt cauſa mortis, ſi oſtendat venena mortifera; licet his mali homines abutantur ad mortem, ut vel ſe interficiant, vel inſidientur inimicis; ſic lex data eſt, ut peccatorum venena monſtret, & hominem libertate ſua abutentem . . . Freno legis retineat, & compoſitis doceat incedere greſſibus.*

Opponit inſuper Præ-Adamitarum fictor, Adami formatio omnino diverſa eſt a formatione illius hominis, qui 1. *Gen. cap.* dicitur factus ad imaginem & ſimilitudinem Dei: igitur Adamus non fuit ille homo ſexto die mundi conditus. Probatur Antecedens: qui primo capite refertur, fuit creatus: Adamus vero fuit ex luto fictus. *Deinde* Adamus fuit ſolus formatus, eo enim producto, ait Deus; *non eſt bonum hominem eſſe ſolum*: At in 1. cap. legimus Deum creando hominem, maſculum & fœminam ſimul feciſſe: Igitur homo ille in 1. cap. conditus, diſtinctus eſt ab Adamo, qui ſolus & ſine fœmina in ſecundo capite factus legitur.

Confirmatur his omnibus Scripturæ textibus, quibus Judæi *Filii Adam*; Gentiles vero *filii hominum & terrigenæ dicuntur*; ſic enim, inquit ille, primi terrarum incolæ nominantur, ut diſtinguantur a filiis Adami. Unde Moſes, Deuter. 32. *Quando dividebat Altiſſimus Gentes; quando ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos populorum juxta numerum filiorum Iſrael.* Diſtinguebat itaque Moſes Judæos, quos vocat *filios Adam*, ab aliis Gentibus, juxta illud Salomonis pro ſalute Judæorum deprecantis: *Separaſti illos tibi in hæreditatem de univerſis populis terræ.* Et Pſal. 47. *Elegit nos in hæreditatem, ſpeciem Jacob quam dilexit.* Pſal. 49. *Audite hæc omnes Gentes &c.* Diſtinguunt igitur Judæos Adami poſteros a Gentilibus &c.

Confirmat inſuper ex prudentiſſima Dei providentia, qua mundum omnibus numeris abſolutum, tot tantaque terrarum ſpatia herbis, oleribus, animalibuſque referta condidit. Ad quid enim, ait, Regiones Meſopotamiæ, Antipodes, Americanæ, Europeanæ germinaſſent a principio, ſi tantum per immenſum tempus ad eas incolendas pro-

profecturi eſſent ab unico oriundi homines? Cuinam tam diurno tempore ſuos pendiſſent fructus arbores, inſerviſſent, ac paruiſſent animalia propter ſolos homines condita?

Addit „ Quod Deus noluerit uno anno „ Iſraelitas bello deiicere, extirpareque Chananæos, ne terra in ſolitudinem redigeretur, & ne creſcerent contra eos beſtiæ agri: *Exod.* 33. & *Deut.* 7. Quid non caviſſe putabimus Deum in creatione mundi, ne tot tantaque terrarum ſpatia in ſolitudinem redigerentur, unius tantum, aut paucorum orbis incolarum præſentia? Et ſi noluit Deus exponere multa centena millium Judæorum beſtiis Regionis unius, an veriſimile exiſtimabimus Deum expoſuiſſe hominem unum, & fœminam unam beſtiis terrarum omnium? „ *Hæc ille novator.*

Reſpondeo, jam ſatis ſuperque ex dictis apparere hominis formationem 2. *Geneſ.* capite expreſſam, eandem eſſe quæ 1. cap. deſcribitur. Neque his obſtat, quod qui refertur 1. cap. dicatur *creatus*; qui vero 2. capite, referatur *formatus ex luto*; jam enim diximus verbum *creo* multiplicem in Scriptura habere ſignificationem; & non ſolum denotare productionem alicujus rei ex nihilo; ſed etiam perſæpe alicujus præſtantiſſimæ rei effectionem: porro hominis, tametſi ex luto, fictio, maxime erat ſpectanda; ut pote cum homo ille formatus eſſet ad imaginem & ſimilitudinem Dei; ac proinde illius prima productio tantæ erat dignitatis & excellentiæ, ut opus Dei præſtantiſſimum merito cenſeri debuerit.

Nec pariter obſtat quod Deus in 1. *cap.* dicatur utrumque humanum ſexum produxiſſe; hæc enim per quandam anticipationem dicta ſunt a Moſe; non ut ſignificaret utrumque ſexum eodem prorſus temporis momento a Deo fuiſſe formatum; ſed ut denotaret Deum utriuſque ſexus fuiſſe ſolum auctorem: tam enim Evá quam Adamus a ſolo Deo, & abſque alterius hominis & mulieris commercio producta fuit.

Ad primam autem confirmationem dico, præfatis Scripturæ S. textibus ſolum inſinuari Judæos ex Patriarcharum ſanguine oriundos, ſpeciali quidem amoris beneficio a Deo in peculiarem populum adſcriptos; cæteras vero nationes pari gratia non præventas, vocari extraneas quidem a populo Dei, non autem ab Adamica prognatione.

Ad ſecundam confirmationem, dico quod quanquam homo cultor & orbis incola maximum ei ſua præſentia conferat ornamentum; non tamen informis eſt illa tanta rerum varietas, neque illa ſpectabilis Univerſi forma, ſi non illuſtretur hominum frequentia, perdito ſplendore continuo defloreſcit. An ſuperba palatii ſtructura deperit niſi illico habitet Princeps? An non collucent marmora? non fulget auri, argenti, & cujuſvis metalli muris & pavimento inſita copia?

Ad tertiam confirmationem dico primis mundi inquilinis nequaquam fuiſſe timendum a beſtiis quas Deus produxerat, eo dunS taxat numero, qui ſufficeret ad multiplicationem cujuſque ſpeciei.

Inſuper non omnino exciderat ſupremum imperium, quo in univerſa animantia donati fuerant Adamus & Eva: nec pariter cavenda erat terræ ſolitudo, quæ nec erat infœcunda, nec ſuis arboribus & herbis denudata.

Opponit 3. Varia momenta ex Ethnicis ſcriptoribus deprompta, quibus contendit plures annos eſſe computandos a mundi exordio, quam qui ab Adami formatione computari ſolent. Profert autem imprimis Diodorum Siculum dicentem Chaldæos ante expeditionem Alexandri in Aſiam jam a ſeptuaginta annorum millibus ſydera obſervaſſe.

Verum Babylonios in referendis ſuorum Anteceſſorum annis falſa proferre teſtatur Cicero lib. 2. de Divinatione; quod etiam confirmant Simplicius & Porphyrius, qui, ut notat Joannes Picus Mirandulanus in lib. 2. adverſus Aſtrologos, referunt Caliſtenem diſcipulum & nepotem Ariſtotelis comitemque bellorum Alexandri Magni, cum Babylonicos Sapientes de ſuæ gentis antiquitate percunctatus eſſet, curioſeque omnia eorum arcana & vetuſtatis monumenta fuiſſet ſcrutatus, non amplius quam nongentorum & mille annorum obſervationes rerum cœleſtium quæ omnium rerum apud eas erant vetuſtiſſimæ reperiſſe. Idem eſto judicium de iis quæ Plinius lib. 3. ſcribit de Zoroaſtre quem aſſerit ſex annorum millibus ante Platonis obitum aſtrorum ſpeculationi incubuiſſe: ille enim Zoroaſter dicitur æqualis Nini Regis, qui Platonem vix mille annis anteceſſit.

Vana pariter ſunt ea quæ Plato in Timæo narrat de Solone uno ex ſeptem Græcorum Sapientibus, qui, cum interrogaſſet unum a Sacerdotibus Ægyptiis, ut priſcorum temporum arcana revelaret, ait, in ſuis ſecretis libris referri Græcorum res geſtas per octo annorum millia.

At illam narrationem inter aniles fabulas repunendam nemo cordatus eſt qui non judicet, his potiſſimum perſuaſus argumentis. I. Critias tunc puer id accepit a parente, hic ab avo. Quæ his fides? ſolent enim parentes jejuna & avida infantium ingeniola his nugis paſcere. II. Quis ſuſpicari poſſet Solonem omnium Græcorum ſapientiſſimum patriæ ſuæ primas hiſtorias neſciſſe, ſi veræ extitiſſent?

At, inquit Præ-Adamita, Herodotus refert in Euterpe ſe introductum a Sacerdotibus Ægyptiis in grande cœnaculum & in eo vidiſſe hinc 341. Coloſſos ligneos, totidem figurantes homines Reges, unumquemque *Pyromim a Pyromi*, hoc eſt, bonum & honeſtum filium a bono & honeſto patre natum: parem & inde Coloſſorum ligneorum numerum, qui totidem repræſentarent Sacerdotes Ægyptios, quorum quiſque filius erat defuncti Sacerdotis. Tempus autem quo dicti Reges regnaverant, fuiſſe decem millia trecentis & quadraginta annis, intra quod tempus negabant ullum Deo-

rum ſub humana forma in Ægypto imperaſſe.

Verum hæc majorem quam prædicta fidem non faciunt. I. Quia nulla fides Herodoto quem Cicero lib. 1. de legibus, vocat *patrem mendaciorum*. II. Deos ante prædictos Reges ligneis Coloſſis expreſſos, forma humana in Ægypto imperaviſſe, quid ſtultius? III. Homines illos Reges fuiſſe omnes Pyromim quis credat? cum præſertim ſciamus ea Scriptura ſacra pleroſque Reges impietate in Deum, ſævitia in homines, & morum obſcœnitate notiſſimos: nec ſit credibile inter 341. nullum ab avita modeſtia inter regni delicias deliquiſſe. IV. Tot fuiſſe homines, Pontifices, quot Reges, quis niſi infans crederet? V. Ante illos decem millia trecentos & quatuor annos quibus imperaverant homines, plures Deos humana forma aliis annorum Miriadibus regnaſſe, puta Vulcanum per infinita annorum ſpatia: Solem, qui patri, a Vulcano ſucceſſerit, per ſex millia ſexcentos ſeptuaginta ſex: qualia fabularum portenta? Ea quo ſequitur ridendas eſſe illas tot annorum Miriades, quibus Ægyptiacum Imperium inconcuſſum ſtetiſſe fingitur.

Hoc egregie demonſtrat S. Auguſtinus ex oppoſitione quæ intercedit Græcam inter & Ægyptiacam hiſtoriam; quod utique probat ex Epiſtola Aleaandri Magni ad Olympiadem matrem ſuam, in qua refert Sacerdotem Ægyptium ex ſacris & ſecretis ſuorum popularium tabulis narraſſe regnum Aſſyriorum jam ſtetiſſe per quinque millia aonorum; in Græca vero hiſtoria, inquit, tantum mille ferme & trecentos habet ab ipſius Beli principatu, quem Regem ille Ægyptius, in ejuſdem regni ponit exordio. Perſarum autem & Macedonum Imperium uſque ad ipſum Alexandrum, cui loquebatur, pluſquam octo annorum millia ille conſtituit; cum apud Græcos Macedonum uſque ad mortem Aleaandri quadringenti octoginta quinque reperiantur. Perſarum vero, donec ipſius Aleaandri victoria finiretur, ducenti & triginta tres computantur. Longe itaque hæc a Græcis annorum ſeries Ægyptiis eſt minor.

Cur autem illi Scriptores Ægyptii in enumerandis ſui regni temporibus tam longe cantbitaverint, plures proferri poſſunt cauſæ.

Prima quod inquit, *ibidem* S. Auguſtinus quondam perbreves annos habuerint, ut quaternis menſibus finirentur. Unde annus plenior & verior, qualis nunc & nobis & illis eſt, tres eorum annos complectebatur antiquos. Quin etiam, ut addunt Plinius & Diodorus Siculus, annum aliqui trimeſtrem ſtatuerunt. Fuerunt etiam qui æſtate unum determinabant, alterum hyeme; unde fiebat ut longe plures eſſent apud Ægyptios anni, quam apud cæteras Nationes, maxime Græcos.

Secunda cauſa fuit, inquit Joſephus Scaliger, partim inſcitia temporum, partim vero celebritatis & antiquitatis cupiditas, qua per ſcientiam ſuam abſtruſam, & ſolis animalium figuris delineatam, apud cæteros volebant ſapientes haberi. Adde incredibilem Ægyptiacæ Gentis ſuperſtitionem in fingendis, non tam Diis, quam Deorum portentis, ad quorum origines & genealogias texendas, ne quid vanitati deficeret, intervalla temporum immoderate mentiebantur. Ipſi præiverat S. Auguſtinus, *Cum ab ipſo primo homine qui appellatus eſt Adam, nondum ſex millia annorum compleantur, quomodo non iſti ridendi, potiuſquam refellendi ſunt, qui de ſpatio temporum tam diverſa, & huic exploratæ veritati tam contraria perſuadere conantur?* Cui enim meliuſquam Moſi narranti præterita credimus, qui etiam futura prædixit, quæ præſentia jam videmus? &c.

His accedit quod quidquid de antiquis Ægyptiorum inſtitutis ſcimus ab eateris, id omne depromptum eſt ea Sanchuniatone, Manethone, Herodoto, Chæremone, Diodoro Siculo, Strabone, Plutarcho, Luciano, & Dione Caſſio; porro hi omnes fuerunt Moſe longe poſteriores. *Sanchuniaton* enim his omnibus antiquior, Berytius fuit, qui Phœnicum hiſtoriam patrio idiomate ſcripſiſſe dicitur, in eaque plurima de rebus Ægyptiacis & Hebræis, immiſcuiſſe perhibetur, quæ omnia Philo a civitate *Bybli* ex qua erat oriundus, *Byblius* appellatus, Adriani Imperatoris Libertus, Græco ſermone tranſtulit. At quanta quanta ab Ethnicis extollatur Sanchuniathonis antiquitas, certum eſt illum Moſe eſſe recentiorem; ſiquidem meminit temporis quo Tyrus condita eſt, ut rei jam antiquæ. Porro Tyrus condita eſt non amplius 76. annis ante cladem Trojanam, ut putat Voſſius, vel juxta Ludovici Capelli calculum annis 65. Unde fit conſequens Sanchuniatonem eſſe poſteriorem clade Trojana. At Moſes juata Joſephi calculum, illa prior fuit annis circiter mille, aut juata Petavium & Scaligerum annis quadringentis; quæ cum ita ſint, qui fieri poteſt, ut Sanchuniaton cenſeatur teſtis idoneus earum rerum quæ Moſis ævum ſuperant?

At, inquies, Philo Byblius, & Porphyrius aſſerunt Sanchuniathonem, quæ ſcripſit, hauſiſſe *ex antiquis urbium & templorum monumentis*. Aſſerunt quidem, ſed quo fundamento? nonne Porphyrius Dæmonum cultui deditus, multa fingere ſolet adverſus Judæos & Chriſtianos, ut eorum Fidem & Religionem impugnet? Quis habet iſta urbium & templorum monumenta, ut inde certo conſtet Sanchuniathonem vera ſcripſiſſe, eaque monumenta eſſe Moſaica hiſtoria antiquiora? Sed undecunque iſta eaſcripſerit Sanchuniathon, quis ejus habet opera, ut ea illis appareat Philonem Byblium vera de illis referre? Nonne hic Philo in opuſculorum fragmentis, quæ ſervavit Euſebius, multas fabulas veris narrationibus inteauit, ut difficile ſit verum a falſo ſecernere? valeat ergo a Marshamo, & nonnullis aliis de Sanchuniathonis, præ Moſe, tantopere decantata antiquitas.

Ne-

Neque major fides Manethoni natione Sebennitæ, qui, ut loquitur Syncellus, *impurorum ſacrorum in Ægypto*, hoc eſt, Idolorum ſummus Sacerdos hiſtoriam Ægyptiacam, maxime in iis quæ ad Theologiam Gentis ſuæ ſpectabant Græce conſcripſit, atque Ptolemæo Philadelpho dedicavit: aſſeritque ſe ſcripta ſua partim eruiſſe e columnis in Seriadica terra poſitis, & inſcriptis a Thaut ſive Mercurio: partim e libris ſcriptis ab avo Mercurii Triſmegiſti, qui a Sacerdotibus in templorum aditis aſſervabantur.

Verum, quam anilia commenta & deliramenta ſub antiquitatis nomine ac ſpecie locutus ſit ille Manetho, maxime dum Ægyptiorum res narravit, quæ ad Iſraelitas ſpectabant, apertiſſime demonſtrat Joſephus. Neque profecto id mirum; cum enim ille eſſet Ægyptius, atque Dæmonum Sacerdos; ideoque Judaicæ Genti & Deo Iſraelis adverſarius, omnem ſuam poſuit operam ut illis detraheret, & eos irrideret, proindeque nulla ipſi fides.

Longe minor danda Herodoto, qui multis ſæculis Moſe recentior fuit, ut pote qui floruerit temporibus Darii Hidaſpidæ, Xerxis, & Artaxerxis Longimani, quem Joſephus, mox laudatus, aſſerit *frequenter in Ægyptiacis ignoratione mentitum*. De quo pariter Diodorus diſerte ſcribit: *Nos autem quæ Herodotus & nonnulli rerum Ægyptiarum Scriptores, portenta narrationum pro veritate ſponte amplexi & voluptatis gratia fabulas commenti blaterarunt, miſſa faciemus.*

Ejuſdem farinæ eſt *Cheremon*, ſæpius a Porphyrio laudatus, qui Natione Ægyptius, res Ægyptias deſcripſit, *Vir*, ut narrat Strabo, *inſcite arrogans & Scriptor vaniſſimus*, qui Philoſophiæ & Aſtronomiæ peritiam profeſſus, ob inſcitiam & arrogantiam ludibrio fuit omnibus; cujus mendacia de rebus Judaicis refert Joſephus ſupra laudatus, & acute refellit.

Diodorus Siculus temporibus Julii Cæſaris, & Auguſti de rebus Ægyptiis ante bellum Trojanum ſcripſit. At ſuis narrationibus *nullam firmitatem fidei* fatetur ipſe: prudenterque admonet, Nationibus pleriſque tam Græcis quam Barbaris hanc eſſe indolem, ut a ſe omnium hominum primis vitæ commoditates & artes inventas; necnon Gentem ſuam omnium antiquiſſimam eſſe jactitent. Quamobrem addit; *Nos equidem de antiquitate ſingulorum, quæque Nationes aliis tempore, & quanto annorum numero ſint priores, certi nihil definiemus.*

Ad Strabonem qui Geographiam ſcripſit anno 4. Imperii Tiberii Cæſaris: & *Plutarchum*, qui ſub Nerva & Trajano floruit: *Lucianum* quoque, qui ſub Marco-Antonino ſcripſit: *Dionem Caſſium* pariter, qui ſub Marci filio Commodo hiſtoriam ſuam uſque ad Alexandrum perduxit; ad hos, inquam, quod attinet; cum conſtet eos omnes eſſe longe Moſe poſteriores, nemo cordatus, arbitror, eis fidem dabit in iis, quæ cum rebus Ægyptiacis & Hebræis a Moſe narratis, non conſentiunt.

His addere licet, quæ appoſite ſcribit Clariſſ. Samuel Bochartus Græcos eſſe recentiores, quam ut de rerum origine poſſint quidquam accurate docere. Proinde ſi de natura differunt, alius Chaos ſibi fingit, alius Mundum æternum, alius concurſum atomorum; quia de rerum omnium creatione ex nihilo, ne fando quidem quidquam audiverant: Si de rerum inventoribus, Adamo & Caino, qui primi agros coluerunt, Cererem ſubſtituunt, aut Triptolemum; Abeli paſtorum Principi, Panem Arcadem; Jubali muſicæ repertori, Mercurium, Apollinem. Tubalcaino, qui metallorum conflationem excogitavit, Curetes, aut Cyclopes, aut Vulcanum Lemnium. Noæ a quo vinum inventum, Liberum patrem Cadmi nepotem, & alios hujus farinæ hodie & heri natos. Iidem ſi hiſtoriam ſcribunt, quoties ad antiquiora conantur aſſurgere, ſtatim in fabulas devolvuntur. Et fatetur Thucydides initio ſui operis, ante bellum Peloponneſiacum, quod Artaxerxis ævo geſtum eſt, ſe nihil potuiſſe liquido comperire, propter longinquitatem temporis. Ita ut Græca hiſtoria inde demum incipiat, unde Sacra deſinit. *Sic ille.*

Digitized by Google

DISQUISITIONES IN SECUNDUM CAPUT.

COmpendioſe & ſummatim in hoc capite repetit Moſes, diſtinctiuſque & uberius exponit quæ in præcedenti de mundi Geneſi ſcripſerat. Quinque autem potiſſimum annotat. I. Deum quieviſſe ab ulteriori mundi partium productione. II. Benedixiſſe illi ſeptimo diei, illumque ſanctificaſſe. III. Paradiſi tertia die conditi amœnitatem, ſitum, arbores, & fluvios ex illo emanantes, & Adami in eo conſtitutionem. IV. Omnium animantium coram Adamo convocationem, ut ſingulis nomina imponeret. V. Evæ primæ mulieris ex Adami coſta formationem, illiuſque cum Adamo conjugium: *Igitur*, inquit, *perfecti ſunt cœli, & terra, & omnis ornatus eorum: complevitque Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat; & requievit die ſeptimo &c.*

QUÆRITUR I.

Qua ratione Deus cenſeatur compleviſſe opera ſua die ſeptimo, & ſimul ab omni operatione quieviſſe?

MIrum dictu quantum inquiſitionis & laboris difficultas hæc Interpretibus creaverit: nam ſi *complevit*; egit aliquid; complere enim opus, eſt operari: ſi autem Deus ſeptimo die fecit aliquid, igitur per totum illum diem non quievit; ac ſubinde verum non eſt quod ſequitur, *requievitque die ſeptimo &c.*

Hunc nodum ut ſolverent *LXX. Senes*, quos ſecuti ſunt Interpretes *Samaritanus & Syrus*, pro *die ſeptimo*, ſubſtituerunt *ſextum*. At hoc eſt ſecare nodum, non ſolvere: maxime cum omnes Hebræi codices ſeptimum, non ſextum diem hic habeant, ut recte Vulgatus Latinus expoſuit.

Sunt qui cum Catharino putant die ſeptimo completa dici Dei opera, quod illo die Evam formaverit omnium operum ſuorum poſtremum, & veluti coronidem. Verum refelluntur ex capite 1. v. 27. ubi dicitur: *Creavit Deus hominem ad imaginem ſuam: ad imaginem Dei creavit illum, maſculum, & feminam creavit eos:* Fuit ergo Eva una cum Adamo, ſexto die creata; tametſi illius formationis modus ſecundo capite diſtinctius exprimatur. *Accedit* quod tantum abeſt ut mulier cenſenda ſit Dei operum omnium præſtantiſſimum, & corona; quinimo illius ſexus infirmitas & debilitas ultro comperta eſt.

Bonfrerius, Menochius, & alii non incelebres Scripturæ ſacræ expoſitores exiſtimant diem ſeptimum ibi intelligendum eſſe non *incluſive*, ſed *excluſive*, & *terminative*; quod nimirum illius initium fuerit terminus diei ſexti, in quo Deus creationis opus abſolverat: adeo ut horum verborum *complevit Deus die ſeptimo opus ſuum*, ſenſus ſit, *circa diem ſeptimum*, ſeu finiente ſexto, & inſtante ac exordiente ſeptimo.

At cum Moſes populariter ſcripſerit, id eſt in gratiam rudioris populi, veriſimile non eſt illum hujuſmodi argutum & obſcurum loquendi modum affectaſſe.

Reponunt alii, quod cum apud Hebræos unicum ſit præteritum, omnes præteritorum ſpecies complectens, verbum *complevit*, hic idem deſignare ac præteritum pluſquam perfectum *compleverat*; ſeu ut tradunt alii *cum compleviſſet*. Quod, inquiunt, colligere licet ex textu; cum enim Deus die ſeptimo nihil produxerit, ſed quieverit ab omni opere, argumentum eſt, illum jam ante ortum iſtius diei, abſolviſſe omne ſuum opus.

At rectius dicendum arbitror cum Magiſtro Sententiarum, ut jam diximus in Conciliatorio Biblico, Deum compleviſſe opus ſuum die ſeptimo, quia *benedixit ei, & ſanctificavit illum*, benedictio enim & ſanctificatio fuit quædam Dei operatio, quæ rebus creatis coronidem impoſuit. Neque ab hac expoſitione abludit S. Hieronymus, qui in quæſtionibus Hebraicis ſuper Geneſin dicit, ex voce *complevit*, *arctari Judæos, & oſtendi jam tum in principio ab ipſo Deo Sabbatum diſſolutum, dum in ipſo Sabbato Deus operatur, complens in eo opera ſua*. Itaque Deus illa die Sabbati ſimul operatus eſt, non quidem aliquid producendo: ſed cunctis operibus ſuis benedicendo; ſicque quievit ab ulteriori rerum novarum productione; non vero ab illarum approbatione.

QUÆRITUR II.

Quo ſenſu dicatur Deus quieviſſe die ſeptimo?

REſpondeo, id aperte Moſem ſignificaſſe, cum ait: *Ab omni opere quod patrarat;* his enim verbis indicat. I. Deum a mundi creatione non prius ceſſaſſe quam illum omni ex parte compleviſſet; adeo ut nihil ad illius ornatum deeſſet. II. Ipſum

aliąs mundi partes deinde non produxiſſe, ut pote cum mundus illo dierum ſenario fuerit abſolutiſſimus.

Itaque Deus quievit quidem a novis producendis rerum ſpeciebus, non vero ab earum directione & providentia: creaturæ namque ita ab ejus ſuſtentatione & regimine pendent, ut ſi per onicum momentum ab eis ſuſtentandis & ſovendis deſiſteret, continuo in ſuum prius nihilum refluerent, ut indicat David Pſalm. 103. v. 28. hinc merito Chriſtus Dominus Joan. 5. v. 17. air: *Pater meus uſque modo operatur, & ego operor*, non quidem novas condendo ſpecies; ſed conſervando & ſovendo creatas.

Neque his obſtat, quod Moſes capite ſequenti v. 8. teferat Deum Adamo prævaricanti pœnas injungentem, dixiſſe de terra quam colere debebat, *ſpinas & tribulos germinabit tibi*; Inde enim inferendum non eſt, has plantarum ſpecies fuiſſe de novo productas; ſed quod illæ jam extantes, & una cum aliis ſtirpibus productæ, multiplicandæ eſſent in prævaricationis ultionem, & Adamo, ejuſque poſteris moleſtiam allaturæ.

Non obſtat etiam quod Deus paſſim in Scriptura dicat ſe res de novo facturum & creaturum, puta Iſaiæ 65. v. 17. *Ecce creo Cœlos novos, & terram novam;* hæc enim ſpectant, non naturæ ordinem, ſed gratiæ & gloriæ: vel cœli & terræ innovationem poſt finale judicium.

His pariter non adverſatur quod innumeras hominum animas ſingulis diebus creet Deus; ſiquidem non propterea producit novas ſpecies; ſed tantum naturæ humanæ individua multiplicat, impletque quod initio mundi, homini & mulieri recens formatis dixerat: *Creſcite, & multiplicamini &c.*

Adverſus hanc Dei quietem a Moſe memoratam plurima oggerunt; I. *Philoſophi*, Deus, inquiunt, eſt actus purus: igitur continuo agit & operatur; ideoque nuſquam quieſcit. *Deinde* quies eſt ceſſatio motus, ac proinde ſi quieverit Deus, prius movebatur: igitur oon eſt immobilis, nec immutabilis.

II. Epicurei & Polytici; Deus quieſcit; igitur, Mundum non regit, nec adminiſtrat; ſed res omnes ſato, ac fortonæ, hominumque prudentiæ, ac induſtriæ permittit: ſeu, ut apud Jobum cap. 22. inquiebat Eliphas, *noſtra non conſiderat, ſed ſupra cœli cardines perambulat.*

III. Manichæi. *Moſes hic*, inquiunt, adverſatur Chriſto dicenti Joan. 18. *Pater meus uſque modo operatur, & ego operor.* Igitur Deus non quieſcit; nec Vetus Teſtamentum convenit cum Novo.

Reſpondeo, ad I. Deum eſſe actum puriſſimum tum *in eſſeatia*, quia cum ſit ens ſumme neceſſarium, negat potentiam eſſendi; quo diſtingoitur a creaturis quæ prius ſunt in potentia eſſendi, quam in actu; *tum in operatione interna*, quia divinus Pater continuo divinum Filium ſuum generat, *ego hodie genui te*, & Pater indiviſim cum Filio ſpirat Spiritum-Sanctum, treſque illæ adorandæ Perſonæ perpetuo ſunt in actu intelligendi & volendi, nec per momentum deſiuunt a regimine & conſervatione Mundi.

Unde argumentum diſtinguo, Deus non quieſcit, per ceſſationem operationis, concedo: per deſitionem a creandis & producendis novis mundi partibus, & creaturarum ſpeciebus aut generibus, nego. De hac poſtrema quiete loquitur Moſes, non de priori.

Ad aliud, quies Phyſica eſt ceſſatio motus; in agente per motum Phyſicum, concedo: ſecus, nego: porro Deus non operatur per motum Phyſicum, quippe cum immotus moveat omnia; reſque omnes non motu, ſed nutu producat & regat.

Ad II. & III. eadem, quæ prius recurrit, diſtinctio; *Nam*, inqoit S. Auguſtinus, *poteſt intelligi Deum requieviſſe a condendis generibus creatura, quia ultra non condidit aliqua genera nova: deinceps autem uſque nunc, & ultra operari eorumdem generum adminiſtrationem, quæ tunc inſtituta ſunt.*

His conſentit S. Chryſoſt. hom. 10. in Geneſ. Unde illa Dei qoies non obſtat continuæ illius operationi, ſive in creandis animabus humanis, ſive in cæteris rebus adminiſtrandis.

Peter, cur in die ſeptimo nulla fiat mentio *mane & veſpere?*

Reſpondeo, non aliam mihi rationem occurrere, quam quod (ut notat S. Auguſtinus) ſeptimus dies figura fuerit æterni Sabbati; in quo Deus perpetuam beatamque qoietem conceſſurus eſt fidelibus ſuis ſervulis, quibus dicturus eſt, *ut quieſcant a laboribus ſuis*: in quo quidem Sabbato non erit mane & veſpere, ſeu ſucceſſio lucis & tenebrarum.

Huic expoſitioni ſubſcribunt Hebræorum Doctores, maxime vero Abarbanel: in cap. 31. Exod. v. 13. ubi ſcribit, *Præceptum de Sabbato non ſolum deſignat fundamentalem iſtum articulum de creatione mundi, verum etiam mundum ſpiritualem, in quo erit vera quies & vera poſſeſſio: illic vera ceſſatio erit ab omnibus operibus & rebus corporeis.... Habemus igitur duo Sabbata, unum corporale, in memoriam creationis; alterum ſpirituale in memoriam immortalitatis animæ & oblectationis poſt mortem.* De quo perpetuo Sabbato in futura vita R. Bechai & complures alii paſſim loquuntur.

Aliam ipſemet Abarbanel expoſitione in legem, huic quæſtioni reſponſionem ſubminiſtrat, ſcribens: *Quoniam ſeptimo die non erat aliquod factum, nec opus accommodatum operibus reliquorum dierum, non dicitur de eo:* & fuit veſpera, & fuit mane dies ſeptimus, *ſicut dictum eſt in reliquis diebus creationis: ſiquidem ſeptimus illis eſt diſſimilis quoad opus. Et aſpectus veſperæ & diluculi teſtatur de tempore, & tempus teſtatur motum adeſſe; verum in die quietis non conveniebat referre tempus motui appropriatam.*

QUÆ-

QUÆRITUR III.

Utrum ſanctificatio Sabbati ab initio mundi fuerit præſcripta?

COmmunis eſt veterum & plurium recentiorum Hebræorum Doctorum ſententia, Sabbatum ad Adamo cæteriſque Patriarchis fuiſſe religioſe obſervatum ex Dei præſcripto; idque probant ex titulo Pſalmi 93. qui ſic inſcribitur in Hebræo textu *Canticum quod compoſuit Adam in die Sabbati*; Ita præ cæteris Chaldæus Paraphraſtes: *Canticum*, inquit, *in mundo primum fuit, quo tempore Adamo remiſſum fuit peccatum: venit dies Sabbati & protexit eum; aperuit os ſuum & edidit Pſalmum Cantici diei Sabbati.* Idem habetur in Thargo & Midrachs Tillim in eundem Pſalmum 93. ubi inter cætera ſcribitur, *Adamum creatum eſſe veſpera vel paraſceve Sabbati: cumque per peccatum aſſimilaretur beſtiis, & non pernoctaret in pretioſo ſuo ſtatu, veniſſe Sabbatum, & advocatum ejus egiſſe apud Deum, & propter Sabbatum ereptum illum eſſe judicio gehennæ; Adamum autem animadvertentem poteſtatem Sabbati, dixiſſe hymnum & Deum laudaſſe.* Pſal. 93. Ei ſubſcribunt Thalmudiſtæ Babylonici fol. 38. *Cur Adam*, inquirunt, *conditus eſt veſpera paraſceve Sabbati?* Reſpondetur *ut ſtatim ingrederetur præceptum.*

Id ipſum confirmatur ratione: Veriſimile enim non eſt ſanctiſſimos Patriarchas, imprimis vero Adamum, admiſſi criminis pœnitentem, alioſque divino cultui addictos, non habuiſſe certum aliquem in hebdomada diem deſtinatum in quo depoſitis omnibus terrenis curis & ſtudiis, ſoli Deo colendo vacarent: dies autem ille convenientior non fuit, quam dies Sabbati, in quo Deus peracto mundi opificio, ab omni opere deſierat, eumque divina ſua benedictione ſacraverat. Hinc non aliam ob cauſam Deus Judæis præcepit Sabbati obſervantiam, juſſitque in eo feriandum; quam quia ipſe eo die ab opere ceſſarat, ut dictum eſt ſupra.

Hæc autem ratio non minus ſpectabat omnes prorſus homines, præſertim primos Patriarchas, quam Iſraelitas. Igitur veriſimile eſt hunc diem illis etiam fuiſſe ſacrum.

II. Cum primum Judæis diem Sabbati feriandum præcepit Moſes, iſtud eis non tanquam mandatum novum, ſed ut rem jam in uſu poſitam præſcribere viſus eſt, ut apparet ex illius verbis Exodi 16. v. 23. ubi referentibus Iſraelitarum Tribuum principibus quod die ſexta Deus præbuiſſet eis cibos duplices, ait illis Moſes: *Requies Sabbati ſanctificata eſt Domino cras &c.* Quibus ſignificat idcirco Deum ſexta die, dediſſe eis cibos duplices, quod eis non eſſet daturus die ſequenti, quia Sabbatum ipſi conſecratum erat: ac proinde illius celebritas jam erat inſtituta; cum tamen nondum Decalogus fuiſſet conſignatus.

Hoc ipſum confirmant Hebræi Doctores ex conſtanti apud illos traditione, quod dies Sabbati religioſe fuerit obſervata a ſanctiſſimis Patriarchis; idque colligunt ex hiſtoria diluvii, ubi frequens fit mentio *ſeptem dierum*; refertúrque Deum Noacho præcepiſſe *ſeptem diebus*, antequam ingrederetur arcam, ut omne genus animantium in eam introduceret; cui rei vacaſſe videtur per ſex dies, & *ſeptimo* quieviſſe, ultimo videlicet ante diluvium: Id ipſum obſervaſſe videtur in iterata emiſſione columbæ poſt *ſeptem dies*, nimirum ut indicaret tunc temporis religioſe obſervatam fuiſſe *ſeptem dierum* periodum. Inde conſtanter affirmant a eundem ſacrum ritum obſervatum fuiſſe a Sanctis Patriarchis poſt diluvium, maxime vero ab Abrahamo, qui eandem obſervantiam ſuis poſteris inculcaverit; idque inferunt ex Geneſ. 18. v. 18. & 26. v. 5. ubi Abrahamus dicitur cuſtodiſſe Dei præcepta & mandata, & cæremonias, & leges, præcepiſſeque ſuis filiis, & domui ſuæ poſt ſe, ut cuſtodiant viam Domini, & faciant judicium & juſtitiam.

a *Joma Babil* fol. 28. *Kiduſchin* fol 82. r. *Rabba* fol. &c.

Eadem veritas confirmatur teſtimonio Ethnicorum apud quos invaluerat perſuaſio a Majoribus accepta diem Sabbati eſſe divino Numini ſacrum, quod fuiſſet mundi natalis ultima: canit enim Linus Poetarum antiquiſſimus, referente Ariſtobulo Judæo Philoſopho Peripatetico in libro de Creatione mundi:

Prorſus læta dies eſt ſeptima, ſeptima rerum
Ortus, & eximia inter perfecta coruſcat:

his concinit Homerus ab eodem Ariſtobulo laudatus

Septima dein illuxit ſacra dies,

& rurſus:

Septima dies aderat qua cuncta ſunt abſoluta.

Unde S. Clemens Alexandrinus b: *Septimum quoque diem ſacrum eſſe*, inquit, *non Hebræi modo, verum etiam Græci agnoſcunt.* Nec Græcos ſolum, ſed & alias Nationes etiam barbaras hanc habuiſſe perſuaſionem docent Joſephus lib. 2. contra Appionem, & R. Godalias in catena Kabalæ: *Nulla omnino urbs eſt*, inquit, *vel Græcorum, neque ulla Gens ad quam non penetraverit mos celebrandi ſeptimi diei, quam feriari traducimus.*

b *Lib.* 5. *ſtrom.*

Non me latet hos & alios a Scriptoribus prophanis depromptos textus, quibus aſſeritur Sabbati obſervantia ab Ethnicis frequentata, alium in ſenſum a nonnullis detorqueri. Verum major Joſepho, Clementi Alexandrino, atque etiam Euſebio in

Præ-

Præparatione Evangelica, quibuſvis Novaturienſibus, quam videtur habenda fides.

Opponunt adverſæ Sententiæ propugnatores, primo ſanctum Juſtinum Martyrem [a], in Dialogo cum Triphone Judæo, ſanctum Ciprianum [b], & Tertullianum [c] diſerte contendentes Patriarcharum neminem Sabbatum obſervaſſe: *Doceant Judæi* (inquit Tertullianus) *Adam Sabbatizaſſe, aut Abel hoſtiam Deo ſanctam offerentem Sabbati religione placuiſſe; aut Enoch tranſlatum Sabbati cultorem fuiſſe &c.* Igitur Sabbati obſervantia ante Moſem non fuit in uſu.

a *In dialogo cum Triphone.*
b *Lib. adverſus Judæos.*
c *Adverſus Judæos l. 4.*

Confirmatur, ex Guemara Babylonica [d], ubi legimus: *decem præcepta Iſraelitis data ſunt in Mara; ſeptem, quæ Noachidæ quoque in ſe receperant, quibus inſuper judicia, Sabbatum, & præceptum de honore parentum.* Unde Abarbanel [e] dicit Moſem in Mara idcirco meminiſſe Sabbati, ut Deum rerum omnium fuiſſe creatorem indicaret; *Poſtquam*, inquit, *oculis viderint mutationem naturæ aquarum, agnoviſſe, Deum mundum ſuum creaſſe, cum ante non eſſet, ideoque illic ipſis præcepiſſe Sabbatum, tanquam ſignum creationis.*

d *Ad titul. Sanhedr. fol. 56.*
e *In legem fol. 159.*

Reſpondeo primo, Patres qui negant Patriarchas Sabbatizaſſe, intelligendos eſſe de rigida illa ceſſatione ab omni opere ſervili, quam præſcripſit Moſes; non vero de cultu divino ſpecialiter illo die exhibendo: ſanctos enim Patriarchas certo die coluiſſe Deum citra dubium eſt: nullus autem ad ſactum illum cultum dies videtur opportunior, quam is quem Deus ab initio mundi ſanctificaverat, & quo ab omni opere ceſſaverat,

Ad ſecundum dico Moſem in Mara propoſuiſſe quidem ſervandum diem Sabbati; non vero id primum inſtituiſſe; ſicut nec honorem parentibus impendendum: quod utique ipſa naturali lege dictante a mundi exordio vigebat. Fateor equidem Sabbati obſervantiam apud Iſraelitas, poſtremis annis eorum incolatus in Ægypto, fuiſſe intermiſſam, illo videlicet tempore quo dura ſervitute premebantur, & diu ac noctu ad opera ſervilia ab Ægyptiis urgebantur, vixque eis reſpirare licebat. Hinc Abarbanel iſta verba Deuteronomii cap. 5. v. 15. *Memento te ſervum fuiſſe in terra Ægypti*, ſic exponit, *memento te in Ægypto non potuiſſe die ſeptimo ab operibus quieſcere & ceſſare.*

At, inquies, idem eſſe debet judicium de Sabbato, ac de aliis ſolemnitatibus atque præceptis quæ Deus Iſraelitico populo tradidit per Moſem: porro hæc dumtaxat præſcripta ſunt poſt egreſſum ex Ægypto; igitur Sabbati obſervantia antea non vigebat. Minor conſtat ex Levitico & Deuteronomio, ubi potiſſimum referuntur præcepta & feſta per Moſem præſcripta. Major vero probatur ex 2. Eſdræ cap. 9. v. 14. *Ad montem quoque Synai deſcendiſti, & locutus es cum eis de Cœlo, & dediſti eis judicia recta, & legem veritatis, ceremonias, & præcepta bona: & Sabbatum ſanctificatum tuum oſtendiſti eis, & mandata, & ceremonias, & legem præcepiſti eis in manu Moyſi ſervi tui*; idem habetur Ezechiel. cap. 20. v. 10. & ſeq.

Reſpondeo, ex iſtis verbis duntaxat legitime inferri poſſe Sabbati obſervantiam tempore captivitatis Ægyptiacæ intermiſſam, a Moſe quidem fuiſſe reſtitutam; non vero primo præſcriptam; adeo ut impræſentiarum dicere valeamus, quod Chriſtus dixit Judæis, Joan. cap. 7. v. 22. *Moyſes dedit vobis Circumciſionem, non quod ex Moyſe ſit, ſed quia ex Patribus.* Quadringentis quidem ante Moſem annis Abrahamo præſcripta fuit a Deo Circumciſio ut fœdus gratiæ, unde jure merito a Patribus profecta dicitur quantum ad ſuam originem; Moſes tamen eam dediſſe legitur, *Levit.* 12. *v.* 3. Quia ab ipſo eſt continuata, & inter præcepta legis adſcripta. Pari modo cenſendum eſt Sabbatum a Moſe datum in deſerto, non quod a Moſe ſit, ſed ab ipſo mundi naſcentis exordio divinitus præſcriptum.

Inſtabis ſi Sabbatum a Patriarchis fuiſſet obſervatum, hujus obſervantiæ fieret aliqua in Scriptura mentio: porro nulla occurrit; igitur ſignum eſt illam non fuiſſe Patribus in uſu.

Nego conſequentiam, pari enim ratione inferendum eſſet a Patriarchis ante-diluvianis nulla Deo oblata ſacrificia, nullumque Religionis cultum impenſum; altum namque eſt de iſtis in hiſtoria ſacra ſilentium; cum tamen probabiliſſimum ſit ſanctos illos homines plurima Deo feciſſe ſacrificia.

A temporibus Joſue uſque ad tempora Eliſæi 4. Reg. cap. 4. v. 23. nulla fit menſio Sabbati; itane eſt, quod toto illo intervallo nullum fuerit obſervatum Sabbatum? Itaque ſilentium illud nihil evincit.

Opponunt. 2o Cum Deus per Moſem præcepit Iſraelitis Sabbato feriandum eſſe, duplicem duntaxat hujus obſervantiæ cauſam profert: Primam, Exod. 31. v. 13. *Videte ut Sabbatum meum cuſtodiatis: quia ſignum eſt inter me & vos in generationibus veſtris; ut ſciatis quia ego Dominus, qui ſanctifico vos.* Id eſt, hæc obſervantia ſignum erit vos eſſe populum mihi peculiarem, & meo cultui imprimis deditum. Alteram, Deuter. 5. v. 15. *Memento quod ipſe ſervieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti & brachio extento. Idcirco præcepit tibi ut obſervares diem Sabbati*: Si quod autem prius de ſervando Sabbato divinum extitiſſet præceptum, dubio procul illud non ſiluiſſet Moſes: igitur ipſius ea de re ſilentium, argumentum eſt, nullum antea de Sabbati obſervantia præceptum extitiſſe.

Reſpondeo, Deum idcirco duo tantum hæc motiva pro ſervando Sabbato Judæis inſinuaſſe, ut apud eos reſtitueret iſtius diei ſolemnitatem, quæ apud cæteras Nationes erat antiquata; quippe cum apud eas vix vigeret veri Dei cultus; imo etiam apud illos Iſraelitas fuiſſet multo tempore prætermiſſa, dum videlicet dura ſub Ægyptio-

rum

rum captivitate lugebant. Tot enim ac tantis fracti erant laboribus, ut vix ad momentum eis quieſcere liceret; nec proinde eis eſſet liberum Dei laudibus vel per unum diem vacare. Quamobrem ut eos ad hunc religioſum cultum induceret, duo eis proponit motiva ipſis peculiaria, ut hujus instituti & præcepti fierent obſervantiores. Silet autem mandatum de ſervando Sabbato in initio mundi traditum, quod vix apud ipſos extaret illius aliqua memoria.

His adde quod cum Deus omnia in ſuæ divinæ majeſtatis gloriam condiderit, ejuſque divini cultus cauſa homo potiſſimum fuerit creatus, quo ritu publico, quove tempore id peragere teneretur, debuit ſtatim divinitus moveri; ne tam ipſe, quam ejus poſteri in hoc perſolvendo debito non convenirent de tempore, vel minus idoneum eligerent. Quis enim putet nonniſi poſt annos 2500. uni duntaxat traditum genti, quod omnes homines ab ipſo rerum exordio ex æquo ſpectabat? Nullus porro dies videbatur aptior ad id munus, quam is quem Deus ſua quiete & benedictione ſanctificaverat, nempe dies Sabbati; igitur hic ad divinum cultum præ cæteris fuit initio mundi hominibus præſcriprus.

At, inquies, ſi ſanctificatio diei Sabbati fuerit ab initio mundi divinitus præſcripta, cenſenda foret inter leges naturales, proindeque invariabilis: porro talis non eſt, utpote cum fuerit in diem Dominicam a Chriſtianis converſa: igitur &c.

Diſtinguo Majorem, Sabbati obſervantia cenſenda eſſet inter leges naturales, quatenus lex naturalis diſtinguitur a lege Moſaica & Evangelica, concedo: quatenus lex naturalis denotat ea præcepta quæ ingenito rationis & conſcientiæ dictamine ſingulis hominibus innoteſcunt, qualia ſunt, *Numen aliquod eſt colendum ſuper omnia: Alteri non faciendum, quod quiſque ſibi fieri non vult.* Nego. Ratione quidem naturali manifeſtum ſit ſupremum aliquem eſſe totius orbis Opificem, ac ſubinde omnium entium præſtantiſſimum; ideoque ſummo cultu eſſe honorandum. Quod autem hoc aut illo tempore & die ſive hora, cultus ille ipſi ſit impendendus, hoc pendet ex peculiari illius mandato, aut ex hominum judicio & conſtitutione.

Itaque tria ſunt in Sabbati obſervatione diſtinguenda. 1. Aliquid morale, ſeu naturaliter inſinuatum, nempe Deum aliquo determinato die, & quidem cultu publico ab hominum cœtu eſſe colendum. 2. Aliquid Ceremoniale, quatenus dies ille Sacer, Judæis in Moſaica lege inter hebdomadæ dies, ſeptimus erat præſcriptus. 3. Aliquid mixtum ex utroque, nimirum hunc cultum tali vel tali die, hoc vel illo ritu eſſe peragendum. Primum ſpectat omnes prorſus homines. Secundum ſolos Judæos qui ad Moſaicæ legis obſervantiam adſtringebantur. Tertium vero prorſus erat indifferens, pendebatque vel ex ſpeciali Dei mandato, vel ex hominum inſtituto. Inde eſt quod Apoſtoli diem illum, in quo ſpecialiter Deus eſſet colendus, propter Chriſti Domini Reſurrectionem ſtatuerint eſſe alterum a Sabbato, hoc eſt, diem Dominicum. Qui qualiter eſſet pie ac devote peragendus, præſcripſit Eccleſia, nimirum in audiendo Miſſæ Sacrificio &c.

Tradunt Judæorum Doctores obſervandi Sabbati Deum ſpecimen dediſſe in amne ſeu fluvio quem *Sabbationem* vel *Sabbaticum* appellant, de qua hæc ſcribit Joſephus de bello Judaico, cap. 24. ubi narrans quæ Tito Imperatori Antiochiam e Judæa proficiſcenti contigerant; *Conſpicit*, inquit, *in itinere fluvium ſpectatu digniſſimum: habet enim proprietatem mirabilem. Nam cum ſit, quando fluit, largus & meatu haud ſegnis, totus quidem inde a fontibus deficiens ſenis numero diebus ſiccum exhibet locum videndum; deinde quaſi nulla mutatione facta, ſeptimo die ſimilis erumpit. Atque hunc ordinem ſemper eum retinere accurate obſervatum eſt. Unde etiam Sabbaticus eſt appellatus, a ſacro Judæorum ſeptimo die ſic denominatus.* At Plinius lib. 31. hiſtoriæ cap. 2. prorſus contraria Joſephi narrationi refert; *in Judæa*, inquit, *rivus Sabbatis omnibus ſiccatur*, quæ certe multo credibiliora videntur, quam illa Joſephi. Unde Plinio Elias Levita in *Thisbite*, conſentit, de amne Sabbatione aſſerens illum fluere ſex diebus tanta celeritate, ut etiam ſaxa præcipiti curſu ſecum rapiat; Sabbati autem diebus omnino quieſcere; quod utique magis congruit ipſius appellationi; vox enim *Sabbatum* ceſſationem & quietem ſignificat.

At vereor ne hæc narratio putidum Rabbinicum commentum redoleat; fluvius enim ille nec obſervatur a Coſmographis, nec memoratur ab iis qui itineraria per Palæſtinam conſcripſerunt.

DE

DE PARADISO TERRESTRI.

PRoſequitur Moſes in hoc capite Paradiſi terreſtris ſitum & amœnitatem deſcribere his verbis: *Plantaverat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis a principio.* In quibus tria potiſſimum veniunt diſcutienda & ſtatuenda. I. Qualis fuerit ille Paradiſus. II. Ubi conſtitutus. III. Utrum adhuc perſeveret?

QUÆRITUR I.

Qualis fuerit ille Paradiſus?

SAnctus Auguſtinus lib. 8. Geneſ. ad litt. cap. 1. obſervat tres ea de re celebriorum Scripturæ ſacræ Interpretum diverſas eſſe Sententias. *Una*, eorum qui Moſis verba litteraliter & hiſtorice ſcripta exiſtimantes, Paradiſum hunc hortum floribus ac plantis eximiis refertum, atque ſenſibilem fuiſſe contendunt. *Altera*, illorum qui hanc Moſis de Paradiſo narrationem myſtice tantum ac ſpiritualiter intelligendam eſſe arbitrantur. *Tertia*, eorum eſt qui utroque ſenſu litterali ac myſtico deſcriptionem illam accipiendam eſſe putant; cui poſtremæ ſententiæ ſubſcribit ipſe S. Auguſtinus.

Priorem vero propugnat Philo lib. 1. allegoriarum legis ubi ſcribit: *Ne tanta occupet mentem noſtram impietas, ut putemus, Deum colere & plantare Paradiſum... Dei enim neque univerſus mundus dignus ſedes eſt & commoratio. Nam ipſe ſibi locus & ipſe ſui plenus & ſufficiens Deus.* Verum impenſe fallitur Philo dum duplici ratione putat nullum litteralem eſſe in Moſis narratione ſenſum. 1. Quia, inquit, Deus loco non continetur, nec locum amœnum corporalem requirit ad habitationem & voluptatem; perinde ac ſi Deus ſibi, non vero hominibus Paradiſum illum paraverit & conſtituerit. 2. Cum ait Deum nec plantare, nec ſerere: neque enim Moſes repræſentat Deum ut Agricolam plantas & arbores opere manuali excolentem, utpote cum affirmaverit Deum imperiali ſua voce, nempe ſolo voluntatis ſuæ nutu & arbitrio cuncta condidiſſe: *Nam ipſe dixit, & facta ſunt; ipſe mandavit, & creata ſunt.*

Simili errore peccavit Origenes, qui omnem de Paradiſo Moſaicam narrationem allegorice intelligendam eſſe voluit, ut ex Methodio refert S. Epiphanius hæreſi 64. Unde in Anchorato num. 64. ſcribit: *Plerique de Paradiſo allegorice diſputant, atque inter cæteros furioſus Origenes adumbratam neſcio quam ſpeciem pro veritate in mundum invexit.* Quo errore etiam laborabant Seleuciani, nam S. Aug. lib. de hæreſib. n. 59. inter illorum errores hunc recitat, quod Paradiſum a Moſe deſcriptum viſibilem & corporalem eſſe negaverint.

Sunt etiam qui in eandem Sententiam traducere nituntur SS. Baſilium & Ambroſium, alioſque eorum æquales, aut antiquiores Patres, puta, Gregorium Nyſſenum, Macarium &c.

Denique ſunt qui videntur aſſerere Paradiſum a Moſe memoratum allegorice accipiendum eſſe, ſive pro cœleſti habitatione; ſive pro recta morum inſtitutione.

Verum, quantum hallucinentur hi conjectores, apparet ex S. Baſilio; ille namque libro de Paradiſo tria potiſſimum docet. I. Paradiſum non una cum primaria terræ germinatione fuiſſe conditum; Nam, inquit, *ſi in primigenia illa generatione fuiſſent hæ arbores quæ in præſenti loco commemorantur, a Deo opus non habuiſſent eximia hac & a cæteris ſelecta plantatione.* II. Paradiſi amœnitatem deſcribit, atque *locum eſſe præcellentem & admirabilem pulchritudine, in conſpicuo ſitum, tenebris non obumbrabilem ob altitudinem, omnibus ſiderum ortibus colluſtratum, illuminatum undique, horum ſuaviſſimam temperiem habentem, aere limpidiſſimo circumfulgentem &c.* III. Addicit, in eum locum a Deo translatum eſſe primum hominem, cuncta animalia ad eum divinitus adducta ut ſingulis nomina præſcriberet, & ibi ex ejus coſta productam fuiſſe Evam: quæ omnia litterali ſenſu & hiſtorico quemadmodum Moſes, non autem allegorico & myſtico recenſet.

Addit vero deinde, quod etſi quæ de Paradiſo ſcripſit, reverà ſint intelligenda de loco ſenſibili & corporali, nihilominus ea omnia poſſe etiam myſtice & allegorice exponi, ejus autem verba ſunt. *Neque corporalia abjicimus & ſpiritualia requirimus. Quemadmodum enim in lege & ſenſibilia erant; ſed exemplaria illa eſſe fecit ſpiritualium: ita & paradiſum corporaliter quidem conſideramus, per allegorias vero ſpiritaliter interpretamur.*

Ex quibus manifeſte patet illum. 1. Supponere tanquam certum ea omnia quæ de Paradiſo refert Moſes, eſſe corporaliter & litteraliter accipienda; tametſi etiam myſticum in ſenſum poſſint exponi, quod & ipſe deinde exequitur: ſicut ea quæ in veteri lege hiſtorice narrantur, ſymbola fuerunt, ac figuræ eorum quæ fierent ſub lege Evangelica.

Ad S. Ambroſium, dico librum, quem ſcripſit de Paradiſo, collectum videri ex concionibus quas habebat ad informandos Chriſtianorum mores, atque ad refellendam hæreticorum, præſertim Manichæorum inſaniam, qui Mediolanenſem Eccleſiam tunc temporis graviſſime vexabant; cum enim

illi admitterent duo rerum omnium principia; bonum alterum, alterum peſſimum: contendebant Vetus Teſtamentum non ab optimo, ſed a perverſo principio ſuiſſe ſuggeſtum. Unde omnia quæ referuntur a Moſe de mundi Geneſi, hominiſque formatione & prævaricatione, pravum in ſenſum detorquebant: quibus ut obviam iret S. Ambroſius, *& ne*, inquit cap. 5. *Simplices mentes malitioſa interpretatione traducant*, cum ſuppoſuiſſet narrationis litteralem ſenſum & veritatem; deinde cuncta quæ a Moſe referuntur, vel de Paradiſi conſtitutione, vel de tentatione & lapſu hominis, Philonis inſtar cuncta allegorice & myſtice exponit.

Unde cap. 2. cum dixiſſet, *Itaque neque dubitandum, neque reprebendendum quod in Paradiſo diabolus erat*, adiicit, *plerique tamen qui volunt in Paradiſo diabolum non fuiſſe, licet in cœlo adſtantem cum Angelis legerimus, ne noſtro ſermone videantur offendi, ſecundum ſuam accipiant voluntatem interpretationem iſtius lectionis. Namque ante nos fuit, qui per voluptatem & ſenſum prævaricationem ab bomine memoraverit eſſe commiſſam, in ſpecie ſerpentis accipiens delectationem; in figura mulieris, ſenſum animi mentiſque conſtituens*. Quibus verbis Philonem in lib. de mundi opificio denotat: ille namque, ut dictum eſt, Moſis narrationem de prima rerum origine myſticum in ſenſum exponit.

Porro S. Ambroſius hanc optionem non facit, ut ſenſum litteralem excludat: ſed eo præſuppoſito tanquam certo, ad pleniorem Auditorum informationem, ea omnia quæ a Moſe narrantur, in myſticum ſenſum traducit.

Quod autem S. Ambroſius ea omnia, quæ a Moſe narrantur cenſuerit, eſſe etiam litteraliter & hiſtorice accipienda, inde evidentiſſime conſtat, quod prævaricationem primorum parentum, ac peccati originalis veritatem conſtantiſſime adſtruat; tum in hoc libro de Paradiſo, tum pariter alibi, ut conſtat ex omnibus illius Sententiis quas ad aſtruendum peccatum originale S. Aug. producit.

Ad S. Gregorium Nyſſenum, dico eum non aliam habuiſſe de Moſis narratione ſententiam, quam habuit S. Baſilius, ſcribit enim: *Hoc mibi teſtificatum ante aggreſſionem eſt, nibil antidogmatizare nos ſancto Baſilio quoad illa quæ Philoſopbatus eſt de ortu Mundi, neque ſi in diverſam expoſitionem ex quadam conſequentia ſermo devenerit &c.* Conſtantiſſimum ergo eſſe debet quod etſi Moſis hiſtorica narratio myſtice poſſit exponi: nihilominus ſenſum litteralem tanquam conſtantiſſimum præ ſe fert, ac ſupponit; *Neque enim*, ait S. Aug. [a] ſupra laudatus, *propterea Paradiſus corporalis eſſe non potuit, quia poteſt etiam ſpiritualiter intelligi: tanquam ideo non fuerint duæ mulieres Agar & Sara; & ex illis duo filii Abrabæ, unus ex ancilla, alius de libera, quia duo Teſtamenta in iis figurata dicit Apoſtolus &c.*

[a] *Lib. de Geneſ. ad liſt.*

Unde ipſemet S. Auguſtinus [b], ipſam Moſis narrationem etiam ſpiritalem in ſenſum exponit. „ Adeo, ut inquit, Paradi-
„ ſus ſignificet vitam Juſtorum & Beato-
„ rum; Quatuor ejus flumina, quatuor
„ virtutes, prudentiam, fortitudinem, tem-
„ perantiam, atque juſtitiam: *& ligna ejus*,
„ omnes utiles diſciplinas, & lignorum
„ fructus, mores piorum: *& lignum vitæ*,
„ ipſam bonorum omnium matrem ſapien-
„ tiam; *& lignum ſcientiæ boni & mali*,
„ tranſgreſſi mandati experimentum, pœ-
„ nam enim peccatoribus bene utique, quo-
„ niam juſte, conſtituit Deus, ſed non bo-
„ no ſuo experitur homo. Hæc etiam de
„ Eccleſia myſtice exponi poſſe ibidem in-
„ dicat.

[b] *Lib. 13. de civit. Dei cap. 21.*

QUÆRITUR II.

In qua mundi regione Paradiſus fuerit conditus?

PAradiſum terreſtrem, ſeu hortum amœniſſimum exquiſitis plantis & floribus vernantem, in quo Deus primum hominem recens conditum conſtituit, revera extitiſſe elatioribus verbis, Moſis calamo expreſſit divinus Spiritus, ut fidelium quiſquam ea de re jam poſſit ambigere. Quis vero fuerit illius ſitus, & in qua regione conditus, ex innumeris propemodum viris clariſſimis, & doctiſſimis qui argumentum hoc verſarunt, quot capita, tot pene ſunt diverſæ ſententiæ. Prætermiſſis autem vanis ac inanibus plurium conjecturis, quæ Moſis narratione facili negotio difflantur, tres ſunt communiores quæ nonnullam veritatis ſpeciem præ ſe ferre videntur.

Prima eorum eſt, qui cenſuerunt illum in ea Meſopotamiæ regione conſtitiſſe, quæ media jacet inter Tygris & Euphratis effluxum, cujuſque limites ab utroque flumine alluuntur; quæ etiam noſtra prior fuit in Scoto Academico ſententia. Verum ut ab ea nunc reſiliamus, plurima inducunt; maxime quod Tygris & Euphrates ex Moſis narratione originem & nomen non obtinuerint ante ſuum in Paradiſum influxum; ſed ex ingenti illo fluvio qui in ipſo Paradiſo erumpebat, & extra illius ſepta in quatuor nominata flumina ſcindebitur; ac proinde Paradiſus anterior erat iſtis regionibus quæ Tygri & Euphrate alluuntur. Hæc evidentius conſtabunt ex dicendis.

Secunda ſententia præcedenti proxima illorum eſt qui Paradiſinum ſitum conſtitutum volunt in Babylonia, quam Geographi communiter tres in partes diſtribuunt. 1. In *Araunitidem*, Euphrati conterminam, quæ regio etiam Audanus, & *a* duplici in duplici *e* commutatis, Eden ab ipſis dicitur. 2. *Medianam*, quæ Chaldæam complectitur

ad

ad Arabiam Deſertam uſque. 3. *Infimam* circa ſinum Perſicum, in quem Tygris & Euphrates ſeſe exonerant. Inde triplex emergit de ſitu Paradiſino quorundam auctorum Sententia: alii in ſuperiori, alii in media, nonnulli in infima conſtitutum fuiſſe aſſerentes; quod, inquiunt, tres illæ Babylonicæ regiones Euphrate & Tygride alluantur, ſintque feraciſſimæ & uberrimæ.

Verum refelluntur iiſdem rationibus, quibus & præcedens opinio, nam Tygris & Euphrates regiones illas alluunt quidem, ſed in iis non oriuntur; nulluſque eſt fluvius qui extra Paradiſi ſepta in eos effluat: nulli pariter Gehon & Phiſon, qui memoratas a Moſe regiones alluant.

Reponunt Calvinus, & Nuperus Auctor libelli *de Paradiſo* Gallice ſcripti, quatuor illos fluvios a Moſe nominatos, non alios eſſe quam Tygrim & Euphratem, qui ante ſuam in media regione Babylonica conjunctionem, propriis nominibus appellantur: poſt coitionem vero, rurſum in duos fluvios diſtincti, quorum alter *Phiſon*, alter *Gehon* dicitur; adeo ut, aiunt, in illa Babylonica regione quatuor revera ſint fluviorum capita; duo quidem deſinentia, nempe *Tygris* & *Euphrates*, qui commixtis aquis perire videntur; duo vero naſcentia, ſcilicet *Phiſon* & *Gehon*, qui ex Tygridis, & Euphratis commixtione exurgunt.

Ut autem appareat hanc conjecturam ex Calvino fuiſſe depromptam, illius verba ſubiicio. „ Obſerva, *inquit*, 1°. Nullam fieri
„ ſcaturiginis, vel fontis mentionem, ſed
„ tantum dici fluvium unum. Quatuor vero
„ capita intelligo tam principia ex quibus
„ naſcuntur fluvii, quam oſtia quibus ſe in
„ mare exonerant. Jam ita confluenter Ty-
„ gridi conjunctus fuit Euphrates olim, ut
„ flumen unum merito dici potuerit in qua-
„ tuor capita ſecari: præſertim ſi mihi con-
„ ceditur, quod omnibus palam eſt, Mo-
„ ſem non acute, neque Philoſophico mo-
„ re, ſed populariter loqui ut rudiſſimus
„ quiſque intelligat. Adde quod ſcrupulum
„ omnem tollere videtur ubi dicit fluvio
„ quatuor fuiſſe capita, quia ex eo loco
„ dividebatur. Quid hoc ſibi vult, niſi ex
„ uno confluxu, vel ſupra, vel infra Pa-
„ radiſum diviſos fuiſſe alveos? Quomodo
„ autem fluvius in quatuor fuerit diviſus
„ capita? non obſcurum eſt. Duo enim
„ ſunt amnes qui in unum coeunt, deinde
„ abeunt in diverſas partes, ita flumen
„ unum eſt in confluente; duo autem in
„ ſuperioribus alveis ſunt capita, & duo
„ verſus mare, poſtquam rurſus longius
„ dividi incipiunt. *Hæc ille.*

At effugium hoc aperte refellitur Moſis verbis; diſerte namque pronuntiat Paradiſum irrigatum fuiſſe a fluvio, qui *deinde*, hoc eſt extra Paradiſi clanſtra, dividitur in quatuor fluminum capita, Tygrim, Euphratem, Phiſonem, & Gehonem; igitur ante hunc effluxum nulli erant Tygris & Euphrates, ſicut nec Gehon & Phiſon.

Accedit quod Tygris & Euphrates deſinentes, ridicule dicantur *fluviorum capita*; vox enim *caput* in fluviis denotat eorum originem, non finem; quis enim niſi emotæ mentis dixerit fluviorum in mare exonerationem, eorum eſſe capita?

Tertia conjectura eorum eſt, qui cum Heideggero, Joanne Herbinio, aliiſque ſuadere nituntur Paradiſum ſitum fuiſſe in ea regione quæ poſtmodum terra *Chanaan*, *Palæſtina*, & *Terra-Sancta* dicta eſt, quod utique his argumentis confirmant. 1°. Ex ethymologia nominum *Geneſaris*, & *Jordanis*, vox enim Hebræa *Geneſar*, inquiunt, compoſita eſt ex duabus vocibus Hebræis *hortum principis* ſignificantibus; quod Adamus hominum Caput & Princeps habitaverit in illa celebri & peramœna valle ubi a tempore Diluvii lacus ſeu ſtagnum *Geneſaret* extitit.

Jordanis vero a Geographis dicitur nomen accepiſſe a duobus fontibus emanantibus e monte Libani; quorum Orientalis appellatur *Jor*, Occidentalis autem *Dan.* At, inquiunt, ſi ad Hebræam ethymologiam attendas, Jordanemque a *Jaar* & *Eden* derivaveris, tunc *Jeor Eden* fluvium locum voluptatis interfluentem invenies, fluviuſque Paradiſinus in Jordane apparebit. Nam quicumque fluvius, ex regione *Eden* dicta, oritur, ille eſt fluvius Paradiſi: at Jordanis oritur ex regione dicta *Eden*: igitur Jordanis eſt fluvius Paradiſi. Majorem docet Moſes Geneſ. 2. v. 10 Nam ubi Vulgatus interpres habet: *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis &c.* Textus Hebræus fert, ex *Eden.* Minorem ſuadet prædicta vocis Jordanis derivatio.

Probant 2. in qua terra facta eſt executio promiſſionis Adamo & illius uxoti datæ de ſemine contrituro caput ſerpentis *Geneſ.* 3. de ea etiam facta eſt promiſſio: at in Palæſtina facta eſt executio iſtius promiſſionis tum in Chriſto D. tum in ejus Matre Virgine: igitur ibi facta eſt illa promiſſio. Porro hæc fuit data in Paradiſo: ergo Palæſtina fuit illius ſitus.

3. Ea fuit terra Paradiſina, quam præ cæteris dilexit Deus, cui majora contulit beneficia, & quam populo ſibi plurimum dilecto deſtinavit: at talis fuit regio quæ poſtmodum *Chananæa*, *Palæſtina*, & *Terra-Sancta* dicta eſt: igitur ibi fuit Paradiſus. Major conſtat ex Moſis verbis *cap.* 2. ubi Paradiſus dicitur a *Deo plantatus*, hoc eſt, exquiſitioribus plantis, floribus & fructibus exornatus; in eo, tanquam in loco omnium amœniſſimo conſtitutus homo, creaturarum nobiliſſimus & Princeps; poſitum in illo lignum vitæ, & arbor ſcientiæ boni & mali; Deus dicitur in eo, ut in horto jucundiſſimo, deambulaſſe ad meridiem, &c. Quæ omnia indicant locum illum a Deo præ cæteris dilectum, & divinis muneribus decoratum.

Minor vero, inquiunt, fit manifeſta, nedum ex Moſaicis, ſed & Evangelicis, & Apoſtolicis libris, in quibus apparet Terram Chananitidem fuiſſe ſanctiſſimis Patriarchis eorumque poſteris Deo dilectis repromiſſam in hæreditatem: illam pariter ſele-

ſtam ut ibi Deus præcipue coleretur, ſacra in ejus honorem fierent, divina per Angelos, & Prophetas funderet oracula, mirabilia innumera patraret, & miraculorum omnium maximum, ſummumque illius erga homines amoris argumentum præberet in Incarnatione & myſteriis dilectiſſimi Filii ſui. Quæ omnia probant illam terram præ cæteris majori in pretio fuiſſe habitam a Deo; non alia certe ratione, quam quod eadem erat, in qua Paradiſum conſtituerat. Hæ ſunt potiſſimæ rationes quibus auctores illi ſuam ſententiam, fulcire nituntur, maxime Heideggerus.

Sunt quidem illæ rationes ſpecioſæ, ſed ſacro Textui, & Moſis narrationi minus conſentaneæ. *Prima* quidem, quia a nominum etymologiis, & alluſionibus vel leviſſimæ & inanes rationes deducuntur; quippe quæ ſint arbitrariæ, & pro cujuſque genii dexteritate, & fœcunditate diverſæ poſſint elici.

Nemo enim non ridet ludicrum commentum illius Flandri qui Paradiſum Adamicum circa urbeculam Flandriæ *Hedinam* ſitum eſſe voluit; alluſione facta nominis *Edin* ad regionem *Eden* in qua Paradiſus extitit. Adde quod vox *Geneſar* recens fuerit, & temporibus Moſis ignota, utpote cujus in libris Veteris Teſtamenti nulla ſit mentio, præterquam in 1. *Maccab. cap.* xi. *v.* 67. Quod tamen a Moſe, aut Joſue, aliiſque Scriptoribus ſacris, non erat prætermittendum, ſi revera in eo loco Paradiſus extitiſſet.

Accedit quod *Geneſar* aut *Geneſaret* ſit lacus nullam horti Regii ſpeciem aut leve indicium referens. Talis, inquiunt, non erat locus ille ante diluvium, ſed planities amœniſſima. Verum quo argumento id probant? nullo certe: quamobrem, ut ſine fundamento profertur, ita facile contemnitur, & negatur.

Ad ethymologiam *Jordanis* quod ſpectat, nemo non videt eam eſſe violentam & contortam; imo qui Hebraice tantillum noverit, illam impenſe ridebit; ſi enim liberum ſit nominum litteras commutare, aut demere, ut unum nomen inferatur ex alio, quis ex anno non faciat anum, aut aſinum?

Secunda ratio non majoris eſt roboris; neque enim neceſſum eſt ut quæ promittuntur, impleantur eodem in loco ubi facta eſt promiſſio. Spondet Deus Abrahamo cum eſſet in Haran, ſe eum facturum in gentem magnam: neque tamen ibi multiplicatum eſt Abrahæ ſemen; nullus enim ex illius poſteris ibi habitavit. Mitto innumera ejuſmodi exempla, quæ præfatam rationem penitus evertunt.

Tertia pariter nil quidquam urget: ſi enim terra Chanaan tantopere Deo cordi fuerit, quod ibi Paradiſus extiterit, ut voluerit illam a gente ſibi chariſſima habitari, cur paſſus eſt per tot annorum centurias terram illam, ut volunt, tantopere dilectam, incoli & pollui a progenie Chanaan, peſſimi parentis pejore ſobole? Quis niſi delirans, aut ſomnians exiſtimabit Sodomitas, omnium hominum deterrimos, fuiſſe a Deo præordinatos, & ſelectos ut pinguiorem regionis paradiſinæ partem occuparent? Plurima, inquiunt, erga terram illam ſuæ dilectionis Deus dedit argumenta: quid tum? longe majora præbuit erga montem Sinai, & Horeb, ubi ſe præſentem, & viſibilem præbuit, legem Iſraelitis præſcripſit, & plurima contulit beneficia; indene ſequitur Paradiſinum ſitum in illo ſterili deſerto Arabiæ eſſe ſtatuendum?

Si Jordanis fuit fluvius Paradiſum irrigans, qua ratione diſtribuitur in quatuor flumina a Moſe memorata? illabitur enim in Lacum Aſphaltiten, ſeu Mare-Mortuum, nullumque inde illius veſtigium apparet.

At, inquiunt, ante Diluvium, imo recentius ante Sodomicum excidium ita non erat; nam Jordanis planitiem illam trajiciebat & irrigabat; nullumque tunc extabat Mare-Mortuum, quod non niſi ex ſubverſis quinque civitatibus exortum eſt. Eſto: indene ſequitur Jordanem modicum fluvium poſt varios circuitus quatuor ingentia illa a Moſe memorata flumina a ſe longiſſime diſſita procreaſſe?

Ita res erat ante Diluvium, inquiunt. Unde Eccleſiaſtici 24. *v.* 41. conjungitur aliis fluviis, quibus divina Sapientia aſſimilatur, nempe Phiſoni, Euphrati, Tygri, & Gehoni; igitur in illos olim effluebat?

Egregia ſane conſequentia! Ibidem fit mentio *laci*, *lucis*, atque *aquarum Dioryx*; ergo Jordanis in hæc ſeſe effundit, quam abſurda ſequela! Cætera non inſequar, ne tempus perdam.

Itaque repudiatis præcipuis aliorum conjecturis, jam noſtra ſtatuenda eſt, quæ ut evidentior fiat & firmior, quædam ſunt prælibanda.

Certum eſt I. Paradiſum conſtitutum fuiſſe in ea regione quæ Orientalis erat reſpectu vel Ægypti, vel Arabiæ Petreæ ſeu Deſertæ, ubi degebat Moſes dum Iſraelitis Mundi geneſim, & priorum ætatum ſeriem ſcriberet.

Certum II. Regionem illam appellatam eſſe *Eden*, ut habet Hebræus Textus. Quæ vox ambiguæ eſt ſignificationis; nam interdum delicias, ac voluptatem, alias certam regionem denotat: nam *Geneſ.* 4. v. 16. Cain profugus dicitur tandem domicilium ſibi ſtatuiſſe ad Orientalem plagam *terræ Eden*, & 4. *Reg.* cap. 12. *Iſaiæ* 37. *Ezechiel* 27. &c. Fit mentio incolarum & negotiatorum *regionis Eden*. Vulgatus autem interpres in utroque ſenſu vocem illam uſurpavit, nimirum, & pro loco voluptatis, ac deliciarum, & pro certa regione quæ omnium amœniſſima eſſet & florentiſſima.

Certum III. Paradiſum terreſtrem non tantæ fuiſſe extenſionis & amplitudinis ut maximam orbis partem occuparet, nam *Geneſ.* 2. v. 15. Adamus dicitur in eo voluptatis loco a Deo conſtitutus, ut illum excoleret & cuſtodiret: non potuiſſet autem locum vaſtiſſimum ſedulo excolere, & cuſtodire; tantus enim labor, tantæ vigi-

liæ

liæ jucundum & pacificum innocentiæ ſtatum non decebant.

Neque tamen erat adeo arctis limitibus circumſcriptus, ut modicam terræ partem occuparet; tum quod veriſimile ſit plurimos Adami filios, & nepotes illius ad tempus futuros eſſe incolas, ſi innocens ille ſtetiſſet: tum quod ampliſſimus fluvius terram illam Paradiſinam allueret, qui deinde in quatuor ingentes fluvios exundabat.

Certum eſt IV. nullum jam apparere fluvium qui in quatuor a Moſe memorata flumina ſeſe exoneret: imo nulli jam ſunt fluvii qui *Gehon* & *Phiſon* appellentur: Extant quidem *Tygris*, & *Euphrates*, ſed tanta inter utriuſque ſcaturiginem occurrit diſtantia, ut 680. leucas Gallicas, & 510. Germanicas excedat. Igitur ex quatuor illis fluviis e Paradiſino flumine emergentibus a Moſe memoratis nullum jam nobis certum adeſt indicium, quo certo deprehendere valeamus quo in loco Paradiſus fuerit conſtitutus.

Quoniam itaque ſolis conjecturis, a Moſis narratione non alienis, hac in re agendum eſt; cenſerem ego Paradiſum conſtitutum fuiſſe intra montes Armeniæ Majoris, ubi nunc extat ingens lacus *Lictene* dictus ex quo veriſimile eſt Tygrin & Euphratem per ſubterraneos meatus erumpere. I. Quia planities illa jucundiſſima eſt, & plantarum, florum, ac fructuum amœnitate referta.

II. Quod altiſſimis montibus coronetur ac cingatur. Veriſimile enim eſt Paradiſum fuiſſe vallatum, non ſepibus, & muris, ſed montibus, ut ad eum aditus undequaque non pateret: unde ad illius introitum conſtitutus fuit a Deo Cherubinus cum gladio flammeo ac verſatili, ad arcendos homines ab illius ingreſſu; maxime a via ligni vitæ. *Geneſ.* 2. v. 24.

III. Arca Noe, peracto Diluvio, requievit in montibus Armeniæ, *Geneſ.* 8. v. 5. voluit nempe Deus ad miſericordiam converſus ut illa regio, quæ non procul a Paradiſo Patriarchis antediluvianis primum fuerat domicilium, iterum ab hominibus ſibi gratis & reconciliatis incoleretur.

IV. Tygris & Euphrates oriuntur ex montibus Armeniæ, diverſis nunc quidem locis, ſed nihilominus probabile eſt olim hunc utrumque fluvium ibi eandem habuiſſe ſcaturiginem ex illo Paradiſino fluvio, qui per ſubterraneos meatus in illos influebat, ſicut in Phiſonem & Gehonem, qui vel temporum ſucceſſu diſturbati ſunt ac diſſipati; vel alias longe diſſitas habent origines, aliiſque nominibus appellantur.

Accedit quod Moſes non dixerit fluvium illum ſtatim a ſuo e Paradiſo egreſſu findi in quatuor illos fluvios: ſed *qui inde dividitur*, hoc eſt, non ante, quam poſt ſuum e Paradiſo egreſſum in quatuor alveos ſeſe exonerat: quod utique verum eſſe potuit, tametſi longius a Paradiſo ea diviſio fuerit facta.

Hac ratione ducti nonnulli putant *Phiſonem* eſſe *Gangem* Indicum in quem Paradiſinus fluvius per longos ſubterraneos meatus influit. Unde vulgaris apud Indos traditio eſt, Gangem e Paradiſo oriri; atque hanc ob cauſam eum magna religione colunt, ac frequentant; exiſtimantque ſe illius aquarum luſtratione a peccatis mundari: quin etiam mortuorum cadavera genu tenus in eum immergunt, ut inde ad beatas Paradiſi ſedes demigrent: quæ licet vanam ſuperſtitionem redoleant, nihilominus avitam traditionem ex parte denotant Gangem e Paradiſino fonte & fluvio emanare.

Hæc eadem perſuaſio Judæorum animos occupavit: nam Joſephus libro primo Antiquit. cap. 2. diſerte ſcribit Phiſonem, non alium eſſe quam Gangem, cui plures e veteribus, & recentioribus adſtipulantur: e veteribus quidem, *S. Ambroſius* de Parad. cap. 13. *S. Epiphan.* in Ancor. cap. 58. *S. Hieronymus*, Epiſt. 4. ad Ruſt. cap. 1. *S. Auguſt.* lib. 8. de Geneſi ad litter. cap. 7. &c.

Verum plurimi e Recentioribus cum accuratiſſimo Geographo Cluverio, ſuam ſententiam firmant hac ratione; quod Gangi conveniant ea omnia quæ de Phiſone narrat Moſes. I. Quod alluat terram Hevilath; quo nomine Indiam a Gange irrigatam ſignificari putat Jonathan Hieroſolymitanus Paraphraſtes, qui loco *Hevilath*, Indiam reddit. II. Quia aurum plurimum, exquiſitæque gemmæ reperiantur in ea regione, quam Phiſon alluit: nullus vero neſcit Indiam auri gemmarumque eſſe feraciſſimam. III. Quod ibi inveniatur Bdellium, quo nomine ſive gummis aromatica, ſive uniones, & lapilli intelligantur; certum eſt ea copioſe in India reperiri. IV. Quod ibi extet lapis, Hebraice dictus, *Soham*, quo nomine *Onychinum* ſignificatum eſſe volunt plurimi, cum vulgato Interprete: aliqui *Sardonycem* cum S. Hieronymo Ep. ad Fabiolam: nonnulli *Beryllum* cum Paraphraſte Chaldæo; utrovis autem modo ſumatur, citra dubium eſt gemmas illas frequentius in India, quam alibi reperiri.

At, inquies, Ganges Indicus ex horridis Caucaſi montibus erumpit: ſed ſi eſſet Phiſon, ex fluvio paradiſino in Armenia Majori derivatus, aſcendendum ei eſſet contra naturæ genium verſus Orientem, inter juga montium altiſſimorum, per colles terrarum Aſſyriæ, Parthiæ, Perſiæ, perque media Tauri juga, aliaque abrupta loca, quæ natura in fluviorum effluxu non patitur.

Deinde longius diſtat Gangis origo a ſcaturigine fluviorum e flumine paradiſino emanantium, nempe Tygris, & Euphratis, ut aliquod cum illis poſſit habere commercium; nam a monte Caucaſo, ad cujus radices erumpit Ganges, ad montes Armeniæ, ex quibus Tygris & Euphrates oriuntur, ſunt pluſquam 680. leucæ Gallicæ, & 510. Germanicæ, juxta recentem obſervationem eorum, qui ejuſmodi regiones perluſtrarunt. Quis vero ſanæ mentis exiſtimabit fluviorum tantopere diſtantium eandem eſſe originem?

Reſpondent, illius ſententiæ aſſertores. I. Iſtud quidem mirum videri, ſi talis efflu-

xus

xus inter ardua tot montium, & colliſum fieri deberet exterius, & ſuper faciem terræ; at cum fiat per meatus ſubterraneos qui planiores ſunt, nil obſtat qui in longe diſſitis locis erumpat. Neque id mirum videbitur iis, qui aſſerunt Jordanem fluvium illum eſſe paradiſinum, qui extra paradiſi ſepta terram ſubiens poſt varios mæandros in Tygrim, & Euphratem emergat.

Unde perdoctus Scherlogus. II. Negat Gangis in Caucaſo ſtatuendam eſſe originem; „ Non itaque, *ait*, Gangis incunabula quærenda inter Caucaſi horrenda „ ſaxa, non Euphrates cum Tygri in Armeniæ rupibus, non Nili in Æthiopia ad „ montis Lunæ fundamenta. Progrediendum ulterius in immenſum fere, per canales ſubterraneos, quibus interlabuntur, „ donec paradiſus attingatur, ibi ſeminarium, & conjunctio; ibi, non nimium „ ſeparatis, atque contrariis itineribus tamdiu decurrunt, quoad flumini ſuffocare „ non placeat; poſtquam vero carceri mancipat, & ſubtus terram pergere mandat, „ divellitque ſocietatem; fluentum variat, „ & alibi, propter flexuoſos mæandros, „ Septentrionem idem flumen, alibi Meridiem a tergo relinquit, &c. *hactenus* „ *Scherlogus*

Inſtant, Phiſon circuiebat terram *Hevilath*, quæ eſt Arabiæ pars: at Ganges non alluit Arabiam; igitur non eſt Phiſon.

Reſpondent, duplicem eſſe regionem appellatam *Hevilath* ab ejuſdem nominis duobus Capitibus familiarum, quorum unus erat filius *Chuſi*, nepos Chami, *Geneſ.* 10. v. 6. alter Hevilath filius *Jectanis*, nepos Heberi e ſtirpe Semi, ibidem v. 21. & 29. prior Arabiam incoluit: poſterior vero regiones Orientales, v. 30. hoc eſt, Indiam quam Ganges alluit.

Neque his obſtat quod Semus dicatur inhabitaſſe eam regionem quæ poſtmodum Palæſtina dicta eſt; nam ibi non degit cum univerſis ſuis poſteris, ſed quædam illius poſterorum Capita, cum ſuis familiis, in alias plagas demigrarunt, uti contigit poſteris Chami, quorum aliqui Chananitidem, nonnulli Ægyptum, alii Arabiam occuparunt; qui poſtea Iſmaelitis, & Madianitis commixti, dicti ſunt *Arabes*, & deinde *Saraceni*; non quidem a *Sara* uxore Abrahami, ut falſo jactitant: ſed a voce *Saraka*, quæ ſignificat *Latrocinari*, quod iſti populi latrociniis, & furtis olim, ſicut & nunc, fuerint inprimis dediti. Igitur ex his nil obſtat quominus Ganges unus ſit e paradiſinis fluviis, atque is quem Moſes *Phiſon* appellat.

Pari ratione *Nilus* a nonnullis dicitur *Gehon*; idque plurimis argumentis probat perdoctus Kircmayer in ſua Diſſertatione *de Paradiſo*; maxime vero, quia Moſes ait Gehon alluiſſe terram *Chuſc*, quam vulgatus Interpres *Æthyopiam* appellat: eſt autem duplex Æthiopia, Magna una Africæ pars, & Minor altera Arabiæ contermina; unde Sephora Moſis uxor, quæ Madianitis erat, dicitur Æthiopiſſa, *Num.* 12. v. 2. quod oriunda erat ab urbe Madian in Arabia Petrea, juxta Mare rubrum. Nilus autem irrigat Æthiopiam Majorem, & Ægyptum.

Ar, inquies, fontes Euphratis, & Tygris fluviorum paradiſinorum diſtant a montibus Lunæ, e quibus emergit Nilus, pluſquam 520. leucis Gallicis, & 315. Germanicis; ac proinde veriſimile non eſt illos eandem habuiſſe originem.

Reſpondent, id recte quidem colligi, ſi res in ſua prima conſtitutione ſtetiſſent: cum vero plurimum per diluvium fuerint inverſæ, jamque fluvius paradiſum irrigans, & in quatuor nominata fluviorum Capita erumpens, non appareat, nec Tygris, & Euphrates eandem nunc habeant originem; quid mirum ſi fluvius ille paradiſinus intra terræ viſcera jam effluens, poſt varios ſubterraneos mæandros, tandem diverſis in locis erumpat, aquas partim ejaculans in una regione, partim in diverſis; id ita procurante divina Providentia, ut ſitum paradiſi hominum vanæ curioſitati, & temerariæ inquiſitioni ſubducat.

Qui de his plura requirit, conveniat noſtrum Scotum Academicum, ubi abunde actum eſt de paradiſinis fluviis, deque illius amœnitate, & plantis.

Petes, quo die creationis Paradiſus ſit conditus? *Reſpondeo*, Judæorum Doctores more ſuo delirantes, aſſerere ſeptem res a Deo ante mundum viſibilem fuiſſe creatas. 1. Hortum Edenis. 2. Legem. 3. Juſtos. 4. Iſraelem. 5. Solium gloriæ. 6. Jeruſalem. 7. Meſſiam Regem: quibus ex parte præluxiſſe videtur Auctor libri quarti apocryphi nomine Eſdræ, ait enim cap. 3. v. 6. Deum induxiſſe Adamum *in paradiſum quem plantaverat dextera ejus, antequam terra adventaret*; his adde S. Hieronymum quæſt. in Geneſ. ubi exponens hæc verba: *Plantaverat autem Dominus Deus paradiſum voluptatis a principio, &c.* ait, *Hinc manifeſte comprobari, quod priuſquam cœlum & terram Deus conderet, paradiſum antea condiderat.*

Sed miſſis Judæorum nugis & deliriis, communior Interpretum ſententia eſt, paradiſum conditum fuiſſe tertia die mundi, in qua productæ arbores, & plantæ, & terra juſſa ut produceret herbam virentem; paradiſus enim nil aliud erat, quam locus herbarum, plantarum, & florum, ac fructuum exquiſitiſſimorum mirabili gratia & decore concinnatus.

S. Baſilius lib. de Paradiſo, exiſtimat illum non eſſe conditum niſi poſt abſolutum creationis opus; eumque, mundi die tertio, arboribus, & plantis præſtantioribus ornatum, Dei juſſu, terra ediderat: „ Nam, *inquit*, ſi hic Paradiſus lignis conſitus eſſet „ univerſo orbi communibus, ut quæ in „ primigenia illa generatione continerentur; „ nec hæ arbores, quæ præſenti loco commemorantur a Deo in paradiſo plantatæ, „ opus habuiſſent eximia hac, & a cæteris ſelecta plantatione. Jam quidem tanquam inter utraſque diſcrimen ſit, præter præinducta plantarum genera, Scri-

„ ptu-

„ pturæ verbis docetur, in paradiſo arbo„ res fuiſſe a Deo præcipua quadam, & pe„ culiari diligentia conſtitutas. Nam quem„ admodum hominem a cæteris animanti„ bus diſcreta, ac ſingulari dignatus eſt „ formatione, itidem & homini apparavit, „ ſuaque condidit manu peramœnam, ac „ deliciis omniſariam diffluentem manſio„ nem.

Deinde cum egregie deſcripſit Paradiſi amœnitatem, addit etiam in eo fuiſſe diverſa ab aliis mundi partibus animantium generi. „ Illic, *inquit*, & avicularum omni„ genum ſunt genera, quæ alatum flore, & „ nativa muſica, admirabilem quandam per „ ſe ipſas oblectationem offerunt ſpectan„ tibus, ita ut per omnes ſenſus jucunde „ afficiant hominem, alia viſu, alia audi„ tu, alia tactu, quædam olfactu, aliqua „ guſtu. Sunt illic & variorum animantium „ ſpectacula, quæ omnia ſunt manſueta, „ omnia eorumdem morum, quæ omnia & „ audiunt inter ſe, & loquuntur ſenſate.

Verum hæc exiſtimatio abludit a Moſis mente; aſſerit namque Moſes ſexto die conſummatum eſſe creationis opus, ſeptimo vero Deum quieviſſe ab omni opere quod patrarat, eo ſcilicet quietis genere ſuperius deſignato; neque enim, ut jam diximus, Deus a mundi gubernio, ejuſque partium conſervatione deſiſtit, ut explicat Claudius Marius Victor lib. 1. in Geneſim his verſibus,

Sic ceſſare Deus, ſic otia ſumere novit,
Plus ut agat, ceſſans, pariter ſine fine quieſcens:
Ac ſine fine operans; ſeriemque & tempora miſcens,
Ceſſando conſummat opus, quodcunque crearat.

Unde ad quartum librum Eſdræ dico illum eſſe apocryphum, ac propterea nullius auctoritatis.

Ad S. autem Hieronymum dico illa potius ex Judæorum mente, quam ex ſua ſententia protuliſſe.

Hæc vero dicta ſint abſque cujuſquam præjudicio; ſiquidem dubias, cuique liberum eſt, pro arbitrio, ſuas proferre conjecturas, dummodo nec fidei, nec probis moribus adverſentur; nec eſt quod de his anxie fuſius diſputemus, ait namque S. Auguſtinus lib. 8. de Geneſ. ad litt. cap. 9. *Præſtat dubitare de occultis, quam litigare de incertis.*

QUÆRITUR III.

Utrum Paradiſus terreſtris adhuc ſubſiſtat?

ILlum in integro ſervatum eſſe docent plurimi veteres: imprimis *S. Irenæus*, lib. 5. adverſus hæreſ. cap. 5. *Tertullianus*, lib. de anima; *Severianus Gabal.* orat. 5. *Methodius*, apud S. Epiphanium, hæreſ. 64 & alii bene multi, contendentes in illum Enoch, & Eliam eſſe translatos, ibique vivos conſiſtere, ut circa mundi finem Antichriſti impietati obſiſtant; atque de illo intelligenda eſſe Chriſti D. morientis ad Latronem pœnitentem verba, *Hodie mecum eris in Paradiſo.*

Verum, ait Vincentius Lirinenſis In Commonit. *Antiqua Sanctorum Patrum conſenſio, non in omnibus divinæ legis quæſtiunculis; ſed ſolum in fidei regula, magno nobis ſtudio, & inveſtiganda eſt, & ſequenda.*

His accedit quod eorum plurimi; qui paradiſum ſupereſſe contendunt; ideo id aſſerant, quod ineſcantur opinione Millenariorum exiſtimantium juſtos homines, poſt generalem reſurrectionem cum Chriſto in terreſtri Paradiſo per mille annos victuros, omnique terrena voluptate fruituros: quæ exiſtimatio, cum jam ab omnibus proſcripta ſit; quidquid ex illa elicitur, nullius eſt roboris, & momenti.

His adde quod regiones illæ, quas Tygris, & Euphrates alluunt, jam incolis refertæ ſint, ubi tamen nullum eſt amplius aliud Paradiſi veſtigium, quam ex ubertate & amœnitate terræ. Confirmat hoc argumentum diluvii generalis narratio, qua conſtat illius aquas quindecim cubitis elevatas ſupra celſiſſimos quoſque montes, ut refertur *Geneſ.* 8. ubi ergo tunc Paradiſus terreſtris?

Dices, fortaſſis aquas diluvianas divinitus fuiſſe prohibitas, ne in illum erumperent: egregia quidem exceptio, ſi legitimo, & firmo fundamento niteretur; verum qua facilitate fingitur miraculum, eadem negatur. At de his plura ubi ſermo erit de translatione Enochi.

De Arboribus Paradiſinis.

SEverianus Gabalitanus appoſite obſervat, *orat.* 5. in Paradiſo triplicis generis fuiſſe arbores: quarum aliquæ erant deſtinatæ ad incolarum communem eſum & oblectationem, ut fructiferæ, floridæ, & frondoſæ: *una* ad obedientiæ probationem, arbor ſcilicet, *boni & mali*, cujus prohibitus erat fructus: *altera*, ad obſequii præmium, & remunerationem, nempe, *arbor vitæ*, cujus fructus tantæ virtutis erat, & efficaciæ, ut hominum vitam vividam ſemper, ac florentem in plurimas annorum centurias poſſet prorogare, donec a Deo ad immortalitatem cœleſtem aſſumerentur; & ut ait S. Aug. in melius converterentur; non morte hominis qua corpus ab ani-

anima deſeritur, ſed beata commutatione a mortalitate ad immortalitatem; ab animali ad ſpiritualem qualitatem. Inſuper dicta eſt arbor vitæ quod, ait S. Auguſtinus, ſymbolum eſſet vitæ præſentis cum meliore commutandæ: erat homini ex lignis aliis alimentum; in hoc Sacramentum. Symbolum etiam erat vitæ ſpiritualis, quam Adamus jam per Chriſtum obtinebat, & illius quam poſt lapſum ab illo erat recuperaturus.

Tertia dicta eſt arbor, *ſcientiæ boni & mali*, non quod eſus illius fructus ſcientiam ingereret: ſed quod per illius eſum innoteſceret diſcrimen bonum inter & malum.

Hujus autem arboris fructus eſum vetuit Deus, ut inde probaret hominis obſequium. Ne autem cuſtoditæ legi præmium, aut temeratæ pœna deeſſet; addidit, quod ſi homo obtemperaret prohibitioni, viveret in æternum; ſi vero denegaret obedientiam, mortis legibus ſubjaceret.

Quæ & qualis fuerit illa Arbor?

MUltiplex circa hujus quæſiti reſolutionem eſt Interpretum ſententia. Plurimi exiſtimant fuiſſe, *Ficum*, hac inducti ratione quod illius fructus ſuaviſſimus ſit, quodque ſtatim atque ejus vetitum fructum primi parentes comederunt, ſuam nuditatem erubeſcentes, *conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata*, cap. 3. v. 7. ex proximioris videlicet arboris foliis: ad idque plurimum conducebant folia ficus, quæ omnium arborum foliis ampliora videntur, & latiora; nam ait Theophraſtus, lib. 4. de Plantis: *Arbor fici comam ſuperne laſcivam gerit, totaque fornicato ambitu pulchre orbiculatur, & magnitudine vehementer excellit... Folium pelta non minus habet:* cui ſuffragantur alii Scriptores, maxime, *Plinius*, lib. 12. Hiſtoriæ naturalis, cap. 5. ubi de ficu loquens, ait, *In excelſum emicant ſylvoſa multitudine, vaſto matris corpore, ubi ſexaginta plerumque orbe colligant: umbra vero bina ſtadia cooperiant; foliorum latitudo peltæ Amazonicæ effigiem habet; raruſque eſt fructus, ſed prædulci ſapore.* Huic accedit Solinus Polybiſtor, cap. 65. ubi de ficu Indica inter cætera ſcribit; *Illius caudices in orbem ſpatio 6. paſſuum extuberantur, ramorum umbræ ambitu bina ſpatia conſumunt: foliorum latitudo formæ Amazonicæ peltæ comparatur, pomum eximiæ ſuavitatis.* Inde eſt quod hujuſmodi ficus circa Babylonem latiſſima folia gerentes, etiam nunc dicuntur *ficus Adamicæ*.

His ſuffragatur Iſidorus Peluſiota, lib. 1. Epiſt. 51. ubi inquirens cur Chriſtus D. *Marc.* 11. *v.* 13. maledixerit ficui infrugiferæ; reſpondet hanc tranſgreſſionis arborem fuiſſe, ac proinde Chriſtus humano, ac miſericordi animo hoc ei imprecatus eſt, ut ne poſthac fructum peccati cauſam proferret.

His etiam accedit S. Irenæus, lib. 3. cap. 37. ſcribens, idcirco Adamum potius ſibi confeciſſe ſubligacula ex foliis ficus, quam ex foliis aliarum arborum, quod illa eſſent aſperiora, atque ad agendam pœnitentiam convenientiora; *Etenim*, inquit, *per ſuccentorium in facto oſtendit ſuam pœnitentiam, foliis ficulneis ſemetipſum contegens, exiſtentibus & aliis foliis multis quæ minus corpus ejus vexare potuiſſent: condignum tamen inobedientia amictum fecit, conterritus timore Dei, & retundens petulantem carnis impetum.*

Confirmat iſta Theodoretus, q. 5. in Geneſ. ſcribens, eos qui aliam arborem, quam ficum opinantur, *errare nimia ſimplicitate*.

Verum ſalva his SS. Patribus debita reverentia, in eorum ſententiam vix deſcendere poſſum; neque enim productæ rationes ſat videntur urgere, ut illam arborem ſcientiæ boni & mali, fuiſſe ficum exiſtimem; potuit enim vetitæ arbori vicina eſſe ficus, cujus cum latiora eſſent folia, hæc in tegumentum arripuerunt. *Deinde*, non conſtat Evam juxta illam arborem ſtetiſſe; imo veriſimile eſt eam abſentem maritum conveniſſe, ut arreptum fructum vetitum ei præberet. *Denique*, ſi ex illius eſu ſtatim erubuit ob ſuam nuditatem, utique abhorrere debuit a funeſta illa arbore, ſeſeque longius ab ea proripere, velut ab occaſione ſuæ cladis, & fœlicitatis jacturæ.

Sunt qui arborem illam ſcientiæ boni & mali, *pomum* ſeu *malum* fuiſſe credunt; quod Cant. 8. v. 5. Divinus Sponſus ſuæ Sponſæ dicat, *ſub arbore malo ſuſcitavi te, ibi corrupta eſt mater tua*, &c. At non conſtat per *matrem*, ibi Evam ſignificari; & vox *Malum* generalis eſt, plurimiſque etiam ſpecie diverſis arboribus convenit, eſt enim Malum Perſicum, Indicum, Aſſyrium, commune, &c.

Proinde recte dixerimus Moſem uſum generali voce *arboris* ſeu *ligni*, tum ut curioſitatem noſtram cohiberet; tum ut nullam arborum ſpeciem haberemus horrori, & execrationi, quod ejus fructus noſtræ perditionis, & calamitatis fuiſſet occaſio.

Dicta vero eſt, *arbor ſcientiæ boni & mali*, non a *natura*, & *forma interna*, quaſi ipſa eſſet intellectu prædita ſciens bonum, & malum. Neque *ab effectu*, quaſi eſſet ſcientifica per ſe, & vim habens ingerendi ſcientiam primis parentibus, prius enim ſcientiis omnibus fuerant referti: ſed *ab eventu* quem hac appellatione Deus pronuntiavit ſe acturum, ſi homo ab illius eſu non abſtineret; futurum nempe, ut contra Dei interdictum ex illa comedens, damno ſuo, & acceptorum beneficiorum, & ſui fœlicis ſtatus jactura, experiretur quam grave malum ſit Deo non obedire.

Sciebat quidem Adamus ab exordio quid bonum eſſet, quid malum; noverat quippe bonum eſſe obtemperare Deo ſupremo rerum omnium opifici, & moderatori; pro-

inde-

indeque ingens eſſe malum ipſius divinis mandatis reluctari.

Iſta, inquam, noverat, ſed ſpecolative; nec ſatis credebat Deum propter levem pomi eſum adeo commotum iri, ut illum tot collatis beneficiis orbaret. At in prævaricatione ſua expertus eſt miſer, qualis & quantus eſſet fœlicitatis ſtatus, a quo exciderat; & quanta ſit mali acerbitas, quam experiebatur.

Verum, inquies, arbor illa ſic nominata eſt priuſquam Adamus injunctum ſibi præceptum violaret, atque ſua experientia dignoſceret, quid intereſſet inter bonum quod amiſerat, & malum quod ſentiebat.

Reſpondet S. Aug. „ Lignum illud tale „ nomen accepiſſe, ut eo ſecundum prohi- „ bitionem non tacto, caveretur, quod eo „ contra prohibitionem tacto, ſentiretur. „ Neque quod inde contra præceptum man- „ ducaverunt, ideo factum eſt illud lignum „ dignoſcentiæ boni & mali: ſed utique, „ etiamſi obedientes eſſent, & nihil inde „ contra præceptum uſurpaſſent, id recte „ vocaretur, quod ibi eis accideret, ſi uſur- „ paſſent. Quemadmodum ſi vocaretur *ar-* „ *bor ſaturitatis*. quod inde poſſent homi- „ nes ſaturari; numquid ſi nemo acceſſiſ- „ ſet, ideo tamen illud eſſet incongruum? „ Quandoquidem cum accederent, & ſatu- „ rarentur, tunc probarent quam hoc no- „ mine recte arbor illa vocaretur.

Explicat iſta Severianus Gabalorum Epiſcopus, plurimis quidem ex Scriptura depromptis exemplis; maxime vero ab illis aquis, percuſſione Virgæ Moſaicæ, e ſilice erumpentibus, quæ dictæ ſunt *aquæ contradictionis*: non quod ejuſmodi aquæ vis naturalis eſſet, ut populum ad contradicendum Deo ſtimularet; Moſes enim illis potatus, Deo non contradixit: ſed ab eventu, quod nimirum populus Iſraeliticus ibi adverſus Moſem inſurrexerit, & Deo contradixerit.

PETES I. Cur Deus hujus arboris uſum prohibuerit?

Reſpondeo, id factum eſſe multis de cauſis. I. Ut hoc interdicto ſignificaret homini, omnia ei collata beneficia fuiſſe gratis, & a munificentiſſimo largitore liberaliter conceſſa, utpote qui aliarum rerum, & arborum, ſicut hujus, uſum poterat interdicere. II. Ut oſtenderet ſe ſupremum omnium rerum Dominum, & Diſpenſatorem, qui pro nutu & arbitrio bona ſua concedit, aut reſervat. III. Ut probaret hominis obſequium & obedientiam: *Arbor hæc* (ait S. Aug. a) *erat interdicta; non quia erat malum; ſed propter commendandum puræ & ſimplicis obedientiæ bonum, quæ magna virtus eſt rationalis creaturæ ſub Creatore Domino conſtitutæ*.

a *Lib.* 13. *de civi Dei cap.* 20.

Dedit autem Deus Adamo legem de re nec magna, nec difficili, quatenus facilior eſſet obedientia; vel ſi homo tranſgrederetur, omni prætextu vacaret. Id egregie docet S. Aug. b qui cum dixiſſet: „ Non de- „ bere exiſtimari leve, ac parvum illud fuiſ- „ ſe commiſſum; quia in eſca factum eſt; „ non quidem mala, nec noxia; niſi quia „ prohibita. Neque enim quidquam mali „ Deus in illo tantæ fœlicitatis loco crea- „ ret, atque plantaret: ſed obedientia com- „ mendata eſt in præcepto: quæ virtus in „ creatura rationali mater quodammodo „ eſt omnium cuſtoſque virtutum.

b *Ibidem lib.* 14.

Addit. „ Hoc itaque de uno cibi gene- „ re non edendo, ubi aliorum tanta copia „ ſubjacebat, tam leve præceptum ad ob- „ ſervandum, tam breve ad memoria re- „ tinendum; ubi præſertim nondum volun- „ tati cupiditas reſiſtebat, quod de pœna „ tranſgreſſionis poſtea ſubſecutum eſt, tan- „ to majore injuſtitia violatum eſt, quan- „ to facilıore poſſet obſervantia cuſtodiri.

PETES II. Utrum Evæ ſignificatum fuerit hoc interdictum, ſicut Adamo? Ratio dubitandi eſt; quod mulieris formationem, nonniſi poſt hoc præſcriptum de non edendo fructu ſcientiæ boni & mali, referat Moſes cap. 2. v. 18.

Reſpondet S. Auguſtinus, dici poſſe, ea quæ prius geſta narrantur primo capite, nempe creationem maſculi & fœminæ, in ſecundo per recapitulationem plenius & diſtinctius exprimi.

Addit etiam afferi poſſe Evam ab Adamo hoc divinum mandatum accepiſſe; *Deus*, inquit, *ſciens quod ei* (Adamo) *facturus erat mulierem, ita præcepit ordinatiſſime, ut per virum præceptum Domini ad fœminam perveniret; quam diſciplinam in Eccleſia ſervat Apoſtolus* 1. ad Cor. 14 DICENS, SI QUID AUTEM DISCERE VOLUNT, DOMI VIROS SUOS INTERROGENT. Utraque reſponſio mihi videtur probanda, ſed prior magis arridet.

Itaque hanc naturalem & genuinam rerum geſtarum ſeriem arbitror eſſe ſervandam: nempe quod *ſexto* die mundi Deus primo creavit Adamum e limo terræ, eumque in paradiſo, tertio die mundi condito, locavit: *Deinde* animalia ei adduxit, ut illis nomina imponeret, videretque inter illa nullum eſſe illi ſimile, quamobrem Deus mulierem ex illo formavit, eique ſociavit in uxorem: *tandem* facultatem eis fecit veſcendi omni herba & arborum fructibus, unica excepta, *ſcientiæ boni & mali* dicta.

Quod autem hoc Mandatum utrique fuerit a Deo præſcriptum, aperte teſtatur Eva, dum ait Serpenti tentatori cap. 3. *de fructu lignorum, quæ ſunt in paradiſo veſcimur; de fructu vero ligni, quod eſt in medio paradiſi, præcepit nobis Deus, ne comederemus*, &c. Igitur ipſa etiam mulier audierat Deum illa prohibentem.

Nec refert quod *cap.* 2. *v.* 16. Deus Adamo dicat, *de ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas*: ubi ſolum Adamum videtur alloquutus. Hoc, inquam, non officit; dirigitur enim hoc præceptum, non ſolum ad virum, tanquam ad caput, ſed etiam ad mulierem: non quidem abſentem, ſed præſentem, & auſcultantem. Unde LXX. Interpretes, *v.* 16. tria verba, quæ in editione Vulgata ſunt ſingularia, verterunt pluraliter; quos etiam S. Auguſtinus ſequitur, lo-

co mox laudato: ſic enim verba refert: *Præcepit Dominus Deus Adæ dicens, de omni ligno quod eſt in paradiſo, edes; de ligno autem cognoſcendi bonum & malum, non manducabitis de illo: qua die autem ederitis de illo, morte moriemini.*

Petes III. Quo ſenſu præfata verba ſint accipienda, cum poſt eſum fructus vetiti Adamus, & Eva diutiſſime vixerint?

a *Lib, 5. ca. 23.* b *In dialogo.*

Reſpondent SS. Irenæus a, & Juſtinus b, revera Adamum, & Evam mortuos eſſe eadem die qua peccaverunt; ſi dies illa conſideretur, non humano more, & ut conſtat 24. horis: ſed reſpective ad Deum, cujus ante oculos *mille anni, tanquam dies heſterna, quæ præteriit;* nam uterque illorum infra milleſimum annum vitam cum morte commutavit.

Addit Theodoretus, illos eſſe mortuos eadem die; quia peccando, deperdita juſtitia originali, qua intime conjuncti Deo vitæ fonti, fiebant immortales; inevitabilem contraxerunt moriendi neceſſitatem: *Et Dei ſententia obnoxii fuerunt ſupplicio mortis; & per ſingulos dies & horas, velut rei mortis, ipſam mortem expectabant.*

At omnium optime *S. Auguſtinus* reſpondet, quadruplex diſtinguendum eſſe mortis genus. I. *Animæ*, dum per peccatum ſeparatur a Deo. II. *Corporis*, cum corpus privatur anima. III. Dum anima a Deo & a corpore ſejuncta pœnis & cruciatibus inferni addicitur. IV. Cum poſt reſurrectionem anima cum corpore æternas luit pœnas; quam ultimam dicit apellari *mortem ſecundam*. Concludit autem, Dei comminationem quadruplex iſtud mortis genus complecti.

Addit tamen *cap.* 15. potiſſimum deſignatum eſſe primum genus mortis, cum anima deſeritur ſua vita, quod illi Deus eſt. *Ac ſi*, inquit, *dixiſſet Deus; qua die me deſerueritis per inobedientiam, deſeram vos per juſtitiam.*

Profecto in ea morte etiam cæteræ denuntiatæ ſunt, quæ proculdubio fuerant ſecuturæ.

Adiicit: *Vivebat itaque homo in paradiſo ſicut volebat, quandiu hoc volebat, quod Deus juſſerat: vivebat fruens Deo, ex quo bono erat bonus: vivebat ſine ulla egeſtate: ita ſemper vivere habens in poteſtate. Cibus aderat ne eſuriret, potus ne ſitiret, lignum vitæ, ne illum ſenecta diſſolveret.... ſumma in carne ſanitas, in anima tota tranquillitas, &c,*

At tantæ fœlicitatis fuit invidus Dæmon, qui (ait ibid. S. Aug.) e ſua exciderat.....
„ In hominum ſenſus ſerpere affectans, Co-
„ lubrum, animal ſcilicet lubricum, & tor-
„ tuoſis anfractibus mobile; per quem lo-
„ queretur, elegit; eoque per Angelicam
„ præſentiam, præſtantioremque naturam
„ ſpirituali nequitia ſibi ſubjecto, & tan-
„ quam inſtrumento abutens fallacia, ſer-
„ mocinatus eſt fœminæ. A parte ſcili-
„ cet inferiore, illius humanæ copulæ in-
„ cipiens, ut gradatim perveniret ad to-
„ tum: non exiſtimans virum facile credu-
„ lum, nec errando poſſe decipi; ſed dum
„ alieno cedit errori. At ea ſpectant ad
„ ſequens caput.

DISQUISITIONES
IN CAPUT TERTIUM.

HOc in capite enarrat Moſes Proto-parentum noſtrorum Adami, nimirum & Evæ, tentationem, lapſum, pœnaſque ob prævaricationem inflictas; de quibus, cum ſatis ſuperque dictum fuerit in ſecundo tomo, nunc tertio noſtræ Theologiæ, ne dicta repetam, hic duntaxat quædam ſunt adiicienda.

Orditur itaque Moſes præſens caput his verbis: *Sed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus &c.* Vel, ut vertunt LXX. *Serpens erat prudentiſſimus beſtiarum, quæ erant ſuper terram:* aut, ut habet Chaldaicus; *ſerpens erat ſapientior cunctis beſtiis agri.* Unde

QUÆRITUR I.

Quis & qualis fuerit ille ſerpens?

SErpentem cæteris animantibus ſagaciorem eſſe, nedum conſtat ex præfatis Moſis verbis; ſed & ex Chriſti Domini oraculis, quibus Diſcipulis ſuis imitandam ſuadet ſerpentis prudentiam. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes.*

Apparet autem hæc ſerpentis prudentia. I. In eo quod reliquum corpus opponit perſequenti, ut caput intactum ſervet & incolume. II. Quia homines, & alia animalia inſidioſe, & aſtute aggreditur: unde Poeta:

Frigidus, o pueri fugite hinc, latet anguis in herba.

III. Quia hyberno tempore profundiora terræ receptacula petit, ut a frigore ſeſe eximat; & convolutus in gyros, diu dormiendo, pinguior fiat. IV. Quia, ut refert Plinius, hyber-

hyberno ſitu obductam corpori membranam exuit, ut veluti naſcens appareat. V. Propter hybernam latebram, obſcuratus viſus, maratro herbæ ſe affricans, caliginem diſſipat, & oculos reſovet: ſi vero ſquama obſtorpuerit, ſpinis juniperi ſe pungit, ut pelliculam auferat: quæ certe omnia miram ſerpentis induſtriam, & ſagacitatem indigitant.

Verum qualis quantaque ſit naturalis hæc ſerpentis prudentia, nihil quidquam ex ſe conferre potuit ad primos Parentes tentandos & expugnandos. Inde eſt quod Origenes, & eum ſecutus Cajetanus, tentationis hiſtoriam illam, quam hoc capite enarrat Moſes, Allegoricum in ſenſum exponendam eſſe cenſeant; nimirum ut, nomine *ſerpentis*. intelligatur Dæmon, qui interna tantum ſuggeſtione, & tentatione, Evam aggreſſus ſit.

a Lib. 3. contra Julian. pag. 36.
b Lib. de parad. cap. 2. num. 9.

S. Cyrillus Alex. a indicat Dæmonem ſerpentis ſimulachrum induiſſe, ut ſub ea larva mulierem deciperet: nec ab ea ſententia abludere videtur S. Ambroſius b, cum ait, *in ſerpentis autem figura Diabolus &c.*

At hanc primorum parentum tentationis hiſtoriam litteraliter ſimul, & allegorice cenſeo exponendam; adeo ut hic duplex intelligatur ſerpens, alter *metaphoricus*, nempe Diabolus, qui Apocal. 12. v. 9. dicitur *Draco magnus, & ſerpens antiquus*; alter vero *naturalis* quo Dæmon abuſus eſt, ut Evam aggrederetur, ſicut enim per os Aſinæ Balaami locutus eſt Sanctus Dei Angelus; ita (ait S. Auguſtinus c) Dæmon, Angelus ille perverſus vero ſerpente uſus eſt, velut organo, movens illius linguam ſicut movere potuit, ad exprimendos verborum ſonos, ut ſigna corporalia, per quæ mulier ſuadentis intelligeret voluntatem. I. Cui concinnens Theodoretus d ait: *Serpens erat organum inimici veritatis*.

c Lib. 11. de Geneſ. ad litt. cap. 27.
d Quæſt. 32.
e Ibid. cap. 29.

Sic ergo ait S. Auguſtinus e, *Locutus eſt ſerpens mulieri, ſicut aſina in qua ſedebat Balaam, locuta eſt homini: niſi quod illud fuit Diabolicum, hoc Angelicum.*

Quod autem naturali ſerpente revera uſus fuerit Dæmon, apparet ex verbis Moſis dicentis ſerpentem animalibus terræ fuiſſe *callidiorem*, ſeu, ut vertunt Aquila & Theodot. *nequam & verſipellem* præ cæteris animantibus; quæ certe verba indicant ſerpentem unum fuiſſe ex terræ animantibus; alioqui recte non fuiſſet inſtituta comparatio: dum enim Aquila dicitur velociſſima omnium volatilium, & Leo fortiſſimus beſtiarum, aperte ſignificatur hæc eſſe inter animantia computanda.

II. Pœna, quæ inflicta fuit ſerpenti eum verum & naturalem fuiſſe ſerpentem indigitat. Cum enim Eva admiſſam a ſe culpam excuſare niteretur, dicens, *Serpens decepit me*; continuo Deus ad ſerpentem converſus, ait: *Quia feciſti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & beſtias terræ: ſuper pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.*

His in confirmationem poteſt adjungi de vero illo ſerpente conſtans & perennis traditio a Majoribus accepta, quæ etiam apud Ethnicos invaluit; illi enim in ſuis Orgiis, ſerpentes cum inclamatione nominis *Evæ* jungebant. Id annotat Demoſthenes orat. pro Coro, ubi alacriter perſtringit Æſchinem Bacchi ſacris miniſtrantem, quod *ſerpentes, quos parias vocant, allidens, & ſupra caput efferens, & clamitans Evæ ſabæ ... mercedem pro iſtis muneribus capiebat*. Ad quæ verba, ut puto, digitum intendens S. Clemens Alex. ait, *Dionyſium Menolem Orgiis Bacchi celebrant ... coronati ſerpentibus ululantes Evam, Evam illam per quam error eſt conſecutus, & ſignum Bacchicorum Orgiorum ſerpens myſteriis inſtructus*. Ad idem alludebat Catullus ſcribens,

Eva bacchantes, Evæ capita inflectentes,
Pars ſeſe tortis ſerpentibus injungebant,
Pars obſcura cavis.

Quibus patet bacchantes illos in ſuis Orgiis, Evam ſimul cum ſerpente non abs re junxiſſe; quod ſimul univerſo humano generi exitium intulerint.

Ex his itaque efficitur verum ac naturalem fuiſſe ſerpentem illum, quo, velut organo, abuſus eſt Dæmon, ut Evam deciperet.

At, inquies, Serpens rationis expers, nihil peccare potuit; igitur non debuit a Deo maledictione fulminari, nec pœnas dare. *Deinde*, etſi non inſerviſſet Dæmoni ad decipendos primos parentes, non minus repraſſet, & terram comediſſet; erat enim unum ex reptilibus creatis; proindeque repere non fuit ei pœna, ſed natura.

f Homil. 17. in Geneſ.

Ad I. Reſpondet S. Chryſoſtomus f, quod cum ſerpens corpus & linguam Dæmoni accommodaſſet ad maleficium, jure merito eum fuiſſe cum illo maledictione fulminatum. Neque enim inſuetum eſt, aut injuſtum ſimul cum auctoribus ſcelerum, organa deteſtari & punire. Sic Pater execratur & confringit gladium, quo filius ejus trucidatus eſt: ſic Judex falſarium damnat cum ſuo calamo, quo falſa ſcripſerat, ſic: *Levit.* 20 lex jubet exuri beſtiam cum ſcelerato homine, qui illam inierat. Sic Deus reproborum corpora æternis flammis adjudicabit, quod fuerint animarum organa in criminibus perpetrandis.

g Quæſt. 34.

Itaque non immerito maledictione feritur ſerpens Dæmonis organum, nimirum ait Theodoretus g, ut Diabolo continuum ſit in opprobrium, & nobis ſerpentes repere videntibus, in aſſiduam antiquæ prævaricationis recordationem.

Ad II. Reponit Theodoretus mox laudatus, Deum non ſpoliaſſe ſerpentem naturalibus proprietatibus: ſed quæ ipſi naturalia erant, ſicut primis parentibus, in pœnam deſtinaſſe. Etenim primos parentes conſtituerat Deus in Paradiſo, ut operarentur, & cuſtodirent illum: ac propterea, licet non peccaſſent, non minus fuiſſent operibus dediti: ſed labor, qui ante peccatum jucundus erat, & delicioſus, poſt pecca-

tum in pœnam injunctus eſt: idem dicendum de ſerpentis reptatu.

a Lib. 1. antiquit.
b Homil. de paradiſo.
c Homil. 6.

Sunt tamen qui cum Joſepho [a], S. Baſilio [b], Severiano Gabal. [c] exiſtimant ſerpentem ante fuiſſe pedibus præditum, his vero a Deo privatum, quod Dæmonis fuiſſet organum.

d Lib. 2. c. 4.

Docet etiam Plinius [d], viſos ſibi ſerpentes anſerinis pedibus, quinetiam aliqui ſunt alati, ut Dracones, & illi qui dicuntur *jacula*, quod inſtar ſagittæ in homines irruant, eoſque traiiciant. Unde Lucanus [e] referens varia ſerpentum genera, qui victi Pompeii milites Duce Catone per deſerta fugientes, invaſerant, inter cætera ſcribit

e Lib. 9. Pharſal.

Ecce procul ſævus ſterilis ſub robore trunci,
Torſit & immiſit, jaculum vocat Africa ſerpens;
Perque caput Pauli, tranſactaque tempora fugit, &c.

Igitur non omnes ſerpentes reptant, ſed illa forte duntaxat ſpecies, cujus uno abuſus eſt Dæmon, ut mulierem aggrederetur.

Hic tamen obſervandum eſt, non omnia Dei ſerpentem alloquentis verba, ad ſolum naturalem eſſe directa; ſed quædam potiſſimum ſpectare tentatorem; ut docet S. Aug. [f] illa præſertim quibus Deus ait: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem; inter ſemen tuum, & ſemen illius*: ubi per *ſemen Diaboli*, intelligendi ſunt, non ſolum perverſi homines, Dæmonum organa, de quibus dicebat Chriſtus, *Vos ex patre Diabolo eſtis, & deſideria Patris veſtri vultis perficere*: ſed etiam alios lapſos Angelos, qui illius tentatoris perduellionem ſunt ſecuti: ſicut per *ſemen mulieris*, non omnes intelligendi veniunt homines, ſed Chriſtus D. qui in hoc apparuit, ut diſſolveret opera Diaboli.

f Lib. 11. de Gen. ad litt. Joann. 8. v. 44.

At, *inques*, veriſimile non eſt, Evam cum vero ſerpente colloquium inire voluiſſe; hic enim præſentia ſua pavorem, & terrorem hominibus incutit; adeo ut Moſes, tametſi divina ſapientia, & gratia illuſtratus, videns virgam ſuam in ſerpentem converſam, tremens ac timens fugerit.

Reſpondeo, idcirco Evam non exhorruiſſe præſentiam ſerpentis ſecum loquentis, quod in ſtatu innocentiæ, animalia hominibus non eſſent noxia; ſed eorum voluntati, & imperio in omnibus parerent. Unde Eva ſerpentem, ſicut cætera animalia quaſi domeſtica habebat. Addit S. Baſilius, *Serpens tum non erat horrendus, ſed mitis ac manſuetus; nec terribiliter in telluris ſuperficie veluti natans reptabat, ſed ſublimis & erectus, pedibus inſiſtens gradiebatur*. Deinde exiſtimabat mulier bonum aliquod genium in ſerpente latere, qui ſibi fauſta denunciaret, & provocaret: itaque nulla ipſi fuit cauſa horroris, & fugæ.

Inſtabis, Cum Eva, ſicut & Adamus, fuerit in ſua formatione, divina ſcientia illuſtrata, qui fieri potuit ut illa non hæſerit attonita, dum loquentem ſerpentem audivit? Neque enim ignorabat id eſſe contra naturam, ut brutum animal loqueretur.

Hanc difficultatem ut præverteret Joſephus, dicit ſerpentem initio humana voce fuiſſe præditum: *Sed Deus*, inquit *ei vocem ademit, iratus ob malitiam, qua erga Adamum uſus eſt, venenumque linguæ ejus indidit*. Ei præluſit Plato in polytico ſcribens, *Sæculo aureo cum rerum potiretur Saturnus, homines etiam cum beſtiis colloquia miſcuiſſe*. Verum hæc paganica, & poetica figmenta redolent, & indigna prorſus quæ a viris cordatis proferantur.

Ut autem hunc nodum ſolvat Abarbanel, dicit nec ſerpentem cum Eva, nec Evam cum ſerpente revera ſermonem feciſſe: ſed mulierem ſerpentis exemplo inductam, ut fructum vetitum decerperet, & ederet. Supponit enim Evam vidiſſe ſerpentem ſemel, & iterum arborem ſcientiæ boni & mali aſcendiſſe, & decerptum fructum comediſſe; cumque nihil inde mali eſſet paſſus, judicavit mulier, ſibi pariter nihil inde mali futurum, ſi fructum illum decerperet & comederet: idque perinde fuiſſe, ac ſi mulieri dixiſſet ſerpens, *cur præcepit vobis Deus &c.* quæ hoc tertio Geneſis capite mulieri locutus ſcribitur.

Verum hæc omnino abludunt a veritate & ſinceritate hiſtoriæ, in qua Moſes refert quæ geſta ſunt, ea ſerie qua fuerunt peracta.

Deinde, ſi ſerpens non fuerit locutus cum muliere, nec illius deceptionis fuerit inſtrumentum, cur punitus eſt, & a Deo maledictus?

Reponit Abarbanel, illum idcirco punitum, quod graminibus, & herbis, ſibi, ſicut & aliis beſtiis, in cibum a Deo conceſſis non contentus, pro callido ſuo genio arborem aſcenderit, ut fructum decerperet, & ederet: quod ne fieret in poſterum, injunctum ei eſt in pœnam, ut ſuper pectus gradiatur, & terram comedat.

At reſponſio hæc purum putum eſt, & Rabinicum commentum nullo Scripturæ ſacræ textu firmatum; nec proinde admittendum.

Itaque veroſimilius dicendum exiſtimo, quod etſi maxima cum judicii rectitudine, rerumque cognitione creata fuerit Eva; eam tamen non accepiſſe illam ſcientiæ plenitudinem quæ perfectam de rebus ſingulis, & individuis notitiam includeret: hanc enim ſi habuiſſet, errori, & ſeductioni non fuiſſet obnoxia; neque Deo dixiſſet, *ſerpens decepit me*.

Quod ſi dixeris ignorantiam eſſe animæ vitium, quod non minus innocentiæ ſtatui repugnabat, quam corporis dolores, & morbi.

Reſpondebo, duplicem diſtinguendam eſſe ignorantiam, alteram *puræ negationis*, alteram *pravæ diſpoſitionis*, qua falſa pro veris, & vera pro falſis approbantur. Hæc ſtatui innocentiæ repugnabat; non autem illa; ſi enim ille ſtatus perſeveraſſet, plura potuiſſent homines ignorare, quæ ſucceſſu temporis per experientiam habuiſſent comperta. Potuit ergo Eva hanc habuiſſe ignorantiam, quæ potius mentis inapplicatio-

nem,

nem, quam ſolidum judicium denotat; attendit itaque duntaxat ad verba loquentis, non inquirendo quis, & quomodo loqueretur.

His accedit quod priuſquam mulier a Dæmone tentaretur, jam a ſua rectitudine per inordinatum amorem ſui, & nimiam in ſuis præcellentiis complacentiam deflexerat, ut egregie docet S. Auguſtinus: *In occulto autem* (inquit de Adamo & Eva) *mali eſſe cœperunt, ut in aperto in inobedientiam laberentur: non enim ad malum opus pervenirent, niſi præceſſiſſet mala voluntas, Porro malæ voluntatis initium quod potuit eſſe, niſi ſuperbia? initium enim omnis peccati ſuperbia eſt. Quid autem eſt ſuperbia, niſi perverſæ celſitudinis appetitus? perverſa enim celſitudo eſt, deſerto eo cui debet animus inhærere principio, ſibi quodammodo fieri, atque eſſe principium. hoc fit cum ſibi nimis placet.*

Petes I. Cur Moſes hominis tentationem, & expugnationem potius in ſerpentem, quam in Dæmonem refuderit.

Reſpondeo, Moſi quidem notum fuiſſe, Dæmonem præcipuum illius tentationis auctorem; ſed cum rudiori populo ſcriberet, & ad Idololatriam proclivi, etiam ſermonem ſuum accommodavit ad popularem Iſraelitarum captum: quamobrem abſtinuit a nominando Dæmone, ne forte inde Iſraelitæ occaſionem captarent, Dæmonis veluti Numinis alicujus venerandi: quemadmodum deinde contigit Manichæis, qui ex hac Moſis narratione occaſionem ſumpſerunt ſtatuendi duo rerum principia, alterum bonum, malum alterum; nec non & fingendi, Dæmonem Deo non ſubeſſe, quod, inquiebant, eo invito, ſtruxiſſet homini inſidias: ſicque non ſolum homine, ſed & ipſo Deo fuiſſet ſuperior.

Petes II. Cur Deus permiſerit hominem tentari, quem prævidebat lapſurum?

a Lib. 40. de Geneſ ad litt. cap. 4. *Reſpondet* S. Auguſtinus a: *Altitudinem quidem conſilii ejus penetrare non poſſum, & longe ſupra vires meas hoc eſſe confiteor.* Addit tamen quantum Deus donat ſapere vel ſinit dicere, illum hanc tentationem permiſiſſe triplici de cauſa: I. Ad comprimendam hominis ſuperbiam: *Nec arbitrandum eſt* (inquit cap. 5.) *quod eſſet hominem dejecturus iſte tentator, niſi præceſſiſſet in anima hominis quædam elatio comprimenda, ut per humiliationem peccati, quam de ſe falſo præſumpſerit, diſceret.*

b Lib. 11. de Geneſ ad litt. c. 30. Idem de muliere docet b: *Quomodo*, inquit, *his ſerpentis verbis crederet mulier a bona, atque utili de re divinitus ſe fuiſſe prohibitos, niſi jam ineſſet menti amor ille propriæ poteſtatis, & quædam de ſe ſuperba præſumptio, quæ per illam tentationem fuerat convincenda & humilianda.*

II. Quia ait *cap.* 6. Per tentationem probatur, & exercetur virtus *& eſt palma glorioſior, non conſenſiſſe tentatum, quam non potuiſſe tentari.* Nam ut dixerat *cap.* 4.
,, Non mihi videtur magnæ laudis futurum
,, fuiſſe hominem, ſi propterea poſſet be-
,, ne vivere, quia nemo male vivere ſua-
,, deret, cum & in natura poſſe, & in
,, poteſtate haberet velle non conſentire
,, ſuadenti, adjuvante tamen illo qui ſu-
,, perbis reſiſtit, humilibus autem dat gra-
,, tiam. Cur itaque tentari non ſineret
,, quem conſenſurum eſſe præſciebat, cum
,, id facturus eſſet propria voluntate per
,, culpam, & ordinandus eſſet illius æqui-
,, tate per pœnam &c.

III. Lib. 14. de Civit. Dei cap. 27. tertiam profert rationem, nempe ut Angelorum & hominum libertatem, ac malitiam, & gratiæ ſuæ efficacitatem oſtenderet: *Quis*, ait, *audeat credere, aut dicere, ut neque Angelus, neque homo caderet, in Dei poteſtate non fuiſſe? Sed hoc eorum poteſtati maluit non auferre; atque ita, & quantum malis eorum ſuperbia, & quantum bonis ſua gratia valeret, oſtendere.*

Petes III. Utrum Adamus fidem dederit Serpentis tentatoris verbis?

Reſpondet, S. Auguſtinus ibidem cap. 11.
,, Adamum id nequaquam credidiſſe; nam
,, Apoſtolus, 1. Tim. 2. 14. dicit Adamum
,, non fuiſſe ſeductum, ſed mulierem. Sicut
,, enim Aaron erranti populo ad Idolum
,, fabricandum non conſenſit inductus, ſed
,, ceſſit obſtrictus: nec credibile eſt Salomo-
,, nem errore putaſſe idolis eſſe ſerviendum,
,, ſed blanditiis fœmineis ad illa ſacrilegia
,, fuiſſe compulſum: ita credendum eſt illum
,, virum ſuæ fœminæ, uni unum, hominem
,, homini, conjugem conjugi, ad Dei legem
,, tranſgrediendam, non tanquam verum
,, loquenti credidiſſe ſeductum, ſed ſociali
,, neceſſitudine paruiſſe.... Ille ab unico
,, noluit conſortio dirimi, nec in ſocietate
,, peccati.... & inexpertus divinæ ſeveri-
,, tatis, in eo falli potuit, ut veniale cre-
,, deret eſſe commiſſum..... etſi credendo
,, non ſunt ambo decepti; peccando tamen
,, ambo ſunt capti, & Diaboli laqueis im-
,, plicati. *Ita S. Auguſtinus*. Itaque Ada-
,, mus non peccavit errore, fidem faciendo
,, verbis ſerpentis ſibi ab uxore recitatis;
,, ſed nimia in uxorem complacentia, quam
,, noluit exacerbare, & contriſtare repu-
,, gnando illius voluntati.

Addit Moſes, verſ. 7. *Et aperti ſunt oculi amborum: cumque cognoviſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus &c.*

At, inquies, erant-ne prius cæci? Minime; *Num*, inquit S. Auguſtinus c, *quomodo vidit mulier quia bonum eſt lignum in eſcam, & quia placet oculis ad videndum, & decorum eſt cognoſcere, ſi eorum clauſi erant oculi?* Videbant itaque prius, & ſe nudos eſſe cognoſcebant, ſed ſuæ nuditatis eos non pudebat. *Ante quidem nudi erant* (inquit S. Ambroſius d) *ſed non ſine virtutum integumentis. Nudi erant propter morum ſimplicitatem, & quod amictum fraudis natura neſciret.* Vel, ut ait S. Chryſoſtomus in præfata verba: *Non eſus ex eo ligno oculos eorum aperuit; nam & ante ipſum videbant: ſed quia guſtus ille inobedientiæ erat argumentum, & prævaricatio mandati a Deo traditi; ideo poſtea ablata eſt gloria quæ illos circundabat, quia ſe indignos tali honore fecerunt &c.*

c Lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 31.

d Lib. de Paradiſo. cap. 13.

Alia

Alia igitur fuit nuditas ante, & alia poſt peccatum: illa fuit innocentiæ, ſanctitatis, & gloriæ; hæc fuit turpitudinis & miſeriæ: per peccatum illam amiſerunt, hanc contraxerunt.

Illa in quatuor prærogativis conſiſtebat. 1. In integritate mentis & voluntatis: 2. In pulchritudine corporis & partium. 3. In harmonia appetitus & virium inferiorum cum ipſa mente: 4. In impaſſibilitate corporis. At poſt prævaricationem Adamus & Eva experti ſunt ſe quatuor iſtis nudatos: nam rectitudini mentis & voluntatis ſucceſſit utriuſque depravatio; in corpore fœditas partium genitalium, propter libidinem in eis regnantem; pugna exterioris hominis cum interiori, ſeu ſenſualitatis cum ratione; in corpore tandem paſſiones variæ, tum ab humoribus contrariis, tum ab elementorum impreſſionibus. *Amiſſo illo ſtatu* (inquit S. Aug. lib. xi. de Gen. ad litt. cap. 32.) *corpus eorum duxit morbidam & mortiferam qualitatem, quæ ineſt etiam pecorum carni; ac per hoc etiam eumdem motum, quo fit in pecoribus concumbendi appetitus &c.* Quæ vero, quales, & quantæ Adamo, Evæ, & Serpenti tentatori pœnæ fuerint a Deo inflictæ, fuſe declaravimus in noſtro Scoto Academico, ideo, ab illis hic expendendis ſuperſedeo.

Petes IV. Quandiu Adamus ſteterit in Paradiſo?

Reſpondeo, id prorſus eſſe incertum, cum Spiritus-Sanctus iſtud diſtincte non declaraverit nec per Moſem, nec per alios Scriptores ſacros.

Unde SS. Patres, & ſacri Interpretes diverſas eunt in ſententias; Quidam enim cum SS. Cyrillo, Epiphanio, & Diodoro Tarſenſi, quibus ſubſcribit Moſes Barcæpha, lib. de Paradiſo, qui ſibi adſtipulantes citat Philoxenum, Ephremium, Jacobum Sabugenſem, & alios Syros, exiſtimant Adamum eadem die, qua conditus fuerat, & peccaverat, ejectum fuiſſe de fœlicitate Paradiſi in hanc lacrymarum vallem.

His conſentire videtur S. Irenæus, lib. 5. cap 23. ubi ſcribit Adamum peccaſſe, ac moriendi neceſſitatem incurriſſe ſexta die mundi in qua fuerat conditus; quamobrem ait idcirco Chriſtum Dominum mortem eſſe paſſum die ſexta, quod illa ipſa die Adamus peccaverat. *Manifeſtum eſt*, inquit, *quoniam in illa die mortem ſuſtinuit Dominus obediens patri, in qua mortuus eſt Adam inobediens Deo... Hunc itaque diem, recapitulans in ſemetipſum Dominus, venit ad Paſſionem pridie ante Sabbatum quæ eſt ſexta conditionis dies, in qua homo plaſmatus eſt &c.* Quibus ſignificat hominem conditum fuiſſe die Veneris, & in eodem peccaſſe, ac proinde eodem die quo inductus fuit in Paradiſum, ex eo ejectus eſt; alioqui in eo per octo dies ſtetiſſet.

Sunt tamen qui exiſtimant, Adamum per aliquot dies in paradiſo hæſiſſe, hac nixi ratione, quod quæ de eo feruntur, non potuerint unico die perfici, nimirum. 1. Illius formatio, & in paradiſum traductio. 2. Cunctorum animalium coram ſe convocatorum inquiſitio, & nominum impoſitio. 3. Illius ſopor, & Evæ ex deducta ab eo coſta formatio, atque initum cum ea connubium. 4. Permiſſio edendi fructus ex omni ligno paradiſi, ſolo interdicto fructu arboris ſcientiæ boni & mali 5. Serpentis tentatio, & Evæ cum eo colloquium. 6. Adami per Evam ad eſum fructus vetiti invitatio, & perſuaſio, quæ vix paucis verbis, & momentis fieri potuit &c. Hæc, inquam, omnia peragi debuiſſent intra octo circiter horas; etenim ad auram poſt meridiem, hoc eſt, circa horam tertiam apparuit illis Dominus, ſententiamque in prævaricatores tulit. Quamobrem exiſtimarem ego Adamum per octo dies in paradiſo ſteriſſe, & recurrente die ſexto, ab eo fuiſſe dejectum.

Cum hoc tertium caput claudat Moſes his verbis: *Ejecitque Adam* (e Paradiſo) *& collocavit ante Paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque verſatilem ad cuſtodiendum viam ligni vitæ:* Quæritur quis fuerit ille Cherubim? quiſve gladius flammeus?

Reſpondeo, omiſſis variis vocis *Cherubim* derivationibus & ethymologiis, quas refert Auguſtus Pfeifferus centur. 1. loco 10 eo nomine ſignificari, non Dæmonem aliquem divinæ juſtitiæ lictorem, ut nonnulli putant; quippe cum Scriptura illuſtri Cherubinorum titulo nullibi Dæmones cohoneſtet: ſed bonum aliquem Angelum cuſtodiæ Paradiſi præfectum, qui flammis fulgureis, ſeu igneo gladio, hinc inde vibrato hominibus terrorem incuteret, eoſque ab ingreſſu Paradiſi in perpetuum arceret; bonos enim Angelos gladio armatos ſæpiſſime hominibus apparuiſſe conſtat. *Num.* 23. v. 22. *Joſue*, 6. v. 13. lib. *Paralip.* 21. v. 16. &c. Quæ vero fuerit illius Cherubini forma? humana, an leonina, aut Vitulina, ſeu Aquilina, quales erant illi quos conſpexit Ezechiel, *cap.* 1. cum Moſes non explicet, temerarium eſſet definire.

Non improbabile tamen exiſtimo Cherubinum illum humana quidem forma, eaque terrifica fuiſſe conſpectum; gladius enim convenientius humana manu, quam belluinis unguibus tractari ſolet.

Quis vero fuerit ille flammeus gladius? Multi multa opinantur. Tertullianus, & S. Thomas putant fuiſſe Zonam torridam ob nimium æſtum inhabitabilem, & inacceſſam. Verum ejus regiones pleraſque habitabiles eſſe, & ſatis amœnas, ac temperatas teſtantur ii omnes, qui de rebus Indicis ſcripſerunt, eaſque regiones luſtrarunt.

Lyranus, & Toſtatus in hoc capite arbitrantur eſſe ignem undique paradiſum ambientem. Grotius per flammantem gladium, perpetuos ignes intelligit & cavernas bitumine ac ſulphure ſtagnantes, quales in Babylonicis campis, aliiſque locis Scriptores produnt. At Moſis narrationi, & textus ſinceritati magis congruit aſſerere, gladium illum flammantem fuiſſe enſem, fulminis inſtar, ignem undique ejaculantem, & in ipſo paradiſi aditu ab Angelo diu noctuque vibratum, quo hominibus ſpem illuc impoſterum intrandi penitus adimeret.

DISQUI-

DISQUISITIONES IN CAPUT QUARTUM.

HOc in capite incipit Moſes recenſere humani generis propagationem, atque primorum Adami filiorum nativitatem, indolem, & geſta: illudque auſpicatur his verbis: *Adam vero cognovit uxorem ſuam Evam &c.* Cognoſcendi autem verbo, potiusquam alio uſus eſt, ad denotandum congreſſum viri cum uxore, multiplici de cauſa. I. Ut rem alioqui turpem & obſcænam honeſte, ac verecunde exprimeret. Quamquam coitus fœditas numeranda ſit inter peccati appendices, quia oritur ex libidinis intemperie.

II. Ex proprietate linguæ Hebraicæ, quæ res pudendas caſtis, & pudicis vocabulis circumloquitur; ac propterea dicitur *lingua Sancta*; quod (inquiunt Judæi) careat vocibus, quæ coitus, & partium genitalium fœditatem exprimant.

III. Ut ſignificaret eos non coiiſſe ex impetu prurientis libidinis, & cauſa percipiendæ veſanæ voluptatis; ſed ut parerent mandato Dei, qui eis ad imaginem ſuam formatis dixerat Geneſ. I. verſ. 28 *Creſcite, & multiplicamini &c.* cujus utique divini mandati memor Adamus, cum aliunde noſſet Evam ſibi ad humani generis propagationem in adjutorium a Deo conceſſam, cum ea rem habuit, ut Deo obſequeretur.

QUÆRITUR AUTEM I.

Cum hoc divinum mandatum ante ſuam prævaricationem acceperint, cur illico iſti non paruerunt?

a *Lib. 9. de Geneſi ad litt. c. 4.*

REſpondet S. Auguſtinus [a], idcirco eos non coiiſſe in paradiſo: ,, Quia, *inquit*, mox creata muliere, priuſquam coirent, facta eſt illa tranſgreſſio, cujus merito in mortem deſtinati, & de loco illius fœlicitatis exierunt. Non enim Scriptura tempus expreſſit, quantum interfuerit inter eos factos, & ex eis natum Cain. Poteſt etiam dici, quia nondum Deus juſſerat ut coirent. Cur enim non ad hanc rem divina expectaretur auctoritas, ubi nulla concupiſcentia tanquam ſtimulus inobedientis carnis urgebat?

Nihilominus citra dubium eſt, quod ſi perſeveraſſet fœlix ille innocentiæ ſtatus, etiam in ipſo paradiſo; non ſolum Adamum cum Eva, ſed etiam ejus poſteros cum ſuis uxoribus fuiſſe coituros, ut egregie docet S. Auguſtinus [b]. ,, Quiſquis autem dicit non fuiſſe coituros, nec generaturos, niſi peccaſſent; quid dicit, niſi propter numeroſitatem Sanctorum neceſſarium hominis fuiſſe peccatum? Si enim non peccando ſoli remanerent, quia ſicut putant, niſi peccaſſent, generare non poſſent; profecto, ut non ſoli duo juſti homines poſſent eſſe; ſed multi, neceſſarium peccatum fuit. Quod ſi credere abſurdum eſt; illud potius eſt credendum, quod Sanctorum numerus; quantus complendæ illi ſufficit beatiſſimæ civitati, tantus exſtaret, & ſi nemo peccaſſet, quantus nunc per Dei gratiam de multitudine colligitur peccatorum, quouſque filii hujus ſæculi generant, & generantur. Et ideo illæ nuptiæ dignæ fœlicitate paradiſi, ſi peccatum non fuiſſet, & diligendam prolem gignerent, & pudendam libidinem non haberent: *Inde concludit initio cap.* 24. Seminaret igitur prolem vir, ſuſciperet fœmina genitalibus membris, quando id opus eſſet, & quantum opus eſſet, voluntate motis, non libidine concitatis.

b *Lib. 14. de Civitat. c. 23.*

Itaque certum eſt primos parentes, quandiu ſteterunt in Paradiſo, virgines permanſiſſe; quod egregie declarat S. Chryſoſtomus, *homil.* 18. *in Geneſ.* ,, Poſt inobedientiam, *inquit*, poſt Paradiſi amiſſionem, tunc primum uſus rei venereæ cæpit. Ante inobedientiam enim Angelicam vitam imitabantur, & nullus de re venerea ſermo erat. Qui enim potuit? cum neque corporalibus neceſſitatibus obnoxii fuerint? itaque ab initio virginitas palmam principatus accepit: ſed poſtquam per deſidiam intravit inobedientia, & aditus patefactus eſt peccato, illa quidem avolavit, utpote ab his qui indigni tantæ virtutis magnitudine facti erant, ſubintravit autem rei venereæ lex.

Ipſi prævenerat Tertullianus, qui demonſtrans nomen *mulieris* etiam poſſe competere Virgini, ait *de Eva*: *Fœmina illa ſtatim mulier eſt cognominata, adhuc felix, adhuc digna Paradiſo, adhuc virgo.* Quibus ſignificat illam paradiſi incolatu fuiſſe indignam, ſi procreandis liberis operam dediſſet; quod non approbo.

Succenturiatur etiam S. Hieronymus, lib. I. contra Jovinianum ſcribens: *De Adamo quidem & Eva illud dicendum, quod ante offenſam, in Paradiſo virgines fuerint; poſt peccatum autem, & extra Paradiſum nuptiæ.*

Hinc apparet quantum delirent Judæi, qui, referente Paulo Fagio ad hoc Geneſis caput, fabulantur quod ante prævaricationem, & ejectionem Adami & Evæ de Paradiſo, & ſtatim atque Eva ad Adamum

fuit

fuit adducta, eam fuiſſe ab illo cognitam, & primo congreſſu multos concepiſſe, & edidiſſe filios; unde illis vulgare, *bini aſcenderunt lectum, & ſeptem deſcenderunt.*

Sed hoc figmentum confutatur ipſa Moſaica narratione, ex qua manifeſtum fit Cainum fuiſſe Proto-parentum primogenitum: Abelem vero ſecundogenitum. Idque confirmatur ex ethymologia nominis *Cain* petita ex Evæ verbis quæ nato Caino exultans, & gratulabunda dixit, *poſſedi hominem per Deum*: vox enim *Cain* derivatur a verbo *Kana*, quod poſſidere ſeu acquirere ſignificat, unde Cain dictus eſt quaſi acquiſitus, vel in poſſeſſionem datus; quod certe non dixiſſet Eva, ſi alios ante Cainum filios poſſediſſet; in illos enim, potiuſquam in ipſum nomen iſtud quadraſſet.

Petes, Cur Eva primogenitum ſuum appellaverit *Cain?* ſecundum vero natu *Abelem?* Dixit enim Eva, *poſſedi hominem per Deum*, ut cum S. Hieronymo fert editio Vulgata: aut ut exponunt alii, *a Domino*; vel *cum Domino*, vel *per Dominum*; cujus expoſitionis diverſitas oritur a voculis Hebræis יהוה את, *eth Jehova*, quæ ſignificant vel *a*, vel *per*, vel *cum Domino*. At variæ expoſitiones illæ in idem tendunt; nimirum ut aperiant Evæ mentem, quæ dum ſibi gratulatur de nato filio, eum tanquam ſuæ fœcunditatis primitias Deo obtulit. Noverat quippe propter ſuam in Deum perduellionem, ſe non minus dignam quæ mulctaretur ſterilitate, quam vitæ calamitatibus, & interitu; quamobrem natam ſobolem, ſingulari Dei beneficio acceptam refert, dicens: *Poſſedi hominem per Deum*; *ac ſi diceret*, ait S. Chryſoſtomus, *non natura puerulum mihi dedit, ſed divina gratia*: Adeo ut qui ſolus me-ipſam, maritumque meum effingere dignatus eſt, nos in propagando humano genere, ex infinita ſua bonitate & miſericordia, cooperatores adſcribere voluerit. Non etiam abludit a genuino ſenſu Rabbi Salomonis expoſitio, qui præfata Evæ verba ſic reddit: *Poſſedi hominem, ut ſit coram Domino*: Hoc eſt, filius iſte loco noſtri, debitum Deo cultum impendet; ut cum vita fuerimus functi, noſtri vice colat Creatorem.

Non ſunt vero audiendi qui cum Fagio; Forſtero, & Iſidoro Clario vertunt, *poſſedi virum Dominum*; ac ſi putaſſet Eva ſe jam habere promiſſum illud benedictum ſemen, quod erat contriturum ſerpentis caput; & futurum hominum reparatorem ac redemptorem; ita quod illa errore decepta tribuerit Caino, quæ de venturo Meſſia fuerant prænunſiata.

Hæc, inquam, expoſitio non eſt admittenda; I. Quia abludit a genuino Scripturæ textu, qui habet particulam *eth Jehova*, id eſt, *cum Deo*. II. Meſſias futurus promittitur oriundus tantum ex ſemine mulieris, *Geneſ.* 3. 15. At Cainus formatus eſt etiam ex ſemine viri. III. Inſulſum prorſus eſt exiſtimare Evam adeo craſſa, & ſtupida ignorantia laboraſſe, ut Sacro-Sanctum *Jehovæ* nomen ſoli Deo proprium, voluerit tribuere filio, quem cernebat miſeriis & calamitatibus refertum, & in quo ne leve quidem divinitatis ſignum effulgere cernebat; ſtandum igitur in prima expoſitione Sacro Textui magis conſona.

Poſſet tamen adiici quod cum Eva memoria teneret, celebrem ſibi factam a Deo promiſſionem de naſcituro ex ejus poſteris Meſſia, videndo ſe enixam filium, in ea ſpe fuiſſe confirmatam, & præ gaudio dixiſſe: *Poſſedi virum Dominum*, hoc eſt, fide jam teneo, ac poſſideo Meſſiam certiſſime ex meis poſteris naſciturum: in cujus fidei monumentum perpetuum, volo ut primus hic filius meus appelletur *Cain*, ſeu *Dominus poſſeſſio mea*.

Altero partu editum ſecundum filium appellavit *Abel*: quæ vox, teſtibus Origene, tract. 20. in Matth. S. Hieronymo, de nominibus Hebraicis; & Theodoreto, quæſt. 59. *Luctum* ſignificat; perinde ac ſi Eva jam futurorum præſcia, in proſpectu haberet mortem ipſius Abelis, a Caino fratricida, cruenta cæde perimendi.

Petes, Quo jure Eva filiis ſuis nomen impoſuerit? nam *imponere nomen, dominii ſignum eſt*, ait S. Chryſoſtomus: unde *Geneſ.* 2. v. 20. & *cap.* 3. 20. jus hoc ſoli Adamo videtur acquiſitum.

Reſpondeo, quod cum liberi ſint utriuſque parentis, nec minus a matre quam a patre pendeant; imo plus debeant matri, quæ illos per novem menſes in utero formavit, enutrivit, & in lucem editos lactavit; idcirco jam olim id factum videmus, ut plerumque matres filiis nomen imponant. Adde quod Adamus videns uxoris in partu anguſtias, & dolores, hoc illi in mœroris lenimentum concedere potuit, ut ſola filiis nomina inderet.

Quo autem mundi conditi anno geniti ſint illi duo fratres, cum Moſes non referat, certo definiri nequit. Narrat quidem auctor Hiſtoriæ Scholaſticæ, *cap.* 25. Methodio Martyri propter fidei confeſſionem in carcere vinculis conſtricto fuiſſe divinitus revelatum, Adamum & Evam fuiſſe virgines e Paradiſo ejectos, & per quindecim annos abſtinuiſſe copula carnali, ſuam in Deum perduellionem, & tantorum bonorum jacturam aſſidue deplorantes: anno autem decimo-quinto genuiſſe Cain, & ſororem ejus nomine Carmanam. Deinde vero quindecim annis exactis, genuiſſe Abelem, & ſororem ejus Delboram.

Verum his adduci non poſſum, ut credam primos illos parentes, ætate matura, & ad generandum idonea creatos, & memores illius divini mandati: *Creſcite, & multiplicamini &c.* tanto tempore a multiplicando humano genere abſtinuiſſe; maxime cum naturalis prolis deſiderio tenerentur, viſque concupiſcentiæ carnalis poſt peccatum in illis plurimum efferveſceret. Neque propoſito & inſtituto agendæ pœnitentiæ adverſabatur ipſa prolis generatio, cum res eſſet per ſe honeſta, & a Deo præcepta; atque ad humani generis propagationem in ipſo mundi exordio pernecesſaria.

QUÆ-

QUÆRITUR II.

Cui-nam operæ addicti fuerunt Cain & Abel?

ID manifeſte indicat Moſes, ſcribens: *Fuit autem Abel paſtor ovium, & Cain agricola*. Hoc autem utrumque munus per ſe laudabile eſt, honeſtum, & operantium moribus accommodatum. Terræ enim cultura a Deo mandata erat; nam creatum Adamum Deus poſuit in Paradiſo, *ut operaretur & cuſtodiret illum*. Paſcendi autem pecoris cura non minus eſt utilis, & divinæ ordinationi conſentanea; ſiquidem Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam effinxit, ut præeſſet beſtiis, *Geneſ.* 1. *v.* 26. iis maxime quæ ex nativa lenitate obſequiores erant, & humanæ vitæ ſublevandis neceſſitatibus aptiores, quales ſunt oves, quæ & ſuis velleribus, & lacte, & carne ſua hominibus operiendis & nutriendis plurimum inſerviunt. Itaque ambo illi fratres ſe exercuerunt in operibus a Deo probatis, & ad communem humanæ vitæ uſum neceſſariis.

Veriſimile autem eſt diverſa hæc munia fuiſſe eis ab Adamo parente conſignata & præcepta, ſecundum utriuſque indolem & genium. Cum enim noſſet Adamus Caini animum ferocem eſſe, agreſtem, & ſuperbum, cenſuit eum eſſe terræ cultura frænandum ac domandum. Cum autem videret Abelem lenioris eſſe genii, & pietati ac rerum cœleſtium contemplationi imprimis deditum, ad quod opportunum erat paſtorale munus, hoc illi impoſuit, quo liberius divinis meditationibus operam daret. Opiliones enim cum in ſolitudine aſſidue verſentur, & ab hominum contubernio, ac negotiorum tumultu ſejuncti ſint, facilius a terrenis ad Cœleſtia promoventur, & Dei ejuſque beneficiorum memores, divino cultui ſeſe totos facilius mancipant.

Ex eodem præfato Geneſis textu Præ-Adamitarum fictor a nititur confirmare ſuum de hominibus longe ante Adamum formatis ridiculum ſyſtema; expendens enim hæc verba, *fuit Cainus agricola*, ſcribit, „ Qui di-
„ cit aratoriam artem, multas alias ſuppo-
„ nit artes: & qui dicit agricolam, innu-
„ meros fere præſupponit artifices. At ſi
„ nulli præter Cainum agricolam fuere tunc
„ temporis artifices: maximus ſane fuit ar-
„ delio Cainus. Ergo ſibi ſolus fodit fer-
„ rarias; fornaces excitavit; ſibi incudem
„ & malleos fabricavit, & alia ferramen-
„ ta, quibus vomerem cuderet & procude-
„ ret; ſecures ſibi acuit, quibus cæſæ ar-
„ bores formas acciperent, vel aratri, vel
„ roſtri, vel plauſtri, vel cætera id genus.
„ Tum ſibi ex farre, quod meſſuerat, pa-
„ nem, ut credibile eſt, confecit: ſibi ſo-
„ lus ergo cavavit lapidicinas Cainus, un-
„ de molas erueret: vel ſi tunc temporis
„ nullus erat molendinorum uſus, eo de-
„ ductus fuit, ubi ſient nequam homines
„ qui polentam pinſitant, & ſibi piſtrinum
„ conſtruxit, ubi panes torreret. Fuit ergo
„ Cainus, ſolus arator, meſſor, & piſtor:
„ eas ergo Cainus artes ſolus exercuit, ad
„ quas innumeri pene, & ſervi, & arti-
„ fices requirebantur: quæ non niſi longa
„ meditatione & longiſſimo uſu reperiri
„ potuerunt.

„ Adiicit vero de Abele, ſcriptum eſt
„ eum fuiſſe paſtorem ovium. Ac qui pa-
„ ſtor ovium, idem eſt qui cuſtos ovium.
„ Paſcebat & cuſtodiebat Abelus oves ſuas,
„ Sed quare cuſtodiebat illas Abelus? quos
„ fures timere debuerat, præter patrem,
„ matrem, & fratrem, ſi nulli præterea
„ fuiſſent in terris? lupis autem, & feris
„ rapacibus quæ gregem ſuum invaſiſſent,
„ plus Abelo ipſi, quam ovibus ſuis, timen-
„ mendum fuiſſet &c. Ex quibus conclu-
„ dit neceſſario admittendos eſſe alios ho-
„ mines, ab Adami progenie diſtinctos, qui
„ hæc neceſſaria ſubminiſtrarent.

Verum impenſe deſipit, cum enim Adamus ſupra mortales omnes, dempto Salvatore Chriſto Domino, perfectiſſimam ſcientiarum & artium omnium notitiam obtinuerit, earum maxime quæ ad ſuſtentationem vitæ & infirmitatis humanæ levamen ſpectabant, potuit iſta filios ſuos docere, ut ſibi ſuiſque conſulerent. Deinde falſo ſupponit Peyrerius Adamum & Evam nullos alios præter Cainum & Abelem liberos poſtmodum genuiſſe, qui parentes & fratres in terra excolenda, aliiſque obeundis muniis vitæ humanæ propagandæ neceſſariis adjuvarent. Cum enim Adamus & Eva perfecta & ad generandum valida ætate formati fuiſſent, ad idque ſollicitaret eos, non ſolum humani generis multiplicandi neceſſitas; ſed & plurimum eververſcens concupiſcentia & libidinis pruritus, veroſimile non eſt eos ab opere conjugali tandiu abſtinuiſſe.

Denique quidni Cainus potuiſſet arare, ſerere, metere, & fruges colligere, abſque ullo ferreo inſtrumento, cum videamus Indos, quibus olim nullus uſus erat ferri, terram coluiſſe, & fruges collegiſſe? quinetiam veteres Germaniæ incolæ, referente Tacito, rarum aut nullum ferri uſum habuerunt, qui nihilominus terram excolebant. Potuit itaque Cainus alio inſtrumento, quam ferro, proſcindere terram; & Abel excoriare animalia; nam Galli Cybeles Sacerdotes (referente Juvenali) lapide ſibi genitalia ſecabant, & Judæi cultro lapideo in circumcidendis maſculis utebantur. *Joſue* 5.

Addit Moſes: *Factum eſt autem poſt multos dies, ut offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui*; unde

a *Lib.* 3. *cap.* 4.

QUÆRITUR III.

A quo illi duo fratres hujus divini cultus ritum acceperint?

DUplex hac de re capitalis eſt Auctorum ſententia. *Prima* eorum qui contendunt Cainum & Abelem, cæteroſque homines, qui ante legem per Moſem traditam Deum ſacrificio coluere, id muneris nullo Dei explicato juſſu, ſed pia animi ſui inductione, ut ingenito conſcientiæ dictamine præſtitiſſe. *Alii* vero docent Adamum, ejuſque poſteros non ſuo nutu ac arbitrio; ſed Deo mandante & præcipiente victimas illi obtuliſſe, ut publicum ac commune eſſet ſuæ pietatis, religionis, & gratitudinis monumentum & exercitium, Idque probant

I. Ex Apoſtolo: *Fide plurimam hoſtiam Abel, quam Cain, obtulit Deo per quam teſtimonium conſecutus eſt eſſe juſtus, teſtimonium perhibente muneribus ejus Deo.* Ex hoc enim præclaro teſtimonio colligitur Abelem ex Dei mandato ſacrificium obtuliſſe: nam ait alibi idem Apoſtolus, *fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti.* Cum igitur Abel non niſi fide illuſtrante, ac dictante ſacrificium obtulerit; fides autem Dei verbo & mandato nitatur; argumentum eſt ipſum hoc ſuæ pietati & gratitudinis monumentum ex Dei præcepto & inſtitutione exhibuiſſe. *Accedit* quod virtute hujus oblationis Abel obtinuerit teſtimonium ſuæ juſtitiæ: porro nemo ſuæ juſtificationis teſtimonium poteſt aſſequi, niſi ea præſtando, quæ ad hominum juſtificationem Deus inſtituit, & fieri mandavit.

Deinde tres ob cauſas homines Deo hoſtias immolare cœperunt. I. Ut debitum ejus divinæ Majeſtati cultum & honorem impenderent. II. Ut pro beneficiis acceptis publicas ei referrent grates, & ſe ſuaque ipſi referrent accepta. III. Ut ea oblatione ipſum ſibi redderent propitium, & peccatorum veniam obtinerent. Porro nemo ſcire poteſt quo ritu Deus digne ſit colendus, niſi ipſe declaraverit; ut enim ſolus ipſe novit quantus ſit, ita & ſolus poteſt hominibus præſcribere modum & ritum, quo velit ab eis honorari.

Poſſunt quidem homines ſolo rationis dictamine incitari ad rependendas debitas Deo grates: at quod id exequantur per oblatos fructus, pecudum mactationem, ſanguinis effuſionem, ambuſtas carnes, fumum adipum, aliaque ejuſmodi, niſi divinum mandatum intervenerit, nec Deo, nec rationi videtur conſentaneum. Qua enim fronte auderent homines conceſſam a Deo creaturis tam vegetantibus, quam ſenſitivis vitam adimere, fiducia Deo gratificandi, niſi ad id aggrediendum ab ipſo Supremo rerum moderatore incitarentur?

Ad tertium vero offerendi Sacrificii motivum quod attinet, certum eſt ſolum Deum ſtatuere poſſe media quibus homines rei, in quos ob eorum prævaricationem iraſcitur: in ejus gratiam & benevolentiam poſſint recipi; igitur ab eo pendet Sacrificiorum inſtitutio, quibus & placari, & hominibus reconciliari poteſt. *Accedit* in confirmationem, quod peccati remiſſio, maxime quæ conceditur habito reſpectu ad victimam, peccatoris, loco morientem, a mera Dei & libera voluntate pendeat: igitur oportuit ut Deus mentem ſuam de remittendo peccato, deque acceptanda vita ac morte pecudis, loco hominis peccatoris, revelatione aliqua ſignificarit.

Declarat iſta egregie Euſebius, lib. I. Demonſtrationis Evangelicæ, cap. 10. ubi docet Sacrificiorum oblationem, Deo inſpirante, factam, potiſſimum ad remiſſionem peccatorum. *Hujus rei conſilium*, inquit, *non fortuitum humanituſve ortum judico, ſed divina quadam ratione excogitatum; quandoquidem enim viri pii, Deoque familiares, Spirituque Divino illuminati, magno opus eſſe remedio viderent, ad mortifera peccata expianda; Deo, vitæ, animæque datori* λύτρον, *daudum eſſe judicabant, ſalutis impetrandæ cauſa, & quidem cum animabus ſuis nihil melius & præſtantius quod Deo conſecrarent, haberent, earum loco beſtias immolabant: ita ſcilicet animarum ſuarum vice, alienas animas offerentes.*

Ipſi concinit Rabbi Abarbenel, *præfatione in Levit.* ubi docet Deum peccatorum miſertum, docuiſſe ritum offerendi Sacrificia, ut mortem, quam ſuis criminibus, meruerant, morte victimarum eluerent; *Dignus erat offerens*, inquit, *cujus ſanguis funderetur, corpuſque cremaretur pro peccato ſuo. Deus autem pro clementia ſua, ut ipſi vicariam, & ut* λύτρον *ejus, hanc ab eo accepit hoſtiam, cujus ſanguis effuſus eſt, ſanguis ejus vice, animaque vice animæ ejus.*

Dices fortaſſis, Gentilibus ſua pariter fuiſſe Sacrificia, qui tamen non veri Dei, ſed Dæmonum erant cultores, Habuerunt, fateor, non ab ingenito lumine, ſed a reliquiis traditionis a primis parentibus acceptæ, vel a Dæmonum Dei æmulatorum opera; Satanas enim impudentiſſimus Dei ſimia, ſuis quoque cultoribus talem ſerviendi ſibi rationem ſuggeſſit, qualem a Deo vero populo ſuo præſcriptam eſſe noverat, ut præclare docet Tertullianus. *Ipſas res, ait, de quibus Sacramenta Chriſti adminiſtrantur, æmulanter affectavit* (Diabolus) *exprimere in negotiis Idololatriæ. Tingit enim & ipſe quoſdam, uti credentes & fideles ſuos: celebrat & panis oblationem. Cæterum ſi Numæ Pompilii ſuperſtitiones revolvamus, ſi ſacerdotalia officia, & privilegia, ſi ſacrificalium miniſteria, & inſtrumenta, & vaſa ipſorum ſacrificiorum ac piaculorum, & votorum curioſitates conſideremus, nonne manifeſte Diabolus moroſitatem illam Moſaicæ legis imitatus eſt? Porro inter*

ter

ter alia Sacramenta aulla magis quam Sacrificia Judæorum affectavit.

Obiicies I. Plures SS. Patrum ſententias quibus conſtare viderur Abelem, Noachum, alioſque Parriarchas Moſe vetuſtiores, ſponte ſua ſacrificaſſe; adeoque ſacrificandi ritum, non e præcepto aliquo Divino, & inſtituto, ſed ex arbitrio humano originem duxiſſe. Profert autem imprimis teſtimonium Auctoris Conſtitut. Apoſtolicarum a, qui diſerte ſcribit, *Dei amantem Abelem, & Noe, & Abraham, atque alios deinceps non juſtos, ſed naturali aliquo inſtinctu, & lege motos ſponte ſua, & grato favoris divini ſenſu; victimam Deo obtuliſſe.*

a Lib. 6. c. 20.

Ei ſuccenturiatur S. Juſtinus Martyr, vel quiſquis auctor eſt reſponſionum ad Orthodoxos b. *Si divinitas brutorum victimis non delectata eſt.... quæ cauſa eſt, cur ante legem latam, ipſi Noe, ut victimas ſacrificaret, in mandatis datum ſit, cum præſertim Sacrificia idololatrica nec dum eſſent?* Reſpondet: *Nemo eorum qui bruta ante legem immolavit, id Dei juſſu fecit, quamvis conſtet Deum etiam tum Sacrificium accepiſſe, & acceptatione illa commonſtraſſe ſacrificantem ſibi gratum adveniſſe.*

b Quæſt. 83.

Ipſis roncinit S. Chryſoſtomus c, de Abele loquens: *Nec ab ullo edoctus, nec lege accepta, quæ de primitiis ſtatuebat; ſed magiſtro domeſtico, anima officii conſcia, inſtructus Sacrificium illud offerebat.* Similia habet, homil. 27. in Geneſim de Sacrificio a Noe oblato; *Conſidera*, inquit, *diligenter, chariſſime, ex præſentibus verbis quomodo in natura noſtra Conditor omnium inſevit certam virtutis ſcientiam. Unde enim, dic oro, juſto illi hoc in mentem veniſſet? Nullus erat alius, quem videbat, vel a quo diſcebat. Sed ſicut principio dixi, Abel ille primigenii hominis filius a ſe ipſo commonitus, magna diligentia oblationem perfecit: ſic utique nunc & juſtus ille, ſua voluntate & arbitrio ſano, quantum humanis viribus potuit, cenſuit Domino per ſacrificia gratiarum actionem offerendam.*

c Homil. 12. ad pop.

Valida ſunt quidem in ſperiem hæc teſtimonia:. Verum his occurrere non erit operoſum. Primo quidem cum Auctor ille Conſtiturionum Apoſtolicarum, ſub larvato nomine S. Clementis, omninn incertus ſit, ita ejus teſtimonium levioris eſt ponderis, ut argumentorum noſtrorum gravitatem elevet.

Similis ad Auctorem Quæſtionum nomine S. Juſtini, proferri poteſt reſponſio; ut enim de Auctore non convenit, ita nec de teſtimonii veritate & auctoritate conveniendum eſt.

Ad S. Chryſoſtomum dico, eum quidem in illa fuiſſe ſententia quod Abel, Noe, aliique ante Moſem Patriarchæ ſolius rationis dictamine moti, & excitati ſuerint, ad offerenda Deo ſarrificia; at rationis illius dictamen non ex ſolo naturæ impulſu, ſed ex accepta a majoribus traditione, maxime vero ab Adamo excitatum eſſe veroſimile eſt; ut nimirum filii parrum veſtigiis inſiſtentes, id ſenſerint exequendum, quod, Deo dictante & operante, majores eorum præſtiterant. Ita docet S. Athanaſius d ſcribens: *Quæ enim Moſes docuit, eadem ab Abrahamo obſervata ſunt; quæ porro Abraham cuſtodivit, eadem Noe & Enoch agnoverunt, diſtinguentes munda, & immunda, & gratioſi apud Deum fuerunt. Abel quoque hujus rei teſtis habendus eſt, eorum inſtructus cognitione quæ ab Adamo acceperat; Adam autem magiſterio Dei imbutus fuit.* Quæ apertiſſime noſtram ſententiam confirmant.

d Epiſt. de Nicæna Synodo.

Accedit quod omnia veterum Patriarcharum Sacrificia, præludia fuerunt, & figuræ futuri Chriſti Sacrificii, ut teſtatur Apoſtolus in Epiſtola ad Hebr. Hanc autem præſignandi vim non obtinuiſſent, niſi Deus eorum Sacrificiorum fuiſſet auctor; quis enim hominum Chriſti futuri Sacrificii potuiſſet eſſe præſcius, niſi Deus tevelaſſet? quemadmodum Evæ prædixerat per illius ſemen conterendum eſſe ſerpentis caput.

Inſtabis. Si ſacrificiorum oblatio fuiſſet a Deo inſtituta, & præcepta, Adamum non latuiſſet: at eum inſtitutionem illam non agnoviſſe, argumentum eſt, quod oblata ab eo ſacrificia Scriptura nullibi referat.

Reſpondeo, argumentum hoc negativum eſſe, cujus vis elumbis eſt, & nullius roboris, ac efficacitatis; neque enim ea omnia quæ a Veteris, aut Novi Teſtamenti viris illuſtribus geſta ſunt, in tabulas fuere recepta; quippe cum nec ipſius Chriſti D. miranda opera omnia ſcripto fuerint conſignata, teſte S. Joanne Evangeliſta, cap. 21. *Sunt*, inquit, *& alia multa quæ fecit Jeſus; quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.*

Itaque veroſimillimum eſt ab Adamo plurima quidem oblata fuiſſe ſacrificia, ut debitum Deo cultum impenderet, ipſumque ſibi propitium redderet, & debitas referret grates, ut docet Hugo a S. Victore, Comm. in Geneſin. Idcirco autem Adami ſacrificia non referuntur in Scriptura: quia eorum duntaxat ſacrificia in ſacra Hiſtoria memorantur, in quibus aliquid evenit divinitus mirabile admodum, cujuſmodi cum nihil in Adami ſacrificiis occurrerit, propterea nihil de illis proditum eſt.

Urgebis. Si Sacrificia inſpirante Deo fuiſſent inſtitura & oblata; illa Deus non improbaſſet, nec reſpuiſſet; at ex plurimis Scripturæ S. textibus conſtat Deo ingrata fuiſſe ſacrificia; ſic 1. Reg. cap. 15. v. 22. Samuel, Saulem alloquens ait: *Numquid vult Dominus holocauſta & victimas?* & Pſal. 39. v. 7. *Sacrificium & oblationem noluiſti:* & v. 8. *Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti:* & Jerem. 7. v. 22. *Non ſum locutus cum patribus veſtris, & non præcepi eis de verbo holocauſtorum & victimarum.* Et Michææ, 6. v. 6. *Numquid offeram ei holocauſtomata, & vitulos anniculos? numquid placari poteſt Dominus in millibus arietibus, aut in multis millibus hircorum?* Ex quibus omnibus manifeſtum ſit Deum non approbare ſacrificia ſibi oblata, ac proinde illa non fuiſſe eo auctore inſtituta.

Nego hanc ultimam conſequentiam, & Minorem diſtinguo. Deus improbat omnia ſacrificia ipſi debite & religioſe oblata, nego; aliqua indebito cultu ipſi exhibita, concedo. Sic improbavit ſacrificium a Saule deſtinatum ex ovibus Amalecitarum ſervatis contra mandatum Dei, qui præceperat nedum homines & mulieres; ſed & boves & oves abſque delectu interfici; onde Samuel addidit verbis laudatis: *melior eſt obedientia, quam victimæ &c.* Quo ſenſu cæteri Scripturæ textus ſunt etiam intelligendi, ut apparet ex antecedentibus, & conſequentibus.

Itaque Deus improbat ſacrificia oblata. 1. A peccatoribus, quia *dona iniquorum non probat Altiſſimus*. 2. A tranſgreſſoribus divinæ legis, quia, ut dictum eſt, melior eſt obedientia, quam victimæ. 3. Comparative ad præſtantiora, quo ſenſu improbavit ſacrificia Veteris Legis reſpective ad ſacrificium legis Evangelicæ infinite præſtantius iis omnibus, quæ antea ipſi fuerant oblata, ut egregie docet Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos cap. 8.

Peter II. Quis fuerit Caini & Abelis ſacrificiorum eventus? Declarat id Moſes eodem cap. 4. Geneſis verſ. 4. & 5. ſcribens: *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera ejus, ad Cain vero, & ad munera ejus non reſpexit*. Hoc eſt, Abelis ſacrificia habuit grata, Caini oblationes reſpuit. Cur autem eas reprobaverit? plures proferuntur cauſæ. I. *Quia*, inquit Sapiens, proverb. 19. *dona iniquorum non probat Altiſſimus*. Cainus autem erat peſſimus, ut indicat S. Joannes, epiſtola 1. cap. 3. *Non ſicut Cain, qui ex maligno erat, & occidit fratrem ſuum; & propter quid occidit eum? quoniam opera ejus maligna erant, fratris autem ejus juſta*.

II. Quod exteriori rantum ritu; non autem interno mentis affectu, ſua munera Deo obtulerit. Egit itaque Cain, quod agere ſolent hypocritæ; nempe honorare Deum perfunctorie voluit externis ſacrificiis, ſe autem totum illi dicare minime curavit; perinde ac ſi non magis offerentis cor & animum requireret Deus, quam externa munera. Unde non abs re refert Scriptura, Deum prius reſpexiſſe ad offerentium perſonas, quam ad eorum munera; quia dignitas oblationis pendet ab offerentis affectu.

Tria igitur in oblatione ſua peccavit Cainus.

a Lib. de Cain & Abel cap. 7.

I. Quod, inquit S. Ambroſius a, rarius & tardius id præſtiterit, idque indicat Moſes cum ait, *factum eſt autem poſt multos dies &c.* Sacrificium autem, ait S. Ambroſius, *& celeritate commendatur & gratia*.

II. Quod, ait idem S. Ambroſius, cap. 10. *Primitias ſibi priut vindicare, Deo autem ſequentia deferre voluerit*.

Secus autem egit Abel, nam etſi referatur ſimul ſacrificium cum fratre feciſſe; id tamen antea frequentius ab eo præſtitum indicat Apoſtolus b, dicens: *Fide plurimam hoſtiam Abel, quam Cain, obtulit Deo.* Ac ſi diceret; nedum ampliores & pinguiores, ſed & frequentiores hoſtias immolavit. Unde adſcriptum Abeli quod dixerit: *Sacrum pingue dabo, nec macrum ſacrificabo*. Quæ verba inverſo ordine reſumens Cain ſupponitur, dixiſſe: *Sacrificabo macrum, nec dabo pingue ſacrum*. Quia videlicet minus ſelecta, eaque parca, & non liberali manu obtulit.

b Ad Hebr. 1.

III. Abel obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum: ſimilia vero de Caino non referuntur. „ Conſidera (inquit S. Ambroſius, cap. 10.) quia non „ de inſenſibilibus, ſed de animantibus ob„ tulit. Deinde obtulit non ſecunda, ſed „ prima; non exigua, ſed pinguia: talia „ enim lex probavit, & juſſit offerri.

Peter III. Quo ſigno, & indicio hoc eis manifeſtum fuerit?

Reſpondeo, quod cum Moſes de his taceat, facile non eſt indicare. Exiſtimant quidem nonnulli Judæi, Cainum agnoviſſe Abelis ſacrificium eſſe Deo gratum, ſuum vero ingratum & repudiatum, quod ex incenſo fratris ſacrificio, fumus ſuaviſſimus recta in cœlum aſſurgeret; vapor autem oblatarum & crematarum a ſe frugum retorqueretur in terram, & terrum ſpiraret odorem. At Rabinicum eſt commentum.

Quidam vero Chriſtiani Interpretes opinantur Cainum id fuiſſe ſuſpicatum, ex eo quod animadverteret cuncta fratri advenire proſpere; ſibi vero prorſus infauſte.

At rectius augurari mihi videntur, qui cum *S. Chryſoſtomo*, in epiſt. ad Hebr. *Cyrillo* in Glaphira, *Procopio* in Geneſ. & *S. Hieronymo* in quæſtionibus Hebraicis, aſſerunt Abelis Sacrificium igne cælitus emiſſo fuiſſe conſumptum. Caini vero intactum ſteriſſe. Quod utique confirmat Theodotionis Verſio, qui præfatum textum ſic reddit: *Et inflammavit Dominus ſuper Abel, & ſuper ſacrificium eius: ſuper Cain & ſuper ſacrificium ejus non inflammavit*. Quod autem hoc indicio Deus ſæpiſſime teſtatus fuerit ſe gratum habere oblatum ſibi ſacrificium, apparet ex *Judic.* 2. verſ. 6. *Paralipp.* 7. verſ. 3. *Regum*, 18. &c.

QUÆRITUR IV.

Quæ præcipua fuerint Caini crimina, quæve divina eorum vindicta & mulcta?

RESpondeo, quinque potiſſimum a Moſe indicari: quorum primum ac capitale fuit execranda illius in Deum impietas & irreverentia; quippe cum, ut diximus, non niſi ſpecie tenus, & perfunctorie debitum ei cultum impenderit; nec optima, ut de-

cc-

cebat, ſed abjecta & ſibi minus utilia ſacrificarit: unde non immerito hypocritarum & impiorum omnium dicitur Anteſignanus & Princeps; quippe qui eis ad larvatas virtutes, & Dei deſpectum viam ſtraverit. Quamobrem S. Judas illis imprecatur his verbis; *Væ illis, quia in via Cain abierunt*.

Secundo, dira & acerba in fratrem exarſit ira & invidia, quod fratris oblationibus ſuæ ſuiſſent poſt habitæ: *Iratuſque eſt Cain vehementer, & concidit vultus ejus*. Ubi videre eſt naturam hypocriſis, quæ Dei erga alios benignitate & munificentia irritatur. Dolet vehementer Cainus ſuis ſacrificiis non haberi honorem, idcirco in fratrem furioſe iraſcitur. Tantus vero erat ipſius in fratrem livor, tantaque iracundia, ut eam interius cohibere non valens, externis ſignis prodiderit; ſcilicet oculorum & vultus in terram demiſſione. Cadere enim vultus dicitur, cum quis demiſſo capite cogitabundus & crudelia meditans incedit. Unde David, *Proiicientes me nunc circumdederunt me: oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram*.

Hoc autem animadvertens Deus, eadem, qua erga Adamum prævaricatorem uſus fuerat miſericordia, Cainum conveniens ait: *Quare iratus es? & cur concidit facies tua? nonne ſi bene egeris, recipies: ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum aderit? ſed ſub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius*. Quæ verba expendens Rupertus ait: „ Quia videlicet iratus fuerat „ invidendo, & conciderat facies ejus fratricidium meditando. Ita percunctando „ vocat illum mitis ad miſericordiam, ad „ conſcientiam ſuam, invitat eum ad cor „ ſuum; ut videat ipſe numquid cogitet, „ bonum ſcilicet ſit, an malum. Amplius „ autem ſubjungendo, *nonne ſi bene egeris*, „ *recipies &c.*

Præfata Dei ad Cainum verba ſic reddunt LXX. Interpretes, & cum eis S. Chryſoſtomus, homil. 17. *Quare concidit vultus tuus? nonne ſi recte obtuleris, recte vero non diviſeris, peccaſti? quieſce.* Ac ſi diceret, inquit S. Chryſoſtomus, „ Quare „ tanta detineris triſtitia, ut & in facie „ mœroris magnitudinem oſtendas... Quare non a te ipſo quod oportebat fieri „ conſideraſti? non homini ſacrificium obtuliſti, qui falli poſſit? ignoras quod mihi „ non eſt opus ut aliquid offeratur: ſed ſanam offerentium voluntatem volo.. oportet enim offerentem Deo, in diſcernendo magnam adhibere diligentiam: & quantum differunt qui offert, qui accipit; tanta & in diſcretione facienda diverſitas. „ At nihil horum tu cogitaſti, ſed ut fortuito contigit, obtuliſti: atque idcirco „ non potuerunt eſſe accepta. *Hæc ille*. Vide cætera egregia quæ ſubiicit.

Tertio. Videtur dubitaſſe de Dei providentia, & exiſtimaſſe eum res terrenas non curare, cum ad fratrem ait: *Egrediamur foras*, ut fert Editio Vulgata; vel, ut legit S. Ambroſius, *Eamus in campum;* ut etiam habent Samaritana, & Græca. „ Nam, „ inquit, S. Salvianus, ad perpetrandum „ maximum nefas ſufficere ſibi credidit, ſi „ aſpectus vitaret hominum, fratricidium, „ Deo teſte, facturus; unde puto, quod „ hæc in illo jam tunc opinio fuerit, quæ „ nunc in multis eſt: Deum terreſtria non „ reſpicere, & actus ſceleratorum hominum non videre. Nec dubium eſt, cum „ poſt facinus admiſſum, Dei ſermone conventus; nihil ſe de fratris cæde conſcium „ reſponderit: adeo inſcium facti ſui Deum „ arbitrabatur, ut crederet feraliſſimum nefas tegi poſſe mendacio.

Hebræi Doctores in Thargo, ſeu paraphraſi Hieroſolymitana referunt colloquium Caini cum Abele, his verbis: Dixit Cain ad Abel fratrem: *Veni, & egrediamur foras; cum egreſſi eſſent ambo in agrum, reſpondit Cain; non eſt judicium, nec judex, nec ſæculum aliud, nec merces bona pro juſtis, nec pœna pro impiis; nec Dei miſericordia, creatus eſt mundus; nec Dei providentia regitur, eo quod ſuſcepta eſt oblatio tua cum beneplacito*. Reſpondit Abel, *eſt judicium, eſt judex, eſt ſæculum aliud, eſt merces pro bonis, & pœna pro impiis; miſericordia quoque Dei creatus eſt mundus, & providentia ejus gubernatur; quia vero meliora ſunt opera mea, tuis, ſuſcepta eſt oblatio cum beneplacito, tua autem non eſt ſuſcepta cum beneplacito. Cumque duo iſti contenderent in agro, inſurrexit Cain contra Abelem fratrem ſuum, & occidit eum.*

Hic autem obſervandum eſt verba hæc Caini, *egrediamur foras*, abeſſe a textu Hebræo, quem nunc habemus, ubi legimus quidem: *Locutus eſt Cain ad Abel*, ſed quid dixerit, non exprimitur. *Verum* cum LXX. & Samaritanus Codex verba illa habeant, indicium eſt illa in Hebræo textu olim extitiſſe; alioqui mutila, & imperfecta eſſet ſententia.

Putat autem perdoctus Fagius verba hæc: *Egrediamur foras*: deſumpta eſſe ex paraphraſte Hieroſolymitano: unde addit; „ Quare ſatis temere agunt qui ſic ubi Latinam illam Volgatam Editionem, non ad „ litteram per omnia Textui Hebraico correſpondere vident, exſibilant eam, damnant, reiiciunt, atque penitus explodunt; non attendentes quid, vel quem „ ſecutus fuerit ejus auctor. Hoc enim fere „ ſemper deprehendo, quod ſi quando, a „ veritate Hebraica diſſentire videtur, eam „ vel LXX. vel paraphraſim Chaldaicam, „ vel aliquem ex Rabbinis Hebræorum ſecutum fuiſſe. Non eſt ergo temere nata vulgata Latina Editio, ut quidam ſcioli ſtulte & impudenter clamitant. *Hæc ille.*

Quarto. In impietate & feritate ſua pertinax, & obduratus extitit, dum Deo benigne ab eo requirenti: *Ubi eſt Abel frater tuus?* audaciſſime reſpondit: *Neſcio*. Etſi enim Deus ob horrendum illud piaculum habuerit unde ſummopere in illum fratricidam excandeſceret, nihilominus quia (inquit Propheta Joel, 2. 13.) *Benignus & miſericors eſt, patiens & multa miſericordia, & præ-*

& præſtabilis ſuper malitia: Fratricidam illum convenit, ut ad delicti confeſſionem & pœnitentiam provocaret. „ Hunc enim morem habet, ait Sanctus Chryſoſtomus, *Homil.* 19. ut ab initio a nubis peccatorum exigat confeſſionem, ut veniam præbeat; ita & nunc rogat Cain, & inquit; *Ubi eſt Abel frater tuus?* ignorantiam ſimulat benignus Dominus, hac interrogatione eum, qui talia commiſerat, præparans, ut ad peccati confeſſionem adduceretur, poſſetque veniam, forte & miſericordiam aſſequi. *Confeſſio enim* (ait S. Ambroſius) *pœnarum compendium eſt. Inde in judiciis ſæcularibus impoſiti equuleo torquentur negantes, & quadam tangit judicem miſeratio confitentis. Eſt quadam in peccatis verecundia, & pœnitentiæ portio crimen fateri, nec derivare culpam, ſed recognoſcere. Mitigat judicem pudor reorum, excitat autem pertinacia denegantium. Vult te provocare ad pœnitentiam Deus, vult de ſe ſperari indulgentiam, vult demonſtrare tua confeſſione quod non ſit auctor malitiæ.*

Verum tantum abeſt ut impius ille fratricida Deo paterne ad pœnitentiam provocanti ceſſerit; quinimo benignam illius admonitionem repudiat, procaciterque reſpondet: *Neſcio, numquid cuſtos fratris mei ſum ego?* Quo cavillo judicium Dei effugere ſe putat, exiſtimans de occiſo fratre non eſſe reddendam rationem, quia non expreſſum habebat cuſtodiæ mandatum.

Sed diſſimulantem crimen urget Deus: *Quid feciſti? Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* „ Non frater clamat, (ait ibidem S. Ambroſius:) hoc innocentiæ & gratiæ germanitatis etiam in ipſa morte ſervat. Non accuſat frater Abel, ne videatur Parricida. Non accuſat vox ipſius, non anima ejus, ſed vox ſanguinis accuſat: ſimul querela crimiuoſo adimitur. Non poteſt de alieno teſtimonio queri, qui crimen proprio facinore confitetur. Minor eſt ſermo, quam factum. Eſt tamen etiam terra teſtis, quæ cœpit ſanguinem: & bene ait: *Vox ſanguinis fratris tui de terra clamat.* Etſi frater parcit, terra non parcit. Si frater tacet, terra condemnat. Ipſa eſt in te & teſtis, & judex: teſtis acrior, quæ adhuc parricidii tui ſanguine madet: judex aſperior, quæ tanto ſcelere coinquinata eſt, ut aperiret os ſuum, & exciperet ſanguinem fratris tui.

Hujus piaculi atrocitatem magis exprimit Hebræus textus, qui fert קול דמי, *Kol deme*, id eſt, *vox ſanguinum*, quod Chaldæus interpretatur de poſteris ab Abele procreandis, ſi diutins vixiſſet; Unde ſic vertit, *vox ſanguinis generationum, quæ ex fratre tuo erant futuræ, clamat coram me de terra.*

Ubi obiter licet obſervare, quatuor eſſe peccatorum genera tantæ enormitatis, ut Deum criminum vindicem ad ultionem provocare, & ſollicitare videantur, nimirum. I. Homicidium, vox ſanguinis &c. II. Nefandum & contra naturam ſodomiticum ſcelus. Geneſ. 18. III. Infirmorum, & inſontium oppreſſio. Exod. 3. IV. Retentio, ac defrandatio mercedis operariorum. Jacob. 5.

Quinto peccavit deſperando veniam ſe poſſe conſequi. Cum enim Deum in ſe his verbis fulminantem audiiſſet: *Maledictus eris ſuper terram &c.* Statim exclamavit, *Major eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear.* Quæ verba diverſimode quidem ab Interpretibus exponuntur. I. Nam S. Chryſoſtomus, Homil. 19. Dicit cogitari poſſe illa indicare plenam & abſolutam peccati confeſſionem; ſed propterea inutilem quod intempeſtiva nimis, & ſera fuerit: „ Hoc enim, inquit, facere oportebat tempore congruo, quando adhuc impetrari poterat a judice miſericordia ... oportebat enim tunc cum interrogaretur a Domino, *ubi eſt Abel frater tuus?* confiteri peccatum, & procidere, & orare, & veniam petere. Ipſe vero tunc quidem medicinam rejecit: nunc autem poſt ſententiam, poſt finem omnibus impoſitum, poſtquam clara voce accuſatus eſt a ſanguine in terra jacenti, confitetur; nihilque inde lucri facit.

At hæc ſententia minus probanda videtur; tum quod minime congruat cum antecedentibus, & conſequentibus; tum quod vera & ſincera peccatorum confeſſio, quandiu quis mortalem vitam agit, ſera & intempeſtiva, nuſquam cenſeatur.

II. Putant nonnulli Cainum verbis iſtis adverſus Deum expoſtulaſſe, & conqueſtum eſſe de judicii atrocitate, & nimia ſeveritate: ac ſi diceret, pœna longe culpæ gravitatem excedit, majuſque ſupplicium injungitur, quam ut par ſim ferendo. Sic Dæmones & damnati, quamvis ſe juſte puniri ſentiant, non deſinunt obſtrepere Deo vindici, & illi crudelitatem obiicere.

At rectius opinati videntur, qui cum S. Hieronymo, Theodoreto, & aliis Patribus cenſent ea verba eſſe hominis plane deſperantis de venia, & miſericordia Dei; putantiſque nullum ſibi jam ſupereſſe indulgentiæ locum, quod ſuis criminibus cumulum feciſſet.

Cainus itaque evidenti & ineluctabili nedum ſuæ conſcientiæ, ſed & effuſi fraterni ſanguinis, atque Dei teſtimonio convictus; nec emendatus, quadruplici pœna mulctatur. I. Divina maledictione, & imprecatione fulminatur. *Maledictus eris ſuper terram.* II. Labor ejus in excolenda terra denuntiatur futurus infructuoſus & irritus. *Cum operatus fueris eam, non dabit tibi fructus ſuos.* III. Proſcribitur a facie & conſpectu Domini, hoc eſt, exauctoratur ac deſtituitur dignitate & officio ſacerdotali, ut non audeat amplius offerre ſacrificia, *Eiicis me hodie a facie terræ, & a facie tua abſcondar;* id eſt, pellis me a locis illis ſacris in quibus convenire ſolebam ad offerendas tibi victimas, nec impoſterum mihi liberum erit coram te me præſentem ſiſtere ad perſolvendas tibi laudes, & oblationes faciendas. IV. Damnatur exilio, & ab omni certo domicilio interdicitur, *vagus & profugus eris ſuper terram.*

Ex

Ex quibus xpparet Cainum multo graviori pœna quam Adamum fuiſſe mulctatum. I. Deus namque non maledixit Adamo, ſed terræ. II. In Adami ſententia terra non prohibebatur edere fructus, ſed quod eos fructus non obtineret Adamus niſi cum labore & ſudore. III. Adamus quidem ejectus fuit e Paradiſo, non vero a facie Domini, nec ſacrificandi facultate fuit deſtitutus. IV. Adamus certum habuit domicilium in terra Eden, non procul a Paradiſo terreſtri.

Cainus vero longe ab hac amœniſſima regione ejectus eſt, unde conqueritur his verbis: *Ecce eiicis me hodie a facie terræ, & a facie tua abſcondar, & ero vagus & profugus in terra: omnis igitur qui invenerit me, occidet me.* Ac ſi diceret: non abſque cauſa nulla mihi ſupereſt ſpes conſequendæ veniæ, quandoquidem eliminas me, & eiicis ex ſolo natali, in quo dulciſſime hactenus ſum verſatus cum Parentibus meis; & me exturbas ex amœniſſima terra Paradiſo proxima, quam tibi conſecraſti ut in ea fierent oblationes & ſacrificia; ſubindeque *a facie tua abſcondar*, habeboque te ſemper iratum & infenſum, omni tutela & protectione tua deſtitutus.

Quinetiam ita cunctis propter admiſſum fratricidium ero execrandus, ut *omnis qui invenerit me, interficiat me.* Quibus verbis genuinam improborum hominum imaginem refert; nimirum non dolet culpæ turpitudinem, aut offenſam Dei, nec futura inferni ſupplicia perhorreſcit, ſed duntaxat præſentis vitæ ærumnas & calamitates, necnon acerbitatem mortis: quod utique fuit perverſi, & abjecti animi indicium: nam ut ait S. Ambroſius, *Anguſtæ mentis homo præſentem mortem veretur, perpetuam negligit, & divinum judicium non reformidat: interitum ſolum corporis deprecatur.*

Licet autem indigniſſimus eſſet Cain, qui violentam mortem effugeret: nihilominus Deus ipſi indulgens adjicit; *Nequaquam ita fiet, ſed omnis qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur*; ſeu, ut vertunt ſeptuaginta Interpretes ſeptem vindictas exolvet, hoc eſt, graviſſime punietur: ſolet enim Scriptura numero ſeptenario deſignare rei alicujus gravitatem, ſeu conſummationem: ſic Pſal. 11. v. 6. *Argentum igne examinatum, & purgatum ſeptuplum*, hoc eſt perfectiſſime defœcatum: & Pſal. 78. v. 13. *Redde vicinis noſtris ſeptuplum*, id eſt, graviſſime eos crucia &c. Itaque *ſeptuplum punietur*, non aliud ſignificat, quam graviſſimo, & ſeveriſſimo ſupplicio afficietur, quiſquis Cainum interfecerit; non ſolum quia hominem occidet, ſed quia contra publicam fidem ſecuritatis ipſi a Deo datam eum trucidaret.

Ut autem hæc divina ultio facilius caveretur, *Poſuit Dominus in Cain ſignum, ut non interficeret eum omnis qui inveniſſet eum.* Quodnam vero fuerit illud ſignum, cum Moſes non aperiat, Interpretes varias eunt in ſententias.

Nugantur Hebræi, ejus fronti impreſſam unam ex litteris nominis Dei: alii poſitum in ejus fronte cornu, quaſi diceret: *Cornu ferit ille, caveto.*

Verum iis prætermiſſis, ſentio cum illis, qui exiſtimant ſignum illud nihil aliud fuiſſe, quam ingentem totius corporis, maxime vero capitis tremorem, animique pavorem; quaſi hominis ubique & ab omnibus inſidias vitæ ſuæ fieri metuentis. Quam ſententiam ſic exponit S. Chryſoſtomus, inducens Deum Caino dicentem: *Ne hoc metuas: ecce enim & ſignum in te pono, ita ut nullus qui te invenerit, ignoret. Nam iſta, in toto vitæ tuæ decurſu, nervorum reſolutio poſteritati utilis erit, & id quod ſolus, nullo præſente, operatus es, hoc diſcent omnes qui gementem & trementem videbunt, & quaſi per corporis tremorem clamantem, & omnibus dicentem: nullus talia audeat, qualia ego, ut ne in eandem pœnam incidat.* Similia habet S. Auguſtinus, lib. 12. contra Fauſtum, cap. 12.

Quibus prævit Philo Judæus, *lib. de præmiis*, ubi de Caino, ait: *Quoniam novum erat facinus, oportebat novam pœnam in id ſtatui: & quam tandem? Ut ſemper moribundus viveret, quodammodo damnatus morte infinita.* Nempe admiſſi fratricidii continua recordatione, tanquam furiis exagitatus. Nam præclare ait Sapiens, c. 17. v. 10. *Cum ſit timida nequitia, dat teſtimonium condemnationis: ſemper enim præſumit ſæva, perturbata conſcientia.*

Peter. Cur Deus Cainum fratricidam occidi noluerit, cum deinde juſſerit homicidas capitali ſupplicio eſſe afficiendos?

Reſpondeo, cauſam non eſſe, ut putavit Joſephus; quod Deus, oblato a Caino pœnitente ſacrificio, fuerit placatus; hujus enim Sacrificii, & Caini pœnitentiæ nullum eſt in Scriptura indicium. *Neque* quod nullus eſſet qui hoc ſupplicium inferret: erant enim plurimi ex Adamo alii procreati, qui poſſent effuſum Abelis ſanguinem & mortem vindicare; quos ipſe Cainus metuebat. *Neque* neceſſitas propagandi humani generis; quia ab aliis fieri poterat iſta propagatio. Hujus ergo ſervatæ Caino vitæ alia non occurrit ratio convenientior, quam Dei benignitas & miſericordia quæ ſcelerati illius vitam prorogare voluit, ut illum ad pœnitentiam invitaret. *Sic ſuſtinet in multa patientia, vaſa iræ apta in interitum, ut oſtendat divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Rom. 9. v. 21. Prævidebat enim e Caini poſteritate quoſdam futuros electos, quorum intuitu, Caino vitam ſervare voluit.

QUÆRITUR V.

Utrum Cain & Abel fuerint conjugati?

DE Cainn res eſt conſtantiſſima, Moſes enim poſtquam dixiſſet eum egreſſum, & ejectum a facie Domini, & habitaſſe profugum in terra ad orientalem plagam Edem, addit: *Cognovit autem Cain uxorem ſuam, quæ concepit, & peperit Henoch*; ex quibus verbis colligere licet Cainum, priuſquam fratricidium patraret, uxorem duxiſſe; neque enim veroſimile eſt mulierem aliquam inventam eſſe adeo emotæ mentis; ut aſſumere vellet in conjugem eum, quem fraterno ſanguine pollutum, Dei interminatione fulminatum, & toto corpore tremulum ac profugum noviſſet. At cum ante patratum ſcelus, illa Caino matrimonii fœdere eſſet conjunctiſſima, non renuit ipſi alias in plagas migranti una cum familia ſeſe comitem adjungere; maxime cum noſſet debere conjuges duos eſſe in carne una.

Quæ vero fuerit illa uxor; & unde aſſumpta, luculenter aperit S. Chryſoſtomus: „ Veriſimile eſt, *inquit*, Evam filiam pepeériſſe poſt Cain & Abel, quam in uxorem acceperat Cain. Nam quia initia erant, debebatque augeri genus humanum, ſorores ut acciperent, concedebatur, & ideo conſectanea hæc nobis relinquit Scriptura, & hoc ſolum narrat dicens: *Cognovit Cain uxorem ſuam &c.*

Eadem de Abele ſentit S. Auguſtinus, duos, inquit, illos fratres, non alias, quam ſorores habuiſſe uxores. „ Cum igitur, inquit, genus humanum poſt primam copulam viri facti ex pulvere, & conjugis ejus ex viri latere, marium fœminarumque conjunctione opus haberent, ut gignendo multiplicaretur; nec eſſent ulli homines, niſi qui ex illis duobus fuiſſent, viri ſorores ſuas conjuges acceperunt: quod profecto, quanto eſt antiquius, compellente neceſſitate, tanto poſtea factum eſt damnabilius, religione prohibente.

Hoc ipſum confirmat Theodoretus: „ Tunc, *inquit*, ſorores in uxores aſſumere non erat crimen, cum nulla lex interdiceret. Erat alioquin impoſſibile, aliter augeri genus humanum. Voluit autem Deus ex uno viro & una muliere excitare omnes gentes hominum. Primo ut ſcirent generis unitatem tanquam ex uno jugo prognati. Deinde in concordiam coirent, ut qui ab una radice efflorüiſſent. Si enim & his ſic ab univerſi Deo gubernatis infinitæ cædes committantur, quid non fuiſſent auſi ſi ſe diverſis ortos parribus putaſſent? Hujus rei gratia unum quidem e terra formavit virum, & ex eo unam ſtruxit mulierem. Ex his autem univerſum orbem genere replevit. Ob hanc igitur cauſam conceſſit in principio fratrum ſororumque connubium. Poſtquam autem genus auctum eſt, ut nefarias, tales interdicit nuptias, ideo eum Noe & filiis etiam eorum uxores conſervavit in arca, ut horum filii conſobrinis jungerentur.

Cum autem neque uxoris, neque filiorum Abelis, Moſes meminerit, plurimi ſunt qui aſſerant eum permanſiſſe virginem, & a conjugio abſtinuiſſe. Genebrardus ſcribit S. Irenæum tribuere Abeli titulum Virginis, Sacerdotis, & Martyris, at hæc in Irenæo quæſita non comparuerunt. Scribit quidem Auctor libri Mirabilium S. Scripturæ: *Tota juſtitia hæc eſt, Virginitas, Sacerdotium, & Martyrium, quæ triplex juſtitia in Abel primo fuit*. At ſicut dubius auctor, ita & dubia auctoritas, & aſſertio; nulluſque præter unum S. Epiphanium ex SS. Patribus mihi occurrit, qui Abelem virginem manſiſſe doceat.

Hinc S. Hieronymus probans ſtatum virginitatis Deo ſemper fuiſſe gratiſſimum, plurima ex Veteri Teſtamento profert exempla virorum Sanctorum, qui ſemper virgines extiterunt; nempe Joſue, Melchiſedech, Elias, Eliſæus, Daniel, Ananias, Azarias, Miſael; At Abelis non meminit. Similiter S. Auguſtinus, lib. 15. de civit. Dei. cap. 20. cum dixiſſet Gymnoſophiſtas apud Indos a generando abſtinuiſſe, addit; hoc tamen nemo feciſſe ante diluvium reperitur; quandoquidem etiam ipſe Enoch ſeptimus ab Adam, qui translatus refertur eſſe non mortuus, genuit filios & filias antequam transferretur; in quibus fuit Mathuſalem, per quem generationum memorandarum ordo tranſcurrit.

Accedit in horum confirmationem ipſa multiplicandi humani generis tunc urgens neceſſitas, atque obedientia præſtanda Deo dicenti: *Creſcite, & multiplicamini &c.* neque divinæ providentiæ & ordinationi conveniebat, augeſcere ferarum numerum, hominum vero, qui eis dominari & imperare debebant, imminui.

At, *inquies*, non memoratur Abelis conjugium, nec ſoboles. Quid tum? neque etiam alii præter Sethum, nominantur ab Adamo deinde procreati liberi, qui tamen *cap.* 5. v. 5. dicitur genuiſſe filios & filias. Nihilominus non obſcure Abelis progeniem indicat poſt fratricidium ipſe Caini metus, ne ab occurrente occideretur: *Omnis qui invenerit me, occidet me*. Non enim videbatur timendum a propriis, ſed ab ipſius Abelis filiis, ne quis eorum occiſi parentis vindex eſſet, ut amplius infra conſtabit.

Petes, quomodo Cain totus tremulus ad gignendam ſobolem animum applicaverit? Cum enim ſibi totidem fingeret hoſtes, quot erant homines in mundo, ſibi magis conſultum videbatur in aliquam ſolitudinem procul ſecedere, & ibi latere; nec facile con-

concipitur qua ratione Deum ſentiens ſibi adverſum & iratum, ullam potuerit admittere voluptatem.

Verum reſpondeo ad filiorum procreationem duo illum ſtimulaſſe; primum, multiplicandi humani generis, & in poſteris vitam & nomen propagandi innatum deſiderium: alterum, procurandæ ſibi protectionis & tutelæ conſilium; cenſebat enim procreandos filios, & nepotes totidem ſibi futuros defenſores adverſus omnes vitæ ſuæ inſidiantes.

Utrum vero Cainus ante patratum fratricidium aliquos liberos procreaverit, cum Moſes ſileat, dubium eſt. Nihil tamen erit abſurdi hoc aſſerere, maxime cum multiplicandi humani generis neceſſitas urgeret: Moſes vero ſolum Henochum hic refert, tum quod ille ſanguinarium patris genium & mores efferatos imitaretur: tum quod Moſis conſilium fuit unam tantum lineam proſequi ad Lamech uſque, propter notandam, quam de illo hiſtoriam mox ſubiicit. Magis ergo populoſa fuit Caini familia, quam referat Moſes: ſed alios ſilentio præterit, quod nihil memorabile fuerit ab illis actum,

QUÆRITUR VI.

Quo conſilio, quove auxilio Cain urbem condiderit, & non ſuo, ſed filii ſui nomine appellatam eſſe voluerit?

ENarrato Caini crimine, & expreſſa ejus in exilium ejectione, atque Henochi nativitate, addit Moſes: *Ædificavit Cain civitatem, vocavitque nomen ejus, ex nomine filii ſui Henoch.* Unde non abs re quæritur, qui fieri potuit, ut Cain, quem Deus fugitivum vagari juſſerat, non contentus privata domo, urbem extruere cogitaverit? Cum Adamus & reliqua ejus familia, in antris, & privatis domibus agerent, facile non eſt divinare: niſi forte quod peſſimus ille homo ſibi male conſcius, tum privatis domus ſuæ parietibus ſe tutum minime confideret, novum excogitavit munitionis & defenſionis genus, nimirum condendæ urbis propoſitum; ut collecta in unum locum ſua familia, tutius ibi degeret, minuſque timeret non ſolum ab infeſtantibus feris, ſed & ab hominibus tum ab Adamo, cum ab Abele progenitis, qui eo tempore in ingentem numerum jam excreverant. Hanc ſententiam ſuo calculo confirmat Rupertus, lib. 4. in Geneſ. cap. 10. *Quia*, inquit, *Cain fratrem ſuum occiderat, & ob hoc omnibus odioſus, vaguſque & profugus ſuper terram erat, idcirco civitatem qua tutaretur, ædificavit.* Ad id etiam, eum ſtimulare potuit ambitio, nimirum, ut generi ſuo in urbis nomine perpetuum monumentum ſtatueret.

Quorſum vero potius filii, quam ſuo nomine hanc civitatem appellari voluerit; plures proferri poſſunt conjecturæ. I. Quod ſciret nomen ſuum, propter admiſſum fratricidium, omnibus odioſum eſſe, & in contemptum. Ne igitur ſuæ molitionis gloriam infandi nominis appellatione labefactaret, potius filii, quam ſuum proprium nomen indidit.

II. Ut Henoch conditæ urbis ampliationi, magnificentiæ & decori, eo ſtudioſius & vigilantius incumberet, quod illa ejus nomine eſſet inſcripta, & plurimam ipſi apud poſteros ſuo ſplendore famam conciliaret.

III. Ut ſuo exemplo doceret parentes non tam ſibi, quam ſuis filiis conſulere; filiorum namque nominis dedecus, aut gloria in parentes ipſos refunditur, ipſorumque memoriam aut labefactat, aut illuſtrat.

Obſtrepit hic Peyrerius Præ-Adamitarum fictor; unde, inquit, architectos & artifices conducere potuit Cain ad urbem extruendam? Unde Cives accerſivit qui eam incolerent, ſi non alii quam ab Adamo procreati tunc homines extiterint?

Reſpondeo, ex ipſa Caini familia tum fuiſſe ſufficientem hominum multitudinem, quæ & urbem condere, & incolere poſſet. Non enim cœpta eſt ædificari illa Civitas ante annum mundi 130. quo occiſus eſt Abel, ut conſtat non ſolum ex Chronico Alexandrino; verum & ex cap. 4. Geneſ. v. 25. ubi refertur Sethi nativitas, & dicitur a Deo conceſſus Adamo & Evæ in ſolatium mœroris ex Abelis nece concepti. Porro ex cap. 5. v. 3. apparet Sethum genitum eſſe anno 130. vitæ Adami; *Vixit autem Adam centum triginta annis, & genuit ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, vocavitque nomen ejus Seth.* Cum autem hic datus ſit in lenimentum doloris ob Abelis mortem, veroſimile eſt eum intra ejuſdem obitus annum eſſe genitum; quo tempore unam Caini familiam ad quadraginta & amplius hominum millia ſuccreviſſe, ſit ex eo credibile, quod ab ingreſſu Iſraelitarum in Ægyptum, ad eorum egreſſum, per ſpatium ducentorum forte, & quadraginta vel quinquaginta annorum, ex uno Ruben Jacobi primogenito, orti numerentur bellatores ad quadraginta ſex millia & quingentos in lib. Num. cap. 1. quo numero nec fœminæ, nec pueri, nec infantes continebantur: ex Juda longe plures alios bellatores traditur ejuſdem capitis v. 26. nimirum ſeptuaginta quatuor millia ſexcenti. Cum ergo & major putetur fuiſſe fœcunditas ante diluvium, longior vitæ curſus, ac vetus Hebræorum traditio doceat tunc partus fuiſſe continuo geminos, aut tergeminos, non alienum a vero videbitur, ad quadraginta circiter millia excreviſſe Cainitas, dum civitas Henochia cœpit ædificari.

At, *Inquies*, Henoch videtur Caini primogenitus, & eo duntaaat tempore editus in lucem, cum civitas illa cœpit extrui, ut colligere eſt ea verbis jam laudatis; & *cognovit Cain uxorem ſuam &c.*

Verum Reſpondeo, ea illa Scripturæ phraſi, & loquendi formula non indicari primogeniti conceptum; nam de Seth eodem modo legimus, *Cognovit Adam uxorem ſuam, & concepit, & peperit filium, vocavitque nomen ejus Seth:* qui tamen Adami non ſuit primogenitus: „ Unde (inquit, S. Auguſtinus) intelligitur ita ſolere illam Scripturam loqui, quamvis non ſemper, cum in ea legitur factos hominum fuiſſe conceptus, non tamen ſolum cum primum ſibi ſexus urerque miſcetur. Nec illud neceſſario argumento eſt, ut primogenitum patri exiſtimemus Henoch quod ejus nomine civitas illa nuncupata eſt. Non enim abs re eſt, ut propter aliquam cauſam, cum & alios haberet, diligeret eum pater cæteris amplius. Neque enim & Judas primogenitus fuit, a quo & Judæa cognominata eſt, & Judæi. Hæc S. Auguſtinus: qui ibidem adiicit. ex eo quod Enochi nomen illi civitati fuerit inditum, inde non eſſe conſequens eum tum eſſe natum: potuit enim illius jam grandævi nomen urbi adſcribi.

Urgebis Sethus non ſcribitur natus, niſi poſt propagatam Caini proſapiam uſque ad ſeptimam generationem. Nam poſt enumeratos Caini poſteros, ſubdit Moſes, ut diximus, *Cognovit quoque adhuc Adam uxorem ſuam, & peperit filium, vocavitque nomen eius Seth:* igitur nulli erant ex Adamo, & Caino procreati alii homines, præter Henochum, eo tempore quo condita eſt Henochia civitas; ac proinde ex Adami proſapia non potuit Cainus advocare opifices, & incolas, qui civitatem illam conderent, & inhabitarent.

Reſpondeo, Sethum quidem natum anno mundi 130. eodem videlicet, aut ſequenti quo interfectus fuerat Abel. Quod enim quidam aſſerunt Adamum & Evam luxiſſe Abelis mortem per centum annos, & totidem a procreandis liberis abſtinuiſſe, purum eſt commentum, quod exploditur per hæc Evæ, in Sethi nativitate, verba: *Poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abel, quem occidit Cain.* His enim ait S. Chryſoſtomus ſignificare voluit Eva ſibi a Deo conceſſum hunc filium in lenimentum doloris ob Abelis mortem. *Vidiſti*, inquit, *benignitatem Domini, quomodo acceleratam illis conſolationem excogitavit:* Non fuiſſet autem accelerata conſolatio, ſi (ut volunt Hebræi) tandiu luctum produxiſſent, & a generatione abſtinuiſſent,

Quod autem Sethi nativitas non referatur niſi poſt contextam Caini genealogiam ad Lamechum uſque, inde non eſt conſectarium, ipſum nonniſi poſt a Lamecho genitos filios, in lucem prodiiſſe. Sed prudentiſſime voluit Moſes, una ſerie & linea referre quæ in impii Caini familia occurrebant ſcitu & notatu digna, priuſquam ordiretur texturam generationum ſanctarum, ea quibus oriundus erat Chriſtus; nam ait appoſite Rupertus de Setho: *Ab hoc principium ſumitur texendarum generationum, per quas derivati ſunt Patres noſtræ fidei, ex quibus Chriſtus ſecundum carnem &c.* Hebræorum omnium conſenſu, ſeptima generatione periit Caini progenies: cujus filios ac pronepotes, alicujus nominis ac celebritatis, una ſerie recenſuit Moſes *cap.* 4. priuſquam Adami per Sethum propagationem ordiretur capite ſequenti. Hanc autem Cainitarum genealogiam ſic texuit.

1. Adam genuit Cain.
2. Cain genuit Henoch.
3. Henoch genuit Irad.
Irad genuit Maviael.
Maviael genuit Mathuſael,
Mathuſael genuit Lamech.
Lamech genuit Jabel, Jubal, & Tubalcain, & Noema.

Non refert Moſes quot annis eorum quiſque vixerit; tum quod indigni erant ut eorum texeretur genealogia: tum quod hæc nihil conducebat ad illam ſeriem hominum per quos humanum genus aquis diluvii abſortum, erat reparandum.

Petes cur hi tres una cum ſorore potiſſimum memorentur?

Reſpondeo, illos memorari, quod fuerint inventores artium ad humanæ vitæ utilitatem, aut delicias plurimum inſervientium. Nam *Jabel* excogitavit tentoria & tabernacula ſub quibus paſtores, antea in antris, aut ſub condenſis arboribus degentes, a ſolis ardoribus & aeris inclementia tuti ac ſecuri quieſcerent. Is primus fuit (inquit R. Salomo de Jabele) qui pecudes pavit in locis deſertis, & ſub tentoriis degens, loca mutabat pro ratione paſcuorum gregis ſui, ita ut paſcuis in uno loco abſumptis, in alio figeret tabernaculum ſuum. Et ex hoc Jabelis inſtituto factum eſt procedente tempore, ut qui pecuariam artem exercuerunt, uſum tentorium retinuerint. Unde Apoſtolus ad Hebræos 11. v. 9. obſervat Patriarchas, utpote paſtores, in tentoriis degiſſe.

Jubal vero citharam, organa & alia inſtrumenta muſica ad demulcendos hominum efferatos animos, & leniendos angores invenit. Utrum vero hoc inventum retulerit Jubal in rectum finem, nempe Dei gloriam, incertum eſt. Cum enim eſſet Caini & Lamechi progenies, Majorum ſuorum pravis moribus adhæſiſſe videtur; adeoque inter eos cenſendus, qui ſuis criminibus Deum provocarunt, ut humanum genus, ſola ſalva Noemi familia, diluvio extingueret.

Conducit quidem muſica ad Dei gloriam, cum divinæ illius laudes voce canora celebrantur. Atque hinc eſt quod ſucceſſu tem-

po-

porum homines pii inſtrumenta muſica excogitarunt in Dei præconium: quo nomine præſertim laudatur David, qui nedum manu ſua pulſabat citharam cum pſalmos caneret, ſed cantores inſtituit, 1. *Paral.* 6. v. 3. & cap. 25. 1. qui prophetarent, hoc eſt, Dei laudes canerent, in citharis, & pſalteriis, & cymbalis &c. Unde Amos, c. 86. v. 5. *Qui canitis ad vocem pſalterii, ſicut David &c.* & Eccleſ. 47. v. 11. maxime laudatur quod *ſtare fecit cantores contra altare, & in ſono eorum dulces fecit modos &c.* quinetiam 1. Reg. cap. 16. v. 23. refertur tanta arte citharam pulſaſſe, ut ſpiritum malum a Saule expelleret.

Valet enim muſica, non per ſe, quia Dæmon ſpiritualis eſt; ſed per accidens, contra Dæmones, quia mitigat affectus per quos Diabolus per ſe in homines inſinuat, & mærorem, ac furorem pulſat, quo in hominis perniciem Dœmon abutitur. Idcirco monet Apoſtolus, Epheſ. 4. v. 27. ne iracundi dent locum Diabolo; hinc enim per iracundiam in hominem ſubit, & qua arte hic motus & affectus demulcetur, eadem Dæmon excluditur. Unde Hermogenes, libro de Ideis ſcribit, aiunt Pythagoreos, ſiquando ipſis affectus concitarentur, aut alios viderent iis correptos, per tibiarum & citharæ modulos, animum ad meliorem ſtatum reducere. Plura tibi ſubminiſtrabit ea de re Martianus Capella, libro 9.

Tubalcain autem æris & ferri varios in hominum uſus cudendi non auctor, ſed expolitor extitit. *Noema* denique dicitur lanificii texturæ inventrix; quia linum & lanam in fila deduxiſſe fertur, & pannum texuiſſe, cum homines antea corticibus & foliis arborum, aut belluarum pellibus nuditatem ſuam tegerent. Verum Noemam quidem nominat Moſes, at quid egerit non indicat.

Peter utrum ſoli Cainitæ fuerint artium inventores?

Reſpondeo, Veriſimilius eſſe inter alios Adami filios, ac nepotes plures etiam extitiſſe homines ſolertes, qui ſuam induſtriam in artibus inveniendis, & excolendis exercuerint: a Cainitis vero excogitatas artes idcirco commemorat Moſes, tum ne familia illa propter parentis ſcelus crederetur bonorum omnium ſterilis & vacua: tum ne nimium tribueremus artium inventoribus; cum non ſolum mœchanicæ, ſed & liberales artes, & ſcientiæ plurimæ ab infidelibus & prophanis hominibus fluxerint. Deus autem illis hoc ſpeciale beneficium contulit, ut minus excuſationis haberet eorum infidelitas, & impietas, ſinon reſipiſcerent.

Præter hos autem memoratos Caini nepotes, nulla amplius illius poſterorum fit expreſſa mentio: unde nonnulli exiſtimant in hac ſeptima generatione penitus extinctum Cainitarum ſemen. At veriſimilius eſt eos ad diluvium uſque perſeveraſſe; ſed propter morum improbitatem, a fidelium, hoc eſt, a poſterorum Sethi, Dei & juſtitiæ cultorum cœtu fuiſſe repudiatos & rejectos.

QUÆRITUR VII.

Quis ſit horum Lamechi ad uxores verborum ſenſus: Occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in livorem meum: ſeptuplum ultio dabitur de Cain: de Lamech vero ſeptuagies ſepties?

Hic Textus adeo obſcurus & abſtruſus viſus eſt Origeni, ut in eo exponendo, duodecimum & decimum tertium librum Commentarii in Geneſim inſumpſerit, teſte S. Hieronymo, epiſt. 125. ad Damaſum. Idipſum conſtat ex multiplici & plerumque oppoſita Interpretum ea de re ſententia. Primo namque plurimi Proteſtantes, cum Calvino, Junio, & Tremellio cenſent verbum præteriti temporis, *Occidi*, in futurum, *occidam*, eſſe reſolvendum, ac ſi Lamechus jactaret ſibi ſat eſſe roboris & virtutis ad fortiſſimum quemque hoſtem vitæ ſuæ inſidiantem occidendum.

Supponunt enim Lamechum hominem fuiſſe adeo crudelem ac ſanguinarium, ut omnibus terrori eſſet ac formidini; quamobrem timebant ſummopere illius uxores, ne facta conſpiratione, omnes eum opprimerent & trucidarent; quem timorem ut diſſiparet Lamechus. jactat ſibi ſat eſſe virium ad quoslibet ſternendos, ſive maturioris, ſive juvenilis ſint ætatis, ſi qui in eum inſilire audeant: ac ſi diceret; ſi quis me aggrediatur, etiam ſi vulnere & livore afficiat, ſentiet cum viro adhuc fortiſſimo, & ad reſiſtendum paratiſſimo ſibi eſſe negotium; nec impune evadet, qui me læſerit. Sic hominum crudelium feritas magis ac magis ſemper inſoleſcit.

Verum hæc expoſitio aliena eſt; nec convenit Textui Sacro, qui rem narrat aperte geſtam; & præteritum, *occidi*, quod omnes antiqui, & pene recentiores omnes retinent, illius ſententiæ aſſertores commutant in *occidero:* atque ita communiſſimum Eccleſiæ, atque Doctorum ſenſum evertunt.

Secunda expoſitio communis apud Hebræos Doctores quam prolixe refert Jarchius: brevius autem R. Ghedaliath hæc eſt: Lamechum fuiſſe deditum venationi, & etiam in ſenili ætate in ea aſſidue verſatum. Cum autem præ ſenio caligarent ejus oculi, puerum habebat ducem, qui & prædam dete-

geret, & quo jaculanda eſſet ſagitta, demonſtraret. Contigit autem (inquiunt) ut offenderet Cain inter denſiſſimas ſylvas, ferarum more, latitantem; quem puer feram eſſe exiſtimans, ut in eum locum Lamechus ſagittam emitteret, ejus manum direxit: ea autem ſagitta confixus Cain, interiit: quod deprehendens Lamechus, veritus ne divina interminatio de ſepties puniendo Caini interſectore, in ſuum caput recideret; tanta in puerum exarſit ira, ut eum multis ictibus, & plagis vulneratum occiderit.

Hoc cum Lamechi uxores accepiſſent, timerentque ne propter hoc duplex homicidium Lamechus multo graviori pœna, quam Cainus a Deo mulctaretur, aut interficeretur ab hominibus: ut earum mœtorem & pavorem deliniret Lamechus, dixit nihil eis eſſe timendum; nam ſi Cain voluntarius fratris interſector, & tanti criminis impœnitens, nihilominus Deum habuerit ita propitium, ut ne a quoquam occideretur, vetaverit, & ſignum quo dignoſci & mortem effugere poſſet, ei indiderit: multo magis de Dei benignitate ſibi ſperandum erat, qui ignarus, & ſui non compos utrumque homicidium feciſſet, atque admiſſi reatus eum valde pœniteret.

At licet huic expoſitioni plurimi Interpretes ſubſcribant; eam tamen inter Rabinica commenta referendam exiſtimo. I. Quia repugnat verbo Dei, qui impoſito ſigno, Cainum ſecurum fecit ne ab aliquo interficeretur. II. Veriſimile non eſt Cainum tot filiis ac nepotibus auctum, qui ſibi ad majorem tutelam, & ſecuritatem ampliſſimam urbem condiderat, ita deſipuiſſe, ut ferarum inſtar, ab omnibus deſertus inter vepres & dumeta degeret. III. Quis non rideat hominem cæcum venationi ita deditum, ut ſolo puero duce, inter ſylvas & vepres errare non exhorreſceret; nec pertimeſceret ne feras inſectando, ab illis voraretur? IV. Perperam ex privilegio Caini, Lamechus immunitatem ſibi polliceretur, ſi ipſe Cainum occidiſſet.

Tertiam expoſitionem exhibet S. Chryſoſtomus dicens, hæc a Lamecho quidem pœnitente dicta; ſed ut ſui criminis gravitatem confiteretur & exponeret, quo facilius veniam a Deo poſſet conſequi: „ Conſidera, inquit, obſecro ſtatim ab initio
„ quantum illi profuerit pœna Caino irrogata; non ſolum enim non expectat, ut
„ ab alio arguatur, quod in idem, & gravius peccatum lapſus ſit: ſed nullo vel
„ accuſante, vel increpante, ipſe ſemetipſum manifeſtum facit, & confitetur quæ
„ facta ſint; mulieribuſque narrat delicti
„ magnitudinem: quaſi illud quod a Propheta dictum eſt, implens: *Juſtus ſui ipſius accuſator eſt in principio ſermonis*;
„ plurimum enim ad emendanda peccata
„ valet confeſſio &c.

Exiſtimat ergo S. Chryſoſtomus iſta verba a Lamecho pœnitente, & admiſſi duplicis criminis atrocitatem deplorante, eſſe prolata, ut teſtaretur ſe Caino graviori pœna mulctandum, quod hic unicum, ille vero duos homines occidiſſet. Cui ſententiæ ſubſcribit etiam Theodoretus: negat tamen duos homines a Lamecho occiſos, ſed unicum, qui *vir* dicitur propter maturam ætatem; & *adoleſcentulus* ob præſtantes corporis vires.

At ſi iſta a Lamecho pœnitente fuerint dicta, cur non ad Deum, potiuſquam ad uxores prolata? *Deinde*, cur Cainum in exemplum divinæ benignitatis, & juſtitiæ laudaſſet? cum non Cainus ipſe, ſed ejus interſector ſepties eſſet pœnas daturus?

Quarta expoſitio eorum eſt, qui Lamechi verba cenſent per interrogationem eſſe legenda. Supponunt enim Lamechi filios, invento ferri & armorum uſu, paſſim hominum cædes patraſſe: quam ob cauſam ejus uxores verebantur, ne Deus filiorum crimina in patris caput refunderet; illumque propterea gravi pœna mulctaret: timorem ut pelleret Lamechus, ait: num ego occidi virum ætate florentem, ut Cain Abelem? Si igitur Deus dixerit ſepties eſſe puniendum, qui fratricidam illum occideret; quanto ſeverius animadvertet in eum, qui mihi mortem inferret?

Sunt tandem qui cenſent, quod cum Lamechi uxores ex Majorum traditione accepiſſent, Caini facinus, in ſeptima ejus progenie eſſe puniendum, viderentque Lamechum ſeptimum ab ipſo eſſe prognatum, illius concubitum reſpuebant, ne generarent filios ſtatim perimendos. Quarum terrorem ut diſſiparet Lamechus, ait: Deum non eſſe puniturum ſuam progeniem; quippe cum non occiderit virum, aut juvenem, ſicut Cain; qui tamen impunitus vixit. Ita Lamechi verba expoſuit Onkelos, in ſua Chaldaica paraphraſi. Verum hypotheſis de terrore uxorum Lamechi eſt incerta: & Deus non dixerat Cainum eſſe puniendum in ſeptima generatione; ſed quod ejus interſector ſepties daret pœnas.

Joannes Lightfort obſervatione IV. In Geneſim aliam expoſitionem ſubminiſtrat ſcribens; Lamechus conſcientiæ horrore perculſus propter polygamiam ſuam, quæ jam in exemplum trahi incipiebat ad corruptionem mundi univerſalem, agnoſcit peccatum ſuum ſeptuplo gravius peccato Caini: Cain enim unum hominem occiderat, & ſolum ejus corpus; at ille pravo ſuo exemplo occiderat; juveneſque, ſeneſque, atque ipſas eorum animas. Ideoque expoſtulat de eo cum uxoribus ſuis, quæ ipſum eo induxerant.

Verum hæc moralis expoſitio non convenit litterali & hiſtorico Scripturæ ſenſui; inſtituitur enim ibi comparatio Cainum inter & Lamechum; atque inter homicidium unius & alterius: non eſſet autem legitima collatio, ſi occiſio ab uno patrara eſſet intelligenda in ſenſu reali, & litterali; altera vero in ſenſu metaphorico & morali.

Mitto plures alias obſcuriſſimi hujus loci expoſitiones cum textu minus concordantes; ex præmiſſis vero, quam eruditus Lector ſeligere voluerit, per me licet.

QUÆ-

QUÆRITUR VIII.

Utrum Lamechus duas uxores licite duxerit?

LAmechum pravam Caini progeniem primum hominum polygamiam in mundum induxiſſe narrat Moſes cap. 4. v. 19. his verbis: *Mathuſael genuit Lamech. qui accepit duas uxores; nomen uni Ada, & nomen alteri Sella*; Quod utrum fecerit immodico propagandæ domus ſuæ, & amplíandæ familiæ ſtudio, ut elati homines & ambitioſi ſolent; an veſana libidine abreptus & ſtimulatus, parum ad rem attinet: quia utroque modo violavit ſanctam conjugii legem, quam Deus in terreſtri Paradiſo ſanxerat, unam uni viro uxorem concedens.

Igitur peccavit primo, contra divinam inſtitutionem & ordinationem; idcirco enim Deus plures initio feminas non effinxit, ſed unicam, quæ eſſet viro in adjutorium; quia unam uni voluit adhærere, ut videre eſt Geneſ. 2. v. 22. *Et ædificavit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem: & adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam: hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur Virago, quoniam de viro ſumpta eſt. Quamobrem relinquet homo patrem ſuum, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ; & erunt duo in carne una.*

In quibus tria veniunt notanda quæ uxoris unitatem teſtantur: *Primo* quidem unicam initio formatam fuiſſe mulierem ſicut & unicum virum; ut argumentum eſſet, quod quemadmodum mulier una non debet habere plures maritos; ita nec vir plures uxores.

Secundo, quod vir debet relinquere patrem & matrem, & adhærere uxori ſuæ; igitur uxorem magiſquam parentes debet diligere: cum autem amore parentum nihil ſit ſanctius, nihil intimius a natura, hominum, imo & belluarum cordibus infixum; inde conſectarium eſt, Maritum in uxorem debere totum cordis affectum refundere; quod cum erga plures fieri nequeat, ſequitur quod ex primaria inſtitutione matrimonii, tenetur maritus unicam uxorem ducere.

Tertio, quod vir & uxor debent eſſe *duo in carne una*. Porro duorum in una carne conjunctio, alterius ſocietatem non admittit; ac proinde polygamiam excludit.

At, inquies, vox, *duo*, non eſt in Hebræo textu; ibi enim ſolum legitur, *erunt in carne una*: igitur inde inferri nequit conjugium debere tantum eſſe duorum. *Deinde* verba, *adhærebit uxori ſuæ &c.* Non ſunt Dei imperantis; ſed Adami loquentis: igitur illa conjugii inſtitutio divina non eſt; ſed ſolum humana, ac proinde variabilis.

Reſp. ad I. Quod etſi vox, *duo*, in Hebræo textu non appareat quoad litteram, in eo tamen eſt quoad ſenſum; quippe præter Adamum & Evam nulli erant quos Deus indiſſolubili matrimonii vinculo in unam carnem conjungeret, quamobrem continuo additur, *erat autem uterque nudus, Adam ſcilicet & uxor ejus*: ubi vides de duobus tantum ibi eſſe ſermonem.

Ad 2. dico Adamum ea verba, nonniſi inſpirante Deo, protuliſſe; unde quemadmodum ſacræ Scripturæ divino ſuggerente Spiritu conſcriptæ, recte dicuntur, *verbum Dei*: ſic & illa conjugii duorum inſtitutio, potius dicenda eſt divina, quam humana; cum Adamus eam proferens, divini Spiritus fuerit organum, & præco.

Confirmat hoc utrumque reſponſum Chriſtus D. *Matth.* 19. *v.* 4. ubi demonſtrans Judæis libellum repudii tantum ad duritiam cordis eis fuiſſe permiſſum, ait; *Non legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & feminam fecit eos? & dixit: propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro?* Ex quibus verbis ita argumentari videtur. Si homo deſerere debet patrem ac matrem, & adhærere uxori, ut duo ſint una caro; non igitur licet uxori repudium mittere; non licet eam deſerere; non licet, niſi uni fœminæ, matrimonii vinculo cohærere.

Urget egregie hoc argumentum Tertullianus qui licet contra Catholicum dogma, polygamiam quoque ſucceſſivam, & ſecundas, tertiaſve nuptias improbet, nihilominus plures ſimul habere uxores, contra divinam inſtitutionem eſſe præclare demonſtrat, his verbis: „ Ad legem, *inquit*, ſemel nubendi dirigendam, ipſa origo humani generis patrocinatur, conteſtans quid Deus in primordio conſtituerit. in formam poſteritati recenſendam. Nam cum hominem figulaſſet; eique parem neceſſariam proſpexiſſet, unam de coſtis ejus mutuatus, unam illi feminam finxit; cum utique nec artifex, nec materia defeciſſet. Plures coſtæ in Adam; & infatigabiles manus in Deo; ſed non plures uxores apud Deum. Et ideo homo Dei Adam, & mulier Dei Eva, uni inter ſe nuptiis functi, formam hominibus Dei, de originis auctoritate, & prima Dei voluntate ſanxerunt. Denique, *erunt duo*, inquit, *in carne una*; non tres, neque quatuor. Alioquin jam non una caro; nec duo in unam carnem.... numerus matrimonii a maledicto viro cœpit. Primus Lamech duabus maritatus, tres in unam carnem effecit.

„ Ei ſubſcribens S. Hieronymus, ait: Etiam de paradiſo expulſus Adam unam uxorem habuit; primus Lamech maledictus & ſanguinarius, & de Cain ſtirpe deſcendens, unam coſtam diviſit in duas; & plantarium bigamiæ protinus diluvii pœna ſubvertit. Idem habet lib. 1. contra Jovinianum. Itaque uxorum pluralitas

dire-

directe adverſatur primariæ inſtitutioni matrimonii, & ordinationi divinæ.

Dicet, idcirco Polygamia adverſaretur primariæ Matrimonii inſtitutioni, quia dictum eſt, *erunt duo in carne una*: at hæc unitas non obſtat, quin ducta una uxore, cum qua vir fit una caro, aliæ ſuperinducantur, cum quibus pariter fiet una caro: igitur iſta ratio polygamiam non excludit. Major conſtat ex dictis. Minor probatur ex Apoſtolo, 1. Cor. 6. v. 16. ubi loquens de adulteris & fornicatoribus, ait, *An neſcitis quoniam qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur?* quod ut probet, adducit verba Geneſ. 2. *Erunt enim*, inquit, *duo in carne una*. Ex his elicitur hoc argumentum: non obſtante unitate carnis mariti cum legitima uxore, poteſt ille fieri unum corpus cum meretrice; multo magis idem fieri poterit cum uxoribus ſuperinductis: ac proinde ex illis verbis Geneſis e primaria inſtitutione matrimonii Polygamia non excluditur.

Diſtinguo majorem, ſi ex utraque parte cuncta ſint paria, concedo: ſecus, nego: porro unitas corporis ſcortatoris cum meretrice longe diverſa eſt ab unitate viri cum legitima uxore; illa enim licita eſt; hæc prohibita: illa fit ex divina inſtitutione, & actu, ac reipſa; hæc actu quidem, ſed contra Dei voluntatem & intentionem: igitur &c.

Confirmantur iſta ex verbis quæ Chriſtus Dominus ſubdit, tum Mathæi 19. v. 9. tum Marci 10. v. 11. *Quicumque dimiſerit uxorem ſuam & aliam duxerit, adulterium committit*. Unde ſic licet argumentari; adulterium committit qui dimiſsa priori uxore, aliam ducit: igitur ſimiliter peccat qui, retenta priori uxore, alteram ſuperinducit. Antecedens conſtat ex verbis Chriſti; conſequens eſt etiam evidens; adulterium enim non committitur ob dimiſſionem prioris uxoris, ſed ob inſecutam agglutinationem cum altera: igitur ex Chriſti D. ſententia polygamia adverſatur primariæ matrimonii inſtitutioni & ordinationi divinæ.

Probatur 2. Matrimonium ſymbolum eſt conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, teſte Apoſtolo in *Epiſtola ad Ephеſios cap.* 5. ubi cum præmiſiſſet præfata Geneſis verba, *propter hoc relinquet homo patrem &c.* adiicit; *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia*, quibus indicat matrimonium eſſe præſtantiſſimum Chriſti cum Eccleſia confœderationis ſymbolum. Unde conficitur, quod ſicut Chriſtus non plures, ſed unicam habet Eccleſiam ſponſam; ſimiliter vir quicumque unicam debet habere uxorem.

Declarat iſta egregie S. Hieron. *Epiſt. ad Agerruchium*: ubi cum laudaſſet præfata Geneſis verba; ait: *Quod teſtimonium Paulus ediſſerens, ad Chriſtum refert, & ad Eccleſiam: ut primus Adam in carne, ſecundus in ſpiritu monogamus ſit: una Eva mater cunctorum viventium, & una Eccleſia parens omnium Chriſtianorum; ſicut illam maledictus Lamech in duas diviſit uxores: ſic hanc hæretici in plures Eccleſias lacerant.*

Tertio Polygamia repugnat juri naturæ non quidem primario, ſed ſecundario. Quod ut diſtinctius percipiatur, obſervandum eſt aliquid dici poſſe adverſari juri naturæ tripliciter. *Primo*, quia per ſe intrinſece habet malitiam adjunctam, ut odium Dei, mendacium &c. *Secundo* quod ita ei non repugnat abſolute, quin licite quandoque fieri poſſit, ratione alicujus adjuncti; ſic homicidium dicitur pugnare contra jus naturæ, quia per illud vis & injuria ſumma fit proximo; ſi tamen Deus, aut Magiſtratus illud imperet in vindictam admiſſi criminis, vel Reipublicæ ſecuritatis & tranquillitatis ſervandæ cauſa, vitio carebit. *Tertio*, aliquid cenſetur eſſe contra jus naturæ, ratione periculi peccandi; quod periculum ſi abſit, nulla tunc erit cum jure naturæ pugna. Sic in jus naturale militaret, qui familiariter verſaretur cum impiis, quorum conſortio in vitium ipſe rueret, & ſcandali occaſionem præberet aliis: ſi tamen nullum ſecuturum eſſet incommodum congreſſus ille cum malæ famæ hominibus, expers eſſet omnis culpæ.

Fateor equidem Polygamiam non adverſari juri naturæ primo modo ſumpto; quia unius duntaxat uxoris cum unico viro conjunctio non continetur in primis naturæ principiis, quæ homini cuique ex rationis dictamine ſunt pervia: at ipſi adverſatur ſecundo, aut tertio modo accepto, ut his argumentis demonſtratur.

Primo jus uni quæſitum eripere, & in alium transferre, manifeſte vim infert juri naturæ; at polygamus, qui, prima uxore ducta, alteram ſuperinducit, jus ipſum, quod prima uxor quæſitum habet in ejus corpus, auſert ab ea, & in aliam transfert; nam, inquit Apoſt. *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier*. Igitur &c.

At inquies, uxor poteſt cedere ſuo juri, & marito permittere ut alias mulieres adſciſcat in ſocietatem conjugalem: ſicut Sara ſuaſit Abrahamo, ut Agaram in uxorem duceret; & Lia & Rachel Jacobum incitarunt, ut thoro conjugali ſuas ancillas adjungeret.

Reſpondeo, quod cum Polygamia divinæ inſtitutioni matrimonii adverſetur, nemini liberum eſt ipſi reluctari abſque ſpeciali Dei ordinatione, & inſpiratione; neque enim creaturæ eſt adverſus Dei placita, & præſcripta inſurgere.

Ad Exempla autem producta, dico ſanctas illas mulieres nonnihil impotentiæ muliebris iis in factis paſſas eſſe: *Sara* quidem, quod cum ſummo benedicti ſeminis deſiderio urgeretur, ſe vero ſenilem, & infœcundam intelligeret; ut votis ſuis omnino non fraudaretur, conſilium cœpit de ancilla in lectum conjugalem marito adjungenda; *Rachel* etiam deſiderio ſobolis, atque etiam nonnihil zelotypiæ in ſororem ſuam fœcundam agitata, ne abſque ſobole e vivis excederet, illam ex ancilla, tanquam ſibi propriam ſuſcipere voluit. *Lia* vero, licet liberis non

deſti-

deſtitueretur; cum tamen jamdudum non pareret; partim ex æmulatione, & invidia erga ſororem, partim deſiderio multiplicis prolis, qua ſorori præponeretur, Jacobo ſuaſit ut ancillam ſuam etiam in uxorem duceret.

Accedit quod Abrahamum, & Jacobum, cum eſſent Deo eximia ſua pietate & obſervantia devincti; nonniſi Deo permittente & conſulente polygamiam hanc admiſiſſe, credibile eſt.

Oppones, quod lege divina licitum fuit, a Deo conceſſum, & a viris ſanctiſſimis uſurpatum, id cenſeri non debet eſſe contra jus naturæ; at plures uxores ducere, divina lege licitum fuit, a Deo conceſſum, & a ſanctiſſimis viris uſurpatum; igitur &c. probatur Minor, quoad ſingula capita. *Primo* namque, *Deuteronomii* 17. *v.* 17. Regi ſuper Iſraelitas conſtituendo prohibetur quidem habere uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus; ſed de numero certo, quem excedere non debeat Rex, lex non loquitur. Hunc autem numerum Judæorum Magiſtri uxoribus octodecim circumſcribunt: legimus enim in Miſena *titulo Sanhedrin cap.* 2. *Non multiplicet ſibi Rex uxores ultra octodecim*. Addit tamen Rabbi Jehuida, Regi licitum fuiſſe multo plures ducere uxores, dummodo cor ejus non averterent a lege Domini.

Quinetiam Rabbi Maimonides ſcribit: „ Licet homini ducere quot voluerit uxo-„ res; etiam centum, idque ſive ſimul, ſi-„ ve alteram poſt alteram. Neque impedi-„ te poteſt eum uxor ejus (quam ante ha-„ buerit) modo ſcilicet ei ſupperat unde „ ſingulis victum, veſtitum, ac debitum „ conjugale præſtet.

Inſuper *cap.* 21. *v.* 15. *Deuteronom.* ſtatuitur, *ſi habuerit homo uxores duas, unam dilectam, & alteram odioſam, genuerintque ex eo liberos, & fuerit filius odioſæ primogenitus, volueritque ſubſtantiam inter filios ſuos dividere: non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odioſæ, ſed filium odioſæ agnoſcet primogenitum, dabitque ei de his quæ habuerit cuncta duplicia: iſte eſt enim principium liberorum ejus, & huic debentur primogenita*. Itaque ex Lege, liberum erat Iſraelitis plures ſimul habere uxores.

Similiter *lib.* 2. *Regum cap.* 12. Deus David per Nathan Prophetam exprobrans ingratitudinem, quod, contra ejus mandatum, vim intuliſſet Uriæ, ipſi necem inferendo, & abutendo ejus uxore, ait: *Ego unxi te in Regem ſuper Iſrael, & ego erui te de manu Saul, & dedi tibi domum Domini tui, & uxores Domini tui in ſinu tuo.* Ubi vides a Deo David conceſſum plures ſimul habere uxores.

Nec eſt quod quis reponat, Davidi quidem conceſſas eſſe Saulis uxores; non in conjugium, ſed in dominium: nam verba illa *in gremium tuum*, conjugium denotant: ſic dum Sara, *Geneſ. cap.* 16. Abrahamo exprobrat, *dedi ancillam meam in ſinum tuum*, non dominium intelligit, ſed conjugium; nam v. 3. legimus: *Dedit eam viro ſuo uxorem*. Et Deuteronomii 13. v. 6. quando Deus ait: *Sive uxor quæ eſt in ſinu tuo;* non dominium in ancillam, ſed conjugium intelligit. Similiter *Proverb.* 5. v. 20. Sapiens admonet ne adoleſcens ſeducatur ab aliena, & foveatur in ſinu alterius, non a dominio, ſed ab adulterio eum revocare intendit.

His accedit quod ſi Nathanis exprobratio intelligenda eſſet de ſolo dominio in uxores Saulis, habuiſſet David quod reponeret; quid prodeſt uxores Saulis mihi datas eſſe in dominium, cum illis frui in legitimo connubio mihi non liceat? Itaque revera Davidi uxores Saulis Deus in connubium conceſſerat, ideoque uxorum pluralitatem approbavit.

Tandem viri ſanctiſſimi polygamiam obſervarunt, ut conſtat exemplo Abrahami, qui tres duxit uxores, ſcilicet, Saram, Agaram, Ceturam. *Geneſ.* 16. *&* 25. Jacob pariter duas Labani filias, *Liam*, & Rachelem, uxores habuit: mitto cæteros Patriarchas, viroſque Sanctiſſimos a Spiritu Sancto in Scripturis celebratos, qui licet non eſſent ignari eorum quæ lege naturali prohibentur, plures tamen habuerunt uxores: igitur Polygamia Legi naturali non videtur adverſari.

Reſpondeo ad primum, nullo unquam legis articulo polygamiam eſſe permiſſam, Ad id autem quod profertur ex Deuteronomii cap. 17. apparet ex Textu uxorum pluralitatem Regi interdictam, multo magis inferioribus & ſubditis.

Quod autem adiiciunt Rabbini, putidum eſt eorum commentum, nulla prorſus ratione firmatum. Quinetiam ex eis magiſtris non deſuere, qui ex ipſa lege etiam binas uxores Iſraelitis ſimul retinere fas non putarent; nam in Gemara Babylonica ad titulum *Jabimoth*, cap. 6. legimus: *Quiſquis uxori uxorem ſuperinduxerit, oportet cum priorem divorcio eiicere cum dote.*

Ad alia duo objectionis capita, dico primo a nullo, præter Lamechum, hominum antediluvianorum polygamiam, uſurpatam fuiſſe. Si enim ab aliquo fuiſſet uſurpanda, maxime ab ipſo Noe, ejuſque filiis, humano generi per diluvium pene extincto propagando deſtinatis; hi tamen ſinguli ſingulas tantum habuerunt uxores, ut colligitur ex cap. 7. Geneſ. v. 7. *Et ingreſſus eſt Noe, & filii ejus, uxor ejus, & uxores filiorum ejus cum eo in arcam, propter aquas diluvii*. Et 1. S. Petri, cap. 3. v. 20. *In diebus Noe, cum fabricaretur arca, in qua pauci, id eſt, octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam*, nimirum, Noe cum uxore ſua, & tres ejus filii cum ſuis uxoribus: igitur illi plures uxores non habebant.

Qua vero auctoritate, quove motivo id uſurparint, poſtmodum viri Sanctiſſimi, non ita facile eſt definire: communior tamen Auctorum ſententia eſt, cum ipſis a Deo naturæ Legis auctore, fuiſſe diſpenſatum, ut plures ſimul ducerent uxores: neque enim

vero-

veroſimile eſt viros iſtos pietati & divino cultui deditiſſimos, impii Lamechi exemplum ſecutos eſſe; niſi aliunde noviſſent iſtud Deo non fore ingratum; maxime cum primarium matrimonii finem per polygamiam aſſequerentur, ſcilicet procreationem & educationem prolis; cum vir unus per plures mulieres gignere poſſit multos liberos, qui humano generi propagando, & divino cultui ampliando deſerviant. Si autem requiras unde conſtet illa diſpenſatio,

Reſpondebo, eam colligendam eſſe ex ipſis ſanctorum illorum exemplis, qui contra Dei voluntatem nihil quidquam auſi fuiſſent attentare, nec uſurpare aliquid inſolitum, niſi ex familiari eorum cum Deo converſatione audiiſſent id ſibi eſſe permiſſum. Idque hoc argumento confirmari poteſt. Illi enim vel ſciverunt polygamiam eſſe peccatum; vel neſcierunt: eos id neſciviſſe nemo ſanæ mentis exiſtimare poteſt, maxime cum eorum aliqui præſtantiſſima Dei, omniſque boni & mali cognitione excelluerint, præſertim David, qui Pſal. 118. v. 99. diſerte pronuntiat: *Super omnes docentes me intellexi; quia teſtimonia tua meditatio mea eſt: ſuper ſenes intellexi &c.* Atque incredibile videtur Abrahamum, Iſaacum, & Jacobum, qui frequenti Dei apparitione, & colloquio fruebantur, ignoraſſe ea quæ Deo grata eſſent, aut ingrata.

Si autem ſciverint Polygamiam Deo diſplicuiſſe; aut propter illam admiſſam, pœnitentiam egerunt, vel non egerunt: eos non egiſſe pœnitentiam, ſi ſe peccaviſſe noverint, nullus arbitror affirmabit; quippe cum viri illi percelebres Deo ad mortem uſque acceptiſſimi fuerint.

Quod autem propter Polygamiam, pœnitentiam non egerint, inde conſtat, quod uxores ſuperinductas non abjecerint, ſed ad finem uſque eis cohabitaverint: ac proinde conficitur Polygamiam illis fuiſſe licitam; alioqui in argumentum pœnitentiæ & reſipiſcentiæ debuiſſent ſuperinductas illas mulieres e contubernio ſuo eliminaſſe, ut apparet Eſdræ 1. lib. cap. 10. verſ. 16. adeoque inferendum eſt polygamiam illam fuiſſe illis a Deo permiſſam.

At, inquies, potuerunt propter hoc pœnituiſſe, licet in Scriptura non fuerit exaratum: Nam Lothum pœnitentiam egiſſe propter ebrietatem ſuam, & abominandum incæſtum, veriſimile eſt; tametſi nulla iſtius pœnitentiæ in Scriptura fiat mentio.

Verum hic conſiderandum non eſt quid eſſe potuerit; ſed quid revera fuerit; neque enim a poſſe ad eſſe valet conſequentia. Accedit quod ſi iſtiuſmodi a Patribus acta fuiſſet propter polygamiam pœnitentia, haud dubie eam nobis revelaſſet Deus: maxime cum Patriarcharum mores, virtutes, & vitia acuratiſſime deſcribi curaverit.

Quod autem ejuſmodi nuptias cum aliis uxoribus ingratas non habuerit Deus, apparet ex eo quod Iſmaeli ex Agara, ſecunda Abrahami uxore genito, ſicut & Iſaaco ex Sara oriundo benedixerit, ſpoponderitque Abrahæ, Geneſ. 21. *Sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia ſemen tuum eſt*; non eſt autem veroſimile Deum Iſmaeli in parentis gratiam ita benedixiſſe, ſi Abrahamus eum ex adulterino commercio ſuſcepiſſet. Igitur veriſimile eſt ſanctos Patriarchas, nonniſi ex divina permiſſione plures uxores duxiſſe.

DISQUI-

DISQUISITIONES
IN CAPUT QUINTUM.

IN hoc capite Moſes texuit Adami poſterorum per Sethum genealogiam ad Noachum uſque, eamque orditur his verbis: *Hic eſt liber generationis Adam. In die qua creavit Deus hominem, ad ſimilitudinem Dei fecit illum; maſculum & fœminam creavit eos, & benedixit illis: & vocavit nomen eorum Adam, in die quo creati ſunt.* In quibus verbis quædam veniunt notanda.

I. Quod Adamus non fuerit aliorum hominum inſtar, humano ſemine genitus: ſed a Deo formatus ex gleba, quantum ad corpus; & ex nihilo, quantum ad animam: non ab æterno, ſed *in die*, nempe, ſexto mundi: non infirmus, mortalis, aut peccatis inquinatus, ſed rectus, immortalis, & gratiis, ac virtutibus illuſtratus; nempe, *ad imaginem & ſimilitudinem Dei*.

II. Quod non ſolum hominem, ſed & fœminam Deus produxerit, ad generis humani propagationem via naturali: quodque tam virum, quam uxorem apellaverit *Adam*, quia vir ex terra rubea immediate; fœmina vero, mediante viro, ſumpta eſt.

III. Quod, enarrata Caini progenie uſque ad quintam generationem; aliam Adami genealogiam orditur Moſes per Seth: *Hic eſt*, inquit, *liber generationis Adam &c.* Idque duplici de cauſa, ait S. Chryſoſtomus, homil. at. in Geneſ. *Primo quidem, ut ſignificaret a Deo repudiatos omnes Adami per Cainum poſteros, quod prava ſuorum parentum veſtigia ſectantes, in graviora crimina ruerent.*

Secundo, dicit id eſſe factum ad leniendum ingentem Adami mœrorem. „ Quia, „ *inquit*, magna ignavia, poſteri illius paulatim gravius peccabant; volens, ut ita „ dicam, ſolari Adamum, qui non ſolum „ ob ſuam tranſgreſſionem adeo mœrebat: „ ſed & ob flagitium Cain, luctum graviſſimum habebat, eo quod viderat mortem ſuis oculis (neque enim mortis ſpeciem ſcierant, tametſi lata eſſet ſententia) unde duplex eorum, ac triplex luctus eſt factus; quia & primum viderant mortem in vitam introductam; & „ violentam mortem, & a filio perpetratam; & in fratrem eodem patre, eadem „ matre natum, & qui in nullo nocuerat. Volens ergo benignus Deus patrem „ pro triſtitia afferre conſolationem; alium „ illi dat filium; Seth videlicet. Quo, ut „ ipſum ſatis ſolatus eſt, ab illo poſtea generationis initium ducit. Propterea & „ beatus Propheta ſic exorſus eſt, dicens: „ *Iſte eſt liber generationis hominum*.

Petes, Quo ſenſu Moſes ſcripſerit Adamum genuiſſe Seth *ad imaginem & ſimilitudinem ſuam*, cum ſimilia de Caino & Abele non dixerit?

Reſpondeo, hæc non eſſe intelligenda de ſimilitudine ſecundum naturam; ſiquidem hac ratione Cainus etiam patris imaginem referebat: neque de ſimilitudine ſecundum pietatem, & morum probitatem: Abel enim ea ratione patri erat ſimillimus. Itaque dicendum arbitrarer, hæc ideo dicta, quod per Sethum conſervata ſit Adami poſteritas, & humanæ naturæ ſpecies, & Eccleſia propagata; nam omnes Caini, &, ſi qui fuerint, Abelis poſteri diluvio abſorpti ſunt; ſolaque Sethi poſteritas in familia Noe ſervata eſt, & per univerſum orbem diſſeminata.

Conſulto autem dixit Moſes ab Adamo genitum Seth, non *ad ſimilitudinem Dei*, ſecundum quam ille formatus fuerat; ſed *ad ſimilitudinem ſuam*, quia divinam ſimilitudinem ſua prævaricatione amiſerat; nec eam poterat amplius ad poſteros traducere, quippe qui jure hæreditario, illius criminis eſſent participes. Itaque peccator peccatores, mortalis mortales, miſer miſeros ſibi ſimiles genuit; & licet per pœnitentiam renovatus, attamen ſui criminis reos, & iiſdem, quibus ipſe, calamitatibus addictos genuit.

Pergit Moſes in hoc quinto Geneſis capite enarrare annos generationis & vitæ Patriarcharum antediluvianorum, in cujus Chronologiæ textura tres occurrunt codices inter ſe variantes, nimirum *Hebræorum*, *Græcorum* ex verſione LXX. & *Samaritanorum*; quorum diſcrimen & varietatem uno intuitu in ſequenti tabula conſpicies.

DIVERSITAS CODICUM.					
CODICES.	PATRES.	Anni quibus genuerunt.	Anni quos deinceps vixerunt.	Anni omnes vitæ integri.	Obierunt anno Mundi.
Cod. Hebr.	ADAM.	130	800	930	
Sept.		230	700	930	
Sam.		130	800	930	930
Cod. Hebr.	SETH.	105	807	912	1042
Sept.		205	707	912	1142
Sam.		105	807	912	1042
Cod. Hebr.	ENOS.	90	815	905	1140
Sept.		190	715	905	1340
Sam.		90	815	905	1140
Cod. Hebr.	KAINAN.	70	840	910	1235
Sept.		170	740	910	1535
Sam.		70	840	910	1235
Cod. Hebr.	MALALEEL.	65	830	895	1290
Sept.		165	730	895	1690
Sam.		65	830	895	1290
Cod. Hebr.	JARED.	162	800	962	1422
Sept.		162	800	962	1922
Sam.		62	785	847	1307
Cod. Hebr.	ENOCH.	65	300	365	987
Sept.		165	200	365	1487
Sam.		65	300	365	887
Cod. Hebr.	MATHUSALA.	187	782	969	1656
Sept.		187	782	969	2256
Sam.		67	653	720	1307
Cod. Hebr.	LAMECH.	182	595	777	1651
Sept.		188	565	753	2227
Sam.		53	600	653	1307
Cod. Hebr.	NOE.	500	450	950	2006
Sept.		500	450	950	2612

QUÆRITUR I.

Unde proveniat illa codicum diverſitas?

R*Eſpondeo* 1. eam non eſſe repetendam ex originali & authentico textu, ſive Hebræo, ſive Græco; utrumque ſiquidem initio perfectè conſentiebat; ſicut enim LXX. Interpretes ab Eleazaro tunc temporis Judæorum Pontifice integerrimum ac deſœcatiſſimum nacti ſunt ſacrorum Bibliorum Hebræorum exemplar, ut Ptolemæi Philadelphi votis annuentes, illud Græce redderent, ſic & fideliſſime ſuo munere defuncti, quidquid ad litteram præ ſe ferebat textus Hebræus, Græce tranſcripſerunt. Unde ſummopere tam a Judæis quam a Chriſtianis laudata eſt eorum verſio; quod egregie originali

ginali concordaret; ut dictum eſt in priori volumine; ac proinde illa, quæ jam occurrit inter utrumque ſacrum codicem Hebræum & Græcum diverſitas, præſertim in numerandis Patriarcharum annis, aliunde eſt repetenda. Neque enim exiſtimare fas eſt, aut a Moſe eam minus accurate textam; aut illos LXX. Senes, a contexta per Moſem chronologia, tantopere deflexiſſe; maxime cum eos divino Spiritu afflatos plurimi cum S. Auguſtino ſtatim laudando, arbitrentur, nullaque occurreret hujus mutationis neceſſitas.

Reſponde 2. diverſitatem illam eſſe potiſſimum repetendam ex Amanuenſium, & Exſcriptorum incuria, & oſcitantia: ita expreſſe docet S. Auguſtinus qui propoſitam quæſtionem expendens, cum dixiſſet: „ Si
„ quæram quod ſit credibilius Judæorum
„ gentem, tam longe lateque diffuſam, in
„ hoc conſcribendum mendacium uno con-
„ ſilio conſpirare potuiſſe, ut dum aliis in-
„ vident auctoritatem, ſibi abſtuliſſe verita-
„ tem; an ſeptuaginta homines, qui etiam
„ ipſi Judæi erant, in uno loco poſitos,
„ quoniam Rex Ægypti Ptolemæus eos ad
„ hoc opus adſciverat, ipſam veritatem
„ gentibus alienigenis invidiſſe, & com-
„ municato iſtud feciſſe conſilio: quis non
„ rideat quid proclivius faciliuſque cre-
„ datur?
„ *Reſpondet*; ſed abſit ut prudens quiſ-
„ piam, vel Judæos cujuslibet perverſita-
„ tis, atque malitiæ tantum potuiſſe cre-
„ dat in codicibus tam multis, & tam longe
„ lateque diſperſis; vel Septuaginta illos
„ memorabiles viros hoc de invidenda Gen-
„ tibus veritate unum communicaſſe conſi-
„ lium. Credibilius ergo quis dixerit, cum
„ primum de Bibliotheca Ptolemæi deſcribi
„ iſta cœperunt, tunc aliquid tale fieri po-
„ tuiſſe in codice uno, ſcilicet primitus
„ inde deſcripto, unde jam latius emana-
„ ret, ubi potuit quidem accidere etiam
„ ſcriptoris error.

Deinde propoſita diſcrepantia inter He-
„ bræum & Græcum textum circa annos
„ quot erat natus Mathuſala dum Lame-
„ chum genuit, & eos quos deinde vixit;
„ *concludit*: „ Itaque illa diverſitas nume-
„ rorum aliter ſe habentium in codicibus
„ Græcis & Latinis, aliter in Hebræis, ubi
„ non eſt iſta de centum annis prius addi-
„ tis, & poſtea detractis, per tot genera-
„ tiones continuata parilitas, nec malitiæ
„ Judæorum, nec diligentiæ, vel prudentiæ
„ ſeptuaginta Interpretum, ſed ſcriptoris
„ tribuatur errori, qui de Bibliotheca ſu-
„ pradicti Regis codicem deſcribendum pri-
„ mus accepit... Cenſet igitur ſanctiſſimus Doctor, totam illam diſcrepantiam inter ſacros codices in ſtatuenda Patriarcharum genealogia, eſſe refundendam in Exſcriptorum Græcorum ignaviam aut inſcitiam; ac proinde Græcos codices hac in parte minus eſſe ſinceros quam Hebræos. Quæ ſententia ut veriſimilior appareat,

QUÆRITUR II.

Utrum in numerandis Patriarcharum annis Hebraici textus Chronologia, Græcæ LXX. Interpretum ſit anteponenda?

Etſi merito ſcripſerit S. Hieronymus, Epiſt. 132. ad Vitalem: *Hujuſmodi hærere quæſtionibus, non tam ſtudioſi, quam otioſi hominis eſſe cenſetur*; nihilominus, quæ olim inter eruditos rerum Eccleſiaſticarum Scriptores ea de re gravis excitata eſt controverſia; hiſce diebus inter viros pietate & doctrina celebres ita recruduit, ut licet plurima hinc inde edita ſint opuſcula, non tamen deſerveſcere, ſed magis ac magis inflammari videatur. R. P. Paulus Pezron Ordinis Ciſtercienſis Religioſus, vir apprime doctus Iſaaci Voſſii, & Joannis Morini, aliorumque veſtigiis inſiſtens, paucis abhinc annis librum accuravit hoc titulo inſcriptum: *Antiquitas temporum adverſus Judæos & recentiores Chronologos &c.* in quo potiſſimum collimat, ut demonſtret in recenſendis Patriarcharum annis potius adhærendum eſſe LXX. Interpretum ſententiæ, quam Hebræorum calculo, quem omnino vitioſum arbitratur, & Judæorum fraudibus interpolatum; unde elicit mundum antiquiorem eſſe mille quingentis annis, quam vulgo credatur ab iis omnibus qui Hebraicæ Chronologiæ adhæreſcunt.

At infauſtis auſpiciis in publicum prodiit liber iſte. Statim enim atque diem ſalutavit, tot pene cenſores & impugnatores habuit, quot eruditos Lectores, contendentes in numerandis Patriarcharum annis textum Hebræum Græco eſſe anteponendum; quam ſententiam, ut prius dixi, veroſimiliorem exiſtimo, his potiſſimum inductus argumentis.

I. Auctoritate S. Hieronymi, quem in hiſce rebus verſatiſſimum fuiſſe nemo eruditorum eſt, qui poſſit ire inficias. Porro hic ſanctiſſimus Doctor *quæſtionibus in Geneſim* cum expoſuiſſet diſcrepantiam inter textum Hebræum & Græcum LXX. circa annum quo natus erat Mathuſala quando genuit Lamech, atque apertiſſime demonſtraſſet codicem Græcum aſſerentem Mathuſalam tunc natum eſſe annos 187. & ſupervixiſſe annis 782. ab errore non poſſe vindicari; quia inde conſectarium eſſet, ipſum Mathuſalam, quatuordecim annos vixiſſe poſt diluvium, quod repugnat S. Petro ſcribenti *epiſt.* 1. *cap.* 3. octo duntaxat animas ſalvas eſſe per arcam, nimirum, Noe cum ſua conjuge, & tribus filiis cum ſuis uxoribus, inde concludit: *Reſtat ergo*,

ut quomodo in pleriſque, ita & in hoc ſit error in numero; ſiquidem & in Hebræis, & in Samaritanorum libris, ita ſcriptum reperi, & vixit Mathuſala poſtquam genuit Lamech, ſeptingentos octoginta duos annos, & genuit filios & filias; & fuerunt omnes dies Mathuſalæ anni nongenti ſexaginta novem, & mortuus eſt. Et vixit Lamech centum octoginta duobus annis, & genuit Noe: a die vero nativitatis Mathuſala, uſque ad diem nativitatis Noe, ſunt anni trecenti ſeptuaginta novem; his adde ſexcentos Noe, quia in ſexcenteſimo vitæ ejus anno factum eſt diluvium: atque ita ſit; ut nongenteſimo ſexageſimo anno vitæ ſuæ Mathuſala mortuus ſit, eo anno quo cœpit eſſe diluvium. Ubi vides ab ipſo manifeſte reprobari ſeptuaginta Interpretum calculum, ut Hebræo textui adhæreat.

Ei ſubſcribit S. Auguſtinus qui eandem difficultatem expendens, cum utriuſque ſententiæ aſſertorum judicium expoſuiſſet, nec quidquam ipſe ea de re voluiſſet ſtatuere; nihilominus concludit: *Hanc opinionem, vel ſuſpicionem accipiat quiſque, ut putaverit: certum eſt tamen non vixiſſe Mathuſalam poſt diluvium; ſed eodem anno fuiſſe defunctum, ſi verum eſt quod de numero annorum in codicibus Hebræis habetur.* Suam vero mentem diſtinctius explicat cap. 5. *Cum*, inquit, *diverſum aliquid in codicibus invenitur, quandoquidem ad fidem rerum geſtarum utrumque eſſe non poteſt verum, ei linguæ potius credatur, unde eſt in aliam per Interpretes facta tranſlatio.*

Utramque auctoritatem ſuo calculo firmat Venerabilis Beda in præfatione libri de temporum ratione.

Probatur 2. auctoritate Concilii Tridentini decernentis ſeſſ. 4. *Ut ipſa Vetus & Vulgata Editio* (Latina) *quæ longe tot ſæculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus pro authentica habeatur; & ut nemo illam reiicere quovis prætextu audeat, vel præſumat:* At, qui ſpreto Hebraicæ Editionis calculo, cenſent adhærendum eſſe LXX. verſioni in numerandis Patriarcharum annis, reiiciunt Vulgatam Editionem Hebrææ conſentientem; igitur Tridentini Concilii ſanctioni adverſantur; ei vero religioſe obſequuntur, qui Hebræam Chronologiam legitimam eſſe propugnant.

Reponunt Græcæ Editionis propugnatores, Vulgatam verſionem eatenus tantum approbatam, quatenus & fidem, & bonos mores ſpectat; atque etiam ut certum eſſet nullo eam fœdatam errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide & moribus colligi poſſet; ut docet Andreas Vega ex mente Cardinalis a S. Cruce Concilii Præſidis, & Jacobi Laines Societatis Jeſu qui Concilio interfuit.

Verum hæc expoſitio directe adverſatur verbis, mentique Concilii decernentis Editionem hanc eſſe authenticam, ac proinde purum ac ſincerum Dei verbum, & Spiritu-Sancto dictante conſcriptum referre; ideoque omni ex parte ſumma cum veneratione excipiendam; nec ſine culpanda temeritate aliquid ex ea quovis prætextu poſſe reiici, aut improbari. Igitur qui contextam in ea ex Hebraico textu derivatam Chronologiam reſpuunt, & LXX. Interpretum calculum ei anteponendum eſſe contendunt, Tridentini Concilii definitioni manifeſte contradicunt, & Editionem Vulgatam falſitatis inſimulant.

Probatur 3. ratione: textus originalis purus & integer Editioni ex eo derivatæ, & ipſi non conſentienti, eſt anteponendus: at ſacrorum Bibliorum Codex Hebræus nobis exhibet ac repræſentat textum originalem, ex quo cæteræ Editiones prodierunt: Igitur ille his eſt præferendus, niſi manifeſta appareat illius interpolatio. Major propoſitio ſua luce fit evidens; nemo enim ambigere poteſt fontem rivulis, Solem radiis ab eo defluentibus, & originale quodcumque omnibus exemplaribus ab eo depromptis præſtare. Minor vero eſt citra controverſiam; ac ſubinde concluſio eſt per ſe manifeſta.

Reponunt adverſarii, revera fontes eſſe anteponendos rivulis, & originalia exemplaribus, quandiu a priſtina puritate, ſinceritate, & integritate non degenerant: porro, *inquiunt*, codex Hebræus a Judæis plurimum fuit interpolatus, teſtibus *S. Juſtino* in Dialogo cum Triphone: *S. Irenæo*, lib. 3. cap. 24. *Tertulliano*, lib. de habitu muliebri cap. 3. *Origene*, homil. 12. in Jeremiam, & Epiſt. ad Africanum. *Cypriano*, in præfat. lib. de exhort. Martyrii. *Chryſoſtomo*, homil. 5. & 9. in Math. *Juliano Toletano*, lib. 1. & 3. imo & ipſo S. *Hieronymo* quamvis Hebræis codicibus addictiſſimo, ut apparet ex ejus comment. in Michæam, ubi, inquirens cur Propheta deſignans locum futuræ nativitatis Meſſiæ in tribu Juda, vocat eum *Bethleem Ephrata*, ut hanc civitatem diſtingueret ab alia ejuſdem nominis, quæ extabat in Galilæa: quam tamen vocem *Ephrata* non habent Hebræi codices ſervavit vero Græcus LXX. Reſpondet: *Sive de veteribus libris eraſum ſit malitia Judæorum ne Chriſtus de Tribu Juda ortus videretur; ſive a LXX. additum, nequaquam liquido cognoſcentes, certum quid novimus.*

Reſpondent aliqui SS. illos Patres de textu Hebraico authentico & primigenio ſermonem non facere; ſed de verſionibus editis a quibuſdam Judæis in verſionis LXX. & Chriſtianæ Religionis odium, quas Editiones ex Hebraicis fontibus expreſſas jactitabant eſſe ſinceram Scripturam ſacram. Primus eorum fuit *Aquila* ex Ethnico Chriſtianus, & ex Chriſtiano Judæus, qui cum ejectus eſſet ab Eccleſia, quod judiciariæ aſtrologiæ nimium eſſet addictus, ut Chriſtianis adverſaretur, Vetus Teſtamentum ex Hebræo Græce reddidit, ſub Hadriano circa annum Chriſti 130. hoc eſt, annis 400. aut amplius poſt Editionem LXX. *Theodotion*, primum Marcionita, poſtea Judæus, aliam Editionem concinnavit circa annum Chriſti 180. *Symmachus* vero Proſelytus al-

teram

teram verſionem aggreſſus eſt circa annum Chriſti 200. Hi vero nonnullos textus prætermiſerunt, aut mutarunt, ex quibus Chriſti D. adventus, divinitas & majeſtas facile poterat colligi ac demonſtrari. Hos autem cum præfati Patres, qui Hebraicam linguam non callebant, legiſſent, & animadvertiſſent eos in plurimis a verſione LXX. ipſis familiari, & Eccleſiæ uſu ac conſenſu probatæ, plurimum deflectere, conſtanter pronuntiarunt a Judæis, nimirum, his recentioribus Interpretibus, textum Hebræum interpolatum fuiſſe.

Non abnuo tamen ego a Judæis, poſt ipſorum per Titum vaſtationem & diſperſionem, animadvertentibus Legem Evangelicam ubique Gentium diſſeminari ac propagari; cum ſacros Hebræos codices exſcriberent, nonnulla mutata in iis textibus ex quibus evidentiſſime licebat colligere Meſſiam adveniſſe; ut apparet ex iis quæ diximus in præcedente volumine, ubi ſermo eſt de Editione Latina. At nulla erat cauſa cur interpolationem inferrent in enumerandis Patriarcharum annis; quid enim illa mutatio ad pravum eorum intentum & conſilium contuliſſet?

His accedit quod Græci Codices facile potuerint corrumpi in Patriarcharum antediluvianorum annis; eratque cauſa cur iſtud fieret. Siquidem Judæus Helleniſta, qui LXX. Interpretum codicem in celebri Bibliotheca Ptolemæi Philadelphi repoſitum primus exſcripſit, animadvertens Ægyptios ſuis antiquis Regibus annos vitæ mille & amplius tribuiſſe; ne his Patriarchæ veteres longævitate viderentur inferiores, illorum ſingulis centum annos, pluſquam ſerebat Hebræus codex Ægyptiis ignotus, cenſuit tribuendos; ne ſapientes Ægyptii haberent unde Majores ſuos Hebræorum Patribus anteponerent. Quod ſi iſtud, non induſtria, ſed caſu, factum fuerit; error ille facile non potuit emendari; cum vix illa exemplaria Græca potuerint conferri cum originali LXX. Interpretum, maxima cura & vigilantia ab Ægyptiis aſſervato, & nonniſi ſumma cum difficultate exteris exhibito.

Inde eſt quod in argumento præſenti tanta ſit LXX. Græcorum codicum varietas: nam ii quos Africanus, & S. Auguſtinus viderunt, Mathuſalæ ultra aſſignatos in Hebræo codice annos, tribuunt 187. Illi autem quibus uſus eſt Euſebius, annos 167. Complutenſis vero 165. *Inſuper* variæ computationes Græcorum Hiſtoricorum Eupolemi, Alexandri, Polyhiſtoris, & aliorum, quos referunt Euſebius, & Clemens Alexandrinus, aperte deſignant variantes Lectiones Græci textus, quo illi uſi ſunt. Quæ ergo illi fides? At non eadem occurrit variationis ratio in codice Hebræo; nulla enim erat probabilis cauſa, cur Patriarcharum annos minuerent Hebræi.

Reponit 1. R. P. Pezron *cap. 4. pag. mihi* 57. eam interpolationem ideo factam, ut demonſtrarent Judæi Meſſiam nondum apparuiſſe; etenim perſuaſum illis erat ex Talmude ſex eſſe diſtinguenda annorum millia durationis mundi. Meſſiam vero in ſexto tantum millenario venturum. Cum autem a Chriſtianis urgerentur ex ſacra Chronologia, jam ſextum millenarium decurrere juxta Editionem LXX. ac proinde Chriſtum adveniſſe; ut hoc telum repellerent, quindecim ſæcula ex Patriarcharum Chronologia ſuis e codicibus expunxerunt, ut ſextum illud millenarium nondum inceptum eſſe demonſtrarent; ac proinde nil mirum quod adhuc Meſſias non advenerit: quippe qui ſexto duntaxat millenario debebat apparere.

Hac arte, inquit, anno *686.* quo Hiſpanias frequentiſſimi incolebant Judæi, convenerunt Ervigium Regem adverſus Chriſtianos, eoſque inſimularunt erroris, & impoſturæ, quod aſſererent Meſſiam adveniſſe, cum nondum decurreret ſextum millenarium, quo ille venturus denuntiabatur. Quorum os temerarium & blaſphemum ut chamo & freno conſtringeretur, S. Julianus Toletanus Archiepiſcopus, ejuſdem Ervigii Regis juſſu, ut hanc Judæorum argutationem refelleret, tres edidit libros: in quorum tertio, cum propoſuiſſet illam codicum Hebræorum & Græcorum diſcrepantiam in recenſendis Patriarcharum annis, quæſiviſſetque *quibus codicibus debeatur major auctoritas?* reſpondet; *illa nobis & ſola pro his annis eſt obſervanda auctoritas ſeptuaginta Interpretum, quæ merito omnibus Editionibus & Translationibus antefertur; quam etiam uſque in hodiernum diem omnes Doctores Eccleſiaſtici tenuerunt, & in hac præcipue annorum ſupputatione ſecuti ſunt.* Igitur e re Judæorum erat ſuos violare codices, ut Chriſtianorum de adventu Meſſiæ argumenta diluerent & elevarent.

Reſpondeo, hanc exceptionem nullius eſſe momenti. I. Quia commentum illud de ſex annorum millibus, quibus mundus duraturus eſt, ignotum prorſus fuit prioribus Eccleſiæ ſæculis; nec prius innotuit, quam in lucem prodiret Talmud Babylonicum innumeris putidis Rabinorum figmentis refertum. Prodiit autem illud ſeptimo æræ Chriſtianæ ſæculo, ut ex ipſis Judæorum traditionibus & ſcriptis evidentiſſime probat Doctiſſ. Morinus; non eſt autem veroſimile a Judæis anterioribus ſacrum Textum interpolatum, & Patriarcharum annos abbreviatos eſſe, ut iſti futuro commento anſam præberent & fidem conciliarent.

II. Si ſerio Talmudis verba expendantur, concludendum erit Meſſiæ adventum non in ſexto, ſed quarto effluente, aut ſaltem quinto ineunte ſæculo ſtatuendum; in eo namque legimus: *Traditio domus Eliæ: mundus ſex annorum millibus conſiſtet: duobus millibus inanitatis; duobus millibus Lex; & duobus millibus tempus Meſſiæ*; unde conficitur quod quemadmodum Lex cœpit vigere tertio ineunte millenario; ita & Meſſias advenire debuit quinto exoriente, ut duo cuique millenaria conſtarent; hinc Salomon Iarchi, referente Galatino, *lib. 4. de arcanis. cap. 4.* Traditionem illam exponens,

ſate-

fatetur quidem Meſſiam debuiſſe apparere illo effluente quarto millenario; ſed majorum ſuorum peccatis provocatum Deum ut ejus adventum in aliud tempus differret. Nullum igitur ex illo Rabinico figmento antiquitatis prætenſo Reſtauratori patrocinium accedit; nec inde colligere licet illius commenti ſtabiliendi & confirmandi gratia ſacrum Bibliorum textum Hebræum violatum eſſe.

III. Si protrahendi Meſſiæ adventus cauſa Judæi ſuos temeraſſent codices, id feciſſent maxime eis in locis ubi perſpicue deſignatur tempus illius acceſsus, ut *Geneſ.* 49. & *Danielis* 9. at hos intactos ſervarunt; igitur non eſt veriſimile eos violaſſe in conſtituendis Patriarcharum annis.

Ad Julianum Toletanum quod attinet, dico quod etſi Judæis opponat Chronologiam LXX. Interpretum, ut demonſtret ſextum millenarium jam decurrere, ac proinde ex eorum ſententia Meſſiam adveniſſe: Attamen hoc argumentum parvi ducens, altero eos aggreditur; demonſtrando Chriſtum veniſſe in ſexta mundi ætate, ex qua potius quam ex ſexto millenario ejus adventus eſt colligendus: *Quid enim* (inquit in præfat.) *anni faciunt, ſi generationes ſuccumbant? in generationibus ergo ætatum nativitatis Chriſti quærenda eſt veritas, quæ per legem monſtratur, & per Evangelium noſcitur.*

Porro Chriſtus natus eſt in ſexta mundi ætate; *ab Adam enim*, inquit, *uſque ad diluvium ætas* PRIMA, *porrigitur, quæ denis generationibus terminatur* SECUNDA, *poſt diluvium uſque ad Abraham ſimiliter per decem generationes evolvitur.* TERTIA *deinde ætas ſæculi uſque ad David, quatuordecim generationibus protelatur.* QUARTA, *poſt hæc ſimiliter denis & quaternis generationibus a David uſque ad tranſmigrationem Babylonis producitur.* QUINTA *dehinc ætas ſæculi ſequitur a tranſmigratione Babylonis, uſque ad Chriſtum, quæ & ipſa ſimiliter denis & quaternis generationum articulis terminatur. Jam deinde ſexta ætas ſæculi ſequitur in qua Chriſtus Dei Filius ex Maria Virgine naſcitur: quæ ætas quot annis, quotque generationibus protrahatur, a nullo hominum comprehenditur.*

Igitur S. Julianus Toletanus prætenſo reſtitutæ temporum antiquitatis Reparatori nullatenus ſuffragatur; quippe cum ſacram Chronologiam non juxta LXX. Interpretum calculum, ſed juxta diverſas Patriarcharum ætates cenſeat eſſe texendam. Quod vero ait verſionem LXX. cæteris eſſe anteponendam, utpote magis ab Eccleſia probatam; non tam ex propria, quam ex aliorum ipſius adhuc ætate in Hiſpaniis vigente ſententia ſcripſit; minus quidem conſulto: maxime cum SS. Hieronymus & Auguſtinus multo magis quam alii Patres, hac potiſſimum in re audiendi, aliter cenſeant, ut ſupra demonſtratum eſt.

Opponit præterea, idem antiquitatis temporum Reſtaurator, teſtimonium inſignis inter Arabes auctoris, nomine Abulpharagii a Doct.ſſ. Pokokio Latine donati, qui in ſua Dynaſtiarum hiſtoria Dynaſt. VII. *pag.* mihi 72. ſcribit: „ Ab initio mundi uſque
„ ad *Meſſiam*, ſecundum computum Legis,
„ quæ in manibus *Judæorum* eſt, anni ſunt
„ fere quatermille, ducenti viginti; at ſe-
„ cundum computum legis (*ex verſione*
„ *Septuaginta*) quæ in manibus Græcorum,
„ & reliquarum Chriſtianorum ſectarum,
„ exceptis *Syris*, anni fere quinquies mille
„ quingenti octoginta ſex; deficiente com-
„ puto priori a ſecundo annis mille trecen-
„ tis ſeptuaginta quinque, qui defectus aſ-
„ cribitur Doctoribus *Judæorum*: nam cum
„ pronuntiatum eſſet in Lege & Prophetis
„ de *Meſſia*, miſſum iri ipſum ultimis tem-
„ poribus; nec aliud eſſet Rabbinis anti-
„ quioribus commentum, quo Chriſtum
„ reiicerent, quam ſi hominum ætates, qui-
„ bus dignoſceretur mundi Epocha, muta-
„ rent; ſubtraxerunt de vita *Adami*, donec
„ naſceretur Seth, centum annos, eoſque
„ reliquæ ipſius vitæ addiderunt; idemque
„ fecerunt in vitis reliquorum Adami filio-
„ rum uſque ad *Abrahamum*; atque ita fa-
„ ctum eſt, ut indicet ipſorum computus
„ manifeſtatum eſſe Chriſtum millenario
„ quinto prope accedente ad medium anno-
„ rum mundi, qui omnes ſecundum ipſos
„ futuri ſunt ſepties mille; dixeruntque:
„ nos adhuc in medio temporis ſumus, &
„ nondum adeſt tempus adventui Meſſiæ
„ deſignatus. At computus (ſeptuaginta
„ Seniorum) indicat manifeſtatum eſſe Chri-
„ ſtum millenario ſexto, atque adfuiſſe tem-
„ pus ipſius.

Reſpondeo, hujus Scriptoris Arabis auctoritatem non eſſe magni ponderis: *tum quod* recentior eſt, utpote qui ſolum a quadringentis annis ſcripſerit: *tum quod* plurima congerat tam ex ſacris, quam ex prophanis, minus accurate librata, quæve nullam veri ſpeciem præ ſe ferunt; puta cum *Dynaſt.* 1. *pag.* 4. dicit Adamum non genuiſſe Cainum & Elimiam ſororem, niſi anno 30. poſt ſuam e Paradiſo ejectionem, & poſt alios 30. annos genuiſſe Abelem & Lebicdam ſororem, quam poſt 60. annos cum Adamus vellet Caino in uxorem tradere, tenuit Cainus, gemellam ſuam petens; at repulſam paſſus, propterea furore abreptus in fratrem Abelem, eum occidit; quæ narratio Rabbinicum commentum ſapit. Mitto innumera ejuſmodi figmenta quæ pro veris hiſtoriis obtrudit. *Tum denique quod* ipſo fatente Pokokio, ille peritiſſimus quidem fuit medicus; at in rebus ſacris parum eruditus, quippe qui nec Hebraice, nec Græce, nec Latine, ſed Arabice tantum noverit.

Opponit III. Joſephum, qui cum recenſuiſſet ſacros Libros, & celebraſſet Judæorum diligentiam in eis conſervandis; ſcribit: *Apud nos*, inquit, *nequaquam innumerabilis eſt librorum multitudo diſſentientium, atque inter ſe pugnantium: ſed duo duntaxat & viginti libri, totius præteriti temporis hiſtoriam complectentes, qui merito creduntur divini. Ex his quinque quidem ſunt Moſis, qui & leges continent, & ſeriem rerum geſtarum, a conditu generis humani, uſ-*

que

que ad ipſius Meſis interitum. Atque hoc ſpatium temporis tria propemodum annorum millia comprehendit. Similia habet *lib.* 1 *Antiq. cap.* 4. & 7. nam cap. 4. ab Adamo ad diluvium numerat annos bis mille ducentos quinquaginta; & *cap.* 7. a diluvio ad Exodum computat ſeptingentos nonaginta ſeptem annos: igitur reprobato Hebraici codicis calculo, adhæret Chronologiæ LXX. Interpretum.

Reſpondeo, Joſepho nullam hac in re deberi fidem, ut pote cum ſibi non conſtet: Nam *lib.* 8. *cap.* 2. referens annos qui effluxerunt a vocatione Abrahami ad exitum Iſraelitarum de Ægypto, & ab illo exitu ad fabricam templi Salomonis, ſcribit: *Ædificationem templi Salomon cæpit exactis annis poſt exitum Iſraelitarum ex Ægypto quingentis nonaginta duobus: poſt Abrahami migrationem ex Meſopotamia in Cananæam mille & viginti; a diluvio mille quadringentis quadraginta. Ab Adamo uſque ad tempus, quo ædificavit Salomon templum, in univerſum effluxerunt anni ter mille centum & duo.* Si igitur annis 3102. qui in univerſum (juxta Joſephum) lapſi ſunt a conditu mundi ad ædificationem uſque templi, ſubducantur anni 1440. qui inter diluvium, & templi fabricam fluxerunt; reſidui erunt a mundi initio ad diluvium uſque, anni mille ſexcenti ſexaginta duo: qui quidem calculus minime convenit cum LXX. Senioribus; proxime autem accedit ad fontes Hebræos, quippe quorum ſummam ſuperat annis ſex tantum. Mitto plures alios ejuſdem Joſephi in Chronologia lapſus.

Opponit IV. Morinus auctoritatem Eccleſiæ Romanæ, quæ licet Vulgatam Editionem Latinam ex Hebræo textu derivatam authenticam declaraverit; nihilominus in hunc uſque diem LXX. Interpretum calculum Judaico prætulit; idque probat ex Kalendario Romano, quod in Eccleſia quotidie publice decantatur. Octavo enim Kalendas Januarii nativitatem Domini quotannis annuntiat, his verbis: *Anno a creatione mundi, quando in principio Deus creavit Cœlum & terram, quinquies milleſimo centeſimo nonageſimo nono. A diluvio vero anno bis milleſimo nongenteſimo quinquageſimo ſeptimo &c.* quæ computatio LXX. Interpretum calculo concordat, & ab Hebræo recedit. Igitur ille huic eſt anteponendus.

Reſpondeo, Eccleſiam hanc computationem primitus obſervatam adhuc retinere, ne videatur a Majorum inſtituto in ſacris ritibus variaſſe. Qua ratione Pſalterium & Gradualia juxta veterem verſionem ad Græcam Editionem LAX. accuratam in officio divino celebrando ſervari voluit; ne fideles his decantandis aſſueti, ſcandalum paterentur, ſi his ſubſtractis, adjecta fuiſſet a Sancto Hieronymo ad Hebræum textum concinnata verſio. At cum, his non obſtantibus, Vulgatam hodiernam Editionem a Græca LXX. Interpretum in plurimis abludentem, authenticam eſſe pronuntiaverit; eamque in *lectionibus, prædicationibus, diſputationibus, & expoſitionibus ſequendam juſſerit*; liberum nobis facit a LXX. Interpretum Editione in rebus Chronologicis diſcedere, & Hebræi textus computationem illi præponere.

Sunt & aliæ his ſimiles Adverſariorum objectiones, quas propter levitatem miſſas facio; nam, recte admonet. *Apoſtolus*. Epiſt. ad Titum: *Stultas quæſtiones & genealogias, & contentiones & pugnas legis devita. Sunt enim inutiles, & vanæ.* Quæ verba expendens S. Hieronymus: *Quid enim mihi prodeſt ſcire quot annos vixerit Mathuſalem? quoto ætatis ſuæ anno Salomon ſortitus ſit conjugem: ne forſitan Roboam undecimo ætatis illius anno natus eſſe credatur? & multa iſtiuſmodi, quæ aut difficile eſt invenire propter librorum varietatem, & (dum paulatim de inemendatis inemendata ſcribuntur) errores inſolitos: aut etiam ſi inveniremus magno ſtudio & labore, nihil profutura cognovimus.*

QUÆRITUR III.

Quæ fuerint cauſæ tantæ longævitatis in hominibus ante-diluvianis?

„ Plurimas profert & breviter ac perſpicue tradit Lyranus noſter. „ Ad hoc, *inquit*, poteſt ratio multiplex aſſignari.

„ *Prima*, eſt ex bonitate complexionis primorum parentum; fuerunt enim a Deo immediate formati, & per conſequens optime complexionati; & ſic ad longiorem vitam diſpoſiti. Et illa bonitas complexionis magis venit ad homines propinquos illius temporis, quam ad remotos temporis moderni.

„ *Secunda*, eſt ex modo vivendi: quia temperate vivebant.

„ *Tertia*, eſt ex bonitate nutrimenti; quia ante diluvium terræ naſcentia fuerunt meliora, quam poſt. Quia inundatio diluvii fuit, pro majori parte, ex aquis Oceani: ſecundum quod dicitur. *Rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ*. Aquæ autem ſalſæ inducunt ſterilitatem terræ; & per conſequens reddunt terræ naſcentia pejora, ex quibus abbreviatur hominis vita.

„ *Quarta*, ex ſcientia Adæ, quia formatus fuit in perfectione ſcientiæ & ideo cognovit virtutes fructuum, herbarum, & lapidum, quæ faciunt ad conſervandam ſanitatem, & vitam prolongandam, & hæc filiis inſinuavit.

„ *Quinta*, ex bono aſpectu ſyderum ſuper illam regionem, in qua manebant; qui aſpectus multum facit ad longitudinem vitæ: ſed per motum Cæli continuum mutatus eſt a tempore præcedente.

„ *Sexta*, ex divina diſpoſitione hoc ordinante, ut per longam vitam hominum cito multiplicaretur genus humanum.

„ Item

„ Item, ut homines illius temporis per lon-
„ gam vitam poſſent habere experientias de
„ curſu Cœli & effectibus ſyderum, & alia-
„ rum rerum; quæ experientiæ ſunt princi-
„ pia artis & ſcientiæ, &c.

Similes pene hujus longævitatis cauſas profert Joſephus, lib. 4 Antiquit. cap. 3. ubi quæ Moſes de primorum illorum hominum longævitate narravit, exterorum teſtimonio confirmat; introduxit enim conſentientis illius longævitatis auctores *Beroſum* in Chaldaicis, *Manethonem* in Ægyptiacis, *Hieronymum* in Phœniciis, *Hæſtiæum*; *Hecatæum*, *Hellanicum*, in Græcanicis, *Acuſilaum*, *Ephorum*, *Nicolaum Damaſcenum*; quorum plerumque libri tempore adhuc Joſephi ſuperſtites fuerunt.

His adiicere licet longævitatem illam fuiſſe neceſſariam inſtitutioni hominum; ut nimirum, per Adamum edocti, poſteris traderent quæ ab eo acceperant de mundi exordio, hominis formatione, tentatione, lapſu, pœnitentia, & ſponſione facta futuri hominum Reparatoris & Salvatoris; quod utique facili negotio actum eſt: nam *Lamech* pater Noe, ipſum Adamum docentem audivit; *Abrahamus* vero cum *Semo* Noe filio potuit converſationem inire, & ab eo accipere ſacra documenta, quæ ad poſteros ſuos traduceret

Sunt qui Patriarcharum longævitatem non in ſpeciale Dei prudentiæ beneficium refundunt, ſed in recentem mundi procreationem; aiuntque mundum tunc proximum ſuæ formationi, majoribus ac veluti juvenilibus viribus valuiſſe; procedente vero tempore ad ſenilem ætatem declinaſſe: unde, inquiunt, non mirum quod primis temporibus longior ætas, proceriora corpora, vires ampliores hominibus obtigerint; ſequentibus vero temporibus mundo ad ſenectam præcipitante, hæc omnia magis ac magis deficient. Ita præ cæteris ſenſerunt Poetæ, Homerus, Horatius, Juvenalis, & Lucretius.

Illum pariter amplexus eſt S. Cyprianus, reſpondens enim Ethnico calamitatum publicarum cauſas Chriſtianorum novæ Religioni, & Deorum cultus neglectui imputanti, inter cætera ait; „ Illud primo loco
„ ſcire debes ſenuiſſe jam mundum; non il-
„ lis viribus ſtare, quibus prius ſteterat; nec
„ vigore & robore eo prævalere, quo an-
„ tea prævalebat..... Putaſne tu tantam
„ poſſe ſubſtantiam rei ſeneſcentis exiſtere,
„ quanta prius potuit novella adhuc, &
„ vegeta juventa pollere? Minuatur, neceſ-
„ ſe eſt, quidquid fine jam proximo in oc-
„ cidua & extrema devergit. Sic Sol in
„ occaſu ſuos radios minus claro & igneo
„ ſplendore jaculatur: ſic declinante jam
„ curſu exoletis cornibus Luna tenuatur
„ *&c.* Hoc (*ſubdit*) nobis tacentibus mun-
„ dus ipſe jam loquitur, & occaſum ſui
„ rerum latentium probatione teſtatur. Hæc
„ ſententia mundo data eſt: hæc Dei lex eſt,
„ ut omnia orta occidant, aucta ſeneſcant,
„ fortia infirmentur, & magna minuantur.

At, inquit appoſite perdoctus Henricus Heigdeggerus, excuſandus venit S. Cyprianus, quod incidiſſet in tempora dura, bello, fame, peſte ſævientia, quorum cauſam in ſuorum Numinum adverſus Chriſtianos iram derivabant Idololatræ: ut autem ipſorum criminationi occurreret S. Cyprianus, eas calamitates in mundi ſeneſcentis defectum cenſuit eſſe refundendas.

Verum inanem iſtam eſſe ſententiam aperte demonſtrant hæ rationes. I. Si longævitas fuit primis hominibus a recenti vigore naturæ, brevior autem vita ex mundi ad ſenectam declinante, cum naturæ vires, non niſi ſucceſſive, deficere debuerint; cur a termino 900. annorum, tam ſubito deſiit in 400. ab his ad 200. dein ad 100. hinc ad 80. & 70.

II. Cur a tempore Davidis ad noſtram uſque ætatem per decurſum tot ſæculorum idem vitæ curſus perſeverat? Dixit enim ille de hominibus ætate ſua conſiſtentibus: *Si in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor:* Porro plurimi ſunt etiam nunc viri octogenarii adhuc pollentes viribus, & integra ſanitate; ego enim ipſe, qui hæc enarro, natus pene 80. annos, abſque ullo exteriori ſubſidio legere & ſcribere valeo: igitur quo major fit mundi annoſitas, hominum ſtatus non fit debilior & infirmior.

III. Si cum mundo ſeneſcente ſemper decreſceret hominum ætas, inde fieret ut quo mundus magis tendit ad ſenectam, eo brevior eſſet hominum vitæ periodus; ac proinde continuo detractis ab Adamo ad nos uſque calculis, jam vix per menſem vivere liceret: quæ, quantum abſurda ſint, nemo eſt qui non videat.

QUÆRITUR IV.

Utrum anni illi, quos vixerunt homines antediluviani, fuerint pares noſtris?

DOlebat, nec abs re, S. Auguſtinus, *Annorum numeroſitatem cujuſque hominis, quæ temporibus illis* (ante-diluvianis) *fuit, nullis nunc talibus documentis venire in experimentum poſſe*; ut eorum exemplo reprimeretur ſciolorum quorumdam ſupercilium, qui cum Moſis auctoritatem deprimere non poſſent, ejus narrationem ita interpretari laborarunt, ut ingens ille annorum numerus, quos homines antediluviani vixiſſe referuntur, nihil inſolens & inuſitatum præter communem hominum jam viventium ſortem continere viderentur, affirmantes annos illos longe noſtris breviores eſſe; ac pro-

proinde illorum vitam noſtra non fuiſſe longiorem. Hanc temeritatem & inſcitiam S. Aug. caſtigat libro mox laudato *cap.* 12. ubi prolixe refellit illos, *qui putant, aliter annos illis temporibus computatos, quapropter, inquiunt, cum audierit quiſque, vel legerit nongentos annos quemquam vixiſſe; debet intelligere nonaginta. Decem quippe illi anni, unus eſt noſter; & decem noſtri, centum illi fuerunt. Ac per hoc, ut putant, viginti trium annorum fuit Adam quando genuit Seth; & ipſe Seth viginti habebat annos & ſex menſes, quando ex illo natus eſt Enos: quos appellat Scriptura ducentos & quinque annos.*

Horum igitur opinione annus Patriarcharum illorum abſolutus fuiſſet ſpatio dierum circiter triginta tres, qua anni menſtrui menſura uſos fuiſſe quondam Ægyptios affirmat Plinius qui cum recenſuiſſet plurimos homines, qui diutiſſime, etiam ad octingentos annos adiicit: *Quæ omnia, inſcitia temporum acciderunt; annum enim alii æſtate unum determinabant, & alterum hieme: alii quadripartitis temporibus, ſicut Arcades, quorum anni trimeſtres fuere: quidam Lunæ, ſenio ut Ægyptii. Itaque apud eos aliqui & ſingula millia annorum vixiſſe produntur.*

Quod etiam obſervant quidam Hebræorum Magiſtri, præſertim Abarbanel ad præſens quintum Geneſis caput, & Rabi Ganz in Zemach David ad an. 1656. ſcribens: *Erronei quidam ſpiritus, vel hæretici exiſtimant, primævos illos homines adeo dies ſuos prolongaſſe, quia non habuerint menſurum annorum juxta dimenſionem annorum noſtrorum, ut forte menſem unum vocaverint annum, aut revolutionem quadrimeſtrem, vel tempus aliquod determinatum: quia ſicut invenimus in Joſippo, & Kabola ſeu traditione R. Abraham filii David, Græcos diviſiſſe annum in octo menſes; ita fieri potuit, ut primævis alia fuerit anni determinatio; neque repugnare hoc ſanctæ noſtræ legi, nec effatis ſapientum noſtrorum 6. M.* quam autem abſurda, ne dicam inſana, ſit illorum exiſtimatio.

Probatur. I. Si eorum Patriarcharum anni fuiſſent menſtrui, & adeo breves, ut decem ex illis unum ex noſtris non excederent, conſectarium eſſet quoſdam ex illis procreaſſe liberos quinto, ſexto, aut ſeptimo eorum ætatis anno: nam Cainan dicitur genuiſſe Malalcelem, cum eſſet annorum ſeptuaginta; Malaleel & Henoc nati erant tantum ſexaginta quinque, dum ille Jaredum, hic Mathuſalem genuit: ſi igitur Moſes annos menſtruos deſignaſſet, ſequeretur Malaleelem, & Henochum anno ſuæ ætatis quinto, & Cainan ſexto operam liberis dediſſe; quod, quam erroneum ſit, nemo adeo cæcus qui non videat.

II. Eadem enumerandi ratione Moſes annos intellexit in texenda Patriarcharum Genealogia, qua uſus eſt in recenſenda diluvii hiſtoria: at in hac annos, non menſtruos, ſed vere ſolares, ac noſtris ſimiles accepit. In ea namque meminit menſis ſecundi, ſeptimi, & decimi, atque etiam diei 27. ejuſdem menſis, quæ certe de anno menſtruo, quo Luna ſuum pervolvit orbem, non poſſunt intelligi; ſed de anno ſolari noſtris perſimili.

„ Demonſtrat iſta egregie S. Auguſtinus libro laudato cap. 14. „ Sexcenteſimo, *inquit*, anno vitæ Noe, ſcriptum eſt, factum eſſe diluvium. Cur ergo ibi legitur: *& aqua diluvii facta eſt ſuper terram ſexcenteſimo anno vitæ Noe, ſecundi menſis, ſeptima & viceſima die menſis*; Si annus ille minimus, quales decem faciunt unum noſtrum, triginta ſex dies habebat? Tantillus quippe annus, ſi antiquo more hoc nomen accepit, aut non habet menſes, aut menſis ejus eſt triduum, ut habeat duodecim menſes. Quomodo igitur hic dictum eſt, *Sexcenteſimo anno, ſecundi menſis, ſeptima & viceſima menſis*, niſi quia tales, quales nunc ſunt, etiam tunc erant menſes? nam quo pacto aliter viceſimo & ſeptimo die ſecundi menſis diceretur cœptum eſſe diluvium? Deinde in fine diluvii ita legitur: *Et ſedit arca in menſe ſeptimo, ſeptima & viceſima die menſis ſuper montes Ararath.* Aqua autem minuebatur uſque ad undecimum menſem: in undecimo autem menſe, prima die menſis, apparuerunt capita montium. Si igitur tales menſes erant, tales profecto & anni erant, quales nunc habemus. Menſes quippe illi triduani, viginti & ſeptem dies habere non poterant. Aut ſi pars triceſima tridui tunc appellabatur dies, ut omnia proportione minuantur: ergo nec toto quatriduo noſtro factum eſt illud tam grande diluvium, quod memoratur factum quadraginta diebus & quadraginta noctibus. Quis hanc abſurditatem & vanitatem ferat? &c.

III. Eodem ſenſu Moſes intellexit annos vitæ Patriarcharum ante-diluvianorum, quo poſt-diluvianorum: at horum annos intellexit vere ſolares, & noſtris æquales; igitur & illos. Major conſtat, nihil enim eſſet abſurdius, quam in eodem capite, & in eadem narrationis ſerie, qua mundi ætates, & Adami poſterorum genealogia continuo texitur, annorum vitæ menſuram immutare, nulla inter illos diſtinctione facta. Minor vero probatur. *Sem* dicitur vixiſſe ſexcentos annos, *Arphaxad* trecentos triginta octo: *Heber* quadrigentos ſexaginta tres. *Phaleg* ducentos triginta novem. *Reu* ducentos triginta ſeptem. *Sarug* ducentos & triginta. *Nachor* centum & quadraginta oſtn. *Thare* ducentos quinque. *Abraham* centum ſeptuaginta quinque: At horum anni fuerunt vere ſolares. Si enim fuiſſent menſtrui, & ad Lunæ revolutionem cenſendi; exiguo temporis ſpatio vixiſſent qui Hebero ſucceſſerunt; Phaleg enim, Reu, & Sarug non amplius quam viginti quatuor e noſtris abſolviſſent; Nachor quindecim, Thare viginti, Abraham ſeptemdecim, qui tamen *Geneſis* 25. 7. obiiſſe dicitur *in ſenectute bona, provectaque ætatis, & plenus dierum*. Inſuper cum Nachor dicatur genuiſſe Thare anno ætatis ſuæ 29. ſi hi anni fuerint

ſuerint menſtrui, ſequitur eum genuiſſe anno ſolari vitæ ſuæ tertio, quo nihil inſulſius cogitari poſſet.

IV. Certum eſt priorum temporum homines longævitate ſuis ſucceſſoribus fuiſſe ſuperiores, ut Geneſ. 47. 9. Jacob ſaſſus eſt coram Pharaone; ab eo enim inquiſitus quot annos eſſet natus, reſpondit: *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum ſunt, parvi & mali, & non pervenerunt uſque ad dies patrum meorum, quibus peregrinati ſunt*. At ſi eorum anni fuiſſent tantum menſtrui, omnino falſa eſſet illa Jacobi aſſertio; nam Mathuſalem, qui inter Patriarchas longiſſimam vitam egiſſe dicitur, ipſe Jacobus anteiviſſet integros triginta annos.

Deinde in ſequioribus temporibus plurimi ſupergreſſi ſunt annum centeſimum. Nam ut miſſa faciam quæ de Macrobiis & longævis hominibus narrat Plinius lib. 8. cap. 48. adiicere placet ea quæ Joſephus Scaliger ſcribit in Elencho orationis chronologicæ, „ In partibus Maroci, *inquit*, Feſſæ „ & tractibus montis Atlantis hodie crebrius eſt homines cxx. annorum videri, „ quam hic mulierem gemellos parere. Ludovicus Vartomannus in Arabia ſe multos vidiſſe dicit, qui poſt cxxv. annum „ adhuc vivebant, lib. II. c. VIII. in Inſula „ Hiſpaniola homines indigenæ cxx. annos „ ut plurimum excedebant, quando illas „ regiones Hiſpani armis occuparunt. Superioribus annis Hollandi noſtri Argonautæ regem viderunt annorum cl. in partibus Javæ, qui pugnando periit, &c.

At, *inquies*, Moſes recenſuit annos ſecundum morem & temporis menſuram quam Iſraelitæ ab Ægyptiis acceperant. Porro Ægyptii conſueverant annos duntaxat menſtruos & Lunares, uſurpare, ut conſtat ex Plinio ſupra laudato, & ex Plutarcho in Numa: *Romani*, inquit, *initio decem menſibus in anno uſi ſunt; ſicut ex Barbaris quidam tribus; ex Græcis vero Arcades quatuor; Arcananes vero ſex; Ægyptiis menſtruus annus erat. Poſtea quadrimeſtris, ut dicunt. Ideoque quamvis regionem minime antiquam occupent: antiquiſſimi tamen eſſe cenſentur; incomprehenſibilem namque annorum multitudinem in Genealogiis habent, quod menſes, pro annis numerent*. Igitur eos pariter intellexit Moſes in contexta chronologia.

Reſpondeo I. negando majorem, cujus falſitas apparet ex rationibus præmiſſis, quibus conſtat, annos quos Moſes in texenda Patriarcharum Chronologia recenſet, non menſtruos, ſed noſtris æquales intellexiſſe. *Deinde* etſi Iſraelitæ in Ægypto diutiſſime ſteterint, diſtinctam & diverſam ab Ægyptiis plagam incolebant; & priuſquam a Pharaone eorum perſecutore vexarentur, nullum, aut rarum cum eis habebant commercium: ſuorumque majorum inſtitutis ac documentis morem gerentes, non ſolum lingua, ſed & ſacris ritibus, ac vivendi genere ab ipſis Ægyptiis omnino erant diſtincti.

Ad minorem dico, Ægyptios in ſtatuendis annis variaſſe, initio quidem annos metiebantur ad Lunæ decurſum: at cum breviores eſſent, deinde trimeſtres; demum lunares plenos, hoc eſt 354. dierum habuerunt, ut docet Africanus productus ab Euſebio Chronic. I.

Oppones II. Si Patriarcharum anni fuiſſent ſolares, aut lunares magni, ſequeretur eos diutiſſime a generanda prole abſtinuiſſe; Sethus enim Enoſum genuit anno vitæ ſuæ 105. Enoſus Cainam anno 90. Jaredus Henochum anno 162. &c. at incredibile eſt Patriarchas illos tandiu continuiſſe, eo præſertim tempore, quo multiplicandi humani generis neceſſitas urgebat.

Hanc difficultatem proponit S. Auguſtinus, eamque ſolvit duobus modis. *Primo* quidem dicit poſſe reponi, eos homines diu abſtinuiſſe a procreandis liberis, quod eorum *tanta ſerior fuit proportione pubertas, quanto vitæ totius major annoſitas*. At cum hæc ſolutio rei veritati minus conſentiret, alteram ſubiicit, nempe eos omnes, qui dicuntur geniti, non fuiſſe familiarum primogenitos; certum enim eſt Sethum non fuiſſe Adami primogenitum; „ Cum, *inquit*, ſacræ Scriptor Hiſtoriæ, ad ortum vitam„ que Noe, cujus tempore diluvium factum „ eſt, per ſucceſſiones generationum, no„ tatis temporibus, intenderet pervenire; „ eas utique commemoravit, non quæ pri„ mæ ſuis parentibus fuerint, ſed quæ in „ propagationis ordinem venerint. Exem„ pli gratia, quo id fiat apertius, aliquid „ interponam, unde nullus ambigat fieri „ potuiſſe quod dico. Evangeliſta Matthæus „ generationem Dominicæ carnis per ſeriem „ parentum volens commendare memoriæ, „ ordiens a patre: *Abraham*, inquit, *ge„ nuit Iſaac*; cur non dicit *Iſmahel*, quem „ primitus genuit? *Iſaac autem*, inquit, *ge„ nuit Jacob*, cur non dixit Eſau, qui ejus „ primogenitus fuit? quia ſcilicet per il„ los ad David pervenire non poſſet. Dein„ de ſequitur: *Jacob autem genuit Judam & „ fratres ejus:* numquid Judas primogeni„ tus fuit? *Judas*, inquit, *genuit Phares & „ Zaram;* nec iſtorum geminorum aliquis „ fuit primogenitus Judæ, ſed ante illos, „ jam tres genuerat. Eos itaque tenuit in „ ordine generationum, per quos ad Da„ vid, atque inde quo contenderat, perve„ niret. Ex quo intelligi poteſt, veteres „ quoque homines ante diluvium, non pri„ mogenitos, ſed eos fuiſſe commemora„ tos, per quos ſuccedentium ordo gene„ rationum ad Noe Patriarcharum ducere„ tur, ne feræ pubertatis illorum obſcura, „ & non neceſſaria quæſtio, nos fatiget. *Hæc S. Auguſtinus.*

QUÆ-

QUÆRITUR V.

Utrum Adamus omnium hominum fuerit longævior.

R*Eſpondeo*, quod ſi vitæ ſeriem ſpectaveris, tres homines invenies Adamo longæviores; hic enim vixit duntaxat nongentis triginta annis. At Jaredus vitam produxit ad nongentos ſexaginta annos. Mathuſala vero ad nongenteſimum, ſexageſimum nonum annum; Noe ad nongenteſimum & quinquageſimum annum; ac proinde hi tres ſecundum vitæ durationem fuerunt Adamo longæviores.

Verum, ſi conſideretur ætas perfecta & idonea ad generandum, qua creatus fuit Adamus; apparebit illum productioris fuiſſe vitæ quam ullus hominum. Cum enim ætas virilis hominum viventium centum annos, vulgo cenſeatur triginta annorum, conſectarium eſt ætatem virilem hominum viventium ferme ad mille annos, ſtatui debere ad minus ſexaginta annorum. Cum igitur Adamus in ætate virili ad generandum idonea fuerit conditus; ac ſubinde ſupponatur in ſuo ortu quaſi ſexagenarius; cum poſtmodum vixerit nongentos & triginta annos, cenſeri debet ejus vitæ ſeriem fuiſſe nongentorum nonaginta annorum; ac proinde cæteris hominibus fuiſſe longæviorem.

Hic autem obiter notandum eſt, non abs re neminem mortalium annum milleſimum attigiſſe; hoc enim, Deo ordinante, ita factum eſt, ut intelligerent homines quantocumque tempore viverent, eorum tamen vitam, etſi longiſſimam, ne unius quidem eſſe diei reſpective ad divinam æternitatem, dicente Davide, Pſal. 89. *Mille anni ante oculos tuos, tanquam dies heſterna, quæ præteriit*. Unde S. Irenæus, lib. 5. adverſus Hæreſes cap. 23. ait quoſdam cenſuiſſe propterea dictum fuiſſe Adamo, *in quocumque die comederis, morte morieris*: quoniam enim, inquit; *dies Domini ſicut mille anni; non ſuperpoſuit autem mille annos; ſed intra eos mortuus eſt, tranſgreſſionis adimplens ſententiam*. Eſt igitur (ut recte obſervat Pererius) vita hominis, quantacumque ſit, velut dies unus: cujus *mane*, eſt tempus ab ortu uſque ad juventutem: *meridies*, juvenilis, & virilis ætas: *veſper*, ſenectus uſque ad mortem. Cui congruit illud Davidis: *mane ſicut herba tranſeat, mane floreat, & tranſeat: veſpere decidat, induret & areſcat*.

QUÆRITUR VI.

Utrum Adamus ſuæ prævaricationis ſalutarem pœnitentiam egerit, & veniam ac ſalutem fuerit conſecutus.

T*Atianus S. Juſtini martyris diſcipulus, & vexillifer eorum hæreticorum, qui dicuntur *Encratitæ* (hoc eſt *continentes*, quod a conjugiis, vino, & carnibus, tanquam natura malis omnino abſtinendum cenſerent) docuit Adamum fuiſſe addictum æternis ſuppliciis.

Verum hanc aſſertionem erroris, & hæreſis arguit divinus Spiritus *cap. 9. lib. Sapientiæ*, ubi diſerte pronuntiat, *per ſapientiam ſanati ſunt, quicumque placuerunt tibi Domine a principio*, ſtatimque caput decimum auſpicatur his verbis: *Hæc illum, qui primus formatus eſt a Deo, Pater orbis terrarum, cum ſolus eſſet creatus, cuſtodivit, & eduxit illum a delicto ſuo: & dedit illi virtutem continendi omnia*.

Eandem veritatem egregie probat S. Irenæus, lib. 3. adverſus hæreſes ſextuplici ratione. I. Quod ſi primi Parentes non eſſent ſalvi, victus eſſet Deus, & Diabolus victor, quam rationem produxit *cap.* 33. „ Si „ enim, ait, qui factus fuerat a Deo ho„ mo, ut viveret, hic amittens vitam, læ„ ſus a ſerpente qui depravaverat eum, jam „ non reverteretur ad vitam, ſed in totum „ projectus eſſet morti; victus eſſet Deus; „ & ſuperaſſet ſerpentis nequitia volunta„ tem Dei. Sed quoniam Deus invictus, „ & magnanimus eſt, magnanimem quidem „ ſe exhibuit ad correctionem hominis, & „ probationem omnium, quemadmodum „ prædiximus. Per ſecundum autem homi„ nem alligavit fortem, & diripuit ejus va„ ſa, & evacuavit mortem, vivificans eum „ hominem, qui fuerat mortificatus &c.

II. Quia ſi Protoparentes non eſſent ſalvi, recte non poſſet aſſeri genus humanum „ redemptum eſſe & ſalvum: „ Cum au„ tem ſalvatur homo (*inquit cap.* 34.) opor„ tet ſalvari eum, qui prior formatus eſt „ homo; quoniam nimis irrationabile eſt, „ illum quidem, qui vehementer ab inimico „ læſus erat, & prior captivitatem paſſus „ eſt, dicere non eripi ab eo, qui vicerit „ inimicum; ereptos vero filios ejus, quos „ in eadem captivitate generavit: nec victus „ quidem adhuc (parebit) inimicus, ipſis „ veteribus ſpoliis manentibus apud eum. „ Quemadmodum ſi hoſtes expugnaverint „ quoſdam, & victos duxerint captivos, & „ multo tempore in ſervitute poſſederint „ eos, ita ut generent apud eos, & aliquid „ dolens pro his qui ſervi facti ſunt, eoſ„ dem hoſtes expugnet; non tamen juſte fa„ ciet, ſi filios quidem eorum, qui captivi „ ducti ſunt, liberet de poteſtate eorum, „ qui in ſervitutem deduxerant Patres eo-

„ rum; ipſos vero qui captivitatem ſuſti-
„ nuerunt, ſubjectos relinquat inimicis, pro-
„ pter quos & ultionem fecit, conſecutis
„ libertatem filiis, ex cauſa paternæ vindi-
„ cationis, ſed relictis ipſis patribus, qui ip-
„ ſam captivitatem ſuſtinuerunt. Neque
„ enim infirmus eſt Deus, neque injuſtus,
„ qui opitulatus eſt homini, & in ſuam li-
„ bertatem reſtauravit eum.

III. Quia Deus ſuam erga Adamum oſten-
dit miſericordiam & ſpem veniæ fecit, cum
ipſi non maledixerit, ſed terræ & ſerpen-
ti: „ Propter hoc (inquit cap. 35.) in initio
„ tranſgreſſionis Adæ, ſicut enarrat ſcri-
„ ptura, non ipſum maledixit Adam, ſed
„ terram in operibus ejus; quemadmodum
„ ex veteribus quidam ait: quoniam quidem
„ tranſtulit Deus maledictum in terram, ut
„ non perſeveraret in homine: condemna-
„ tionem autem tranſgreſſionis accepit homo
„ tædia & terrenum laborem, & manduca-
„ re panem in ſudore vultus ſui, & con-
„ verti in terram, ex qua aſſumptus eſt: ſi-
„ militer autem & mulier tædia, & labo-
„ res, & gemitus, & triſtitias partus, &
„ ſervitium; id eſt, ut ſerviret viro ſuo,
„ ut neque maledicti a Deo in totum pe-
„ rirent; neque ſine increpatione perſeve-
„ rantes Deum contemnerent: omnis autem
„ maledictio decurrit in ſerpentem, qui ſe-
„ duxerat eos.

„ Ipſi concinit Tertulianus, *ideo*, inquit,
„ *nec maledixit ipſum Adamum & Evam*,
„ ut reſtitutionis candidatos, ut confeſſione
„ revelatos.

„ IV. Quia illi ſeveriſſimam pœnitentiam,
„ egerunt: Etenim (*inquit de Adamo cap.*
„ 37) per ſuccentorium in facto oſtendit
„ ſuam pœnitentiam, foliis ficulneis ſemetip-
„ ſum contegens; exiſtentibus & aliis foliis
„ multis, quæ minus corpus ejus vexare po-
„ tuiſſent; condignum tamen inobedientiæ
„ amictum fecit, conterritus timore Dei,
„ & retundens petulantem carnis impetum;
„ quoniam indolem & puerilem amiſerat
„ ſenſum, & in cogitationem pejorem ve-
„ nerat, frænum continentiæ ſibi, & uxori
„ ſuæ circundedit &c.

V. Quia ſi Adamus non fuiſſet ſolutus a
peccato, plena & perfecta non fuiſſet Chri-
ſti de Dæmone & morte victoria: victus
(*inquit cap.* 38.) fuerat Adam, ablata ab eo
(omni) vita: & propter hoc, victo rurſus
inimico, recepit vitam Adam: noviſſima au-
tem inimica evacuatur mors, quæ primum
poſſederat hominem. „ Quapropter libera-
„ to homine, fiet quod ſcriptum eſt; *Ab-*
„ *ſorpta eſt mors in victoria: ubi eſt mors*
„ *victoria tua? ubi eſt mors aculeus tuus?*
„ quod non poterat juſte dici, ſi non ille
„ liberatus fuit, cui primum dominata eſt
„ mors. Illius enim ſalus, evacuatio eſt
„ mortis. Domino igitur vivificante homi-
„ nem, id eſt, Adam, evacuata eſt mors.

VI. Quia decuit Chriſtum bonum paſto-
rem hanc ovem quærere & ſalvare: „ Men-
„ tiuntur omnes (ait cap. 39.) qui contra-
„ dicunt ejus (Adami) ſaluti, ſemper ſe
„ ipſos excludentes a vita, in eo quod non
„ credant inventam ovem quæ perierat. Si
„ autem illa non eſt inventa, adhuc poſſi-
„ detur in perditione omnis hominis gene-
„ ratio; mendax ergo qui prior hanc ſen-
„ tentiam, imo hanc ignorantiam & cæci-
„ tatem induxit Tatianus &c.

S. Irenæo ſubſcribunt alii plurimi SS. Pa-
tres infra laudandi, qui aſſerunt idcirco
Chriſtum D. fuiſſe crucifixum in monte
Calvariæ, ubi ſepultum jacebat Adami cor-
pus, ut Chriſti ſecundi Adami ſanguis de
cruce ſtillans, primi Adami peccata di-
lueret.

Oppones I. Si primi parentes ſuæ præva-
ricationis pœnitentiam egiſſent; proculdu-
bio Moſes illius meminiſſet; at de illa pe-
nitus ſilet: igitur argumentum eſt illos de
agenda pœnitentia ne cogitaſſe quidem.

Reſpondeo I. argumentum eſſe negativum,
ac proinde levioris ponderis & momenti;
neque enim omnia quæ diuturno vitæ ſuæ
tempore egit Adamus, in tabulas retulit
Moſes, quæ tamen non videbantur præter-
mittenda, puta filiorum ac nepotum inſti-
tutio, eiſque de rebus naturalibus & divi-
nis tradita documenta; fuſæ ad Deum pre-
ces; oblata ſacrificia &c. neque enim ve-
roſimile fit, eum, qui filios Deo ſacrificare
docuit, ab oblationibus impendendis, toto
vitæ tempore abſtinuiſſe.

Reſpondeo II. cum S. Auguſtino, epiſt. 99.
ad Evodium, ubi agens de deſcenſu Chriſti
ad inferos, & de iis quos inde liberavit,
ſcribit: *De illo quidem primo homine patre*
generis humani, quod eum ibidem ſolverit,
Eccleſia fere tota conſentit: quod eam non
inaniter crediidiſſe, credendum eſt, undecum-
que hoc traditum ſit, etiamſi canonicarum
Scripturarum hinc expreſſa non proferatur au-
ctoritas. Quanquam illud quod in libro ſa-
pientiæ ſcriptum eſt; hæc illum, qui primus
factus eſt, patrem orbis terrarum, cum ſolus
eſſet creatus, cuſtodivit, & eduxit illum a
delicto ſuo, & dedit ei virtutem continendi
omnia: magis pro hac ſententia, quam pro
ullo alio intellectu facere videatur.

Inſtabis, ut pœnitentia ſit ſalutaris, cor-
reſpondere debet gravitati culpæ, & ut
Clerus Romanus ſcribit ad S. Cyprianum,
epiſt. 31. inter Cyprianicas, *Non debet eſſe*
minor medicina, quam vulnus eſt; nec eſſe
debent minora remedia, quam vulnera: &
ipſe S. Cyprianus ſerm. de lapſis: *quam*
magna deliquimus, tam granditer defleamus;
alto vulneri diligens & longa medicina non
deſit, pænitentia crimine non minor ſit.

Porro Adami peccatum tantæ fuit gravi-
tatis & enormitatis, ut nulla condigna pœ-
nitentia & ſatisfactione videatur ab eo ex-
piari & deleri potuiſſe; neque enim ipſum
ſolum, ſed & univerſum humanum genus
labefactavit & infecit: igitur quanta quanta
fuerit Adami pœnitentia, inſufficiens vide-
tur illius expiando delicto.

Admitto equidem Adami prævaricationem
immenſæ ac infinitæ propemodum fuiſſe
enormitatis & culpæ, quippe cum omnes
ejus poſteros ad mundi finem via ſeminali
(unica dempta Virgine Deipara) reos effe-
cerit,

cerit, & divinam in eos iram & animadverſionem excitarit; nec proinde ipſius horrendum crimen condigna ſatisfactione, & pœnitentia ab ullo prorſus homine, puro & ſolis naturæ viribus poſſe unquam expiari & elici. Verum cum copioſa ſit apud Deum redemptio, & miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus; ubi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia Chriſti Redemptoris ac Mediatoris; qua ſit, ait S. Paulus 1. Cor. 15. 21. & 22. *ut ſicut per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum & ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificantur;* non ſolum qui a tempore ejus incarnationis & paſſionis vixerunt, & ad mundi finem victuri ſunt; ſed & illi omnes, qui ab origine mundi ejus adventum & nativitatem anteceſſerunt. *Jeſus-Chriſtus enim*, ait Apoſt. *heri & hodie: ipſe & in ſæcula*; quoniam meritum ejus paſſionis, etiam ad anteceſſores homines, ſicut & ad ſubſequentes refuſum eſt; *Ut ſicut per unius delictum*, (ait Apoſt. Roman. 5. 18.) *in omnes homines in condemnationem; ſic & per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ*. Quamobrem dicitur, *Agnus qui occiſus eſt ab origine mundi*. Quia ait Apoſtolus, *eum propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium delictorum*. Hinc idem Apoſtolus, 1. ad Cor. 10. 1. *Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt.... & omnes eandem eſcam ſpiritalem manducaverunt, & omnes eundem potum ſpiritalem biberunt. Bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petra; Petra autem erat Chriſtus*. Quibus ſignificat omnes homines qui Chriſti adventum anteceſſerunt, eadem ipſius gratia, qua ſucceſſores, illuſtratos fuiſſe, & ad ſalutem conſequendam excitatos & roboratos; quod utique prius dixerat David, Pſal. 21. *In te ſperaverunt patres noſtri, & ſalvi facti ſunt*.

Exponit, & expendit iſta egregie S. Leo, ſermone 3. de Nativitate Chriſti; ubi declarans nullam eſſe anſam quærendi quod Chriſtus ſuum in mundum adventum tamdiu diſtulerit, ait: „ Ceſſent igitur illorum „ quærelæ, qui impio murmure divinis di- „ ſpenſationibus obloquentes, de divinæ „ Nativitatis tarditate cauſantur: tanquam „ præteritis temporibus non ſit impenſum, „ quod in ultima mundi ætate eſt geſtum „ Verbi incarnatio hæc contulit facienda, „ quæ facta, & ſacramentum ſalutis hu- „ manæ in nulla unquam antiquitate ceſ- „ ſavit. Quod prædicaverunt Apoſtoli, hoc „ annuntiaverunt Prophetæ; nec ſero eſt „ impletum, quod ſemper eſt creditum.... „ Non itaque novo conſilio Deus rebus hu- „ manis, nec ſera miſeratione conſuluit: „ ſed a conſtitutione mundi unam eandem „ omnibus cauſam ſalutis inſtituit. Gratia „ autem Dei, qua ſemper eſt univerſitas ju- „ ſtificata Sanctorum, aucta eſt Chriſto na- „ ſcente, non cœpta: & hoc magnæ pie- „ tatis ſacramentum, quo totus jam mun- „ dus impletus eſt, tam potens etiam in „ ſuis ſignificationibus fuit; ut non minus „ adepti ſint, qui in illud credidere promiſ- „ ſum, quam qui ſuſcepere donatum. *Hæc* „ *S. Leo*.

Hac igitur Chriſti Domini gratia conſortatus Adamus, debitam Deo ſatisfactionem continua ſua pœnitentia exolvit, & veniam ac ſalutem obtinuit.

Urgebis ille non eſt cenſendus per Chriſti gratiam ſalutem conſecutus, qui directe opponitur Chriſto, & proponitur Chriſti ſectatoribus, ut exterminandus, & extirpandus: at ita eſt de Adamo: ergo &c. Minoris primam partem egregie declarat Apoſtolus ad Rom. ubi cum dixiſſet Adamum cunctis hominibus auctorem fuiſſe mortis & peccati, addit v. 15. *Sed non ſi ut delictum, ita & donum, ſi enim unius delicto multi mortui ſunt: multo magis gratia Dei & donum in gratia unius hominis Jeſu-Chriſti in plures abundavit &c.* Quibus & ſequentibus verbis declarat omnimodam oppoſitionem Adamum inter & Chriſtum. Alteram vero minoris partem, ſcilicet Adamum Chriſtianis proponit ut extirpandum, docet idem Apoſtolus ad *Epheſ.* 4. 22. ubi dicit Chriſti auditores & diſcipulos teneri deponere *veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris: & induere novum qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate*. Et ad Coloſſ. 3. 9. *Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis*. Ubi per *veterem hominem*, non alium deſignat, quam Adamum, qui ſuis poſteris cauſa fuit mortis, erroris & delicti: igitur illſe non eſt cenſendus condignam egiſſe pœnitentiam, & debita ſatisfactione ſuum peccatum diluiſſe; quippe qui adhuc ut peccator, fugiendus proponatur.

Reſpondeo, hæc omnia eſſe vere dicta de Adamo; non ratione ipſius perſonæ, ſed ratione prævaricationis, qua deperdita eſt originalis innocentia, quam ad poſteros, ſi ſtetiſſet Deo fidelis & obediens, hæreditaria dote transfundere debebat: quæ cum per illius inobedientiam perierit, & ille ſuo crimine omnes poſteros peccati veneno infecerit; inde eſt quod, etſi proprium & perſonale crimen aſſidua ſua pœnitentia expunxerit; non valuit tamen reſarcire juſtitiæ originalis jacturam: cum autem ea careant omnes illius poſteri, idcirco ipſius crimine cenſentur rei per originale peccatum in ipſos diffuſum: cujus remedium cum ſolus Chriſtus Dominus humani generis reparator conferre valuerit, ſive per Baptiſmi ſacramentum, ſive per ſalutaria documenta, quibus & gratia ſanctificans reſtituitur, & hominum mores ad pietatem informantur; inde eſt quod maxima ſit inter Chriſtum obedientem, & Adamum prævaricatorem oppoſitio; & cur Chriſti ſectatores continuo debeant incumbere in exterminando vetere homine, hoc eſt, in abiiciendis & extirpandis originalis peccati appendicibus; præſertim vero in frænandis concupiſcentiis, quæ in homine, etiam per baptiſmum regenerato, ſubſiſtunt ad agonem, ut proſint ad coronam & triumphum.

QUÆ-

QUÆRITUR VII.

Quando mortuus fuerit Adamus, & ubi ſepultus?

ADamum vita functum eſſe anno mundi 930. eum ſex diebus aperte indicat Moſes initio capitis quinti, hoc eſt, anno vitæ ſuæ 930. quippe eum ipſe formatus fuerit die mundi Geneſis ſexta: quo vero menſe, quove die obierit, Moſes non aperit. Narrat autem Eutychius Patriarcha Alexandrinus (referente Seldeno de anno Judaico) ex antiquis monumentis Adamum deceſſiſſe feria ſexta Lunæ decimæ quartæ: *& obiit Adam die Veneris Lunæ decimæ quartæ, qui ſextus dies erat menſis Niſan*, hoc eſt, die 24. menſis Martii, qui eo anno erat feria ſexta, ſive dies Veneris. At de his fides ſit penes Auctorem.

Ad Adami vero ſepulchrum quod attinet, communis eſt nobilium Auctorum, nedum Judæorum, ſed & Chriſtianorum ſententia, ipſum fuiſſe tumulatum in monte Golgotha, ab ipſius cranio, *Calvaria* nuncupato, Quod utique ſuo calculo firmat Origenes, tract. 35. in Matthæum ſcribens: *Venit*, inquit, *ad me traditio quædam talis, quod corpus Adæ primi hominis ibi ſepultum eſt, ubi crucifixus eſt Chriſtus: ut ſicut in Adam omnes moriuntur; ſic in Chriſto omnes vivificentur: ut in loco illo, qui dicitur Calvariæ locus, id eſt, locus capitis, caput humani generis reſurrectionem inveniat cum populo univerſo, per reſurrectionem Domini Salvatoris, qui ibi paſſus eſt, & reſurrexit. Inconveniens enim erat, ut cum multi ex eo nati remiſſionem acciperent peccatorum, & beneficium reſurrectionis conſequerentur, non magis ipſe Pater omnium hominum hujuſmodi gratiam obtineret.*

Eum conſequitur Auctor, quiſquis eſt, carminum adverſus Marcionem ad calcem operum Tertulliani, is enim lib. 2. cap. 4. canit.

Golgotha locus eſt, capitis Calvaria quondam,
Lingua paterna prior ſic illum nomine dixit;
Hic medium terræ eſt, hic eſt victoriæ ſignum:
Os magnum hic veteres noſtri docuere repertum,
Hic hominem primum ſuſcepimus eſſe ſepultum,
Hic patitur Chriſtus, pio ſanguine terra madeſcit,
Pulvis Adæ ut poſſit veteris cum ſanguine Chriſti
Commixtus, ſtillantis aquæ virtute lavari.

Conſentit etiam S. Chryſoſtomus, homil. 84. in hæc verba Evangelii S. Joannis, *Exivit in eum qui dicitur Calvarius locus.* Ad quæ ait: *Quidam dicunt Adam & mortuum & ſepultum eſſe; & Jeſum, ubi mors dominata eſt, ibidem trophæum erexiſſe per crucem quam tulit, contra mortis tyrannidem.*

Concinit his S. Ambroſius in cap. 10. S. Lucæ, num. 114. *Ipſe autem crucis locus, vel in medio, ut conſpicuus omnibus: vel ſupra Adæ, ut Hebræi diſputant, ſepulturam. Congruebat quippe ut ibi vitæ noſtræ primitiæ locarentur, ubi fuerant mortis exordia.*

Succenturiatur S. Auguſtinus, ſermon. 71. de tempore: *Etiam hoc antiquorum relatione refertur, quod & Adam primus homo, in ipſo loco ubi crux fixa eſt, fuerit aliquando ſepultus: & ideo Calvariæ locum dictum eſſe, quia caput humani generis, ibi dicitur eſſe ſepultum. Et vere fratres non incongrue creditur, quia ibi erectus ſit medicus, ubi jacebat ægrotus: & dignum erat, ut ubi occiderat humana ſuperbia; ibi ſe inclinaret divina miſericordia: & ſanguis ille pretioſus, etiam corporaliter dum dignatur pulverem antiqui peccatoris ſtillando contingere, redemiſſe credatur.*

Subſcribit etiam S. Hieronymus, qui, licet alibi cenſeat Adamum fuiſſe ſepultum in Hebron, attamen in Epiſt. 17. quam nomine Paulæ & Euſtochii ſcripſit ad S. Marcellam, loquens de Jeroſolymis, ait: *In hac urbe, imo in hoc tunc loco, & habitaſſe dicitur & mortuus Adam, unde & locus, in quo crucifixus eſt Dominus noſter,* CALVARIA *appellatur; ſcilicet quod ibi ſit antiqui hominis Calvaria condita; ut ſecundi Adam, id eſt, Chriſti, ſanguis de cruce ſtillans, primi Adam, & jacentis protoplaſti peccata dilueret.*

Obiicies illud Joſue, cap. 14. *nomen Hebron ante vocabatur Cariath-Arbe, Adam maximus inter Enacim ibi ſitus eſt.* Hic S. Hieronymus in Epitaphio Sanctæ Paulæ: *Cariath-Arbe*, inquit, *idem eſt, ac civitas virorum quatuor, Abraham, Iſaac, Jacob, & Adam magni, quem ibi conditum juxta librum Jeſu Nave Hebræi autumant, licet plerique quartum putent Caleb, cujus ex latere memoria monſtratur.* Ergo Adamus in Hebron fuit tumulatus. Deinde cum per diluvium plures deportati fuerint terrarum aggeres, monteſque plurimi hinc inde diſtracti; veriſimile eſt pariter diruta fuiſſe mortuorum ſepulchra omnia, ac proinde ipſorum oſſa diſiecta ac diſſipata. Quonam itaque modo factum eſt, ut Adami, oſſa in Golgotha perſeverarint ita integra, ut poſtmodum ibidem ejus cranium tempore Chriſti paſſionis extaret?

Reſpondeo ad 1. nomen *Adam* non ſemper eſſe proprium primo parenti, ſed cuilibet homini conceſſum; ut conſtat ex his verbis Geneſis cap. 5. *Maſculum & fœminam creavit eos, & benedixit illis: & vocavit nomen eorum Adam.* Ac proinde, Joſue 14. tribuitur cuidam homini cujus peculiare nomen erat Arbe, qui ſicut legitur ibidem cap. 15. v. 13. erat pater Enac gi-
gan-

gantis: cum autem Arbe fuerit ſtatura major ſuis filiis, qui cap. 13. Numerorum dicuntur *monſtra quædam de genere giganteo*; is Arbe merito dicitur *maximus inter Enacim*, hoc eſt, inter gigantes.

Ad 2. dico falſum eſſe diluvio omnes deportatos montes, in eiſque locata ſepulchra fuiſſe diſſipata; plures enim ſteterunt inconcuſſi montes, puta, montes Armeniæ, in quibus arca Noe, finito diluvio, hæſit.

Addere poſſem ex Moſe Barcepha in lib. de parad. 1. p. cap. 14. *Quod cum Noe impendens diluvium cerneret, ſecum intulit oſſa Adami in arcam, eaque deinde poſt diluvium arca egreſſus ſuis filiis diſtribuiſſe prout orbem terrarum inter illos habitandum partiebatur: Verbi gratia Calvariam Adami dediſſe primo-genito ſuo Sem, & terram aſſignavit ei Judæam; atque ita poſteritas Semi cum in Judæam hæreditatem ſuam veniſſet, illam Adæ Calvariam quæ illi de Adæ oſſibus ex paterna diſtributione obvenerat, in Adæ ſepulchro, quod jam tam illic extabat, repoſuiſſe.* Hæc illæ; at vereor ne genium & commentum Rabbinicum iſta redoleant.

QUÆRITUR VIII.

Quis & quantus fuerit Seth tertius a Moſe memoratus Adami filius.

EGregias Sethi dotes, ac præcellentias non obſcure indicat Moſes, cum de eo unice ſcribit fuiſſe ad patris Adami perfectiſſimam ſimilitudinem genitum, hoc eſt, referentem patris, per gratiam & pœnitentiam renovati optimam indolem, & ad pietatem & ſapientiam conformatam. Hoc vero diſtinctius explicat Joſephus ſcribens: „ Unus e compluribus Adami liberis fuit „ Seth: qui a patre educatus, ubi eo ætatis „ venit, ut jam quod rectum eſt diſcernere „ valeret, virtutis ſtudiis ſe totum dedit. „ Et cum ipſe vir optimus evaſiſſet, etiam „ nepotes ſui ſimiles poſt ſe reliquit: qui, „ quoniam erant omnes bona indole præditi, & patriam abſque ſeditione incolebant, in perpetua fœlicitate vitam exegerunt, & ſyderalem ſcientiam, ac cœleſtium rerum cognitionem excogitaverunt.

„ Ne autem inventa ſua ex hominum notitia dilaberentur, & prius perirent, „ quam pernoſcerentur; ſcientes Adamum „ duplicem generalem hominum interitum „ prædixiſſe; unum incendio; diluvio alterum: excitatis duabus columnis utrique „ ſua inventa inſcripſerunt: ut ſi interitiam „ diluvio deleri contingeret, lapidea ſuperſtes, hominibus diſcendi copiam faceret, „ & quæ inſcripta continebat, expectanda „ exhiberet. Aiunt enim lapideam illam ab „ ipſis dedicatam, quæ & noſtris temporibus extat in terra Syriæ. *Hæc Joſephus.*

Hujus autem Sethi poſteri dicti ſunt *Sethitæ*; ſicut a Caino, *Cainitæ* appellati, qui & moribus & religione & habitatione erant diſtincti. *Moribus* quidem; quia Sethitæ ſui parentis veſtigia ſectantes, placidi, pacifici, & ſua ſorte contenti; virtutibus excolendis, & rerum cœleſtium contemplationi vacabant. Cainitæ vero, omnibus moleſti, nec invicem conſentientes, nihil niſi terrena ſapiebant, & una cum ſuæ originis capite, rapinis, vexationibus, & latrociniis erant dediti; nam, ut narrat Joſephus, cum Cainus ejectus eſſet e terra Paradiſo terreſtri vicina, *Accitis undique latrociniorum, & nequitiæ ſociis, magiſter illis ad facinoroſam vitam effectus eſt.*

Pugnabant etiam illæ duæ familiæ religione: nam Sethitæ veri Dei cultores, ejus divinæ majeſtati debita exhibebant obſequia: Cainitæ e contrario, nonniſi pravis artibus, & ut plurimi exiſtimant, Dæmonum evocationi & cultui vacabant. Sejuncti pariter *habitatione*. Nam Cainus a facie Domini & nativo ſolo ejectus, habitavit profugus in terra *Nod*, ubi civitatem nomine filii ſui appellatam ædificavit: Sethus vero cum ſuis poſteris in terra patria, & in conſpectu parentum hæſit.

Hinc ab utroque fratre duas exortas eſſe civitates, alteram Dei, alteram Diaboli, docet S. Aug. civitatis *Diaboli* exordium ſtatuit in Caino fratricida, qui Abelem, Civem æternæ civitatis in hac terra peregrinantem, invidia victus occidit. Civitatis vero *Dei* propagatorem ſtatuit Sethum, qui pietati deditus, ſe ſuoſque divino cultui devovit. Habuit enim Enoſum filium eximium Dei cultorem, ut apparebit ex quæſtione ſequenti.

QUÆRITUR IX.

Quanta fuerit Enoſi pietas, & quod ejus præmium.

SCribit de Enoſo Moſes ad finem, cap. 4. *Seth natus eſt filius, quem vocavit Enos: iſte cœpit invocare nomen Domini.* Cujus quidem textus diverſa eſt verſio, occaſione Hebrææ vocis הוחל *Huchal*, a radice חלל *Chalal*, quæ ut appoſite obſervat Rivetus cum Oleaſtro & Pererio, ſignificat. 1. Dolere, violatum eſſe, ſauciatum &c. 2. Secare, incidere, perforare. 3. Prophanare, corrumpere, contemnere &c. 4. Incipere, exoriri. Prima ſignificatio, inquit Rivetus, in hoc argumento nemini arriſit; nec etiam ſecunda, de quibus nulla eſt plane difficultas. Tertia, & quarta in controverſiam venerunt, & utraque ſuos habet fautores inter veteres & novos Interpretes.

Pri-

Primam ſignificationem ex illis duabus, quæ *propbanare* reddit, tribuerunt Paraphraſtæ Onkeloſo, cujus verba ſic vertit Paulus Fagius: *Tunc, in diebus ejus, incœperunt filii bominum, ut non orareut iu nomine Domini*. Vel ut fert alia ſimilis verſio: *Tune propbaui fuerunt in diebus illis filii bominum, ad non invocandum in nomine Jebovæ.*

Chaldaica tamen editio Complutenſis convenit cum textu Hebraico, ſic enim ad verbum, ſi latine reddatur, habet: *Tuuc cœperunt bomines orare in nomine Domini*: Hinc Tremellius, & Junius qui in prima editione ſua ſcripſerant, *Tunc cœptum propbanari in invocando nomine Jebovæ*; in poſteriori, mutata ſententia, verterunt: *Tunc cœptum eſt invocari nomen Jebovæ*: ut ſit ſenſus, Adamum & Sethum animadvertentes Cainitarum perverſos mores magis ac magis in deteriora prorumpere, & Dei cultum ſpernere, ſuis adhortationibus & piis monitis effecerunt, ut ſuam familiam in officio erga Deum continerent, & debitum ſupremæ illius majeſtati cultum impenderent.

Hoc tamen inſigne pietatis monumentum, non Adamo & Setho, ſed Enoſo, in Græca & Latina verſione tribuitur; illa namque habet: *Hic ſperavit invocare in nomine Domini*: hæc vero; *iſte cœpit invocare nomen Domiui*: quia certos quoſdam ritus, dieſque conſtituit quibus ab hominum cœtu, & publice Deus pie, ac religioſe coleretur.

Exiſtimat Bolducius idcirco Enoſum dictum eſſe primum invocaſſe nomen Domini, quod religioſam ſodalitatem hominum inſtituerit, qui, a rebus terrenis & mundialibus ſubducti, non aliis vacarent, quam cœleſtium contemplationi, & Dei laudibus aſſidue decantandis. Quod etiam antea docuerat Thomas Waldenſis, & Eſſenos tantopere apud veteres laudatos, eoſdem cum Enoſſæis eſſe putant; aiuntque hos poſt diluvium, idem religioſum inſtitutum reſtauraſſe; ac propterea appellatos a Plinio *gentem æternam*, quod nimirum ab ipſa mundi origine ortum habuerit.

Tandem quidam putant præfata verba ſic eſſe vertenda, *Tune cœptum eſt appellari in nomine Domini*, quam verſionem confirmat Aquilæ interpretatio, eamque ſecutus eſt Auctor homiliarum ſub nomine Euſebii Emiſſeni; *Speravit*, inquit, *vocari nomine Domiui, boc eſt, Deus dici, & Filius Dei; juſti enim qui erant ex Setb, filii Dei vocabantur*. Ita quod Enoſi & Sethi temporibus, jam incœperit iſta nominum diſtinctio, cujus poſt modum meminit Moſes dum ait: *Videntes filii Dei*, nimirum Sethiani, & Enoſſæi, *Filias bominum &c.* hoc eſt Cainitarum. *Acceperuut eas in uxores &c.*

Hæc Suidas ſic exponit: *De boc Setbo,* inquit, *dictum eſt, & filii Dei ingreſſi ſunt ad filias bominum, videlicet ad filias Caini. Illius enim ſæculi bomines Setbum vocabant Deum, quod inveniſſet, & Hebraicas litteras, & ſtellarum appellationes: præterea vero, quod maguam bujus pietatem admirarentur, adeo ut etiam primus & cognomento & nomine Deus vocatus fuerit. Quemadmodum & Moyſi dicit Dominus;* Te Pharaoni Deum dedi: *& de virtute præditis & ſpiritualibus viris, & de judicibus dixit:* Deos non contemnes, *&,* tui populi Principibus non maledices. *Juſte igitur filii Setbi, & Enoſi, & Henocbii, filii Dei, & filii Deorum, ſecundum Symmacbum intelliguntur, qui intemperantia capti, ad Caini filias ingreſſi ſunt.*

Itaque cum Sethi poſteri animadverterent Cainitas ſemper in deterius abripi; ſuadente Enoſo, ſe ſe ab illorum prava ſocietate ſubducendos eſſe ſtatuerunt, ut Dei cultum a Cainitis peſſundatum reſtituerent, ac palam & publice agerent. Qua de cauſa dicebantur *bomines*, & *filii Dei*, hoc eſt, illius honoris & gloriæ zelotes. Quæ expoſitio cæteris mihi videtur probabilior; non enim credibile eſt Moſem tam prolixe ſtudia pravæ generationis enarraſſe; nihil autem de ſtudiis piorum erga Dei cultum & veram religionem commemorare voluiſſe.

Enoſi pietatem & religionem in primis ejus æmulatus eſt illius Abnepos Henoch a Jaredo Patre genitus, anno mundi 622. de quo Moſes, cap. 5. v. 22. & 24. ſcribit; *Ambulavitque cum Deo, & non apparuit; quia tulit eum Deus.* Unde

QUÆRITUR X.

Utrum Henoch nondum ſit mortuus.

EXimiam Henochi pietatem, & ſingularem illius erga Deum obſervantiam paucis quidem, ſed efficaciſſimis ac facundiſſimis verbis expreſſit Moſes, cum ait: *Ambulavit cum Deo*; perinde enim eſt, ac ſi diceret: præſcriptas a Deo, quibus e terra itur ad cœlum, vias tenuit & calcavit, ſectando videlicet obſervantiam Dei mandatorum prout a majoribus acceperat, & fideliter ea exequens, quæ ad divinam ejus gloriam magis conducere videbantur.

Unde merito jure ab omnibus viris cordatis reſpuitur quorumdam Judæorum impietas, qui in *Bereſebit Rabbath* audent aſſerere Henochum hypocritam, nunc juſtum, nunc improbum; & idcirco Deum illum, cum juſtus eſſet, ſuſtuliſſe, ne rurſum deficeret. Quibus ſubſcribit Jarchius hæc verba exponens, *Ambulavit cum Deo*: „ Id eſt, „ *inquit*, juſtus fuit; ſed levis tamen & in„ conſtans, ſolitus cito ad malum deflectere; ideo feſtinavit Deus benedictus, „ & tranſtulit eum, & ante tempus mori „ fecit. *Hæc ille.*

Verum *ambulare cum Deo* per trecentos annos, ut de Henocho refert Moſes; & ipſi placuiſſe ſemper, ut alii ſacri Scriptores teſtantur, non eſt indicium inconſtantis & hy-

& hypocritæ; non enim placet Deo hypocriſis, & animi levitas; ſed ſinceritas, & animi conſtantia. Hæc vero quanta fuerit in Henocho, apparet ex eo quod illa ætate plures extiterint veri Dei cultores, nempe Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Jared &c. at peculiariter de Henocho dicitur *eum ambulaße cum Deo*, quibus verbis ſignificatur eum fuiſſe zelantiſſimum Dei cultorem. Utrum autem revera mortuus fuerit; an vivus perſeveret, jam ſtatuendum eſt.

Illum eſſe vita functum contendunt plerique Hebræorum Magiſtri; quos laudat R. Manaſſes ben-Iſrael, lib. *de fragilitate humana*; cui ſubſcribunt e Proteſtantibus Calvinus in hoc caput, Oecolampadius in cap. 5. Epiſt. ad Rom. & alii bene multi, quorum ſententiam acriter propugnat Joannes Druſius in hoc Geneſis caput.

Verum Henochum nondum e vivis exceſſiſſe, conſtat. I. Ex præfatis hujus capitis verbis, quibus dicitur placuiſſe Deo, ac propterea ab ipſo fuiſſe translatum; hæc enim translatio refertur, ut inſigne illius pietatis & meriti præmium: quale autem fuiſſet virtutis præmium homini nondum vitæ medium decurrenti, vitam eripere? viris pacificis & ſuis cultoribus ſpondet Deus longævitatem: de impiis vero per Davidem, *Pſalm.* 57. minatur: *Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos*. Quorſum attinebat præmittere: *Ambulavit cum Deo*; niſi quod ſequitur, habeat rationem inſignis gratiæ? quæ autem gratia, citius quam par eſſet, mori?

II. Eccleſiaſtici cap. 44. *Henoch placuit Deo, & translatus eſt in paradiſum, ut det Gentibus pœnitentiam*, nempe ut circa finem mundi rurſus appareat, invitaturus ad pœnitentiam eos omnes qui ab Antichriſto fuerint ſeducti. Nec excipere juvat in editione LXX. hæc verba, *In paradiſum &c.* non haberi. Hanc enim editionem ea parte mutilam eſſe apparet ex SS. Patribus mox producendis, qui illa editione uſi, præfata verba retinuerunt.

III. Hoc ipſum evidentiſſime confirmat S. Paulus ad Hebræos 11. v. 5. *Fide Henoch translatus eſt ne videret mortem &c.* Quid eſt autem non videre mortem, niſi mortis legibus non ſubjacere? in hunc ſenſum dictum eſt a Davide, Pſalm. 88. v. 49. *Quis eſt homo qui vivet & non videbit mortem?* & Math. 16. v. 28. Chriſtus dixit Apoſtolis, *Sunt de hic ſtantibus qui non guſtabunt mortem, donec &c.* ubi de morte vera, quæ fit per ſeparationem animæ a corpore loquitur.

Nec argumenti vim evertit Druſii exceptio; nempe verba S. Pauli intelligenda eſſe de morte ſpiritali animæ, qua per peccatum ſeparatur a Deo ipſius vita: eo ſenſu, quo de viro juſto præmatura morte ſubducto, dicitur Sap. 4. *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius*; Adeo ut, inquit Druſius, Henoch fuerit ereptus e vivis; ne ſui corruptiſſimi ſæculi pravis moribus inficeretur.

Hæc, inquam, exceptio penitus abludit a mente Apoſtoli, qui ſingulari Dei beneficio dicit Henochum ideo translatum, quia, inquit, *ante translationem teſtimonium habuit placuiſſe Deo*.

Igitur ex mente Apoſtoli illa Henochi translatio fuit illius innocentiæ argumentum & præmium: quale vero præmium fuiſſet præcipitata mors, ea præſertim ætate, in qua longævitas cenſebatur ſingulare Dei beneficium: accedit locus parallelus raptus Eliæ 4. Reg. cap. 2. v. 12. ubi dicitur raptus nec amplius ab Eliſæo viſus: certum eſt autem Eliam vivum fuiſſe ſublatum a Deo; igitur idem de Henocho cenſendum.

Idipſum confirmat univerſus Eccleſiæ Doctorum ſenſus. Nam S. Irenæus diſerte ſcribit: *Enoch placens Deo, in quo placuit corpore, translatus eſt, translationem juſtorum præmonſtrans. Et Elias ſicut erat in plaſmatis ſubſtantia, aſſumptus eſt, aſſumptionem Patrum prophetans.*

Ei concinit Tertullianus: *Translatus eſt*, inquit, *Enoch & Elias, nec mors eorum reperta eſt, dilata ſcilicet. Cæterum morituri reſervantur, ut Antichriſtum ſanguine ſuo extinguant.* Et lib. de Reſurrectione carnis: *Quod hodie Enoch & Elias nondum reſurrectione diſpuncti, quia nec morte functi, qua tantum de orbe translati, & hoc ipſo, jam æternitatis candidati &c.*

Subſcribit eis S. Chryſoſtomus: „ Placuit „ enim, *inquit*, Henoch Deo, & non inven„ tus eſt; eo quod tranſtulit illum Deus. „ Vides ſapientiam Domini? viventem tranſ„ tulit, non immortalitatem largitus eſt; „ ne peccandi metum enervaret, ſed morti „ in humanum genus ſuum jus reliquit &c.

His concinit S. Epiphanius ubi Henochum vocat *noſtræ reſurrectionis in præputio ſymbolum, in Circumciſione Eliam.*

Succenturiatur S. Hieronymus, Epiſt. 61. ubi ait: *Henoch translatus eſt in carne: Elias carneus raptus eſt in cœlum: necdum mortui, & Paradiſi jam coloni. Habent quoque membra cum quibus rapti ſunt, atque translati. Quod nos imitamur jejunio, illi poſſident Dei conſortio: Veſcuntur cæleſti pane, & ſaturabuntur omni verbo Dei, eundem habentes Dominum, quem & cibum.*

Adſtipulatur etiam S. Auguſtinus ubi diſerte pronuntiat: *Heliam & Henoch non dubitamus in quibus nati ſunt corporibus vivere.* Et lib. 1. de Peccatorum meritis & remiſſione, cap. 3. ubi cum plurimis probaſſet Deum, hominem, ſi non peccaſſet, diutiſſime in hac vita ſervare potuiſſe, & quo tempore vellet ad immortalitatem ſine languore & morte media perducere adiicit: *Neque enim Henoch & Elias per tam longam ætatem ſenectute marcuerunt: nec tamen eos credo jam in illam ſpiritalem qualitatem corporis commutatos, qualis in reſurrectionem promittitur, quæ in Domino prima præceſſit: niſi quia illi fortaſſe nec his cibis egent, qui ſui conſumptione reficiunt; ſed ex quo translati ſunt, ita vivunt, ut ſimilem habeant ſatietatem illis quadraginta diebus,*

quibus Elias ex calice aquæ, & ex collyride panis, ſive cibo vixit: aut ſi ex bis ſuſtentaculis opus eſt, ita fortaſſe iu paradiſo paſcuntur, ſicut Adam priuſquam propter peccatum exiude exire meruiſſet. Habebat euim, quantum exiſtimo, & de lignorum fructibus refectionem contra defectionem; & de ligno vitæ ſtabilitatem contra vetuſtatem. Eſt igitur antiquiſſima fideque digniſſima Eccleſiæ traditio, Henoch nondum eſſe mortuum, ſed adhoc in vivis perſiſtere. His concinit Sedulius:

> *Primas ab uſque chao meritis vivacibus Enoch,*
> *Multa per ianumeros jam ſecula conti-gie auuos,*
> *Natura perdente modum, qaem jure creandi*
> *Terra tulit, genitum ſed mors miratur ademptam.*

Opponunt adverſæ ſententiæ aſſertores, ex Apoſtolo ad Rom. 5. v. 12. *Ia omnes homines mors pertrauſiit, iu quo omnes peccaveruut.* Et ad Hebræos 9. v. 27. *Statutam eſt omuibus hominibus ſemel mori.* Hæc admitto: ſed quid inde? Igitur, inquiunt, Henoch eſt mortuus: nego hanc ſequelam: eſt quidem mortalis, & mortis legibus adhuc ſubjectus, ſed nondum eas expertus. *Inſtant*, qui dicitur a Deo ſublatus, revera eſt mortuus; at de Henocho dicitur: *Non appa-rait, quia tulit eum Dominus;* Igitur &c.

Major patet ex Job 32. v. 22. *Neſcio quaudiu ſubſiſtam, & ſi poſt modicum tollat me factor meus.* Pſal. 48. v. 16. *Deus redimet animam meam de mauu inferi, cum acceperie me:* & 3 Reg. cap. 19. Elias tædio perſecutionum & vitæ affectus, ait, *Domine tolle auimam meam; ueque enim melior ſum, quam patres mei!* quibus verbis mortem exoptat.

Diſtinguo majorem, abſolute nego, cum quibuſdam circumſtantiis, concedo. Tolli enim a Deo, non eſt mortem obire; ſic Geneſ. 2. 15. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & poſuit iu Paradiſo voluptatis.* Unde voces *tollere aliquem*, præciſe non ſignificant inferre mortem; ſed duntaxat cum addito, & ex circumſtantiis: ſic *tollere animam, tolle, tolle, crucifige eum &c.* veram mortem deſignent.

Urgent ſi viveret adhuc Henoch, vera non eſſent hæc quæ de illo hic ſcribit Moſes: *Facti ſuut dies Heuoch treceuti ſexaginta quinque anni*; nam ultra ſex annurum millia jam vixiſſet. Igitur, aut falſa eſt illa vitæ Henochi computatio; aut Henoch jam obiit.

Nego autecedeus. Moſes enim recenſet duntaxat annos, quos in hominum ſocietate egit Henoch; non vero eos quos ab hominum conſortio ſubductus agebat; quia hi oon erant hoioinious noti, nec conducebant ad ſtabiliendam ſacram Chrooologiam.

QUÆRITUR XI.

Quem in locum translatus ſit Henoch.

ASſerit quidem Moſes Henochum a Deo translatum: at cum locum nnn indicet, iode gravis & anxia inter aoctores ea de re oritur diſputatio. Eam quidem inutilem & vanam eſſe diſerte pronuntiat S. Chryſoſtomus laudata homil. 21. io Geneſ. Cui ſubſcribens Theodoretus quæſt. 45. ait: *Non iuquirenda ſunt, quæ ſilentio ſuut tradita; ſed veneraada quæ ſcripta ſuut.* Quibus conſentiens S. Auguſtinus ait hanc quæſtionem uoam eſſe ex iis, *Iu quibus ſalva fide, qua Chriſtiani ſumus, aut iguoratur quid verum ſit, & ſenteutia deſinitiva ſuſpeuditur: aut aliter quam eſt, humana & infirma ſuſpicione conjicitur.*

Conveniunt quidem omnes paſſim cum Eccleſiaſtico Henochum translatum eſſe in paradiſum. Verum cum *Paradiſi* vox in ſacris Litteris ambiguæ ſit ſignificationis; inde gravior exurgit controverſia. Paradiſus enim ſumitur. I. Pro loco amœniſſimo plantis, floribus & ſuaviſſimis fructibus referto; ſic univerſa Jordanis regio dulciſſimis aquis irrigata, *Geueſ.* 13. *v.* 10. dicitur *Paradiſus Domini*. Et lib. Canticorum, cap. 4 v. 13. Divinus ſponſus ſponſæ ſpiritalis encomia celebrans, ait: *Emiſſiones tuæ Paradiſus malorum punicorum cam pomorum fructibus.*

II. Pro illo voluptatis loco, io quem Deus Adamum recens conditum tranſtulit, *Geneſ.* 2. *v.* 15. & alibi ſæpe.

III. Pro conſcientiæ tranquillitate, qua juſti homines Dei cultores ferventiſſimi impenſe fruuntur; ſic Eccleſiaſtici, cap. 40. v. 28. *Timor Domini ſicut Paradiſus benedictionis.*

IV. Denique pro fœliciſſimo Beatorum ſtatu, qui æternum cum Chriſto triumphaturi ſunt, ſic Lucæ, cap. 23. v. 33. & Apocalypſis 2. v. 7.

Communis fuit inter veteres Eccleſiæ Patres ſententia Enochum & Eliam translatos eſſe in paradiſum, ex quo Adamus fuit ejectus: ita inprimis *S. Hippolytus Martyr* oratione de Antichriſto. S. Ambroſius in cap. 4. Roman. *S. Athanaſius I.* quod Nicæna Synodus, S. Gregorius in 18. c. Job; & Homil. 12. in Ezechiel. *Hieronymus* in epiſt. ad Pammachium adverſus errores Joan. Hieroſ. *Damaſcenus*, lib. 4. cap. 28. &c.

At cum incertum ſit, utrum Paradiſus ille adhuc ſubſiſtat, anve diluvii aquis obrutus & diſſipatus fuerit; binc eſt quod nonnulli, maxime ex Proteſtantibus, contendunt Henochum translatum eſſe in Paraditum cœleſtem, io quo fruitur viſione Dei;

ita

ita *Heideggerus* exercit. num. 9. *Chriſtianus Schotanus* in Severi Sulpicii hiſtoriam cap. 7. *Rivetus* exercit. 49. in cap. 5. Geneſ. &c.

Verum hanc ſententiam eſſe erroneam, probatur; I. Quia teſte Chriſto. D. Joann. 3. v. 13. *Nemo aſcendit in Cœlum, niſi qui deſcendit de Cœlo Filius hominis qui eſt in Cœlo:* Quibus ſignificat nullum hominem in Cœlum fuiſſe receptum, priuſquam illud ipſe conſcenderet. Unde Apocalypſ. 3. v. 7. dicitur habere clavem David, *Qui aperit & nemo claudit &c.* Quam expoſitionem confirmat Apoſt. ad Epheſ. 4. 9. *Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia deſcendit primum in inferiores partes terræ?* Quibus indicat neminem in Cœlum fuiſſe receptum ante Aſcenſionem Chriſti. Hinc de Chriſti in Cœlum triumphali receptione dictum eſſe putant ſacri Interpretes hæc Pſalmiſtæ 23. v. 7 verba: *Attollite portas principes veſtras &c.* ut indicetur antea nemini mortalium Cœlum patuiſſe.

II. Apoſtolus ad Hebræos. 9. extollens Chriſti ſacrificium & ſacerdotium ſuper pontificatum & ſacrificia Moſaicæ legis, inter cætera ait ipſum primum ingreſſum eſſe, *In Tabernaculum non manufactum, id eſt, in ipſum Cœlum &c.* Quia ut dixerat antea, *nondum propalata erat Sanctorum via, adhuc priore Tabernaculo habente ſtatum.* Igitur nemo prius Cæleſte ſanctuarium introierat.

Confirmat hæc ibidem v. 15. dicens a Chriſto moriente novum conditum eſſe Teſtamentum, & illud ſua morte confirmatum, *Ut repromiſſionem accipereat, qui vocati ſunt æternæ hæreditatis.* Itaque nullus antea hominum hujus divinæ hæreditatis fuerat particeps. Idipſum diſtinctius explicat, *cap.* 11. *v.* 39. ubi cum magnifice commendaſſet fidem, pietatem, ac conſtantiam virorum illuſtrium, qui a mundi exordio ad Davidem uſque floruerunt; adiicit: *Et hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſſionem; Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non ſine nobis conſummarentur* Ubi dubio procul ſermo eſt de æterna fœlicitate, quam dicit Apoſtolus viros ſanctiſſimos Chriſti adventum antecedentes, non prius fuiſſe adeptos, quam Chriſti Domini ſequaces, qui in ejus fide & gratia deceſſerant.

Nec juvat reponere cum Riveto, Apoſtolum ibi intelligendum eſſe non de gloria cœleſti, ſed de repromiſſa poſſeſſione terræ Chanaan, quam veteres Patriarchæ Moſis anteceſſores non ſunt adepti. Hæc, inquam, exceptio prorſus inſulſa eſt & evanida: etenim Apoſtoli effatum generale eſt, omneſque viros ſanctiſſimos tam *ante-diluvianos*; quam *poſt-diluvianos*, complectitur. Porro eos omnes non ſpectabat terræ Chanaan repromiſſio, quæ primum fieri cœpit Abrahamo, deinde vero confirmata Iſaaco ejus filio, & Jacobo, illiuſque ſucceſſoribus Iſraelitis, qui ea tandem potiti ſunt.

Opponunt adverſarii nonnullos ſanctos Patres affirmantes Henochum & Eliam tranſlatos eſſe in Cœlum, imprimis S. Irenæum jam a nobis laudatum, qui diſerte pronuntiat: *Juſtis hominibus & ſpiritum habentibus, præparatus eſt Paradiſus, in quem & Paulus Apoſtolus aſportatus, audivit ſermones inenarrabiles, quantum ad nos in præſenti; & ibi manere eos qui tranſlati ſunt uſque ad conſummationem eo auſpicantes incorruptelam:* At S. Paulus 2. ad Cor. cap. 12. v. 2. & 4. dicit ſe raptum uſque ad tertium Cœlum, & in Paradiſum, ubi audivit arcana verba quæ non licet homini loqui; igitur revera Henoch & Elias in Cœlum fuerunt tranſlati.

Idem cenſet S. Hieronymus in epiſt. ad Pammachium præcedenti quæſtione a nobis laudata in qua diſerte ſcribit Henochum & Eliam raptos eſſe in Cœlum, ibique frui Dei conſortio. Idem cecinerunt Chriſtiani Poetæ. Sedulius operis paſch. lib. 1.

Aurea flammiferis evectus in aſtra quadrigis
Sydereum penetravit iter.

Alcimus Avitus de Henocho, lib. 4. cap. 6. ſcribit:

Quem priſca fides & conſcia virtus
In Cœlum ſine morte tulit.

Claudius Marius Victor de eodem lib. 2. carm. in Geneſ.

Vivit adhuc, & habet vita jam regna futura.

Reſpondeo, idcirco a ſanctiſſimis illos Patribus, & Scriptoribus Eccleſiaſticis dici Henochum & Eliam alioſque viros piiſſimos Chriſti adventum antecedentes in aliquam Cœlorum regionem fuiſſe deportatos, ibique humani generis redemptionem per Chriſtum pacifice præſtolari; quod ipſorum eximiorum virorum quieti & tranquillitati convenientiorem locum, quam Cœlum excogitare non poſſent. Verum in re adeo dubia & incerta conſultius eſt, nihil abſolute ſtatuere. Certum quidem eſt ab hominum in terra degentium conſortio ſubductos eſſe Henochum & Eliam: at quem in locum fuerint deportati? quid agant? & quibus cibis alantur? ſupervacaneum eſt requirere, ut ſupra diximus.

Neque his obſtat quod aſſerat S. Irenæus ea quæ de Eliæ & Henochi raptu & in Cœlum tranſlatione ſcripſit, ſe accepiſſe a presbyteris Apoſtolorum auditoribus. *Nam*, inquit Viegas in cap. 11. Apocalyp. v. 5. *Illi ipſi presbyteri pleraque omnino falſa, & cum divinis litteris pugnantia tradiderunt*, ut ibi videre eſt apud S. Irenæum, lib. 2. cap. 39. Cujuſmodi eſt illud, Chriſtum Dominum annos prope 50. in terris vixiſſe &c. Quare non eſt quod multum nos moveat ea presbyterorum traditio.

Inſtabis, Elias aliorum Sanctorum inſtar colitur & invocatur: igitur intra Beatorum ſortem eſt receptus: ac proinde idem de Henocho ferendum eſt judicium.

Reſpondeo, Eliam quidem coli Beatorum inſtar, quod ſit conſummatus in gratia, Deoque chariſſimos & conjunctiſſimus; ac proinde plurimum apud ipſum ſuis precibus valeat; ſi enim tot miraculis ac prodigiis inclaruit dum inter mortales degeret; multo major & efficacior eſt illius apud Deum interceſſio, cum, ut loquitur Tertullianus, jam eſt *candidatus æternitatis*.

QUÆRITUR XII.

Quid ſentiendum ſit de prophetia Henochi.

HEnochum prophetico ſpiritu & dono claruiſſe conveniunt omnes tam Judæi, quam Chriſtiani.

Judæi quidem, tanta veneratione eum excipiunt, ut etiam Moſi & Eliæ (referente Heideggero) illum anteponere non vereantur. Chriſtiani vero illum inſignem fuiſſe prophetam docent S. Judæ epiſtola v. 14. & 15. his verbis: *Prophetavit autem, & de his ſeptimus ab Adam Henoch, dicens: Ecce venit Dominus in ſanctis millibus ſuis facere judicium contra omnes &c.* Cum autem epiſtola S. Judæ ſit canonica, ac proinde nihil falſi contineat, quam citat, Henochi prophetiam, certa & indubitata debet cenſeri.

Unde vero hanc prophetiam exceperit S. Judas, non una eſt Auctorum ſententia. Tria vero poſſunt excogitari ex quibus illa in Apoſtoli notitiam venerit. 1. Quidem traditio aliqua a majoribus accepta & propagata. 2. Liber aliquis aut ab ipſo Henocho exaratus, aut ab aliquo vetuſtiſſimo auctore qui Henochi res deſcripſerit, & ejus nomine librum evulgarit. 3. Revelatio aliqua ſingularis ipſi a Deo facta.

Hanc prophetiam ex libro Henochi nomine exarato depromptam eſſe, cenſuerunt omnes illi SS. Patres: Juſtinus Martyr, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Athenagoras, & quotquot Angelorum ſeu Dæmonum cum filiabus hominum, connubium, ex quo procreati ſint gigantes, aſſeruerunt. Quin etiam Tertullianus librum Henochi ætate ſua adhuc perſiſtentem, plurimis ſed levioribus argumentis canonicum aſſerere conatur.

Meminit pariter prophetiæ Henochi ut ab ipſo ſcriptæ, S. Auguſtinus, etſi enim eam, quæ circumferebatur prophetia Henochi, genuinam fuiſſe neget: *Quia*, inquit, *quædam contra fidem canonicorum Scriptorum in ea legebantur*: attamen, quod aliquid Henochus ſcripſerit, non dubitat: *Scripſiſſe nonnulla*, inquit, *divina Henoch illum ſeptimum ab Adam, negare non poſſumus; cum hoc in epiſtola canonica Judas Apoſtolus dicat*.

Inſuper in vetuſtiſſimo volumine cujus titulus eſt, *Teſtamentum duodecim Patriarcharum*, quod ſæpe Origenes & Procopius citant, multa ex ſcriptura Henochi inſeruntur vaticinia; videlicet de his, *quæ eventura fuerunt filiis ac nepotibus 12. Patriarcharum: de futuris Hebræorum ſceleribus & pœnis: de mundi Salvatore ab Hebræis occidendo: de reverſione Hebræorum.* Pariter Henochi ſcripturæ citat locum Clemens Alexandrinus, pag. 801. *Etiam Henoch dicit tranſgreſſores Angelos docuiſſe homines aſtronomiam, & præſtigiatoriam, aliaſque artes.*

Refert etiam Origenes, lib. 5. contra Celſum, quod cum hic illi objiceret auctoritatem libri Henochi reſpondit, *Quod non magna librorum Henochi in Eccleſia ſit auctoritas:* quibus verbis agnoſcit quidem ſcripturam Henochi nomine exaratam; at librum authenticum eſſe pernegat.

Ex quibus omnibus manifeſte conſtat primis Eccleſiæ temporibus ſcripta quædam fuiſſe Henochi nomine evulgata, quorum fragmentum Græce editum, & a Joſepho Scaligero latine factum & inſertum in notis ſuis ad græca Euſebii, hic ex parte repreſentare juvat, quo facilius judicet Lector an talis liber ab Henocho ſcriptus ſit, & ab Apoſtolo S. Juda laudatus?

Scribit autem Angelorum viginti Principes conveniſſe; ac juramento ſe obſtrinxiſſe ut ex hominum filiabus ſibi uxores ducerent: *Tunc omnes juramento præſtito ſe obligarunt. Erant autem, inquit, viginti, qui aſcendentes in diebus Jared ſummitatem montis Hermoniim, quem a jurejurando ita appellarunt, ibi fœdere per juramentum inito, ſe invicem obſtrinxerunt. Nomina autem Principum ſunt ſequentia. 1. Semixas Princeps eorum. 2. Atarhuph. 3. Arabiel. 4. Chabubiel. 5. Orummame. 6. Rhamiel. 7. Sapſich. 8. Lakiel. 9. Balkiel. 10. Azalzel. 11. Pharmarus. 12. Amariel. 13. Anagemas. 14 Thanſael. 15. Samiel. 16. Sarinas. 17. Cumiel. 18. Tyriel. 19. Tamiel. 20. Sariel. Sic & reliqui omnes anno 1170. mundi, acceperunt ſibi ipſis mulieres, & inceperunt contaminari in ipſis uſque ad diluvium, pepereruntque ipſis tria genera* (hominum) *Primum genus erant* Gigantes *magni; Gigantes autem generabant* Naphilim: *ex* *vero* Naphilim *nati ſunt* Eliud; *& multiplicabantur juxta magnitudinem eorum, & docebant fœminas eorum magiam, & incantationes, ſive artem præſtigiatricem &c.*

Sequentia verba ſilentio prætereo, quod tantum referant primo noxias, aut curioſas artes, quas illi ſpiritus nequiſſimi dicuntur docuiſſe filias hominum quibuſcum miſcebantur; deinde juſtam ultionem quam per ſanctos Angelos de perditiſſimis illis ſumpſit Deus: hæc inquam, prætermitto, quod inane commentum ſapiant; ac ne leve quidem præ ſe ferant indicium illius effati prophetici, quod laudat S. Judas.

Plurimi tamen, nec abs re, exiſtimant a S. Apoſtolo hoc vaticinium ex libro, qui Henochi nomine ætate ſua circumferebatur, de-

Digitized by Google

depromptum eſſe. Cujus quidem ſententiæ fuit S. Hieronymus qui libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis agens de Epiſtola S. Judæ, ait: *Parvam quidem, quæ de ſeptem catholicis eſt, epiſtolarum reliquit; & quia de libro Enochi, qui apocryphus eſt, in ea aſſumit teſtimonium, a pleriſque reiicitur.* Ipſum tamen excuſat in comment. ad 1. Caput Epiſt. ad Titum, ubi dicit, quod etſi quis liber ſit apocryphus, inde non ſequi eum nihil veri continere: quemadmodum enim in prophanis quædam poſſunt eſſe vera, quæ ipſe Spiritus S. ſuo teſtimonio per Scriptorem ſacrum confirmet, ut Act. 17. in *Arato*. 1. Cor. 15. in *Menandro*: ad Titum in *Epimenide Cretenſi* vel *Callimacho*, ſic in apochryphis contingere poteſt, ut plurima vera ſint quæ a Scriptoribus ſacris uſurpentur. Nam S. Paulus apocryphorum dictis nonnunquam fuit uſus; ſic in 1. ad Cor. cap. 2. v. 9. ait; *Oculus non vidit, nec auris audivit &c.* quæ ex apocrypho ſub nomine Heliæ videntur deprompta: ſic ad Galat. 6. v. 15. ex libro inſcripto, *Revelationes Moſis*, hæc exſcripſiſſe videtur; *Neque Circumciſio aliquid valet &c.* & in epiſt. ad Epheſ. 5. v. 14. ex apocrypbis Jeremiæ adſcriptis recitat. *Surge qui dormis, & exurge a mortuis &c.* pari jure S. Judas potuit divino ſuggerente Spiritu exſcribere ex libro apocrypho qui Henochi nomine circumferebatur, ea quæ profert.

Veroſimilius tamen dicendum arbitror a S. Apoſtolo vaticinium iſtud non ex aliquo libro ejus temporibus extante depromptum eſſe. 1. Id ipſe non aſſerit, ſed ſolum ait: *Prophetavit autem &c.* prophetare autem potuit ore tenus, & præconio publico in tabulas non recepto; ejus autem vaticinium noſſe potuit S. Judas divino id ei ſuggerente Spiritu, qui in Apoſtolos illapſus, ut Chriſtus D. ſpoponderat, docuit eos omnem veritatem. *Secundo* (ait Heideggerus exercit. 10.) cum antiquiſſimus fuerit Henochus, ſi quam is prophetiam ſcripto mandaſſet, dubium non eſt, quin poſteriores ſacri Scriptores, Moſes vel Prophetæ, ejus mentionem alicubi feciſſent: at in veteris Teſtamenti tabulis nullum ejus veſtigium, apex nullus apparet. *Tertio* cum populus Dei, ſanctorum Patrum memoriam charisſimam habuerit, & Henoch ipſe Propheta fuerit, ſi quam prophetiam ſcripſiſſet, illa Judæorum Canoni primo loco fuiſſet inſerta. Nihil autem tale in Judæorum canone unquam extitit. Igitur &c.

QUÆRITUR XIII.

Cur Lamech ſibi natum filium appellaverit Noe: & quos hic habuerit filios.

REm ſic enarrat Moſes circa finem capitis quinti Geneſ. v. 29. *Vixit Lamech centum octogiuta duobus annis, & genuit filium: vocavitque nomen ejus Noe, dicens: iſte conſolabitur nos &c.*

Hic Lamechus diverſus eſt ab alio ejuſdem nominis ex Caini proſapia, de quo actum eſt ſupra: hic enim erat vir piiſſimus a Setho Patriarcha oriundus, qui cum animadverteret hominum impietatem (mortuis Adamo, & ſanctiſſimis Patriarchis vita functis) magis ac magis invaleſcere, ſperavit natum filium virtutis, ac pietatis fore ſtudioſum; effecturumque tum verbis, cum exemplis, ut homines meliorem in frugem revocarentur: quo fieret, ut placatus Deus, maledictionem, ob Adami peccatum, terræ inflictam, revocaret, & priorem benedictionem reſtitueret. quamobrem appellavit eum *Noe*, id eſt, *Ceſſatio*, vel *Requies*.

Adiicit Moſes: *Noe cum quingentorum eſſet annorum, genuit Sem, Cham, & Japhet*. Quo autem anno eorum quiſque natus ſit, incertum: Nec tamen anceps & dubia eſt Chronologia ſacra, quæ deducitur per Semum; ſiquidem colligi poteſt hunc natum eſſe anno Patris quingenteſimo ſecundo; nam *cap.* 11. *v.* 10. legimus, biennio poſt diluvium, Semum fuiſſe centum annorum dum ei natus eſt Arphaxad; diluvium autem incidit in annum Noachi ſexcenteſimum: unde ſequitur Semum natum anno 502. Noachi, & ſic certo procedit temporum ſeries.

Cur autem tandiu a procreandis liberis Noe abſtinuerit, cum anteriores Patriarchæ citius genuerint, multiplex poteſt proferri conjectura. I. Quod cum divinitus admonitus fuiſſet de futuro diluvio, ingenti mœrore confectus, omnem voluptatem abdicaverit, totum ſe pœnitentiæ permittens, ut divinam iracundiam declinaret. II. Cum certo noſſet brevi interituros homines, eſſetque dubius num aliqui forent ſervandi, noluit operam dare liberis; ne cum aliis, divinæ ultioni ſubjacerent. Ubi vero, Deo revelante, novit ſe ſuoſque ſalvatum iri, tunc ſeſe accinxit ad procreandos filios, qui humani generis poſt diluvium eſſent ſeminarium & hominum propagationi incumberent. III. Tandiu continere voluit, ut divino cultui, & animo virtutibus excolendo liberius vacaret. Hinc cap. 5. v. 9. prius celebratur eximia illius pietas & juſtitia, quam recenſeatur filiorum ſeries; ait enim Moſes: *Hæ ſunt generationes Noe; Noe vir juſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis, cum Deo ambulavit; & genuit tres filios Sem, Cham & Japhet*, quæ verba expendens S. Ambroſius ſcribit: *Ad condemnationem autem cæterorum, & ad expreſſionem pietatis divinæ, dicitur Noe apud Deum gratiam inveniſſe: ſimul oſtenditur quod hominem juſtum non*

obum-

Digitized by Google

obumbret aliorum offenſio; quando ipſe ad totius generis reſervatur ſeminarium, qui non generationis nobilitate, ſed juſtitiæ & perfectionis merito laudatur: Probati enim viri genus virtutis proſapia eſt; quia ſicut hominum genus, homines; ita animarum genus, virtutes ſunt. Etenim familiæ hominum ſplendore generis nobilitantur; animarum autem clarificatur gratia ſplendore virtutis.

Quæritur inſuper quis trium illorum fratrum fuerit major natu? nam etſi dignitas primogenituræ ceſſerit Semo; ſunt tamen qui Japhetum natura primogenitum fuiſſe ex eo probant, quod *cap.* 10. *v.* 21. legimus: *De Sem quoque nati ſunt, Patre filiorum omnium Heber, fratre Japhet majore,* ut habet Editio Græca ἀδελφοῦ Ἰάφεθ τοῦ μείζονος: aut ut Tremelius & Junius vertunt *natu maximi.* Ideo ſic ratiocinantur: Noe incœpit gignere anno ætatis ſuæ quingenteſimo, ut fertur in hoc capite v. 31. porro non genuit Chaim, quia minor natu dicitur *cap.* 9. *v.* 24. neque *Sem* qui infra *cap.* 11. *v.* 10. Sem biennio poſt diluvium genuit Arphaxad anno ſuæ ætatis 100. Si vero natus fuiſſet anno Noe 500. ille non genuiſſet Arphaxad anno vitæ ſuæ 100. ſed 201. inde conſtat Semum non fuiſſe natum anno patris 500. ſed 502. nec proinde illum eſſe primogenitum. Igitur inde liquet Japhetum eſſe natu maximum.

Alii vero exiſtimant Semum eſſe, non prærogativa tantum, ſed etiam natura primogenitum, & Scripturam non deſignaſſe præciſe numerum annorum Noe dum genuit; ſed tantum ſignificare illum non prius genuiſſe, quam quingenteſimum annum impleviſſet; & ideo præfata capitis verba, ſecundum Editionem Vulgatam eſſe legenda cenſent, *fratre Japhet majore*; adeoque exiſtimant mendum eſſe in præfata Editione Græca. Putarem ego Japhetum fuiſſe quidem natura primogenitum, ſed Semo primogenituræ jus conceſſum, quod ex ejus ſemine naſciturus erat Meſſias. Id enim ſæpenumero agit Deus, ut qui poſteriores ſunt naturæ ordine, eos ſibi deligat; ne ſeſe efferant homines inani carnis primogenituræ fiducia. Sic Abrahamum prætulit Nachor, Iſaac Iſmael, Jacob Eſau, Judam Simeoni, non naturæ & originis, ſed dignitatis, & cœleſtis prærogativæ rationem ſervans.

DISQUISITIONES
IN CAPUT SEXTUM.

SExtum Caput orditur Moſes his verbis, *Cum cœpiſſent homines multiplicari ſuper terram, & filias procreaſſent, videntes filii Dei filias hominum quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi uxores ex omnibus, quas elegerant.*

QUÆRITUR I.

Quinam fuerint illi filii Dei, qui cum hominum filiabus fuerunt commixti.

CIrca hujus quæſtionis reſolutionem mirum in modum ſeſe torquent Interpretes, variaſque in ſententias abeunt. Plurimi namque per *filios Dei* intelligunt bonos Angelos, Dei conſpectu fœlicitate fruentes, qui filiarum hominum pulchritudine illecti, veſana concupiſcentia in eas exarſerunt; eaſque ſibi deſponſantes, nefarie cum eis fuere commixti: ac propterea e Cœlo dejecti: Ita docent *Joſephus* lib. 1. Antiq. cap. 3 & 4. *Philo.* lib. de Gigantibus. *S. Juſtinus* Apol. 1. *Athenagoras* oratione 269. pro Chriſtianis. *Clemens Alex.* lib. 3. ſtrom. *Lactantius* lib. 2. de orig. erroris. *Tertullianus* lib. de Idololatria cap. 9. & lib. de cultu fœminarum cap. 21. nec non & lib. de Virginibus velandis cap. 7. ubi dicit merito ab Apoſtolo præceptum eſſe, ut mulieres non niſi velato capite Eccleſiam ingrediantur, propter Angelos: *Quos*, inquit, *legimus a Deo, & Cœlo excidiſſe ob concupiſcentiam fœminarum. Quis poteſt præſumere quales Angelos, maculata jam corpora & humanæ libidinis reliquias deſideraſſe, ut non ad Virgines potius exarſerint, quarum flos etiam humanam libidinem excuſat? Debet ergo adumbrari facies tam periculoſa, quæ uſque ad Cœlum ſcandala jaculata eſt, ut Deo aſſiſtens, cui rea eſt Angelorum exterminatorum; cæteris quoque Angelis erubeſcat &c.*

Eis conſentit *S. Ambroſius* dicens: *Non Poetarum more Gigantes illos terræ filios vult videri divinæ Scripturæ conditor: ſed ex Angelis & mulieribus generatos aſſerit.* Et lib. 1. de Virginibus: *Quam præclarum autem*, inquit, *Angelos propter intemperantiam ſuam in ſæculum oecidiſſe de Cœlo, virginem propter caſtimoniam in Cœlum tranſiiſſe de ſæculo.* Idem docuerunt *Euſebius Cæſarienſis* a, *Methodius* b, *Sulpitius Severus* c, & alii e veteribus bene multi, qui cenſent quoſdam Angelos e ſua dignitate & cœleſti ſede excidiſſe propter concupiſcentiam fœminarum.

a *Lib.* 5. *de præp. Evan. c.* 4.
b *Orat. de Reſur.*
c *Lib.* 1. *Hiſt. c.* 3.

In

In hanc autem ſententiam deſcenderunt, quod uſi fuerint Græca verſione LXX Interpretum, cujus aliqui codicees tunc habebant ἄγγελοι τοῦ θεοῦ, *Angeli Dei*. Nunc vero ſcriptum legimus, οἱ υἱοὶ τοῦ θεοῦ *Filii Dei*, utriuſque vero nominis eadem eſt ſignificatio, ut obſervat S. Aug. ſcribens: „ Aquila, „ quem Interpretem Judæi cæteris antepo„ nunt, non *Angelos Dei*, nec *filios Dei*, ſed „ *filios Deorum*, interpretatus eſt. Utrum„ que autem verum eſt; nam *& Filii Dei* „ erant; ſub quo patre, ſuorum patrum „ etiam fratres erant: & *filii Deorum*; quo„ niam a Diis geniti erant, cum quibus „ & ipſi Dii erant, juxta illud, Pſalm. 81. „ *Ego dixi Dli eſtis &c.*

Tametſi vero S. Auguſtinus aliquando dubius hæſerit, utrum Angeli omnino ſint incorporei; imo juxta Platonicorum ſenteoriam Dæmones appellarit *aeria animalia* lib. 1. contra Academ. cap. 7. quin etiam lib. 15. de Civit. cap. 23. judicium ferre nolit utrum Dæmones, quos ſilvanos & faunos appellant, ſeu incubos & ſuccubos, poſſint coire cum mulieribus, & viris, ejus verba ſunt; „ Quuniam creberrima fa„ ma eſt, multique ſeſe expertos, vel „ ab eis qui experti eſſent, de quorum „ fide dubitandum non eſt, accidiſſe con„ firmant, *Silvanos* & *Faunos*, quos „ vulgo *incubos* vocant, improbos ſæpe ex„ titiſſe mulieribus, & earum appetiiſſe ac „ peregiſſe concubitum: & quoſdam Dæ„ mones, quos *Durios* Galli nuncupant, „ hanc aſſidue immunditiem & tentare & „ efficere, plures taleſque aſſeverant, ut „ hoc negare, impudentiæ videatur; non „ hic aliquid audeo temere definire, utrum „ aliqui ſpiritus elemento aereo comparati, „ poſſint etiam hanc pari libidinem; ut „ quomodo poſſint, ſentientibus fœminis „ miſceantur. *Attamen*, inquit, *Angelos* „ *ſanctos nullomodo illo tempore labi poſſe* „ *crediderim.*

At S Chryſoſtomus contrariam & veram ſententiam tuetur ſcribens *quanta dementia plenum fuerit, dicere angelos dejectos, ut cum mulieribus rem habeant, & incorporea illa natura copuletur corporibus &c.* Ei concinit S. Cyrillus Alexandrinus: *Quo pacto*, inquit, *non ſtultitiæ proximum ſit dicere, ſpiritus carne ſuperiores, ab eaque ſemotos carnalium amore tangi &c.*

Neque his obſtat quod Job. 1. v. 6. & 38. v. 7. Angeli dicantur *filii Dei*; præfata enim Moſis verba, de Angelis ſive bonis, ſive malis non eſſe intelligenda convincunt hæ rationes.

I. Illi qui vetitas illas nuptias cum filiabus contraxerunt, iidem ſunt, quibus iratus Deus dixit, in eis non permanſurum ſuum Spiritum: at illi non fuerunt Angeli, ſed homines; ait enim: *Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt*, igitur, &c.

II. Qui ſpecioſarum mulierum pulchritudine, & illecebris illecti ſunt, iidem ſunt, qui infauſtas cum illis nuptias inierunt: at Angeli matrimonia non contrahunt; hoc enim tanquam teſtatiſſimum aſſumit Chriſtus D. ut probet nulla poſt reſurrectionem futura matrimonia: *In reſurrectione*, inquit, *non nubent; neque nubentur: ſed erunt ſicut Angeli Dei in Cœlo*: quod utique argumentum eſſet elumbe, ſi Angeli matrimonii fuiſſent capaces.

III. Infauſtæ illæ nuptiæ, & nefariæ cum filiabus hominum commixtiones, divinam in humanum genus ita excitarunt iracundiam, ut Deum pœnituerit, quod hominem feciſſet, dixeritque: *Delebo hominem, quem creavi a facie terræ*. At ſi prævaricatores illi fuiſſent Angeli, nulla ſubrat cauſa, cur Deus in humanum genus tanta iracundia efferveſceret, ſtatueretque illud penitus extinguere, ſolæ enim filiæ hominum cum Angelis commixtæ tanti ſceleris fuiſſent reæ; ac proinde ſolæ cum ipſis Angelis fuiſſent puniendæ. Quid enim peccaſſent mares, ut pœnas luerent? conſtat igitur per *filios Dei*, non Angelos, ſed homines a Moſe intelligi & deſignari.

At, inquies, S. Judas in Epiſt. Canonica v. 6. ut eis, qui & gratia Dei abutuntur ad laſciviam, & ſolum Dominatorem & Dominum noſtrum Jeſum-Chriſtum negant, terrorem incutiat, ante oculos ſtatuit Angelorum prævaricatorum atrocem pœnam: *Angelos vero*, inquit, *qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerant ſuum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis ſub Caligine reſervuvit*. Quibus verbis S. Judas ſignificat Angelos quoſdam prava libidine abreptos cœleſti domicilio deturbatos eſſe: quod utique præfatis Moſis verbis concinit.

Idque confirmat verſu ſequenti in quo illos Angelos lapſos aſſimilat Sodomitis: *Sicut*, inquit, *Sodoma, & Gomorrha, & finitimæ civitates ſimili modo exfornicatæ, & abeuntes poſt carnem alteram, factæ ſunt exemplum, ignis æterni pœnam ſuſtinentes*. Hic Sodomam & Gomorrham, & finitimas Civitates ſcortatas eſſe aſſerit, & poſt carnem alienam iviſſe, non ſecus ac illi Angeli, quorum mentio proxime facta eſt: Quæ ſi apta ſit comparatio, ſequitur etiam Angelos ſcortatos eſſe, & poſt carnem alienam iviſſe; id autem non alio tempore factum putare licet, niſi eo quo *Filii Dei videntes filias hominum quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi uxores ex omnibus quas elegerant.*

Reſpondeo, S. Judam iſtis verbis Angelorum lapſum, hominis lapſu anteriorem deſcripſiſſe, & dixiſſe illos fuiſſe duplicis criminis reos: primum, quod non ſervaverint principatum ſuum, ſeu originis ſuæ dignitatem; ideſt, quod *in veritate non ſteterint*, ut loquitur Chriſtus D. *Joan.* 8. *v.* 44. alterum, quod domicilium ſuum dereliquerint, ſcilicet incolarum cœleſtis Paradiſi, a quo per ſuam prævaricationem exciderunt propria ſua voluntate; quatenus ſcilicet voluntarie peccaverunt. Sicut Adamus dici poteſt, Paradiſum reliquiſſe, qui tamen inde a Deo fuit expulſus.

Ad exemplum autem quod aſſumit Apoſtolus ex Sodoma & Gomorrha, Dico ejus mentem non eſſe, quod, qui ita comparantur,

tur, ſimili modo fornicati ſint, & abierint poſt carnem alreram: ſed comparatio in eo viget, quod ſicut Judæi Idololarræ & increduli, perierunr: & quemadmodum Angeli prævaricatores pœnis æternis ſunt addicti, & turpiſſimi Sodomorum incolæ pœnam ignis ſuſtinent: ſic etiam impii illi, qui gratia Dei abutunrur ad veſanas voluprates, ignis æterni eruciatibus ſubjacebunt. Itaque comparatio tantum inſtituitur inter vindictam & vindictam; non vero inter eandem criminum ſpeciem & circunſtantiam.

Itaqoe dicendum arbitror com SS. Chryſoſtomo, homil. 22. in Geneſ. Auguſtino [a], Cyrillo [b], Ruperto [c], & Caſſiano [d], per *filios Dei*, Moſem Serhiras intellexiſſe; qui cum, vivente Enoſo, ejuſque Patribus ac Majoribus, divino cultui probiſque moribus religioſe vacarent, & impiorum Cainitarum conſortia reſugerent, ab eorumque connubiis & affiniratibus abſtinereot; poſtea refrigeſcenre zelo, & religionis ſtudio, Cainitarum mulierum pulchritudine illecti, atque earum veſano amore inflammati, illarum connubia ambierunt & mores imbiberunt; procreata ex illis prole ſimili, quæ in omnem iniquiratem delapſa, iram Dei acceleravit.

a *Lib. 15. de civit. c. 23.*
b *Lib. 9. contra Julian.*
c *Lib. 4. in Geneſ.*
d *Lib. 8. c. 21.*

Moſis enim ſeopus eſt, oſtendere qua ratione ſactum ſuerit, ut non ſolum Caini, ſed etiam Sethi poſteritas corrupra & pollura, diluvio ſuerit abſorpta; uno dumtaxat excepto Noacho cum ſua familia.

Rem iſtam perbelle exponit Patricides Patriarcha Alexandrinus ab Heideggero productus, qui eum dixiſſet Cainitas in planitie commorantes ſejunctos fuiſſe a Sethi poſteris in Monte-Sancto conſiſtentibus, addit de Cainitis „ Adhinniebant viri mulieribus
„ inſtar equorum; eodemque modo abſque
„ pudore viris fœminæ, ſcortantes, aliique
„ cum aliis rurpia patrantes, palamque con-
„ gredientes; eadem cum fœmina viris duo-
„ bus, aut tribus rem habentibus. Erant-
„ que vetulæ juvenibus ſalaciores; patres
„ cum filiabus, juveoes cum matribus ſuis
„ venere promiſcua urebaotur; adeo ut nec
„ liberi patres ſuos, nec patres liberos di-
„ gnoſcerent.

„ Omnibus interim inſtrumenris muſicis
„ otebantur; adeo ut clamoris & luſus
„ ipſorum ſonus ad faſtigiom Montis-San-
„ cti aſcenderet; quem cum audiviſſent Se-
„ thi poſteri, convenerunt ex ipſis centum
„ viri ut e monte ad poſteros Caini male-
„ dicti deſcenderent; quos juramento per
„ ſanguinem Abelis obſtrinxerat Jared, ne
„ de Monte-Sancto deſceodereot. Ipſi ta-
„ men dictum ejus nihil morati, deſcende-
„ ruot: cumque deſcendiſſent, filias Caini
„ maledicti ſpecie pulchras, & ſine pudore
„ nudas conſpicientes, cupidine exarſerunt.
„ Eos ſimiliter conſpicientes Caioi filiæ,
„ viros ſpecie pulchra, ſtatura Gigantea,
„ io ipſos ferarum inſtar inſilientes, cor-
„ pora eorum inquinarunt: atque ita cum
„ filiabus Caini ſcortando perierunt filii
„ Serhi. Pepererunt aotem filiæ Caini ma-
„ ledicti, filiis Serhi Gigantes. *Hæc ille.*
Cum aurem vox *Gigas*, Hebraice *Nephilim*, ſit ambiguæ ſignificationis.

QUÆRITUR II.

Quinam fuerint illi Gigantes.

MUltiplex ea de re eſt Auctorum ſententia, quibus anſam præbuit Hebræa vox, נפלים, *Nephilim* a radice *Naphal* quæ, ut obſervat Buxtorfius in Lexico, multiplicem habet ſignificationem; idem enim denotat, ac *cecidit*, *ruit*, *defecit*, *procubuit*, *dejecit &c.* Unde varie vocem illam *Nephilim* reddiderunt Interpretes; nam Græci & Vulgatus tranſtulerunt *Gigantes*. Chaldæus & Syrus *fortes*, *robuſtos*: Arabs habet *præpotentem & validum*. Symmachus reddidit *violentos*. Aquila Ponticus *irruentes*.

Hinc pro gentium & idiomatum diverſitate, Gigantes varia ſortiti ſunt nomina. Siquidem a Moabitis dicebantur *Emim*, id eſt, terrentes: ab Ammonitis *Zanzummim*, Sapienres, aſtuti: a Chananæis, *Raphaim*, reſtauratores; ab Hamæis, *Zuzim*, illuſtres; ab aliis *Gibborim*, robuſti, potentes, ut videre eſt *Geneſ.* 14. *v.* 5. & *Deuteron.* 2. *v.* 10. 12. *&* 20. his ita præmiſſis tres potiſſimum occurrunt de Gigantibus illis auctorum Sententiæ.

Prima eorum eſt, qui Gigantes illos, volunt eſſe Dæmones, ex Angelorum cum filiabus hominum commixtione genitos; quibus hæc aſſerendi occaſionem ſubminiſtravit apocryphus liber, inſcriptus nomine *Henoch*, in quo legimus; *& nunc Gigantes nati e ſpiritibus & carne..... propterea quod ex hominibus orti ſunt & Egregoris id eſt, Angelis malis.*

Ejuſdem ſententiæ fuiſſe videtur Sanctus Ambroſius [e] exponens enim hæc Geneſis verba: *Gigantes autem erant in terra, in diebus illis: ait, non Poetarum more Gigantes illos terræ filios vult videri divinæ Scripturæ conditor: ſed ex Angelis & mulieribus generatos aſſerit, quos hoc appellat vocabulo, volens eorum exprimere corporis magnitudinem.*

e *Lib. de Noe c. 4.*

Ei concinit Sulpitius Severus [f], *Qua tempeſtate*, inquit, *cum jam humanum genus abundaret, Angeli, quibus Cælum ſedes erat, ſpecioſarum forma virginum capiti, illicitas cupiditiates appetierunt: ac naturæ ſuæ originiſque degeneres, relictis ſuperioribus, quorum incolæ erant, matrimoniis ſe mortalibus miſcuerunt; Hi paulatim mores noxios conſerentes, humanam corrupere progeniem. Ex quorum coitu Gigantes editi eſſe dicuntur; cum diverſæ inter ſe naturæ permixtio monſtra gigneret.*

f *Lib. 1. Hiſt. c. 8.*

Expo-

Digitized by Google

a Lib. 2. de Orig. error. c. 14.

Exponit iſta diſtincte Lactantius a, qui cum dixiſſet a Deo delegatos Angelos ad hominum cuſtodiam, ne Dæmonum artibus dementati a virtutis tramite deflecterent: Addit Angelos ipſos mulierum pulchritudine illectos cum illis eſſe congreſſos; *Qui autem*, inquit, *ex ipſis ſunt procreati, quia neque homines fuerunt, ſed mediam quandam naturam gerentes; non ſunt ad inferos recepti; ſicut in Cælum parentes eorum. Ita duo genera Dæmonum facta ſunt, unum cæleſte, alterum terrenum. Hi ſunt immundi Spiritus, malorum, quæ geruntur, auctores; quorum idem Diabolus eſt Princeps.*

His adſtipulatur Paulus Burgenſis Epiſcopus in ſextum Caput Geneſis, ubi ait, *Nephilim* fuiſſe Dæmones humana ſpecie larvatos; argumento ab Etymologia vocis *Nephilim* ducto, quæ *cadere*, *corruere*, & *procidere* ſignificat; quo deſignari Dæmones colligit, qui e Cælo lapſi ſunt, juxta illud Iſaiæ 14. 12. *Quomodo cecidiſti de Cælo Lucifer*. Et Lucæ 10. 18. *Videbam Sathanam ſicut fulgur de Cælo cadentem.*

Verum in iſta ſententia, duo proferuntur æque abſurda. *Primum*, Quod ex commixtione Angelorum cum filiabus hominum nati ſint *Nephilim*, hoc eſt, ut volunt, *Dæmones*. Quid autem abſurdum magis quam æſtimare Dæmones, natura ſua incorporeos ex fœda corporum viri ac mulieris commixtione prodiiſſe? Niſi forte velint, Nephilim illos tantæ fuiſſe impietatis, crudelitatis, ac malitiæ, ut merito Dæmonibus fuerint aſſimilati, & vulgo *Dæmones* dicti.

Alterum non minus abſurdum, nempe *Nephilim* extitiſſe tantum poſt lubricam Filiorum Dei cum filiabus hominum copulam; tamerſi enim Vulgatus Interpres *Gigantum* meminerit duntaxat poſt expreſſam illam commixtionem: attamen illos antea extitiſſe aperte ſatis indicat dum ſcribit: *Gigantes autem erant ſuper terram in diebus illis;* Ac ſi diceret, quando facta eſt fœda illa permixtio, jam Gigantes extabant, nempe a maledicta Caini proſapia geniti, qui ſua ferocitate homines infeſtabant.

Non abnuo tamen ex illa conjunctione Fliorum Dei cum filiabus hominum, quoſdam etiam ortos fuiſſe Gigantes; quorſum enim nuptias illas referens Moſes, Gigantum meminiſſet; niſi quoſdam prææltæ ſtupendæque ſtaturæ homines etiam ex iſtis matrimoniis oriundos eſſe voluiſſes indicare? Favet etiam textus Hebræus; ſic enim habet, vertente Pagnino, *Gigantes fuerunt in terra, in diebus illis; & etiam poſteaquam ingreſſi ſunt Filii Dei ad filias hominum, & genuerunt eis*. Cui verſioni adſtipulatur Tremelliana. Conſtat itaque nomine *Nephilim* ſeu Gigantum, non Dæmones, ſed homines excelſæ & inuſitatæ ſtaturæ ſignificari: maxime, cum propter eorum pravitatem & malitiam; non quidem Dæmonum, ſed hominum, diluvium fuerit immiſſum.

Nec oppoſitam ſententiam juvat vocis *Nephilim* Etymologia; nam ut obſervat Aben Eſra *Nephilim dicti ſunt, quod concideret cor videntis eos, & admirantis altitudinem eorum.* Unde vulgo dicebantur *irruentes, dejectores, proſternentes*. I. Quod cæteri homines ſtupendam eorum corporis proceritatem, & Moſem intuentes, attoniti ac tremebundi in terram caderent, quo ſpectaſſe videtur Job. 16. v. 15. ubi agens de plagis ſibi a Deo immiſſis, ait: *Concidit me vulnere ſuper vulnus; irruit in me quaſi Gigas*. II. Quod ipſi Gigantes diluvio fuerint abſorpti, quo referri poteſt etiam illud Jobi, cap. 26. *Ecce Gigantes gemunt ſub aquis.*

Secunda ſententia eorum eſt, qui *Nephilim* interpretantur, non de Gigantibus: ſed de primis ante diluvium Dei cultus ac pietatis Reſtauratoribus: ita præ cæteris Bolducius, lib. 1. de Eccleſia ante Legem, cap. 9. & ſequentibus, ubi contendit viros pietate celebres, aut dignitate & auctoritate famoſos antiquitus dictos fuiſſe *Nephilim*, ſeu *Gigantes*, quod cæteris religione & auctoritate eminerent. *Nephilim*, inquit ſic dicti ſunt, *quod ob Dei cultum a reliquis in eo diſtinguerentur, & Deum proſtrationibus adorarent: eo fere modo quo patres Ordinis ſancti Franciſci de Aſſiſio ab aliis diſtingueres, cum eos ſeſe proſternentes ante Sacramentum altaris, & terram deoſculantes aſpicis*. In eam fortaſſis vir ille ſumme religioſus, & perdoctus ſententiam deſcendit, quod vox Hebræa *Nephilim* a radice *Naphal* ſignificet *cadere*, aut *ſe proſternere*.

Verum huic expoſitioni obſtat. I. Quod ex ea ſequeretur omnes fideles veros Dei cultores dicendos eſſe *Nephilim* & *Gigantes*; quod eſt abſurdum: *Deinde* illa expreſſis Scripturæ ſacræ verbis refellitur. Nam eodem, *cap. 6.* facta de Gigantibus mentione, continuo adiicit Moſes: *Videns Deus quod multa hominum malitia eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, pœnituit eum quod hominem feciſſet in terra.*

Quibus ſignificat eo tempore homines, maxime Gigantes, corruptiſſimis fuiſſe moribus, & divinam iracundiam provocaſſe.

Unde merito Philo Judæus, lib. de Gigantibus vocat Gigantes *homines terræ*, diſtinguens nempe eos ab hominibus *Cæli* & *Dei:* Cum enim dixiſſet Moſis de Gigantibus narrationem, nihil redolere de Poetarum fabulis, addit: „ Nullam igitur de „ Gigantibus affert fabulam; ſed illud te „ docere vult, alios eſſe Terræ, alios Cæ„ li, alios Dei homines. *Terræ* quidem, „ eos qui venantur voluptates corporis; & „ harum uſum-fructum quærendo undecun„ que ſingularum materiam. *Cæli* autem „ eos qui tenent artes ac ſcientias, aut eas „ ſectantur: quod enim noſtri cæleſte eſt, „ mens eſt: quæ & motus Cæli conſide„ rat, & in reliquis exercet ſe artibus li„ beralibus, acumen intelligendis hujuſmo„ di rebus ſibi comparans. *Dei* vero ho„ mines Sacerdotes & Prophetæ ſunt, quo„ rum major eſt dignitas, quam ut ſe mi„ ſceant humanæ reipublicæ, & mundi ci„ ves ſint: ſed ſublimiores omnibus rebus

„ ſenſibilibus, migrarunt in mundum intelligibilem, ibi ſortiti domicilium, adſcripti reipublicæ ideatum incorporearum & incorruptibilium. *Hæc Philo Judæus.*

Ex quibus apparet Gigantes illos terrenis rebus & corporeis voluptatibus deditos, omnibuſque etiam animi vitiis inquinatos fuiſſe. Unde Sapiens, cap. 14. vocat eos ſuperbos; *Ab initio*, inquit, *cum perirent ſuperbi Gigantes.* Primum itaque in illis vitium fuit ſuperbia, quod robore ſuo, ſuaque proceritate freti, plus ſibi arrogaverint, quam fas erat. Sic igitur faſtu inflati, jugum omne excutere cœperunt, Deique leges, & a Majoribus accepta divina mandata contemnere. Fuerunt etiam in homines contumelioſi & ſævi; quia fieri non poteſt, ut modeſte erga homines ſe gerat, qui parere Deo non ſuſtinet. Hinc appoſite Eccleſiaſticus, cap. 16. v. 8. *Non exoraverunt pro peccatis ſuis antiqui Gigantes, qui deſtructi ſunt confidentes ſuæ virtuti.*

Sunt etiam qui vocem *Nephilim* ſeu Gigantes exponunt de Magnatibus & Principibus, qui auctoritate & potentia cæteris eminent. Verum non ex ſola denominatione, & ſolo imperio Magnatum & Principum in ſubditos, homines illius temporis dictos fuiſſe Gigantes, ex eo maxime conſtat, quod plurimi tunc fuerint viri Sanctiſſimi aliis præpoſiti, ut Patriarchæ omnes; qui tamen Gigantis nomine non fuerunt appellati.

Itaque veroſimilius dicendum arbitror, *Nephilim*, ſeu Gigantes a Moſe memoratos, fuiſſe homines nedum feritate & violentia; ſed & inſolita corporis magnitudine, & ſtatura formidandos; ad quorum præſentiam & aſpectum homines terrore percuſſi, corde deficerent, & in terram ruerent. Hanc enim genuinam eſſe vocis, *Nephilim*, ſignificationem aperte declarat Propheta Baruch, cap. 3. v. 26. ubi de his inſolitæ ſtaturæ hominibus agens, ait: *Ibi fuerunt Gigantes, nominati illi, qui ab initio fuerunt, ſtatura magna, ſcientes bellum.*

Quin etiam eadem voce *Nephilim*, utitur Moſes, quoties ſtupendæ proceritatis homines deſcribit. Sic Numer. 13. v. 34. exploratores, ut terram Chanaan luſtrarent ab eo delegati, reverſi dixerunt: *Terra, quam luſtravimus, devorat habitatores ſuos: populus quem aſpeximus, proceræ ſtaturæ eſt. Ibi vidimus monſtra quædam filiorum Enac de genere* (Nephilim) *Giganteo: quibus comparati, quaſi locuſtæ videbamur.* Ubi vox *Nephilim*, ſignificat homines ſtaturæ prælatæ, ſicut & *Deuter.* 3. v. 11. ubi fit ſermo de Og rege Baſan ſtaturæ prælatæ.

Hanc eandem veritatem confirmat plurimis exemplis S. Auguſtinus, qui arguens eos qui negabant Gigantes fuiſſe aliis hominibus altiores, ait: „ De corporum magnitudine plerumque incredulos nudata „ per vetuſtatem, ſive per vim fluminum, „ varioſque caſus, ſepulchra convincunt; „ ubi apparuerunt, vel unde ceciderunt incredibilis magnitudinis oſſa mortuorum. „ Vidi ipſe non ſolus; ſed aliquot mecum, „ in Uticenſi littore, molarem hominis dentem tam ingentem, ut ſi in noſtrorum „ dentium modulos minutatim concideretur, centum nobis videretur facere potuiſſe: ſed illum Gigantis alicujus fuiſſe „ crediderim &c.

Ex his manifeſtum fit vanam eſſe eorum exiſtimationem, qui putant priorum hominum communem fuiſſe Giganteam ſtaturam; atque primos parentes creatos eſſe procero & alto corpore. Si enim ea conſueta & ordinaria tunc fuiſſet hominum ſtatura, abſurde Moſes eam, ut rem valde notandam enarraſſet; quod enim commune eſt & vulgare, id certe nulla conſideratione dignum cenſetur.

Horum itaque Gigantum, ſicut & aliorum hominum, improbitate & nequitia ad iram & ultionem provocatus Deus (ſubdit Moſes) *Pœnituit eum quod hominem feciſſet in terra. Et tactus dolore cordis intrinſecus, Delebo*, inquit, *hominem, quem creavi, a facie terræ &c.*

QUÆRITUR III.

Quo ſenſu Deum pœnituiſſe dicat Moſes.

HUic quæſtioni jam ex parte feci ſatis in Conciliatorio Biblico.

Verum ut ordine rem planius ac plenius hic explicem, præmittendum eſt præfata Scripturæ verba, non ad litteram, ſed tropice eſſe intelligenda. Neque enim Deus hominum more, vere ac proprie pœnitere poteſt. Siquidem ad proprie dictam pœnitentiam tria potiſſimum deſiderantur. 1. Deteſtatio de præterito; ſeu de re indebite peracta aut neglecta. 2. Dolor & horror de præſenti, ſeu de idea gravitatis offenſæ & prævaricationis. 3. Propoſitum de re ſimili non admittenda in futurum. At Deus hiſce tribus animi motibus & affectibus ſubjacere non poteſt; quippe cum ſit omni ex parte immutabilis, omniaque habeat ab æterno ſibi præſentiſſima.

Itaque Deus ea ratione dicitur pœnitere & dolere, quod per immutabilem ſuam naturam & voluntatem talia faciat, qualia homines talibus affectibus ducti, facere ſolent; ſicut enim quem pœnitet facti, id tanquam malum averſatur, & pro viribus revocat & diſſipat: ſic Deus intoleranda hominum malitia provocatus, ſtatuit diluvio illos perdere, quos prius creaverat.

Egregie explicat iſta S. Ambroſius, lib. de Noe & arca, ubi referens hominum antediluvianorum perverſitatem & Dei in illos iracundiam, adiicit: *Neque tamen Deus cogitat ſicut homines, ut aliqua nova ei ſuccedat ſententia; neque iraſcitur quaſi mutabilis: ſed ideo hæc leguntur, ut exprimatur peccatorum noſtrorum acerbitas, quæ divinam*

meruit

meruit offenſam; tanquam eo uſque increverit culpa, ut etiam Deus, qui naturaliter non movetur aut ira, aut odio, aut paſſione ulla, provocatus videatur ad iracundiam. Unde S. Auguſtinus, lib. 15. de Civit. cap. 25. *Ira Dei non perturbatio animi ejus eſt: ſed judicium, quo irrogatur pœna peccato.* Hinc lib. 1. Confeſ. cap. 4. *Quæris cum tibi nihil deſit; amas, nec æſtuas; zelas, & ſecurus es; pœnitet te, & non doles; iraſceris & tranquillus es; opera mutas, ſed non mutas conſilium.*

QUÆRITUR IV.

Quo ſenſu debeant intelligi hæc Dei in homines exacerbati verba. v. 3.

ERUNTQUE DIES ILLIUS CENTUM VIGINTI ANNORUM.

Reſpondeo, verbis iſtis non præfigi humanæ vitæ terminum, ut exiſtimarunt *Joſephus*, lib. 1. Antiq. cap. 15. *Philo*, lib. 1. de Gigantibus: *Lactantius*, lib. 2. cap. 15. & alii bene multi: hanc enim exiſtimationem refellunt exempla plurimorum hominum, qui etiam poſt exactum diluvium præfatum ſpatium ſunt ſupergreſſi: Sem enim poſt diluvium vixit quingentis annis, Arphaxad, Sale, & Heber plures, quam quadringentos egerunt; reliqui Patriarchæ ad Abrahamum uſque, ducentos exceſſerunt: quin etiam Joiadas Hebræorum Pontifex, longe poſt diluvium, vixit 130. annis, ut refertur lib. 2. Paralip. cap. 24.

Itaque illud 120 *annorum*, non ad futuram hominum ætatem circumſcribendam refertur; ſed ad tempus agendæ pœnitentiæ hominibus ante-diluvianis conceſſum. Ita docet S. Chryſoſtomus, homil. 22. in Geneſ. ubi Deum ſic loquentem inducit: *Interminatus ſum, & manifeſtavi meam indignationem, quam propter multitudinem peccatorum, quæ operati eſtis, vobis inferri juſtam eſt: ſed quia etiam eos, qui incurabiliter peccaverunt, ſalvari volo, nullumque perire; idcirco vobis indulgeo centum viginti annos; ut, ſi volueritis, & peccata abjeceritis, reſipiſcendoque, & ad meliora vos convertendo, virtuti ſtudueritis, pœnas & pericula effugiatis.*

Ei concinit S. Hieronymus, lib. 9. traditionibus Hebraicis, ubi expendens præfata verba: *Porro*, inquit, *ne videretur in eo eſſe crudelis, quod peccantibus locum pœnitentiæ non dediſſet*; *adiicit illud*: SED ERUNT DIES EORUM CENTUM VIGINTI ANNI: *Hoc eſt, habebunt centum viginti annos ad agendam pœnitentiam. Non igitur humana vita, ut multi errant, in centum viginti annos contracta eſt: ſed generationi illi centum viginti anni ad pœnitentiam dati ſunt: ſiquidem invenimus, quod poſt diluvium Abraham vixerit annos centum ſeptuaginta quinque, & cæteri amplius ducentis & trecentis annis.*

Id ipſum confirmat ex his verbis: *Facti ſunt omnes dies Noe nongenti quinquaginta anni*: ex his enim infert: *Ecce poſt diluvium trecentis quinquaginta annis vixit Noe: ex quo perſpicuum eſt, centum viginti annos generationi illi, ut ſupra diximus, ad pœnitentiam datos, & non vitæ mortalium conſtitutos.*

Hanc etiam ſententiam confirmare videtur S. Petrus, Epiſt. 1. cap. 3. v. 19. ubi dicit Chriſtum prædicaſſe iis qui fuerant increduli, *Quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe*: Quibus Dei longanimitatem commendat, non alia certe ratione, quam quia diuturnum tempus ad agendam pœnitentiam indulſit.

At, inquit Valeſius, ſpatium illud 120. annorum intelligi nequit de tempore hominum pœnitentiæ præfinito: igitur debet intelligi de contracto vitæ humanæ ad 120. annorum termino. Probat Antecedens: cum futurum diluvium Deus Noe prænuntiavit, jam Noe habebat filios, qui etiam duxerant uxores; at vero Noe erat quingentorum annorum, dum genuit Sem, Cham, & Japhet; cœpit autem diluvium, ruptis fontibus, & apertis Cœli cataractis, anno ſexcenteſimo vitæ Noe; non ergo eſt prænuntiatum diluvium centum viginti annis antequam fieret; igitur, inquit, illa Moſis verba non ſunt intelligenda de ſpatio pœnitentiæ, ſed de humanæ vitæ termino præfixo.

Hanc difficultatem præviderunt S. Chryſoſtomus, *homil. 25. in Geneſ.* & S. Hieronymus *in traditionibus Hebraicis*, reſpondentes a Deo quidem conceſſos 120. annos illis hominibus ad agendam pœnitentiam: ſed cum illam ſpernerent, tempus illud deſtinatum, amputatis viginti annis, breviatum eſſe; *Quia vero*, inquit S. Hieronymus, *pœnitentiam illi agere contempſerunt; noluit Deus tempus expectare decretum: ſed viginti annorum ſpatiis amputatis, induxit diluvium anno centeſimo agendæ pœnitentiæ deſtinato.*

Reſpondent alii centum illos viginti annos non eſſe computandos ab eo tempore quo Noe cœpit filios gignere: in illa ſiquidem Moſis narratione tria tempora ſunt diſtinguenda: *Primum*, quo Deus Noe revelavit ſe centum viginti annos indulſiſſe hominibus ad agendam pœnitentiam: *Secundum*, quo imperata eſt arcæ ſtructura: *Tertium*, quo juſſus eſt Noe cum ſua familia arcam ingredi. Primum tempus anteceſſit filiorum procreationem viginti annis, ac ſubinde illi 120. exacti erant dum factum eſt diluvium.

Urget Valeſius, Moſes *cap. 31. Deuteron.* cauſam proferens, cur ipſi mors immineat; non aliam indicat, quam quia natus erat centum viginti annos; nec proinde poſſet amplius vivere: igitur cenſebat ſpatium 120. annorum divinitus eſſe præfixum humanæ vitæ agendæ.

Reſpondeo, Moſem inſtantem ſibi mortem non refundere in illos 120. annos, quos erat natus; ſed in duplicem aliam cauſam, alteram quidem petitam a graviſſimis laboribus

ribus perpeſſis in anteacta adminiſtratione, *Centum*, inquit, *viginti annorum ſum hodie, non poſſum ultra egredi, & ingredi:* hoc eſt, deficiunt vires & imminentem mortem præſentio, non ſolum propter provectam ætatem; ſed maxime propter ingentes exantlatos labores. Alteram vero petitam ab ordinatione divina, qua prohibitus erat; *Præſertim*, inquit, *cum & Dominus dixerit mihi, non tranſibis Jordanem.*

Quod autem imminentem mortem non refunderet in 120. annos quos erat natus, tanquam in certum humanæ vitæ terminum, apparet ex querela quam inſtituit, *Pſalm.* 89. ejus nomine inſcripto, ubi luget imminutionem vitium & humanæ vitæ: *Dies*, inquit, *noſtri defecerunt, & in ira tua defecimus. Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur: dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptnaginta anni. Si autem in potentatibus, octoginta anni, & amplius eorum, labor & dolor.* Non exiſtimabat ergo a Deo præfixum eſse humanæ vitæ terminum ad 120. annos. Dicit quidem vitæ vigorem in dies imminui: at non deſignat tempus ultra quod illa protendi nequeat.

Itaque dicendum, eſt eos 120. annos, quos Moſes commemorat, intelligendos eſſe de ſpatio ad agendam pœnitentiam hominibus ante-diluvianis conceſſo.

At, *inquies*, præſciebat Deus illos pœnitentiam non acturos; igitur fruſtra, & illuſorie hoc interſtitium ad pœnitendum conceſſiſſet.

Reſpondeo, id quidem a Deo præviſum ex conſequente eorum perverſa voluntate, & in malo pervicacia, quam non efficiebat ejus præſcientia, ſed ſupponebat: paratus enim erat eis indulgere, ſi reſipuiſſent, ſicut pepercit Ninivitis pœnitentibus; tametſi eis denuntiaſſet, poſt 40. dies futurum eorum exterminium. Itaque per eum non ſtetit quin pœniterent, & miſericordiam conſequerentur; quippe ad id gratias fuerat largitus & inſuper ad id hortatus per Noe qui denuntiabat futurum tremendum Dei judicium: quapropter eum *juſtitiæ præconem* appellat S. Petrus, quia non ſolum hominibus denuntiabat futurum exitium; ſed etiam animantium omnium exterminationem. At

QUÆRITUR V.

Quibus de cauſis cum reis hominibus Animantia innoxia Deus voluerit extinguere.

ETſi Deus operum ſuorum ſolus ſit arbiter, ejuſque judicia hominibus ſint incomprehenſibilia, & inveſtigabiles viæ; proindeque nullus præciſe detegere poſſit quorſum hominum impiorum exterminium decernens, etiam in animalia innoxia animadvertere voluerit; nihilominus, quantum ad res divinas explorandas aſſurgere poteſt humanæ mentis imbecillitas, nonnullæ proferri poſſunt rationes, quæ una cum hominibus, etiam juſto Dei judicio, animalia extingui debuiſſe ſuadeant.

Primo, namque divinæ æquitati erat conſonum, ut ea omnia quibus ſuerat abuſus homo ad nefarias voluptates implendas, & divinas temerandas, proculcandaſque leges, una cum ipſo reo interirent; ne reis extinctis, ſcelerum inſtrumenta ſubſiſterent.

Secundo, terra hominum habitationi deputata, erat eis inſtar domus omnigena ſupellectilis copia, & varietate diſtincta; quoniam autem homo domum iſtam ſuis ſceleribus inquinaverat; & omnes, quibus referta erat, divitias fœde corruperat: illic quoque pœnæ monumentum extare voluit Deus.

Tertio: „ Cum homo gratus eſt Deo, „ creatura quoque humanæ fœlicitatis particeps eſt; quemadmodum Beatus Paulus „ ait: *Et ipſa creatura liberabitur a ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei*: ſic & nunc homine ob multitudinem peccatorum puniendo, & univerſali perditioni tradendo, etiam jumenta & reptilia, & volatilia cœli ſimul pereunt diluvio, quod totum orbem invaſurum erat. Et ſicut in domo, quando is „ qui præeſt, in indignationem Domini incidit, veriſimile eſt comminiſtros omnes „ ei condolere: ita & hic quaſi in domo, „ hominibus pereuntibus, omnia quæ in „ domo, & quæ ſub illius ſunt dominio, „ neceſſe eſt in eandem pœnam incidant.

Quarto, quia (inquit S. Ambroſius, lib. de Noe & Arca cap. 4.) *Propter hominem illa facta erant, eo utique deleto propter quem facta ſunt, conſequens erat ut etiam illa delerentur; quia non erat qui his uteretur.*

Quod diutiſſime denuntiarat & minitatus fuerat Deus, futurum ſcilicet hominum & belluarum exterminium, opere tandem implevit, immiſſo diluvio, quod Moſes deſcribit, cap. 7 v. 17. his verbis: *Factumque eſt diluvium quadraginta diebus ſuper terram; & multiplicatæ ſunt aquæ, & elevaverunt Arcam in ſublime a terra. Vehementer enim inundaverunt: & omnia repleverunt in ſuperficie terræ.... Et aquæ prævaluerunt nimis ſuper terram: opertique ſunt omnes montes excelſi ſub univerſo Cœlo.* Quæ verba licet perſpicue declarent univerſam terram fuiſſe aquis diluvii coopertam, nihilominus, ut nihil adeo ſacrum eſt in quod impias manus audacia humana non iniiciat; ita nulla eſt adeo conſtans veritas, quam ſuis argutiis convellere non tentet.

Inde

Inde eſt quod Præ-Adamitarum fictor, de quo ſupra, omnem ſuam poſuit operam, ut demonſtrare conaretur diluvium Noacicum non fuiſſe univerſale, nec effuſum ſuper omnem terrarum orbem; ſed tantum ſuper Palæſtinam, ut Judæorum Majores perderet, non autem ut omne genus humanum extingueret.

Itaque contendit, terram aquis coopertam, non aliam fuiſſe quam *Palæſtinam*: per animalia extincta, ſignificari *Gentiles*, ſeu Præ-Adamitas Judæorum Majoribus permixtos. Nomine *Abyſſi magnæ* deſignari mare Galilææ: per *Montes aquis opertos*, intelligendos eſſe Montes Palæſtinæ, nempe Thabor, Hermon, Libanum &c. quod inſanum commentum, ut ordine refellam.

QUÆRITUR VI.

Utrum Noacicum diluvium univerſas orbis regiones occupaverit.

AFfirmant omnes tam Judæi, quam Chriſtiani; idque apertiſſime declarat Moſes & confirmat plurimis momentis. I. Quidem ex motivo, quo provocatus Deus diluvium immiſit; nimirum quia *omnis caro corruperat viam ſuam ſuper terram.* Unde ipſe-met Deus dixit ad Noe: *Finis univerſæ carnis venit coram me; repleta eſt terra iniquitate a facie eorum; & ego diſperdam eos cum terra.* A qua corruptione, cum ſolum Noe ejuſque familiam immunem fuiſſe ſignificet, his verbis: *Noe vero invenit gratiam coram Domino, quia vir juſtus atque perfectus fuit in generationibus ſuis, & cum Deo ambulavit:* Inde argumentum eſt, omnes aliorum hominum, nullo altero dempto, corruptis moribus divinam iracundiam provocatam eſſe; ac proinde omnes prorſus, ſalva ſola Noemi familia, divinæ ſubjacuiſſe ultioni, & diluvio periiſſe.

In quibus maxime celebranda venit Noe pietas, & conſtantia; quod undique ſcelerum colluvie circumdatus, maculam inde & contagionem nullam contraxerit. Experientia namque patet quam difficile ſit verſari inter impios; nec pravis eorum exemplis a virtutis tramite abduci. Noe vero temporibus tanta, tamque generalis erat hominum improbitas & corruptio; ut ille ne unum quidem, præter ſuam familiam, haberet in Dei cultu, & virtutis ſtudio ſocium. Quamobrem inter tot hominum milliones, quibus tunc mundus abundabat, ſolus dicitur inveniſſe *gratiam coram Domino*: quæ verba non ſic intelligenda ſunt, ac ſi propriis viribus, ſuaque induſtria Dei benevolentiam quæſierit, & invenerit; ſed quod, Dei præventus & fultus auxilio, probe & pie vivendo propitium illum & ſibi faventem habuerit; ut ſua cum ſola familia ab inundante diluvio ſalvus fieret.

II. Ex comminatoriis Dei verbis, quibus ſcilicet præſignificavit a ſe exterminandum omne prorſus humanum genus, ſola Noemi excepta familia; ſic *cap. 6. v. 7. Delebo*, inquit, *hominem, quem creavi, a facie terræ, ab homine uſque ad animantia &c.* & v. 13. *Dixit ad Noe, finis univerſæ carnis venit coram me.* Audis univerſam carnem exterminandam? quod inſuper confirmatur ex v. 17. *Ecce ego adducam aquas diluvii ſuper terram, ut interficiam omnem carnem, in qua Spiritus vitæ eſt ſubter cælum: univerſa quæ in terra ſunt, conſumentur.* Porro qui dicit omnem carnem interficiendam, & omnia ſub cœlo viventia exterminanda, illis duntaxat exceptis qui ad Noe familiam ſpectabant, dubio procul ſignificat a ſe exterminandos omnes prorſus homines, omneſque belluas.

III. Ex prænunciatorum eventu; ait enim *cap. ſequenti v. 21.* & ſequentibus: *Conſumptaque eſt omnis caro quæ movebatur ſuper terram, volucrum animantium, beſtiarum, omniumque reptilium, quæ reptant ſuper terram: univerſi homines, & cuncta in quibus ſpiraculum vitæ eſt in terra, mortua ſunt.... Remanſitque ſolus Noe, & qui cum eo erant in arca.* At ſi ſolus Noe, & qui cum eo erant, tam homines quam brutæ animantes poſt cataclyſmum remanſerunt ſuperſtites, quis niſi protervus, aut ſtolidus negare poterit cæteros omnes fuiſſe extinctos?

IV. Diſerte ait Moſes, cap. 7. v. 19. *Aquæ prævaluerunt nimis ſuper terram, opertique ſunt omnes montes excelſi ſub univerſo cœlo.* Nullus itaque fuit mons cœlo ſubjectus quem aquæ diluvii non operuerint; ſubdit enim: *Quindecim cubitis altior fuit aqua ſuper montes quos operuerat*; ac proinde aquæ diluvii per univerſam terram exundarunt.

V. Docet Moſes, *cap. 8. v. 9.* a filiis Noe *diſſeminatum eſſe genus hominum ſuper univerſam terram:* & *cap. 10. v. 5.* de eiſdem, eorumque nepotibus ſermonem faciens, ait: *Ab iis diviſæ ſunt inſulæ Gentium in regionibus ſuis &c.* Itaque poſt diluvium terra erat incolis & habitatoribus vacua: igitur in ea omnes omnino homines fuerant extincti, ſola ſuperſtite Noemi familia.

VI. Talis tunc fuit per diluvium hominum exterminatio, qualis erit in fine ſæculorum, per mundi conflagrationem, ut docet S. Petrus, epiſt. 2. cap. 3. *Cœli*, inquit, *erant prius de aqua & per aquam conſiſtens Dei verbo: per quæ ille tunc mundus aqua inundatus periit. Cœli autem qui nunc ſunt, & terra, eodem verbo repoſiti ſunt, igni reſervati in diem Judicii, & perditionis impiorum hominum:* Porro certum eſt hanc conflagrationem fore univerſalem; tale igitur diluvium extitit.

VII. Si extra Palæſtinam diluvium non emanavit, cur Noe juſſus eſt arcam tot im-

penſis

penſis & tanto labore ac tempore, ſtruere; cum itinere mediocri extra Palæſtinam migrando, vitæ ſuæ & familiæ conſulere poſſet? Si aqua celſiſſimos Palæſtinæ montes exceſſerit: qua vi, & quibus machinis retenta, ut extra illius regionis clauſtra non erumperet? Cum Noe juſſus ſit ex animantibus mundis aſſumere ſeptena & ſeptena; ex immundis vero duo & duo; quomodo hoc Gentilibus poteſt applicari? Quinam ex eis mundi, cum omnes ſupponantur a veri Dei notitia & cultu alieni? hæc quiſquis æqua æſtimatione penſabit, noſtri nugatoris inane commentum dubio procul ridebit.

Iis adde generalem de diluvii univerſitate apud omnes mundi Nationes traditionem propagatam, ut conſtat ex plurimis Ethnicorum veterum teſtimoniis. Joſephus enim lib. 1. adverſus Appionem pag. 1044. Refert Beroſum antiquiſſimum Chaldæorum Scriptorem eadem de diluvio pene ac Moſem ſcripſiſſe. „ Beroſus, *inquit*, antiquiſſimas ſecutus hiſtorias de facto diluvio, & hominum in eo interitu, ſicuti Moſes, ita conſcripſit ſimul & de arca, in qua generis noſtri princeps ſervatus eſt cum illa ad cacumina Armeniorum montium ſe applicuiſſet. Idem Joſephus *lib. 1. Antiquit. Judaicarum cap 4.* diſtinctius hæc exponit & confirmat. Cum enim univerſale diluvium deſcripſiſſet, addit: „ Hujus tum diluvii, tum arcæ meminerunt, quotquot Barbarorum hiſtorias conſcripſerunt. Quos inter Beroſus Chaldæus, in ea quam habet diluvii narratione, ita ſcribit. Atque hujus navigii partem etiamnum aliquam in Armenia, circa montem Cordyæorum ſervari ferunt, ex qua deraſi bituminis aliquid, loci ejus indigenæ inſtar amuleti uti ſolent.

„ Ejuſdem rei mentionem quoque facit Hieronymus Ægyptius, qui priſcam Phœnicum hiſtoriam conſcripſit, itemque Mnaſeas, aliique complures. Quibus Nicolaum Damaſcenum adde, qui *libro 96.* ſic habet; Eſt, inquit, ſupra Minyadem mons ingens in Armenia, Barin vocant, ad quem plerique cum diluvii tempore confugiſſent, eos periculum effugiſſe narrant. Præterea certum quemdam Arca vectum, ſummum ad montis verticem appuliſſe, ac lignorum ibi reliquias conſervatas fuiſſe. Is vero non alius utique fuerit, quam qui a Moſe Judæorum Legiſlatore memoratur. *Hæc Joſephus.*

His accenſendus eſt Abydenus Medorum & Aſſyriorum hiſtoricus qui ſimilia cum Moſe de univerſali diluvio ſcripſit, mutato nomine Noe in Siſithri, ut videre eſt apud Euſebium, libro 9. præparationis Evangelicæ, cap. 12.

Eadem ex Alexandro Polyhiſtore producit S. Cyrillus, in libris contra Julianum. Plutarchus pariter tractatu de induſtria animalium, refert factum columbæ emiſſæ a Noe, quem nomine *Deucalionis* appellat: *Columbam*, inquit, *ajunt ex arca emiſſam certum indicium detuliſſe Deucalioni, cum rediret, tempeſtatis ubi emanebat ſereni.*

His adjici poſſunt Vato qui plerumque Cataclyſmi mentionem facit: At omnium diſtinctius, *Lucianus Samoſatenſis* qui in libro *de Dea Syria*, diluvium Noe ſub nomine *Deucalionis* ferme ac Moſes his verbis deſcribit: *Contumelioſi homines cum eſſent, iniqua facinora perpetrabant: nam neque juſjurandum ſervabant; neque excipiebant hoſpites; neque curabant ſupplices: ob quas res maxima eis ſupervenit calamitas. Statim enim terra plurimum aquæ de ſe extulit, tum vero plurimi de Cœlo cecidere imbres: flumina quoque ultra modum exundavere, & mare ipſum ſuperfuſum eſt terris; ita ut res omnes aqua fierent; homines vero perirent omnes. Solus tunc, ad ſecundi generis exordium, Deucalio relictus eſt, prudentiæ & pietatis ergo. Servatus autem hoc modo eſt. In arcam magnam quam habebat, liberos, mulieresque domus ſuæ impoſuit, ipſeque eam ingreſſus eſt: quod cum faceret, venere Apri, & Equi & Leonum genera, & Serpentes, & alia quæ in terra paſcuntur, bina quaque. Ille hæc ad ſe animantia recepit omnia: quæ nihil nocuere: ſed magna ſi cum illis divinitus amicitia obvenit: unaque in Arca navigarunt omnes, quandiu aqua ſuper terras fuit.*

Horum Ethnicorum Scriptorum, qui diluvii meminerunt, agmen claudet Ovidius, lib. 1. Metamorphoſeon, ubi inter cætera ſcribit:

Expatiata ruunt per apertos flumina campos,
Cumque ſatis arbuſta ſimul, pecudeſque viroſque,
Tectaque, cumque ſuis rapiunt penetralia ſacris.
Si qua domus manſit, potuitque reſiſtere tanto
Indejecta malo, culmen tamen altior hujus
Unda tegit, preſſæque latent ſub gurgite turres.
Jamque mare & tellus nullum diſcrimen habebant.
Omnia pontus erat, deerant quoque littora ponto . . . . .
Nat lupus inter oves, fulvos vehit unda Leones.
Unda vehit tigres, nec vires fulminis apro
Crura nec ablato proſunt velocia cervo:
Quæſitiſque diu terris ubi ſiſtere poſſit,
In mare laſſatis volucris vaga decidit alis:
Obruerat tumulos immenſa licentia ponti,
Pulſabantque novi montana cacumina fluctus,
Maxima pars unda rapitur, quibus unda pepercit
Illos longa domant inopi jejunia victu.

Etſi vero tot momentis hæc veritas conſtantiſſime firmetur, nihilominus ut ſuo erroneo dogmati præſidium quærat novator noſter.

Reponit I. Deum quidem decernere a ſe delendum homioem quem creaverat: at homo ille quem dicitur creaſſe, non alius eſt

quam

quam Adamus ab ipſo e limo terræ formatus, cujus poſteritatem idcirco cenſuit extinguendam, quod divina ejus mandata violaſſet, & teterrima quæque flagitia admitteret. Comminationes autem non ſpectant alios homines ab ipſo Adamo non prognatos, quique ejus ortum anteceſſerant.

Verum de hominibus Præ-Adamitis ludicrum ac inane commentum cum antea diſflaverimus, refutaverimuſque omnes argutias quibus illud fulcire niſus fuerat; ad præſentem ipſius exceptionem diluendam & evertendam, ſat eſt attendere ad ipſa Dei verba, quibus dicit ſe pœnitere quod feciſſet hominem; & a ſe delendum hominem quem creaverat. Cum enim nullus eſſet hominum qui ab eo non fuiſſet conditus, illa divina comminatio omnes omnino ſpectabat, qui ab eo producti corruperant vias ſuas, erantque ipſius divinæ legis violatores: nulli autem erant homines qui eum non haberent Auctorem: a quo enim alio ſuam hauſiſſent originem? Num ut fungi e terræ madore & luto formati? Nonne Deus omnium hominum, ſicut & aliarum rerum conditor & auctor eſt cenſendus? Igitur illa divina comminatio ſpectabat omnes omnino homines, ſola dempta juſti Noe familia. Cum igitur quæ prænunciata fuerant in prævaricatores ſupplicia, executioni demandata ſint, citra dubium eſt præter Noemi familiam, omnes omnino homines fuiſſe diluvio extinctos.

Reponit II. Has propoſitiones univerſales, *Omnis caro corruperat &c... Delebo omnem hominem* &c. *Interficiam omnem carnem &c... Sub univerſo cœlo &c.* Dictas eſſe per Synecdochen, quæ figura Moſi familiaris eſt, eaque perſæpe utitur, puta cum ait Geneſ. 2. v. 6. *Fons aſcendebat e terra, irrigans univerſam ſuperficiem terræ:* Quod utique de ſola terra paradiſina, eique vicinis plagis dictum eſſe conſtat; neque enim fieri potuit, ut uno fonte totus terrarum ambitus irrigaretur. Similiter, *Geneſ.* 41. de illa fame quam Joſephus Pharaoni prædixit, ſermonem faciens Moſes, ait, v. 54. *In univerſo orbe fames prævaluit*. Et cap. 43. initio: *Interim fames omnem terram vehementer premebat*. Totum autem orbem, & omnes terræ regiones hac fame fuiſſe vexatas, non eſt veriſimile. Hæc itaque per Synecdochen & hyperbolice ſunt accipienda: ſicut & illud cap. 41. v. 57. *Omneſque provinciæ veniebant in Ægyptum, ut emerent eſcas:* Certum enim eſt homines ex omnibus mundi regionibus in Ægyptum non iviſſe ad emendas eſcas; plurimi enim an eſſet Ægyptus, ignorabant; nec illa regio, quantumcumque ferax, ſingulis hominibus per univerſas mundi partes diſperſis ad victum, etiam pro unico die ſufficeret.

Adjici poſſunt in confirmationem plurimi alii ſimiles Scripturæ ſacræ Textus per Synecdochen intelligendi: ſic 1. *Regum*, c 30. *v.* 16. de Amalecitis, qui vaſtaverant Iſraelitarum regiones, dicitur; *Ecce illi diſcumbebant ſuper faciem univerſæ terræ, comedentes & bibentes &c.* Quæ per Synecdochen dicta eſſe nullus dubitat. Mitto plurima his ſimilia.

Veteri autem Teſtamento conſonat Novum, in eo namque etiam plurima occurrunt exempla, quibus voces generales, *Omnis*, *Univerſus &c.* per exaggerationem & hyperbolice ſcriptas eſſe citra dubium eſt. Sic Lucæ 2. v. 1. *Exiit edictum a Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus orbis*. Quæ verba per Synecdochen, qua major pars pro toto accipitur, intelligenda eſſe, monent omnes pene Interpretes; cum notum ſit permultas fuiſſe tunc temporis nationes, & orbis partes, quæ Romano Imperio non parebant. Scythia eorum audivit, non ſenſit arma; Armenia, Aſſyria & quidquid eſt extra Euphratem, eos non vidit unquam. Quin & America tota ipſis fuit ignota. Igitur per *univerſum orbem*, Auguſti Imperio deſcribi juſſum, nihil aliud intelligendum venit, quam Romanorum ditio. Quin & aliquos eſſe, ait Maldonatus, qui exiſtimant ne totum quidem Romanum orbem tunc fuiſſe deſcriptum, ſed tantum Syriam, in qua Judæa cenſebatur.

Aliud ſimile exemplum nobis exhibent S. Matthæus, *cap.* 27. Marcus 15 & Lucas 23. qui referentes Eclypſin, quæ contigit tempore paſſionis Chriſti D. aiunt tenebras eſſe factas per *univerſam* & *totam terram*. Attamen graviſſimi Interpretes una cum Maldonato, freti auctoritate Origenis, *Tract.* 35. *in Math.* non dubitant aſſerere tenebras illas in ſola Judæa contigiſſe, ſimiliter Actorum 2. dicitur Hieroſolymis ad feſtum Pentecoſtes adfuiſſe homines *ex omni natione quæ ſub cœlo eſt*, quæ ſolum debent intelligi de Judæis per nonnullas orbis partes diſperſis.

Itaque propoſitiones univerſales, quæ in Scriptura ſacra occurrunt, non debent ſemper abſque ulla reſtrictione, & modificatione accipi: maxime vero in Hiſtoria diluvii, in qua plurima hyperbolice dicta videntur; puta id quod extat, *cap.* 6. *v.* 18. ubi Deus diluvii minas intentans, poſtquam multa figurate dixiſſet, addit: *Univerſa, quæ in terra ſunt, conſumentur*; cum tamen plurima in illa eluvione ſteterint illæſa, ut arbores non prægrandes modo illæ ac præduræ ut Quercus, Cedri, aliæque id genus: ſed etiam teneriores, ut olivæ, e quarum una decerptum virentem ramum columba a Noe emiſſa ad eum retulit, cum nondum aquæ diluvii penitus defeciſſent. Cum ergo dicitur: *Univerſa, quæ in terra ſunt, conſumentur*, hyperbole eſt, qua divina in humanum genus indignatio ſumma exprimitur. Ejuſdem rationis habendum eſt quod addit, cap. 7. v. 4. *Delebo omnem ſubſtantiam, quam feci, de ſuperficie terræ*; neque enim perierunt montes, metalla, plantæ, virgulta &c. Igitur poteſt etiam aſſeri, dictum a Moſe hyperbolice, diluvii aquis univerſam terram fuiſſe inundatam, opertoſque omnes montes ſub cœlo, ut denotaret hujus diluvii amplitudinem, & maximam Dei in homines iracundiam.

Gravia quidem in ſpeciem videntur hæc momenta: ſed ſi ſerio & ſigillatim expen-

dan-

Digitized by Google

dantur, facili negotio abibunt in fumos. *Primo* namque falſum eſt Moſem in texendis ſuis narrationibus, uſum eſſe perſæpe figura Synecdoche, quæ quidem Rerhores, Hiſtorieos vero nullatenus decet. Neque eontrarium evincunt producta ab adverſario exempla tam ex ipſo Moſe, quam ex aliis Scriproribus ſacris deprompta. Illæ enim propoſitiones, vel nullam reſtrictionem admirrunt, & univerſaliter ſunt intelligendæ; vel ſi quam habeant adjunctam, illa facile apparet ex orationis eontextu.

Ad primum euim exemplum, dico irrigationem illam non ſolum paradiſinam, ſed & univerſam terram alluiſſe: ſive enim voeem ‫אד‬ *ed*, quam habet Hebræus Textus, interpreteris *foutem* ut habent LXX. Interp. & Vulgata Latina Editio: ſive *Vaporem*, ut Aquila & Chaldæus paraphraſtes; certum eſt alterutrius ſuperinſuſione terram, priuſquam plueret, fuiſſe initio mundi impinguaram. Si enim *foutem* dixeris, ſenſus erit ſecundum S. Auguſtinum fontes ubique terrarum exertos, tantam eructaſſe aquarum eopiam, quæ ſufficiens eſſet ad eam irrigandam, temperandumque vehementem Solis æſtum: facile enim fuit terram undique tunc fontes eructare, cum ab aquis eam antea operientibus, vix eſſet libera. Neque his obſtat quod *fontem* in ſingulari numero dixerit; familiare enim eſt Hebraicæ linguæ, ut ſingulare pro prurali, & plurale pro ſingulari uſurpet.

Si autem *Vaporem*, iſto nomine *ed*, ſignificari contendas: ſenſus erit terram tunc impinguatam fuiſſe per vaporem ex ea ebullientem. & in eam roris inſtar refluentem, cum nullæ adhuc eam irrigarent pluviæ, nec extarent homines qui illam opera ſua excolerent. Vapor autem ille e terra erumpens, & in eam recidens, merito *fons* potuit appellari, eo ſenſu, quo Ariſtoteles pluviam, *eircularem & perennem quemdam fluvium* sppellat. Cum autem vapor ille ex ſingulis terræ partibus erumperet, in eaſque reflueret, merito dieit Moſes terram univerſam ab eo fonte terreno ſimul ae aereo fuiſſe irrigatam.

Ad duo ſequentia exempla, nullus eſt qui non videat ex orationis contextu propoſitiones illas univerſales eſſe reſtringendas. *Primam*, quidem ad terram Ægypti & vicinas regiones, in quibus fames graſſabatur. *Secuudam*, pariter ad eam terræ plagam, in qua Amalecitarum & Syrorum militum agmen jacebat. Nullus enim adeo hebes ac ſtolidus eſt, qui ex ſimplici lectione non percipiat, agmen illud, quantumcumque numeroſum, modicam partem illius regionis, in qua conſiſtebant, occupaſſe. ac proinde terminum univerſalem, hic tantum deſignate milites illos longe lateque diſperſos, ac ab invicem ſejunctos jacuiſſe, quo facilius genio indulgerent, ibi ergo nulla Synecdoche, exaggeratio nulla.

Idem dicendum ad Textum ex S. Luca productum; facile enim eſt intelligere, Edictum illud Cæſaris ad ſolas ſpectaſſe orbis regiones quæ Romano parebant Imperio; nec ultra protendi, quippe cum illa deſcriptio fieret tantum eo fine, ut manifeſtum eſſet quot hominum millia Romanorum dominationi eſſent ſubdita; & quanta proinde eſſet illius imperii majeſtas & amplitudo.

Ad poſtremum veru exemplum, dico eos nullatenus eſſe audiendos, qui tenebras illas Chriſto Domino patiente exortas ſoli Palæſtinæ regioni incubuiſſe pronunciant; ex ipſo ſiquidem SS. Evangeliſtarum contextu manifeſtum fit, univerſum terrarum orbem fuiſſe per tres horas omni proſus cœleſti lumine orbatum; ſic enim ſcribit S. Matthæus, eap. 20. v. 45. *A ſexta autem bora tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram, uſque ad boram nonam.* Et Lucas, cap. 23. *Erat autem fere hora ſexta, & teuebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram, uſque iu horam nonam: & obſcuratus eſt Sol.* Et Marcus, cap. 15. *& facta bora ſexta, tenebræ factæ ſuut per totam terram, uſque in boram uonam.* Ubi voces *per uuiverſam*, & *per totam terram*, dubio procul univerſum orbem his eircumfuſum tenebris aperte declarant, ut teſtantur omnes Interpretes, tum Veteres, tum Moderni (ſi cum Origene ſæpiſſime hallucinante, nonnullos Recentiores, qui nolunt ſapere ad ſobrietatem, excipias.) Conſtans enim eſt ſaniorum Interpretum ac SS. Patrum ſententia, univerſum mundum tunc fuiſſe per tres horas denſiſſimis tenebris offuſum, adeo ut etiam in regionibus, quibus eo tempore nox incumbebat, nullum effulſerit Cœleſte lumen.

Confirmatur præterea hæc eadem veritas teſtimonio graviſſimorum Auctorum, qui ea ætate, aut ei proxima in variis mundi partibus floruerunt. Prodit imprimis S. Dionyſius Areopagita, cujus Scriptorum ſinceritatem, a recentiorum Criticorum argutiis. & criticis vindicavimus; hic autem vir ſanctiſſ. in celebri illa epiſtola, quam direxit ad S Polycarpum, agens de Apollophane celebri Philoſopho ſibi prius amico, ſed ob ejuratam Chriſti nominis confeſſionem deinde infenſiſſimo adverſario, ſcribit: „ Dic
„ illi quid ſentis de illa ſolis defectione,
„ quæ accidit in eruce ſalutari. Tunc enim
„ ambo juxta Heliopolim præſentes ſimul
„ & adſtantes, mirabili ratione Soli Lunam
„ coincidere cernebamus (neque tamen tem-
„ pus conjunctionis erat) ipſamque rur-
„ ſus ſub horam nonam veſpertinam dia-
„ metro ſoli oppoſitam ſupernaturaliter re-
„ ſtitui; quin etiam in memoriam illi re-
„ voca quiddam aliud: ſcit enim, quomo-
„ do viderimus illum Lunæ occurſum ab
„ Oriente cœpiſſe, & uſque ad Solis ex-
„ tremitatem perveniſſe; ae tum demum
„ reſiliiſſe, & rurſum, oon ex eadem parte
„ occurſum illum, & receſſum extitiſſe,
„ ſed ex adverſo diametri. Iſta ſunt quæ
„ tunc ſupra naturam omnino contigerunt,
„ & a ſolo rerum omnium conditore Chri-
„ ſto fieri poſſunt, qui facit magna ae ſtu-
„ penda quorum non eſt numerus. Hæc,
„ ſi fas eſt, ei dicito: Tuque Apollophanes
„ reſelle ſi potes, idque adverſum me, qui
„ tunc præſens una tecum adfui, & ſimul

„ aſpe-

„ aſpexi, & obſervavi omnia cum admiratione. Denique tunc, neſcio quo Spiritu „ afflatus, in divinationem quoque Apollophanes prorupit, & ad me converſus, „ iſta inquiebat, o præclare Dionyſi! divinarum ſunt viciſſitudines rerum. *Hæc* „ *ille*. Similia habet in Epiſtola ad ipſum Apollophanem, in qua pariter demonſtrat illam Cœleſtis lucis interceptionem, non ex naturalis eclypſis ordine, ſed divinitus factam.

Ejuſdem pariter univerſalis luminarium cœleſtium defectionis meminerunt plures Ethnici Philoſophi, imprimis Phlegon, quem Vopiſcus in vita Saturnini dicit fuiſſe libertum Adriani Imperatoris: is vero lib. 13. Chronographiæ ſuæ in Olympiade 103. cujus verba nobis exhibet Euſebius in Chronico: *Quarto autem anno*, inquit, *ducenteſimæ ſecundæ Olympiadis, magna & excellens inter omnes, quæ ante acciderant, defectio Solis eſt facta: dies, hora ſexta, ita in tenebras verſus, ut ſtellæ in Cœlo viſæ ſiat: terræque motus in Bithynia Nicææ urbis multas ædes ſubverterit*. Ita Phlegon [a] apud Euſebium.

Quod autem de eclypſi, quæ contigit tempore mortis Chriſti locutus fuerit Phlegon, reſtatur S. *Maximus* [b]: cui præluxerant *Origenes* [c]; & *Tertulianus* [d], referens prodigia, quæ evenerunt in morte Chriſti, inter cætera ait; *Eodem momento, dies, medium orbem ſignante Sole, ſubducta eſt: Deliquium utique putaverunt, qui id quoque ſuper Chriſtum prædicatum non ſcierunt; & ratione non deprehenſa, negaverunt. Et tamen eum mundi caſum relatum in archivis veſtris habetur*.

Ejuſdem pariter defectionis Solis meminit Thallus [e], reſte Julio Africano, qui illum arguit, quod exiſtimaverit illam Solis defectionem tribuendam eſſe cauſis naturalibus. Hanc autem Solis defectionem egregie deſcribit Sedulius [f], his verſibus:

Interea horrendæ ſubito venere tenebræ
Et totum tenuere polum, myſtiſque nigrantem
Exequiis texere diem; Sol nube coruſcos
Abſcondens radios, tetro velatus amictu
Delituit, triſtemque infecit luctibus orbem &c.

[a] *In Chronico ad ann. Chriſti* 33.

[b] *In Scholiis ad præf. Epiſt. S. Dionyſii.*

[c] *In libris contra Celſum.*

[d] *In Apologetico.*

[e] *Lib.* 3. *hiſtorial.*

[f] *Lib.* 5. *Paſchalis.*

Itaque vides communiorem, ac ſolidiorem graviorum Auctorum ſententiam eſſe, eas tenebras per univerſum mundum fuiſſa diffuſas; Ac proinde Evangeliſtarum verba ſignificantia eiſdem univerſam terram opertam fuiſſe, ſecundum genuinum & naturalem ſenſum eſſe accipienda, abſque ulla reſtrictione, cum nulla ſit cauſa ea coarctandi.

Ad alia vero quæ Novator adiicit, nimirum in ipſa diluvii narratione plures occurrere hyperbolicas phraſes; dico, ex antecedentibus & conſequentibus facile intelligi generalem illam eorum, quæ in terra ſunt, conſumptionem & exterminationem, ſpectare dumtaxat ea quæ Deus diſtincte pronunciaverat ſe extincturum, nimirum homines & animalia; non vero cætera, quæ divinæ interminationes illæ non tangebant. Unde nulla in eis textibus extat hyperboles.

Reponit III. Fieri non potuiſſe ut eſſet tanta aquarum moles & copia, quæ altiſſimos quoſque montes tranſcenderet, & inundaret; ut enim, inquit, altiſſimis montibus hæc aquarum moles innataret, neceſſum fuiſſet aquas in orbem compactas, & circumquaque ambitu expanſas, Oceanos decem, atque etiam amplius æquaſſe, ut in tantam altitudinem & latitudinem aſſurgerent: cum enim Oceanus quantumcumque altus, demiſſiores terræ aggeres non tranſiliat, oportuiſſet eum plurimum excreſcere, ut altiſſimos quoſque montes excederet; quod utique fieri non potuiſſet abſque procreatione ingentiſſimæ ſubſtantiæ fluidæ, plurimiſque intervenientibus miraculis, ad quæ recurrere fruſtraneum eſt, & minus religioſum, quando nulla ad id (ut in præſenti negotio) urget neceſſitas: facile enim, ait, cohærebunt omnia, admittendo diluvium in ſolam Palæſtinam fuiſſe effuſum.

Reſpondeo, ex ipſa Moſis narratione ſatis ſuperque conſtare generalem illam eluvionem nullis cauſis naturaliter agentibus, ſed divinæ virtuti & omnipotentiæ eſſe tribuendam; illam enim in Deum irarum & vindicem unice refundendam eſſe docet Moſes cum inducit Deum, *cap. 6. v.* 5. pœnitentem, quod feciſſet hominem, & tactum dolore cordis intrinſecus dicentem. v. 7. *Delebo hominem, quem creavi, a facie terræ &c...* & v. 13. *Ego diſperdam eos cum terra &c.* His namque, & aliis ſimilibus verbis aperte ſignificat Deum eſſe diluvii auctorem, qui aquis, tum terreſtribus, tum aereis uſus ſit ad extinguenda omnia animantia, univerſoſque homines, excepta Noemi familia, præfocandos.

Duas vero cauſas naturales a divina omnipotentia ad efficiendam illam generalem terrarum inundationem potiſſimum aſſumptas refert Moſes, nimirum aquarum omnium ex terræ meatibus eruptionem; & nubium, quæ per aerem errabant, in pluvias contractionem: *Rupti ſunt*, inquit, *fontes abyſſi magnæ, & cataractæ cœli apertæ ſunt, & facta eſt pluvia ſuper terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*. Ubi per *abyſſum magnam* deſignat profundiſſimam illam aquarum voraginem in terræ penetralibus conſiſtentem, quæ per illius terræ ſciſſuras in fontes, & fluvios ſolito erumpit.

Dicit autem harum ſcaturiginum, & ſciſſurarum factam eſſe maximam diruptionem; ita quod non per modicos anfractus & meatus, uti ſolebat; ſed maximis hiatibus, & ſciſſuris aqua illa e terræ viſceribus magno impetu eruperit, & exundaverit; adeo ut rivuli in flumina, & fluvii inſtar ſtagnorum terram operuerint; quibus accedentibus Oceani fluctibus, ventorum concitatione inflatis, aquæ illæ terrenæ in ingentem molem excreverint.

Per cataractas vero, ſeu *feneſtras Cœli*, ut ferunt Chaldaica, & Arabica Editiones, nihil aliud ſignificare voluit Moſes, prætcr nubes imbriferas & nimboſas aquis plurimis fœtas, quibus diſſolutis, ac veluti effract.s, tanta vis pluviæ profuſa eſt, ut quaſi e feneſtris & portis apertis ruens fluminum inſtar, præcipitari videretur. *Cataractæ* enim vocis Ethymon, ut notat Joannes Herbinius [a], ex primigenio Græcorum uſu, ſignificat alicujus fluminis prægrandis per rupes in ſcopuloſam vallem cum magno fragore præcipitarionem: a cujus ſimilitudine Moſes cataractas cœli apertas eſſe dicit, hoc eſt, nubes immenſa aquarum mole aggravatas, juſſu Dei diſſolutas fuiſſe; adeo ut non guſtatim, ut aſſolebant antea; ſed per quadraginta dies totidemque noctes flumina effundere, & evomere viderentur: unde hæ cœleſtes aquæ terrenis mirum in modum intumeſcentibus permixtæ, in tantum aquarum cumulum aſſurrexerint.

a *Differt. 1. de Cataractis.*

Ut autem hæc evidentiora fiant, & creditu facilinra, in memoriam revocandum eſt, quod initio mundi tanta creata fuit aquarum moles, ut terram univerſam operiret, & oerueret: atque ideo *abyſſus* diceretur, *tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*.

Ut vero terram hoc aquarum operimento liberaret Deus, duo præſtitit: *Primo* condidit Firmamentum, hoc eſt, aerem craſſiorem, nt divideret aquas ab aquis: id eſt, juſſit ut iſtius molis aquæ partes ſubtiliores ſurſum aſcenderent, diffunderenturque pet aerem, ut ibi condenſatæ oportuno tempore deplu.rent; craſſiores vero in terra ſubſiſterent. Cum tamen earum tanta adhuc non eſſet copia, ut terram tegerent, imperavit Deus, ut illarum pars intra terræ viſcera ſorberetur; altera vero in terræ angulum ſeſe reciperet. Inde mirum videri non debet, quod aquæ illæ cœleſtes & terrenæ, Deo jubente, itetum coeuntes, denuo terram operuerint, montes celſiſſimos quindecim cubitis excedentes.

Opponit IV. Novator, eas terræ regiones obruere ac diſſipare debuit diluvium, ubi degebant homines divinæ Legis prævaricatores: ſed illi, tunc temporis, omnes terrarum orbis regiones non incolebant: igitur diluvium per univerſas terræ plagas non debuit graſſari. Major conſtat ex pluries laudatis Moſis verbis, quibus indicat Deum idcirco diluvium induxiſſe, ut homines plurium criminum reos extingueret. Minorem affirmant illuſtriores Hebræorum Magiſtri, qui cum Rabbi Iſaac [b], & Moſe Barcepha [c], contendunt primos Patriarchas vitam traduxiſſe primum in terra circa paradiſum extante: deinde vero ad regionem uſque Damaſcenam progreſſos.

b *Expoſit. in Geneſim.*
c *Lib. de Paradiſo c. 14.*

Ipſis concinunt permulti Auctores Chriſtiani: imprimis Eugubinus [d], Genebrardus [e]. Nondum, *inquit*, extremas Aſiæ oras ab hominibus fuiſſe occupatas palam eſt; nam prima hæc ætas traducta eſt in Syria & locis vicinis, *id eſt*, *Ægypto*, *Arabia petræa*, *Chaldæa*, *Meſopotamia*, *Aſſyria*, *Armenia*, & *ejuſmodi Aſiæ mediterraneis*.

d *In Coſmopeja cap. 9.*
e *In Cronolog. ad annum mundi 1656.*

Hanc autem veritatem præ cæteris confirmat Abulenſis Antiſtes, *quæſt.* 112. *in cap.* 13. *Geneſis*, „ Non concedimus, *inquit*,
„ quod humanum genus diſperſum eſt ante
„ diluvium. *Primo*, quia non apparebat
„ aliqua cauſa diſperſionis, ſicut poſtea.
„ *Secundo*, quia non proderat talis diſper-
„ ſiu, cum poſtea in diluvio reuniendi eſ-
„ ſent; & fruſtra erat fieri duas diſperſio-
„ nes, cum una ſufficeret. *Tertio*, quia
„ cauſa diſperſionis fuit diverſitas linguæ,
„ cum ſe non intelligerent; & qui non
„ participabant mente, & ſermone, non
„ poterant cohabitare: iſta enim ponitur
„ cauſa diſperſionis *ſupra* 11. *cap.* & tamen
„ ante diluvium, & poſt, uſque ad ædifi-
„ cationem turris Babylonis, ſemper fuit
„ lingua una, & ſermonum identitas, *eo-*
„ *dem capite*; ergo non fuit facta diſperſio
„ ante diluvium. *Quarto*, quia diſperſio
„ humani generis erat aliquid magnum,
„ cum pertineret ad torum humanum ge-
„ nus: talia autem omnia accidentia nar-
„ rat ſacra Scriptura; ſicut narrat dilu-
„ vium, & diſperſionem poſt diluvium, ſi-
„ militer diviſionem linguarum: non narrat
„ autem aliquam diviſionem hominum, niſi
„ poſt diluvium; ergo non fuit aliqua prius.
Ita Abulenſis Præſul.

Cum igitur homines, qui propter ſcelera ſua diluvio erant perimendi, nondum eſſent per univetſas terras diſperſi, fruſtra omnes ampliſſimæ terrarum orbis regiones, ubi nulli extabant homines, aquis fuiſſent opertæ.

Reſpondeo I. Incertum eſſe utrum homines ante diluvium extra Aſiæ limites non proceſſerint; Cum enim, eo tempore, fœcundiores eſſent, ac vegetiores, ſummaque eis ineſſet multiplicandi humani generis proclivitas & cura; veroſimile fit eos per mille ſexcentos annos in tantum numerum excreviſſe, ut eis neceſſum fuerit ad alias regiones progredi: Tum ut divino parerent mandato primis parentibus præſcripto Geneſ. 1. 28. *Creſcite*, & *multiplicamini*, & *replete terram*. Tum ut eorum quiſque ampliores terræ portiones excolendas ſuſcipiens, ſibi ſuiſque ad vitam fovendam ſubſidia neceſſaria compararet.

II. Non ſolum homines, ſed & beſtiæ omnes erant diluvio extinguendæ; *A reptili*, *uſque ad volucres cæli*; cap. 6. v. 7. Cum autem belluæ & volucres per univerſam terram eſſent diſperſæ, neceſſum fuit ut Cataclyſmus omnes terrarum regiones obrueret. Si enim cuncta animantia per omnes terrarum plagas diſperſa, diluvio non erant perimenda, quorſum juſſus eſt Noe aliqua ſecum in arcam inducere, ut ſpecierum ſuarum eſſent Seminarium?

At, *inquies*, ſi in Cataclyſmo illo, cum univerſis hominibus extincta fuere omnia animantia, iis demptis, quæ cum Noe familia in arca recludebantur; qui fieri potuit, ut hæc per univerſum terrarum orbem deinde fuerint diſſeminata? Aut enim in remotioribus inſulis, terrarumque plagis ab Aſia, Africa, & Europa longo maris

tra-

tractu undequaque diſſidentibus; Deus iterum ejuſmodi animantium ſpecios de novo procreaſſet: aut ex longa diuturnaque progenie ex iis, quæ in arca Noe ſervata fuerant, ad illas remotiores inſulas perveniſſent. Primum gratis aſſeritur & fingitur. Secundum probari nequit, aut enim ex Palæſtins, & Syria, aut ex Armenia, in qua quievit arca, ad eas plagas perveniſſent natando, aut navigio deportata; *Primum* factu erat impoſſibile: quonam enim pacto tot tamque immenſos marium tractus abſque ulla requie, ulloque cibo potuiſſent enatando trajicere? *Secundum* reſpuit ratio; ecquis enim furentes leones, lupos voraces, validos tigres, dracones horrendos, cæteraque portentoſa, & hominibus infeſtiſſima animantia ſecum voluiſſet navigio has in plagas deducere? Ergo neceſſe eſt illa animantia in illis plagis, Noacico diluvio protſus intacta vixiſſe.

Nego ſequelam. Primo namque nemini adhuc compertum eſt, ex Tartaria, aliiſque ab Aſia, & Africa diſſitis terris nullum eſſe pedeſtre iter in Americam; licet nemo adhuc illud detexerit. *Secundo* detur nullum nunc concedi pedibus iter ex Tartaria in Americam, quis probabit a diluvio nuſquam extitiſſe? cum plures noverimus nunc inſulas ſævientis maris irruptione a terris eſſe diſſitas, quæ olim fuerant contiguæ; pluresque terras mare inundante obrutas cum ſuis incolis, quæ populis ac civitatibus refertæ fuerant. Adde quod Deus potuerit cohibere ferarum ſævitiam, ut pacifice ab hominibus, qui earum utilitatem noverant, ſecum in longe diſtantes terras navigio deportarentur; ſicut earum temperaverat inclinationes in arca Noe per annum integrum.

Opponit V. Præ-Adamitarum fictor: Moſes ipſe non obſcute ſignificat diluvium Noacicum non fuiſſe univerſale, dum refert columbam a Noe mane emiſſam, & veſpere ad eum redeuntem, roſtro detuliſſe ramum olivæ virentibus foliis. Vel enim, *inquit*, ramus ille avulſus fuerat ex oleis, quas diluvium obruerat; vel ex eis quæ fuerant ab eo intactæ; at primum dici nequit, qua enim ratione oleæ per annum integrum ingenti aquarum æſtuantium mole, & limo gravatæ, virentes ramuſculos ſervaſſent? Igitur, inquit, veroſimilius eſt columbam e montibus Armeniæ, in quibus tandem hæſerat arca, emiſſam, aquas diluvii omnes tranſvolaſſe, & in campis ſuperioris Aſiæ elatioribus legiſſe ex olea quadam Cataclyſmi & limi pura, ramum illum virentibus foliis; quo virentem, nec marcidam ſalutis ſpem Noe oſtenderet. *Hæc ille.*

Reſpondeo, hoc momentum refelli ex ipſis Moſis verbis, qui *cap.* 8. *v.* 8. duplicem diſtinguis a Noacho emiſſionem columbæ, *Ut videret ſi jam ceſſaſſent aquæ ſuper faciem terræ*. In priori, cum ipſa columba non inveniſſet ubi requieſceret pes ejus, reverſa eſt ad eum in arcam: *Aquæ enim erant ſuper univerſam terram*. Ex quibus ſic argumentari licet: Si Cataclyſmus ille univerſam terram non inundaſſet, pluresque regiones Palæſtinis vicinæ, illis aquis non fuiſſent obrutæ, cur illa columba, prima vice emiſſa, non invenit ubi pedem figeret? Cur ad arcam revertens, ſimilem ramum ex oleis, aut aliis arboribus decerptum non retulit? rationem apertam profert Moſes; quia, inquit, *Aquæ erant ſuper univerſam terram*. Nulla igitur terræ regio, nulla portio ab illis innatantibus aquis adhuc erat libera.

Potuit autem columba, ſecunda vice emiſſa, hunc ramum excerpere ſupra T urinos montes, non longe ab Armenia diſtantes; cum enim ad eorum montium verticem inundatio ſerius pervenerit, putandum citius, non modo quam valles, ſed & quam cæteros montes inferiores ipſum cœpiſſe ſiccari; ac proinde ex eis virentem ramum potuit eacerpere.

Ad id vero quod obiicit hariolator noſter, oleas per annum ſolidum, quo diluvium terras obruiſſe legitur, non potuiſſe virere, & virere ſub ingenti hac cænoſa aquarum mole; dico non ſolum oleas, ſed & quaſdam arborum ſpecies, ſub aquis creſcere, & virentes ſervari, teſte Plinio *lib.* 13. *cap.* 25. ubi de Mari rubro ſermonem faciens, ſcribit *In eo Sylvas vivere, laurum maxime, & olivam ferentem baccas, &c.*

Unde non alia ratione, Hebræi Mare rubrum apellant, *Mare Suph*, hoc eſt, *Mare Herbidum*, quam quia illorum Majores herbis refertum (cum medios inter illius vortices tranſirent) fuerant experti.

Neque vero ſoli Mari rubro proprium eſt plantas alere. Plutarchus enim libro de facie in orbe Lunæ, ſcribit *Gedroſiæ, & Treglodltivæ regionis pars quæ ad Oceanum pertingit, cum ſit omnino ſterilis, ob ſiccitatem, & arboribus careat: in mari vicino, quo alluitur, inuſitatæ magnitudinis plantæ naſcuntur, & ex profundo pullulant, quarum alias oleas, alias lauros, alias crines Iſidis nominant*. Cum igitur ex his auctoribus conſtet in mari vivere & virere poſſe arbores; quid obſtat quominus columba, revocatis in ſuos alveos aquis, & terra exſiccata, potuerit hunc ramum ex virente olea decerpere, & ad Noe deferre?

Opponit VI. Plurimi ſunt montes tantæ altitudinis ut mediam aeris regionem, in qua imbres, nives, ac venti generantur, omnino tranſcendant; puta Olympus, Caucaſus, Taurus, Athos &c. igitur aquæ diluvii non potuerunt eos quindecim cubitis excedere; proindeque illa Moſis narratio ſolos ſpectabat Palæſtinos montes, iſtius diluvii aquis opertos. Probat Antecedens auctoritate plurium Scriptorum, præſertim Solini aſſerentis Olympum altitudine ſua nubes excedere; cujus argumentum eſſe dicit, quod ſacrificiorum in ejus cacumine oblatorum cineres, nec ventorum flatibus diſſipati, nec pluviis diluti ac macerati anno ſequenti reperti ſint.

Id ipſum affirmat Lucanus qui lib. 6. de magicæ artis virtute, ac portentis loquens, ait, illius opera nubes ſupra Olympi montis cacumina tranſcendiſſe, *Nubes*, inquit,

ſuſpexit Olympus. Ipſi concinit Clandianus in panegyri Manlii Theodori....

Sed ut albus Olympi
Vertex, qui ſpatio ventos hyemeſque relinquit,
Perpetuum nulla temeratus nube ſerenum;
Celſior exurgit pluviis, auditque ruentes
Sub pedibus nimbos, & rauca tonitrua calcat.

Eadem docet S. Auguſtinus: „ Mons, „ *inquit*, Macedoniæ, qui Olympus voca„ tur, tantæ altitudinis eſſe dicitur, ut in „ ejus cacumine nec ventus ſentiatur, nec „ nubes ſe colligant, quia excedit altitudi„ ne ſua totum iſtum aërem humidum in „ quo aves volant; & ideo nec aves ibi vo„ lare aſſeverantur, quod ab eis proditum „ dicitur, qui per ſingulos annos ſolebant, „ neſcio quorum ſacrificiorum cauſa memo„ rati montis cacumen aſcendere, & ali„ quas notas in pulvere ſcribere, quas alio „ anno integras inveniebant; quod fieri „ non poſſet, ſi ventum, aut pluviam lo„ cus ille pateretur. Deinde quia tenuitas „ aeris illius qui ibi eſt, non eos inſpira„ bat, durare ibi non poterant, niſi ſpon„ gias humectas naribus applicarent, unde „ craſſiorem & conſuetum ſpiritum duce„ rent. Hi ergo indicaverunt ſe etiam nul„ lam avem in eo loco aliquando vidiſſe. „ *Ita S. Auguſtinus.*

Reſpondeo I. certo non conſtare montem aliquem eſſe tantæ altitudinis, ut mediam aeris regionem, quo tendunt vapores, & in quo nubes procreantur, illius vertex excedat; conſtat enim communi Mathematicorum, Meteorologorumque calculo, ſupremam mediæ aeris regionis portionem quinquaginta milliaribus Italicis a terræ ſuperficie diſtare: vix autem in orbe mons aliquis tantæ altitudinis reperitur qui ad eam pertingat. Pitagoras enim (referente Plutarcho in Æmiliæ) Olympi altitudinem geometrice dimenſus, reperit eam eſſe ad perpendiculum decem ſtadiorum cum ſextante; & Franciſcus Philelphus qui ejus verticem conſcendit, teſte Ludovico Vives comment. ad cap. 27. lib. 15. de civitate Dei, aſſeruit eum eſſe nubibus obductum, & media aeris regione inferiorem.

II. Coſmographorum teſtimonio conſtat nullos in orbe montes altiores eſſe montibus Andiis in America meridionali: attamen qui ut ex regno Chile, in regnum Paraquaiæ migrent, horum montium verticem conſcendere tenentur, experiuntur eos nubibus, vaporibus, & nivibus eſſe perſæpe confertos; tametſi tempore ſereno aer interdum adeo ſubtilis & exilis aſpiretur, ut ſpongias aceto, aut optimo vino refertas opus ſit naribus adhibere.

III. Quo montes ſunt altiores, eo magis nivibus, & nebulis obtectos eſſe quotidiana docet experientia. Porro quid aliud ſunt nubes, quam aqueus vapor? aut quid nives, niſi aqua craſſioribus, ac terrenis partibus deſæcata, & in candidos floccos condenſata? cum itaque altiſſimi quique montes perpetua nive candentes conſpiciantur; nix autem & grando ſint pluvia condenſata, nullus (niſi penitus hebes, aut protervus) qui rem ſerio ponderaverit, illuc pluvias cadere poſſe denegabit. Unde ad S. Auguſtinum dico, iſta ab ipſo referri, non ex propria, ſed ex aliorum ſententia, qui rem ex opinione vulgi acceptam non expenderant.

Adde quod ipſemet S. Auguſtinus melius conſultus, lib. 15. de civitate Dei exiſtimationem illam refellat, irridendo eos: „ Qui, *inquit*, opinantur tam magnum „ fieri non potuiſſe diluvium, ut altiſſimos „ montes quindecim cubitis aqua creſcen„ do tranſcenderet, propter Olympi ver„ ticem montis, ſupra quem perhibentur „ nubes non poſſe concreſcere, quod tam „ ſublimis, quam Cœlum ſit, ut non ibis. „ Sit aer iſte craſſior, ubi venti, nebulæ „ imbreſque gignuntur: nec attendunt o„ mnium elementorum craſſiſſimam terram „ ibi eſſe potuiſſe. An forte negant eſſe „ terram verticem montis? cur igitur uſque „ ad illa ſpatia terris exaltari licuiſſe, & „ aquis exaltari non licuiſſe contendunt; „ cum iſti menſores & penſores elemento„ rum, aquas terris perhibeant ſuperiores „ atque leviores? Quid itaque rationis af„ ferunt, quare terra gravior & inferior „ locum Cœli tranquillioris invaſerit per „ volumina tot annorum; & aqua levior „ ac ſuperior permiſſa non ſit hoc facere „ ſaltem ad tempus exiguum? *Hæc S. Auguſtinus.*

QUÆRITUR VII.

Utrum ex Deo peccatorum vindice: an ex cauſis naturaliter agentibus diluvium prodierit.

CUr hanc quæſtiunculam ejuſque reſponſionem hic attexam, efficit quorundam aſtronomorum audacia, qui contendunt generalem illam aquarum illuvionem in aſtrorum concurſum, ſeu conjunctionem eſſe refundendam: quam cum Noe perfectus aſtronomus prævidiſſet, arcam paravit ut una cum ſua familia, & quibuſdam animantibus interitum declinaret. Ita finxerunt ex Judæis Aben-Ezra, & ex Arabibus Albumazar aſſerentes ex conjunctione *Saturni* & *Jovis* in ſigno *cancri* hunc ſtupendum aquarum effluxum prodiiſſe. Quibus conſentiens Annius Viterbienſis ſuo ſuppoſititio Beroſo adſcribit *lib.* 1. hæc verba de Noe, *Is timens, quam ex aſtris futuram pro-*

proſpectabat cladem, anno ſeptnageſimo octavo ante inundationem navem, inſtar arcæ, coopertam fabricare cœpit.

Verum quam ridiculum & abſurdum ſit hoc commentum, difficile non eſt demonſtrare. 1°. Namque nulla ratione colligi poteſt Saturnum & Jovem in ſigno cancri tempore diluvii fuiſſe conjunctos; ut enim illa conjunctio dignoſci poſſet, certo conſtare deberet illa duo aſtra initio mundi fuiſſe in ſigno cancri condita & conſtituta; atque ex vario & multiplici eorum circuitu, tandem, circa generalem illam cladem iterum ſimul in eodem ſigno conveniſſe. Porro id nullatenus certo colligi poteſt: cum incertum ſit, qua tempeſtate mundus fuerit conditus: alii enim contendunt mundi exordium aſſignandum eſſe Veroo tempori; alii vero Autumnali: igitur incertum eſt quæ primordialis fuerit aſtrorum conſtitutio & conjunctio.

II. Ut certo conſtaret illam fuiſſe Jovis & Saturni poſt varias revolutiones in ſigno cancri conjunctionem, tempore quo diluvium accidit. 1°. Certum fieri deberet quot anni a mundo condito ad illam cladem effluxiſſent, in Hebræo nempe Textu refertur hanc cladem contigiſſe anno mundi 1656. ut etiam habet Vulgata Latina. Editio vero ſeptuaginta Interpretum illam aſſignat anno mundi 2242. Textus vero Samaritanus anno 1307. Aben-Ezra cum Judæis primum computum ſequitur; Albumazar vero cum Arabibus ſecundum, qui licet opinione diſſideant; nihilominus ſimul contendunt, illuvionem illam in conjunctionem Saturni cum Jove eſſe refundendam, cum tamen ex unius ſententia contingere debuiſſet anno mundi 1656 ex alterius vero opinione anno 2242. quæ ſane contradictio vanas eorum conjecturas aperte demonſtrat.

Nec magis ſolida, minuſque ridenda aliorum quorumdam Aſtronomorum exiſtimatio, qui refundunt illam cladem in planetarum conjunctionem in ſigno piſcium, bujus enim opinionis falſitas ex duabus præcedentibus rationibus apparet.

III. Plurimi Aſtronomi cum Cardano exiſtimant conjunctionem Saturni cum Jove non fieri, niſi per decurſum 795. annorum: quæ ſi vera ſint, cum iſta revolutio ſemel & iterum facta fuerit ante Noe, cur diluvium illud prius non accidit? deinde cum eadem conjunctio pluries deinceps occurrerit, qui fieri potuit, ut eundem non habuerit effectum? Itane eſt quod aſtra illa omnem ſuum effluxum, omnemque virtutem in priori illuvione conſumpſerint & evacuaverint?

Certe non minus incerta eſt hæc Aſtronomorum fictio, quam fuerit illa Stoflorini & quorumdam aliorum prædictio, qui prænuntiaverant futurum aliud diluvium univerſale menſe Februario anni 1524. eo quod illo tempore multiplex fieret aſtrorum conjunctio in humido ſigno piſcium; cui prædictioni plurimi fidem facientes in Italia, Germania, Gallia, & Hiſpania ſibi refugium paraverant in celſiſſimis montibus atque ad id navibus comparatis. Quod autem futilis fuerit illa prædictio, eventus demonſtravit; etenim illo anno rariſſimæ fuerunt pluviæ: unde Odecardanus *Aphoriſmo* 34. illam expendens aſtrorum conjunctionem a prædictis aſtronomis & conjectoribus memoratam, ſcribit, *Hæc eſt illa Syderum conſtitutio, in quo Stoflorinus vituperio expoſuit Aſtrologos exiſtimans diluvium portendi eo tempore, quo maxima fuit ſerenitas.* Itaque generalis iſta aquarum eluvio, non in aliam cauſam, quam in Deum propter hominum ſcelera offenſum & iratum eſt refundenda.

QUÆRITUR VIII.

Quanta fuerit arcæ Noeticæ capacitas & amplitudo.

CUm propoſuiſſet Deus Noemum ſibi gratum una cum ipſius familia a diluvio ſalvum & incolumem ſervare, ut reſtaurandi humani generis eſſet Seminarium; imperavit ei ut arcam conſtrueret, ejuſque conſtructionis & fabricæ normam eum docuit, quam refert Moſes cap. 6. his verbis: *Fac tibi arcam de lignis lævigatis: manſiunculas in arca facies, & bitumine linies intrinſecus & extrinſecus &c.* Ex quibus verbis Chriſtianæ religionis cavillatores anſam arripuerunt impugnandæ ſacrorum Librorum ſinceritatis & divinæ auctoritatis: „ Apel-
„ les enim (*inquit Origenes homil.* 2. *in*
„ *Geneſ.*) non qui fuit diſcipulus Marcio-
„ nis, ſed alterius hæreſeos inventor, ad-
„ verſus ſtructuram arcæ diſputat, probare
„ volens ſcripta Moſis nihil habere divinæ
„ Sapientiæ; nec eſſe a Spiritu Sancto pro-
„ fecta: diſputat autem nullomodo fieri po-
„ tuiſſe, ut tam breve ſpatium arcæ tot
„ animalium genera, eorumque cibos, qui
„ per totum annum ſufficerent, capere po-
„ tuerit. Cum enim bina & bina ex ani-
„ malibus immundis, hoc eſt, bini maſcu-
„ li, & binæ fœminæ; ex mundis vero ſe-
„ ptena & ſeptena in arcam dicantur in-
„ ducta, quomodo fieri potuit ut ſpatium
„ illud arcæ deſcriptum a Moſe, vel qua-
„ tuor tantum elephantos capere potuiſſet?

Has & ſimiles criminationes & argutias ut refellerent ſacri Doctores & Interpretes, cenſuerunt triplicis generis diſtinguendos eſſe cubitos: Vulgares, Sacros, & Geometricos. *Vulgares* appellant, qui fiunt a flexura brachii ad extremam manum, quorum quilibet quinque palmos, & viginti digitos continet; iſque videtur eſſe, qui Deuteronomii 3. v. 11. vocatur *cubitus virilis manus*. Sacer vero ſex erat palmorum, & communem quatuor digitis excedebat, quem deſignat Ezechiel, cap. 43. *Iſtæ autem*

tem menſuræ altaris in cubito veriſſimo, qui habebat cubitum & palmum, id eſt, quatuor digitos: loquitur enim de palmo minori ſeu Mathematico, non de majori, ſeu, ut vocant, *Romano*. Unde S. Hieronymus palmum hic definit ſextam partem cubiti. *Geometricus* vero, qui ſex communibus cubitis conſtat.

Contendit autem Origenes Moſem, cum eſſet omni ſapientia Ægyptiorum eruditus, ſecundum artem Geometricam, quam præcipue Ægyptii callebant, cubitos geometricos in arcæ conſtructione intellexiſſe. Verba autem Origenis Græca non amplius extant; aut ſaltem nondum mihi apparuerunt: Latina vero quæ Interpres reddidit, quiſquis ille fuerit, ſive S. Hieronymus, ſive Rufinus, hæc ſunt; *Aiebant ergo majores* (nempe Hebræorum Doctores) *quod Moyſes, qui ut de eo Scriptura teſtatur, omni ſapientia Ægyptiorum fuerit eruditus, ſecundum artem Geometricam, quam præcipue Ægyptii callent, cubitorum numerum in hoc loco poſuit. Apud Geometras enim ſecundum eam rationem, quæ apud eos virtus vocatur, ex ſolido & quadrato, vel in ſex cubitos unus deputatur, ſi generaliter, vel trecentos, ſi minutatim deducatur. Quæ utique ratio ſi obſervetur in hujus arcæ menſura, invenientur latitudinis & longitudinis tanta ſpatia, quæ vere totius mundi reparanda germina & univerſarum animantium capere rediviva ſemina potuerint.*

Quæ verba expendens S. Auguſtinus cum propoſuiſſet objectionem eorum, qui dicunt Arcam Noe non potuiſſe capere animalium genera tam multa in utroque ſexu; bina de Immundis: & ſeptena de mundis, reſpondet, „ Si cogitemus quod Origenes non
„ ineleganter adſtruxit, Moyſem, ſcilicet
„ hominem Dei, *eruditum*; ſicut ſcriptum
„ eſt, *omni ſapientia Ægyptiorum* qui Geo-
„ metricam dilexerunt, geometrica cubita
„ ſignificare potuiſſe; ubi unum quantum
„ ſex noſtra valere aſſeverant; quis non
„ videat quantum rerum capere potuit illa
„ magnitudo?

Verum cubitos geometricos, ut illos deſcribit Origenes, nec a Moſe in arcæ conſtructione intellectos, nec a Noe ſervatos eſſe, ſuadetur. I. Quia hujuſmodi cubitorum nullus unquam meminit, nec poteſt aliquis certo probare eos apud Ægyptios, aut Hebræos aliquando fuiſſe in uſu. II. Veriſimile eſt, Moſem in arcæ deſcriptione locutum eſſe de illis cubitis, quos paſſim memorat in ſuis libris; ſi enim alios deſignaſſet, debuiſſet eorum ab aliis indicare diſcrimen, ut æquivocationem præcaveret: porro quoties cubitorum meminit, nullibi Geometricos, quales eos definit Origenes, ſed tantum communes & vulgares intelligit. Jubet Deus Moyſi Exod. 27. v. 1, *Facies & altare de lignis ſetim quod habebit quinque cubitos in longitudine, & totidem in latitudine, id eſt, quadrum & tres cubitos in altitudine*. At ſi cubiti illi eſſent geometrici, debuiſſet altare illud conſtare triginta cubitis vulgaribus in longitudine, & totidem in latitudine, hoc eſt, fuiſſet longum & latum quadraginta quinque pedibus; quæ certe magnitudo nec ad majeſtatem rei ſacræ, nec ad ſacrificia facienda quidquam conducebat. Altitudo autem ejus fuiſſet quindecim cubitis ordinariis, ac proinde 43. non niſi plurimis gradibus & ſcalis patuiſſet ad illud acceſſus, quod diſtricte prohibet Deus, Exod. 20. v. 26. *Non aſcendes per gradus ad altare meum, ne reveletur turpitudo tua.*

His adde, quod non ea fuerit Origenis mens in arcæ Noeticæ deſcriptione, quæ vulgo exiſtimatur. Veriſimile enim eſt illum uſum fuiſſe voce Greca πῆχυ, quæ varias habet ſignificationes: interdum enim *cubitum*, ſeu cubiti menſuram; alias *Citharæ manubrium*, arci *capulum*, *gnomonem*, & *rectangulum* necnon *extenſionem* duarum dimenſionum in longitudinem & latitudinem; quæ variæ ſignificationes cum Interpretem hærentem effecerint; inde factum eſt, ut Origenis verba Græca obſcure reddiderit Latine; vix enim deprehendi poteſt harum latinarum vocum ſignificatio, *Vel in ſex cubitos unus deputatur, ſi generaliter; vel trecentos, ut minutatim deducatur*. Unde probabile eſt Origenem voce πῆχυ uſum fuiſſe non ad denotandum cubiti geometrici in ſex cubitos diviſionem: ſed ad ſignificandum menſuram cubiti, deinde vero duarum dimenſionum rectangulum, hoc eſt, nunc quadrata longa, nunc quadrata perfecta, uti colligitur ex iis Interpretis verbis, *Et longitudinis & latitudinis tanta ſpatia, quæ conſequuntur:* ac conſequenter explicant has voces, *Vel in ſex cubitos unus deputatur; vel trecentos, ſi minutatim deducatur:* Igitur ex his omnibus concludendum eſt Moſem non attendiſſe ad cubitos geometricos in arcæ Noeticæ delineatione.

Veriſimile eſt pariter, eum in mente non habuiſſe cubitos ſacros: Tum quia ante legem a Deo datam, & a Moſe ſcriptam nulla *Cubiti ſacri* extat mentio: Tum quia hic cubitus, adhibitus eſt tantum in menſurandis rebus ſacris, puta Tabernaculo, altari &c. Tum quia, arcæ fabricam enarrat Moſes more hiſtorico porro hiſtoricorum eſt res enarrare juxta communem & vulgarem loquendi modum, igitur concludendum eſt ab ipſo in ea delineatione, non alios quam communes cubitos intelligi. Maxime cum illi vulgares cubiti ſufficientes eſſent ad iſtius arcæ amplitudinem, quæ & Noemi familiam, & numerata animalia poſſet capere. Cum enim ipſius longitudo eſset 300. cubitorum æquivalentium 450. pedibus; latitudo vero 50. cubitorum continentium 75. pedes; & altitudo 30. cubitorum conſtantium 55. pedibus. Hi omnes cubiti invicem collati efficiebant amplitudinem 457000. cubitorum, ut colligit perdoctus Anaſtaſius Kircherus, lib. de Arca & Noe pag. 30.

Porro hæc arcæ amplitudo capaciſſima erat ad excipiendam non ſolum Noemi familiam, & continenda memorata animalia; ſed etiam alimenta ipſis congrua. ut perſpicue demonſtrat mox laudatus Kircherus,

&

& Joannes Buteo Delphinas in libello de Arca Noe quem habes tomo 8. Critic. ſacr. pag. 83. aliique viri doctiſſimi; quod ut aperte demonſtrent; *Supponunt I.* cum ſagaciſſimis Auctoribus Aria Montano, Geſnero Aldroando, aliiſque, animalium terreſtrium ſpecies numerari 30. aut ad ſummum 50. Reptilium, ſerpentumve vix 30. cum autem ex mundis animantibus ſeptena paria debuerint in arca recipi; ex immundorum vero qualibet ſpecie tantum duo: inde efficitur, ex terrenis, univerſim admiſſa fuiſſe 175. inter quæ, cum tantum ſex ſint ſpecies majores equo, paucæ æquales, multæ minores ove, potuerunt omnes in una arcæ contignatione ſtabulare, licet unicuique ſpeciei peculiare domicilium, latum ſex cubitorum, longum totidem, altum vero 10. cubitorum conceſſeris, quod tamen minime neceſſarium fuit.

Supponunt II. Arcam diviſam fuiſſe in tres contignationes, ſeu tria tabulata, quæ diſcriminans quaterna ſpatia, in quorum infimo erant foricæ, ſeu ſentina expenſa per totam arcæ longitudinem & latitudinem, quatuor vel quinque cubitis alta, ad ſordes undique, per meatus ad id comparatos; illuc defluentes excipiendas, quæ antliis, vel ſportis & funibus in altum eductæ, per feneſtram ſuperiorem ejiciebantur, ne homines & animantia excrementorum fætore & corruptione interirent.

Prima contignatio erat inter infimum hoc tabulatum; & ſecundum, ubi locara erant cuncta animalia terreſtria in cellis utrimque diſpoſitis, & altis novem circiter cubitis; nullum enim animal terreſtre adhue viſum eſt altius octo cubitis.

Secunda contignatio continebat Apothecam, ſeu pennarium omnium cibariorum, pura carnium fumo exſiccatarum, & ſale conditarum, frumenti, hordei, fructuum pro hominibus; variaque fœni, paleæ, frugum, leguminum, & ſeminum, una cum doliis aqua dulci refertis, pro animalibus reconditoria; quæ uti magnam altitudinem non requirebant, ita quoque hanc contignationem nonniſi altam octo cubitis conjicimus, qua, ait Kircherus, tantum commeatus condi poterat, ut ex eo, etiam vel ingens civitas, diu ſuſtentari potuiſſet.

Supra hanc erat tertia contignatio habitationi hominum, & avium aſſignata, novem vel decem cubitis alta, ac proinde ſufficientiſſima ad omnes deſignatas aves locandas. Cum enim Ornithologi nonniſi 150. avium ſpecies numerent, arcaque eſſet longa 300. cubitis, manifeſtum eſt hanc contignationem ſatis ſuperque amplam fuiſſe, quæ octo homines in diſtinctis cellulis contineret, ſed & omnes avium ſpecies, quæ licet longe plures eſſent quam 150. cum pleræque parva ſint corporis mole, facili negotio diſtinctas ſuas habere potuerunt manſiunculas, præſertim cum non ſolum in arcæ medio, ſed & in nidis & loculis ad arcæ latera appenſis reponi potuerint, & quieſcere.

„ Addit Kircherus circa finem, *cap.* 2.
„ Fuiſſe pariter in hac contignatione, præ-
„ ter dictas avium caveas, varias officinas
„ hinc inde diſpoſitas, uti culinam cum foco
„ ex lapide ſtraro; reconditoria ſalis, vini,
„ olei, aceti, carnis, ſimiliumque; quidquid
„ tandem ad vitam humanam unius anni
„ decurſu ſuſtentandam, neceſſarium erat,
„ congeſtum eſſe, ex ipſis ſacræ Scripturæ
„ verbis patet. Molas quoque truſatiles,
„ cum clibano lignorum [illegible], id eſt, pene
„ ſiccatorum, ne fumo *arcæ* clauſtra cum
„ detrimento hominum animaliumque infe-
„ ſtarentur; carbonum quoque congeriem
„ hic collectam cernere liceat.
„ Ne vero ex ingenti animalium anheli-
„ tu, & ſordium, quiſquiliarumque expi-
„ ratione aer vitiaretur; nulli dubium eſſe
„ debet, in remedium ſpiracula facta cum
„ ſubgrundiorum exphoris, ſeu projecturis,
„ quæ quidem eo artificio conſtitutæ fuerint,
„ ut ex una parte mephitim arcæ fumo-
„ ſaſque excrementorum expirationes, fo-
„ ras, veluti per caminos quoſdam egere-
„ rent: ex altera vero parte per alia ſpi-
„ racula ſeu pneumareria novi aeris frigi-
„ dique deforis attracti, auram interiorem
„ attemperarent.

Ex his omnibus colligitur arcam communibus cubitis conſtantem, fuiſſe capaciſſimam ad excipiendos deſtinatos homines & deſignata cujuſvis ſpeciei animantia, cum multiplici neceſſario alimento; etiam citra ullum miraculum; ac proinde multum inſanire ac turpiſſime hariolari eos omnes, qui hanc Moſis de cujuſvis ſpecici animantibus in arca recluſis narrationem, & ludicram & fabuloſam impie ſugillant.

Neque incredibilis venit ſtupenda illa arcæ Noeticæ vaſta capacitas & amplitudo, quippe cum Deum habeat auctorem, ac illius efficiendæ & conformandæ deſignatorem; homines enim, etſi limitatæ intelligentiæ, naves maximæ amplitudinis & ad Noeticæ magnitudinem pene accedentes excogitaverunt & fabricarunt. Refert enim Theodorus Seſoſtrim Ægyptiorum regem imperaſſe ut conficeretur navis ex lignis cedrinis 280. cubitorum longitudinis; Narrat etiam Plutarchus in vita Demetrii Ptolemæo Philopatore curante conſtructam fuiſſe remigem ejuſdem longitudinis conſtantem 40. ordinibus remorum, quam quadringenti nautici operarii regebant, & quatuor millia remigum movebant; atque in ſummo navigii tabulato tria militum armatorum millia complectebatur.

Refert etiam Moſchius apud Atbeneum Hieronem Syracuſarum regem imperaſſe Archimedis conſilio, ut conſtrueretur navis tantæ magnitudinis, ut ex qualibet parte triginta haberet cellulas, unamquamque earum quatuor lectulis conſtantem abſque aliis receptaculis pro nauticis operariis. Illæ vero naves quantæ quantæ fuerint, ad Noeticam quidem ex parte accedebant, non vero illam æquabant: hæc enim prædictis longe amplior erat. Inde tamen inferre licet, quod ſi homines tantæ molis naves potuerint excogitare, mirum videri non debet quod Deo ſuggerente amplior fuerit extructa.

Peter.

Petes I. Quis fuerit cibus pro animalibus carnivoris tempore diluvii?

Hanc eandem quæſtionem his verbis proponit S. Auguſtinus quæſt. *6.* ſuper Geneſim: *Quæritur*, inquit, *quomodo in Arca Leones & Aquilæ, quæ conſueverunt carnibus vivere, paſci potuerint? Utrum & animalia præter illum numerum propter aliorum eſcam fuerint intromiſſa: an aliqua præter carnes (quod magis credendum eſt) a Noe viro ſapiente, vel Deo demonſtrante, proviſa ſint, quæ talium animantium eſcis convenirent?* Sic ibi. Sed idem paulo diſtinctius ac dilucidius hanc ipſam quæſtionem enodatim proponit lib. 15. de Civitate Dei, cap. ult.
„ Solet, *inquit*, movere nonnullos, genera
„ eſcarum quæ illic poterant habere anima-
„ lia, quæ nonniſi carne veſci putant: utrum
„ præter numerum ibi fuerint ſine transgreſ-
„ ſione mandati, quæ aliorum alendorum
„ neceſſitas illic coegiſſet includi: an vero,
„ quod potius eſt credendum, præter car-
„ nes, aliqua alimenta eſſe potuerunt, quæ
„ omnibus convenirent. Novimus enim
„ quam multa animalia, quibus caro cibus
„ eſt, frugibus pomiſque veſcantur, & ma-
„ xime ficis atque caſtaneis. Quid ergo mi-
„ rum, ſi vir ille ſapiens & juſtus, etiam
„ divinitus admonitus quid cuique congrue-
„ ret, ſine carnibus aptam cuique generi
„ alimoniam præparavit & recondidit? quid
„ eſt autem, quo veſci non cogeret fames?
„ aut quid non ſuave & ſalubre facere poſ-
„ ſet Deus, qui etiam ut ſine cibo vive-
„ rent, divina facultate donaret, niſi ut
„ paſcerentur etiam hoc implendæ figuræ
„ tanti myſterii conveniret? Indicat his
„ verbis S. Auguſtinus animalia carnivora
„ etiam aliquando veſci frugibus, maxime
„ pomis, caſtaneis, & ficis; quod variis et-
„ jam exemplis confirmat Sulpicius Seve-
„ rus a.

a Dialogo 1. cap. 7.

Confirmantur etiam iſta a Theodoreto b, qui docet animalia omnia, ab initio mundi ad diluvium uſque, paſta fuiſſe fructibus & herbis, uti ſtatuerat Deus, qui Adamum & Evam alloquens, ait: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & univerſa ligna quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, ut ſint vobis in eſcam: & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cæli, & univerſa quæ moventur in terra, & in quibus eſt anima vivens, ut habeant ad veſcendum.*

b Quæſt. 51. in Geneſ.

Ex his apparet quod initio mundi, animalia omnia herbis & fructibus veſcebantur. Quod etiam diutiſſime poſt diluvium factum eſſe indicium eſt; quod ſi ferocia animalia carnibus paſta fuiſſent, plures devoraſſent mitiorum animalium ſpecies, quæ proinde penitus fuiſſent extinctæ; nec profuiſſet illas in arca Noetica ad multiplicandam conſervandamque ſuam ſpeciem recondi.

Adde quod etſi animantia rapacia carnibus neceſſario paſci debuerint, facili negotio potuit Noe de eorum alimentis providere; nam ut obſervant Kircherus & Pererius lib. 11. in Geneſ. animalium carnivororum triginta quinque duntaxat ſpecies numerat Ariſtoteles lib. 8. cap. 30. at ſopponamus eas eſſe numero quadraginta, quorum pauca duplo majora ſunt lupis; non multa illis paria, quam plurima vero minora. Sed demus ea ad menſuram luporum, ut quantum ad occupationem ſpatii, in arca inſtar fuerint quadraginta parium luporum, cuilibet autem lupo octava pars ovis in quotidianum alimentum ſupponatur neceſſarium; inde fiet, inquit Pererius, ut ad quotidianum centum luporum alimentum, ovibus duodecim & dimidia opus fuerit: qui numerus per unius anni trecentos ſexaginta quinque dies multiplicatus, oves quater mille quingentas ſexaginta duas & dimidiam continet. Quarum ovium, præter centum ſeptuaginta paria animalium quæ ſupponuntur in arcam eſſe ingreſſa, capacem fuiſſe arcam, eo licet intelligere, quod de trecentis manſionibus habitationi animalium comparatis, vacuæ relictæ ſunt centum triginta, in quibus magna pars iſtarum cibariarum ovium ſtabulari potuit: cum quælibet earum manſionum alta novem cubitis, longa ſex, totidemque lata, multarum ovium capax eſſet. Quæ autem ſupereſſent oves, eas in variis arcæ locis vacantibus, quæ multa erant, collocare licuit; maxime vero in habitatione hominum, ut quæ ampliſſima eſſet, & expeditiſſima. Adde quod, numerus illarum cibariarum ovium multum in dies ſingulos decreſceret; quotidie ſcilicet deficientibus plus duodecim ovibus, quæ quotidiano carnivororum animalium cibatu abſumebantur.

Petes II. Qua parte arcæ oſtium fuerit conſtitutum. Præceperat Deus Noe, arcæ fabricam delineans, cap. *6.* Geneſis v. 17. *Oſtium autem arcæ pones ex latere*, ut habet vulgata, hoc eſt in latere, vel a latere arcæ. Cum autem fuerint ipſius quatuor latera, duo longitudinis & totidem latitudinis, quæritur in quonam ex iis janua fuerit conſtituta?

Reſpondeo, duplicem eſſe hac de re Auctorum ſententiam, alii enim januam illam cenſent eſſe poſitam in medio alterutrius latitudinis: alii in alterutra longitudinis parte. Verum mihi perinde videtur quanam ex parte fuerit in arcam illam ingreſſus, cum indiſtinctis contignationibus fuerint ordine conſtituta, non ſolum domicilia, ſed & ambulacra, per quæ non tantum animalia ſeſe recipere poterant in ſibi deſtinata loca; ſed & homines ambulare, ut ſingulis animantibus alimenta neceſſaria ſubminiſtrarent.

Rem gravioris momenti, majorique meditatione dignam adiicit Moſes, cum ait, cap. 7. v. *16.* *Incluſit eum Dominus de foris*. Quæritur enim quorſum Deus voluerit arcam extrinſecus claudere, ne liberum eſſet Noe illam pro libito & nutu aperire? Etſi vero curioſius non ſit de rebus divinis inquirendum; ſed religioſe captivandus ſit intellectus noſter in obſequium fidei; nihilominus quædam proferri poſſunt rationes hujus extrinſecæ occluſionis. I. Ut ſignificaret Moſes non humano artificio, ſed di-

vina

vina virtute factum eſſe, ut arca, tametſi per annum aquis diluvii hinc & inde jactata, ab eis tamen fuerit immunis, quia Deus eas aquas divina ſua manu cohibebat, ne in arcam irrumperent. Cum enim janua illa debuerit eſſe ampliſſima, ut commode Elephantes & grandiora animalia caperet, dubitare quis poſſet qua arte tam firma tamque tenaci picatione potuiſſet Noe ejus rimulas obſtruere, ut nulla, quantumvis immenſa vis aquæ, eam penetraverit; præſertim in tam violenta jactatione, & irruptione tam ſæva. Hoc dubium ut præverteret Moſes, & vanis quæſtionibus anſam preſcinderet, ait arcam fuiſſe extrinſecus a Deo clauſam hoc eſt, non tam pice & bitumine, quam divina ex virtute obſeratam.

II. Dicere quis poſſet arcam fuiſſe extrinſecus clauſam, ne forte Noe ſuorum parentum aut amicorum pereuntium ſortem miſeratus, januam reſeraſſet, ut eos exciperet. III. Adiicere poſſumus arcæ januam fuiſſe forinſecus clauſam, ne Noe videns generale hominum & animalium interitum dolore conficeretur, & mœſtitia tabeſceret. *Quamquam enim* (ait S. Chryſoſtomus homil. 25.) *eſſent improbi qui peribant: attamen bonorum virorum animæ magnam compaſſionem habere ſolent, ſi quando vident puniri homines, & invenies omnes Prophetas & juſtos plurimum pro illis Deo ſupplicare, ſicut Patriarcha pro Sodomitis faciebat; ſicut & Prophetæ continuo facere ſolebant. Etenim unus quidem dicebat heu mihi Domine, delebis tu reliquias Iſrael? &c.*

Petes III. Quantum temporis in arca fabricanda impenderit Noe?

Reſpondeo, communiorem SS. Patrum & ſacrorum Interpretum ſententiam eſſe, Noe per centum annos iſti cudendo operi ſtudium & laborem impendiſſe. Id aſſerit imprimis Origenes [a], qui reſpondens Celſi Philoſophi criminationi, qua dixerat arcam Noe omnino abſurdam, & ridicula continentem. *Quid enim abſurdi eſt*, inquit Origenes, *cum centum annis fabricata dicitur &c.* Et S. Auguſtinus [b] ſimilem refellens objectionem ait: *Nam illud quod quidam diſputant tantæ magnitudinis arcam non potuiſſe compingi, ineptiſſime calumniantur; cum ſciunt immenſas urbes fuiſſe conſtructas, nec attendant centum annos quibus arca illa eſt fabricata.*

Idem ſupponit tanquam veriſſimum in quæſtionibus in Geneſim, quæſt. 5. ubi quærit, quomodo potuerit arca tam magna fieri centum annis a quatuor hominibus, puta Noe & tribus filiis, & reſpondet: *Non magnum eſſe Noe fabros alios conduxiſſe; qui tamen mercede accepta, nihil aliud curantes ob eorum incredulitatem non intraverunt.*

Id vero non abſque fundamento proferunt: etenim Noe natus erat annos quingentos cum mandatum a Deo accepit de fabricanda arca; nec credibile eſt virum juſtum divinorumque mandatorum obſervantiſſimum diu hanc executionem diſtuliſſe; imo illico paruiſſe non eſt abſimile: at natus erat annos ſexcentos cum diluvium accidit, ut conſtat ex *Geneſis cap. 6. v. 7.* hoc autem contigiſſe ſtatim ac fabricata fuit arca, colligere licet ex continuata ſerie narrationis a Moſe inſtitutæ. Ergo in fabricanda arca annos circiter centum interceſſiſſe fatendum eſt.

Dices, quando Deus præcepit Noe ut arcam conſtrueret, jam nati erant ejus filii, & uxorati: igitur arca non fuit centum annorum ſpatio conſtructa. Patet antecedens. Dum enim Deus Noe imperavit arcæ fabricam; ſic eum affatur cap. 6. v. 18. *Ingredieris arcam tu, & filii tui, & uxores filiorum tuorum &c.* Igitur Noe tunc habebat filios uxoribus conjunctos. Conſequens probatur. Biennio poſt diluvium Sem erat tantum natus centum annos, ut conſtat ex cap. 11. v. 10. Itaque ſi dum cœpta eſt arcæ fabrica, jam eſſet uxoratus, inde fit conſequens non amplius quam duos annos effluxiſſe in iſtius arcæ fabrica.

Reſpondeo, negando antecedens; & ad illius probationem dico, non legitime inferri jam uxoratos fuiſſe Noe filios dum ille de arca conſtruenda mandatum a Deo accepit. Neque id ſignificare voluit Moſes: quinimo contrarium indicat; nam in fine, *cap. 5.* ait: *Noe cum quingentorum eſſet annorum, genuit Sem, Cham, & Japhet.* Quibus verbis docet Noe non prius genuiſſe, quam eſſet natus annos 500. Cap. vero 7. ait: *Eratque Noe ſexcentorum annorum quando diluvii aquæ inundaverunt ſuper terram:* proindeque inter nativitatem illius filiorum & diluvium, effluxerunt centum anni; quo temporis intervallo conſtructa fuit arca.

Certum quidem eſt, Noe filios uxores duxiſſe antequam fieret diluvium: ſed quo ſuæ ætatis anno illas duxerint, omnino incertum. Sunt quidem qui arbitrantur, illos non ita pridem ante diluvium fuiſſe uxoratos, eo quod nondum filios genuiſſent. At quam levis ſit hæc conjectura, apparet ex eo quod illorum pater Noe, filios non genuerit ante quingenteſimum ſuæ ætatis annum; quid ergo mirum ſi illius filii prolem non habuerint inſtante diluvio, cum nondum impleſſent vitæ ſuæ centeſimum annum?

Petes IV. Ex quo ligno conſtructa fuerit arca?

Reſpondeo, id facile non poſſe definiri, quippe cum Hebraica vox *Gopher*, quæ nuſquam alibi occurrit, varie ab Interpretibus accipiatur: LXX. tranſtulerunt *τετραγώνων ligna quadrata*: Unde Latinus Vulgatus reddit *ex lignis lævigatis*; ligna enim dolando quadrata, ſeu lævigata, & complanata, aptiſſime inter ſe committi & compingi poſſunt; quamvis ea dici poſſint *lævigata*, quæ vel cera, vel pice, vel bitumine ſunt illita. At hæc expoſitio generalis non indicat diſtinctam ligni ſpeciem. Hinc Chaldæus Interpres cum veteribus Rabinis, nomine *Gopher*, Cedrum intelligit; firmiſſima namque & incorruptibilis eſt materia: ſed navigio minus apta.

[a] *Lib. 4. contra Celſum.*

[b] *Lib. 15. de civit. ca. ultimo.*

Itaque mihi probabilius videtur arcam illam Noeticam fuiſſe fabricatam ex *Cupreſſo*. I. quia vox *Gopher* juxta R. Kimchi ſignificat *lignum leve in ſuperficie aquarum:* at juxta Plinium, Cupreſſinum lignum leve eſt & rarum, proindeque facile aquis ſupernatat. II. Ex avorum traditione Cupreſſus in funebre ſignum aſſumpta eſt, & ideo *Diti ſacra*, eodem Plinio teſte; non quod ſemel excila non renaſcatur, ut fingit Pompeius Feſtus ſcribens *Cupreſſi mortuorum domibus ponebantur, ideo quia hujus generis arbor non renaſcitur; ſicut ex mortuo nihil jam eſt ſperandum;* falſa enim eſt hæc exiſtimatio, quippe cum teſte Petro Martyre ab Angleria Sylvas cupreſſinas habeant Cretenſes, & illis arboribus domos & naves conſtruunt. Sed ideo inveterata traditione Cupreſſus feralis eſt, quia arca Noetica ex cupreſſo fabricata per annum integrum immenſis diluvii fluctibus jactata, luctuoſum veluti humani generis, omniumque beſtiarum & volatilium ſepulchrum fuerit.

Petes V. Quomodo tot diverſarum ſpecierum animantia congregari potuerint, ut arcam intrarent.

Reſpondeo ea de re duplicem eſſe auctorum ſententiam: quidam enim cum Philone lib. 2. de vita Moſis, exiſtimant Noe per centum annos, quibus ſeſe ad declinandum diluvium & arcam fabricandam præparabat, etiam operam & laborem impendiſſe in exquirendis & colligendis illis animantibus, quæ eſſent apta ut arcam intrarent; eaque animantia etiam ferocia & ſæva, depoſita ferocitate, ipſum veluti paſtorem quocumque ducebat, eſſe ſecuta.

Verum ſententia illa, etſi revera fuerit Philonis, non minus cenſenda eſt abſurda; neque enim veroſimile eſt Noe, qui arcæ fabricandæ cum ſuis totus erat deditus, potuiſſe peragrare omnes terrarum regiones & marium inſulas, ut ibi degentes terreſtrium animantium diverſas ſpecies, aliis in locis non reperiendas, in unum veluti gregem colligeret, & ad eam regionem, in qua fabricabatur arca, deduceret; hoc enim fieri non potuiſſet niſi diutiſſimo tempore, & moleſtiſſima immenſi laboris anguſtia.

Hugo Victorinus *lib.* 1. *de arca Morali cap.* 3. inſinuare videtur animantes omnes, invaleſcente diluvio & terras operiente, ut exitium effugerent, ad arcam, tamquam ad Aſylum, alia natando, alia volando acceſſiſſe; & ex eis deſtinatum numerum collegiſſe Noe, alia vero rejeciſſe. Verum hæc opinio minus quam precedens videtur probanda, utpote cum manifeſte repugnet Moſis narrationi *cap.* 7. qua conſtat animalia prius una cum Noe familia ingreſſa fuiſse in arcam, quam inceptum fuiſset diluvium; & priuſquam exundarent aquæ ſuper terram, Deum arcæ oſtium clauſiſſe deforis, ne quid amplius in eam illaberetur. Accedit quod credibile non ſit, animantia ex remotiſſimis terræ plagis potuiſſe natando ad arcam accedere, eo præſertim tempore, quo terreſtres & cœleſtes aquæ inundantes vehementem excitabant tempeſtatem, & omnia undique evertebant.

Veroſimilius itaque dicendum arbitror animalia propria ſponte, & movente Deo acceſſiſſe ad Noe, ut docet S. Auguſtinus lib. 15. de Civitate Dei cap. 27. *Iſta cura*, inquit, *non fuit illius hominis, vel illorum hominum: ſed divina: non enim ea Noe capta intromittebat; ſed venientia & intrantia admittebat. Ad hoc enim valet quod dictum eſt: intrabunt ad te: non ſcilicet hominis actu, ſed Dei nutu.*

Neque hoc incredibile videbitur ei qui memoria repetet, quod prius dictum fuit a Moſe, initio mundi omne genus animalium ſeſe obtuliſſe Adæ, ut illis nomina imponeret. Eamdem ſententiam indicat Græca & Hebraica Editio; nam ubi Vulgata noſtra ad finem, cap. 6. habet, *Bina de omnibus ingredientur tecum, ut poſſint vivere;* Græce & Hebraice legimus, *ingredientur ad te*, hoc eſt, ſponte ſua venient; & non tuo labore, tuaque opera quæſita.

Petes VI. Qua ratione dicantur quædam animalia *munda*, alia *immunda* ante diluvium, cum illa mundorum & immundorum animalium diſtinctio ſtatuta fuerit per legem Moſis, *Levitici* 11. & *Deuter.* 14. octingentis poſt diluvium annis?

Huic quæſtioni reſpondet S. Chryſoſtomus mundorum atque immundorum animalium diſcrimen fuiſſe compertum Noe, vel naturali rationis judicio: vel particulari Dei revelatione. Tametſi enim omnia Dei opera ſint perfecta, nihilque perverſum ab optimo rerum opifice prodierit: *Vidit quippe Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Attamen hominum judicio quædam animalia cenſentur immunda, hoc eſt, inepta ad hominum uſum & eſum, puta Bufones, Serpentes, &c. Unde pro hominum diverſitate, diverſoque judicio, quædam animalia aſſumuntur ad cibum, alia vero reprobantur, ut obſervat ibidem S. Chryſoſtomus: *Conſidera*, inquit, *quomodo in nonnullis locis ab aliquibus abſtinent aliqui, ut immundis, & non probatis: alibi illis ipſis veſcuntur, conſuetudine ſe ad hoc inducente.* Hinc Judæis Suilla caro abominabilis erat; tametſi ad hominis alimentum eam aptiſſimam dixerit Hypocrates libro de affectionibus: *Suillæ carnes*, ait, *& ad bonum habitum, & ad robur conferunt*. Cui ſubſcribit Galenus lib. 7. meth. cap. 6. *Omnium*, inquit, *quos novimus ciborum, maxime alit caro Suilla*.

Similiter ex Dei revelatione quædam animalia ab ipſo mundi exordio, poſt admiſſum Adæ peccatum, dicta ſunt immunda; quæ videlicet minus erant apta ad ſacrificia peragenda; veriſimile enim eſt ſanctiſſimos Patriarchas divinitus edoctos fuiſſe, quædam judicaſſe animalia aliis aptiora ad impendendum Deo obſequium, divinumque cultum peragendum; unde fit probabile ritum a piiſſimis viris acceptum invaluiſſe, ut in victimas tantum aſſumerentur boves, oves, capræ, turtures, & columbæ.

Itaque animalia quædam dicta ſunt munda, vel immunda, triplici de cauſa: *Primo*,

ex

ex opinione & inſtituto hominum, habito reſpectu ad eorum uſum & eſum. *Secundo*, ex Dei mandato, in ordine ad divinum cultum, & offerenda Sacrificia. *Tertio*, propter myſticam & moralem ſignificationem: nimirum ut homines ab immundis abſtinendo diſcerent quæ vitia potiſſimum eſſent ab eis ſugienda. Sic animantia rapacia cenſentur immunda, quia ſymbola ſunt ferocitatis, gulæ, & intemperantiæ: mitiora vero, quales ſunt oves, capræ, columbæ, moderationem, clementiam & ſobrietatem quandam præ ſe ferunt. At de his plura in 11. cap. Levitici.

Peter VII. Cur ex immundis animantibus tantum bina: ex mundis vero ſeptena: ex iis autem, quare non ampliori, vel minori numero in arcam induci & a cataclyſmo ſalvari voluerit Deus?

Reſpondet S. Chryſoſtomus, idcirco tria paria mundorum animalium ſalvata eſſe; duo vero tantum immundorum; quod mas & fœmina animantium immundorum ſufficerent ad ſpeciei propagationem: munda vero tres ob cauſas eſſent neceſſaria: *primo* quidem ad propagandam ſpeciem, ad quod ſufficiens erat mas & fœmina cujuſque ſpeciei. *Deinde* ad eſum & cibum hominum; peracto namque diluvio veſcendi animalibus libertatem publicam fecit Deus; quamobrem opus erat ex mundis animalibus plura conſervari ad hominum cibum, donec alia propagarentur. *Tertio*, denique ad uſum ſacrificiorum, nimirum ut ex eis mundis animantibus aliqua in victimas offerendas in ſuæ conſervationis gratitudinem aſſumeret Noe.

Quæ ſingula egregie declarat Theodoretus: „ Mandavit, *inquit*, Dominus Deus, bina ex unaquaque ſpecie animalium quæ habebantur immunda ſervari, & mundorum animalium ſeptena. Nam cum hominibus eſſet permiſſurus manducare carnes, & homines pii ſacrificaturi eſſent illi, majorem numerum mundorum animalium cuſtodiri juſſit: nempe tres conjugationes, ad augmentationem generis, unum vero animal reliquum, ad ſacrificandum. Statim enim ubi ceſſavit ultio, Noe ſacrificium obtulit Deo, gratiarum actioni conveniens: *Ex omnibus*, inquit, *pecoribus mundis, & ex omnibus volatilibus mundis*. Ita ut certum ſit, hac de cauſa Deum juſſiſſe ex unaquaque ſpecie mundorum animalium ſeptena in arcam introduci: ut Noe unum animal offerens ex unaquaque ſpecie, non tolleret conjugationes.

Peter VIII. Quo ſenſu debeant accipi hæc Dei ad Noe verba: *Ex omnibus animantibus mundis, tolles ſeptena & ſeptena, maſculum & fœminam: ex animantibus vero immundis, duo & duo, maſculum & fœminam?* Utrum videlicet ex immundis animantibus duo tantum fuerint in arcam recepta? ſcilicet unum mas, & alterum fœmina: an vero quatuor nimirum duo mares, & duæ femellæ. Similiter utrum ex mundis fuerint tantum ſeptem paria, an vero quatuordecim; cujus utique dubii anſam præbent hæc geminata verba *bina & bina*, *ſeptena & ſeptena*; ſiquidem bina & bina quatuor efficiunt: ſeptena vero & ſeptena quatuordecim.

Hanc quæſtionem ut ſolvant Interpretes duplicem in ſententiam ſcinduntur: nonnulli enim cum Origene exſtimant quatuor fuiſſe immunda animalia, & quatuordecim munda. Alii vero cum *S. Chryſoſtomo* ſupra laudato, *Auguſtino* & *Theodoreto* paulo ante memorato, cenſent duo tantum ex immundis animantibus in arcam eſſe recepta; marem videlicet & fœminam: ex mundis vero, tria paria, ſcilicet tria maſcula, & tres fœminas, & unum maſculum ſine conſorte, deſtinatum videlicet ad ſacrificium: quam poſteriorem ſententiam probabiliorem exiſtimant Lyranus, Toſtatus, aliique recentiores.

Poſſet etiam moveri dubium, cur Deus cum primo præcepit Noe de numero animalium quæ in arcam introducenda erant, dixerit circa finem capitis ſexti: *De cunctis animantibus bina induces in arcam*: initio vero capitis ſeptimi, jubeat introduci. *De immundis bina; de mundis vero ſeptena?* At ſolutio in promptu eſt, quia circa finem capitis ſexti, non expreſſit Moſes numerum cujuſque ſpeciei animalium introducendorum; ſed tantum dixit maſculis addendas fuiſſe fœminas ſuas comites. At ſi dixiſſet juſſum fuiſſe Noe, non promiſcue coacervare animalia: ſed paria ex illis deligere ad propagandam ſobolem. Initio vero capitis ſeptimi, diſtincte ſignificat quanto numero ex paribus immundis, & mundis, deberent admitti; ne videlicet dubius & anceps hæreret Noe circa numerum animalium introducendorum. Ita reſpondet S. Auguſtinus quæſt. 8. in Geneſim.

QUÆRITUR IX.

Quandiu Noe fuerit in arca recluſus.

COmmunis eſt ſacroſum Interpretum ſententia, Noe cum ſua familia, & ſelectis animantibus, in arca ſtetiſſe per integrum annum. Idque manifeſte colligitur ex diluvii hiſtoria, & Moſis narratione. Ait enim cap. 7. v. 6. & 11. Noe natum fuiſſe ſexcentos annos cum cœpit inundatio; *Anno ſexcenteſimo vitæ Noe, menſe ſecundo, ſeptimo decimo die Menſis, rupti ſunt omnes fontes Abyſſi magnæ, & cataractæ Cœli apertæ ſunt: & facta eſt pluvia ſuper terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus. In articulo diei illius ingreſſus eſt Noe, & Sem, & Cham, & Japhet, filii ejus; uxor illius, & tres uxores filiorum ejus, in arcam &c.* cap. autem 8. v. 13. legi-

legimus; *ſexcenteſimo primo anno... menſe ſecundo, ſeptimo & vigeſimo die menſis, arefacta eſt terra. Locutus eſt autem Deus ad Noe, dicens: egredere de arca &c.* Ex quibus apparet eum per annum ſolidum, & dies aliquot in arca fuiſſe recluſum.

Utrum autem annus ille ſolaris fuerit, id eſt, conſtans 365. diebus: an vero lunaris, diebus undecim ſolari minor, invicem diſſentiunt Interpretes; quidam pro ſolari, alii vero pro lunari pugnantes. Verum omiſſis inanibus & levioribus his contentionibus, ex præcedentibus Scripturæ ſacræ verbis aperte colligitur Noe pluſquam per integrum annum ſolarem in arca fuiſſe recluſum; ſiquidem in eam ingreſſus eſt anno vitæ ſuæ 600. menſe ſecundo, ſeptimo decimo die menſis: ex ea vero egreſſus eſt anno vitæ ſuæ 601. menſe ſecundo, vigeſimo ſeptimo die menſis: ac proinde fuit in arca non ſolum 365. diebus, ſed 370. nempe per integrum annum ſolarem, additis quinque diebus.

Cum vero apud Judæos duplex anni ordiendi & computandi ſit ratio, dupleaque annus, quorum unus dicitur *ſacer*, alter *civilis*; quæritur ad quem eorum attenderit Moſes in hac diluvii narratione. Cui quæſtioni priuſquam fiat ſatis, obſervandum eſt annum *ſacrum* incipere ab æquinoctio verno, hoc eſt, a menſe Niſan qui Martio noſtro ea parte reſpondet. *Civilis* vero ortum ducebat a menſe Tiſri cum noſtro Septembri coincidente. Ille dicebatur *ſacer*, quod omnia ad divinum cultum ſpectantia juxta ejus decurſum ordinabantur: hic vero *Civilis*, quia juxta illius computum omnia civilia, & politica negotia ſtatuebantur, Uterque vero annus conſtabat duodecim menſibus, quorum primus anni civilis erat *Tiſri*: ſecundus *Marcheſvan*; tertius *Caslen*; quartus *Thebeth*: quintus *Shebat*, ſextus *Adar*: ſeptimus *Niſan*: octavus *Icar*: nonus *Sivan*: decimus *Tamus*: undecimus *Ab*: duodecimus *Elul*.

Anni vero ſacri primus menſis erat *Niſan* quem cæteri ſequebantur,

Eſt autem veriſimile Moſem in computandis Patriarcharum annis potius attendiſſe ad annum ſacrum, quam ad Civilem. Ipſi namque Patriarchæ annos ſuos numerabant juxta ſeriem annorum a mundo condito quem formatum eſſe probavimus verno tempore: quæ computandi ratio apud Iſraelitarum majores invaluit, uſque ad eorum ingreſſum in Ægyptum. Quandiu autem ſteterunt in Ægypto, videntur ſe accommodaſſe calculo Ægyptiorum, qui una cum Chaldæis annum ſuum inchoabant a menſe *Thoth*, qui menſi ſeptimo Hebræorum reſpondebat, & fere noſtro Septembri, quem poſt captivitatem Babylonicam, Hebræi *Tiſri* dixerunt.

At ſimulatque Hebræi ex Ægypto egreſſi ſunt, juſſit Deus ipſis, ut caput anni ſui rurſus ab ineunte vere accerſerent ita præcipiens Exodi. 12. v. 2. *Menſis iſte* (Niſan) *vobis principium menſium primus erit in menſibus anni*, ſcilicet *anni ſacri*, ſecundum quem feſta & Neomeniæ ac ſacra omnia celebrari debebant.

Itaque cum hic annus ante, & poſt egreſſum ex Ægypto Hebræis fuerit ſacer, magiſque ſpectabilis; veroſimilius eſt Moſem hujus rationem habuiſſe tum in computandis Patriarcharum annis, tum in recenſenda diluvii duratione. Idque duplici de cauſa; *Primo*, quia ſolebant Judæi annum ſacrum uſurpare in ſupputationibus, ubi de rebus ſacris & Eccleſiaſticis agebatur: hic autem narrantur res ſacræ & ad Dei judicium, ſapientiam, ac providentiam ſpectantes; ſcilicet animadverſio in ſceleratos, piorum conſervatio, & propagatio Eccleſiæ; *Secundo*, quia ſcopus Moſis eſt oſtendere diluvium illud non fuiſſe ea naturalibus cauſis, ſed ſpeciali Dei juſtitia, & providentia immiſſum; quippe cum vehemens ac ſtupenda illa pluvia ſub initium æſtatis inceperit, quando incipiunt calores & ſiccitates; nam ſecundus menſis anni ſacri in Maium incurrit.

Hic pariter advertendum cum Benedicto Pererio, Moſen in hac diluvii recenſione, non omnes menſes iſtius anni, quo facta eſt illa aquarum inundatio, dinumeraſſe; ſed eos tantum in quibus aliquid inſigne contigit. Nominavit enim *decimum ſeptimum diem ſecundi menſis*; quia eo die fieri cœptum eſt diluvium; Recenſuit *quadraginta dies pluviæ*: unde incrementum diluvii accidit: commemoravit *centum quinquaginta dies*; quod per eos diluvium ſtetit; poſt eos vero cœperunt diminui aquæ diluvii; nominavit *vigeſimam ſeptimam diem ſeptimi menſis*; quia tunc primum arca reſedit ſuper montes. Mentionem fecit *primi diei decimi menſis*: quod eo die primum apparuerunt cacumina montium.

Poſt hæc ſupputavit *quadraginta dies*; quod illis tranſactis, Noe aperiens feneſtram Arcæ, dimiſit corvum & columbam ad explorandum utrum diluvium ceſſaſſet. Adjecit deinde *quatuordecim dies*, in quibus columba primum revertens ad arcam, ramum oleæ virentibus frondibus ore tulit; at iterum remiſſa, nec regreſſa, tandem ſiccatæ jam ab aquis terræ indicium fecit, Quoniam autem aliis diebus & menſibus nihil horum ſimile, id eſt, nihil memorabile acciderat, propterea Moſes putavit ea tempora non eſſe percenſenda.

Petes utrum omnes homines diluvio extincti, ut corpore, ita & anima perierint,

Reſpondeo probabiliſſimum eſſe multos ex eis reſipuiſſe, & pœnitentiam egiſſe, dum irruente diluvio, & per quadraginta dies paulatim ingraveſcente, viderent jam impleri, quæ Noe tum ſuis verbis, tum arcæ mirandæ fabrica futurum prædixerat; ſcilicet omnium hominum, & animantium extinctionem; idque colligere licet ex verbis S. Petri dicentis animam Chriſti in triduo mortis deſcendiſſe ad inferos, & *prædicaſſe* (hoc eſt, lætum redemptionis & eductionis e lymbo nuntium attuliſſe) etiam *his ſpiritibus, qui increduli fuerant aliquando, in diebus Noe cum fabricaretur arca.* Qui-

bus

bus verbis ſignificat plurimos eo tempore homines, qui prius fuerant increduli, cum Noe futuram Dei in eos animadverſionem, & generalem hominum per diluvium extinctionem prænuntiaret, ad Deum fuiſſe converſos dum per vehementem aquarum illapſum, id quod dixerat Noe viderent impleri; & pœnitentiam agentes, veniam obtinuiſſe.

DISQUISITIONES IN CAPUT OCTAVUM.

EXacto autem diluvii univerſam terram inundantis anno, ſubdit Moſes: *Recordatus eſt autem Deus Noe, cunctorumque animantium, & omnium jumentorum, quæ erant cum eo in arca &c.*

Citra dubium eſt prioribus illis verbis figurate ac metaphorice Moſem eſſe locutum; cum enim Deus infinita ſua intelligendi virtute cuncta habeat ab æterno in proſpectu, & ſibi intime præſentia; nec ulla ſit apud eum tranſmutatio, ac viciſſitudinis obumbratio; nullius etiam proprie poteſt oblivisci ac reminiſci; ſed dicitur *obliviſci* piorum hominum, dum eos ad tempus anxie, ac miſere cruciari permittit; eorum vero *recordari*, dum illos e periculis eripit, & feliciorem in ſortem reſtituit.

Porro dubium non eſt, quin Noe, ejuſque uxor, ac filii per annum in arca recluſi, ſummo tædio & animi angore fuerint affecti; maxime cum immenſo labore in curandis animalibus, & eorum ſordibus evacuandis pene fuerint exanimati; viderentque commeatum deſitere, nec quo tempore eſſent liberandi, notum haberent. Attamen Noe ſummam habens in Deum fiduciam, illos conſolari non deſiſtebat, hortabaturque ut fuſis ad Deum continuis precibus, ipſius divinæ miſericordiæ viſcera ſollicitarent.

Itaque eorum votis tandem annuens Deus, ſtatuit eos eripere e carcere, & priſtinæ libertati reſtituere: quamobrem, ſicut paulatim & ſucceſſive diluvium induxerat, ſic & revocavit; nam addit Moſes: *Adduxit ſpiritum ſuper terram, & imminutæ ſunt aquæ ... euntes & redeuntes; cœperunt minui poſt centum & quadraginta dies.* Quibus verbis duas cauſas diminutionis, & ceſſationis diluvii indicavit, *unam* quidem *poſitivam*, ſcilicet ſpiritum vehementem, & ſiccandi virtute pollentem, non quidem Spiritum-Sanctum, ut putant aliqui; neque Solem, ut nonnulli exiſtimant: ſed ventum validum, qui aquarum ſubtiliores partes in aerem reſolvebat; craſſiores vero in gurgites & terræ viſcera propellebat. Alteram negativam, nimirum prohibitionem pluviæ; & occluſionem fontium Abyſſi; & cataractarum Cœli, unde S. Ambroſius lib. de Noe & arca cap. 17. *His cauſis minuitur*, inquit, *diluvium quibus crevit. Erupti erant fontes aquarum, apertæ fuerant cataractæ Cœli, ut undique influentibus aquis terra inundaretur: debuerunt claudi ea, ex quibus diluvii origo manavit, ut ejus inciperet eſſe defectus.*

QUÆRITUR I.

Quibus indiciis noverit Noe diluvii decrementum & finem.

R*Eſpondeo*, id primum deprehendiſſe ex arcæ, qua includebatur, & in qua per annum a fluctibus jactatus fuerat, conſiſtentia; addit enim Moſes: *Reverſæque ſunt aquæ de terra euntes & redeuntes .... requievitque arca menſe ſeptimo, 27. die menſis, ſuper montes Armeniæ.* Vel, ut habet Hebræus textus, *ſuper montes Ararat:* aut ut fert Chaldaica lectio, *ſuper montes Kordu*: montes enim Ararat, Chaldæi vocant *Karda*, Arabes vero *Karud: Cardeos* vero appellat Quintus Curſius.

Haito Armenus cap. 9. obſervationum in cap. 14. Originum S. Iſidori, ſcribit: *In Armenia eſt altior mons quam ſit in toto orbe terrarum, qui Ararat vulgariter nuncupatur; & in cacumine illius montis poſt diluvium arca primo ſedit.* Idem teſtatur Chardinus eques in ſuo Perſidis itinerario, ubi ſcribit, montem illum *Ararat* duodecim leucis ab Eriva diſtantem, tantæ eſſe altitudinis, ut etiam a quinquaginta tribus leucis Pariſienſibus poſſit videri. Idem refert *la Bouleye le Gouz* in ſuo itinerario. His ſuccenturiatur Pater *Philippus a Sancta Trinitate* in relatione ſuæ peregrinationis, ubi ait montem illum, a nonnullis vocari *Periardum*, ab aliquibus *Gordianum*; ſed ab Armenis nominari *montem Noe.*

Joannes Struis de hoc pariter monte ſermonem faciens in ſuo intinerario, dicit, illum eſſe multo altiorem Caucaſo & Tauro: narratque quod cum eſſet captivus, juſſus fuit ab hero ſuo prædictum montem conſcendere, cum alio ſervo, & aſino deferente neceſſaria ad victum; ſeptemque dies inſumpſiſſe, ut pertingeret ad montis medium, ubi reſidebat heremita quidam nomine *Dominicus Alexander*, origine Romanus, infirmitate laborans, ad quem condicto pretio delegatus fuerat ille Struis, ut ſuppetias illi ferret. Additque medium illius montis tranſcen-

ſcen-

ſcendere nubes, atque aerem ibi eſſe perpetuo ſerenum, ot affirmabat ipſe heremita; ſed multo ſuaviorem in cacumine iſtius montis, quam ipſe Dominicus Alexander dicebat ſe conſcendiſſe, atque ibi vidiſſe arcam Noe adhuc pene integram; ſed fides ſit penes auctores.

Ut ut ſit, citra dubium eſt, montem illum eſſe altiſſimum; ubi arca Noetica primum hæſit, ex cujus conſiſtentia judicavit Noe imminutas eſſe aquas diluvii.

Etſi vero arcam in ſolido loco hærentem ſenſiſſet Noe, non eſt tamen auſus ante diem quadrageſimum explorare, utrum omninò defeciſſent aquæ; non quod exanimis torperet, ſed quod illud formidabile vindictæ Dei exemplum tanto eum metu percuſſerat, ut in arcæ ſuæ latibulo quieſcendum cenſeret, donec certo conſtaret terram aquis eſſe nudatam; & ad egreſſum haberet divinum mandatum, ſicut habuerat ad ingreſſum.

Interea vero arcæ feneſtram aperiens, corvum emittit, ad explorandum aquarum decrementum: corvus autem, ut fert Latina, & Græca Editio, *Egrediebatur, & non revertebatur, donec ſiccarentur aquæ*: Hebræa vero, & Chaldaica habent: *Exiit egrediendo, & regrediendo donec ſiccarentur aquæ.* Ubi vides inter hos textus apertam contradictionem, de qua pleniſſime jam actum eſt in priori noſtro volumine.

Ut autem eam paucis hic elevemus, dico corvum emiſſum, ſimul *reverſum* fuiſſe, & non reverſum: *rediit* quidem cum poſt longum volatum non reperiens ubi quieſceret, ultro citroque volando, rediit, non quidem in arcam per feneſtram, qua fuerat emiſſus, ſed ad arcæ tectum; unde ex fluitantibus cadaveribus paſtum quærebat, donec terra exſiccata, egrediens Noe cum animantibus, ipſe corvus pariter cum ſua conſorte inde evolavit. Dicitur vero non reverſus: Tum quia, non functus fuerat eo munere, propter quod fuerat emiſſus; ſcilicet ut petens longinqua loca ſignum ceſſationis diluvii ſecum afferret: tum quia arcam non intravit.

Emiſit pariter, poſt corvum, columbam: quæ cum non reperiſſet ubi pes ejus requieſceret, ad arcam rediit; eamque manu apprehenſam Noe in arcam intulit. Tranſactis autem ultra ſeptem diebus, iterum columbam emiſit, quæ ad eum ad veſperam reverſa, jamdudum pacis ac tranquillitatis optatum augurium, viridem olivæ ramum roſtro ſuo attulit: non proprio quidem inſtinctu; ſed inquit S. Chryſoſt. homil. 26. *Totum hoc factum eſt diſpenſatione divina, & quod columba invenerit, & quod ore tulerit ad Noe; quamquam hæc arbor ſemper virens eſt. Unde veriſimile eſt quod cum aquæ redierunt, arbor hæc adhuc habuerit foliorum comam.*

At, inquies, quid opus erat corvum & columbam emitti, ut exploraret Noe ceſſationem diluvii? nonne ipſemet poterat per feneſtram aſpicere & deprehendere num terra eſſet exſiccata?

Reſpondent aliqui, id Noe non potuiſſe exequi, propter arcæ ſitum; cum enim ejus tectum trecentis cubitis longum eſſet, & ad curvitatem declinans, vix ad feneſtram potuiſſet conſiſtere. Verum hujus reſponſi levitas, & falſitas apparet, ex eo quod ipſe Noe ad feneſtram illam ſteterit, ut prima vice reverſam columbam manu apprehenderet, & induceret in arcam. Itaque ſatius dicendum arbitror, id totum Dei nutu & inſpiratione eſſe peractum, neque Noe voluiſſe per ſemetipſum inquirere, quonam in ſtatu res conſiſterent, ne forte videndo fluitantia hominum, animaliumque cadavera, & decliviores terræ partes adhuc aquis immerſas, præ nimio terrore cor ejus tabeſceret, ac deliquium pateretur.

QUÆRITUR II.

Qua ratione Noe fuerit ex arca egreſſus, & quid inde egerit.

TAmetſi ex conſpecto virentis olivæ ſurculo certum ac exploratum haberet Noe jam deſiiſſe diluvium; & quanquam cœlum ſua ſerenitate ipſi arrideret, & terra ab omni humiditatis illuvie libera, ipſum ad egreſſum invitaret; attamen egredi non eſt auſus, niſi prævio divino Imperio.

Itaque Moſes refert Deum ad Noe dixiſſe: *Egredere de arca, tu & uxor tua, filii tui & uxores filiorum tuorum tecum, & cuncta animantia quæ ſunt apud te.... educ tecum, & ingredimini ſuper terram*, nimirum ut qui arcam cœleſti ingreſſus fuerat mandato, nonniſi eum ipſa divinæ voluntatis ſignificatione egrederetur. *Recedente aqua* (ait S. Ambroſius) *& exſiccata terra exire potuit Noe de arca: ſed juſtus nihil ſibi arrogat, ſed totum ſe divino committit imperio. Et maxime qui cœleſti ingreſſus fuerat oraculo, cœleſte debuit, ut egrederetur, expectare reſponſum. Verecunda enim juſtitia eſt, quia inverecunda iniquitas, quæ uſurpat indebita, nec reveretur auctorem.*

Egreſſus ergo Noe ex illo ergaſtulo, *Ædificavit altare Domino; & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocauſtum ſuper altare:* nimirum ut grati & pii erga Deum animi clariſſimum ſpecimen exhiberet.

Quam autem Deo gratum & acceptum fuerit ſacrificium iſtud, explicat Moſes his verbis: *Odoratuſque eſt Dominus odorem ſuavitatis*: non quidem propter animalia oblata, ſed propter affectum devotæ mentis offerentium; ſiquidem Noe ſe ipſum, ſuoſque, pleno intimæ devotionis ſenſu, in perfectum holocauſti thymiama Deo obtulit; ſeque perpetuo ejus divinæ Majeſtati, ac voluntati devovit. *Legimus*, inquit Tertullianus lib. 1. adverſus Marcionem, *Deum*

ad

ad oblationes Abel advertiſſe, & holocauſta Noe odoratum eſſe libenter. Verum quæ jucunditas ſive viſcerum vervecinorum, ſive nidoris ardentium victimarum eſſe poteſt? animus igitur ſimplex, & Deum metuens offerentium ea, quæ a Deo habebant, & pabuli, & ſuavis olentiæ gratia apud Deum deputabatur.

Quantopere autem Deus hujuſmodi ſacrificio delectatus fuerit, apparet ex his verbis quibus Moſes inducit Deum dicentem ad Noe: *Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines: ſenſus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia &c.* Quibus verbis duo ſpondet Deus. 1°. Se nequaquam amplius terræ maledicturum, hoc eſt, non inducturum rurſus illam animadverſionem in peccatores quæ interitum afferat tam humano generi, quam reliquis animantibus. Cujus utique promiſſi rationem hanc profert, quod nimirum miſericordia & clementia moveatur in humanum genus; quia illud vitiatum per originale peccatum, proclive eſt ad malum, ex ingenita videlicet concupiſcentia, & pugna ſpiritus adverſus carnem, & carnis contra ſpiritum. Ex quibus manifeſtum fit concupiſcentiam ipſam, licet ad peccatum inclinet, non eſſe tamen peccatum formaliter: id enim propter quod Deus homini parcit, & indulget, cenſeri non poteſt formale peccatum; tantum enim abeſt ut peccatum iram Dei mitiget; quin immo eam irritat & accendit. Pronitas autem illa ad vitia ex parte excuſat hominum culpas, quia imminuit rationem voluntarii, & liberi, quod requiritur ad rationem peccati. Itaque Deus miſericordia motus in hominum infirmitatem, promittit ſe impoſterum pœnas quidem de ſceleribus ſumpturum; ea tamen lege, ut non extinguat humanum genus, nec terram ſuis incolis & dotibus omnino ſpoliet ante extremum judicium.

Spondet deinde mundum deinceps ex integro inſtituendum; ita ut reſtituantur, quæ prius erant, eædem temporum viciſſitudines, quæ in anno diluvii fuerant intermiſſæ: deſierant enim, diei, & noctis ſucceſſio, nullaque tempeſtatum hyemis, & veris, æſtatis, & autumni diſtinctio, nulla ſementis, meſſiſque perficiendæ occaſio; at omnia hæc conſueta lege reſtituentur, nuſquam ſimili modo interturbanda.

DISQUISITIONES
IN CAPUT NONUM.

Ut ſuam benignitatem erga Noe, ejuſque filios plenius ac diſtinctius manifeſtam faceret Deus; *Benedixit eis, dixitque ad eos: creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ. Omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum.* Quibus verbis ſignificat a ſe eadem hominibus reſtitui beneficia in renaſcentis mundi primordiis, quæ in ejus exordio conceſſerat; nimirum naturæ fœcunditatem; qua factum eſt, ut ex illis octo ſervatis, tam viris, quam mulieribus, tanta fuerit humani generis propagatio, ut intra trecentos annos, qui numerantur a finito diluvio ad quadrageſimum tertium annum Abrahæ, adeo numeroſe propagatum ſit humanum genus, ut auctore Cteſia, narret Diodorus Nino, Abrahami æquali, in exercitu ſuo peditum decies ſepties centena millia, equitum vero ducenta millia; currus autem falcatos paulominus decem millibus & ſexcentis, & Zoroaſtri Bactrianorum Regi illius adverſario, in exercitu fuiſſe quadringenta millia hominum; ex quibus conjicere licet quanta fuerit tunc temporis hominum multitudo, utpote cum duo tantum Reges adeo numeroſos habuerint exercitus.

Quoniam vero Noe ejuſque filii metum concipere potuiſſent, ne ſibi, propter paucitatem, ex animantibus, naturalem ferocitatem ac ſævitiam reſumentibus, aliquid exitii & detrimenti accideret; hunc metum ac terrorem prævertens Deus, ait, tantum abeſt ut vobis terrorem incutere debeant animalia; quinimo illis formidabiles ac terribiles eſtis futuri. Quod utique non ſolum de ipſis, ſed etiam de eorum poſteris dictum eſt; nam omnia animalia hominem metuunt, ac reverentur, nullumque eſt adeo ſævum, ac truculentum, quod hominem invadere audeat, niſi vel ab eo laceſſitum, vel aliqua perturbatione occupatum, aut fame exagitatum.

Graſſantur quidem ſævæ beſtiæ, & in homines multis modis ſæviunt; quia nos adverſus Deum vitiis noſtris inſurgimus; interim Dei providentia cohibet earum impetus: unde enim fit ut non lanient, diſcerpant, ac devorent quidquid eſt hominum, Tigres, Leones, Urſi, & alia ferocia animalia; niſi quod Deus ſingulari præſidio ac tutela nobis eſt pro clypeo, illis vero ut repagulum?

His duobus, tertium ſuæ erga homines bonæ voluntatis ſignum adjicit Deus, dicens: *Omne quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum, quaſi olera virentia tradidi vobis omnia: excepto quod carnem cum ſanguine non comedetis.* Quibus verbis non ſolum herbas, legumina, lignorumque fructus, ſed & quædam animalia in cibum hominibus concedit, videlicet ut eorum carne paſcantur; ea tamen lege ut carnem cum ſanguine non edant. Unde quemadmodum initio mundi, conceſſerat quidem ho-

homini recens formato, ut de omni ligno paradiſi ei liberum eſſet comedere, interdicto tamen eſu arboris ſcientiæ boni & mali; nimirum ut inde ejus obedientiam & obſequium probaret; ſic in hac mundi renovatione, concedit Noe ejuſque poſteris eſum animalium; prohibet tamen ne cæſotum animantium carnes ſanguine cruentatas comedant; unde

QUÆRITUR I.

Utrum eſus carnium nonniſi poſt diluvium fuerit conceſſus.

VAriant hac in re Theologorum, & Interpretum ſententiæ: ſunt enim qui affirmant, hominibus ante diluvium nefas fuiſſe veſci carnibus; ſed nativos tantum fructus terræ illis fuiſſe pro cibo. Affirmant alii id fuiſſe liberum, tametſi Scriptura ſacra diſtincte non exprimat. Media vero inter utramque pugnantem, ſententia contendit eſum carnium fuiſſe quidem licitum homini ante diluvium; ab eo tamen pios viros & virtuti ſtudentes temperaſſe: quæ poſtrema ſententia mihi videtur probabilior; cumque duabus partibus conſtet.

Probatur prima, nempe eſum carnium ante diluvium fuiſſe in uſu apud homines. Si enim ea non fuiſſent uſi, maxime, vel quia eſſet prohibita, vel quia non erat eis utilis; vel quia carnium vis nutritiva eis non fuit eo tempore cognita, *non primum*, nulla ſiquidem hac de re prohibitio legitur in Scriptura; concedit quidem Deus Adamo facultatem edendi fructus arborum, nec non & cujusvis ſpeciei legumina; at nullibi vetat comedere carnes.

Accedit quod ſi accurato judicio expendatur textus Hebræus, cap. 1. v. 29. apparebit illis verbis *erunt vobis in eſcam*, non excludi, ſed potius includi etiam animalium eſum; ſi nempe præpoſitio in voce לכל *lecol* ſumatur incluſive, ut efficiat hunc ſenſum *cum omni*; non vero ut legi ſolet, *& omni*; tunc enim hic erit genuinus ſenſus: *Ecce dedi vobis omnem herbam... & omne lignum... ut ſint vobis in eſcam, & cuncta animantia terræ &c.* Ita legendum cenſent viri linguæ Hebraicæ callentiſſimi Jacobus Capellus, [a] Samuel Bochardus &c.

[a] *Hiſt. ſacr.* p. 14. l. 1. *Hierozoicon* p. 11.

Nulla pariter cauſa probabilis eſſe potuit cur eo tempore eſus carnium non eſſet conveniens & utilis homini, cum experientiæ documento conſtet, ad alendum & roborandum hominem, cibum ex carnibus, magis quam ex plantis, eſſe condocibilem.

Neque etiam credibile eſt, toto eo tempore, quod præceſſit diluvium id eſt, per annos 1656. vim carnium ad alendum hominem accommodatiſſimam non fuiſſe experiendo compertam; cum enim homines illius temporis plura animalia excoriarent, ut eorum pellibus veſtes ſibi, & tabernacula conficerent, veriſimile non eſt, eorum carnes ſemper ad aerem projeciſſe; imo credendum eſt eas, ne putreſcerent, & inficerent aerem, igne conſumpſiſſe; ac proinde ex earum aſſatarum odore ad guſtum invitatos eas ſuaves ac utiles agnoviſſe.

His accedit quod omnia animalia a Deo producta ſint propter hominum uſum: ſunt autem multa quæ nullis hominibus poſſunt eſſe uſui præter cibum, veſtitumque; puta ovium genus, nec non & volucrum, uti columbarum, perdicum, turdorum, ſimiliumque ſpecies, quarum carnes in nullum alium uſum, præter quam in cibum cedunt.

Adde quod eo tempore homines humano generi multiplicando maxime incumbere debuerint, qua de cauſa diuturna ipſis vita ſervanda erat; igitur pariter eis licitus eſſe debuit eſus earum rerum, qui prolificationi magis eſſet accommodatus: talis autem proculdubio eſt carnium eſus, ut omnes Medici etiam admittunt; hancque rationem proferunt, quod unumquodque vivens, maxime ſimilibus nutriatur. Siquidem alimentum in id quod alitur, commutari debet: inter ſimilia vero facilior eſt tranſmutatio. Carnes autem animalium ſimiliores ſunt humano corpori, & convenientiores, quam natura plantarum; animalia enim cum ſint ſenſibilia, magis conveniunt cum hominibus quam plantæ. Inſuper cum humanum corpus mixtum ſit calido & humido, magis ei convenit alimentum eiſdem pollens virtutibus, eadem calidi & humidi temperatione donatum, qualia ſunt animalium corpora; plantæ enim vel nimio calore aut frigore, vel ſiccitate & humore abundant; ſubindeque humano corpori nutriendo & fovendo minus idoneæ cenſentur.

Præterea ſi Deus Adamo innocenti non conceſſiſſet facultatem veſcendi carnibus animalium, ſequeretur meliorem fuiſſe hominum ſortem poſt peccatum quam antea: habuiſſent enim ampliorem in illa auctoritatem, & dominium locupletius; ſiquidem illis nedum ad obſequium, ſed etiam ad cibum poterant uti, quod homini innocenti non fuiſſet liberum: abſurdum autem eſt credere meliorem fuiſſe conditionem lapſi, quam innocentis hominis: igitur &c.

Denique citra dubium eſt, ab hominibus ex Dei inſtituto ſacrificia illo tempore oblata: porro hoc uſitatum fuit ſemper in pleriſque ſacrificiis, ut victimæ oblatæ partem offerentes comederent, quod ex lege poſtea promulgata conſtat. Igitur &c.

Dices 1. Eſus carnium non potuit ante diluvium cenſeri licitus, niſi ex ſpeciali a Deo facta licentia: at nuſquam Deus id conceſſit: imo prohibuiſſe videtur cum aſſignavit hominibus in cibum, *Omnem herbam afferentem fructum ſuper terram, & univerſa ligna quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui*, nulla facta animalium & carnium eden-

edendarum licentia. Inſuper quod Deus tantum poſt diluvium conceſſit, illud antea fuiſſe licitum & conceſſum non eſt aſſerendum: ſed Deus tantum *edendas animalium carnes* poſt diluvium conceſſit. Probatur ex laudatis verbis: *Omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum, quaſi olera virentia tradidi vobis omnia:* acſi diceret juxta Lirani, Toſtati, & Carthuſiani commentaria: Quemadmodum in exordio mundi tradidi vobis in cibum omnia quæ naſcuntur; ita nunc, quia imminutæ ſunt plantarum virtutes, pleniorique cibo indigeris, victui veſtro deſtino & aſſigno animalia omnia vitæ veſtræ fovendæ apta.

Nego minorem: illa enim prior cibi taxatio non erat excluſiva alterius qui poſſet majorem ſuavitatem procreare; ſed tantum deſignatio illius, qui ad hominis victum neceſſarium & temperatum ſufficeret. Nec pariter poſterior, fuit nova indulgentia veſcendi carnibus; ſed explicatio neceſſitatis. Ante peccatum enim explicata eſt materia neceſſaria humani cibi in ſolis vegetalibus, poſt peccatum autem in animalibus. *Deinde*, non ut edendi carnes novam licentiam faceret Deus, illa protulit: ſed ut prohiberet ne ederentur cum ſanguine; ſubdit enim; *Excepto quod carnem cum ſanguine non comedetis &c.*

Dices 2. Uſus vini non fuit ante diluvium: ergo nec eſus carnium. Utramque partem ut certiſſimam ſupponit S. Hieronymus lib. 1. adverſus Jovinianum, ita ſcribens: *Ante diluvium quidem nec fuit eſus carnium, nec repudium uxorum, nec circumciſio, nec potus vini.*

Diſtinguo, non fuit eſus carnium, nec potus vini, immoderatus & illicitus concedo: licitus nego. S. autem Hieronymum non aliud voluiſſe exinde colligo, quod inferat. Illa pariter nobis modo non licere: prædictis enim verbis addit: *Poſtquam autem Chriſtus venit in fine temporum, & ω revolvit in α, & extremitatem retraxit ad principium, nec repudium nobis dare permittitur, nec circumcidimur, nec comedimus carnes, nec bibimus vinum, dicente Apoſtolo: bonum eſt vinum non bibere, & carnes non comedere. Vinum igitur cum carnibus poſt diluvium dedicatum eſt.* Quæ verba ſimpliciter intelligenda non ſunt de abſtinendo penitus ab omni uſu vini, cum illius modicum uſum ſuadeat Apoſtolus Timotheo propter ſtomachi debilitatem: ſed tantum de immoderato illius, carniumque uſu.

Dices 3. Earum rerum Deus Adamo uſum & eſum conceſſit, quæ erant in paradiſo: at in paradiſo duntaxat arbores extitiſſe refert Moſes, nulla facta mentione animalium: igitur fructuum, non vero carnium Deus uſum conceſſit.

Reſpondeo ad minorem, quod etſi Moſes in deſcriptione paradiſi, animalium non meminerit; inde non eſſe conſequens in paradiſo nulla extitiſſe animalia: non meminit herbarum & florum, ideo ne inferre licet in paradiſo nullos extitiſſe flores, qui viſum oblectarent, nullas herbas eſui pergratas? quod autem in paradiſo animalia etiam extiterint, apparet. 1. Ex ſerpente qui mulierem tentavit & ſeduxit.

2. Deus omnia animalia & volatilia cœli quæ creaverat, adduxit ad Adamum adhuc in paradiſo conſiſtentem, ut ſingulis eorum ſpeciebus nomen imponeret; veriſimile autem non eſt illa e remotis terræ partibus adducta fuiſſe, ut acceptis nominibus illuc ſeſe reciperent; imo rationi videtur conſentaneum ut ex ſingulis eorum ſpeciebus in paradiſo extantibus, aliqua individua coram Adamo convenirent nomen ſuæ naturæ ac ſpeciei conveniens acceptura.

3. Adamus dominatum & imperium obtinuit in univerſa animantia: qua autem ratione imperare potuiſſet animantibus longe diſſitis, & conſiſtentibus extra paradiſum, e quo niſi peccaſſet, non erat exturbandus? Idcirco autem Moſes mentionem ſpecialem fecit arborum, & fructuum, quia ſtatim expreſſurus erat interdictum de non comedendo fructu arboris ſcientiæ boni & mali. *His accedit* quod cum in paradiſo tanta fuerit plantarum fructuumque varietas, & ex eorum ſuavitate delectatio & ſalubritas, quæ ad manum facile occurrebant, potius eorum Moſes meminerit, quam eſus carnium, quæ non ita prompte poterant apparari. *Adde quod*, cum ex ſententia S. Juſtini martyris dici poſſit a Deo non creata bruta animantia, niſi maſculum unum & fœminam unam in qualibet ſpecie; mirum non eſt quod ea in hominis cibum initio diſtincte non aſſignaverit; quia nolebat illa mactari, donec in plura individua excreviſſent, tametſi etiam illa in hominis cibum deſtinaſſet.

Secunda noſtræ aſſertionis & ſententiæ pars colligitur ex eo quod abſtinentia a carnibus plurimum conducat ad compeſcendos effrænos concupiſcentiæ motus, & veſanas carnis illecebras, corporeoſque affectus voluntatis imperio ſubjiciendos. Unde merito præcipitur in jejuniis Eccleſiaſticis tanquam efficax medium agendæ pœnitentiæ, & conciliandæ divinæ miſericordiæ: veriſimile autem eſt homines ante-diluvianos, qui virtuti & pietati ſtudebant, id vivendi genus fuiſſe ſectatos, eoſque uſos alimento, quod ſectandæ virtuti magis congruebat; ac proinde rationi conſentaneum videtur, eos abſtinuiſſe ab animalium carnibus edendis. Unde ut ſcrupulum omnem tam Noe, quam ejus filiis ſubmoveret Deus, ſignificavit eis liberum eſſe, ac citra conſcientiam, animalium carnibus veſci.

Nolim tamen exiſtimes dictum illud, divinum fuiſſe præceptum, quo injungeretur hominibus animalium carnes in cibum aſſumere; indulgentia tantum, qua Dei benignitas conſulebat humanæ indigentiæ, & infirmitati, largiendo poſt diluvium, quo imminuta fuerat plantarum virtus, cibum quem humanæ vitæ fovendæ utiliorem & ſalubriorem eſſe noverat.

Etſi vero Deus liberum fecerit hominibus, maxime poſt-diluvianis, eſum carnium animalium; diſtricte tamen prohibuit ne ſangui-

guinem cum carne comederent; ait enim cap. 9. v. 3. *Omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum.... excepto quod carnem cum ſanguine non comedetis*. Non prohibet quidem ne ſanguis animalium ſundatur; alioqui quomodo ederentur? ſed interdicit crudelitatem ferinam, ne videlicet homo ad morem beſtiarum cruentas animalium carnes voraret: prævidebat enim fore gentes aliquas quæ immani feritate, minus homines, quam beſtias referentes, carnem crudam & calido cruore adhuc palpitantem vorarent.

Quadruplicem hujus interdicti expoſitionem producit Nicolaus Lyranus noſter: „ Exponitur, *inquit*, a Judæis *uno modo* „ ſic: *carnem cum ſanguine &c.* hoc eſt: „ membrum abſciſſum de animali vivo: quia „ iſtud videtur crudele & inhumanum. „ *Alio modo*, ut per hoc intelligatur pro„ hibitum ſtrangulatum, ſubmerſum, & per „ ſe mortuum: & hujuſmodi quod moritur „ abſque ſanguinis effuſione. *Tertio modo* „ intelligitur, ut per hoc intelligatur pro„ hibitus eſus ſanguinis ſeparatim a carne: „ ac ſi diceretur: *Carnem cum ſanguine &c.* „ Id eſt, licet eſus carnium ſit vobis con„ ceſſus; non tamen eſus ſanguinis. *Quarto* „ *modo* ſic exponitur Levitic. 17. Quod ſi „ quid acciperetur venatione, vel aucupio, „ prius deberet effundi ſanguis, quam co„ mederetur. Sed de his plenior ſermo erit in ſequentibus.

Hujus interdicti occaſione; docent Judæorum Magiſtri plurima fuiſſe tam Noe quam ejus filiis a Deo conſignata præcepta, unde

QUÆRITUR II.

Quot, & quæ fuerint vulgo dicta Noachidarum præcepta.

SEptem aſſignant Hebræi Doctores. I. De cultu extraneo vitando, hoc eſt, de fugienda omni idololatria. II. De ſanctificatione, & benedictione nominis divini, deque cavenda omni blaſphemia. III. De effuſione humani ſanguinis, ſeu vitando homicidio. IV. De non revelanda turpitudine, ſeu vitando concubitu illicito. V. De cavendo furto ac rapina. VI. De adminiſtrando judicio. VII. De membro animalis viventis non comedendo.

Afferunt autem ex iis ſeptem, ſex priora eſſe data Adamo ſuis ab ipſo conſignanda poſteris, ut docet Moſes Maimonidis filius in Halacha Melachim cap. 9. *Præcepta*, inquit, *accepit Adam primus de idololatria, de benedictione numinis, de effuſione ſanguinis, de revelatione nuditatum, de rapina, de judiciis.... Addit ipſi Noe de membro vivi animalis... Ita inveniuntur ſeptem præcepta & ſic fuit verbum uſque ad Abraham. Venit Abraham, & accepit præceptum ſupra iſta de circumciſione.*

Ipſi concinunt Thalmudiſtæ in Gemara Babylonica ad titulum *Vaubedrin cap. 7.* & in Bereſith, Rabba. Quibus ſubſcribit Illuſtriſſ. Gilbertus Genebrardus Archiepiſcopus Aquenſis litteris Hebraicis apprime eruditus, qui libro 1. Chronologiæ ad annum mundi 1656. ſcribit: *Septem præcepta dantur, quæ Hebræi partim præcepta filiorum Noe: partim præcepta naturæ appellant, & obligare etiam Gentiles ſcribunt: iſto ordine. I. Non colere idola. II. Benedicere Deum. III. Servare jus publicum. IV. cavere ab inceſtu, alioque nefando concubitu. V. Non fundere humanum ſanguinem. VI. Non rapere. VII. Non tollere membrum de animali viventi.*

Hæc autem ſeptem præcepta egregie expendit & exponit perdoctus Joannes Seldenus in libro quem ſcripſit de jure Naturali & Gentium juxta diſciplinam Hebræorum; ubi docet præſertim, *lib. 3. cap. 5.* ab Iſraelitis ad horum præceptorum obſervantiam adſtrictos eſſe Proſelytos domicilii, & mercenarios; non vero Proſelytos juſtitiæ.

Triplex enim genus erat Proſelytorum. Primum eorum qui dicebantur *Proſelyti juſtitiæ*, qui videlicet zelo colendi veri Numinis, Judaico more Moſis legem profitebantur; & ſuſcepta circumciſione Hebraico populo accenſebantur. *Proſelyti domicilii*, vocabantur illi qui ex Gentibus ad Iſraelitas confugientes, cum eis perpetuo commorari peroptabant. *Proſelyti* vero *Mercenarii* dicebantur illi mechanici peregrini, qui patria relicta, inter Judæos habitabant, artis mechanicæ addiſcendæ, au exercendæ cauſa; qui licet eſſent mercenarii, nihilominus quodammodo Proſelyti cenſebantur, quia illis a Judæis leges & conditiones erant præſcriptæ, quibus ſervatis illi tuto in Palæſtina habitare, atque operam ſuam Iſraelitis locare poterant.

Hujus autem triplicis Proſelytorum generis diſtinctionem profert Moſes, Exodi 12. v. 44. & 45. ubi agens de Paſchate comedendo, *Omnis*, inquit, *alienigena non comedet ex eo: omnis autem ſervus emptitius circumcidetur*, id eſt, fiet Proſelytus juſtitiæ, *& ſic comedet: advena*, hoc eſt, Proſelytus domicilii, *& mercenarius non edeat ex eo.*

Unde Maimonides in *Halach Menakin, cap. 12.* dicit Proſelytum juſtitiæ adſtrictum eſſe obſervationi univerſæ legis; alios vero Proſelytos, ſicut & Gentiles, reos eſſe mortis, ſi Moſaicam legem obſervarent; eis quippe tantum obſervanda erant ſeptem præcepta Noachidarum, ſeu omnibus hominibus communia: quod etiam præſcribit Gemara Babylonica ad titulum Sanhedrin, cap. 7. ubi dicitur: *Legem præcepit nobis Moſes in hæreditatem: nobis eſt hæreditas; non Gentilibus; quibus meditandum eſt de præceptis ſuis ſeptem.*

Horum autem ſeptem, aut ſaltem ſex priorum præceptorum obſervantiæ ſpecimen nobis

nobis præbet Jobus, vir ſimplex ac rectus, timens Deum, & abſtinens a malo; nam, inquir Seldenus, præter plurima pietaris atque humanitaris officia declarat ſe præſertim caviſſe. I. A cultu eatraneo, cap. 31. v. 26. *Si vidi Solem cum fulgeret, & Lunam incedentem clare: & lætatum eſt in abſcondito cor meum, & oſculatus ſum manum meam ore meo. Quæ eſt iuiquitas maxima, & negatio contra Deum altiſſimum,* ſolebant enim idololatræ manum verſus numen ſuum eatendere & eam deinde oſculari, ut refert Minucius fœlia &c.

II. A blaſphemia, cap. 1. v. 5. *Cumque in Orbem tranſiſſent dies convivii, mittebat ad eos Job, & ſanctificabat illos, conſurgenſque diluculo offerebat holocauſta pro ſingulis. Dicebat enim: ne forte peccaverint filii mei, & benedixerint Deo in cordibus ſuis.*

III. Ab homicidio, cap. 31. 29. *Si gaviſus ſum ad ruinam ejus, qui me oderat, & exultavi quod inveniſſet eum malum. Non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expeterem maledicens animam ejus.*

IV. Ab adulterio ibidem v. 9. *Si deceptum eſt cor meum ſuper muliere, etſi ad oſtium amici mei inſidiatus ſum: Scortum alterius ſit uxor mea; & ſuper illam incurveutur alii. Hoc enim nefas eſt, & iniquitas maxima.* Similia habet, cap. 24.

V. A furto, cap. 24. v. 3. *Alii terminos tranſtulerunt, diripuerunt greges, & paverunt eos. Aſinum pupillorum abegerunt, & abſtulerunt pro pignore bovem viduæ &c.* & cap. 31. v. 7. *Si declinavit greſſus meus de via, & ſi ſecutum eſt oculos meos cor meum, etſi manibus meis adhæſit macula. Seram, & alius comedat, & progenies mea eradicetur.*

VI. De judiciis agit, *cap.* 27. ubi egregie deſcribit qualiter ad portam civitatis ſederit ut judex, & liberaverit pauperem vociferantem, & pupillum cui non erat adjutor. Ex quibus omnibus apparet ipſum fuiſſe Noachidarum præceptorum obſarvantiſſimum.

QUÆRITUR III.

Qua de cauſa Deus interdixerit eſum ſanguinis.

PRohibitum ſanguinis eſum legimos in triplici hominum ſtatu, nimirum ſub lege Naturali, Moſaica, & Evangelica: in Naturali qoidem, verbis ſupra laudatis, quibus Deus indulget hominibus veſci animalium carnibus, *Excepto quod carnem cum ſanguine non comedant*. In lege Moſaica, multis quidem in locis: ſed præſertim *Levitici, cap.* 17. In Evangelica vero *Act.* 15. in celebri videlicet illa Apoſtolorum Synodo, in qua decreverunt ſuggerente divino Spiritu, ut fideles abſtinerent, *Ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato &c.*

Hujus autem prohibitionis duplicem cauſam profert Moſes capite Levitici non laudato, vice Dei dicens: *Homo quilibet de domo Iſrael, & de advenis qui peregrinantur inter eos, ſi comederit ſanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, & diſperdam eam de populo ſuo, quia anima carnis in ſanguine eſt: & ego dedi illum vobis, ut ſuper altare expietis pro animabus veſtris, & ſanguis pro anima piaculo ſit.... homo quicumque de filiis Iſrael, & de advenis qui peregrinantur apud nos, ſi venatione atque aucupio ceperit feram, vel avem, quibus veſci licitum eſt, fundat ſanguinem ejus, & operiat illum terra.* Quibus verbis duæ prohibiti eſus ſanguinis aſſignantur cauſæ. Prima *quia anima carnis in ſanguine eſt*: hoc eſt, animalis vita præcipue conſiſtit in ſanguine, quod etiam docet Ariſtoteles triplici ratione. 1. Quia, inquit, animalis vita conſiſtit in temperamento calidi & humidi: talis autem maxime eſt ſanguis. 2. Vita conſiſtere non poteſt ſine alimento; ultimum vero alimentum ſanguis eſt. 3. Spiritus vitales, quibus maxime vita fovetur, præſertim ea ſanguine formantur, in ipſoque reſident; imo ſunt ipſæ tenuiores, puriores, ac ferventiores ſanguinis partes.

Idcirco autem vetat Deus edere ſanguinem animalis, quia comedere ſanguinem, idem videtur eſſe, ac comedere ipſum animal vivum, quod utique inhumanum eſſet & omnino ferinum.

Alteram profert rationem, quod ſanguis animalium ſuper altare deberet effundi pro eapiatione criminum; cum enim propter admiſſa ab hominibus crimina, eorum vita profundi deberet, ac Deo litari, Deus ea clementia ſimul & juſtitia indulſit, ut ſalva hominum vita, mactarentur animalia, & in criminum expiationem eorum ſanguis circa altare funderetur: Unde S. Chryſoſtomus, *Carnem*, inquit, *animalium indulſit homini, quod id pertineret ad ejus utilitatem: ſanguinem autem ſibi reſervavit in ſacrificiis immolandum.*

His tertia adjicitur ratio, nempe ut ab humano ſanguine fundendo magis præcaverent homines ſanguine. Scopus enim Dei in iſtis & ſequentibus verbis, alius non eſt qoam ut diſtincte homicidium interdicat; quamobrem ſubjicit: *Quicumque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus eſt homo.* Timendum autem erat ne homines brutorum ſanguinis edulio aſſueti etiam humanum eapeterent. Sed de his plura in Levitico.

DE IRIDE.

Alterum ſuæ erga homines benignitatis ac benevolentiæ ſignum præbuit Deus, dicens: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me & inter terram &c.* Nomine autem *arcus*, iridem denotat Deus quod ad arcus ſimilitudinem curvata ſit; *Suum* vero appellat, propter eximiam illius iridis pulchritudinem, quam commendat Ec-

cleſiaſticus, cap. 43. his verbis; *Vide arcum & benedic eum qui fecit illum: valde ſpecioſus eſt in ſplendore ſuo: gyravit Cœlum in circuitu gloriæ ſuæ; manus Excelſi aperuerunt illum.*

Hanc autem iridem voluit Deus ſignum eſſe firmiſſimæ ſuæ ſponſionis, quod nuſquam deinceps ſimili vindicta, qualis apparuerat in diluvio, hominum vitia eſſet ulturus.

Iris eſt nubes roſcida, polita & denſa, quæ ſolares radios in eam incidentes multiplici colorum varietate reverberat.

Unde quatuor ad eam efficiendam, requiruntur: ſcilicet ut nubes ſit. 1. Æqualis 2. Partim opaca ſeu denſa, partim tenuis & conſpicua. 3. Continua, & ad orbicularitatem deflexa. 4. Radiis ſolaribus expoſita & oppoſita. Eſt autem communis auctorum ſententia illam quidem ante diluvium ſæpius apparuiſſe, ſed novam ſignificandi rationem hic a Deo illi fuiſſe adjunctam: nam, inquiunt, veriſimile non eſt, per ſexcentos & mille annos, nuſquam pluvioſam & roridam nubem ſoli fuiſſe adverſam & oppoſitam.

Verum ut illis non ſubſcribam, efficiunt hæ rationes. I. Ex Moſis recenſione apparet iridem antea non extitiſſe. id enim indicant hæc Dei ad Noe verba: *Arcum meum ponam in nubibus: cum obduxero nubibus Cœlum apparebit arcus meus &c.* Verba enim *ponam*, & *apparebit*, ſignificant rem, non quæ extiterit, aut quæ extet; ſed quæ extabit. Quo ſenſu eandem vocem *ponam* ſæpiſſime uſurpat Deus in Scriptura ſacra, maxime Pſalmo 88. ubi de venturo Meſſia, Deus ait v. 26. *Ponam in mari manum ejus &c.* v. 28. *Primogenitum ponam illum &c.* v. 30. *Ponam in ſæculum ſæculi ſemen ejus &c.* Quæ certe non de præſenti, & de extante Meſſia; ſed de futuro prænuntiata eſſe nullus eſt qui dubitet. Quidni igitur eodem ſenſu accipienda ſint illa, *Ponam arcum meum &c.*

II. Iris illa ſignum erat novi initi fœderis Deum inter & homines, ut manifeſtum ſit ex Dei ad Noe verbis: *Hoc erit ſignum fœderis quod do inter me & vos.... Arcum meum ponam &c. Apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiſcum &c.* Porro novum fœdus novum requirebat ſignum ut eſſet veluti ſacramentum fœderale: ſic circumciſio ante non frequentata, ſignum fuit initi fœderis & pacti Deum inter & Abrahamum, ejuſque poſteros.

III. Idcirco Deus ſpondet ſe poſiturum arcum ſuum, ſeu iridem in nubibus, ut certi eſſent homines ab ipſo impoſterum exitiale diluvium non eſſe immittendum; utque hac ſponſione mœſtum adhuc ac trementem Noe, ejuſque familiæ animum ſolaretur: at qua ratione illi potuiſſent eſſe de iſta divina ſponſione ſecuri, ſi ſignum hoc in fœderis teſſeram aſſumptum ante in nubibus conſpexiſſent? Nonne liberum ipſis erat dicere, tam ſæpe iridem vidimus, qua licet exiſtente, diluvium univerſale contigit: quidni Deus iterum in humanum genus iratus, illud generali illuvione adhuc extinguet?

IV. Iris naturaliter portendit pluviam; igitur tantum abeſt ut hoc ſigno conſpecto ſecuri fuiſſent homines a futuro diluvio, ſi hoc ſignum jam extitiſſet; imo habuiſſent unde exitiales cataclyſmi pluvias iterum pertimeſcerent; igitur argumentum eſt ſignum hoc antea non fuiſſe viſum.

At, inquies, I. A mundo condito ad diluvium uſque nubes rorida ac pluvioſa potuit perſæpe ſoli obverſari: igitur & iris apparere.

II. Poſt abſolutam per ſex dies mundi geneſim, nullam novam rerum ſpeciem Deus produxit; ut ſupra probatum eſt: igitur nec iridem: ac proinde illa ante diluvium extabat. III. Deus non dixit *creabo*; ſed *arcum meum ponam &c.* nihil autem ponitur niſi jam extet: igitur iris erat antea.

Reſpondeo, ad. I. Id quidem fieri potuiſſe: quod autem factum fuerit, unde conſtabit? revera a facto ad poſſe valet conſequentia: at poſſe ad factum eſſe, non ita; maxime in re de qua agitur, cum perſæpe nubes pluvioſæ obverſentur Soli abſque iride.

Ad II. Dico, iridem non eſſe novam creaturam ſpecie ab aliis diſtinctam; ſed novum Solis, & nubium ſolares radios reverberantium effectum, quales ſunt alii diverſi colores, qui in nubibus cernuntur.

Ad III. Retorqueo argumentum: ſi iris erat antea, maxime in nubibus: igitur in eis non erat ponenda; nihil enim dicitur alicubi poni, ubi jam extabat. *Addo* vocem *ponam*, hic idem ſignificare, ac efficiam, eodem videlicet ſenſu quo 1. cap. v. 17. Deus dicitur poſuiſſe duo luminaria in firmamento, hoc eſt, illa in eo formaſſe; neque enim ea formavit extra cœlos: ſicut nec iris extra nubes efficitur.

Ex iis conficitur iridem non eſſe ſignum naturale nuſquam deinceps futuri diluvii, quippe cum illa pluviarum ſit prænuntia, denotat enim copiam nubium jam ex parte liqueſcentium. Eſt igitur duntaxat ſignum arbitrarium, ex beneplacito Dei, qui plerumque ad finem obtinendum adhibet media. quæ naturaliter videntur contraria. Habet igitur duplicem ſignificationem, naturalem unam, imminentis pluviæ: alteram ſiccitatis, ex conſtitutione Dei.

Idcirco autem iridem præ cæteris elegit in ſignum nuſquam futuri diluvii, eo quod in rerum natura nullus eſſet pulchrior ſublimiorque effectus, utpote quæ exorta vario ſuo colore ac ſplendore omnium in ſe oculos & admirationem rapiat. Unde Eccleſiaſticus 43. 12. *Vide arcum, & benedic eum qui fecit illum: valde ſpecioſus eſt in ſplendore ſuo &c.* Juxta autem diverſam ſuam conſtitutionem diverſa portendit; nam ut appoſite notat Seneca lib. 1. Quæſtionum naturalium, cap. 6. *Arcus non eaſdem, undecumque apparuerit, minas affert: a meridie ortus magnam vim aquarum vehet; vinci enim non poterunt vehementiſſimo Sole, tantum eſt illius virium: ſi circa occaſum, tonabit & leviter implet: ſi ab ortu circave ſurrexerit, ſerena portendit.*

Ha-

Habet etiam iris myſticam ſignificationem: nam, ut notat S. Gregorius homilia 8. in Ezechielem: „ In arcu cœleſti, ait, color „ aquæ & ignis ſimul oſtenditur: partim „ enim cœruleus eſt, partim rubicundus, „ ut utriuſque judicii teſtis ſit, unius videlicet faciendi, & alterius jam facti, nec „ amplius faciendi. Siquidem mundus in „ finem igni judicii cremabitur, qui diluvii „ aqua olim deletus eſt. Declarat quoque „ cœleſtis arcus baptiſmum Chriſti, qui fit „ per aquam & ignem, id eſt, Spiritum-Sanctum, inſtar ignis, intima cordium „ purificantem, & vitia conſumentem, ſecundum illud Domini; Niſi quis renatus „ fuerit ex aqua & Spiritu-Sancto &c. Qui „ arcus in nube apparet, qua Salvatoris „ noſtri caro ſignatur: ſiquidem virtus ejus „ in dominica Incarnatione, & in effuſione prædicationis oſtenditur, ut ad veniam „ corda credentium, Domino parcente, revocentur.

His expoſitis, ſubdit Moſes ea quæ Noe geſſit poſt egreſſum ex arca, & qualiter ab ejus filiis propagatum ac multiplicatum fuerit humanum genus: *Erant ergo*, inquit, *filii Noe qui egreſſi ſunt in arca Sem, Cham, & Japhet.... tres iſti filii ſunt Noe, & ab iis diſſeminatum eſt omne genus hominum ſuper univerſam terram*: quorum verborum occaſione

QUÆRITUR IV.

Utrum Noe poſt diluvium filios genuerit.

ID affirmant nonnulli cum Beroſo Anniano dicente a Noe cumplures filios genitos poſt diluvium, eoſque Gigantes, quos ex nomine uxoris *Tithaam* appellatæ *Titanas* nominavit. Hanc vero ſuam affirmationem probat ex eo quod Noe una cum filiis mandatum acceperit a Deo multiplicandi humani generis; ad quod utique munus implendum, viribus adhuc pollebat Noe, utpote qui poſt diluvium adhuc trecentis & quinquaginta annis vixerit. In eam pariter ſententiam propendet Cajetanus, aitque idcirco tres tantum filios Noe memoratos, quod illi ſoli cum patre de arca fuerint egreſſi, atque humani generis reſtaurationi & multiplicationi operam primi navaverint.

Etſi vero ſententia hæc ſua probabilitate non careat, nihilominus in oppoſitam eo facilius deſcendo, quod veroſimile non ſit Moſem alios Noe filios prætermiſſurum, ſi revera genuiſſet: maxime cum eorum Patriarcharum, qui Noe anteceſſerunt, univerſum vitæ tempus deſcribens, adiicere fuerit ſolitus: *Genuit filios & filias*; ſic de Adamo: *facti ſunt dies Adæ poſtquam genuit Seth, octingenti anni, genuitque filios & filias*: idemque dixit de aliis omnibus qui ab Adamo ad diluvium uſque ab eo memorantur: recenſens vero omnes annos quos vixit Noe clauſulam illam *genuit filios & filias*, non adiicit; nempe quia id verum non erat.

Accedit in confirmationem, quod a memoratis tribus filiis Noe aſſerat Moſes propagatum ac diſſeminatum eſſe humanum genus: porro ſi præter illos tres, alii filii Noe extitiſſent, non minus illis, quam tribus prænominatis tribuenda eſſet humani generis reſtauratio, & multiplicatio, neque enim credibile eſt, eos omnes fuiſſe ſteriles & eorum prolem omnino defeciſſe. Adde quod Noe poſt diluvium, natus jam fuerit ſexcentos annos, quæ ætas jam erat effœta, nec videbatur ad generandum idonea; præſertim tot tantiſque ærumnis ac calamitatibus exagitata. Unde trecenti illi anni quos deinde vixit, erant ſenectuti deputandi: ſiquidem in vita prope mille annorum, ad minus trecenti ſenectuti ſunt adjudicandi.

Hic pariter obſervandum venit tam Noe quam ejus filios per integrum annum in arca recluſos, nulloſque procreaſſe liberos, abſtinuiſſe ab opere conjugali; ſiquidem non plures ex arca egreſſi ſunt, quam fuerant ingreſſi. Temperarunt autem ab opere conjugali, quod præſentiſſimum haberent formidabile Dei in homines voluptati deditos, judicium.

Addit Moſes: *Cœpitque Noe vir agricola exercere terram, & plantavit vineam: bibenſque vinum, inebriatus eſt*. Hinc

QUÆRITUR V.

Unde Noe vites habere potuit, quas plantaret, & coleret.

CErtum enim eſt immediate poſt diluvium, neque vites, neque fructiferas alias arbores Noe habere potuiſſe, cum omnia limoſo ſedimento recedentibus aquis ſepulta ſqualerent. Sunt qui exiſtimant præcipuarum fructiferarum arborum ſurculos cum radicibus & adjacente terra in arcam a Noe deportatos, eoſque integros ac ſalvos per annum excultos; nimirum ut exacto diluvio, eos terræ infereret. At cum hæc ſententia nullo ſolido & legitimo fundamento nitatur, ut ſine ratione profertur, ita cum ratione reiicitur.

Veriſimilius igitur dicendum arbitror, vites ſicut & alias arbores fructiferas a mundi primordio extitiſſe; rerum enim natura ab earum conditore conſtituta, ſemper eadem & immutabilis perſtitit, & ad ultimam conſummationem perſeveratura eſt.

Itaque ſicut ab initio Deus homini ad vitam fovendam neceſſaria alimenta ſubminiſtravit; ad eſcam quidem, non ſolum arbo-

rum

rum fructus, & plantarum vires; ſed & frumentum, quo panis conficeretur, ot ipſemet Adamo reo & pœnitenti indicavit Geneſis 3. *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo;* ſic & ad potum, nedum aquam naturalem ſed etiam vinum ex vitium uvis exprimendum, atque etiam alios liquores ex pomorum, pirorum, ſimiliumque fructuum expreſſione providere dignatus eſt.

Neque enim veriſimile eſt ante-dilovianos homines per ſexcentos ſupra mille annos ſolius aquæ naturali potu vixiſſe; ſed exiſtimandum potius eos etiam ſuccis ex variis fructibus expreſſis, potum ſibi conſeciſſe. Cum enim illi fuerint longæviores, & ſolertiores, quam eorum poſteri; non minus cautiores fuerunt ad ea excogitanda, & exequenda, quæ ad ipſorum vitam ſervandam & jucundius traducendam poterant conducere, cujus generis eſt vinum, aliique ex fructibus expreſſi liquores.

Teſtatur Chriſtus Dominus Matthæi 24. v. 37. & Lucæ 17. v. 27. homines ante-diluvianos deliciis & conviviis indulgere ſolitos, *Sicut*, inquit, *In diebus Noe, ita erit & adventus filii hominis: ſicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes & bibentes nubentes, & nuptui tradentes, uſque ad eum diem quo intravit Noe in arcam &c.* Itaque homines illi agebant convivia ſolemnia, quis autem ſibi perſuadeat eos ſolo fructuum, herbarumque eſu, aur ſolo aquæ potu celebria hæc ſimpoſiorum feſta peregiſſe? igitur quemadmodum tunc temporis veriſimile eſt ab hominibus ex collecto, & in ſimilem molito frumento confectum fuiſſe panem, quo cibarentur; ita etiam ab eiſdem vinum ex vite expreſſum, ſibique ad potum comparatum eſſe, nemini dubium videri debet.

Erant itaque ante diluvium vineæ, quæ, cum ſicut & aliæ arbores frutices, herbæ, & plantæ ex divina benedictione eſſloreſcerent; Noe, ipſis peculiarem curam impendit: niſi enim vineæ colantur, degenerant in labruſcas, & uvæ in omphaces. Itaque Noe vineas coluit, liquorem expreſſit, confecitque vinum, cujus ſuavitate allectus, dum nimium potaret, inebriatus eſt.

QUÆRITUR VI.

Utrum culpanda ſit Noe ebrietas.

Mirari ſubit, cur hanc unicam in homine, aliunde ſanctiſſimo, ebrietatis noxam, æterno propterea ſilentio conſignandam, poſteritati perpetuo memorandam ſcriptis mandare voluerit Moſes. At id multiplici de cauſa præſtitit. *Primo* quidem ut oſtenderet ſuam in ſcribendo ſinceritatem, & veritatem, dum nihil ſuis etiam in Patriarchis diſſimulat: ſed eorum & lapſus, & virtutes ingenue recenſet.

Deinde, ut id documentum eſſet aliis; ſi enim Sanctiſſ. Patriarcha, inſignis frugalitatis & temperantiæ exemplar, turpem ac pudendum in modum ſui oblitus, & in ebrietatem lapſus, nudum ſe in terram projecit ita ut pateret filii ſui Chami ludibrio: quanto majori ſtudio colenda nobis eſt ſobrietas ne quid ſimile, vel etiam deterius contingat?

Itaque *non propter invidiam* (ait in hanc hiſtoriam S. Chryſoſt.) *Juſtorum virtutes præterit, neque propter gratiam peccata adumbrat, ſed omnia in medium nobis proponit, ut præſcripta & doctrinas quaſdam habeamus; ut ſi quando etiam nos per ſocordiam in id vitii inciderimus, cautiores ſimus poſtea: & denuo non incidamus.*

Tandem id notare voluit Moſes, non tam ut commemoraret ebrietatem Noe, quam primam originem damnationis gentis Chananeæ; contumeliam videlicet patris eorum *Cham*, qua patrem ſuum Noe turpiter affecit; dum eum, propter ebrietatem nudatis pudendis jacentem, deſpectui & irriſioni habuit.

Utrum vero graviter peccaverit Noe ex intemperata illa vini potatione, diverſi diverſa ſentiunt. Plurimi quidem exiſtimant inculpatam fuiſſe prorſus illam ebrietatem, quod vini vim ignoraſſet, ut pote qui ſolo aquæ potu antea fuiſſet uſus: *Ab inexperientia* (inquit Theodoretus quæſt. 65 in Geneſim (*profecto ebrietas Noe, non ab intemperantia: nam ille primus hominum compreſſit uvis, ignorans non ſolum quantum eſſet bibendum; ſed etiam quomodo, nempe aqua temperatum, incidit in ebrietatem:* unde colligit ebrietatem illam non eſſe Noe vitio vertendam, quod incautus; & vini vim inexpertus, in eam fuerit lapſus.

Verum quam frigida ſit hæc ratio, apparet, ex dictis, quibus conſtat, & vites, & vinum hominibus ante-diluvianis fuiſſe in uſu. Inſuper qui vineam præ cæteris arboribus & plantis refertur coluiſſe, non potuit eſſe omnino inexpertus ſuavitatis, & efficaciæ fructus illius; quorſum enim ſuam huic plantæ, potiuſquam cæteris operam navaſſet?

Itaque par eſt credere, Noe compertam quidem fuiſſe vini ſuavitatem & efficaciam; ſed forte ipſum eſſe deceptum in eo recenti vino quod liberius potavit ad leniendas laboris, & mœroris anguſtias, cujus vim nondum ſatis habebat exploratam. Cum enim vina ſint alia aliis generoſiora, fuiſque vaporibus igneis ad ebrietatem magis conducentia, forte majorum virium, quam credebat Noe, fuit illud quo uſus eſt. Idque colligere licet ex eo quod terra, durante diluvio marinis ſimul ac fluvialibus aquis inundata, ac nitroſo limo ſupertecta, & magis fœcundata, vim etiam majorem germinandi obtinuerit; ac propterea anno ſequenti, non ſolum fructus in majori copia, ſed etiam amplioris virtutis & efficaciæ ediderit. Proinde decipi potuit Noe, potando vinum eadem menſura, & quantitate qua prius; quod exiſtimaret illud non eſſe ma-

gis

Digitized by Google

gis, quam antea fervidum & vaporiferum.

At licet ea ex parte excuſabilis veniat Noachi ebrietas; non arbitror tamen eam omni culpa carere, ex eo quod ille potius ſuavitate allectus, paulo liberius eum ſumpſerit, cujus ſane vim ſofficienter non habebat exploratam. Unde etiam Deus hanc probri maculam perpetuam ei ineſſe voluit, ut ejus ebrietas ſacris eſſet inſcripta literis; quatenus illius poſteris fieret nota; omnibuſque retro ſæculis compertum eſſet qualiter vir tantus pudendum in modum, ſui oblitus, proſtratus fuerit humi, fœdiſſima corporis nuditate omniom oculis expoſitus, & proprio filio in ludibrium factus.

Refert enim Moſes: *Quod cum vidiſſet Cham pater Chanaan, verenda ſcilicet patris ſui eſſe nudata, nunciavit duobus fratribus ſuis foras. At vero Sem & Japhet, pallium impoſuerunt humeris ſuis, & incedentes retrorſum, operuerunt verenda patris ſui; facieſque eorum averſæ erant, & patris virilia non viderunt. Evigilans autem Noe ex vino, cum didiciſſet, quæ fecerat ei filius ſuus minor, ait, Maledictus Chanaan &c.*

Petes. 1. Qua ratione hanc injuriam ſibi a filio Chamo irrogatam cognoverit Noe?

Exiſtimant aliqui id fuiſſe illi inſinuatum a Japheto & Semo: at non arbitror viros illos ſanctiſſimos data opera id patri renunciaſſe, ut fratrem onerarent, & accuſatione ſua iram patris in eum excitarent; hoc enim charitati fraternæ penitus adverſatur. Inſuper illa accuſatio, eorum patri fuiſſet in contumeliam & probrum; ei videlicet exponendo ſtatum inverecundum in quo jacuerat.

Itaque veriſimilius exiſtimo, quod cum Noaeus expergefactus vidiſſet ſe alieno pallio coopertum, inquiſitione facta, comperit quinam illud officium ipſi exhibuiſſent; illi vero paternis interrogationibus oppreſſi, celare non potuerunt cauſam cur in ejus tabernaculum ingreſſi, ipſius nuditatem contexiſſent. Quinetiam fieri potuit quod impius ille Cham, ipſam patris infirmitatem inter famulos divulgaverit, a quibus Noe rem geſtam didicerit.

Petes 2. Cur Noe in filium Chamum exacerbatus, ab eo tamen maledicendo abſtinuerit, & ſeveritatem pœnæ, qua ille dignus erat, in nepotem ſuum, nempe Chanaan ſtrinxerit?

Reſpondent. I. Hebræi, Chanaan idcirco fulminatum, quod ipſe primus omnium, Noe nuditatem & turpitudinem viderit, ac irriſerit, & patri ſuo Cham nuntiaverit; quod reſciens Noe, in ipſum, ut in contumeliæ præcipuum auctorem excanduerit.

II. S. Chryſoſtomus hunc nodum ſolvit dicendo Noe Chamo non maledixiſſe, quod in egreſſu ab arca fuiſſet cum aliis a Deo benedictus. *Ne eum*, inquit, *cui Deus ſemel benedixerat, videretur maledicto proſcindere, ipſum quidem contumeliæ auctorem præterit; cæterum maledictionem in filium derivat.*

Adjiciunt aliqui maledictionem in Chamum non fuiſſe fulminatam, ne tota ejus poſteritas diris eſſet devota: Chamus enim præter Chanaan tres adhuc habuit filios nimirum *Chus*, *Meſraim*, & *Phut*, nedum diverſarum familiarum, ſed etiam Gentium capita: Chanum autem potius quam alios maledicto feriit, quod omnium fratrum eſſet peſſimus.

IV. Solidiorem exiſtimo ſententiam S. Auguſtini [a], & Theodoreti [b] dicentium, præfatis Noachi verbis, non tam imprecationem, quam prædictionem futurorum denotari; nempe Chami per Chanaanem poſteros tum propter ſua, tum ſuorum ob Majorum crimina, divinæ interminationi ſubjiciendos, & e ſua regione deturbandos per Semi ſucceſſores; nimirum Iſraelitas. *Quæritur* (inquit S. Auguſtinus) *cum peccans Cham in patris offenſa, non in ſe ipſo, ſed in filio Chanaan, maledicitur? niſi prophetatum eſt terram Chanaam, ejectis Chananæis inde & debellatis, accepturos eſſe filios Iſrael, qui veniunt de ſemine Sem.* Similia pene hic habet Theodoretus. Hanc autem prophetiam idcirco hic recenſet Moſes, ut Iſraelitis ſpem & animum adderet jamjam adeſſe tempus quo Chananæi poſteris Semi ſoccumberent.

[a] Quæſt. 17. in Geneſ.
[b] Quæſt. 58.

Obſervandum autem eſt in hac Noemi in Chanaam fulminatione primum deſignari ſervitutem in homines invectam, his verbis: *Sit Chanaan ſervus Sem:* nam inquit S. Chryſoſtomus [c], *ante non ita molliter homines ſolebant deliciari, & aliorum miniſteriis indigere: ſed quiſque ſibi miniſtrabat, eratque par omnium honor. Peccatum autem ubi intravit, libertatem perdidit, & corrupit poteſtatem naturæ datam: ſervitutemque introduxit: ut continua ſit doctrix & monitrix humanæ naturæ, ut fugiamus ſervitutem peccati, & ad virtutis libertatem redeamus. Hinc enim ſi volunt & Dominus, & ſervus continuam habent utilitatem. Cogitet itaque ſervus, ideo ſervitutem incœpiſſe, quod Cham in tantam pervenerit temeritatem. Et Dominus quoque cogitet, quod non aliunde ſubjectio & ſervitus cœperint, quam quod ille perverſam habuerit voluntatem, & a pari fratrum dignitate exciderit.*

[c] Homil. 29. in Geneſ.

Poſt maledictionem fulminatam in Chami poſteros addit Noe: *Benedictus Dominus Deus Sem, ſitque Chanaam ſervus ejus. Dilatet Deus Japhet, & habitet in tabernaculis Sem.* Quæ poſtrema verba non levem Interpretibus crucem inſerunt: qui enim fieri poteſt ut Japheth habitaverit in tabernaculis Semi, cum ejus poſteri partem mundi ſeptentrionalem occupaverint, longe ab Aſſyria & Palæſtina, quam a Semo prognati filii & nepotes incoluerunt?

Hunc nodum ut ſolvant aliqui, reponunt verba iſta *habitet &c.* intelligenda eſſe de perſona Japheti, ejuſque filiis, qui ante confuſionem linguarum, cum unius eſſent moris & probitatis, cum Semo ejuſque filiis, unanimiter agebant, & habitabant. Cham vero cum ſuis nonnihil remota a ſuis fratribus habebat Tabernacula.

Verum hoc divinare, & a ſenſu Scripturæ ſacræ alienum eſt; iſta namque Noe in Semum & Japhetum benedictio, nedum

eo-

eorum perſonas, & præſentem familiam ſpectabat: ſed & ſeros eorum nepotes, univerſamque progeniem; ſicut intelligitur Jacobi ſuos erga filios benedictio.

Itaque veriſimilius dicendum exiſtimo, verbis iſtis ad literam prænunciari aliquando Iſraelitas Semi poſteros eiiciendos eſſe ſuis e tabernaculis, & Japheti nepotes in illa introducendos: quod utique impletum fuit, dum pulſis e ſua patria Judæis, Romani & Europæi, Japheti progenies, eam occuparunt: quod etiam nunc fit a noſtris Franciſcanis. Poteſt etiam adiici verba illa myſtice eſſe intelligenda: nimirum ut illa Semi *Tabernacula* ſignificent Eccleſiam, & fidelium cœtum, ut Zachariæ 12. v. 7. Malachiæ 11. v. 12. & Apocalypſis 2. v. 3. atque futuram Gentilium maxime ex Japheto oriundorum converſionem ad Chriſtum: hi namque una cum Iſraelitis a Semo prognatis in idem Eccleſiæ tabernaculum erant recipiendi, eandemque fidem Evangelicam profeſſuri. Sic præfatum oraculum exponit S. Hieronymus in quæſt. ſive Traditionibus Hebraicis: *De Sem*, inquit, *Hebræi: de Japhet populus Gentium naſcitur. Quia igitur lata eſt multitudo credentium, a* LATITUDINE *quæ Japhet dicitur.* LATITUDO *nomen accepit. Quod autem ait*, ET HABITET IN TABERNACULIS SEM, *de nobis prophetatur, qui in eruditione & ſcientia Scripturarum, ejecto Iſrael, verſamur.*

At, inquies, etiam ex Chami poſteris plurimi ad Eccleſiam & Chriſti fidem acceſſerunt, ut conſtat ex Ægyptiis, & Africanis apud quos numeroſiſſimi fuerunt fideles, plurimæque percelebres Eccleſiæ.

Id quidem admitto: ſed cum a majori parte fieri debeat denominatio, multoque plures ex Japheti, quam ex Chami poſteris in Eccleſiæ ſinum fuerint admiſſi; eamobrem illa benedictio magis in Japhetum, quam in Chamum quadret. *Deinde* cum ſanctiſſimus Noe, ſpiritu prophetico, prævideret maximam Chami poſterorum partem Chriſti fidem abnegaturam, & ad impuri Antichriſti Mahumetis caſtra declinaturam ut jamdudum de Ægyptiis & Africanis conſtat; inde eſt quod illorum fœdiſtagorum non meminerit.

DISQUISITIONES
IN CAPUT DECIMUM.

CUm in præcedentibus dixiſſet Moſes omne humanum genus reſtauratum ac propagatum a tribus filiis Noe; ut id aperte demonſtret, tam in hoc, quam in ſequenti capite deſcribit illorum genealogias, eorumque præcipua familiarum capita recenſet. Neque tamen omnes omnino numerat: hoc enim operoſum fuiſſet minuſque neceſſarium: ſed tantum eos laudat, qui fuerunt diverſarum Gentium & Nationum principes & capita; vel a quibus quidpiam memorabile & ſcitu dignum geſtum eſt.

Filios enim Japhet dumtaxat ſeptem recenſet; nec eorum poſteros omnes, ſed duorum tantum, nimirum *Gomeris* tres, & *Javanis* quatuor; adeo ut totam progeniem *Japheti* quatuordecim viris circumſcribat.

Chami vero quatuor tantum filios enumerat, & trium duntaxat ex illis poſteros omneſque progenitos ex Chamo unius & triginta numero complectitur. Denique *Semi* quinque filios enumerat, de quibus trium tantum poſteritatem exponit.

Quod autem attinet ad ſinguls Noe nepotum nomina, a quibus prognatæ ſunt, & denominatæ nationes per univerſum orbem diſperſæ; cum ea fuſe explicet Joſephus, idque a plurimis poſtea Interpretibus non ſine aliqua variatione notatum ſit; idque ad rem theologicam, quam potiſſimum in hoc opere attendimus, parum conducat; ideo in talibus diſcuriendis operam ponere non eſt animus; ſed cum Moſes hoc in capite præcipue hæreat in deſcribendo Nemrodi nepotis Chami geſta, de eoque ſcribat: *Chus genuit Nemrod; ipſe cœpit eſſe potens in terra &c.* In his verbis exponendis paululum immorandum eſt. Itaque

QUÆRITUR I.

Quis, & qualis fuerit Nemrod.

NEmrod Chuſi filium, & Chami nepotem, diſtincte aſſerit Moſes: & Joſephus ſupra laudatus cap. 5. ejus animum geniumque deſcribens, ait: *Superbiam, Deique contemptum excitavit in hominibus Nemrod, nepos Cham, vir audax, & manu promptus; ſubinde jactans, non Deo, ſed propriæ virtuti præſentem fœlicitatem eos debere: atque ita paulatim rem ad tyrannidem trahebat: ratus fore ut homines ad ſe deficerent a Deo, ſi ſe illis ducem præberet.*

Hæc pariter inſinuat Moſes cum ait: *Ipſe cœpit eſſe potens in terra;* ac ſi diceret, familiarem ac humilem tunc fuiſſe hominis ſtatum, ut ſi qui aliis præeſſent, non tamen dominarentur, nec ſibi regium imperium ſumerent: ſed talis eorum erat moderatio, ut æqualitatem & humilitatem colerent cum ſuis inferioribus, qui ſponte magis & amore eis parebant, quam timore & imperio coacti.

Hujus

Hujus autem moderationis & tranquillitatis fines turbavit, fregitque ſuperbia & ambitio Nemrodi, quem truculentum, imperioſum, ac aliena rapientem ſignificare voluit Moſes, cum dixit, ipſum fuiſſe *robuſtum venatorem coram Domino*.

Ubi hæ voces *coram Domino*, juxta Scripturæ ſacræ ſtylum, & phraſim Hebraicam, ſignificant illum revera fuiſſe talem, qualis depingitur: cum enim Deus ſit hominibus multo perſpicacior, nec ejus judicium poſſit falli; certum eſt rem in ſe talem eſſe, qualis ipſius ſtatus divino conſpectui apparet.

Erat igitur Nemrod viribus ac fortitudine præſtantiſſimus; unde factum eſt ut id cederet in proverbium, & de viro forti vulgo diceretur: *Quaſi Nemrod robuſtus venator coram Domino*. Unde qui virorum nominatorum mores & genia ſectantur, eorumdem nominibus ſolent apellari; ſic ventri deditus, dicitur *Sardanapalus*, & *Epicurus*: opibus abundans, *dives ut Creſus*; homo ſævus & ferox, *alter Nero* &c.

Conſulto autem obſervat Moſes Nemrodum fuiſſe *potentiſſimum venatorem*, ut indicaret qua via ille ſibi gradum fecerit ad imperium; cum enim frequentem venationem exercendo, regionem illam, quam cuncti Noe filii, ac nepotes nondum diſperſi incolebant, liberaret ab occurſu ferarum homines infeſtantium, facili negotio ſibi omnium animos conciliavit; eoſque induxit ad ædificandas civitates muris circumdatas, quatenus ſecuri eſſent a noxiorum animantium infeſtatione. Quæ omnia cum illius conſiliis & opera fuiſſent peracta; & aliunde præ cæteris polleret viribus, haberètque ſibi adjunctam ſelectam juventutem, quibus utebatur in venationibus, nemine obſiſtente, dominatum arripuit. *Fuit autem*, inquit Moſes, *principium regni ejus Babylon*, & *Arach*, & *Achad*, & *Chalanne in terra Sennaar*, in quam ſcilicet ex Orientali plaga convenerat hominum multitudo, ut refertur capite ſeq. verſ. 1. & 2.

Hæ vero civitates ædificatæ ſunt ante Gentium diſperſionem, ac proinde Nemrodus principatum exercuit ante confuſionem linguarum, & omnium hominum in varias orbis partes diſperſionem, & migrationem ut indicat S. Aug. lib. 16. de civit. Dei.

Neque his obſtat, quod nomen *Babel*, non fuerit inditum urbi niſi poſt divinitus confuſas omnium linguas: in hac enim recitatione, uſus eſt Moſes figura prolypſi, ſeu anticipatione, tribuens civitati, cui dominabatur Nemrod, nomen Babel, *Quia ibi confuſum eſt labium univerſæ terræ*. Ipſi enim Moſi non eſt inſolitum interdum breviter attingere per anticipationem, quæ fuſius deinde eſt narraturus.

Oppones fortaſſe aliquis plurimos auctores præſertim Herodotum, Strabonem, Juſtinum & S. Hieronymum * dicentes Babylonem eſſe conditam a *Semiramide*: Joſephus vero lib. 1. adverſ. Appionem contendit Babylonem ædificatam a rege *Nabuchodonoſore*, idque approbare videtur Daniel referens illum regem gloriantem de Babylonis ædificatione: *Nonne* inquit, *hæc eſt Babylon civitas magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* igitur illius civitatis Nemrod non eſt cenſendus conditor.

* *In 2. cap. Ozea.*

Reſpondeo tres diſtingui poſſe Babylonis conditores Nemrodum, Semiramidem & Nabuchodonoſorem: ſed ea demum ratione, ut Nemrodus primus illius urbis auctor fuerit & fundator: at cum civitas illa per continuas Euphratis inundationes, variaſque bellorum direptiones pœne fuiſſet everſa, & vaſtata; eam ex integro reſtauravit Semiramis, & magnificis ædificiis ornavit. Sed cum temporum lapſu, qui poſt Semiramidem conſecuti ſunt Aſſyriorum reges, poſthabita Babylonica, ſedem regiam Niniven contulerint, hancque regni Aſſyriorum caput inſtituerint, Babylone a regibus deſerta, & præcipuis orbata incolis, cum a primæva ſua magnificentia excidiſſet, eam denuo reparavit Nabuchodonoſor, in eaque imperii ſedem collocavit. Hic autem obſervandum eſt duplicem eſſe diſtinguendam Babylonem, unam in Chaldæa conditam a Nemrodo, & poſt ducentos & amplius annos reſtauratam & ornatam a Semiramide Nini uxore; ac tandem funditus everſam a Cyro Perſarum ac Medorum Imperatore, ut prædixerat Iſaias his verbis: *Et erit Babylon illa glorioſa in regnis, inclyta ſuperbia Chaldæorum, ſicut ſubvertit Dominus Sodomam & Gomorrham. Non habitabitur uſque in finem, & non fundabitur uſque ad generationem: nec ponet ibi tentoria Arabs, nec paſtores requieſcent ibi, ſed requieſcent ibi beſtiæ, & replebuntur domus eorum draconibus: & habitabunt ibi ſtruthiones, & piloſi ſaltabunt ibi: & reſpondebunt ibi ululæ in ædibus ejus, & ſirenes in delubris voluptatis*. Alteram quam Cambyſes condidit in Ægypto ad imitationem & æmulationem prioris, ſed ipſa longe inferiorem, a qua Saracenorum princeps dictus eſt *Soldanus Babylonis*, quam nonnulli volunt nunc *Cairum* ſeu *novam Memphim* appellari. Verum non longe a Cairo videntur etiam nunc hujus Babylonis antiqua veſtigia & rudera.

Hic obiter advertendum præſenti, quem exponimus, Scripturæ textu Anabaptiſtas abuti, ut inferant dominationem Regum & Principum ut pote cœptam a viro nequiſſimo, eſſe contra Dei ordinationem & voluntatem. Unde hoc argumentum eliciunt. Quidquid a malo principio ducit originem, illud non eſt a Deo conſtitutum, ac proinde eſt abrogandum: ſed imperium in homines ortum habuit ab Nemrodo hominum nequiſſimo & oppreſſore. Igitur &c.

Reſpondeo 1. Negando majorem, non enim omnia quæ malum habent principium, mox ſunt auferenda: imo interdum illa probantur a Deo. Regnum enim Iſraeliticum malum habuit initium, nempe ſuperbiam & rebellionem populi adverſus Samuelem, & Deum: illud tamen Deus confirmavit. *Ex malis moribus bonæ leges natæ ſunt*, inquit

Terentius: an ideo tollendæ ſunt bonæ leges, quia occaſione mali principii ordinatæ? Unde major illa propoſitio ea duotaxat ratione eſt admittenda, quando orta ex malo principio, etiam ipſa ex ſe mala ſunt, & perniciosa.

Minor pariter eſt neganda, tametſi enim Nemrodus fuerit nequiſſimus; attamen poteſtatem non obtinuit, niſi a Deo: Nam, ait S. *Paulus*, *non eſt poteſtas niſi a Deo: quæ autem ſunt a Deo, ordinata ſunt &c.* Pravi quidem homines abutuntur interdum auctoritate ſibi conceſſa, ut fecit Nemrodus; ſicut avari divitiis; ſed hæc non minus Dei dona ſunt, qui pro ſumma ſua poteſtate & liberalitate illa improbis, ſicut & probis largitur. *Nam*, ait S. Auguſtinus, *qui Mario imperium dedit, ipſe etiam Caio Cæſari: qui Auguſto, ipſe & Neroni: qui Veſpaſiano vel patri, vel filio, ſuaviſſimis imperatoribus, ipſe etiam Domitiano crudeliſſimo.*

Fuit itaque Nemrodus poſt diluvium, ſicut & Cainus ante diluvium, primus condendarum urbium, nec non polytici regiminis auctor. Quandiu vero imperio ſuo in univerſos Noe filios & nepotes in terra Sennaar collectos potitus fuerit? incertum eſt. Id vero diu non obtinuiſſe colligere licet, ex eo quod Moſes cum narraſſet capite ſequenti qua arte, quave ex materia condita fuerit civitas Babel, & aliæ: addit illos opifices, quibus haud dubie præerat Nemrod, ſtatuiſſe pariter ædificandam eſſe turrim tantæ altitudinis quæ ad Cœlum uſque aſſurgeret; quorum inſaniam ut reprimeret Deus, linguarum confuſionem induxit; qua factum eſt, ut ſingulæ illorum hominum familiæ quæ eadem utebantur lingua, diverſas in regiones abierint. Imo ipſum Nemrodum alio etiam perrexiſſe colligitur ex his verbis, quæ Moſes ſubiicit in hoc cap. x. v. 1. *De terra illa egreſſus eſt Aſſur & ædificavit Niniven, & plateas civitatis &c.* quæ ut comperta ſiant,

QUÆRITUR II.

Quo ſenſu hæc verba debeant accipi.

COmmunis eſt Veterum, nec non quorumdam recentiorum Interpretum ſententia, nomine *Aſſur*, hic non regionem Aſſyriæ, ſed perſonam hoc nomine appellatam deſignari; ac propterea hic ſignificari Patriarchæ Semi filium natu ſecundum, nomine *Aſſur*, qui vel tytanniee a Nemrodo ejectus; vel proprio genio, ut etiam ſibi nomen faceret, e terra Sennaar egreſſus, perrexerit in eam regionem, cui nomen ſuum indiderit.

At quominus huic ſententiæ ſubſcribam, obſtant hæ rationes. I. Narrationis ſeries, ſermo enim ibi tantum eſt de Nemrodo, deque Cainanis familia, ut apparet ex textu: nec veriſimile eſt Moſem nulla facta diſtinctione, Cainanis nepoti adjungere voluiſſe Semi filium, cujus nativitatem & ortum non niſi poſtea indicat, verſ. 22. hæc enim fuiſſet inſignis hiſterologia, tanto viro indigna.

II. Nulla occurit ratio cur tanquam quid inſigne & obſervatu dignum fiat mentio egreſſus Aſſuri filii Semi e terra Sennaar; cum idipſi non fuerit peculiare, ſed commune cum innumeris aliis familiis, quas linguarum confuſione facta diſperſit Deus in varias regiones. At res erat obſervatu digna, quod Nemrodus conditas a ſe civitates ſtabilitumque in eis ſuum imperium deſeruerit, ut alias ædificaret civitates, & novum regnum in illis erigeret.

III. Fruſtra dixiſſet Moſes de Nemrodo loquens: *Fuit autem principium regni ejus Babylon, & Arach, & Achad, & Chalanne, in terra Sennaar:* niſi continuo addendo: *De terra illa egreſſus eſt Aſſur &c.* Significare voluiſſet, ipſum Nemrodum cœptum ſuum in terra Sennaar imperium propagare voluiſſe in Aſſyria, ibi condendo famoſiſſimam urbem Niniven, Babylone multo majorem. Quorſum enim annotare alicujus regni principium, niſi conſequentia adiiciantur?

His accedit quod Aſſyria interdum appelletur *terra Nemrod*. Sic Micheæ v. v. 5. minitatur Deus ſe ulturum Iſraelitas de infeſtatione quam ab Aſſyriis paſſi fuerant: *Suſcitabimus ſuper eum ſeptem paſtores & octo primates homines, & paſcent terram Aſſur in gladio, & terram Nemrod in lanceis.* Ubi vides Aſſyriam vocari *terram Nemrod*, particula enim *&*, hic non eſt disjunctiva, ſed conjunctiva; ac proinde *Aſſur* & terra Nemrod idem ſonant.

At, inquies, vox *Aſſur* ſcribitur hic abſolute & ſine particula: quæ prætermitti non debuerat, ut ſignificaret egreſſum *in Aſſur*: igitur vox *Aſſur* hic non regionem, ſed viri nomen indicat.

Reſpondeo, illam particulam hic præſupponi per ἔλλειψιν, quæ figura Hebræis non eſt inſolita, quæque hic facile ſubauditur ex narrationis contextu, ut patet ex dictis. Unde pleri que præfata verba ſic vertunt cum Junio: *De terra illa egreſſus eſt in Aſſyriam.*

DISQUISITIONES IN CAPUT XI.

HOc in capite tria potiſſimum enarrat Moſes. 1. Civitatis & turris Babylonicæ ædificationem, cujus occaſione confuſæ ſunt & diviſæ hominum linguæ. 2. Genealogiam Semi ad Abrahamum uſque. 3 Ipſius Abrahæ ortum, conjugium & migrationem ex Chaldæa, in Meſopotamiam. De priori capite pleniſſime jam actum eſt in præcedenti parte, ubi ſermo fuit de primæva hominum lingua, ejuſque deinde in varias matrices linguas, earumque in diverſa idiomata, diviſione, Quamobrem nihil occurrit quod de illo capite hic diſſeramus.

Ad ſecundum quod ſpectat, de progenie Semi non nihil dixerat Moſes in præcedenti capite: At in hoc ejus filiorum, nepotumque genealogiam diſtincte recenſet, ſingulis aſſignans annos quos vixerint; nimirum ut inde certam haberemus annorum mundi ſeriem.

Scripſerat quidem quot interceſſerint anni a mundo condito ad diluvium uſque; hic vero quot ſint numerandi ab exacto diluvio ad Abrahamum, edocet: niſi enim brevis hæc extaret deſcriptio, nobis non eſſet compertum, quantum temporis a diluvio interceſſerit ad eum uſque diem, quo fœdus ſuum pepigit Deus cum Abrahamo.

Voluit autem Deus, honoris cauſa, annos mundi per progeniem Semi computari; quemadmodum ſolent hiſtorici annales ſuos Regum, vel conſulum nominibus computare & diſtinguere. Neque tamen enarrat omnes ipſius Semi nepotes, quoniam plurimi ab unius veri Dei cultu ad idololatriam deflexerant: ſed obſervandam tantum voluit lineam Arphaxadi & ejus filii Sale; tametſi etiam nonnulli eorum poſteri fuerint idololatriæ dediti.

Quoniam autem in hac texenda Genealogia variant invicem Hebræus, & Græcus textus; nam Hebræus, cui concordant Paraphraſis Chaldaica, & Latina Editio Vulgata, Arphaxado Sale accenſet, dicendo: *Arphaxad vixit triginta quinque annis, & genuit Sale.* Textus vero Græcus LXX. Interpretum Cainam inter utrumque conſtituit, dicendo: *Arphaxad vixit centum triginta quinque annis, & genuit Cainam: Vixit autem Cainan centum triginta annis, & genuit Sale.* Hunc etiam Cainam admittit S. Lucas, cap. 3. ubi Chriſti Domini Genealogiam deſcribens ordine retrogrado, hoc eſt, aſcendendo a poſterioribus ad priores, ait: *Qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad.* Unde

QUÆRITUR I.

Utrum inter Arphaxadum & Salem admittendus ſit Cainan.

NOn levis certe, imo graviſſima inter cæteras quæ in ſacro Textu elucidando difficultates occurrunt, mihi videtur præſens controverſia. Vel enim Cainan ille medius interceſſit inter Arphaxad & Sale, vel non: ſi *prius*, quam ob cauſam illum prætermiſit Moſes, cum ex illius omiſſione turbaretur ſacra Patriarcharum ſeries, & annorum a mundo condito certa recenſio? Si *poſterius*, cur a LXX. Interpretibus & a S. Luca adjicitur? inde enim conficitur aut a Moſe omiſſa, quæ non erant prætermittenda; aut a LXX. & S. Luca adjecta quæ erant ſilenda.

Hunc nodum ut ſolvant ſanctarum Scripturarum Expoſitores, varias eunt in ſententias, quas tamen omnes duas ad claſſes revoco. *Altera* eorum qui Cainan admittendum eſſe contendunt; *Altera* qui eum furtim ac falſo in ſacrum S. Lucæ textum irrepſiſſe putant.

Sententiæ prioris aſſertores his potiſſimum nituntur momentis. 1. Auctoritate LXX. Interpretum qui conſtanter tribus in locis nomen Cainan habent medium inter Arphaxad & Sale, nempe Geneſ. x. v. 24. xi. v. 12. & 1. Paralip. 1. v. 18. quinetiam referunt quo anno ille Cainan natus eſt, qua ætate genuerit Sale, & quot annis poſt illius generationem vixerit. Porro hoc LXX. Interpretum teſtimonium eo majoris debet eſſe ponderis, quod inquit S. Auguſtinus, *Spiritus qui in Prophetis erat, quando illa dixerunt, idem ipſe erat etiam in ſeptuaginta viris, quando illa interpretati ſunt.* Et alibi, *Merito creduntur LXX. Interpretes accepiſſe ſpiritum propheticum, ut ſiquid ejus auctoritate mutarent: atque aliter, quam erat quod interpretabantur, dicerent, neque hoc divinitus eſſe dictum dubitaretur.* Unde Bellarminus aſſerere non dubitat illos *non tam Interpretes fuiſſe, quam Prophetas.*

Ad ſilentium autem Moſis de hoc Cainano, duobus modis reponunt hujus ſententiæ aſſertores; *Primo* quidem illum Cainanum a Moſe conſulto fuiſſe prætermiſſum, quod in animo habuerit duas generationum decades conſtituere; alteram ab Adamo ad Noachum: alteram a Noacho ad Abrahamum; ne autem hic numerus excederet, in ſecunda decade cenſuit prætermittendum unum generationis gradum: qua ratione S.

Digitized by Google

Matthæus etiam prætermiſit tres Reges: & S. Joannes e numero ſignatorum, tribum Dan prætermiſit.

Secundo reponunt alii Cainanum illum ſcriptum quidem fuiſſe primitus a Moſe, ſed vel fraude Judæorum expunctum, vel Librariorum & Scriptorum incuria prætermiſſum: *Non enim credibile eſt*, inquit Cardin. Toletus, *non ſolum numeraſſe Cainan, ſed etiam annos vitæ ejus, ſi non legiſſent in Hebræo: legerunt ergo, & illa exemplaria ita habebant; nec novum eſt illos etiam alia tunc legiſſe, quæ nunc non habentur, vitio ſcriptorum &c.* Idem habet Cajetanus in idem cap. S. Lucæ.

Confirmantur iſta auctoritatibus: *Polyhiſtoris*, qui hujus Cainanis meminit. Eum etiam Patriarchis accenſet *S. Epiphanius* in Ancorato ſemel atque iterum; & in hæreſi 66. licet hæreſi 55. eum prætermittat, quod ibi diſputet contra Melchiſedecianos qui ſolis Scripturis Hebraicis utentes LXX. Interpretum Editionem non admittebant. Idem cenſet *S. Auguſtinus* pluribi, ac præſertim *lib. 16. de civit. Dei cap.* 10. ubi hujus Patriarchæ annos, ſicut & aliorum enumerat. Idem pariter *Gregorius Syncellus* in Chronographia pag. 73. & 85. ubi ſcribit: *Cainan iſtum Euſebius: corrupto Hebræorum exemplari uſus, non recenſuit; ac propterea annis 130. hallucinatus eſt. Affricanus ſimiliter eodem ſecundo Cainano non numerato, a vero aberrat.*

At ſummum huic ſententiæ pondus adiicit auctoritas S. Lucæ, qui, ut dictum eſt, hujus Cainanis expreſſe meminit; unde plus auctoritatis ejus affirmantis teſtimonio tribuendum eſt, quam Moſis ſilentio; cum enim divino ſuggerente Spiritu S. Lucas ſcripſerit, plurima ab aliis prætermiſſa, potuit adiicere; quemadmodum multa recenſuit quæ ab aliis Evangeliſtis non fuerunt commemorata, puta Genealogiam, Conceptionem Nativitatem, & vitæ genus S. Joannis Bapt. ſed ordine retrogrado ad Adamum uſque &c. Itaque eodem dictante divino Spiritu, potuit hujus Cainanis generationem & nomen adiicere, licet a Moſe, & a Scriptore Paralyppomenon prætermiſſam.

Poſterioris ſententiæ fundamenta ſunt. 1. De hoc Cainane Moſis ſilentium, vel enim illum extitiſſe ſcivit Moſes; vel neſcivit. Ipſum id ignoraſſe utrum extiterit, nemo citra crimen & injuriam aſſerere audebit; quippe cum vir ille ſanctiſſimus omnium Prophetarum fuerit præſtantiſſimus: ſi novit, cur illius generationem prætermiſit, cum illa conduceret ad certo ſtatuendam ſacram Chronologiam, & ad annorum ſeriem a mundo condito?

Quod autem adiiciunt oppoſitæ ſententiæ aſſertores, Moſem videlicet idcirco generationem Cainanis ſiluiſſe, quod reſpexiſſet ad conſtitutionem duarum decadum; ut gratis plane dicitur, & abſque ullo legitimo fundamento, ita conſtanter negatur: contrarium enim apparet ex Moſis mente. Inſtitutum quidem ejus erat perfectam & abſolutam poſterorum Adami genealogiam recenſere; ſubindeque nullam Patriarcharum generationem prætermittere debuit. Exemplum autem a S. Matthæo productum inane prorſus eſt, quippe cum S. Matthæus nec temporum, nec annorum rationem haberet deſcribendam, proindeque in ſua teſſeradecade concinnanda divino ſuggerente ſpiritu potuit aliquos Reges prætermittere; cur autem tres ſiluerit nimirum Ochoſiam, Joaſum, & Amaſiam potius quam alios qui pariter graviorum criminum erant rei, non alia ſancto Hilario can. 1. in Matth. & S. Hieronymo occurrit ratio, quam quod Joram cum impio Rege Achab affinitatem contraxerit, ſeſeque miſcuerit generi impiiſſimæ Jezabel, ducta Thalia filia ejus, & ſic ſanguinem Regium Judæ polluerit: quam ob cauſam ira Dei & maledictio quæ ob peccata parentum ſeſe interdum effundit in ſobolem, in ipſius Jorami progeniem ad tertiam & quartam generationem effuſa eſt, juxta legis effatum. *Exod.* 20. At ſimilem non habuit rationem Moſes, cujus ſcopus erat mundi ætatem per Patriarcharum generationes ſtatuere.

2. Siquam rationem habuiſſet Moſes prætermittendi generationem Cainan, non eadem moviſſet auctorem Paralipp. ad ipſam ſilendam, qui tamen illius nullatenus meminit.

3. Paraphraſtes Chaldæi Onkelos & Jonathan qui textum Hebraicum, ætate ſua puriſſimum extantem, ſuis commentariis elucidarunt, iſtius Cainanis generationis nullam fecerunt mentionem; illius pariter non meminerunt Joſephus, neque Philo Judæus.

4. S. Irenæus ſcriptor antiquiſſimus a generatione Chriſti D. ad Adamum uſque, tantum ſeptuaginta duas generationes ex S. Luca enumerat: *Propter hoc*, inquit, *Lucas genealogiam quæ eſt a generatione noſtri Domini, uſque ad Adam: ſeptuaginta duas generationes habere oſtendit:* At ſi Cainan inferatur, numerandæ erunt ſeptuaginta tres: igitur colligendum eſt Cainanum illum nec in Editione LXX. Interpretum, nec in textu S. Lucæ temporibus S. Irenæi comparuiſſe.

Id inſuper confirmatur ex vetuſtiſſimo Manuſcripto Codice quatuor Evangeliorum, & Actorum Apoſt. quem ex Græcia olim in Galliam delatum, & ex diſſipata per Calviniſtas Bibliotheca Eccleſiæ Lugdunenſis a Theodoro Beza acceptum nunc obtinet & ſervat Bibliotheca Cantabrigenſis. In hoc autem Codice nulla de hoc Cainano fit mentio.

5. Beroſus Chaldæus productus a Joſepho [a], & ab Euſebio [b], ſermonem faciens de Abrahamo ait: *Poſt diluvium decima generatione vir quidam extitit juſtus, eximius, & cæleſtium peritus.* Cui concinit Eupolemus ab Alexandro Polyhiſtore laudatus apud eundem Euſebium: Porro ſi Cainan ille admittatur, conſequens erit Abrahamum non decima poſt diluvium generatione, ſed undecima vixiſſe: igitur argumentum eſt hunc Cainanum veteribus prorſus fuiſſe ignotum.

a *Lib. 2. antiquit. cap.* 8.

b *Lib. 9. præpar. Evang.*

In

In hae autem ſententiarum diverſitate quid cerro ſentiendum ſit, difficile eſt ſtatuere. Mea tamen exiſtimario eſt, nec Moſis, nec S. Lucæ textum eſſe vitiatum; ſed a LXX. Interpretibus, quibus potiſſimum adhæſit S. Lucas, Cainanum a Moſe prætermiſſum, divino ſuggerente ſpiritu fuiſſe adjectum; neque enim inſolitum eſt Scriptoribus ſacris eadem de re tractantibus, ut unus adiiciat, quæ fuerant ab alio prætermiſſa. Id compertum habemus in duobus libris Paralippomenon, qui ſunt veluti librorum Regum appendices & ſupplementa. Idipſum confirmanr Evangeliſtæ qui licet eandem Chriſti D. hiſtoriam & vitam enarrent, attamen plurima ſunt in eorum quolibet capita, quæ ab aliis non memorantur.

Nihil itaque mirum quod LXX. Interpretes Cainanum a Moſe omiſſum ſubſtituerint: *Spiritus enim*, inquit S. Aug. *qui in Prophetis erat, quando illa dixerunt, idem ipſe erat etiam in ſeptuaginta viris quando illa interpretati ſunt. Qui profecto auctoritate divina & aliud dicere potuit, tanquam Propheta ille utrumque dixiſſet, quia utrumque idem ſpiritus diceret, & hoc ipſum aliter, ut ſi non eadem verba, idem tamen ſenſus bene intelligentibus dileceſceret, & aliquid prætermittere, & aliquid addere: etiam ut hinc oſtenderetur non humanam fuiſſe in illo opere ſervitutem, quam verbis debebat Interpres, ſed divinam potius poteſtatem, quæ mentem replebat, & regebat interpretis.* Igitur ex mente S. Auguſtini potuerunr Septuaginta Interpretes nonnulla adiicere, quæ a ſacris Scriptoribus fuerunt omiſſa. Quidni hoc in Cainano noſtro factum eſſe ſuſpicari liceat?

At inquies: hæc Cainani generatio ignota fuit Moſi, aut cognita: ignotam fuiſſe quis audeat aſſerere? cum ille fuerir Prophetarum omnium veteris Teſtamenti præſtantiſſimus, ut jam dictum eſt.

Reſpondeo, generationem illam non fuiſſe Moſi ignotam, ſed ab eo ex condicto ſuppreſſam, quod ſorte putarit eam non plurimum conducere ad integritatem Chronologiæ ſacræ. Poteſt etiam adiici hunc Cainanum a Moſe fuiſſe quidem memoratum, ſed prætermiſſum ab Amanuenſibus, quod jam alius ejuſdem nominis, & filius Enos, in Adami filiorum genealogia occurrerer.

Ad tertium negantis ſententiæ momentum reponi poteſt, a Joſepho & Philone idcirco Cainanum hunc prætermiſſum quod morem gererent Hebraico textui; vel uterentur Græcis codicibus, in quibus illius Cainani nomen non occurrebat. Nam aliquos ſeptuaginta Interpretum codices hujus Cainani Genealogiam non habuiſſe argumentum eſt, quod Euſebius in Chronico ſuo annos Patriarcharum ex triplici textu Samaritano, Hebræo, & Græco recenſens, ex nullo eorum Cainanum hunc poſuit. At exinde non debet inferri, quod in communi Editione Cainanus non extiterit.

Ad quartum dico S. Irenæi textum dubio procul mendoſum eſſe; nam apud S. Lucam ab Adamo ad Chriſtum Dominum non tantum ſeptuaginta duæ, ſed ſeptuaginta ſex generationes occurrunt; ac proinde in illa non ſolum redundaret Cainan, ſed & tres alii eſſent expungendi, ſi audiendus eſſet S. Irenæus: igitur aut textus illius deficit; aut forte hæc ſcribens alio reſpexit.

Nihil etiam movere nos debet vetus ille Græcus quatuor Evangeliorum Codex; ille enim, ipſo teſte Beza, ad 23. v. cap. 3. S. Lucæ, ſuſpectus eſſe omnino debet, quia genealogiam Chriſti a S. Luca conſcriptam in pluribus immutat.

Ad Beroſum & Eupolemum dico, eorum auctoritatem non eſſe hac in re magni momenti, ut pote qui fuerint exteri, rerum Judaicarum inſcii, & qui extremis tantum labiis mundi hiſtoriam ex Moſe delibaverint, in plurimiſque interpolaverint.

Ex his apparet negantis ſententiæ fundamenta cæteris non eſſe firmiora: ac proinde alterutram ſententiam affirmantem, aut negantem citra veritatis periculum poſſe propugnari. Utriuſque vero momenta idcirco proponenda cenſui, ut liberum ſit lectori quam voluerit partem amplecti.

Adiicies tandem, Africanus & Euſebius, qui exactam a mundo condito Chronologiam texuerunt, hujus Cainanis non meminerunt; igitur argumentum eſt, illorum ætate altum fuiſſe de illo Cainane ſilentium. *Reſpondet*, Georgius Syncellus pag. 54. *In recenſendis a diluvio ad Abraham & Moyſem annis utrumque* (Africanum & Euſebium) *hallucinatum eſſe annorum* 130. *errore, omiſſo Cainan ſecundo Arphaxadis filio, id eſt, una generatione, ordine ab Adamo* 13. *apud ſacrum Evangelii Scriptorem S. Lucam poſita*. Ideoque illi hac in re non ſunt audiendi. (*a*)

At

(*a*) Poſtquam tot inſignium virorum tentamina hinc, & utrinque inſtituta vel ut a mundi Chronologia, & Patriarcharum ſerie Cainanis II. ætas eliminetur, atque perſona, vel in tuto tandem aliquando ponatur utraque, Auctor noſter ſerio perpendit animo, ejus ſibi pro unaquaque opinione adhuc viſa ſunt ponderis rationum momenta, quod lectoris judicio controverſiam reliquerit dirimendam, aut ſaltem pro libito quam potius velit quiſque amplectatur ſententiam. Nos tamen eum in tabulis Chronologicis hunc omittendum Cainanem ſatius duxerimus, qua ad id faciendum de cauſa permoti ſimus explicare hoc in loco nequaquam piget, non eo tamen animo, ut quempiam in noſtram compellamus opinionem.

Irrefragabili profecto vi LXX. Interpretum, multoque magis Evangeliſtæ Lucæ auctoritas mentem noſtram pro Cainanis II. exiſtentia pertraheret, ſi de illius textus, in quo Cainan commemoratur, authentia nulla dubietas, ſuſpicio nulla, vel levis animum pervadere potuiſſet. Quis tamen veluti legitimum amplecti queat textum, cujus canonicitas tot concutitur argumentis? Fatemur quidem a plurimis, magniſque viris tam LXX. Interpretum quam S. Lucæ lectionem in qua Cainanis fit mentio veluti authenticam, divinaque auctoritate ſuffultam jam fuiſſe receptam; Patriarcharum autem cenſum a Moſe in Geneſi & ab Auctore libri I. Paralipomenon elaboratum, vel in authographo mancum, vel ab Amanuenſibus mutilatum ad nos perveni-

Digitized by Google

At prætermiſſis illis omnibus tricis quæ circa quædam alia hujus ſacræ Genealogiæ capita, operoſe a nonnullis excitantur, præſtat Moſem audire hanc genealogiam his verbis claudentem: *Vixit Thare ſeptuaginta annis & genuit Abram, & Nachor, & Aran.*

Ex quibus verbis duplex exurgit quæſtio: prima, utrum Abram primus inter fratres nominatus, ſit eorum primogenitus: altera, utrum ipſo vitæ Thare anno ſeptuageſimo fuerit natus; quæ ut paucis expendam,

QUÆ-

veniſſe maxima cum libertate defendi, quinimmo ab iſtorum nonnullis, ut ab Antonio Contio univerſalis Eccleſiæ comprobationem, interponi pro Cainanis exiſtentia haudquaquam neſcimus: ſcripſit enim laudatus Contius in notis ad Caput II. Chronic. Nicephoriani, hoc modo „ Cum computationi LXX. Interpretum ſuffragetur Divi „ Lucæ Evangeliſtæ genealogia a Chriſto ad Adamum replicata, nefas duxit tam Græca, quam „ Latina Eccleſia hebraicam ſequi numerationem, „ ac non potius eam amplecti, quæ ex Evangelio „ auctoritatem accepit. Eant nunc novi Pſeudo- „ Chriſtiani, & hebraizzantes moleſtiſſimi, qui Judaica obſtinatione, & nuda literarum, atque „ apicum auctoritate freti adverſus divinam LXX. „ Interpretum Tranſlationem, & cum Tranſlatione conjunctam Prophetiam, & Hebræorum „ mendorum emendationem quotidie blaſphemant „. Confirmat deinde Eccleſiæ Latinæ uſum in Notis ad Caput præcedens Nicephori his verbis Contius „ Eccleſiæ occidentales Chronographiam ea vetere LXX. Interpretum editione „ mordicus retinuerunt, ut teſtantur Beda, Iſidorus, Auctor *Faſciculi temporum*, Hugo, & alii „ paſſim Auctores; ſed & argumentum hujus rei „ evidentiſſimum præbent Tabulæ, quæ quotannis in Eccleſiis Cathedralibus Franciæ cum ce- „ reo paſchali publice proponuntur „.

Hæc attamen Contii momenta, & alia, quæ a Fraſſeno pro Cainane propoſita ſunt, minime de illius exiſtentia dubitandi rationes avertunt, cum longe robuſtiora ab aliis, præſertim ab Jacobo Uſſerio in ſua de Cainane peculiari diſſertatione, proponantur argumenta ex Patriarcharum numero, & ſerie Cainanem iſtum exturbantia.

Cainanem itaque poſt diluvianum in LXX. Interpretum textum irrepſiſſe, nec tamen heri, vel nudiuſtertius, ſed in aliquibus ſaltem codicibus, etiam ante Chriſti ortum fuiſſe deſcriptum eruditi quam plures, ſed Uſſerius præſertim demonſtrari poſſe arbitratur ex Demetrii libro *de his, qui in Judæa regnaverunt Chronologia* ab Euſebio Libro 9. Evangelicæ Præparationis ex Alexandro Polyſtore propoſita. In ea quippe ab Adamo uſque ad Jacobi, & filiorum ejus in Ægyptum deſcenſum anni 3624, a diluvio 1360, vel 1362, ab Abrahami ex Charane in Chananæam adventu 215. dinumerantur; unde 130 annorum Cainanis interpoſitionem in eadem neceſſario requiritur; in aliquibus ergo codicibus tunc temporis, dum videlicet ſcribebat Demetrius, in quibus LXX. Interpretum verſio continebatur, Cainanem iſtum fuiſſe recenſitum videtur credibile. Ex iſtis autem corruptis exemplaribus in eam paulatim LXX. editionem, quæ *communis*, ſeu *vulgata* appellabatur, fuiſſe tranſlatum non leves conjecturæ demonſtrant. Primo in emendatioribus codicibus apud eruditos homines, in bibliothecis inſignioribus aſſervatis Cainanis, ejuſque ætatis nequaquam mentio fuit habita. In aliis deinde codicibus ſumma cum diverſitate Cainania anni cum computentur non leve conficitur argumentum ad Cainanem iſtum explodendum a Sacro textu. Eam in primis conjecturam inſititium eſſe Cainanem II. demonſtrantem ex eo proponemus, quod Cainanis iſtius anni in variis, & quidem venerandæ antiquitatis Græcorum codicibus diverſimode recenſeantur. In V. profecto editione Græca, quæ LXX. nomen præfert locus ille Cap. XI. Geneſeos ita legitur καὶ ἔζησεν Ἀρφαξὰδ ἑκατὸν τριακονταπέντε ἔτη καὶ ἐγέννησε τὸν Καϊνᾶν. Καὶ ἔζησεν Ἀρφαξὰδ μετὰ τὸ γεννῆσαι αὐτὸν τὸν Καϊνᾶν ἔτη τετρακόσια καὶ ἐγέννησεν υἱοὺς καὶ θυγατέρας καὶ ἀπέθανε. Καὶ ἔζησε Καϊνᾶν ἑκατὸν καὶ τριάκοντα ἔτη καὶ ἐγέννησε τὸν Σαλά. Καὶ ἔζησε Καϊνᾶν μετὰ τὸ γεννῆσαι αὐτὸν τὸν Σαλὰ ἔτη τετρακόσια καὶ τριάκοντα καὶ ἐγέννησεν υἱοὺς καὶ θυγατέρας καὶ ἀπέθανε. Et vixit Arphaxad 135. annos, & genuit Cainan, & vixit Arphaxad poſtquam genuit Cainan annos 400., & genuit filios, & filias, & mortuus eſt. Et vixit Cainan 130. annos, & genuit Sala, & vixit Cainan poſtquam genuit Sala annos 330., & genuit filios, & filias, & mortuus eſt =. Quamvis Flaminius Nobilius in ſua ex Græca LXX. Interpretum latina verſione Arphaxado trecentos præſcripſerit annos, poſtquam Cainanem progenuit, Græca tamen Romana editio, quam Uſſerius ſecutus eſt, annos 400 præfefert; Aldina autem editio cum Germanicis, & omnium antiquiſſimo exemplari Cottoniano, Syro Chronographo Uſſerii, & Faſtis ſiculis annos habet 330. Georgius Syncellus 355. Arabicus Interpres Uſſerii 363 Complutenſis cum Alexandrino 430 Unde quæſo tanta ad hunc locum Græcæ lectionis eſt inconſtantia? In annis pariter, qui Cainani poſt genitum Salem tribuuntur computandis, mirum in modum Codices variare comperiuntur: quamvis enim Syncellus pag. 215. Chronic. in nonnullis exemplaribus annos 330. legi animadvertat, ipſe nihilominus ea ſequitur exemplaria, quæ legunt 430., quod & a ſuo Syro Chronographo, cui Georgius pariter nomen fuit, factum eſſe adnotat Uſſerius, cujus tamen Arabicus Geneſeos Interpres hic etiam, ut in Arphaxado & Sala annos 363. recenſet. Si in autographis ergo LXX. exemplaribus Cainan, ejuſque anni legebantur, quis hanc enormem diverſitatem intruſit? Si autem hiſce omnibus adjiciamus Bellarmini, Gordoni, Tornielli, Saliani, Sarrerii, Harvillæi, Henrici, Philippi, & aliorum, præſertim Pererii *Lib. 7. comment. in Geneſim diſput. de Chronologia ab exordio mundi uſque ad diluvium quæſt. 3., & Lib. 16. in Geneſ. diſputatione* 12. opinionem contendentium centum annorum additionem ætati Arphaxadi, & Cainanis factam antequam filios generarent eſſe mendoſe intruſam, nulloque modo a LXX. Interpretibus derivandam, quamvis apud antiquiſſimos Eccleſiæ Patres perlegatur; cur eam magis quam hanc de Cainane totam laciniam vitioſe in Tranſlationem LXX. aliunde intruſam fuiſſe dicamus, inquit Uſſerius in ſua de Cainane diſſertatione? Aliæ interim *variantes* in annorum computo adinventæ brevitatis cauſa prætermittuntur, atque ad oſtendendum defuiſſe Cainanem in LXX Autographo tranſimus.

Compertum in primis eſt in pluribus exemplaribus pervetuſtis adhuc exiſtentibus haberi quidem Cainanem in Libro Geneſeos, deeſſe tamen in Libro I. Paralipomenon: ita ſe habent codex Græcus Vaticanus, verſio Arabica Bibliorum Jayanorum, & Ruthenica, ſive Illyrica vetus tranſlatio, ut Jacobus Uſſerius teſtatur; exemplaria ergo, ex quibus iſtæ verſiones fuerunt expreſſæ Cainane II. deſtitutæ erant in Libro I. Paralipomenon. Quis modo ſibi ſuadeat LXX. Interpretes in Libro Geneſeos unum poſuiſſe Patriarcham, quem poſtea in Paralipomenis prætermiſerint? Hæc in prædictis codicibus ad locum citatum Cainanis prætermiſſio argumento fuit eruditis conjiciendi, ab aliquo ſciolo intruſum fuiſſe Cainanem ſecundum, a Noe quartum in libro Geneſis, ſicut alter Cainan quartus ab Adam legitur ibidem, quod poſtea mendum paulatim in primum Paralipomenon Librum fuerit tranſvectum, ac tandem in editionem LXX. quæ communis dicebatur, tranſmiſſum. Ad hujuſcemodi deinceps mendoſa exemplaria Chriſti genealogia a S. Luca deſcripta, cum comparata fuerit, in eadem aſſutus eſt Cainan iſte, qui in LXX. vulgata editione jam legebatur; in codice quippe vetuſtiſſimo S. Evangeliſtæ Græco-Latino in membranis literis majuſculis perantiquis ſine ſpiritibus, & accentibus deſcripto ita græce legimus του φαλεκ του Εβερ του Σαλα του Αρφαξαδ του Σημ. Joannes Cordeſius pariter in ſuo libello *de Chriſti Genealogia* Gallice conſcripto in vetuſtis S. Lucæ codicibus Cainanem II. non extitiſſe pronuntiat. Si tamen quiſpiam obſtinate contendat a S. Evangeliſta Cainanem iſtum fuiſſe

in

QUÆRITUR II.

Quo parentis Thare ætatis anno Abraham fuerit genitus.

a *Quæſt. in Geneſ.*
b *Lib.* 16. *de civit. Dei cap.*

UT huic quæſtioni (quam S. Hieronymus a, & S. Auguſtinus b, fatentur eſſe indiſſolubilem) aliquam pro modulo noſtro lucem afferamus, quædam ſunt prælibanda.

Audiendus imprimis Moſes qui cum dixiſſet Thare anno ſeptuageſimo vitæ ſuæ genuiſſe Abram, Nachor, & Aram, claudit caput 11. his verbis: *Tulit itaque Thare Abram filium ſuum, & Lot filium Aran, filium filii ſui. . . . & eduxit eos de Ur Chaldæorum, ut irent in terram Chanaan: veneruntque uſque Haran, & habitaverunt ibi. Et facti ſunt dies Thare ducentorum quinque annorum, & mortuus eſt in Haran.* In quibus verbis tria ſunt notanda. 1. Quod Thare non genuerit filios ante 70. vitæ ſuæ annum. 2. Quod Abrahamus primus inter fratres nominetur. 3. Quod Thare vixerit tantum 205. annos.

Audiendus pariter S. Stephanus qui in præclara illa oratione quam habuit coram Judæorum Senatu, inter cætera ait: *Deus gloriæ apparuit patri noſtro Abrahæ cum eſſet in Meſopotamia, priuſquam moraretur in Charan, & dixit ad illum: exi de terra tua*

& de

in Chriſti genealogia computatum, quis nos impediat ne dicamus cum S. Hieronymo Comment. in Evangelium Matthæi Cap. 4. ℣. 9. ſcribente = Conſuetudinis Scripturarum eſt ut opinionem multorum ſic narret hiſtoricus, quomodo illo tempore ab omnibus credebatur. Sicut Joſeph ab ipſa quoque Maria appellatur Pater Jeſu; ita & Herodes dicitur contriſtatus, quia hoc diſcumbentes potabant = In caput Jeremiæ 28 ℣. 10. pariter ſcribit S. Pater = LXX. prophetam non dixere Ananiam: ne ſcilicet Prophetam viderentur dicere qui Propheta non erat. Quaſi non multa in ſcripturis ſanctis dicantur juxta opinionem illius temporis, quo geſta referuntur, & non juxta quod rei veritas continebat = Libro tandem ſecundo adverſus Helvidium concludit „ Evangeliſtas opinionem vulgi exprimentes, quæ „ vera hiſtoriæ lex eſt patrem dixiſſe Joſeph Salvatoris „ Quidni Evangeliſta Lucas Cainanem ſecundum juxta communiorem tunc temporis opinionem, & juxta vulgatam LXX. editionem, in qua legebatur, inſerere in Chriſti genealogia potuerat? Neque nobis quis cum Spanhemio repunat non de eo quod agere potuit Evangeliſta, ſed potius de eo quod factum eſt diſputari. Etenim advertat neceſſe eſt hoc in loco non opponentium partes a nobis, ſed reſpondentium eſſe ſuſceptas, dicere poſſumus cum Uſſerio, unde ſatis nobis eſt, ſi ratio ſufficiens tradi poſſit quod diverſimode res eſſe quiverit quam ab opponente ſupponitur, corruunt igitur acerbæ illæ Antonii Contii declamationes, quas in negantes Cainanem II. extitiſſe, loco a nobis ſuperius enarrato, pronunciavit; nec eidem ſuffragantur Bedæ, & aliorum, quos citat, auctoritates, neque Tabulæ, quæ in Eccleſiis Cathedralibus Franciæ publice quotannis proponuntur; notat enim Uſſerius Bedam in Martyrologio (nam extra illud ubi de temporum ratione ex profeſſo agit hebraicam illum veritatem ſecutum eſſe conſtat) Iſidorum, alioſque ab eo (Contio) nominatos Auctores, ipſaſque illas ab eodem productas Tabulas Eccleſiaſticas, ejuſmodi ex LXX. editione petitam Chronographiam retinuiſſe, quæ Cainanem tamen, ejuſque annos prorſus e medio ſuſtulerit. Talem enim ab Euſebio acceptam numerandi annos mundi rationem non Martyrologia ſolum Romanum, Uſuardi, Rabani, Adonis, & aliorum uſurparunt, ſed Latini etiam Chronologi, & Hiſtorici Hieronymus in Chronico, Oroſius lib I., Idacios, & quotquot alii, vel a diluvio ad Abrahamum annos 942, vel ab Adamo ad Chriſtum annos 5199. numerarunt: Quodnam ergo ex iſtis haberi queat pro Cainanis exiſtentia patrocinium quiſque dignoſcit.

Robuſtius adhuc ſupereſt argumentum ad oſtendendum in Autographo LXX., aliiſque intemeratæ lectionis editionibus eorundem nunquam extitiſſe Cainanem iſtum. Doſitheus temporum Apoſtolicorum Auctor in textu, quem interpolatum Samaritanis ſuis dedit hebraico a patrum poſt diluvium annis ante παιδοποιΐαν ex LXX. editione deſumptis, Cainanem cum ſuis annis eliminavit. Theophilus Antiochenus Libro 3. ad Autholicum temporum Epilogiſmum juxta LXX. inſtituens, omiſſo Cainane Arphaxadum facit Patrem Sala. Joſephus pariter in ſuo Hipomneſtico Uſſerii ætate nondum edito, annorum calculum quamvis juxta LXX. Interpretes elaboraverit Cainanem omnino prætermiſit. Cainanis in ſuis annorum computis non meminere Julius Affricanus, cui ad Bibliothecam Alexandrinam, in qua Codices emendatiores aſſervabantur, patebat aditus; Euſebius in omnibus ſuis temporum Epilogiſmis, & in recenſione annorum Patrum ex triplici textu, Samaritano videlicet, Græco, & Hebraico contecta; qua de re a Syncello, & Chronographis Alexandrinis, Aniano, & Panodoro reprehenſus fuit, licet injuſte; quaſi depravatis codicibus eſſet uſus. Quid modo dicemus de S. Hieronymo ſedulo adnotante in Hebraicis Traditionibus ſicubi differant Græca, & Hebraica exemplaria, poſt confectam ad invicem collationem? qui tamen ſimpliciter ſcribit Arphaxad genuiſſe Salem, nulla inter codices inventa diſcrepantia. Quid de S. Epiphanio ad Hæreſim 55. diſerte pronuntiante Arphaxadum genuiſſe Salem quomodocumque LXX. lectionem retineret? Quid tandem de Origene in cujus Hexaplis Cainanem extitiſſe negant eruditi, quem & ſi aliquando Origenes ipſe, ut invenit recenſuerit, tamen obelo prænotavit. Hæc ad Cainanem veluti inſititium ſtatuendum nos permovere potuerunt, quibus non leve adiciunt robur Codices omnes hebraici, & Vulgatæ editionis exemplaria, in quibus omnibus deſideratur. Nec aliquid facit ad Moſis ſilentium, quam tradere ſolent, reſponſio a Fraſſeno indicata, cum Auctor ſaltem Libri I. Paralipomenon eum recenſere debuiſſet, nulla quippe Auctor iſte Sacer ad ipſum prætereundum ratione ducebatur. Merito ergo cum Petro Poſſino Dialect. Theogenealogis. Cap. 2. concludi poſſe videtur præſens diſputatio „ Magnis viris aſſentior Abolenſi, Eugubino, Cajetano, Janſenio Epiſcopo Gandavenſi, Sixto Senenſi, Pererio, Petavio, Genebrardo, Cornelio a Lapide, aliiſque Antiquioribus, & Recentioribus multis nullum unquam „ fuiſſe inter homines Cainanem, qui Arphaxad „ quidem filius, Salei vero Pater extiterit. Id invicto argumento conficere mihi videor affirmatione diſerta Moſis genitum ab Arphaxado Saleum „ narrantis: quod teſtimonium quin prout ſonat, „ ac pro ut jacet accipiendum ſit cauſa nulla idonea poteſt afferri „. Et ſane ea Maſſoretarum critica non ſolum Cainanem defuiſſe in Hebraico textu non evincitur, ſed potius demonſtratur oppoſitum, cum nullam inter Arphaxad, & Sale generationem deeſſe ſignificaverint. Legitima ergo Hebraica, & Vulgata lectio Cainanem II. minime proferens habenda eſt; eodemque deſtitutam germanam LXX. Interpretum verſionem fuiſſe affirmare poſſe videmur; quamvis in nonnullos Græcorum codices, & quidem antiquos mendoſe tamen irrepſerit. (W)

Digitized by Google

& de cognatione tua, & veni in terram quam monſtravero tibi. Tunc exiit de terra Chaldæorum, & habitavit in Charan: & inde poſtquam mortuus eſt pater ejus, tranſtulit illum in terram iſtam, in qua nunc vos habitatis. Et non dedit illi hæreditatem in ea, nec paſſum pedis: ſed repromiſit dare illi eam in poſſeſſionem, & ſemini ejus poſt ipſum, cum non haberet filium.

Obſervandum inſuper Moſem & S. Stephanum in aliquibus conſentire: in nonnullis autem diſſentire videri. Conveniunt. 1. Deum apparuiſſe Abrahamo, eique juſſiſſe ut relicta terra natali, & omni cognatione ſua, pergeret in regionem quam ipſi erat monſtraturus. 2. Quod Abrahamus, una cum ſuo patre Thare, atque ſuo nepote Lot filio Aran, habitaverit in Haran, ſeu Charan extrema parte Meſopotamiæ verſus Chananitidem. 3. Quod mortuo Thare, & vocante Deo, Abrahamus reliquerit regionem Haran, ut pergeret in terram Chanaan; ita enim ſcribit Moſes, cap. 12. v. 5. *Egreſſus eſt itaque Abram ſicut præceperat ei Dominus, & ivit cum eo Lot, ſeptuaginta quinque annorum erat Abram cum egrederetur de Haran. Tulitque Sarai uxorem ſuam, & Lot filium fratris ſui, univerſamque ſubſtantiam quam poſſederant, & animas quas fecerant in Haran; & egreſſi ſunt ut irent in terram Chanaan.*

Diſſentire autem videntur, *primo* in eo quod Moſes referat divinam vocationem poſt mortem Thare, & dum Abrahamus una cum ſua familia habitaret in Charan: S. vero Stephanus dicit, Abrahamum a Deo vocatum cum eſſet in Meſopotamia, & priuſquam moraretur in Charan. *Secundo*, indicat Moſes facta illa divina vocatione Abrahamum exiiſſe ex Haran; ſicut præceperat ei Dominus, tuliſſeque ſecum Sarai uxorem ſuam & Lot filium fratris ſui, univerſamque ſubſtantiam, quam poſſederant, & animas quas fecerant in Haran, *Ut irent in Chanaan.* S. vero Stephanus ait, vocationem illam factam eſſe Abrahamo, priuſquam moraretur in Charan; unde ſubdit: *Tunc exiit de terra Chaldæorum, & habitavit in Charan.*

Quæ pugna, ut concilietur, duplex videtur admittenda Abramo facta divina vocatio: una, cum eſſet in Chaldæa, vivente adhuc patre, altera, cum mortuo patre, moraretur in Charan. Nam quod S. Auguſtinus ait a Moſe hanc divinam vocationem referri per recapitulationem, minus videtur ſeriei hiſtoriæ conſentire; tametſi enim illa recapitulationis figura interdum in ſacro Textu occurrat; inde non eſt conſequens, illam eſſe hic admittendam.

Ex his præjactis fundamentis, duplex capitalis exurgit oppoſita Interpretum ſententia. *Altera* eorum, qui cum Joſepho contendunt Abrahamum revera fuiſſe Thare primogenitum, natumque anno patris 70.

Altera eorum, qui docent Abrahamum eſſe fratrum natu minorem, natumque tantum anno vitæ Thare patris ſui 130. hoc præſertim nixi invictiſſimo argumento. Thare vixit tantum 205. annis: at cum, eo vita functo, Abrahamus egreſſus ex Haran, ut in Chananitidem pergeret, agebat duntaxat annum 75. Igitur oportet illum natum fuiſſe anno ſui patris, non 70. ſed 130. Major & Minor conſtant ex Moſis verbis ſupra laudatis. Conſequentia patet, nam ſi ex 205. ſubducas 70. ſupererunt 130.

Accedit quod ſi Abraham natus eſſet anno patris 70. vixiſſet cum patre ſuo annis 135. atque adeo, moriente Thare, jam habuiſſet filium Iſaac annum agentem 35. illum enim genuit cum eſſet centenarius; at id directe repugnat Scripturæ S. tum *Geneſ.* 12. tum *Actorum* 7. ubi refertur eum exiiſſe de Haran, translatumque eſſe in terram Chanaan, & tum promiſſionem illi factam cum nondum haberet filium. Igitur &c.

Hoc telum ut declinent adverſæ ſententiæ aſſertores, quidam eorum reponunt cum S. Hieronymo, illos 70. annos Abrahæ, non eſſe computandos ab illius nativitate; ſed ab ejus miraculoſa liberatione ex incendio, in quod (ex Hebræorum traditione) injectus fuerat a Chaldæis, quod veri Dei cultor, & avitæ religionis retinentiſſimus, noluiſſet adorare ignem ab illis pro numine cultum. Idque firmare nituntur his argumentis. I. Ex Hebræa voce *Ur* quæ ignem & lucem denotat. II. Ex *cap.* 25. *Geneſ.* ubi Deus Abrahamum alloquens ait: *Ego ſum Dominus, qui eduxi te de Ur Chaldæorum.* Quæ verba divinam liberationem ab imminente periculo æque ſonant; ac hæc Exodi 20. *Ego ſum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Ægypti.* III. Id expreſſe declaratur 2. Eſdræ, cap. 9. v. 7. *Tu ipſe Dominus Deus qui elegiſti Abraham, & eduxiſti eum de igne Chaldæorum.*

His addunt S. Hieronymum loco ſupra laudato: ubi quamvis dixiſſet: *Tradunt autem Hebræi hac occaſione iſtiuſmodi fabulam, quod Abraham in ignem miſſus ſit, quia ignem adorare noluerit, quem Chaldæi colunt, & Dei auxilio liberatus, de igne Idololatriæ aufugerit.* Attamen ſubdit, *Vera eſt illa Hebræorum traditio quam ſupra diximus, quod Abraham Babylonio vallatus incendio, quia illud adorare nolebat, Dei auxilio ſit liberatus: & ex illo tempore ei dies vitæ, & tempus reputetur ætatis, ex quo confeſſus eſt Dominum, ſpernens Idola Chaldæorum.* Ei ſubſcribit S. Auguſtinus, *Manifeſtum eſt,* inquit, *domum Thare perſecutionem paſſam fuiſſe a Chaldæis pro vera pietate.* His conſentit Maimonides qui ſcribit *Abrahamum quod Solem adorare recuſaret, incarceratum fuiſſe, dein bonis ſpoliatum a Rege, & exterminatum in Chanaan.*

Verum reſpondeo. I. Perperam Scripturæ ſacræ ſenſum litteralem & hiſtoricum, in myſticum detorqueri, maxime in iis quæ ad Chronologiam, & Patriarcharum ætatem ſpectant; alioqui nulla illius haberetur ratio & certitudo.

II. Vox *Ur*, hic non ignem, ſed locum & civitatem ſignificat, quam Joſephus οὐρ, Plinius *Uram*, appellat; unde Thare dicitur hoc capite eduxiſſe familiam ſuam *de Ur*

Chal-

Digitized by Google

Chaldæorum, ut iret cum ea in terram Chanaan: illam autem non eduxit ex igne.

Quod vero adiiciunt, Abrahamum divinitus eductum ex igne, in quem a Chaldæis fucrat injectus, hoc unum eſt ex Rabinicis figmentis. Neque enim Moſes, & Eccleſiaſticus, *cap.* 45. & S Paulus, *cap.* 11. *Epiſt. ad Hebræos* ubi Abrahami egregia facinora, & divina ei collata beneficia referunt, tantum miraculum tacuiſſent, cum multo minora recenſeant.

Ad Eſdræ textum dico eum intelligendum eſſe metaphorice, nempe de igne tribulationis, quo Dei amicos & filios examinari & purgari Scriptura perſæpe memorat: ſic Pſalmiſta: *Igne me examinaſti & non eſt inventa in me iniquitar. Et Tranſivimus per ignem, & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.*

His adde quod S. Hieronymus præfatæ expoſitioni non ita confidat: ſubdit enim: *Si quis ergo huic expoſitioni contrarius eſt, quærat aliam ſolutionem, & tunc ea recte quæ a nobis dicta ſunt, improbabit.*

Inde eſt quod S. Auguſtinus qui *quæſt.* 25. *in Geneſ.* hanc ſolutionem propoſuerat exiſtimans illam eſſe minus conſentaneam, tam ibi, quam præfato *lib. de civit. cap.* 15. tres alias producit. 1. Dicit Moſis verba fuiſſe ſcripta per figuram *recapitulationis*. „
„ Sicut, *inquit*, cum filios filiorum Noe com-
„ memoraſſet, dixit illos fuiſſe in Gentibus,
„ & linguis ſuis: & tamen poſtea quaſi hoc
„ etiam in ordine temporum ſequeretur:
„ *Et erat*, inquit, *omnis terræ labium unum*
„ *&c.* Quomodo ergo ſecundum ſuas linguas
„ erant; ſi una erat omnibus: niſi quia ad
„ illud, quod jam tranſierat, recapitulando
„ eſt reverſa narratio? ſic ergo & hic eſt
„ dictum, & fuerunt *dies Thare in Charra*
„ 205. *&c.* Deinde Scriptura redeundo ad id
„ quod ideo prætermiſerat, ut prius de Thara
„ id quod inchoatum fuerat, compleretur:
„ *Et dixit*, inquit, *Dominus ad Abraham*,
„ *exi &c.* ita S. Auguſtinus: in quibus ſigni-
„ ficat a Moſe ea referri quæ ad Thare ſpe-
„ ctabant, priuſquam ordiretur hiſtoriam
„ Abrahami.

Verum etſi figura recapitulationis hic locum aliquem habere poſſet, circa vocationem Abrahami (ex hypotheſi quod fuerit unica) quam S. Stephanus dicit ei fuiſſe factam cum eſſet in Meſopotamia, cujus pars Orientalis eſt Chaldæa, & antequam habitaret in Charan, ſuperſtite adhuc patre: non tamen ita admitti poteſt in annis 75. Abrahami; tot enim annos dicitur fuiſſe natus, non cum vocaretur a Deo, aut cum egrederetur ex Chaldæa; ſed dum exiret ex Haran. Moſis enim verba hæc ſunt: 75. *annorum erat Abram cum egrederetur de Haran.* Adde quod non ſit egreſſus de Haran patre ſuperſtite & agente ætatem annorum 145. ut ſuponit recapitulatio, ſed patre mortuo, uti diſtincte docet S. Stephanus: *Poſtquam*, inquit, *mortuus eſt pater* (Deus) *tranſtulit illum in terram in qua nunc habitatis.*

Hinc S. Auguſtinus alteram ſolutionem adiicit diſtinguendo inter profectionem & collocationem; adeo ut Abrahamus cenſeatur profectus in Chananitidem, ex eo ipſo tempore quo divinum mandatum accepit, & ex quo e Chaldæa exiens cum patre totaque familia, progreſſus eſt in Haran, cum animo ſemper & voluntate pergendi in Chanitidem in qua nonniſi poſt mortem patris collocatus eſt.

Verum ſolutio hæc non minus adverſatur menti S. Stephani, quam præcedentes; quid enim eſt tranſlatio, ſeu collocatio Abrahami in Chanaan fuit, niſi ejus migratio ex Haran in Chananitidem Dei juſſu, & vocatione ſuſcepta? Adde quod, tametſi Abraham poſt egreſſum ſuum ex Haran diu ſteterit in Chananitide; tamen revera non potuit dici in ea a Deo collocatus; quippe cum perpetuus in ea peregrinus fuerit; & ut loquitur S. Stephanus: *Deus non dedit illi hæreditatem in ea, nec paſſum pedis: ſed repromiſit dare illi eam in hæreditatem.*

His ita perpenſis nonnulli Interpretes cum Pererio, nodum hunc ſolvi putant, dicendo Abrahamum bis, imo ſæpius ex Haran in Chananæam veniſſe: *Primo* cum eſſet annorum 75. vivo adhuc patre, eoque annum 145. agente; poſt hunc vero primum in Chananæam adventum, in eadem per annos 60. peregrinatum eſſe; interim tamen multoties fortaſſe patrem inviſiſſe. *Tandem* vero reverſus Charan, ut morti, & funeri patris ſui intereſſet, vel ut hæreditatem adiret; vel bona ſibi teſtamento legata reciperet: inde eo animo diſceſſit, ut nunquam in Meſopotamiam deinceps ire ſtatuerit.

Verum duplex, aut multiplex illa profectio gratis fingitur; cujus nullam ſane in tota Scriptura apparet veſtigium: imo Scriptura teſtatur aperte Abrahamum ab eo tempore, quo primum egreſſus eſt de Haran, habitaſſe conſtanter in terra Chanaan cum omni familia ſua; plurimaſque hinc & inde illius demigrationes refert, ut legere eſt, *cap.* 12. *a. v.* 5. *Geneſ.* Quorſum ergo primam illam profectionem tacuiſſet Moſes? Cum præſertim illa maximam Abrahamo gloriam comparare poterat; ſi nempe idcirco exulaſſet lubens a nativo ſolo, ne patris idololatria inficeretur, ut fingunt Pererius, & Toſtatus, aliique non pauci moderni.

Inſuper aut Abrahamus prima vice veniens de Haran in terram Chanaan, duxit omnem ſuam familiam: aut non; ſi dicas eam ab ipſo ductam non fuiſſe, manifeſte contradicis Scripturæ, *Geneſ.* ta. *v.* 5. ubi aſſeritur ſecum duxiſſe omnem ſuam familiam. Si reſpondeas duxiſſe, quæram cum reverſus eſt in Haran cauſa viſendi patrem, aut funus ejus curandi, vel omnia ſua ſecum duxit illuc; vel non: ſi illuc non duxit ſecum omnem ſuam familiam, ſed eam reliquit in Chananitide, qua ratione iterum ex Haran in Chananitidem reverſus, dicitur in ea *collocatus*, *inquilinus* factus & *peregrinus*, dum ad ſuos jam ibi conſtitutos rediret? nemo enim ad aliquam regionem accedens ubi ſuam jam habebat familiam,

dicitur in ea conſtitui & peregrinari. Si dixeris eum cum univerſa ſua ſamilia, iterum in Haran perrexiſſe, cum jam natus eſſet annos 130. & 60. egiſſet in Chanauitide. Qui fieri potuit. ut ibi conſtitutus, aliquam ex ſuo genere filiam non tradiderit Iſaaco filio ſuo in uxorem; in illa namque Auctorum ſententia, Iſaacus jam debuiſſet eſſe nubilis, utpote agens annum 30. natus enim eſt anno patris ſui 100.

His adde quod ſive ſolus, ſive cum ſua ſamilia Abrahamus poſt mortem patris redierit Haran; quæro qui factum ſit, ut ille neſcierit fratri ſuo Nachori eſſe ibi ampliſſimam ſamiliam, in eaque eſſe Rebeccam filiam Bathuelis filii Nachor, & ſorte plures alias virgines aptas connubio? quod autem iſta neſcierit, apparet ex eo quod cum delegavit œconomum domus ſuæ in Meſopotamiam ut ex cognatione ſua compararet uxorem filio ſuo Iſaac, non miſit illum directe ad domum fratris ſui, nec ullatenus Rebeccæ, aut alterius puellæ ex ſua cognatione meminit. Id pariter ignorabat œconomus ille, ut apparet ex Geneſ. cap. 24. Igitur ſecunda illa Abrahami e Haran in Chananiridem migratio prorſus fictitia eſt, & ne leve quidem in Scriptura ſacra habet fundamentum.

Concludendum itaque Abrahamum non fuiſſe Thare primogenitum, nec natum anno patris ſui 70. ſed 130. Fuit autem ſuis fratribus præpoſitus, non ordine nativitatis: ſed dignitatis, & eminentiæ virtutis, ut etiam docet ipſemet S. Auguſtinus jam laudata quæſt. 25 ubi præſentis difficultatis hanc pariter ſolutionem addit. „ Poteſt etiam & ſic ſolvi: quoniam Scriptura quæ
„ dicit, cum eſſet Thare annorum LXX.
„ genuit Abram, & Nachor, & Aran:
„ non utique hoc intelligi voluit, quia eo-
„ dem anno ſeptuageſimo ætatis ſuæ omnes
„ tres genuit; ſed ex quo anno generare
„ cœpit, eum annum commemoravit Scri-
„ ptura. Fieri autem potuit, ut poſterior
„ ſit generatus Abraham: ſed merito ex-
„ cellentiæ qua in Scripturis valde com-
„ mendatur, prior fuerit nominatus: ſicut
„ Propheta priorem nominavit minorem:
„ Jacob dilexi, Eſau odio habui. Et in Pa-
„ ralippomenon cum ſit quartus naſcendi
„ ordine Judas, prior eſt nominatus, a
„ quo Judaicæ genti nomen eſt datum pro-
„ pter Tribum regiam.

Opponunt 1. adverſarii cum Scaligero in Elencho. Nunquam Scriptura filios aliter numerat, quam ut quiſque genitus fuerat; nec modo primogenitum primo loco ſcribit; ſed etiam quis ſit primus, quis ſecundus, quis tertius, deſignat, ut videre eſt. 1. *Reg. cap.* 16. *v* 10. primo *Paralipp.* 1. *v.* 28. igitur cum Abrahamum inter Thare filios primum enumeret, cenſendus eſt eorum primogenitus.

Nego antecedens, cujus contrarium apparet ex Geneſi, cap. 5. v. 32. ubi Sem primus numeratur inter filios Noe tametſi poſterior ſit natu, ut jam dictum eſt; idque conſtat hac evidenti ratione. *Noe cum quingentorum eſſet annorum genuit Sem, Cham, & Japhet.* At Sem erat tantum centenarius ſexcenteſimo ſecundo patris anno, & altero poſt diluvium, ex Geneſi 11. v. 10. Igitur primus non fuit a Noe genitus. Unde S. Auguſtinus jam laudata quæſt. 25. in Geneſ. *Pietas*, inquit, *vel ipſa potius electio divina quæ comitem ſemper trahit pietatem & Dei timorem, primas partes dat Semo in liberis Noachi, & Abrahamo in liberis Thare.*

Adde quod cum Moſes ſuſcepiſſet texendam ſacram Chronologiam ab Adamo in ordine ad Meſſiam venturum, eos, primum nominatim enumerat ex quibus recta ſerie oriundus erat; Meſſias oriundus autem erat ex Semine & linea Semi per Abrahamum, ut conſtat ex 1. Paralipp. ubi propter eandem rationem Iſaac præponitur Iſmaeli, quanquam hic eſſet prior natu.

Inſtant. Moſes diſtincte ſcribit Thare habuiſſe tantum 70. annos dum genuit Abram: igitur ei non eſt refragandum.

Nego antecedens, Moſes, quidem ſcribit Thare natum eſſe 70. annos dum cœpit gignere; ac tres genuiſſe filios: non autem diſtincte indicat quis eorum filiorum fuerit primogenitus; ſed id relinquit colligendum ex iis quæ erat dicturus.

Urgent. Aliorum Patriarcharum annos nativitatis, & mortis Moſes diſtincte exprimit, ut ſacræ Chronologiæ ſeriem contexeret & indicaret: quidni idem feciſſet in Abrahamo?

Deinde, quinquies exprimit annos ætatis Abrahæ 75. 86. 99. 100. 175. Cur igitur annum quo natus eſt non exprimeret? Itaque dicendum eſt illum eſſe natum anno Thare 75. alioqui ſacra Chronologia deficiet.

Nego conſequentiam; ſatis enim aperte annum nativitatis Abrahæ indicavit Moſes, cum ait illum tantum eſſe natum aonos 75. dum ejus pater Thare vita functus eſt, qui vixit 205. annis: ex his enim facile conſtat ſacræ Chronologiæ ſeries. Nam Thare natus eſt anno mundi 1878. quibus ſi adiicias 205. ejus vitæ, habebis annum mundi 2083. ab his vero demas 75. vitæ Abrahami, dum mortuo patre egreſſus eſt ex Haran, habebis anno mundi 2008. diem natalem Abrahæ; ſicque ut prius, ſeries annorum mundi per ætates Patriarcharum procedet per annos vitæ Iſaaci, Jacobi, &c. idque dubio procul ſignificare voluit Spiritus Sanctus cum ætatem integram Thare diſtincte per Moſen conſignari voluit.

Aliicinnt. Moſes exactiſſime annotavit varias Abrahami ætates, diverſoſque illius vitæ annos puta 75. 86. 99. 100. & 175. igitur annum, quo natus eſt etiam exprimere diſtincte debuit: at ita non eſſet, niſi Abrahamus natus fuiſſet anno patris 70. igitur eo anno natus dicendus eſt.

Diſtinguo conſequens, declarare debuit annum nativitatis explicite, & totidem ſyllabis ac verbis diſtincte id ſignificantibus, nego: ſaltem implicite, & ex conſequenti, concedo. Satis enim habuit Moſes declarare quot annos vixerit Thare, quotque na-

tus

Digitized by Google

tus erat Abraham, dum ejus pater vita functus eſt: inde enim facile erat colligere, quo patris anno fuerat genitus.

At inquiunt, in Patriarcharum generationibus, maxime poſt diluvium, diſtincte annotatur annus quo quiſque genitus eſt: igitur id potiſſimum obſervari debuit in nativitate Abrahami Patriarcharum præſtantiſſimi.

Reſpondeo 1. Antecedens univerſaliter non eſſe verum, neque enim diſtincte exprimitur annus quo natus eſt Semus, aut Jacobus; neque declarantur dies, & anni in quibus hic filios ſuos totidem Patriarchas genuit.

Reſpondeo 2. Temerarium eſſe inquirere cur Spiritus Sanctus ſic, aut aliter, voluerit res a Moſe conſcribi: quis enim ei leges poſuit? ſatis autem fuit Moſi deſignare diſtincte quot annos illi vixerint, ut inde colligi poſſet eorum nativitatis periodus.

Urgent vehementius. Si natus eſſet Abraham anno patris 130. non habuiſſet unde Angelo ei denuntianti futuram nativitatem Iſaaci cum admiratione diceret: *Putaſne centenario naſcetur filius, & Sara nonagenaria pariet? &c.*

Reſpondeo. Abrahamum non hæſiſſe dubium, utrum ipſe centenarius poſſet gignere; plures enim ipſe etiam poſt aliquot annos, ex Cetura uxore juvene filios genuit. Sed miraculo deputat, quod Sara nonagenaria fieri poſſit mater. Sæpe quidem accidit, ut homo ſenex ex juvene uxore filios ſuſcipiat: at citra miraculum non evenit; ut mulier annoſa conciperet, niſi fœcunditate divinitus accepta, ut contigit Saræ, Rebeccæ, Annæ matri Samuelis, Elizabethæ S. Joannis Baptiſtæ parenti, & aliis bene multis.

Inſtant inſuper. Idcirco Abrahamus cenſeretur eſſe natus anno patris 130. non vero 70. maxime quia poſt mortem patris dicitur tantum agere annum 75. Sed hæc ratio nulla eſt: igitur &c.

Probatur minor: illi 75 anni Abrahæ conferendi non ſunt cum morte Thare; ſed eum divina vocatione, qua Abrahamus juſſus eſt *exire de terra ſua & de cognatione ſua &c.* Porro hæc divina vocatio Thare mortem longe præceſſerat: facta enim fuit dum Abrahamus adhuc cum patre & univerſa ſua familia apud Chaldæos conſiſteret.

Quod probatur I. Ex verbis quibus hoc divinum mandatum exprimitur: jubetur enim Abrahamus exire *de terra ſua, & de cognatione ſua, & de domo patris ſui:* illius autem natale ſolum erat Ur Chaldæorum; ibi namque natus eſt, ibi cum parentibus diutiſſime vixit: ibi degebat illius cognatio, nimirum fratres, nepotes, cognati &c. ibi erat paterna domus ab avis accepta &c. II. Ex S. Stephano qui dicit Deum gloriæ apparuiſſe Abrahamo *dum eſſet in Meſopotamia*, hoc eſt, in Chaldæa, quæ eſt Meſopotamiæ pars Orientalis, *priuſquam moraretur in Charan: & dixit ad eum: exi de terra tua &c.* III. Ex oratione quam Achior princeps Ammonitarum habuit coram Holoferne; *Judith* 5. in qua de populo Judaico ait: *Populus iſte ex progenie Chaldæorum eſt..... Unum Deum cœli coluerunt, qui & præcepit eis, ut exirent inde, & habitarent in Charan &c.*

Ex quibus manifeſtum fit, divinam illam Abrahæ vocationem a Moſe, S. Stephano & Achiore memoratam, fuiſſe factam dum Abrahamus apud Chaldæos in domo paterna, & inter cognatos conſiſteret: quo tempore natus quidem erat tantum 75. annos: ſed multo antiquior erat, dum illius pater exceſſit e vivis.

Reſpondeo 1. Negando minorem; nempe illos 75. Abrahæ annos non eſſe conferendos cum morte Thare illius patris; Moſes enim narrata morte Thare, & divina vocatione Abrahæ, ſtatim addit: *Egreſſus eſt itaque Abram ſicut præceperat ei Dominus... Septuaginta quinque annorum erat Abram cum egrederetur de Haran*. Igitur illi 75. anni conferendi ſunt cum morte Thare, & cum exitu Abrahæ ex Haran; non vero cum divina vocatione ei facta dum adhuc inter Chaldæos ſubſiſteret.

Reſpondeo 2. duplicem, imo multiplicem divinam vocationem factam fuiſſe Abrahæ; nec eandem eſſe a Moſe memoratam cum ea quæ a S. Stephano, & ab Achiore narratur. Hæc enim facta fuit dum Abrahamus una cum patre & univerſa ſua familia inter Chaldæos in civitate Ur conſiſteret; & antequam ad Haran acceſſiſſet: hoc enim aperte conſtat ex eorum verbis. Moſes vero dicit Abrahamum a Deo vocatum dum, patre mortuo, eſſet in Haran, ex qua ſtatim exiit ut divino mandato pareret, id enim ſignificant illa Moſis verba, *Egreſſus eſt itaque &c.* hoc eſt nulla interpoſita mora.

Inſuper, oportuit aliam factam fuiſſe a Deo Abrahæ vocationem & allocutionem; quomodo enim ſciviſſet Abraham exeundo ſive ex Ur Chaldæorum, ſive ex Haran, pergendum eſſe in terram Canaan, niſi ſpecialiter Deus id indicaſſet? ſignificaverat quidem Abrahamo in præcedentibus apparitionibus, & vocationibus eundum eſſe in terram, quam erat ei monſtraturus, ut expreſſe annotant Moſes, & S. Stephanus; at quæ eſſet terra illa non indicarat: debuit ergo altera fieri Dei ad Abrahamum apparitio & allocutio, ut diſtincte aperiret ei quo eſſet eundum. Igitur non unica, ſed multiplex debet admitti Dei ad Abrahamum allocutio & vocatio: quibus admiſſis, facile conciliantur dicta a Moſe & S. Stephano: etenim S. Stephanus loquitur de vocatione facta Abrahamo dum cum patre eſſet in terra Chaldæorum: Moſes vero de ea vocatione quæ facta eſt in Haran poſt mortem Thare.

At inquies. In utraque vocatione præcipitur Abrahamo ut exeat de cognatione ſua, & de domo patris ſui; porro Haran non erat Abrahæ natale ſolum, nec ibi conſiſtebat illius cognatio, & paterna domus: igitur vocatio a Moſe memorata fieri non potuit in Haran.

Nego antecedenr, & ad illius probationem dico: Deum non dixiſſe Abrahamo ut exiret de natali ſolo; ſed *de terra ſua*; porro Haran cenſeri poterat ipſius Abrahami terra, paterna domus, & ibi eſſe illius cognationem; ſiquidem Thare cum univerſa ſua familia per aliquot annos domicilium ſtatuerat in Haran, ibique tanquam in paterna domo Abraham ſteterat; cujus utique argumentum eſt quod Moſes ſubjiciat. *Tulitque* (Abraham) *Sarai uxorem ſuam, & Lotb filium fratris ſui, univerſamque ſubſtantiam quam poſſederant, & animas quas fecerant in Haran; & egreſſi ſunt ut irent in terram Chanaan.*

Ex quibus verbis neceſſario inferendum eſt illos in Haran ſtetiſſe non unico anno, ut volunt aliqui; ſed duobus vel tribus ad minus annis; imo forte per quinquennium: neque enim pauco tempore tot comparari potuiſſent facultates, tot ſervi & ancillæ; per *animas* enim non ſunt intelligendi liberi, ſed *ſervi, vernæ ancillæ & pecora*. Abraham enim ibi nullos procreavit liberos. Loth pariter non videtur conjugatus, nec liberos tunc habuiſſe; id enim non tacuiſſet Moſes hoc loco. Illius quidem filiarum fit mentio infra *cap.* 19. quæ dicuntur fuiſſe nubiles tempore excidii Sodomorum. Verum potuerunt gigni poſt egreſſum ex Haran; ab illo namque exitu ad illud excidium, fluxerunt anni circiter 22.

Ibi pariter erat Abrahami cognatio cum univerſa ſua familia, quæ ibidem continuo habitavit; ut conſtat ex *cap.* 24. œconomus enim Abrahami juſſus ab hero ſuo, perrexit in Meſopotamiam, ut compararet Iſaaco uxorem ex Abrahami cognatione, Rebeccam videlicet filiam Bathuelis filii Nachoris fratris Abrahæ, qui habitabat in Haran, ut evidenter conſtat ex *cap.* 29.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XII.

Quatunr hoc in capite annotat Moſes. I. Egreſſum Abrahami cum univerſa ſua familia ex Haran, Deo imperante, & illius progreſſum in terram Chanaan. II. Varios illius in ea regione circuitus, atque oblata Deo ſacrificia. III. Quod fame urgente coactus fuerit tendere in Ægyptum. IV. Quid actum fuerit circa Saram egregia forma & pulchritudine præſtantem, tum ex Abrahami conſilio; tum a Pharaone Ægypti principe.

Ad primum caput quod ſpectat, ſatis ſuperque de illo actum eſt in præcedenti capite. Ad ſecundum vero, nempe ad varias Abrahami in Chananitide peregrinationes, diverſoſque circuitus, obſervat Moſes illum primo acceſſiſſe *ad locum Sichem uſque ad convallem illuſtrem*, Sichem autem locus erat ubi ædificata eſt civitas, quæ a Sichem filio Hemor nomen accepit; ubi ſtuprum paſſa eſt Dina Jacobi filia, quod ejus fratres cruenta cæde vindicarunt. *Geneſ.* 34. Eandem eſſe quæ poſtmodum dicta eſt Sichar. *Joan.* 4. Apparet ex circumſtantiis prædii, & putei Joſepho a patre Jacob donati, ut conſtat *Geneſ.* 33 & 48.

Addit Moſes Abrahamum tentorium finxiſſe in convalle illuſtri, ſeu ut vertunt alii in planitie *Moreb*, ſic dicti a nomine viri Chananæi; ſicut & alius locus vocatur planities *Mambre*, a viro Amorrhæo ejuſdem nominis; eſt autem illa planities Moreh in Sichem, ubi ſunt quoque montes *Gariſim* & *Ebal*, de quibus *Joſue* 8.

Eo autem in loco apparuit Dominus Abrahamo, dixitque ei: *Semini tuo dabo terram banc*; ibi autem Abrahamus erexit altare, obtulitque ſacrificia Deo, tum ut gratitudinem & religionem ſuam ob factam promiſſionem Deo teſtaretur; tum ut terram ſuis poſteris promiſſam jam occuparet & veluti conſecraret. Mox tamen diſceſſit hinc, occupavitque montem, quem ab occidente urbs *Luza*, poſtea *Betbel* dicta: ab Oriente vero *Hai* claudebat. Ubi pariter altare condidit, Deoque dicavit. Rurſus inde promotis caſtris ad partes regionis auſtrales iter contulit. Quorſum vero toties mutavit hoſpitium? An cauſa perluſtrandæ terræ donatæ ſuis poſteris? An quærendi jumentis pabuli, intemperie hujus anni ſterileſcente terra? An hoſpitum inhumanitate coactus? An quo latius diſpergeret cultus divini ſemina, & ſuæ pluribus in locis relinqueret ſanctitatis veſtigia? ſilet quidem Moſes; ſed nunquam aberratur, Deo duce.

Cur autem voluerit Deus Abrahami familiam ſubducere a Chaldæorum conſortio etſi non expoſuerit Moſes; ex aliis tamen Scripturæ ſacræ textibus, maxime *Joſue* 24. *v.* 2. conſtat, id potiſſimum factum, ut illos ab impio Idolorum cultu revocaret. Unde

QUÆ-

QUÆRITUR I.

Utrum Thare, & Abrahamus una cum ſuis Majoribus fuerint aliquando idolorum cultores.

AFfirmant plurimi his potiſſimum inducti rationibus.

I. Quidem auctoritate Scripturæ ſacræ, nam *Joſue cap. ult. v.* 2. inducit Deum dicentem populo Iſraelitico; *Trans fluvium habitaverunt Patres veſtri ab initio, Thare pater Abraham & Nachor: ſervieruntque Diis alienis. Tuli ergo patrem veſtrum Abraham de Meſopotamiæ finibus &c.* Quibus verbis non obſcure ſignificatur eos, de quibus loquitur, idolorum cultui deditos fuiſſe, dum trans fluvium Euphratem habitarent. Nec eſt, aiunt, quod quis exiſtimet Abraham inter idololatras hic non recenſeri; contrarium enim, inquiunt, apparet ex orationis contextu; ſiquidem in Dei beneficiis erga Iſraelitas hoc potiſſimum commemorat, quod cum Majores eorum, nempe uterque Iſraelis avus paternus & maternus, Abraham & Nachor, cum patre ſuo in Chaldæa degentes, alios Deos colerent; Deus Abrahamum ex mera gratia, non illius merito aſſumpſerit, eique hæreditatem & hæredem dederit. Idque confirmatur ibidem *v.* 14. ubi Deus Judæos adhortatur: *Nunc ergo timete Dominum, & ſervite ei perfecto corde, atque veriſſimo: & auferte Deos, quibus ſervierunt Patres veſtri in Meſopotamia & in Ægypto.* Qua cenſura cum Iſraelitarum Majores feriat, nemine excepto, non ſolum Thare, ſed & Abrahamum, quem Judæi primum & potiſſimum Patrem ſibi vindicabant, indicat fuiſſe idolorum cultores.

II. Idipſum etiam ſignificare videtur S. Paulus *ad Romanos* 4. *v.* 5. ubi ſermonem inſtituens de juſtificatione Abrahæ virtute fidei, qua firmiſſime Deo credidit, & *reputatum eſt illi ad juſtitiam*, ait: *Credenti autem in eum qui juſtificat impium, reputatur fides ejus ad juſtitiam ſecundum propoſitum gratiæ Dei.* Quæ verba non obſcure indicant Abrahamum prius fuiſſe *impium*, quam crederet Deo promittenti eum futurum Patrem multarum gentium, & oriundum ex ipſo ſemen benedictum: quæ utraque divina promiſſio ei duntaxat facta eſt, cum jam ex Chaldæa migraſſet.

III. Idem docent præcipui Judæorum Doctores, qui aſſerunt Thare, non ſolum fuiſſe idolorum cultorem; ſed & effictorem: utpote qui arte ſculptoria & ſtatuaria egregie polleret, pluresque effinxerit ſtatuas, ac auctor fuerit cur plurimum inter Chaldæos propagata fuerit idololatria, ut disertis verbis docet Philo. Idipſum affirmat de Abrahamo in libro quem de eo conſcripſit, ubi inter cætera ait, ipſum longo tempore *Chaldæorum deliria, de aſtrorum divinitate, imbutum fuiſſe: ſed tandem poſt altum ſomnum, aperto mentis oculo, poſtquam puram lucem pro denſis tenebris cœpit intueri, ſecutum ejus ſplendorem, animadvertiſſe quod prius non viderat: ſcilicet, præeſſe mundo quemdam Aurigam gubernatoremque, qui ſui operis ſaluti provideat.*

Idem docet Maimonides qui cum dixiſſet Zabios ſeu Ethnicos inanium Deorum cultum incœpiſſe a ſyderibus & aſtris, addit Abrahamum in ea religione fuiſſe educatum. *Sed poſtquam*, inquit, *columna illa mundi* (Abrahamus) *egreſſus eſt, & didicit Deum eſſe a materia ſejunctum, & incorporeum, vanitatumque iſtarum, quas ab infantia imbiberat falſitatem deprehendit, cœpit ſententias illas, ac dogmata refutare, & publice ſe illis opponere.*

IV. In eandem ſententiam deſcendunt plurimi Patres: imprimis S. Gregorius Nazianz. [a] qui ait *Abrahamum, patrium errorem reliquiſſe.* Sanctus Chryſoſtomus [b] dicens, *cum infidelitate peccaſſe.* S. Ambroſius [c], *Evocatum fuiſſe a Deo ut Chaldæorum errores relinqueret.* Sanctus Auguſtinus [d] & S. Epiphanius initio panarii, ubi ſcribit Thare, *Æmulum Deo per propriam verſutiam, commentum erexiſſe, id eſt, idolum.* De Abrahamo vero ſcribit S. Ephrem [e] illum *initio fuiſſe Gentilem.*

[a] Orat. de S. Baſil.
[b] Homil. 6. de Pœnit.
[c] In Pſal. 108. oct. 17.
[d] Lib. 6. de civit. Dei. cap. 13.
[e] Serm. 2. de pœnit.

Nec ab ea ſententia abludunt nonnulli celebres moderni Catholici Scriptores; præſertim Genebrardus [f] qui in hujus aſſertionis confirmationem producit teſtimonium Johænanis & Aninæ Doctorum Hebræorum, a quibus proditum fuit Abrahamum anno ætatis ſuæ 48. cœpiſſe agnoſcere verum Deum, omnemque ſuperſtitionem abjeciſſe. Ei concinit *Andreas Maſius* [g], qui proteſtatur ſe eos audire non poſſe, qui magno conatu, Abrahamum ab hoc turpiſſimo idololatriæ crimine vindicare, neſcio quibus argutiis ſtudent: mitto plures alios idem aſſerentes.

[f] Lib. 1. Chronol.
[g] Comment. in Joſue ca. 24.

Verum tametſi hæc ſententia, tot firmata momentis, ſua probabilitate non caret: contraria tamen videtur mihi magis probanda, his potiſſimum argumentis.

I. Quod Eccleſia initio mundi conſtituta ad ipſius finem ſine ulla interruptione propagari debuerit per fidem & pietatem eorum, qui unicum verum Deum firmiſſime credebant, & colebant religioſiſſime: nulla autem apparet familia, præter ipſius Abrahami domum, in qua conſiſtere potuerit perfecta fides & religio. Igitur veriſimile non eſt Abrahamum ipſum fuiſſe idololatria inquinatum.

II. Plurimum celebratur Abrahami pietas & fides a Scriptoribus ſacris: *Abraham*, inquit Eccleſiaſticus, *Magnus pater multitudinis Gentium, & non eſt inventus ſimilis illi in gloria: qui conſervavit legem Excelſi, & fuit in teſtamento cum illo;* Qua autem ratio-

Digitized by Google

tione ſimilem non haberet Abrahamus in gloria, ſi nefando idololatriæ crimine fuiſſet maculatus? Quomodo celebrandus eſſet quod conſervaverit legem Excelſi, ſi illam turpiſſimo idolorum cultu temeraſſet? Eſſetne dicendus conſtantiſſime ſtetiſſe in teſtamento Domini, ſi deſciviſſet ab eo, ut idola veneraretur?

Similiter ſanctus Paulus egregie celebrat fidem Abrahæ, cujus virtute ſanctificatus eſt, & præ cæteris electus a Deo, ut eſſet pater omnium credentium: at non erat cur tot encomiis celebranda eſſet ejus fides, ſi abjecto unius veri Dei cultu, dæmonum cultor aliquando extitiſſet.

III. S. Auguſtinus qui cum dixiſſet Abrahamum natum eſſe in Chaldæa, ubi ſuperſtitiones impiæ prævalebant, quemadmodum per cæteras Gentes, adiicit: *Una igitur Thare domus erat, de quo natus eſt Abraham, in qua unius veri Dei cultus, & quantum credibile eſt, in qua jam ſola etiam Hebræa lingua remanſerat.* Adiicit quidem: *quamvis & ipſe, ſicut jam manifeſtior Dei populus in Ægypto, ita in Meſopotamia ſerviiſſe Diis alienis, Jeſu Nave narrante referatur.*

Quod autem hæc non de univerſa Thare familia, ſed duntaxat de familia Nachoris, ejuſque domo intellexerit, declarat ipſe tribus rationibus, quibus veluti totidem argumentis hanc noſtram ſententiam firmat. Primo: *Sicut*, inquit, *per aquarum diluvium una domus Noe remanſerat ad reparandum genus humanum; ſic in diluvio multarum ſuperſtitionum per univerſum mundum, una remanſerat Domus Thare, in qua cuſtodita eſt plantatio civitatis Dei.*

Deinde cum quæſiviſſet, cur Nachor non exierit cum patre ſuo & Abrahamo fratre de terra Chaldæorum, ut cum eis iret in Meſopotamiam, quo tamen eum deinde profectum eſſe, & ibi habitaſſe conſtat ex ſequenti, cap. 24 v. 10. reſpondet: *Cur putamus, niſi forte quod a paterna & fraterna pietate deſciverat, & ſuperſtitioni adhæſerat Chaldæorum: & poſtea inde ſive pænitendo, ſive perſecutionem paſſus, quod ſuſpectus haberetur, & ipſe emigravit?*

Denique id probat ex hiſtoria Judith, cap. 5. ubi Holophernes requirens ab Achiore duce Ammonitarum quænam eſſet Iſraelitarum gens? Reſpondit ille: *Hæc progenies populi eſt Chaldæorum, & antea habitaverunt Meſopotamiam, quia noluerunt ſequi Deos Patrum ſuorum: & adoraverunt Deum Cæli quem cognoverunt; & projecerunt eos a facie Deorum ſuorum, & fugerunt in Meſopotamiam & habitaverunt ibi dies multos &c. Unde manifeſtum eſt*, addit S. Auguſtinus, *domum Thare perſecutionem paſſam fuiſſe a Chaldæis pro vera pietate, qua unus & verus ab eis colebatur Deus.* Itaque ex ejus mente, Thare & Abraham eorumque familiæ, uno forte Nachore dempto, ab idololatriæ crimine fuerunt immunes.

Unde ad adverſæ ſententiæ fundamenta reſpondeo: Ad textum quidem Joſue, in eo duo eſſe diſtinguenda: primum, habitationem trans flumen: ſecundum, idolorum cultum. *Primum* quidem vere dictum eſt tam de ipſo Thare, ejuſque familia; quam de ipſius Patribus: *Secundum* vero, tantum ſpectat quoſdam ipſius Thare Majores, qui nedum inter Chaldæos orti ſunt, & ſteterunt; ſed etiam eorum ſectati ſunt ſuperſtitionem & idololatriam.

Ad Apoſtolum dico, has voces, *qui juſtificat impium*, non eſſe dictas de Abrahamo, ſed de univerſis peccatoribus etiam impiiſſimis, qui juſtificantur gratia Dei, dummodo inſtar Abrahæ vivam & perfectam in Deo habeant fiduciam, & ipſi religioſe obſequantur.

Ad SS. Patres iſti ſententiæ faventes: dico in eam idcirco fuiſſe propenſos, quod exiſtimarent Dei ad Iſraelitas verba a Joſue relata, ſpectaſſe Thare & Abrahamum, ſicut & aliques eorum Majores, quod tamen, ut diximus, minus eſt probabile.

Neque enim omnes Abrahami & Thare Majores, aut æquales, unius veri Dei cultum abjecerant: ſiquidem adhuc in vivis erant Sem, Arphaxad, Sale, Melchiſedech: aliique bene multi veri Dei cultores egregii, ac proinde minus probabile eſt quod S. Auguſtinus ſcribit a ſolo Abrahamo cum ſua conjuge Sara tunc temporis Eccleſiam ſuſtentatam, quippe cum alii plurimi eſſent vere fideles.

Petes, cur Deus Abrahamum ejuſque patrem evocaverit a Chaldæis idololatris; conſultius enim videbatur eum apud illos conſiſtere, ut ipſos ab idololatria revocaret, & vera religione imbueret?

Reſpondeo. veriſimillimum eſſe ab Abrahamo omnem curam & ſollicitudinem impenſam eſſe, ut concives ſuos meliorem in frugem reduceret, & ab idololatria ad verum Dei cultum revocaret: ſed cum fruſtraneus eſſet illius labor, cum obduratis & deſperatis illum amplius certare noluit Deus.

At inquies: potuit Deus illis dare ſpiritum pœnitentiæ. Potuit, fateor: cur autem non dederit, ſicut deinde Ninivitis, & aliis bene multis conceſſit; ad arcanum illius judicium referendum eſt, de quo Apoſtolus: *Miſeretur cujus vult, & quem vult indurat.*

Adiicies, cur Abrahamum a Chaldæis idololatris ad multo pejores Chananæos Deus evocaverit? *Reſpondeo* id factum quod Chananæos impiiſſimi Chanaan nequiſſimam progeniem exterminare decreverat, ubi patrum ſuorum impietatis menſuram impleviſſent, eorumque regionem Iſraelitis tradere, cujus poſſeſſionem pro ſuis poſteris Abrahamus jam inhiabat.

Abrahamus itaque paruit Deo vocanti, & relicta paterna domo, miſſiſque omnibus popularibus & cognatis, tam in Chaldæa, quam in Meſopotamia, ubi diutiſſime habitarat, cum univerſa ſua familia & una cum nepote ſuo Loth filio Aran in Chaldæa defuncti, perrexit in terram Chanaan. At cum ibi aliquandiu ſteti ſſet, fameſque vehementiſſima per omnem terram graſſaretur, perrexit in Ægyptum; *Cumque prope eſſet ut ingrederetur Ægyptum, dixit Sarai uxori ſuæ: novi quod pulchra ſis mulier: & quod*

cum

cum viderint te Ægyptii, dicturi ſunt, uxor ipſius eſt: & interficient me, & te reſervabunt. Dic ergo, obſecro te, quod ſoror ſis, ut bene ſit mihi propter te, & vivat anima mea ob gratiam tui. In quibus verbis plurima occurrunt notatu digniſſima: unde

QUÆRITUR II.

Quomodo Sara jam vetula tantæ fuerit pulchritudinis, ut ad ſui amorem potuerit viros pellicere.

QUo tempore Abrahamus in Ægyptum deſcendit, Saram jam natam eſſe pluſquam ſexaginta annos inde manifeſtum ſit, quod nonagenaria eſſet dum Abrahamus eſſet centenarius: Abraham autem, dum egreſſus eſt ex Haran, & terram Chanaan ingreſſus, natus erat ſeptuaginta quinque annis, ut dictum eſt; ac proinde Sara tunc pluſquam ſexageſimum annum agebat. Non apparet autem qua ratione tot annos nata, potuerit eſſe tantæ pulchritudinis, ut merito metueret Abraham ab illius amatoribus ſibi periculum imminere.

Reponunt aliqui, pulchritudinem Saræ celebrari, non abſolute; ſed comparate ad Ægyptias mulieres, quæ cum omnes fere deformes eſſent, earum reſpectu Sara videri poterat formoſiſſima. At non ſolos Ægyptios: ſed etiam Palæſtinos in admirationem rapuit Saræ pulchritudo: quamobrem etiam rapta fuit ab Abimelecho Geraris Principe, ut legitur cap. 20.

Tametſi vero paulo vetula eſſet Sara, nihilominus conſervatæ illius pulchritudinis triplex proferri poteſt cauſa. *Prima* quidem, quod illo tempore major eſſet, quam hodie, corporum vivacitas: plurimum autem confert vigor ad fovendam florentem formam. *Secundo*, conducebat ad id Saræ ſterilitas; nihil enim eſt quod magis debilitet ac frangat in mulieribus totum corporis habitum, quam frequentes conceptus, & partus: Unde fit, ut ſteriles mulieres, etiam in ætate provecta, interdum eximii ſint decoris. *Tertio*, cum ex ordinatione divina deſtinata eſſet, ut in ſenectute Iſaacum pareret, non abs re credendum eſt ipſi divinitus ſervatas eſſe juveniles vires, & florentem corporis formam; ut & marito eſſet gratior & munus, ad quod erat ordinata, præſtantius exequeretur.

QUÆRITUR III.

Utrum Abrahamus citra culpam ſuaſerit Saræ, ut ſe illius uxorem eſſe diſſimularet.

HIc non eſt locus inquirendi, & definiendi utrum Sara fuerit revera Abrahami ſoror; convenientius namque infra, *cap.* 20. proponetur ac ſolvetur hæc quæſtio: ſed admiſſo quod aliquo ſenſu, illius ſoror dici potuerit, quæritur utrum ille ei recte ſuaſerit, ut diſſimularet ſe illius eſſe ſponſam, & ſororem diceret,

Quater namque hoc in facto peccaſſe videtur Abrahamus. Etenim. I. Reus apparet admiſſi *judicii temerarii*, dum Ægyptios, non ſolum libidinis inſimulat, ſed etiam ſuſpectos habet homicidii. II. *Simulationis*, & *mendacii*, dum ſuadet uxori ut diſſimulato conjugio, ſe illius ſororem profiteatur. III *Proſtitutionis*, & *Lenocinii*; nam cum uxorem ſuam eſſe diſſimulat, eam exponit periculo ut ab alio aſſumatur in conjugem ejuſque pudicitiam legitimo præſidio defraudat.

Quapropter Fauſtus Manichæus, teſte S. Auguſtino (lib. 22. contra ipſum, cap. 23.) Abrahamum appellabat *infamiſſimum matrimonii ſui Nundinatorem*; qui avaritiæ, ac ventris cauſa, duobus Regibus Abimelech, & Pharaoni, diverſis temporibus Saram conjugem, ſororem mentitus venditavit.

IV. *Timiditatis*, & *abjecti animi*; tanto ſiquidem mortis horrore fuit perterritus, ut neque uxoris pudori, neque ſuo honori conſultum eſſe voluerit. Unde S. Chryſoſtomus homil. 32. in Geneſ. expendens verba quibus Abrahamus uxorem ſuam affatus eſt: *Miſerabilia*, inquit, *ſunt hæc verba: ſed & multus erat timor propter inſaniam Ægyptiacam.* Cujus utique vehementiſſimi timoris hanc profert rationem: *Quia nondum mortis ſoluta erat tyrannis; propterea in adulterium uxoris conſentit juſtus, & quaſi ſervit adulterio, in mulieris contumeliam, ut mortem effugiat. Erat enim adhuc terribilis facies mortis; nondum erant ex ære portæ confractæ; nondum erat mortis aculeus hebetatus.*

Verum operoſum non eſt Abrahamum ab iſtis objectis criminibus eximere. Ad 1. enim quod ſpectat, non immerito habuit Abrahamus unde ſibi metueret ab ea Gente, de qua multa ſiniſtra audierat: & cum aliunde hominum malitiam fuiſſet expertus; non abs re quidvis timere potuit ab iis, quos ſciebat eſſe prophanos, & Dei contemptores, & a dæmonibus ita dementatos, ut tamquam numina, turpiſſima quæque, etiam bruta animantia, colerent. Neque tamen quidquam contumelioſum de iſtis Ægyptiis pronuntiat: ſed ſapienter prævidens, ac præcavens quæ poterant accidere, maturo ac ſapien-

pienti conſilio cenſuit his eſſe occurrendum.

Porro Deus quidem juber abſtinere nos a malignis ſiniſtriſque judiciis, ut tamen cavere ab ignotis & peſſimis hominibus permittat. Itaque in his nihil peccavit Abrahamus, dum ea prævertere voluit, quæ eventura prævidebat.

Ad II. Dico ab Abrahamo ſuadente Saræ, ut diſſimulato uxoris nomine, ſe ejus ſororem, diceret; nullum admiſſum mendacium; nam ut plenius exponetur infra, Sara patrio idiomate vere dicebatur ipſius ſoror; ſolebant enim iſtius familiæ homines, neptes ſuas, dicere ſorores; & nepotes fratres appellare. Nec obſtat quod Ægyptii eam vocem, non de nepte, ut cenſebat Abrahamus; ſed de germana ſorore intelligerent; non enim tenebatur ad eorum mentem loqui, cum ipſos hac in re legitimos judices non haberet, ſed timeret ut pravos.

Ad alia duo capita reſpondet S. Auguſtinus præfato libro 22. contra Fauſtum, cap. 36. quod cum Abrahamo in Ægyptum ingredienti duplex immineret periculum; unum vitæ propriæ: alterum pudicitiæ uxoris: de priori cavendo ſollicitum fuiſſe; pudicitiam autem uxoris, Deo commiſiſſe. Debuit quidem uxoris ſuæ pudori & caſtitati conſulere: at debuit pariter vitæ propriæ ſervandæ invigilare; maxime cum, Deo revelante, noviſſet, in ſe ſuiſque poſteris repoſitam eſſe Eccleſiam, & niſi vivat, fruſtra ſibi & ſemini ſuo toties a Deo promiſſam eſſe benedictionem.

Unde non tam privato carnis affectu vitam ſuam æſtimabat, quam pio erga Deum amore ſervebat; ne ſcilicet ejus Eccleſia extingueretur; neve illius promiſſa evaneſcerent. Cum autem alterutrum periculum eſſet ſubeundum, puta aut vita perdenda; aut exponendam uxoris caſtitatem; eſſet autem in poteſtate Abrahæ ex his duobus primum cavere, conjugium diſſimulando, aliud autem minime, quia præpedire non poterat, quin Saram viderent Ægyptii, videntes concupiſcerent, concupiſcentes auferrent; prudenter egit, illud vitans quod poterat; aliud vero commendans Deo, quem ſibi in omnibus propitium & ducem fuerat expertus.

At, inquiebat Fauſtus, an Deus non poterat ab illo repellere mortem quam timebat, eumque cum conjuge ſua ab omni pernicie in illa peregrinatione tutari, ut nec uxor ejus, quamvis eſſet pulcherrima, appeteretur ab aliquo, nec propter illam ipſe necaretur?

Reſpondet S. Auguſtinus, „ Poterat ſa-
„ ne hoc efficere Deus: quis ita ſit demens
„ ut hoc neget? ſed ſi interrogatus Abraham,
„ illam fœminam indicaret uxorem, duas
„ res tuendas committeret Deo, & ſuam
„ vitam & conjugis pudicitiam. Pertinet
„ autem ad ſanam doctrinam, quando ha-
„ bet quod faciat homo, non tentare Do-
„ minum Deum ſuum. Neque enim & ipſe
„ Salvator non poterat tueri diſcipulos ſuos,
„ quibus tamen ait: *Si vos perſecuti fuerint*
„ *in una civitate, fugite in aliam.* Cujus
„ rei prior exemplum præbuit. Nam cum
„ poteſtatem haberet ponendi animam ſuam,
„ nec eam poneret, niſi cum vellet, in Æ-
„ gyptum tamen infans portantibus paren-
„ tibus fugit: & ad diem feſtum non evi-
„ denter, ſed latenter adſcendit; cum alias
„ palam loqueretur Judæis iraſcentibus, &
„ inimiciſſimo animo audientibus; nec ta-
„ men valentibus in eum mittere manus,
„ quia nondum venerat hora ejus.

Inflare poterant Manichæi: duplicis generis mala ſunt; alia naturæ ſeu pœnæ: alia vitii ſeu culpæ: ex his eſt adulterium; ex illis mors: at exponere ſe periculo admittendi malum culpæ, ut malum pœnæ vitetur, grande peccatum eſt; vita enim animæ quæ per crimen extinguitur, multo præſtantior eſt vita corporis quam mors adimit: igitur a peccato non fuit immunis Abrahamus, dum uxorem periculo adulterii expoſuit.

Reſpondeo, non eſſe quidem admittendum malum culpæ, ut pœnæ malum evitetur; quando alterutrius admittendi certa neceſſitas urget: at non ita in eo caſu premebat Abrahamum; tanta enim illius erat in Dei protectione fiducia, ut illius curæ committendo uxoris pudicitiam, non dubitaret illam fore intactam.

Accedit, quod ſi aliter egiſſet, & ſeſe commiſiſſet mortis periculo, fuiſſet etiam in cauſa cur Ægyptii grande malum culpæ admiſiſſent, nempe homicidium: quamobrem ut utrumque vitaret, conſulto & ſe, & uxorem commiſit divino præſidio.

Hæc autem quamvis vera exiſtimem, non abnuerem tamen hac in occaſione Abrahamum nonnihil humanæ infirmitatis paſſum eſſe: ex quo tamen nihil hæreticis lucri obtigit, vel pietati damnum; etenim ex optimorum virorum ac Patriarcharum in Scriptura relatis infirmitatibus, & noxis, documenta licet nobis ſalutaria elicere: *primo* namque ex hac relatione commendatur ſacræ hiſtoriæ ſinceritas, & fides quod nulli blandiatur, nullius diſſimulet ſilentio peccata. *Deinde* illa piorum hominum errata, cautiores reddere debent eos, qui ſunt imbecilliores; ne probantur incidantque in ſcopulos, in quos fortiſſimos viros impegiſſe videot. *Denique* nobis reſipiſcentibus ſpem faciunt conſequendæ veniæ, quam aliis a Deo datam cognovimus.

QUÆ.

QUÆRITUR IV.

Utrum Abrahamus intactam a Pharaone ſponſam receperit.

QUod non fruſtra timuerit Abrahamus ne ſua conjua raperetur ab Ægyptiis eventus docuit; addit enim Moſes: *Cum itaque ingreſſus eſſet Abram Ægyptum viderunt Ægyptii mulierem quod eſſet pulchra nimis, & nuntiaverunt principes Pharaoni, & laudaverunt eam apud illum, & ſublata eſt mulier in domum Pharaonis* &c. Utrum vero Pharao ejus pudicitiam violaverit, cum Moſes hac de re nihil aperte pronuntiet, putare quis poſſet, illam fuiſſe ab eo temeratam?

I. Quia via credibile eſt hominem voluptati deditum, quales ut plurimum ſunt Magnates, & Principes, maxime Pharao ille, qui propter æſtuantem regionem ingenti libidine fervebat, habuiſſe in ſua poteſtate mulierem exteram, eximia pulchritudine florentem, & eam dimiſiſſe intactam.

II. Id ſignificare voluiſſe videtur Moſes, dum ait eam eſſe deductam in domum Pharaonis. Quorſum enim ob præſtantem ejus formam deportata fuiſſet in Principis palatium, niſi ut ille hujus formoſiſſimæ mulieris illecebris inviſcatus, tueret in ipſius amplexus.

III. Non alia ratione dicuntur Ægyptii *bene uſi Abrahamo propter illam*; quam quia hæc ſumma apud principem auctoritate pollebat; quamobrem ſatagebant omnes Abrahamo conferre munera, ut Saræ, quam ejus ſororem exiſtimabant, gratiam inirent: qui autem fieri potuit, ut mulier extera tantum valeret apud Ægyptiorum Imperatorem, niſi quia ipſi in deliciis erat?

Hæc imaginaretur quidem aliquis; ſed abſurdiſſime.

I. Quia tametſi Moſes diſtincte non exprimit a Pharaone Saræ pudicitiam non violatam, id colligendum præbet ea his quæ ſubiicit. *Flagellavit autem Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum ejus, propter Sarai uxorem Abraham.* Hæc enim plaga quæ mox ſequuta eſt, ſatis oſtendit, Sarai curam fuiſſe a Domino, ut intacta perſeveraret. Quid enim ad Saræ tutelam profuiſſet immiſſa plaga, ſi jam violata eſſet ejus pudicitia? non paſſus eſt Deus eam temerari a Rege Geraris, ut videbimus infra *cap.* 20. an Pharaonis libidini expoſitam putabimus? pluriſne duxiſſet Deus ſemel corruptam eximere ſecundo probro, quam ire obviam priori periculo? & intactam ſervare eam quæ ſemper caſte, & illibate vixerat?

II. Cum ſubiiciat Moſes Pharaonem, ejuſque Principes bene uſos Abrahamo, hoc eſt, liberaliter & humaniter erga eum ſe habuiſſe, Saræ cauſa; inde colligere licet, eam a Pharaone honorifice fuiſſe exceptam nec ut Scortum habitam; ſed in uxorem deſtinatam, ut ipſemet Pharao dixit Abrahamo. cum objurgans his verbis, *Quam ob cauſam dixiſti eſſe ſororem tuam; ut tollerem eam mibi in uxorem?* Non igitur Pharao prius cum ea voluit congredi, quam eſſet ei matrimonio conjuncta: porro veriſimile non eſt, Deum, qui indiſſolubile matrimonii vinculum ſtatuerat, permiſiſſe, ut quod ratum erat Abrahamum inter & Saram, tam impie & fœde a Pharaone hujus rei inſcio frangeretur.

III. Etſi Pharao una cum univerſa familia graviter a Deo percuſſus, in Abrahamum vehementiſſime fuerit commotus, quod ſua diſſimulatione hanc ei plagam induxiſſet; non eſt tamen auſus quidquam ei moleſtiæ inferre; ſed liberum, & divitiis cumulatum cum uxore dimiſit: non alia ratione, ut coniicere licet, quam quia Deus ita injunxerat: quis autem credat eum paſſum, ut continuo ſecum haberet uxorem ab alio temeratam, & fœdo adulterio conſpurcatam? his accedit quod Sara dicitur introducta, non ad Regem: ſed *in domum Regis*, hoc eſt, in gynæceum regium; ubi pro more exornaretur, donec Rex ſibi in uxorem illam poſceret, ut deinde factum legimus in hiſtoria Eſther *cap.* 2. At ne eam duceret & contaminaret, gravi plaga percuſſus eſt, ſicut infra *cap.* 20. Abimelechum Deus prohibuit morbo, ne illam tangeret.

IV. Hanc noſtram aſſertionem ſuo calculo comprobant nobiliores Scripturæ ſacræ Interpretes: imprimis S. Chryſoſtomus. „
„ Quando, *inquit*, apud homines deſpera-
„ tum eſt, tunc invictam in omnibus po-
„ tentiam ſuam Deus declarat. Enim vero
„ ſicut admirabile, & rarum erat videre
„ virum deſideriorum ſtare in medio ferarum
„ & nihil pati: ſed quaſi oves eum circum-
„ ſtetiſſent, ita illæſum egredi e lacu; &
„ tres pueros in camino, quaſi in prato &
„ Paradiſo verſari, & nihil ab igne lædi,
„ ſed egredi inde tanquam ſtatuas: ita ad-
„ miratione dignum eſt & hoc facinus, quod
„ juſti uxor nullam contumeliam expertam
„ a Rege Ægyptio, tyranno imperante,
„ evaſit ſalva. Deus enim erat qui facie-
„ bat omnia, & in inviis viam dabat, &
„ ſpem bonam ſemper in rebus deploratis
„ afferre valet.

Omnia adverſæ ſententiæ momenta uno verbo refellit S. Chryſoſtomus dicens a Pharaone idcirco nullam vim illatam Saræ, quod *acerbiſſima pœna concutiens ejus mentem, diſcedere fecit ab nefario flagitio, coercuit ab irrationali impetu, cohibuit incontinentem mentem, alligavit concupiſcentiam, indomitam, refrænavit furoris inſaniam &c.*

Petes quid peccaverit Pharao, ut immiſſa divinitus plaga puniretur? nihil namque iniqui hoc in negotio videtur admiſiſſe: quod enim juſſerit ad ſe adduci Saram ut eam in uxorem aſſumeret; id fecit per errorem conditionis illius, non facturus, ſi conjugatam eſſe noviſſet. Unde expoſtulat adverſus Abra-

hamum, quod uxorem Saram, vocaviſſet *Sororem.*

Reſpondeo, quod etſi ea in re palam non apparet Pharaonis culpa; ſatendum tamen eſt Deum juſta de cauſa in illum animadvertiſſe. Neque enim noſtro judicio ſemper æſtimanda ſunt hominum facta; ſæpe enim accidit, ut repetiat Deus quæ in nobis juſte puniat, dum nobis videmur omni culpa carere.

Accedit quod libidinis æſtu videatur abreptus, dum adeo promptus ſuit ad ſimplicem ſuorum relationem, exteram mulierem ſibi ignotam, ſuum in palatium adducere, ut ea frueretur: quod utique feciſſet, niſi divinitus ſuiſſet prohibitus.

Peter II. Cur cum Principe plexi fuerint domeſtici?

Reſpondet S. Chryſoſtomus *loco laudato*, culpæ magnitudinem graviori pœna ſuiſſe plectendam; adeo ut a Rege in domeſticos & aulicos redundaret. Etſi enim inferiores & ſubditi nullam in peccatis ſuorum Principum & ſuperiorum partem habent; nihilominus cum eis plerumque puniuntur: ut acerbior ſit principum cruciatus, dum vident ſubditos propter ſe torqueri. *Addit*, Pharaonis domeſticos non ſolum punitos fuiſſe propter ipſius iniquitatem; ſed etiam propter improbitatem propriam; quia nimirum lenonum egerant officium, in Principis gratiam, Saræ pulchritudinem coram eo mirum in modum efferentes, ut illum ad ejus concupiſcentiam & amorem provocarent.

Peter III. Quænam fuerint plagæ quibus Deus Pharaonem ejuſque familiam vexavit?

Reſpondeo, quod cum eas non expreſſerit Moſes, Interpretes diverſi diverſa ſentiant. Exiſtimant nonnulli eos territos fuiſſe ſpectris quibuſdam horrendis illos infeſtantibus, ita S. Auguſtinus: Putant alii cum nonnullis Hebræorum Doctoribus, ſupplicium illud fuiſſe quoddam ulceris genus, quod inter viginti quatuor ulcerum genera graviſſimum eſt; quodque vehementiſſime vexat eos qui rem cum mulieribus habere cupiunt idque indicare videntur S. Chryſoſtomi verba ſuperius laudata. Ut ut ſit, certum eſt plagas illas idcirco inflictas, ut infamiam Saræ præverteret Deus, eamque ſervaret intactam & illibatam.

Quibus autem indiciis reſciverit Pharao Saram alterius eſſe uxorem, & ob hanc cauſam in ſeipſum ſuoſque animadvertiſse Deum; cum ea de re ſileat Moſes, temerarium eſset definire; ſufficitque quod id ipſi Pharaoni notum fuerit, etſi modus ignoretur. Scribit quidem Joſephus; *Huic malæ libidini Deus obſtitit, peſtilentia & ſeditione res regis infeſtans: conſultique de remedio Sacerdotes, quove modo placandum eßet numen, hanc mali cauſam reſponderunt, quod hoſpitis matrimonio injuriam inferre paraviſſet. Rex territus primum ſciſcitatur, quænam ſit, quiſve ejus comes: cognita deinde rei veritate, Abrahamo ſatisfecit; ſororem ſe putaſſe non uxorem, & affinitatem contrahere, non injuriam inferre, voluiſſe &c.*

Exiſtimant aliqui cum S. Chryſoſtomo id ipſi divina revelatione innotuiſſe: Volunt alii id notificatum fuiſſe per confeſſionem ipſius Saræ, quæ vel ultro, vel interrogata tam ſubiti mali cauſam aperuit.

At quidquid ſit, conſtantiſſimum eſt Pharaonem plagis illis divinitus immiſſis erudiſum pœnituiſſe propoſiti, & Saram intactam reddidiſſe Abrahamo, eique non ſolum facultatem feciſſe libere exeundi, ſed & dediſſe operam ut abeunti nemo fieret moleſtus additis ei cuſtodibus, ne quis illis vim inferret. Cum enim Abrahamus eſset multis auctus divitiis, Ægyptii vero crudeles eſsent & avaritiæ dediti, periculum erat, ne eorum violentiæ & prædæ exponeretur; ſicut & latronibus Arabibus qui Ægypti fines perſæpe infeſtabant.

Peter IV. Quis fuerit ille Pharao qui Abrahamo fuit beneficus?

Reſpondeo, Pharaonis nomen ex Joſepho lib. 8. antiq. cap. 1. *Regem* ſignificare, omnibuſque Ægypti ſummis Principibus, peculiari nomine diſtinctis fuiſse commune: ut Romanis Imperatoribus nomen *Cæſaris.* Bochartus tamen ex lexicographis Arabibus ſcribit: vocem *Pharao* ſignificare *Crocodilum* quod animal hoc ab Ægyptiis, ut cæterorum princeps haberetur, & coleretur. Verum prior expoſitio veriſimilior apparet.

Ægyptum primus incoluit Meſraim Chami filius, unde regio illa in Scriptura ſacra perſæpe dicitur *Terra Cham.* Cum autem ab ipſo Meſraim ortæ fuerint ſeptem gentes, quæ regionem illam fertiliſſimam incoluerint; inde factum eſt, ut Ægyptus in quatuor regna diſtributa fuerit, nempe regnum Thebanorum, cujus caput *Thebais* ad Nili ripam ſita, ob magnitudinem & antiquitatem celeberrima. Regnum Thinitarum, cujus Metropolis erat *This* prope Abydum poſita; unde illius Reges Thinitæ dicti ſunt. At cum a Meminone Abydus Regia fuerit inſtituta, tandem *This* periit, fuitque Abydus urbs magna & *ſecunda poſt Thebas.* Regnum Memphitarum, cujus Regia erat *Memphis*, ſupra Delta poſita, in Occidentali Nili ripa. Huic regno præerat Mencheres dum Abrahamus Ægyptum & hoc Memphitarum regnum intravit; neque enim veriſimile eſt illum Thebas adiiſſe, cum hæc urbs longius a Chananitide diſtaret, in qua Abrahamus peregrinabatur.

Quartum Regnum dictum eſt inferioris Ægypti, cujus caput erat *Heliopolis*, ſeu *Civitas Solis*, Arabiæ contermina. Ægyptus itaque primum diſtribuebatur in quatuor regna, quæ tandem in duo coaluerunt, nempe Thebaidis, & Ægypti. Huic autem, ut dictum eſt, præerat Pharao Mencheres duodecimus inter Memphiticos Reges.

Peter V. Quandiu Abrahamus in Ægypto ſteterit, & quid ibi egerit?

Reſpondeo a Moſe neutrum indicari: Joſephus autem lib. 1. hiſt. cap. 9. dicit illum tantiſper ibi ſtetiſſe, & facultate data a Pharaone congreſſum eſſe cum Ægyptiorum doctiſſimis circa veri Dei notitiam & cultum, eorumque vanam & perverſam de divini-

Digitized by Google

vinitate ſententiam redarguiſſe: quinetiam docuiſſe eos Arithmeticam, Aſtronomiam & anni ſolaris rationem; quippe doctus ipſe a ſuis parentibus & Chaldæis. Unde ſcientiæ illæ a Chaldæis ad Ægyptios, ab Ægyptiis ad Græcos, a Græcis ad Romanos & Latinos derivatæ dicuntur.

Confirmat iſta Eupolemus apud Euſebium lib. 9 de præpar. Evang. cap. 4. *Vixit autem*, inquir, *Abraham in Heliopoli cum Sacerdotibus, a quo Aſtrologiam didicerunt, qui tamen non eam inveniſſe, ſed ab Henoc accepiſſe per ſucceſſionem ſibi traditam fatebatur*. Artapanus quoque ibidem ait Abrahamum ad Pharetatem Ægyptiorum Regem migraſſe, & Aſtrologiam illi tradidiſſe: ac poſt 20. annos rediiſſe in Syriam. Verum tanta Abrahæ in Ægypto mora pugnat cum Moſis narratione: alioqui Iſmaelem in Ægypto genuiſſet; pugnaſſet contra reges Sodomorum vaſtatores; & ibidem occurriſſet Melchiſedecho: quæ Scripturæ ſacræ adverſantur. Unde probabilius eſt Ægyptios iſta a Joſepho aliiſque Patriarchis apud eos morantibus didiciſſe.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XIII.

ABrahamus itaque plurimis divitiis auctus, recepta uxore, & libertate a Pharaone facta, & adjuncto militari præſidio, ne quis ei abeunti noceret, in Chananitidem, unde acceſſerat, revertitur; ſeu fame per id tempus ſublata, ſeu commeatu probe inſtructus. Habebat autem in comitatu nepotem ſuum Loth, plurimis pariter divitiis & gregibus affluentem, quæ cum eſſent communi ſocietate parta, ac proinde intimæ animorum conjunctionis, perpetuæque amicitiæ vinculum eſſe debuiſſent, diſſenſionis ac ſeparationis ab invicem fomitem & anſam præbuerunt.

Narrat enim Moſes in hoc capite, quod cum inter utriuſque pecuarios, ſive paſtores, ortæ eſſent lites & contentiones, Abrahamus mitiſſimus, paciſque ſtudioſiſſimus, ejuſmodi rixas & jurgia præcavere cupiens, divortium ſuaſit nepoti; optione ipſi data, ut quam vellet terræ partem ac regionem prior eligeret, in eamque ſuis cum armentis & poſſeſſionibus ſecederet.

Levatis itaque Loth oculis, (ait Moſes) *vidit omnem circa regionem Jordanis quæ univerſa irrigatur.... Sicut Paradiſus Domini*, illucque profectus eſt, exiſtimans ſe beatum, quod ſibi tam opima contigiſſet habitatio.

Hanc ſeparationem ab Abrahamo propoſitam, acerbam habuit ſanctiſſimus Patriarcha, quod ſejungendus eſſet a ſuo chariſſimo nepote, cui plurimis annis convixerat. Quamobrem ut eum ſolaretur Dominus, rurſus ipſi apparuit, dixitque: *Leva oculos tuos, & vide a loco, in quo nunc es, ad Aquilonem & Meridiem, ad Orientem & Occidentem. Omnem terram, quam conſpicis, tibi dabo & ſemini tuo uſque in ſempiternum. Faciamque ſemen tuum ſicut pulverem terræ: ſi quis poteſt hominum numerare pulverem terræ, ſemen quoque tuum numerare poteris &c.* In quibus verbis quædam veniunt notanda.

Quæritur enim I. Qua ratione promittat Deus Abrahamo ei daturum terram quam conſpiciebat, cum ne latum pedem in ea poſſederit; niſi ſpeluncam, quam emit in Hebron ad ſepulturam Saræ?

Reſpondeo, promiſſionem illam non eſſe de præſenti: ſed de futuro; nec tam Abrahamum ſpectare, quam ejus poſteros, qui parentibus ſuis divinitus conſignatam Chananitidem hæreditario jure tandem obtinuerunt: nam ait S. Chryſoſtomus in 2. cap. ſancti Matthæi: Prophetiæ & promiſſiones aliis dantur, in aliis plerumque implendæ: ſic Geneſ. 27. verſ. 29. Iſaacus denuntiat filio ſuo Jacobo illum futurum Dominum fratrum ſuorum, qui tamen non per ſe, ſed in filiis dominatus eſt filiis Eſau, & Iſraelis.

Quæritur 2. Quam ob cauſam Deus promittat Abrahamo ſe daturum illius poſteris omnem Chananitidem? ea namque promiſſio impleri non poterat, niſi prius ejectis iſtius regionis incolis, & legitimis poſſeſſoribus, quod prorſus iniquum videbatur.

Quamobrem Manichæi inde non leve argumentum eruebant ad ſuum ſtabiliendum peſtilentiſſimum dogma de duobus ſupremis Diis, quorum unus optimus legis Evangelicæ conditor, alter peſſimus Moſaicæ legis omniumque malorumque auctor.

Quod enim veteris legis promulgator non poſſet dici bonus & juſtus, ſed peſſimus & iniquus; hoc inter cætera argumento probabant, teſte S. Epiphanio: *Præclarum legis Deum, qui & Ægyptiorum opes prædatus eſt, & Amorrhæis, Gerſezeis, ac reliquis gentibus ejectis, agros illorum Iſraelitis attribuit &c.*

Ut hoc telum a Manichæis vibratum repellant SS. Patres, & Theologi, communiter reponunt, merito has gentes ab ea regione fuiſſe expulſas, quod execrandis ſuis criminibus eam polluiſſent & contaminaſſent. At S. Epiphanius rem maturius expendens, illam, iſtorum populorum exterminationis, & Iſraelitarum in eorum locum inductionis cauſam altius repetit; illi enim Manichæorum objectioni reſpondens ait: *Adeo vero rudis eſt*, (nempe qui iſtud obiicit) *ut non videat Iſraelitas terram ſuam recuperaſſe, quam illi per vim eripuerant*. Quod ut probet, ſubdit: *Etenim Noe a diluvio*

cum uxore, tribuſque filiis, ac totidem nuribus ſervatus orbem terrarum univerſum ſolus in tres liberos Sem, Cham, & Japhet partitus eſt, jactis apud Rhinocoturorum oppidum ſortibus, ut conſentanea fama vulgatum eſt, cui nihil varium ſubeſt, aut temere confictum. Addit paulo poſt: *Semo altera ſors in latitudinem porrecta contigit, eaque Palæſtinam complectitur & Phœnicem, & Cœleſyriam, Commagenam, Ciliciam, Cappadociam, Galatiam &c.*

Quibus verbis tria diſtincte declarat S. Epiphanius. 1. Factam Noe fuiſſe totius terrarum orbis diſtributionem in tres partes ſingulis ſuis filiis conſignatas. 2. Diſtributionem illam ſorte fuiſſe factam juxta locum Hebraice dictum *Nebel*, id eſt, *ſortem*, poſtmodum appellatum *Rhinocoturam*, non longe a finibus Ægypti, & Syriæ, ubi deinde ædificata fuit populoſiſſima civitas *Gazæ*. 3. Addit *diſtributis hunc in modum ſortibus, Noemus convocatis tribubus ſacramento illos adegit, ne quis fratris ſui ſortem invaderet.* „ At Chanaan filius Cham, alienarum rerum cupidus, relicta regione ſua, quæ ob Solis ardorem minus eſſet commoda, Palæſtinam, quæ intra Patriarchæ Semi portionem ceſſerat, occupavit; & ejectis incolis, ibi filios genuit Amorrhæum, Gergæſeum, Phæreſeum, Jebuſæum, Æveum, Samorrheum &c. Tot familiarum & nationum capita, qui bellum inferentes poſteris Sem, illos e ſedibus ſuis ejecerunt; unde factum eſt ut univerſæ illæ regiones occupatæ eſſent a Chanaani poſteris. „ Ex quibus concludit Iſraelitas a Semo per Arphaxadum oriundos, Palæſtinam obtinendo, *Propriam terram recepiſſe; non modo nulla cujuſquam injuria, ſed juſto etiam Dei judicio.*

De his autem ita firmiter perſuaſus erat S. Epiphanius, ut eadem iterata narratione in ſuo Ancorato num. 114 & 16. ſententiam ſuam claudit his verbis: *Hos itaque* (Iſraelitas) *a Semo prognatos, cum poſteri Cham per injuriam oppreſſiſſent eorumque poſſeſſionem uſurpaſſent, Deus tandem vindicavit, ac Chananæos ex concepta jusjurandi formula funditus extinxit. Ita Semi progenies in proprias ſedes poſtliminio reſtituitur.*

Neque vero ea eſt duntaxat S. Epiphanii ſententia, nam Auctor Recognitionum ſub nomine S. Clementis referens ea quæ Deus geſſit in favorem populi Iſraelitici inter cætera ſcribit: *Decima nona generatione poſteri illius, qui poſt diluvium maledictus eſt, proprios terminos excedentes, quos in Occidentalibus partibus ſorte ſuſceperant; eos, qui medium terræ fuerant ſortiti locum, in terras Orientis expellunt; & uſque ad Perſidem fugant; ipſique in expulſorum locis iniqua ſorte ſuccedunt....* Adjicit paulo poſt, *Vigeſima prima generatione extitit vir quidam ſapiens, ex genere eorum, qui fuerant expulſi, ex ſemine primogeniti filiorum Noe nomine Abraham, a quo noſtrum Hebræorum ducitur genus.* Addit poſtmodum Ægyptios obſtitiſſe Hebraico populo, *ne rediret ad patriam terram.* Ubi vides auctorem illarum Recognitionum, eadem aſſerere, quæ S. Epiphanius; nempe Palæſtinam & Judæam revera fuiſſe ſortem conſignatam Semo, & ejus poſteris; eam vero Tyrannice occupatam fuiſſe a filiis Chanaan.

Idipſum diſtinctius enarrat Caſſianus ex relatione Abbatis Serapionis: *Quantum*, inquit, *docet Vetus Traditio, has eaſdem terras Chananæorum, in quas introducuntur filii Iſrael, filii Sem fuerant quondam in orbis diviſione ſortiti, quas deinceps per vim atque potentiam poſteritas Cham pervaſionis iniquitate poſſedit. In quo & Dei judicium rectiſſimum comprobatur, qui & illos de locis alienis, quæ male occupaverant, expulit; & iſtis antiquam patrum poſſeſſionem, quæ proſapiæ eorum in diviſione orbis fuerat deputata, reſtituit.*

Confirmat iſta egregie S. Auguſtinus ſerm. 104. de temp. quem novi illius operum Editores, neſcio quo argumento, in appendicem tomi quinti ſerm. 34. relegarunt, & Cæſario adſcribere videntur. In eo autem ſermone legimus: „ Tradunt Majores noſtri, quod quando filii Noe omnem terram inter ſe invicem diviſerunt, terra iſta quæ dicitur Chananæorum in diviſione orbis, ſeniori filio Noe, id eſt Sem in poſſeſſionem obvenerit, & eam tempore non parvo poſſederit. Poſtea vero increſcentes populi Chananæi de illo utique filio qui a patre fuerat maledictus venerunt ad loca illa, & per violentiam expulſis fratribus ſuis; id eſt filiis Sem, terram eorum more barbarico poſſederunt. Et quia beatus Abraham de genere Sem legitur fuiſſe filii ejus, id eſt, populi Iſraelitæ, non alienam terram, tradente Domino, pervaſerunt, ſed ſuam propriam, quam per violentiam patres eorum perdiderant, receperunt. Et quia Chananæi excepto illo peccato, quod poſſeſſionem alienam invaſerant, multa nefanda & inaudita crimina committebant, in tantum, ut quando Dominus Sodomam & Gomorrham ſubvertebat, dixiſſe legatur: *Necdum enim completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum:* & expectabat Dominus ut, aut converterentur, & agerent pœnitentiam, aut certe ſi converti nollent, crimina criminibus cumulantes, & peccandi menſuram implentes, juſtiſſimam Dei ſententiam ſuſtinerent. Quia ergo eos dupliciter invenit reos divina cenſura, pro eo quod & terras alienas invaſerant, & poſtea ſcelera & crimina inaudita commiſerant, juſto judicio puniuntur & Iſraelitico populo antiquorum patrum poſſeſſio reformatur.

Ex his omnibus manifeſtum fit, conſtantem apud Veteres fuiſſe traditionem, Iſraelitas Chananitidem occupantes, non alienum domicilium invaſiſſe: ſed proprium & avitum injuſte poſſeſſum recuperaſſe.

Quæritur 3. Qui fieri potuit, ut terra Chanaan repromiſſa fuerit Abrahamo ejuſque poſteris uſque in ſempiternum; cum ab ea Iſraelitæ adducti fuerint per Babylonicos; & tandem penitus ab ea expulſi per Romanos Principes, ut jam ab annis 1700. ab ea exularint?

Digitized by Google

Reſpondeo, promiſſionem illam fuiſſe conditionatam, nempe ea lege, ut Abrahamitæ fideles eſſent Dei cultores, ſicut Moſes aperte declarat Deuter. 4. v. 23. & ſeq. ubi cum dixiſſet populo Iſraelitico: *Cave ne quando obliviſcaris pacti Domini Dei tui quod pepigit tecum*; adjicit v. 26. *Quod ſi* ſecus feceritis.... *cito perituros vos eſſe de terra, quam tranſito Jordane, poſſeſſuri eſtis.*

Quæritur 4. Quomodo dixerit Deus Abrahæ multiplicatum iri ejus ſemen *ſicut pulverem terræ &c.* cum nequidem omnes Adami poſteri, ad uſque mundi finem, numerum pulveris terræ, & arenæ maris poſſint æquari?

Reſpondet S. Aug. locutionem illam eſſe hiperbolicam, qua plus verbis effertur, quam ſignificetur. *Verum* cum in hiperbolis quædam videatur mendacii ſpecies; potius dicendum arbitror comparationem illam non eſſe ad perfectam æqualitatem; adeo ut tot futuri eſſent Abrahæ poſteri, quot ſunt arenæ maris & terræ pulviſculi, ſed tam fore illos innumerabiles, quam hæc, quæ videntur omnem numerum excedere reſpectu hominum; tametſi Deo ſint numerabiles & definiti; ſicut enim ipſe *numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat*, ſic in numerato habet omnes arenas maris, & terræ pulviſculos.

Hac itaque divina promiſſione recreatus Abrahamus, conſtanter tulit ſeparationem ſui nepotis Loth, qui tandem proprio damno didicit regionem illam, ad quam inconſulto non minus quam cupide feſtinaverat, infœliciter ſibi ceſſiſſe. Tranſactis enim aliquot annis, contigit, ut Chodorhaſomor Elamitarum Rex, conjunctis copiis aliorum quatuor Regum ſibi ſubditorum armata manu vicinas regiones invaderet: quibus obviam ierunt quinque urbium præfecti ſeu Reges ſcilicet Sodomorum, Gomorrhæ, Adamæ, Seboim & Balæ. At his devictis, & proſtratis, Victores abduxerunt Loth ſua cum univerſa familia, aliiſque captivis.

Hoc cum accepiſſet Abraham, numeravit, & armavit expeditos vernaculos ſuos trecentos decem & octo; adjunxitque ſubſidiarias copias ſibi confœderatorum Principum Mambre, Eſcol, & Aner, habitantium in Hebron; qui cum noviſſent Abrahamum virum potentem, ſapientia celebrem, ac bello fortem, fœdus cum ipſo non ita pridem inierant. Itaque conjunctis copiis victores inſecutus eſt Abrahamus, in eoſque nocte irruens, omnem ipſorum profligavit exercitum, Lothque nepotem ſuum cum univerſa familia, aliiſque captivis reduxit.

Quæritur 5. Utrum Abrahamo licuerit armare *familiam* contra Reges, & publicum bellum ſuſcipere?

Sunt qui factum iſtud cum Anabaptiſtis improbant, his ducti rationibus. I. Quod Abrahamus fuerit homo privatus; & advena, nullam ea in regione terræ portionem & dominium jure ſibi vindicans. II. Quod ab illis Regibus nullam acceperat injuriam nullumque detrimentum: igitur juſtam non habebat eos impugnandi cauſam. III. Quod etſi Loth ipſius nepos fuiſſet in captivitatem abductus, prius tamen armorum vi non fuit repetendus, quam oblatum eſſet & recuſatum pro ejus redemptione pretium; & fruſtra propoſita ad eum revocandum, pacifica media.

Verum his non obſtantibus, rationibus, dico Abrahamum eos Reges juſtiſſime eſſe aggreſſum, & expugnaſſe. I. Quia de lege naturæ, & Gentium eſt, ut unuſquiſque ſua injuſte & per vim ablata, omni qua poteſt via, repetat: porro Loth Abrahami nepos, quem ut filium diligebat, injuſte fuerat captivus abductus, ſua cum univerſa familia; utpote qui in illa regione eſſet pacificus advena, nullamque partem in ea Regum contentione habebat, nec quidquam læſerat impugnatores. Unde ſi ſola communis hominum conditio ad opem ferendam ſufficit; quia, teſte Seneca: *Homo in adjutorium mutuum generatus eſt*, quis patruum culpabit quod nepotem dilectum ſua, & cum univerſa familia & ſubſtantia inique abductum ex uſurpatorum manibus eripuerit?

II. Hominis prudentis eſt prævertere mala quæ ſibi ſuæque familiæ incumberent: porro timendum erat Abrahæ, ne ſi prædatores illi abirent impune, etiam in ſe ſuoſque amicos, nimirum Aner, Eſcol, & Mambre, quibuſcum pepigerat fœdus, deinde irrumperent, eoſque nedum captivos abducerent; ſed & omnibus facultatibus ſpoliarent. Itaque ſapientiſſime ſe geſſit Abraham damna propulſando, quæ ſibi, ſuiſque amicis imminebant.

III. Veriſimile ab eſt Abrahamum, non proprio quidem genio, ſed Deo interius ſtimulante & vocante, bellum illud ſuſceptum eſſe, ut eventus docuit: Neque enim, ait S. Chryſoſtomus, fruſtra Scriptura notat ab ipſo duntaxat cum 318. vernaculis oppugnatum eſſe quinque Regum exercitum: ſed ſcias quod non corporali robore eos devicerit Patriarcha, ſed ſua in Deum fide, & ſuperno præſidio adjutus omnia illa geſſerit... *Et vide obſecro miram Dei potentiam quanta velocitate contigit victoria: irruit enim, inquit ſuper illos nocte ipſe & ſervi ejus, & percuſſit eos & perſecutus eſt eos; erat enim manus ſuperna quæ adjuvabat & commilitabat.* Quod etiam ſignificavit Melchiſedech cum Abrahæ benedicens inter cætera ait: *Benedictus Deus Excelſus, quo protegente, hoſtes in manibus tuis ſunt.* Nullus vero dubitat, bellum Deo inſpirante & cooperante ſuſceptum eſſe juſtiſſimum; ut egregie docet S. Auguſtinus cujus verba; quoniam juſti belli normam exacte præſcribunt, hic operæ pretium duxi adſcribere.

„ Intereſt, *inquit*, „ Quibus cauſis, quibuſque auctoribus homines gerenda bella „ ſuſcipiant: ordo tamen naturalis ille mortalium paci accommodatus, hoc poſcit, „ ut ſuſcipiendi belli auctoritas, atque conſilium penes Principem ſit; exequendi autem juſſa bellica miniſterium milites debeant paci ſaluti que communi.

„ Bellum autem, quod gerendum Deo „ auctore ſuſcipitur, recte ſuſcipi dubitare

ſas

„ fas non eſt; vel ad terendam, vel ad ob-
„ terendam, vel ad ſubjugandam mortalium
„ ſuperbiam: quando ne illud quidem quod
„ humana cupiditate geritur, non ſolum in-
„ corruptibili Deo, ſed nec ſanctis ejus obeſ-
„ ſe aliquid poteſt, quibus potius ad exer-
„ cendam patientiam, & ad humiliandam
„ animam, ferendamque paternam diſcipli-
„ nam, etiam prodeiſe invenitur. Neque
„ enim habet in eos quiſquam ullam pote-
„ ſtatem, niſi cui data fuerit deſuper. Non
„ eſt enim poteſtas niſi a Deo, ſive juben-
„ te, ſive ſinente.

„ Cum ergo vir juſtus, ſi forte ſub Re-
„ ge homine, etiam ſacrilego, militat, re-
„ cte poſſit illo jubente bellare, civicæ pa-
„ cis ordinem ſervans; cui quod jubetur,
„ vel non eſſe contra Dei præceptum cer-
„ tum eſt, vel utrum ſit, certum non eſt;
„ ita ut fortaſſe reum Regem faciat iniqui-
„ tas imperandi, innocentem autem militem
„ oſtendat ordo ſerviendi: quanto magis in
„ adminiſtratione bellorum innocentiſſime
„ diverſatur, qui Deo jubente belligerat,
„ quem male aliquid jubere non poſſe, ne-
„ mo qui ei ſervit, ignorat. Cum ergo Abra-
hamus, nonniſi Deo movente & adjuvante
pugnam illam inierit, citra dubium eſt eum
illa in re nihil quidquam iniqui geſſiſſe.

Ad fundamenta autem adverſæ ſententiæ facilis eſt reſponſio. Ad I. Quidem, etenim licet Abrahamus in regione illa nullum dominium obtineret; in illius tamen terræ poſſeſſionem jus habebat quæſitum, etſi in aliud tempus prorogatum; jam enim tertio Deus ſpoponderat ſe univerſam illam terram Chananitidem, illi ejuſque poſteris daturum in poſſeſſionem perpetuam.

Accedit quod Abtahamus privatum hominem non agebat, utpote cum inſignitus eſſet ſolemni præfectura; non ſolum Eccleſiaſtica, cum ſacris præeſſet apud ſuos, pluraque jam inſtitu ſſet altaria & ſacrificia obtuliſſet: ſed etiam civili & politica, quam exercebat in tantam tamque numeroſam, familiam, ut ex illa 318. vernaculos armaverit, seligendo ſcilicet quos ad pugnam noverat aptiores. Accedit quod in ea regione nullus eſſet ſupremus Princeps, a quo alii penderent, & qui cum Abrahamo potuerit expoſtulare de uſurpata ſibi poteſtate.

Ad II. dico: Quod etſi Abrahamus nullam in perſona ſua, ſuaque familia injuriam paſſus eſſet ab illis Regibus, attamen læſus fuerat in amico & nepote ſuo injuſte abducto: potuit ergo in illius gratiam bellum recuperatonum ſuſcipere.

Ad III. Conditiones quidem illas eſſe ſervandas, quando juſtum eſt bellum, & ab utraque parte voluntarie ſuſceptum, & poſtquam utrimque conventum eſt de captivorum reſtitutione, & pro eis ſatisfactione: ſecus vero eſt, ubi quis in alium manufacta de repente irruit, nulla præmiſſa denunciatione; ut qui belli calamitates evadere cupiunt, ab adverſariis recedant: quod utique contigit in præſenti negotio; ſi enim talis facta fuiſſet denunciatio a Regibus oppugnantibus dubio procul ab ea regione receſſiſset Loth, utpote cum in ea eſset inquilinus & advena.

Enarrata Abrahami pugna & victoria, pergit Moſes deſcribere ejus triumphum, & referre acclamationes & benedictiones quibus eum exceperunt Sodomorum Rea, & *Melchiſedech* Rex Salem, qui *proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altiſſimi, benedixit ei*, ab eo vero decimas accepit ſpoliorum omnium, quæ ex devictis Regibus reportaverat: *Eum* (inquit Philo) *ſuſpicatus redeuntem reducentemque ſuos omnes ad unum incolumes & victores, attonitus tanti facinoris magnitudine, & id quod verum erat, cogitans, præſentem ei opem divinam adfuiſſe, manus ad Cælum tendens fauſta illi precatus eſt, mactatiſque victimis ſplendidum epulum ſuis omnibus dedit.*

Hunc autem Melchiſedechum plurimis encomiis celebrat, una cum Moſe S. Paulus ad Hebræos 7. I. Enim uterque eum appellat *Regem Salem*, hoc eſt, *Regem pacis*: vel ut interpretatur Apoſtolus, *Regem juſtitiæ*. II. Sacerdotem Dei altiſſimi: Sacerdotem quidem *perpetuum*, ait Apoſtolus. III. Idem S. Paulus dicit eum *ſine patre, ſine matre, ſine genealogia; neque initium dierum, neque finem vitæ habere*. IV. Adiicit illum *aſſimilatum eſſe Filio Dei*.

V. Ipſum eſſe majntem multoque præſtantiorem Abrahamo; quod his rationibus comprobat. 1. Quia Abrahamus decimas dedit ei de præcipuis; inferioris autem eſt decimas ſuperiori proferre; quod probat exemplo Sacerdotum tribus Leviticæ decimas accipientium a fratribus ſuis. 2. Quod benediaetit Abrahæ; *Sine ulla autem contradictione*, inquit, *quod minus eſt, a meliore benedicitur*. 3. Quod aliorum Sacerdotum mors memoretur; hic autem in Scriptura teſti nonium habet *quia vivit*. Poſtremo quia Melchiſedech figura fuit Sacerdotii Chriſti, qui Sacerdos eſt in æternum, non ſecundum ordinem Aaron, ſed *ſecundum ordinem Melchiſedech*. Cum autem tot encomiis & elogiis celebretur.

QUÆRITUR II.

Quis fuerit ille Melchiſedech.

QUæſtionem hanc non eſſe facilis expoſitionis & reſolutionis, indicat Apoſtolus *ad Hebr.* 5. v. 11. ubi ſermonem faciens de Melchiſedecho ait: *De quo nobis grandis ſermo, & ininterpretabilis ad dicendum &c.* Non quod Apoſtolus non potuerit id exponere; ſed quia tanti myſterii audiendi nondum capaces erant illi, ad quos ſcribebat, ut ipſemet ibidem ſubiicit. Unde S. Hieronymus *epiſt. ad Evagrium*, qui illum

lum de præſenti quæſtione rogaverat, ait: *Si vas electionis ſtupet ad myſterium, & de quo diſputat, ineffabile confitetur; quanto magis nos vermiculi, & culices ſolam debemus ſcientiæ inſcitiam confiteri &c.*

Verum, licet quis præciſe fuerit Melchiſedech, certo definire operoſum ſit, cum perpauca de illo Spiritus-Sanctus revelare & ſcribi voluerit; tamen quæ fuerit de illo veterum Scriptorum ſententia, conveniens eſt aperire.

I. Itaque extiterunt quidam hæretici auctore *Theodoto Trapeſita*, qui Melchiſedecum, cœleſtem quamdam ac ſupernam virtutem eſſe Chriſto majorem aſſeruerunt, teſtibus *Tertulliano* lib. de præſcriptionibus adverſus hæreticos *S. Epiphanio* hæreſi 55. *Theodoreto* lib. 2 hæreticarum fabularum cap. 6. aliiſque; idcirco hæretici illi dicti ſunt *Melchiſedeciani*.

II. Fuit alter hæreſiarcha nomine *Hierax* natione Ægyptius, vir eruditus, qui commentaria in Vetus & Novum Teſtamentum docta quidem, ſed hæreſibus inquinata edidit. in eis enim contendebat Melchiſedechum fuiſſe Spiritum-Sanctum qui Abrahamo humana carne veſtitus apparuerit, & ei benedixerit: cujus errorem ſectatus eſt Auctor ille anonymus, cujus librum refellendum Evagrius miſit ad S. Hieronymum, quemque ille S. Doctor Epiſtola. 126. ad ipſum Evagrium, diſerte confutavit. Eandem erroneam ſententiam propugnavit Auctor quæſtionum Novi & Veteris Teſtamenti S. Auguſtino perperam adſcriptarum, earum enim ſcriptorem Hylarium Sardum Romanæ Eccleſiæ diaconum, non abs re exiſtimant recentiores S. Auguſtini operum Editores.

III. Plurimi ſunt qui arbitrantur Melchiſedechum fuiſſe ipſum Dei filium, qui in aſſumpto umbratili corpore, non ſolum ipſi Abrahamo, ſed & aliis Veteris Teſtamenti Patribus viſus fuerit. Quam opinionem pridem extinctam excitavit Petrus Molineus Calviniſta; eamque propugnavit Petrus Cunæus in libro de Republica Hebræorum.

IV. Origenes & Didymus ejus diſcipulus teſte S. Hieronymo loco mox laudato, exiſtimavit Melchiſedechum fuiſſe Angelum illum, qui vice Dei, Patriarchis viſus fuerit & eis locutus.

V. Samaritani contendunt ipſum fuiſſe Sem Noe filium, teſte S. Epiphanio hæreſi 55.

VI. Judæ putant Melchiſedechum eundem eſſe cum Semo Noe filio, ita Jonathan; *Et Rex juſtus*, inquit, (nempe *Sem* filius Noe) *Rex Jeruſalem exiit in occurſum Abrahæ &c.* Targum Jeroſolymitanum: *Melchiſedech eſt Sem magnus*. Et R. Salomo ex Midras Agada: *Melchiſedech Rex Jeruſalem eſt Sem magnus &c.* Verum quantum hæ omnes ſententiæ alienæ ſint a veritate, & genuino Scripturæ ſenſu, apparebit in ſequentibus paragraphis.

§. I.

Melchiſedech non fuit aliqua cœleſtis virtus Chriſto Domino præſtantior.

PRobatur I. Nulla cogitari poteſt virtus eo præſtantior, qui verus eſt Deus ſuper omnia benedictus; & ſupremam in omnes prorſus creaturas auctoritatem, & poteſtatem habens: at Chriſtus, teſte Apoſtolo a, eſt *Deus magnus, ſuper omnia benedictus in ſæcula*. b *Splendor gloriæ Patris, & figura ſubſtantiæ ejus* c: *Portans omnia verbo virtutis ſuæ*. d Qui in principio erat apud Deum, & Deus ipſe, per quem facta ſunt omnia, & ſine quo factum eſt nihil. Igitur Melchiſedech iſte non erat Chriſto major & præcellentior.

(a) *Ad Timum*. 2. 13.
(b. *Ad Rom*. 9. 5.
(c) *Ad Hebr*. 1. 3.
(d) *Joan*. 1.

II. Qui aſſimilatus eſt Filio Dei (ait S. Epiphanius hæreſi 55.) ei, non eſt æqualis; multo minus ſuperior: ſed ex Apoſtolo. e Melchiſedech *aſſimilatus eſt Filio Dei*: igitur non fuit eo ſuperior.

(e) *Ad Hebr*. 7.

III. Qui decimas accipit ab alio virtute ſuæ dignitatis, ſuique miniſterii, in proprios uſus inſumendas, cenſeri non poteſt aliqua virtus cœleſtis; cœleſtia namque terrenis non indigent, ſed Melchiſedech decimas accepit ab Abrahamo: igitur ille non fuit aliqua cœleſtis virtus.

IV. Omnes cœleſtes virtutes intra aliquem Angelorum ordinem cenſentur; nullus autem Angelus, quantumvis ſublimis & præcellens, Chriſto major eſt; imo longe inferior, ut plurimis argumentis probat Apoſtolus ad Hebræos cap. 1. igitur &c.

§. II.

Melchiſedech non fuit Spiritus-Sanctus.

PRobatur I. Qui nuſquam humanitatem induit, nec inter homines humana carne velatus apparuit, ille dici non poteſt Melchiſedech: at Spiritus-Sanctus nullibi dicitur factus homo, nec inter homines humanitate vera, aut umbratili aſſumpta, converſatus; nullus ſiquidem Scripturæ textus id indicat. Inſuper *ſi ſecundum carnem natus eſt Spiritus-Sanctus*, (inquit S Epiphanius) *cum Maria Salvatorem ediderit, dicat nobis Hyeracas, ubi nam Gentium ea ſit, quæ Spiritum-Sanctum pepererit?*

II. Melchiſedech erat Sacerdos Dei altiſſimi, qui nimirum cum Angelis Deum lauda-

darer, eique ſacrificium offerret: ſed (ait S. Cyrillus Alexandrinus) Spiritus-Sanctus nec Deo ſacrificare, nec Deum laudare poteſt: qui enim ſacrificium offert, non ſibi ipſi, ſed Deo, ut ſuperiori ſacrificat. Nullus pariter legitime ſeipſum laudat; igitur quiſquis dicit Spiritum-Sanctum Sacerdotio fungi, pariter aſſerere debet eum eſſe natura divina inferiorem, & creatis accenſeri; quod aſſerere de Spiritu-Sancto blaſphemium eſt. Unde cum idem S. Cyrillus probaſſet Chriſtum Dominum non eſſe Sacerdotem, nec Sacerdotio functum, præciſe ut eſt Filius Dei, ſed ut Deus homo: colligit quod ſi Spiritum-Sanctum ſacrificio functum dicamus, divina ipſum gloria privamus; atque in iis quæ Deo inferiora ſunt, conſtituimus, quod eſt impium: igitur &c.

His autem adverſæ ſententiæ propugnator opponit. I. Qui alteri propria auctoritate, non vero a Deo delegata benedicit, ille cenſendus eſt aliquid eſſe ſupra ſortem creaturarum: ſed Melchiſedechus ille benedixit Abrahamo auctoritate ſibi propria, non vero miniſteriali; ait enim Moſes abſolute: *Benedixit ei*; igitur, &c.

II. Qui & virtute & dignitate major & præſtantior eſt Abrahamo, Deus eſt cenſendus: ſed Melchiſedech major & præſtantior fuit Abrahamo: igitur &c. Majorem probat auctor ille; quia, inquit, nullomodo fieri poteſt, ut homo puretur, qui præponitur tanto amico Dei, & adeo fideli, ut propter ejus amorem, ne ſuum quidem filium chariſſimum dubitaverit occidere. Minorem vero probat, ex eo quod Melchiſedech Abrahamo benedixerit: porro teſte S. Paulo: *Quod minus eſt, a meliore benedicitur*. Inſuper Abrahamus dedit illi decimas tanquam ſuperiori & præcellentiori, quo ſe multo inferiorem exiſtimabat: igitur cenſebat illum ſupra hominum ſortem; ac proinde unam e divinis Perſonis, non Patrem, quia nuſquam apparuit: non etiam Filium, quia non erat natus: igitur Spiritum-Sanctum.

III. Melchiſedech dictus eſt *Rex pacis*, & *juſtitiæ*, hoc eſt, utriuſque auctor & largitor: ſed ſolus Deus, non autem homo quantæquantæ dignitatis, ſit, poteſt eſſe pacis & juſtitiæ auctor, igitur &c.

IV. Nullus ſimilis Filio Dei dici poteſt, niſi qui ſit ejuſdem cum ipſo naturæ: at Melchiſedech dicitur ſimilis Filio Dei: igitur ejuſdem eſt cum ipſo naturæ: alia his ſimilia ſubiicit argumenta, quæ in ſequenti paragrapho proponentur, & diſſolventur.

Ad præfata vero objecta facilis eſt reſponſio; nam ad duo priora, neganda eſt minor; nullo ſiquidem argumento probari poteſt Melchiſedechum non miniſteriali, ſed propria auctoritate Abrahamo benedixiſſe; imo contrarium indicat Moſes, cum ait, illum idcirco benedixiſſe Abrahamo, quia *Sacerdos erat Dei altiſſimi*: hinc non dixit; *tibi benedico*: ſed ait: *benedictus a Deo excelſo*: hoc eſt, precor Deum excelſum, ut tibi benedicat.

Ad III. Dico Melchiſedechum eſſe dictum Regem *pacis* & *juſtitiæ*, non quod utriuſque eſſet propria auctoritate largitor: ſed quod, ad utramque obtinendam a Deo, eſſet ex officio ſacerdotali mediator. Adde quod phrasi Hebraica, Rex *pacis* & *juſtitiæ*, idem ſit, ac Rex juſtus & pacificus, quibus nominibus, propterea quod eſſet tranquillitatis & virtutis ſectator, merito potuit donari. Inſuper dictus eſt *Rex juſtitiæ* ex etymologia ſui nominis; *Melchiſedech* enim, nomen eſt compoſitum ex duabus vocibus, quarum prima ſcilicet *Melech* ſignificat Regem; & *Sedech*, juſtitiam. Dictus eſt etiam *Rex pacis*, quia præerat civitati Salem, quæ vox pacem denotat.

Ad IV. Dico falſum eſſe aliquem non poſſe dici ſimilem Filio Dei, qui non ſit ejuſdem cum ipſo naturæ: imo, ubi eſt naturæ identitas, ibi nulla ſimplex ſimilitudo: idcirco Eccleſia merito damnavit Semi-Arianos, quod dicerent quidem Filium Dei eſſe Patri ſimilem; nollent tamen conſubſtantialem admittere; hoc eſt, confiteri quod ejuſdem eſſet cum Deo Patre eſſentiæ, majeſtatis & poteſtatis.

§. III.

Melchiſedech non erat Dei Filius, qui in umbratili carne aſſumpta, Abrahamo apparuerit.

PRobatur I. Chriſtus Dominus Pſalm. 109. v. 17. dicitur *Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*: at qui Sacerdos eſt ſecundum ordinem & ritum alterius, non poteſt idem cenſeri cum ipſo; abſurde enim quis diceretur Sacerdos ſuum ſecundum proprium ordinem: igitur Filius Dei non erat ipſe Melchiſedech.

II. Melchiſedech tempore Abrahami fuit Sacerdos Dei altiſſimi *Geneſ.* 14. *v.* 18. ac proinde ex hominibus aſſumptus; *omnis enim Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur; ut offerat dona, & ſacrificia &c.* Hebr. 5. 1. porro tempore Abrahami Filius Dei dici non potuit ex hominibus aſſumptus, cum nondum eſſet homo: nec obtuliſſe ſacrificia, quippe id nullibi Scriptura indicat: imo *Novi Teſtamenti Sacerdos & Mediator* apellatur, Hebr. 9. igitur &c.

III. Melchiſedech ab Apoſtolo dicitur *aſſimilatus Filio Dei*: porro nullus dicitur aſſimilatus ſibi ipſi: igitur Melchiſedechus diſtinctus erat, longeque diverſus a Filio Dei.

IV. Qui Rex eſt unius civitatis, baberque populum ſibi ſubditum cui præſit, quique fungitur officio Sacerdotis, & omnia implet Sacerdotalia munia, ille cenſeri non poteſt umbratili carne ad modicum duntaxat tempus larvatus: Porro Rex & Sacerdos erat Melchiſedech, ut conſtat ex dictis: igitur

non

Digitized by Google

non umbratili, ſed vera carne conſtabat; eratque, non ipſe Dei Filius, ſed verus & purus homo.

Opponunt I. Adverſæ ſententiæ propugnatores, quod ſi Melchiſedech revera fuiſſet alicujus civitatis & populi Rex & Sacerdos, cum populus ille fuiſſet veri Dei fidelis cultor, dubio procul ad eos potius declinaſſet Abraham egreſſus ex Ægypto, quam ad Aner, Eſcol, & Mambre, qui erant Principes Ethnici: verum ſecus factum eſt: igitur Melchiſedechus ille non erat verus Princeps & Sacerdos: ſed hæc Chriſto metaphorice fuerunt adſcripta, quod nimirum tunc in aſſumpta umbratili carne delineabat id quod erat in vero quondam ſumendo corpore facturus; nimirum impleturus officium Regis juſtitiæ & pacis & Sacerdotis Dei altiſſimi.

Reſpondeo quod cum Moſes & S. Paulus conſtanter aſſerant Melchiſedechum occurriſſe Abrahamo; eumque fuiſſe Regem Salem, & Sacerdotem altiſſimi, cumque eorum verba meram narrationem & hiſtoriam indicant, citra injuriam non poſſunt a ſenſu litterali, ad ſolum myſticum detorqueri; alioqui nulla cenſenda eſſet in ſacris libris genuina hiſtoria: quippe cum in ea nihil ita litterale occurrat, quod hominum criticorum arguriis, tropice non poſſit exponi.

Ad id vero quod adiicitur, Melchiſedechum non potuiſſe dici Sacerdotem populi fidelis; quia ſi hic populus extitiſſet potius ad eum, quam ad Ethnicos declinaſſet Abrahamus: dico illationem illam nullius eſſe momenti; ſiquidem potuit hic populus ignotus eſſe Abrahamo, antequam illi occurriſſet Melchiſedech, utpote cum Abrahamus eſſet recens inquilinus & advena in illis regionibus. Deinde cum numeroſam haberet familiam, gregemque copioſiſſimum, apud eos confidere debuit, qui eum amice & benevole volebant excipere; ut exceperant Aner, Eſcol & Manbre quibuſcum fœdus pepigerat. Adde quod veriſimile ſit hos Principes fuiſſe veri Dei cultores,

Opponunt II. Melchiſedech dicitur *Sacerdos in æternum*: ſed Sacerdos in æternum nulli alteri, quam Chriſto Domino convenit: igitur Melchiſedech ille non alius fuit, quam Dei Filius, qui aſſumpto umbratili corpore ſe viſibilem Abrahamo præbuerit.

Reſpondeo, Melchiſedechi Sacerdotium æternum dici non litteraliter; ſed typice & figurative, quod ſcilicet æterni Chriſti Domini Sacerdotii typus & figura fuerit; ea ſcilicet ratione, inquit S. Epiphanius hæreſi 55. quod ipſe: „ Poſt ſe nullum ſucceſſorem habuit, nec ei Sacerdotium eſt „ abrogatum, ſed Sacerdos toto vitæ ſuæ „ tempore manſit: quare adhuc in ſacris litteris eadem Sacerdotii dignitate celebratur. Cum nemo ei ſucceſſerit; aut illam „ Sacerdotii functionem, quam ſuo tempore nactus eſt, everterit. Eodem plane modo Dominus noſter non nudus homo; ſed „ ex Deo Deus Verbum, Deique Filius, „ ab eodem nullo initio aut tempore genitus, ſacerdotale Patri ſuo munus offert, „ accepta natura ex hominum maſſa, ut pro „ nobis Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech ſucceſſione omni carentem conſtituatur. Manet enim & aſſidue dona „ pro nobis offert... Ipſe ſacrificium; ipſe „ Sacerdos; ipſe altare; ipſe Deus; ipſe homo; „ ipſe Rex; ipſe Pontifex; ipſe Ovis; ipſe „ Agnus; adeoque omnia in omnibus propter „ nos eſt factus; ut modis omnibus nobis vitam ſuppeteret; ac Sacerdotii ſui conſtantem & immutabilem firmitatem in ſempiternum ſtatueret.

Urget: Aut Melchiſedech Sacerdos, unus idemque erat cum Filio Dei Meſſia venturo, aut perſona & officio ab eo diſtinctus: ſi primum, igitur falſa eſt noſtra aſſertio: ſi ſecundum, itaque duo admittendi ſunt diverſi Sacedotes perpetui, ſi.que duo erunt perpetua, & æterna Sacerdotia, quod certe nemo veterum antea, neque e recentioribus quiſquam hactenus, vel per ſomnium, dixit.

Reſpondeo, Melchiſedechum a Chriſto Filio Dei diſtingui & perſona & officio; nec tamen exinde ſequi duo perpetua & æterna eſſe Sacerdotia; quippe cum Melchiſedechi Sacerdotium fuerit tantum typus Sacerdotii Chriſti Domini: typus autem accedente veritate, diſſolvitur, ac evaneſcit. Melchiſedechi autem Sacerdotium non alia ratione dicitur perpetuum ab Apoſtolo, ut jam obſervatum eſt, quam quia fuit figura Sacerdotii Chriſti Domini in æternum permanſuri; cum autem typus & figura in veritatem, quam præſignabant, commutentur tandiu cenſeri poſſunt ſubſiſtere, quandiu veritas permanebit.

Opponunt III. Qui veros ac legitimos habuit characteres Filii Dei, ille revera Filius Dei eſt dicendus: at Melchiſedech talis extitit: igitur &c. probatur Minor: triplici potiſſimum charactere illuſtratur Dei Filius. I. Quod ſit ſine patre, ſine matre, ſine genealogia; neque enim matrem habet in æterna ſua generatione; nec patrem in temporali; nullamque habet genealogiam, quippe qui nullos filios genuerit. II. Quod ſit *Alpha & Omega*, principium & finis; *Apocal.* 1. Hoc eſt, neque initium dierum, neque finem vitæ habeat. III. Quod tot ac tantis ornatus ſit dotibus, ac præcellentiis, ut hominum nullus eos deprehendere poſſit, & exponere. Porro tria hæc Melchiſedecho attribuit Apoſtolus: duo quidem priora *ad Hebræos* 7. *v.* 2. 3. ubi Melchiſedech dicitur *ſine patre, ſine matre, ſine genealogia; neque initium dierum, neque finem vitæ habens*. Tertium vero *cap.* 5. *v.* 11. ubi de Chriſto loquens: *Appellatus*, ait, *Pontifex juxta ordinem Melchiſedech: de quo nobis grandis ſermo, & ininterpretabilis ad dicendum: igitur &c.*

Diſtinguo minorem. Tres illi characteres tribuuntur Melchiſedecho ſecundum quamdam ſimilitudinem & appropriationem, ſeu quatenus typus fuit Chriſti, Concedo: ſecundum rei veritatem, & eandem eminentem perfectionem quæ Chriſto Domino propria eſt, Nego. Chriſtus quidem abſolute dici poteſt ſine patre, & ſine matre, quia nec in æterna generatione matrem habuit, nec in temporali patrem; tametſi revera patrem

patrem æternum, & matrem temporalem agnoſcit. Melchiſedech vero, licet patrem & matrem habuerit temporalem; quia tamen eorum nomina non referuntur in Scriptura ſacra; idcirco hac ratione eum Chriſto Domino aſſimilat Apoſtolus; dicitque ipſum non habuiſſe patrem, nec matrem, nec genealogiam; quia in Scriptura non memorantur: *Cum enim* (inquit Theodoretus *Dialogo* 2. ubi hunc Apoſtoli textum exponit) *hiſtoria ſacra Patriarchæ Abraham patrem nos docuiſſet; Iſaac vero patrem & matrem, & Jacob ſimiliter, atque hujus filiorum, ſed & priſcorum quoque Patrum ſeriem expoſuiſſet, Melchiſedech patrem & matrem non nominavit, neque illum ab aliquo ex Noe poſteris genus ducere docuit, ut eſſet typus illius qui vere eſt ſine patre & ſine matre.*

Simili ratione dicitur neque initium dierum, neque finem vitæ habere; quod ejus ortus, & interitus non referantur. *Antiquam Genealogiam* (inquit Theodoretus mox laudatus) *conſcribens divinus Moyſes, docuit Nos quod Adam, cum tot eſſet annorum, genuit Seth: & cum tot vixiſſet annos, vitæ finem accepit. Sic etiam de Seht, & Enos, & reliquis dixit. Melchiſedech vero & ortus principium, & vitæ finem ſilentio præteriit. Quare ſecundum hiſtoriam nec initium dierum nec vitæ finem habet: at ſecundum veritatem unigenitus Dei Filius nec cœpit eſſe, nec finem habiturus eſt.*

Ad tertium dico, verba illa Apoſtoli: *De quo nobis grandis ſermo & ininterpretabilis*, non ſpectare præciſe perſonam ipſius Melchiſedechi, ſed analogiam quam ejus Sacerdotium habebat cum Sacerdotio Chriſti, quem ibidem verum eſſe Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech, Sacerdotibus Aaronicis multo præſtantiorem demonſtrat. Dicit autem illam convenientiam & analogiam inter utrumque Sacerdotium Melchiſedechi & Chriſti, eſſe ininterpretabilem; non quod ipſe non potuerit tunc illam exponere: ſed quia illi ad quos ſcribebat, ut addit: quoniam *Imbecilles facti eſtis ad audiendum. Etenim cum deberetis magiſtri eſſe propter tempus; rurſum indigetis, ut vos doceamini quæ ſint elementa exordii ſermonum Dei; & facti eſtis quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo.*

Opponunt tandem. Certiſſimum eſt ab Abrahamo viſum Chriſtum Dei Filium, ipſomet Chriſto Domino teſte Joan. 8. v. 56. *Abraham pater veſter exultavit ut videret diem meum, vidit & gaviſus eſt*: at non alia ratione Abrahamus cenſendus eſt vidiſſe Chriſtum, niſi quando occurrit ipſi Melchiſedech: igitur Melchiſedech ille, idem erat Chriſtus D. umbratili corpore tunc velatus.

Nego minorem; convenientiori ſiquidem ordine dicendus eſt Abraham vidiſſe Chriſtum in celebri illa apparitione, quæ refertur, *cap.* 18. Tametſi enim tres virili ſpecie tunc conſpexerit, unicum tamen eorum, *Dominum*; appellavit, adoravit, & ut Sodomitis parceret, deprecatus eſt. Nulla autem mentio viſionis Dei refertur in occurſu Melchiſedech: at in illa trium diverſatione in ædibus Abrahami, dicitur apparuiſſe Deum: ibi igitur dicendum eſt potius vidiſſe diem Domini.

Adde quod præciſe non dicatur ab Abrahamo viſum eſſe Chriſtum; ſed viſum eſſe diem ejus, hoc eſt, futuram ipſius in carne manifeſtationem, quam non oculis corporeis ſed mentis & fidei intuitus eſt. Quod etiam conceſſum fuit omnibus fidelibus Veteris Teſtamenti, qui omnes Chriſtum venturum credebant, & in eum ſperabant; tametſi viſio illa major, minorque fuerit, juxta eorum fidei majorem vel minorem perfectionem.

§. IV.

Melchiſedech non erat Sem Noe filius.

PRobatur I. Ex Apoſtolo ſupra laudato Melchiſedech dicitur, *ſine patre, ſine matre, ſine genealogia*, quod videlicet ipſius patris & matris, atque anteceſſorum & ſucceſſorum nomina Scriptura ſacra non memoret: at iſta de Semo non poſſunt affirmari; quippe cum ejus parentes, nativitatem & genealogiam, nedum Moſes, ſed & auctor lib. 1. Paralippomenon enarrent. Igitur &c.

II. Idem Apoſtolus dicit generationem Melchiſedechi extraneam eſſe & omnino diſtinctam a genere & gente Levitarum: *Cujus autem*, inquit, *generatio non annumeratur ab eis, decimas ſumpſit ab Abraham &c.* At ſi Melchiſedech fuiſſet Sem, ipſius generatio non fuiſſet Iſraelitis, ac Levitis extranea; nam Iſraelitæ Semum ſuos inter majores recta ſerie numerabant.

III. Sacerdotium Melchiſedechi penitus diſtinctum fuit a Sacerdotio Levitarum, ut ibidem demonſtrat Apoſtolus: at ſi Melchiſedech ille fuiſſet Sem, ipſius Sacerdotium non fuiſſet omnino a Sacerdotio Levitico Semi diſtinctum, ſiquidem Levi, Semi nepos non minus fuiſſet decimatus in illius, quam in lumbis Abrahæ ipſius atavi.

IV. Si Melchiſedech fuiſſet Patriarcha Sem, cum illius nomen plurimum contuliſſet ad illuſtrandam Judaicæ gentis hiſtoriam dubio procul non fuiſſet illud a Moſe prætermiſſum; neque enim congruum erat virum æterna laude & memoria dignum, tum propter Regiam dignitatem tum ob veri Dei cultum inter Idololatras, obſcuro & novo nomine indicaſſe.

Ex his omnibus manifeſtum fit Melchiſedech non fuiſſe Semum; quamquam communis ſit Hebræorum ſententia hunc vixiſſe nedum ad Abrahami, ſed etiam ad Iſaaci tempora, ut obſervat S. Hieronymus quæſtionibus in Geneſim. Itaque improbatis aliorum ſententiis, ſupereſt ut quid hac in re probabilius nobis videatur, jam ſtatuamus.

§. V.

Veriſimile eſt Melchiſedechum fuiſſe unum ex Patriarchæ Semi poſteris.

PRobatur I. Quia, ut dictum eſt, ad *cap.* 13. in diviſione & diſtributione totius terrarum orbis a Noe tribus filiis ſuis facta Palæſtina in Semi partem ceſſit, ut docet S. Epiphanius num. 116. *Cum*, inquit, *Palæſtina in Semi partem ceſſiſſet cum adjacentibus regionibus, Chanaan filius Cham alieni cupidus & injurius, eam quæ poſtea Palæſtina dicta eſt Judæa, invadit, ac per vim eripuit &c.* Idem habet in recenſione & reſutatione Hæreſum, cap. 66. Cui, ut dictum eſt, ſubſcribunt nedum e veteribus, ſed etiam ex recentioribus plurimi: maxime perdoctus Clarius: Unde peritiſſimus Geographus N. *Samſon*, in ſuis tabulis & deſcriptionibus totius orbis diſtributi inter Noe filios, regionem Palæſtinam una cum aliis plurimis verſus Orientem Semi poſteris aſſignat.

Idque confirmatur *Geneſ.* 10. ubi cum Moſes enumeraſſet plures Semi poſteros & nepotes, addit v. 30. *Facta eſt habitatio eorum de Meſſa pergentibus uſque Sephar montem orientalem.* Palæſtinæ autem regio, & aliæ, quæ in partem Semi ceſſerant, orientales erant reſpective ad illas regiones, quæ Japheto & Chamo fuerant aſſignatæ.

II. Tamerſi Chriſtus Dominus Dei Filius in ſua nativitate temporali venerit quærere & ſalvum facere quod perierat; ac propterea non fuerit dedignatus ex ea naſci progenie, quæ nonnullos e ſuis Majoribus impios & peccatores habuerat; attamen cum proximos parentes noluerit habere, niſi Juſtos & Sanctos, uti Joachimum & Annam; atque ex eis beatiſſimam Virginem Virginum omnium puriſſimam unaque virtutibus ac cœleſtibus dotibus ornatiſſimam; volueritque Evangelii ſui diſſeminandi non alium habere Prodromum & præcurſorem quam S. Joannem-Baptiſtam ſanctificatum in matris utero, a puerili ætate in deſerto agentem, ne ex hominum commercio levi ſaltem maculare vitam ſamine poſſet; & quo inter natos mulierum, ipſo Chriſto teſte, nullus umquam major extitit: quis rationis compos exiſtimare poterit, ab ipſo ſibi in plurimis aſſimilandum, & in æterni ſui Sacerdotii præcurſorem, ac præſtantiſſimam figuram, ſelectum hominem ex Chanaanis (ut vulgo creditur) execranda progenie natum? Non alios in ſua temporali nativitate proavos habere voluit, quam a ſanctiſſimo Patriarcha Semo prognatos; ita ne eſt, ut ex maledicta Chami familia ſelegerit hominem qui incruentum & illibatum ac perpetuum ſuum ſacrificium ad vivum adumbraret? id credat quiſquis voluerit; at non ego.

III. Hæc peculiaris fuit Semi prærogativa, quod præ cæteris fratribus, fuerit eximius atque zelantiſſimus Dei cultor; quod utique manifeſtum fit ex Noe verbis; cum enim hic S. Patriarcha, in Chamum iratus propter contumeliam ſibi ab illo factam, imprecationem in illius Chami filium fulminaſſet, ad Semum converſus ait, *Benedictus Deus Sem; ſit Chanaan ſervus ejus:* quibus verbis Deum appellando *Deum Semi*, tacite innuit, Semum eſſe fidelem Dei cultorem; atque idcirco Deum ipſi in omnibus fore propitium.

Egregium quippe alicujus hominis pietatis eſt indicium, necnon Dei erga illum amoris & benevolentiæ argumentum, cum peculiari titulo Deus ſe illius fore Deum profitetur. Unde Pſalmiſta: *Beata gens cujus eſt Dominus Deus ejus;* proinde cum Deus hic appelletur *Deus Semi*, colligere licet ex illius Patriarchæ poſteris ſemper aliquos eſſe futuros veri Dei cultores: at id inferri nequit niſi ex Melchiſedecho, ejuſque Majoribus. Tametſi enim Abrahamus, Iſaac, & Jacob, ejuſque filii, & eorum nepotes a Semo per lineam Heber prognati verum Deum coluerint; attamen a nonnullis ex illorum avis & proavis, Deos alienos cultos eſſe, conſtat ex Joſue, *cap. ultimo.* Cum autem Melchiſedechus nedum fuerit veri Dei cultor, ſed etiam Sacerdos; inde inferre licet illum hoc utrumque beneficium a ſuis Majoribus Semi nepotibus, continua ſucceſſione obtinuiſſe.

Repones fortaſſis, hanc illationem pugnare adverſus ea quæ dicta ſunt in prima probatione: ſi enim verum ſit a Chananæis e Palæſtina exturbatos fuiſſe omnes Semi poſteros; qua ratione ibi perſtitiſſent Melchiſedecis Majores, veri Dei cultores?

Reſpondeo a Chananæis eos duntaxat exturbatos fuiſſe Semi poſteros per lineam Arphaxad, Sale, & Heber, hujuſque filiorum ac nepotum Majorum Abrahami; non vero eos omnes qui a Semo ex alia linea, aliiſque filiis erant oriundi: illi enim in mente S. Epiphanii, & aliorum citatorum, cenſendi ſunt expulſi, quorum filiis ac nepotibus, aut ſaltem illorum aliquibus, ſpondet Deus ſe illos revocaturum in terram patrum ſuorum: at id ſpondet Deus Abrahamo ejuſque ſucceſſoribus per lineam Heber a Semo prognatis igitur &c.

Accedit quod Chami progenies, quæ regionem Ægypti primum occupavit & incoluit, præ ſua multitudine in alias plagas irrumpens, ut commodam habitationem ſibi compararet, eas invaſerit terras Ægypto viciniores, a quibus longe diſtabat *Salem*, quam incolebat, & ubi regnabat Melchiſedech, ut ex infra dicendis conſtabit. Si Iſraelitæ a Deo in mandatis habentes exterminandi omnes Chananitidis incolas, plurimos tamen reliquerunt intactos, quidni ipſi Chananæi a Semo prognatos aggreſſi, nonnullos viribus ac multitudine præſtantes, quales æſtimari poſſunt Melchiſedecis majores, non auſi fuerint impugnare?

Digitized by Google

Inſtabis. Ii, quibus præerat Melchiſedech, erant oriundi ex Chanaan: igitur & ille. *Probatur antecedens*; urbs cui imperabat, erat *Salem:* At Salem incolæ erant Chanaanis progenies. *Probatur*; Urbs quæ Melchiſedecis ætate dicebatur *Salem*, deinde dicta eſt *Jebus* a Jebuſæis illam incolentibus; unde conflatum eſt nomen *Jebus-Salem*, ſeu *Jeruſalem*, Joſue 18. 28. & 1. Paralipp. 11. 4. At Jebuſæi erant filii Chanaan, ut conſtat ex Geneſ. 10. 16. igitur &c.

Reſpondeo, probabilius mihi videri urbem *Salem*, cui præerat Melchiſedech, non eam fuiſſe, quæ poſtmodum dicta eſt *Jeruſalem*: 1. Quia id aperte negat S. Hieronymus *Epiſt. ad Evagrium*, ubi ſcribit: „ Salem
„ non, ut Joſephus, & noſtri omnes arbi-
„ trantur, eſſe *Jeruſalem*, nomen ex Græco
„ Hebraicoque compoſitum: quod abſur-
„ dum eſſe peregrinæ linguæ mixtura de-
„ monſtrat; ſed oppidulum juxta Scytho-
„ polim, quod uſque hodie appellatur *Sa-*
„ *lem*: & oſtenditur ibi palatium Melchi-
„ ſedech, ex magnitudine ruinarum, veteris
„ operis oſtendens magnificentiam: de quo
„ in poſteriore quoque parte Geneſeos ſcri-
„ ptum eſt *Venit Jacob in Socoth, id eſt, in*
„ *tabernacula. & fecit ſibi domos, atque ten-*
„ *toria; tranſivit in Salem civitatem regio-*
„ *nis Sichem, quæ eſt in terra Chanaan*;
„ Adjicitque ſe hæc ab eruditiſſimis illius
„ Gentis didiciſſe.

Non me latet illum in Traditionibus Hebraicis de Melchiſedecho ſcribere: *Porro Salem, Rex Jeruſalem dicitur, quæ prius Salem appellabatur.* At id non refert ex ſua, ſed ex Judæorum ſententia, ut ipſemet ſignificat: porro veriſimile eſt Judæos non minus in hoc hallucinatos eſſe, quam cum aſſerunt Melchiſedechum eſſe Semum Noe filium, ut ibidem S. Hieronymus indicat; igitur illis nulla fides.

II. Urbs quæ dicta eſt *Jeruſalem*, nondum erat condita temporibus Abrahami & Melchiſedecis: igitur hic in ea non regnabat. *Probatur antecedens*: Jeruſalem extructa fuit intra tres montes ſeu colles, nempe *Sion* & *Moria*, in hujus enim planitie ut refertur 2. Paralipp. 3. *Cœpit Salomon ædificare domum Domini in Jeruſalem in monte Moria:* porro temporibus Abrahami in monte Moria nullæ erant extructæ domus, nulli incolæ; proindeque nulla ibi civitas. *Probatur*: Abraham a Deo juſſus ut filium ſuum immolaturus pergeret *in terram viſionis*, eumque jugularet ſuper uno monte quem ei Deus monſtraturus erat *Geneſ.* 22. 2. aſcendit in montem *Moria:* nam, inquit S. Hieronymus: *Ubi nunc dicitur, vade in terram excelſam; Hebræus textus habet Moria:* unde Jeruſalem dicta eſt *viſio pacis*, quod Abraham appellaverit nomen loci illius, *Dominus videt &c.* v. 14. at tunc in monte Moria nulla erat urbs, nulli habitatores. *Probatur*, tum quia, veriſimile non eſt, Deum voluiſſe ut ſacrificium illud ex humana victima fieret coram populo, qui execrationi & horrori habuiſſet quod pater propriis manibus filium innocentem in eorum conſpectu jugularet, maxime cum Abrahamus ne ſuos quidem ſervos itineris comites, voluerit hujus ſacrificii eſſe teſtes, v. 5. Tum quia Abrabamus ab Angelo prohibitus ne filium feriret, *Levavit oculos ſuos, viditque arietem inter vepres hærentem cornibus*, v. 3. Quis autem ita levis erit ut credat in Regia civitate, ut erat illa cui Melchiſedech præerat, fuiſſe vepres, & in illis implicatum arietem? nonne potius hæc deſignant, locum illum fuiſſe incultum & incolis vacuum? igitur urbs Salem, cui imperabat Melchiſedech non fuit illa quæ dein Jeruſalem dicta eſt. Confirmabuntur hæc ex mox dicendis.

Tertiam rationem ſubminiſtrat S. Hieronymus in eadem Epiſtola ad Evagrium: „
„ Conſiderandum quoque eſt, *inquit*, quod
„ Abrahæ a cæde hoſtium revertenti: quos
„ perſecutus eſt uſque Dan, quæ hodie Pa-
„ neas apellatur, non de via Jeruſalem; ſed
„ de oppido Metropoleos Sichem, in itinere
„ fuerit: de quo in Evangelio quoque legi-
„ mus: *Erat autem Joannes baptizans in*
„ *Ennon, juxta Salim, quia aquæ erant mul-*
„ *tæ ibi.* Nec refert, utrum *Salem* an *Sa-*
„ *lim* nominetur, cum vocalibus in medio
„ litteris perraro utantur Hebræi, & pro
„ voluntate lectorum, atque varietate re-
„ gionum eadem verba diverſis ſonis atque
„ accentibus proferantur. Hæc ab eruditiſ-
„ ſimis Gentis illius didicimus. *Ita S. Hie-*
„ *ronymus*.

Quod autem Abrahamo victori occurrere non potuerit Melchiſedech ex Jeroſolyma, inde conſtat, quod Abrahamus maneret in convalle Mambre; hoſtes autem inſecutus eſt, non uſque *Dan* Jordanis originem, 50. leucis diſtantem; ſed uſque *Danna* ſeptem aut octo leucis inde conſtitutam, ut probavimus in priori Volumine. Non potuit autem ei victori revertenti occurrere Melchiſedech ex Jeroſolyma, quæ 20. pluſquam leucis inde diſtabat, nec inter Danna & Mambre erat media, ut ex tabulis Geographicis conſtat; igitur &c.

Urgebis idem S. Hieronymus in illa ad Evagrium Epiſtola declarat Melchiſedechum fuiſſe hominem Chananæum & Regem Jeruſalem, eamque eſſe communem SS. Patrum ſententiam, ſcribit enim: „ Verti me
„ ad Hippolytum, Irenæum, Euſebium Cæ-
„ ſarienſem, & Emiſſenum, Apollinarium
„ quoque noſtrum, & Euſtathium, qui pri-
„ mus Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus, con-
„ tra Arium clariſſima tuba bellicum ceci-
„ nit: & deprehendi horum omnium opi-
„ niones diverſis argumentationibus ac di-
„ verticulis ad unum compitum perveniſſe,
„ ut dicerent Melchiſedech hominem fuiſſe
„ Chananæum, Regem urbis Jeroſolymæ,
„ quæ primum *Salem*, poſtea *Jebus*, ad ex-
„ tremum *Jeruſalem* appellata ſit.

Reſpondeo, a S. Hieronymo, iſtis verbis, aliorum quidem recenſeri opinionem: non vero ſuam exponi; quippe qui paulo poſt, ut dictum eſt, contrariam ſententiam ſtatuat & confirmet. II. Dico idcirco a prædictis Patribus & Auctoribus Melchiſedechum appellari *Chananæum*, quod occuparet

par-

partem regionis illius, quam Chananæi incolebant, quæque a majori parte, & incolarum multitudine terra Chananæorum dicebatur: uti nunc omnes in Germania conſiſtentes generatim dicuntur *Alemanni*; quamquam diverſos habeant Principes, etiam diverſam religionem profitentes, diſtinctiſque nominibus appellentur: puta *Auſtriaci*, *Bavari*, *Brandeburgenſes* &c. III. Unus S. Hieronymus nobis debet eſſe pro mille; quippe qui in Palæſtina diutiſſime verſatus, res Judaicas melius noverit, quam cæteri Patres, & eorum quæ narrat teſtis fuerit non ſolum auritus, ut alii; ſed & oculatus; eaque, quæ recenſet, teſtetur ſe audiſſe ab eruditiſſimis illius generis magiſtris.

Adiicies. Si Melchiſedech unus fuiſſet e Semi poſteris, cum pariter ab hoc prodierint Iſraelitæ; dubio procul id non ſiluiſſet Moſes, cum hæc narratio plurimum contuliſſet ad ſuæ gentis gloriam illuſtrandam: cum autem de his tacuerit, indicium eſt rem ita non eſſe.

Reſpondeo, nil mirum quod id Moſes non expreſſerit, quippe qui ſoluto ſuſceperit referendos ſuæ gentis Majores a Semo per lineam Heber prognatos; de aliis vero, licet veri Dei cultoribus, nil niſi obiter ſcripſerit, prout ſuæ ad hiſtoriæ ſeriem occaſio ferebat. Inde eſt quod nil de ſanctiſſimo Jobo niſi obſcure dixerit quamvis hic ex eodem Patriarcha Semo per lineam *Hus* Arphaxadi filio prodierit.

Urgebis tandem. Si Melchiſedech fuiſſet Chananitidis incola, cum eſſet Rex & veri Dei cultor & Sacerdos, inde ſequeretur ipſi fuiſſe fidelem populum, ac proinde Abrahamum non eſſe patrem omnium credentium; quod quam plurimis repugnat Scripturæ textibus.

Reſpondeo, Abrahamum non dici patrem credentium, quod omnes credentes eſſent ex ejus familia plurimi namque verum Deum colebant, quibus nullum cum Abrahamo erat commercium: ſed quod I. Fuit primus qui ex infidelibus Chaldæis a Deo peculiari gratia fuit eductus. II. Quod ipſi primo facta fuerit Meſſiæ ex illius ſanguine promiſſio. III. Quod parens fuit Hebræorum populi, in quo fides & veri Dei cultus perſeveravit ad Meſſiæ adventum, quemque Deus in peculiarem populum ſibi adlegit.

Hic eſſet locus demonſtrandi Sacerdotium Melchiſedechi multo præſtantius fuiſſe Aaronico, multis de cauſis; maxime vero quod adumbraverit incruentum Chriſti in Euchariſtia ſacrificium: ſed quoniam de his abunde dictum eſt in nunc quinto Theologici noſtri operis volumine, ubi agitur de auguſtiſſimo Miſſæ ſacrificio, illuc lectorem remittimus.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XV.

NArrat hoc in capite Moſes duplicem Dei manifeſtationem Abrahæ factam; in quibus quatuor promiſſis ipſius animum recreavit & confirmavit. *Primo* namque ſpondet ſe perpetuum ipſius futurum protectorem, & remuneratorem: *Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis*. *Secundo* daturum ſe ei filium, qui ſit ipſius hæres & cujus poſteritas eſſet ſtellarum inſtar multiplicanda. *Tertio* daturum ſe ei ejuſque ſemini terram in qua verſabatur; cujus limites longe lateque patentes præſcribit. *Quarto* prædicit ejus poſteros peregrinos fore per quadringentos annos in terra aliena, & vexatum iri duriſſima ſervitute.

Verum ſpondet ſe eorum oppreſſores puniturum, & captivos illos ad promiſſam terram & regionem revocaturum, ut illam in hæreditatem perpetuo poſſideant. Quoniam vero de his dubius eſſe poterat Abrahamus, publica ſuarum promiſſionum ſymbola Deus illi præbere dignatur.

Ait itaque Moſes: *Factus, eſt ſermo Domini ad Abraham per viſionem dicens; ego protector tuus ſum &c.* Hæc eſt quarta Dei ad Abraham manifeſtatio & allocutio. *Prima* enim fuit quando in Chaldæa Deus apparens ei, dixit: *Egredere de terra tua &c.* *Secunda*, cum ei terram Chanaan ingreſſo, eamque peragranti Dominus dixit: *Semini tuo dabo terram hanc &c.* Quamobrem Abrahamus *ædificavit ibi altare Domino qui apparuerat ei*, ibidem v. 7. *Tertia* poſtquam Loth ab eo diviſus eſt, eique Dominus dixit cap. 13. v. 14. *Leva oculos tuos, & vide a loco in quo nunc es, ad Aquilonem & Meridiem, ad Orientem & Occidentem. Omnem terram, quam conſpicis, tibi dabo & ſemini tuo.* Igitur ea quæ hoc capite memoratur, eſt ordine quarta.

Quomodo autem hæc divina manifeſtatio facta fuerit? an per ſomnium, ut plurimis Prophetis contigit: an per internam inſpirationem, & impreſſas ipſius Abrahami imaginationi, aut intellectui rerum ſimilitudines? an vero per Angelum, qui ſpecie quidem & figura ſenſibili referebat hominem, auctoritate vero loquendi, Dei vices agebat? invicem non conſentiunt Interpretes. Quartus vero modus mihi videtur probabilior; ſiquidem ea in apparitione fuerunt mutua Dei & Abrahæ colloquia & pacta; atque etiam ipſius Abrahæ vota & poſtulata: Dei vero varia promiſſa & prænunciata.

At, inquies. Cum jam præceſſiſſent tres Dei ad Abraham manifeſtationes & promiſſiones, quid opus erat illas quarto iterare? Inſuper quid ita timendum erat Abrahamo hoſtium victori ac debellatori, ut neceſſum fuerit Deum illi apparere, ut ejus terrorem de-

depelleret, dicens: *Noli timere Abraham &c.*

Reſpondeo, quod etſi timoris cauſam non aperiat Moſes; conjicere tamen licet, quod quamvis andique plauſus darentur Abrahamo propter inſignem ab eo reportatam victoriam; nihilominus variæ cogitationes ejus animum cruciabant. Timendum enim erat ne quinque illi devicti Reges collectis novis copiis, & viribus refectis, rurſus terram Chanaan aggrederentur, & in ipſum Abrahamum ſuum debellatorem impetu facto irruerent.

Quinetiam cum inſignis illa victoria, quam de victis quinque Regibus reportarat vicinis populis eum formidabilem ac ſuſpectum reddidiſſet, eorum in ipſum conflaverat odia, atque ſuſpiciones, ne forte vires quas contra Reges extraneos expenderat, in vicinos & hoſpites converteret. Cum itaque videret plurimos maligne obſtrepere ſuæ victoriæ, timeretque ne manu facta in ipſum inſurgerent; neceſſum fuit, ut novo oraculo dejectum ejus animum Deus erigeret, ſpondens ſe futurum ejus protectorem, atque ampliſſimam laborum mercedem.

De protectione quidem ſecurus erat Abraham, ut qui jam non ſemel eam fuiſſet expertus: de mercede vero videtur fuiſſe dubius; nam ait: *Domine Deus, quid dabit mihi? Ego vadam abſque liberis.* Hoc eſt, quid mihi proderunt divinæ tuæ ſponſiones, cum jam laboribus & ætate fractus, ad mortem & ſepulchrum accedam abſque ulla prole, quæ bonorum eorum poſſit hæres conſtitui?

Inquies iterum qua ratione potuit Abraham conqueri de ſua orbitate, atque veluti obſtrepere Deo, quod ei prolem non dediſſet cum jam ſemel & iterum Deus fuiſſet obteſtatus: *Semini tuo dabo terram hanc &c.* Item: *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes.*

Reſpondeo, excuſari poſſe illam Abrahæ querimoniam, non ſolum quod curas ac moleſtias, quibus angebatur, filiali velut affectu in Paternum Dei ſinum videbatur effundere; ſed inſuper cum omnium divinarum promiſſionum effectum pendere videret a prole & ſemine, non immerito tam neceſſarium pignus ſibi concedi poſtulat. Unde tantum abeſt ut ingratam ſervi ſui querimoniam habuerit Deus, quin imo ejus preces propitius ſtatim exaudivit dicens, non alium futurum ipſius bonorum heredem, quam qui egreſſurus eſſet ex ejus utero, cujus tam numeroſa futura erat poſteritas, ut ſtellarum multitudinem coæquaret.

His auditis, inquit Moſes v. 6. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam.* Unde

QUÆRITUR I.

Cur potiſſimum hoc loco Abrahamus dicatur credidiſſe Deo.

RESpondeo, id a Moſe non eſſe ſcriptum ut ſignificaret tunc primum Deo dicenti Abrahamum credidiſſe: ſi enim divinis verbis & mandatis antea fidem non dediſſet dubio procul, ut Deo jubenti pareret, non eſſet egreſſus de patria & cognatione ſua, ut terram Chanaan ſibi prorſus ignotam peteret; in eaque peregrinus & advena huc & illuc diſcurrens, multis cum laboribus & anguſtiis verſaretur. Unde S. Paulus ipſum encomiis celebrat quod: *Fide*, inquit, *qui vocatur Abram, obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem: & exiit neſciens quo iret.* Igitur præfata Moſis verba eo ſenſu non ſunt accipienda, ac ſi primum Abrahamus Deo dicenti credidiſſet: ſed quod ea in occaſione, multo præſtantius, quam in præcedentibus, præbuerit eximiæ ſuæ fidei, & ſingularis in Deum obſervantiæ argumentum.

Sive enim illius fidei objectum ſpectes, ſive modum; ſive circumſtantias, fides illa omni ex parte eſt præſtantiſſima. Ex parte quidem *objecti*, res erat valde difficilis: & ſi naturæ vim & ordinem attendas, prorſus incredibilis: proponebatur enim credendum quod licet grandævus, ac pene centenarius, graviſſimiſque laboribus exantlatis omnino fractus, ex Sara ſterili & nonagenaria generaturus eſſet filium, cujus poſteritas inſtar ſtellarum cœli & pulveris terræ foret innumerabilis: porro id non ſolum credidit; ſed firmiſſime id perſuaſum habuit. Quapropter Apoſtolus ejus fidem celebrat, quod, inquit, *contra ſpem in ſpem credidit, ut fieret pater multarum gentium, ſecundum quod dictum eſt ei: ſic erit ſemen tuum. Et non infirmatus eſt fide, nec conſideravit corpus ſuum emortuum cum jam fere eſſet centum annorum, & emortuam vulvam Saræ. In repromiſſione etiam Dei non hæſitavit diffidentia, ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo: pleniſſime, ſciens quia quæcumque promiſit, potens eſt & facere: ideo & reputatum eſt illi ad juſtitiam.*

Denique in eo maxime fides ejus apparuit præſtantiſſima, quod nedum ad generationem & propagationem corpoream; ſed & ſpiritualem & myſticam ſuum intuitum direxerit. Siquidem Deo interius illuminanti & revelanti credidit ſe futurum patrem eorum omnium, qui ex cunctis Gentibus & mundi regionibus credituri eſſent in Chriſtum ſuo ex ſemine aliquando oriundum. Unde Apoſtolus ad Galatas 3. *Providens autem Scriptura, quia ex fide juſtificat Gentes Deus, prænunciavit Abrahæ: quia benedicentur in te omnes Gentes. Igitur qui ex fide ſunt, benedicentur cum fideli Abraham.*

Celebratur itaque fides Abrahæ, quod Dei promiſſionibus conſtantiſſime crediderit eaque ad ampliorem ejus ſanctificationem plurimum contulerit; addit enim Moſes: *Et reputatum eſt illi ad juſtitiam.* At

QUÆRITUR II.

Quo ſenſu verba illa debeant accipi.

CUm in hominis juſtificatione tria ſint maxime ſpectanda: *Primo* quidem, diſpoſitiones præviæ, quibus gratiæ auxilio revocatur ab affectu peccandi, & ad Deum convertitur: *Secundo*, ipſa gratia ſanctificans, qua diluitur peccatum, & per quam Deo gratus & acceptus efficitur: *Tertio*, ejuſdem ſanctificantis & juſtificantis gratiæ augmentum, quo ipſe homo magis ac magis removetur ab affectu peccandi, & per adjectos novos gratiæ ſanctificantis gradus, Deo fit acceptior.

Quæritur quonam ex illis modis Abrahæ fides reputata ſit illi ad juſtitiam? certum eſt autem fidem unam eſſe e præcipuis diſpoſitionibus requiſitis pro juſtificatione, ut docet Concilium Tridentinum his verbis: „ Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, „ dum excitati divina gratia, & adjuti, fi- „ dem ex auditu concipientes, libere mo- „ ventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ „ divinitus revelata & promiſſa ſunt, atque „ illud in primis, a Deo juſtificari impium „ per gratiam ejus per redemptionem quæ „ eſt in Chriſto Jeſu &c.

Inde fit ut hominis juſtificatio, plerumque in Scriptura ſacra, fidei dignitati & excellentiæ tribuatur, quod ſcilicet fides una ſit ex præcipuis diſpoſitionibus neceſſario prærequiſitis ad gratiam ſanctificantem.

Verum illa diſpoſitio non eſt unica, nam aliæ etiam virtutes ad id plurimum conſerunt.

Unde quemadmodum fidei merito tribuitur interdum hominis juſtificatio; ſic Scriptura ſacra aliis quoque virtutibus eam ſæpe aſſignat. Etenim de ſpe dixit Apoſtolus: *Spe ſalvi facti ſumus &c.* De *Timore* vero Eccleſiaſticus. 1. *Timor Domini expellit peccatum*: De *humilitate* pariter ſcripſit Sanctus Jacobus, cap. 4. *Deus ſuperbis reſiſtit; humilibus autem dat gratiam.* De *charitate* S. Petrus: *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Eleemoſynis etiam purgari & remitti peccata legimus apud Tobiam & Danielem.

Igitur licet per fidem quandoque dicatur quis juſtificari; exinde recte non concluditur, ſola fide hominem juſtificari apud Deum; cum idem de aliis quoque virtutibus æque profeatur. Sed duntaxat inferendum eſt, fidem eſſe unam ex præcipuis diſpoſitionibus ad juſtificationem prærequiſitis; quia, inquit Apoſtolus: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.*

Fides etiam non eſt ex ſe ſufficiens ad juſtificationem; nam ait idem Apoſtolus: *Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Quibus verbis docet, non fidem; ſed charitatem eſſe cauſam & rationem formalem noſtræ juſtificationis. Hinc ad Galatas, cap. 5. v. 6. ait *In Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium; ſed fides quæ per charitatem operatur.* Adeo ut fidei meritum ex charitate pendeat. Hinc laudato mox ad Chorinthios loco v. 13. diſerte ait: *Nunc autem maneat fides, ſpes, charitas, tria hæc: major autem horum eſt charitas.* Cui concinens S. Jacobus, cap. 2. v. 14. *Quid proderit*, inquit, *fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat?* Unde concludit v. 17. *Fides ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa.* Quod inſuper confirmat v. 26. *Sicut*, inquit, *corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita & fides ſine operibus mortua eſt.* Idque probat exemplo ipſius Abrahæ: *Vis autem ſcire, o homo inanis, quoniam fides ſine operibus mortua eſt; Abraham pater noſter nonne ex operibus juſtificatus eſt, offerens Iſaac filium ſuum ſuper altare? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides conſummata eſt, & ſuppleta eſt Scriptura dicens: Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam, & amicus Dei appellatus eſt. Videtis quoniam ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantum.*

Quibus verbis diſtincte pronunciat Abrahamum non fuiſſe juſtificatum ſolius fidei merito; ſed maxime virtute ardentiſſimæ charitatis, & eximiæ ſuæ in Deum obſervantiæ; quæ utique tanta extitit, ut paratus fuerit etiam proprium filium, unicum bonorum ſuorum hæredem, unicumque ſuæ ſenectutis ſolatium, jugulare & mactare: idque dubio procul executioni mandaſſet, niſi cœlitus fuiſſet prohibitus.

Itaque cum Moſes, & poſt eum Apoſtolus dicunt Abrahami fidem reputatam eſſe illi ad juſtitiam, non eo ſenſu veniunt intelligendi, quem ipſis affingunt heterodoxi; nimirum Abrahamum fuiſſe juſtificatum virtute illius fidei, qua Dei promiſſionem ſincero corde amplexus eſt; ſiquidem antea juſtificatus erat; alioqui nec tantopere Deo gratus fuiſſet, nec divinis ejus apparitionibus, alloquiis & promiſſis dignus extitiſſet: ſed in id unicum collimant, illo fidei actu ſinceræ ipſius & religioſæ in Deum obſervantiæ conjuncto, plurimum eſſe conſequutum ſanctitatis & meritorum incrementum; ita quod cum jam juſtus eſſet, illo tam inſigni actu fidei eximiæ charitati juncto promeritus ſit juſtitiam & ſanctitatem ampliorem.

Falluntur enim vehementer qui contendunt aliquem non fieri ex juſto juſtiorem, cum Sanctus Joannes, imo S. Spiritus pronunciet Apocalypſ. 22. *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc; & Sanctus ſantificetur adhuc.* Et Apoſtolus. 11. Corinthiorum 9. v. 10. *Augebit incrementa frugum juſtitiæ veſtræ.* Sunt igitur in juſtitia & ſanctitate gradus, quibus nedum alter altero juſtior & ſanctior eſſe

Digitized by Google

eſſe queat; ſed idem ipſe ampliorem gratiam & ſanctitatem poſſit adipiſci, dicente Chriſto Domino, Matthæi 25. v. 29. *Habenti dabitur, & abundabit.*

Verum, *inquies*; ſi tanta fuerit, adeoque perfecta Abrahami fides, & religioſa ipſius in Deum obſervantia, quorſum Deo terræ Chananitidis poſſeſſionem ipſi promittenti repoſuit: *Domine Deus unde ſcire poſſum quod poſſeſſurus ſim eam?* Si enim ſimplici Dei verbo firmam fidem prius habebat, cur nunc quæſtionem movet de promiſſionibus ſibi datis, & ſponſionis ſymbolum ſibi tribui exigit?

Reſpondeo, interrogationem iſtam, fidei potius eſſe teſtimonium, quam incredulitatis ſignum; non enim, inquit S. Auguſtinus, dubitabat de promiſſione Dei; ſed modum, ordinem, & tempus iſtius implendæ promiſſionis noſſe cupiebat: quemadmodum, nulla fuit in beata Virgine Maria diffidentia, cum Incarnationis myſterium annuncianti Angelo dixit: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Oraculo quidem fidem dabat; ſed modum, quo fieret, inquirebat. Similiter Abrahamus videns ſe jam ſenio confectum, nihilque niſi mortem & ſepulchrum præ oculis habere; non abs re inquirit qua ratione conſecuturus eſſet ſummum iſtius terræ dominium, quam a Chananæis videbat occupatam.

Addit Rupertus hac interrogatione Abrahamum ſcire voluiſſe num iſta promiſſio conditionalis tantum eſſet: & utrum illius executio a poſterorum ſuorum culpis meritiſve dependeret, an vero immutabiliter id decreto Dei eſſet definitum? Non ergo, *inquit*, tamquam incredulus infirmata fide dubitavit: ſed tanquam pius pater futuris filiis providit; ne forte peccantibus illis, pœniteret Deum hujus ſui promiſſi &c.

Hinc eſt quod non ingratam habuit Deus illam Abrahami interrogationem; quinimo, continuo docet poſſeſſionem illam ſuis poſteris eſſe reſervatam: non tradendam tamen, niſi poſt quadringentos annos; cujus remoræ hanc rationem profert: *Necdum enim completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum uſque ad præſens tempus:* Amorrhæi occupabant regiones tam citra, quam intra Jordanem, qui communi nomine *Chananæi* dicebantur: Unde

QUÆRITUR III.

Utrum recta ſit illa ratio quæ innuit non aliter Abrahæ filios Chananitidem poſſeſſuros, quam aliis gravius peccantibus & pereuntibus.

RESpondeo, rationem illam eſſe congruentiſſimam; perinde enim erat ac ſi diceret. Terra quam tibi promitto, ab Amorrhæis, ſeu Chananæis nunc quidem occupatur: tametſi vero, ſua propter ſcelera, ejus poſſeſſione jam videantur indigni: eos tamen ab illa non expellam, donec impleverint menſuram criminum ſuorum, quod utique non continget, niſi poſt quadringentos annos.

Voluit autem Deus Chananæorum exterminationem tandiu differre, duplici de cauſa, *Primo* quidem ad declarandam ſuam longanimitatem, & juſtitiam illuſtrandam; diu namque ſuſtinet peccatores, eiſque pœnitendi tempus largitur, ut impii anſam non habeant conquerendi nimia feſtinatione cum eis actum eſſe. At quo benignius peccatores ad pœnitentiam expectat Deus, ſi tandem non reſipiſcant, ſed obſtinati maneant eo ſeverius eorum ingratitudinem ulciſcitur ut docet Apoſtolus ad Romanos 2. v. 4. ubi de peccatore Dei patientia & miſericordia abutente, ait: *An divitias bonitatis ejus & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? ſecundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei.* Utitur inſuper hac dilatione Deus, ad manifeſtandam ſuam miſericordiam erga Electos; quia etſi plerique peccatores abutantur patientia ejus; ſunt tamen nonnulli qui Dei benignitate invitati, per ejus gratiam tandem reſipiſcunt, & condignam agunt pœnitentiam. Itaque dum impletur numerus rebellium, ſubducuntur a Deo nonnulli, qui invitanti ad converſionem gratiæ obſequentes, meliorem in frugem ſeſe recipiunt, ne cum aliis pereant. Duplicem hanc Dei erga peccatores longanimitatis cauſam declarat Apoſtolus: *Deus*, inquit, *volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia, vaſa iræ apta in interitum: ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ quæ præparavit in gloriam.*

His auditis divinis promiſſionibus, nihil prius, neque antiquius habuit Abrahamus quam gratitudinis ſuæ teſtimonium Deo exhibere ſacrificium ei offerendo. Cujus internum animi affectum & piam voluntatem intuitus Deus, ut offerendum illud ſacrificium ſimul eſſet ſignum pacti & fœderis quod cum ipſo Abrahamo inire volebat, ait: *Sume mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam. Qui tollens univerſa hæc, diviſit ea per medium, & utraſque partes contra ſe altrinſecus poſuit; aves autem non diviſit.*

Cur autem Deus hæc animalia, potius quam alia delegerit, ex Theodoreto quæſt. 65. in Geneſ. & Diodoro in Catena Lippomani, egregiam hanc rationem profert Delrio: Quadrupedia, *inquit*, hæc parantur pro fœdere, & ſacrificio: aves pro ſacrificio tantum: cuncta vero ſimul ſignificant ſtatum & conditionem futuram Abrahami poſterorum: *Juvenca indomita*, ſignificat primam ge-

ne-

nerationem, in qua Iſraelitæ in Ægypto libere ac delicate egerunt. *Capra*, ſecundam generationem, cui jam Ægyptii aliquid ſervitutis imponebant, & ſic aliquem ex eis fructum percipiebant. *Aries*, qui quantus quantus eſt, & Domino ſuo utilis eſt, denotat tertiæ generationis tempus, quo ibidem duram & iniquam Hebræi ſervitutem & ſolis Dominis utilem, ſervierunt. *Volucres duæ*, tempus, quo anno ex Ægypto ſe proripuerunt. *Turtur*, tempus manſionis querulæ in deſerto. *Columba*, ſociale animal tempus quo in promiſſionis terra domicilia fixerunt.

Quadrupedia *trima* deliguntur, quod cum in iis tres ætates diſtinguantur, trium generationum ſervitutem facile repræſentant. Nam in quarta ſpondet Dominus eos reverſuros in terram Chanaan: in avibus hujuſmodi diſcrimen ætatum non reperitur. Diſſectio quadrupedum ſignificat afflictiones varias, quas in Ægypto pertulerunt: aves integræ, finem hatum afflictionum. Volucrum volatus ad cadavera, Ægyptios, & Amalecitas Iſraeli proficiſcenti moleſtos repræſentant: Abraham has abigens, Dei providentiam ſuos defendentem, propter Abrahæ merita, ut notat S. Hieronymus, ipſaque ſæpe Scriptura.

Hæc ergo animalia aſſumens Abraham & jugulans, ea per medium a capite ad caudam diviſit, & utraſque partes deſtinato in loco, fortaſſis juxta altare, ita compoſuit, ut medietates ſibi invicem reſponderent, relicto in medio ſpatio, per quod tranſirent, qui fœdus inibant: Quod ita factum, ait S. Chryſoſtomus: *Quia olim eis* (Chaldæis apud quos Abraham educatus fuerat, aut Chananæis apud quos tum habitabat) *ita mos erat paciſcendi, & pacta firmandi; ideo & ipſe Dominus via hac ingreditur.* Quibus conſentanea ſunt quæ habent Theodoretus, Procopius & S. Cyrillus. Dominus quidem ſub ſpecie ignis, inter illas diviſiones tranſivit, ut habetur v. 17. & apparet idem ab Abrahamo factum. *Quem morem a Domino*, ut Joſephus ait, *Abrahæ præceptum, Judæi deinceps ſervarunt*, ut intelligitur ex Jeremia, *cap.* 34. *v.* 18. ubi Deum ita loquentem inducit, *non obſervarunt verba fœderis quibus aſſenſi ſunt in conſpectu meo. Vitulum quem conciderunt in duas partes &c.*

Victimarum illarum cadavera toto die ſic in partes diſcerpta permanſerunt, expectante Abrahamo Dei adventum; & hinc inde advolantes prædatrices volucres abigente, donec ſub occaſum Solis, Abrahamum ſopore gravatum horror magnus & tenebroſus invaſit, & Angelus, Dei vices agens, eum iterum conveniens dixit, *Scito prænoſcens &c.* Quibus verbis Angelus Deum repræſentans tria denunciat Abrahamo; *Primo* futuram illius poſterorum per quadringentos annos peregrinationem; *Secundo*, eorum ſervitutem: *Tertio*, afflictionem priuſquam Chananitide potirentur. Gravis quidem eſt inter Chronologiſtas & Interpretes de iſtius peregrinationis, ſervituris, & afflictionis duratione controverſia; ſed cum jam de ea actum ſit in priori parte, ubi ſermo eſt de Conciliatorio Biblico, illuc lectorem remittimus.

Addit Moſes: *In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abram, dicens: Semini tuo dabo terram hanc a fluvio Ægypti uſque ad fluvium magnum Euphraten, Cinæos, Hethæos, & Pherezæos, Raphaim quoque, & Amorrhæos, & Chananæos, Gergeſæos, & Jebuſæos.* Hujus repromiſſæ poſſeſſionis limites præſcribit Deus; ita quod ſecundum longitudinem ad meridiem ſeſe protenderet uſque ad fluvium Ægypti: a Septemtrione vero uſque ad Euphraten, paululum tam vergendo & declinando ad Orientem: fines autem ejuſdem terræ ſecundum latitudinem, hic prætermittuntur; ſed aliis in Scripturæ ſacræ textibus deſignantur, potiſſimum Joſue. 1. v. 4.

Fluvius ille Ægypti non eſt Nilus, quo exundante tota Ægyptus alluitur; alioqui magna pars Ægypti, imo Arabia, & Madianitis in Iſraelitarum poſſeſſionem, & jus ceſſiſſent. Sed, inquit S. Hieronymus in cap. 6. Amos, & in libello de locis Hebraicis; *Eſt rivus Nili de Eremo veniens, atque inter Rhinocoluram, & Ægyptum in mare ingreditur Mediterraneum.* Ab aliis vero dicitur *Sichor* qui Ægyptum a Chanitide diſterminat. Dicitur autem *fluvius Ægypti*, quia ortum habet in Ægypto & emanat ex Nilo, qui Ægyptum perluit. Aliis etiam nominibus in Scriptura ſacra exprimitur; nam Numerorum 34. & Iſaiæ 27. vocatur *Torrens Ægypti*: non quod torrentis inſtar interdum aquis careat; perennem enim habet effluxum, cum ex Nilo aquas ſuas hauriat, & devehat: ſed quod propter varia & ſubita aquarum incrementa, aut ex imbribus, liquatiſque nivibus, aut aliarum aquarum affluxu, velut torrens intumeſcat & exundet: quam ob cauſam Joſue 13. appellatur *fluvius turbidus*, quod luto permixtas aquas devehat.

QUÆRITUR IV.

Cur tam late patens deſcribatur Iſraelitarum regio, quam ex integro nuſquam incoluerunt.

CErtum eſt ab Abrahami Poſteris, omnes terrarum tractus hoc in capite deſcriptos ad fines uſque Euphratis nuſquam occupatos fuiſſe; imo *Numerorum cap.* 34. ubi terra ab eis poſſidenda exactiſſime, & per partes determinatur, illa non ultra Emath extenditur; & univerſa Iſraelitarum habitatio, qua longiſſime patebat, ſolet in Scriptura definiri, *a Dan uſque Berſabee*; quæ, ait S. Hieronymus Epiſtola ad Dardanum,

Vix centum ſexaginta millium in longum ſpatio tenditur: neque enim David & Salomon potentiſſimos Reges, exceptis iis, quos poſt victoriam in amicitiam receperunt, plus tenuiſſe Scriptura teſtatur.

Hunc nodum ut ſolvant Interpretes, varii varia reſpondent. *Primo*, namque S. Auguſtinus dicit terram Iſraelitis promiſſam fuiſſe in duplici differentia: alia enim, inquit, conceſſa eſt in hæreditatem, ut exterminatis illarum regionum incolis, eam inter ſe ſorte diſtribuerent: cujus terræ tractus latius longiuſque quam a *Dan* uſque *Berſabee*; vel ab introitu Emath uſque ad torrentem Ægypti non protendebatur. Altera vero quæ ultra Chananitidem extendebatur uſque ad Euphratem, cujus incolas exterminare non debebant Iſraelitæ; ſed armis illos ſuo ſubiicere imperio; ut ipſos haberent vectigales & tributarios.

Verum huic ſententiæ repugnant varii Scripturæ textus, quibus terra dicitur Hebræis promiſſa, non ut foret ſubdita, & vectigalis; ſed ut eſſet ipſis hæreditaria poſſeſſio, ſicut videre eſt *Deuteronomii cap.* 19. *v.* 8. ubi Deus Iſraelitis imperat, ut cum obtinuerint terram patribus ſuis promiſſam tres in ea conſtituant civitates refugii. Et maxime *Joſue* 1. ubi Deus Iſraelitas alloquens ait: *Omnem locum, quem calcaverit veſtigium pedis veſtri, vobis tradam ſicut locutus ſum Moyſi. A deſerto & Libano uſque ad fluvium magnum Euphraten, omnis terra Hethæorum uſque ad mare magnum contra Solis occaſum erit terminus veſter.* Quibus verbis ſignificat Deus terram illam non minus Iſraelitis fuiſſe propriam & hæreditariam, quam Chananææ Regio.

Reponit S. Auguſtinus, ſuamque ſententiam confirmat ex 3. *Reg. cap.* 9. *v.* 21. ubi de populis, quos non potuerant filii Iſrael exterminare dicitur: *Fecit Salomon eos tributarios, uſque in diem hanc.* Et cap. 4. v. 21. *Salomon autem erat in ditione ſua, habens omnia Regna a flumine terræ Philiſthiim uſque ad terminum Ægypti, offerentium ſibi munera.* Unde colligit S. Auguſtinus: ,, Ecce, ,, *inquit*, impletum eſt, quod in Geneſi Deus ,, ad Abraham loquens, promittenſque prædixerat. ,, A flumine quippe hic intelligitur, ,, ab Euphrate: magnum enim flumen ,, in illis locis, etiam proprio nomine non ,, addito, poteſt intelligi. Neque enim de ,, Jordane hoc accipi poteſt, cum & citra ,, Jordanem, & ultra Jordanem jam terras ,, Iſraelitæ obtinuerant, & ante Regnum ,, Salomonis. Ergo a flumine Euphrate ex ,, partibus Orientis, uſque ad fines Ægypti; ,, quæ pars illis erat ab Occidente, Regnum ,, Salomonis Scriptura Regnorum dixit fuiſ- ,, ſe porrectum. Tunc ergo amplius ſubjugatum ,, eſt, quam ſeptem illæ Gentes tenebant, ,, ac per hoc tunc in ſervitutem ,, redactæ ſunt, non ſeptem, ſed undecim ,, Gentes. Quod enim in Regnorum libris ,, ſcriptum eſt: *Uſque ad fines Ægypti a* ,, *flumine*, cum Scriptura ab Oriente uſque ,, ad Occidentem, quantum porrectum eſſet ,, Regnum vellet oſtendere: hoc idem in ,, Geneſi, cum ab Occidente uſque ad Orientem ,, præfiniretur, dictum eſt, a flumine ,, Ægypti uſque ad flumen magnum Euphratem.

Verum, tametſi certum ſit Davidem & Salomonem ultra fines a Joſue deſignatos plurimis provinciis partim armis ſubactis, partim voluntarie ſubjectis fuiſſe dominatos; attamen probari non poteſt eas provincias fuiſſe genti Judaicæ vectigales, & ad eorum imperium ſpectaſſe. Etenim eodem capite libri 3. Regum v. 25. legimus: *Habitabat Juda & Iſrael abſque timore ullo, unuſquiſque ſub vite ſua, & ſub ficu ſua, a Dan uſque Berſabee, cunctis diebus Salomonis:* Et cap. 8. v. 65. ubi deſcribitur Salomonis Imperii amplitudo & magnificentia, in templi dedicatione, legimus: *Fecit Salomon feſtivitatem celebrem, & omnis Iſrael cum eo, multitudo magna ab introitu Emath, uſque ad rivum Ægypti.* Igitur præfata verba capitis noni, non ſignificant populos illos, qui ibi memorantur, vectigales fuiſſe Salomonis imperio: ſed tantum quod earum regionum principes Salomoni offerrent munera, & pacem ac tranquillitatem cum eo ſervarent.

Reponunt alii cum Doct.mo Andrea Maſio univerſas quidem regiones illas fuiſſe promiſſas Abrahæ poſteris, ſed duplici modo: ſcilicet aliquas abſolute, alias vero conditionate. *Abſolutam* dicit fuiſſe promiſſionem de terra Chanaan, quæ proinde Joſue temporibus in duodecim partes diviſa, totidem tribubus Iſraeliticis fuerit diſtributa. *Conditionatam* vero, de reliquis regionibus ad Euphraten uſque; nimirum, ſi Iſraelitæ eſſent divinorum mandatorum obſervatores; quam conditionem, cum in Deum prævaricatores non ſervaverint; idcirco hujus promiſſionis effectu non fuerunt potiti.

Verum cum hujus diſtinctionis in promiſſionem partim abſolutam, partim conditionatam, nullibi in Scriptura veſtigium appareat; ſed ea ſemper abſolute a Deo proferatur: diſtinctio illa promiſſionis in abſolutam & conditionatam, gratis & ſine ullo fundamento fingitur. Accedit quod ſi promiſſio illa fuiſſet conditionata, Abrahami fides de conſequendo illius promiſſionis effectu hæſiſſet prorſus fluctuans & dubia; niſi Deus eum feciſſet certum de ſuorum poſterorum perſeverantia in pietatis ſtudio: quod cum non fecerit, citra dubium eſt promiſſionem illam nulla ex parte fuiſſe conditionatam. Adde quod, ut eam ſponſionem faceret Deus, nullatenus videtur ad poſterorum merita vel demerita reſpexiſſe; ſed tantum ad ipſius Abrahami fidem & pietatem; cujus perſeverantiam habebat exploratam: quamobrem non opus erat, ut prohibitionem illam faceret ſub conditione.

Itaque, his poſthabitis ſententiis, dicendum exiſtimarem, abſolute quidem conceſſas & promiſſas illas omnes regiones in hoc capite memoratas ab Abrahæ poſteris occupandas, ex hypotheſi quod tanta fieret eorum multiplicatio, ut intra Chananitidis fines quiete & pacifice non poſſent conſiſtere: quo in caſu, a Deo ipſis erat liberum

occu-

occupare cæteras memoratas in poſſeſſionem & hæreditatem; eodem jure, quo terram Chanaan poſſidebant. Idcirco enim ampliſſimæ illæ Chananitidis regiones eis divinitus conceſſæ ſunt, ut multiplicati eorum nepotes convenientia ad incolendum haberent ſpatia, Unde fit, ut eorum accedente numeroſiori cœtu, ampliores etiam regiones illis erant concedendæ, quatenus felicius & tranquillius in eis degerent.

DISQUISITIONES IN CAPUT XVI.

QUatuor hoc in capite recenſet Moſes. I. Connubium Abrahæ cum Agara Ancilla, id ſuadente & deprecante Sara, ne irritæ fierent Abrahamo factæ divinæ promiſſiones. II. Ipſius Agaræ uterum ex Abrahamo geſtantis, in ſuam heram ingratitudinem, & contemptum. III. Saræ ea de re expoſtulationem cum Abrahamo, & ejuſdem in Agaram animadverſionem. IV. Agaræ fugam, revocationem per Angelum, ex eaque natum Iſmaelem.

Cum Sara animadverteret jam elapſos eſſe decem annos ab eo tempore, quo Abrahamo factæ fuerant, & pluries iteratæ divinæ promiſſiones de multiplicando ipſius ſemine inſtar ſtellarum cœli, & pulveris terræ; videretque ſe ſterilem eſſe, & maritum ſex ſupra octoginta annos natum; & inſuper ſciret in illis divinis promiſſionibus nullam ſui mentionem eſſe factam; nec dictum ex qua muliere Abrahamus ſuſcepturus eſſet numeroſam illam prolem, exiſtimavit ſe huic muneri a Deo minime deſtinatam: ſed alteram quampiam mulierem, cujus ipſa fœtum in filium adoptaret. Itaque ne Abrahamus repromiſſa ſibi illa multiplici prole careret, Sara ſuaſit ipſi, ut in uxorem duceret ancillam nomine Agaram, genere Ægyptiam religione Hebræam (ut ait Philo libro de Abrahamo) in Ægyptiaca pridem peregrinatione acquiſitam, & ad gignendum habilem: *Ecce*, inquit, *concluſit me Dominus, ne parerem: ingredere ad ancillam meam, ſi forte ſaltem ex illa ſuſcipiam filios*, Id eſt, ut interpretatur Philo, ut tui nativi liberi mei fiant adoptivi.

Ejus adhortationi acquieſcens Abrahamus, Agaram in uxorem duxit, & ad eam ingreſſus, impregnavit.

QUÆRITUR AUTEM I,

Utrum licite hoc conſilium dederit Sara, & Abrahamus impleverit.

MUltiplex crimen hoc in facto admiſiſſe videntur Abrahamus & Sara, ut contendebat Fauſtus Manichæus, referente S. Auguſtino lib. 22. adverſus illum edito, cap. 30. Abrahamus quidem reus videtur, I. Turpis & nefariæ libidinis, quod, inquiebat Fauſtus, *prolis inſana flagrans cupiditate, cum pellice volutatus ſit*. II. *Infidelitatis*, quod Deo minime credens, prolem de Sara promiſſam, ex alia muliere ſuſcipere voluerit. III. *Adulterii*, & violati matrimonii, quod jamdudum conjugatus, vivente adhuc uxore, rem habuerit cum altera muliere. IV. *Prævaricationis in legem naturalem*, quod primus poſt diluvium, polygamiam a natura prohibitam invexerit.

Peccaſſe etiam videtur Sara I. *Diffidentiæ in Deum*, quod ſterilitatem & ætatem ſuam provectam putavit obſtaculum eſſe, ne divinæ promiſſiones Abrahamo factæ de multiplicando illius ſemine, implerentur. II. *Impatientiæ*, quod moræ impatiens deſtinatum a Deo tempus pro exequendis illis promiſſionibus antevertere tentaverit. III. *Ambitione & ſuperbia*, utpote quæ legi connubii marito ſubdita, ei imperare præſumpſerit, ut cum ſua ancilla rem haberet IV. *Defectu pietatis, & charitatis* quippe quæ mariti ſaluti & ſanctimoniæ conſulere debuerat, eum ad rem nefariam & illicitam, nempe tranſgreſſionem legum matrimonii induxerit: quæ omnia momenta efficiunt ut nonnulli Proteſtantes, cum Calvino, exiſtiment, Abrahamum & Saram hoc in facto graviter deliquiſſe.

Eos quidem excuſare nititur S. Ambroſius lib. 1. de Abrahamo cap. 4. At illius rationes difficultatem prorſus non elevant; ait enim cap. 4. 1. Idcirco Abrahamum non peccaſſe quia tunc adulterium nondum erat prohibitum: *Abraham*, inquit, *ante legem Moyſi, & ante Evangelium fuit: nondum interdictum adulterium videbatur*, &c. Quæ, ſalva tanto Eccleſiæ Doctori debita reverentia, minus conſulto dicta mihi videntur: licet enim nondum vigerent pœnæ in adulteros per legem Moſaicam, & Evangelicam præſcriptæ; nihilominus vigebat adulterii prohibitio, etiam apud Ethnicos; ut conſtat exemplis Regum Pharaonis, & Abimelechi, qui in ipſum Abrahamum conqueſti ſunt, quod inſinuando Saram eſſe ſororem ſuam, eis peccandi occaſionem præbuiſſet, cum vellent eam ſumere in uxorem, quæ jam erat conjugata.

Quod vero adiicit, adulterium in Paradiſo non fuiſſe damnatum; liberius dictum videtur: dum enim Adamus de viro, Deo

inſpirante, dixit: *Adhærebit uxori ſuæ: & erunt duo in carne una*, copulam cum altera muliere, vivente uxore, interdictam eſſe ſignificavit; quia quæ Deus univerſaliter præcipit, eorum contraria prohibere cenſetur; & quæ prohibet, oppoſita præſcribit. Igitur ea duntaxat ratione valet hæc excuſatio, quod Abrahamus ob initum cum Agara connubium non incurrerit pœnas in adulteros deinde per Moſaicam legem præſcriptas.

Excuſat. II. *Quod non ardore aliquo vagæ ſuccenſus libidinis, non petulantis formæ captus decore, ancillæ contubernio conjugalem poſthabuit torum; ſed ſtudio quærendæ poſteritatis, & propagandæ ſobolis.* Hæc quidem ratio præcedenti videtur ſolidior. Verum multiplicandæ prolis deſiderium liberum non eſt infringere ſanctiſſimas matrimonii leges, quibus unus cum una, & una cum uno conjuge ſociari debent, ut ſint duo in carne una.

Adiicit III. Connubium hoc non eſſe improbandum, quod interprete Apoſtolo epiſt. ad Galatas cap. 4. eſſet rei futuræ myſterium, nimirum duorum Teſtamentorum Veteris & Novi, diverſique ſtatus Synagogæ & Eccleſiæ. *Quod ergo*, inquit, *putas peccatum, advertis eſſe myſterium, quo ea, quæ in poſterioribus erant futura temporibus, revelabantur.... Agnoſcamus ergo quoniam hæc, quæ in figura contingebant, illis crimini non erant.* Verum reponere quis poſſet etiam illa quæ Deus improbat, aſſumi ad allegorice præſignificanda ea quæ facturus erat; ſic idem Apoſtolus ad Rom. 9. reprobationem Eſau & Pharaonis dicit fuiſſe figuram reprobationis eorum qui juſtos & innocentes inique perſequuntur.

Ex his omnibus efficitur, a S. Ambroſio ita hoc factum Abrahami & Saræ excuſari; ut tamen nonnihil eos accuſare videatur; quamobrem initio præfati cap. 4. ingenue ait: *Non abnuo quod Abraham de ancilla ſuſceperit filium, ut cognoſcas quod non ſuperioris cujuſdam naturæ ac ſubſtantiæ fuit Abraham, ſed unus e numero, & fragilitate univerſorum hominum.*

Etſi vero non abnuam veteres illos homines ſanctiſſimos non nihil interdum humanæ fragilitatis fuiſſe paſſos; attamen nihil in iſto ineundo connubio ab Abrahamo & a Sara peccatum fuiſſe contendo cum S. Auguſtino libro præfato contra Fauſtum. Cujus utique aſſertionis argumenta ſunt.

I. Quod propter hoc initum connubium & invectam polygamiam, nec Abrahamus, nec Sara uſquam a Deo fuerint reprehenſi: Deus autem æquiſſimus & zelantiſſimus legum ſuarum vindex, non ſuiſſet paſſus hominem ſecundum cor ſuum irreprehenſum & impunitum abire, ſi quid in hoc connubio tam ille, quam Sara deliquiſſet.

II. Illius cauſam gratam habuit Deus, cujus effectum probavit, cuique benedixit: ſed Iſmaelem ex hoc Abrahami cum Agara connubio natum, Deus gratum habuit, ipſique propter Abrahamum illius patrem, numeroſam poſteritatem repromiſit: nam *cap.* 21. Abrahamum alloquens, eique ex Sara plurimam ſobolem promittens ait: *Sed & filium ancillæ faciam in Gentem magnam, quia ſemen tuum eſt.*

III. Quia (inquit S. Auguſtinus, lib. 16. de civit. Dei cap. 25.) *Abrahamus ancilla uſus eſt quippe ad generandam prolem, non ad explendam libidinem, nec inſultans, ſed potius obediens conjugi, quæ ſuæ ſterilitati credidit eſſe ſolatium, ſi fœcundum ancillæ uterum, quoniam natura non poterat, voluntate faceret ſuum; & eo jure quo dicit Apoſtolus: ſimiliter & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier, uteretur mulier ad pariendum ex altera, quod non poterat ex ſeipſa. Nulla eſt hic cupido laſciviæ, nulla nequitiæ turpitudo.* Et in fine capituli. *O virum viriliter utentem fœminis, conjuge temperanter, ancilla obtemperanter, nulla intemperanter.*

IV. Quia non prius ad Agaram acceſſit, quam illam, conſentiente, imo & ſollicitante Sara, in uxorem duxiſſet; ut fertur v. 2. ubi de Sara legimus, *Tulit Agar Ægyptiam ancillam ſuam... & dedit eam viro ſuo uxorem, qui ingreſſus eſt ad eam &c.* Fuit igitur inter Abrahamum & Agaram verum matrimonium: ac proinde inter eos nullum admiſſum eſt adulterium, nullaque damnanda copula.

Oppones I. Agar hic, & infra ſæpe, vocatur *ancilla*: igitur non erat uxor legitima.

Reſpondeo, duplex fuiſſe apud veteres tam fideles, quam Ethnicos, uxorum genus: alterum earum quæ liberæ erant, & matres-familias; & hæ bonorum omnium erant conſortes, & *Dominæ* vocabantur: alterum earum, quæ quidem, manente ſervili conditione in uxores aſſumebantur; nec tamen erant matres-familias, nec illarum filii erant hæredes cum liberis matrum-familias. Unde, *cap.* 21. Sara loquens de Iſaac filio ſuo, & de Iſmaele filio Agaræ, dicit Abrahamo: *Eiice ancillam hanc, & filium ejus; non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac.* Qua de cauſa uxores hujus generis, dicebantur etiam *concubinæ*; quia videlicet non aſſumebantur ad hæreditatem, & regimen familiæ.

Oppones II. Polygamia proſcribitur jure naturæ: igitur tam Abrahamus, quam Sara graviter peccarunt: ille aſſumendo aliam uxorem, hæc ſuadendo.

Reſpondeo, præcepta juris naturæ eſſe in duplici differentia: alia quæ immediate oriuntur ex æterna Dei lege; quæ, ait S. Auguſtinus laudato jam libro 22. contra Fauſtum, cap. 30. *Eſt ratio divina vel voluntas Dei ordinem naturalem conſervari jubens, perturbari vetans:* tam in iis quæ Dei cultum & amorem ſpectant, quam in iis quæ ſervandam cum proximo perfectam æquitatem & confœderationem attinent; puta, non alteri faciendum, quod tibi ex æquitate fieri non vis. Alia vero ſunt quæ, velut concluſiones ex illis primis principiis, derivantur; puta Deum eſſe colendum tali ritu publico, tali ſolemni & feſtivo die &c. opitulandum eſſe proximo hac vel illa urgente neceſſitate, prout recta ratio dictaverit.

Æter-

Æterna quidem lege primario cautum eſt, et conſulatur humani generis per carnalem generationem propagationi, quod ut fieret, voluptas illi actui indita eſt, ratione temperanda: quod luculenter S. Auguſtinus indicat ibidem cap. 30. *Lex illa æterna*, inquit, *ſeu voluntas Dei creaturarum omnium conditoris, conſervando ordini naturali conſulens, non ut ſatiandæ libidini ſerviatur; ſed ut ſaluti generis proſpiciatur, ad prolem tantummodo propagandam, mortalis carnis delectationem dominatu rationis in concubitum relaxari ſinit.*

Prima itaque Dei in æterna lege invariabilis intentio eſt, ut fiat humani generis propagatio, per viam ſeminalem: an autem illa fieri debeat a viro per unicam, aut per plures uxores, hoc ſibi reſervavit Deus libere ſtatuendum, prout opportunitas & neceſſitas poſtularet.

Quamobrem initio quidem mundi decrevit humanum genus propagandum eſſe a viro uno & unica uxore, ut firmior eſſet inter utrumque confœderatio. Verum, cum elapſis aliquot annis a diluvio, magis ac magis invaleſceret hominum iniquitas, & ad malum propenſio, nec non Eccleſia in dies decreſceret, paucis remanentibus veri Dei cultoribus; ne tandem illa penitus deficeret, permiſit Deus Abrahamo, vere fidelium Patriarchæ, plures uxores ducere, quatenus ex illo prognati, & in unius veri Dei cultu educati Eccleſiam propagarent, ac dilatarent.

At, inquies; ſi qua fuiſſet ea de re Dei permiſſio, extaret aliquod illius in Scriptura ſacra indicium; porro nullum apparet: igitur nulla fuit.

Reſpondeo I. non omnia quæ geſta ſunt a Sanctis Patriarchis fuiſſe litteris conſignata; ſicut nec ſingula Chriſti Domini dicta & facta, ut obſervat S. Joannes, cap. ultimo. II. Abrahamum & Saram id non fuiſse aggreſsos Deo inconſulto, argumentum eſt, quod factum illud Deus non improbaverit, nec ob id Abrahamum & Saram minus habuerit gratos: nihil igitur peccatum eſt in hoc inito matrimonio; ac proinde Abrahamus & Sara propter illud non ſunt culpandi.

Sed nec inſimulandi ſunt infidelitatis & diffidentiæ erga Deum, quaſi non credidiſſent promiſſioni toties iteratæ de multiplicando Abrahami ſemine per Saram; quia, ut appoſite obſervat S. Auguſtinus libro laudato, cap. 32. *Nondum fuerat patefactum quomodo illius ſeminis futura eſſet propagatio: utrum ex carne Abrahæ, ſi de ſe ipſe generaret; an ex voluntate, ſi aliquem forte adoptaret: Deinde ſi de carne ipſius, utrum ex Sara, an ex alia, prorſus nondum manifeſtum fuit.* Etenim Deus non indicavit hanc ſeminis Abrahæ multiplicationem futuram ex Sara, niſi dum Abrahamus Deum alloquens ait, de vernaculo ſuo: *Hic hæres meus erit*, ut refertur, cap. 15. v. 3. Unde colligit S. Auguſtinus *Fauſtum aut falli imprudenter, aut fallere impudenter*; cum Abrahamum & Saram arguit infidelitatis & diffidentiæ.

Opponet III. Adulterium ex ſua natura nulla ratione fieri poteſt licitum: ſed teſte S. Ambroſio, ipſius Abrahæ cum Agara commixtio, erat adulterium; a cujus reatu non alia ratione cenſet eum eximendum, quam quia tunc temporis adulterium non videbatur interdictum: *Conſideremus primum*, inquit, *quia Abraham ante legem Moyſis, & ante Evangelium fuit: nondum enim interdictum adulterium videbatur. Pœna criminis ex tempore legis eſt, quæ crimen inhibuit: nec ante legem nulla rei damnatio, ſed ex lege. Non ergo in legem commiſit Abraham ſed legem prævenit. Deus in Paradiſo licet conjugium laudaverit, non adulterium damnaverat.*

Reſpondeo, S. Ambroſium idcirco dixiſſe tunc temporis adulterium non fuiſſe interdictum non quod crimen non cenſeretur; contrarium enim ipſemet S. Ambroſius docet, *cap. 2.* ubi de Pharaone reſciente Saram eſſe Abrahami uxorem, quam ipſe deſponſare voluerat, ait: *Etſi natura ferox ac barbarus, tamen ſignificat etiam exteris ac barbaris moribus eſſe curam pudoris; & adulterii crimen etiam ſibi cavendum; qui prætendit ignorantiam, condemnat intemperantiam. Nec mirum, ſi barbarus jus novit naturæ, cum multa animalia, licet nullis conſtringantur legibus, ſunt tamen aliqua quæ non ſolum paribus ſuis copulæ ſervent fidem verum etiam coitus unius caſtitatem cuſtodiant: ita major lex naturæ, quam legum præſcriptio eſt.*

Igitur cum S. Ambroſius dicit tunc temporis nondum interdictum fuiſſe adulterium nihil aliud intendit, quam quod nondum eſſent præſcriptæ adverſus adulteros pœnæ illæ, quas poſtmodum Deus in lege Moſaica conſtituit: Itaque concludendum eſt, ab Abrahamo licite Agaram ductam uxorem, ex eaque filium genitum.

Concepit itaque Agar & fortunatior effecta, facta eſt inſolentior; & ancillam ſeſe oblita, atque arbitrata matrem ſe fore benedicti ſeminis, de quo a ſuis heris inaudierat, animum extulit; & inquit Moſes hoc capite 16. v. 4. *Concepiſſe ſe videns, deſpexit Dominam ſuam.* Addunt Hebræi ſummate illam excepiſſe Saram, quod refert R. Raſi: *Sara talis non eſt, qualis apparet: ſpeciem præfert juſtitiæ, cum ſit iniqua; utpote cum non ſit merita conceptionem, tot annis quibus convixit marito: at ego prægnans facta ſum ab uno congreſſu cum eo.*

Prodebat igitur contemptum ſuum erga Saram Agar, & manibus in ſequiori obſequio, & toto corpore in coacta veneratione, & ſervilibus officiis impendendis: *Ille enim ferme ſervorum mos eſt*, inquit S. Chryſoſtomus, *ut cum parum proſperitatis eis aſpiravit, nequeant intra ſuos limites manere: ſed ſtatim ſui ordinis obliviſcantur, & in ingratitudinem propenſi ſint: id quod & huic ancillæ accidit. Nam ut vidit uteri ſarcinam neque Dominæ admirabilem honeſtatem; neque ſuæ conditionis vilitatem cogitavit: ſed inflata & ſuperbiens contempſit Dominam, quæ illam tam commendatam habebat, ut & in viri thalamum admitteret.*

Hanc

Hanc igitur morum mutationem in ancilla ſua non ferens Sara, ſuſpicata quod mariti erga illam gratia & affectus audaces hos ei animos facerent, querelam ad eum defert, dixitque ei: *Inique agis contra me: ego dedi ancillam meam in ſinum tuum, quæ videns quod conceperit, deſpectui me habet, Judicet Dominus inter me & te:* ac ſi diceret, de alienis in me injuriis tu judex & ultor eſſe debes: ac de tuis contra me, Deus judex erit; ipſum appello cauſæ meæ vindicem. Cui reſpondens Abraham: *Ecce*, ait, *ancilla tua in manu tua eſt, utere ea, ut libet.*

QUÆRITUR II.

Quid obſervandum ſit in præfatis & ſequentibus verbis.

RESpondeo in illis tria eſſe notanda. 1. Placidum Abrahami reſponſum. 2. Saræ muliebris impotentia. 3. Agaræ ancillæ protervia. Apparet, inquam, eximia Abrahami prudentia & moderatio; non enim irritatur injuſta uxoris expoſtulatione, nec ſe purgat fretus ſua innocentia; nec corripit in quam Saræ objurgationem: videbat enim vir juſtus & ſapiens quod quidquid horum feciſſet, malum potius exacerbaſſet, quam curaſſet. Unde S. Chryſoſtomus, hoc placidum & prudens Abrahami reſponſum expendens, ait: „ Ingens lucet in viro juſto virtutis ſtudium: mira æquanimitatis excellentia. Non ſolum enim non ægre tulit ea quæ Sara dixerat, ſed & oppido manſuete reſpondit; Et, *inquit*; ſuſpicaris me auctorem eſſe contumeliarum quibus affecta es, & putas me oblectari in his quæ ancilla adverſum te auſa fuit, quoniam ſemel communicavit mihi in lecto? diſce quod & primum niſi hoc ſuſcepiſſem, ut tibi gratificarer; nunquam admiſiſſem ancillam in lectum meum. Veruntamen ut reipſa certior fias; ecce in manibus tuis eſt, utere ea ut tibi placuerit *&c.*

Plurima autem hoc in facto peccaſſe videtur Sara. 1. *Temeritate & audacia*, exprobrando marito beneficium, ut putabat, a ſe collatum, quod ille non niſi, ipſa ſuadente acceptarat. 2. *Animi levitate & imprudentia*, Deum contra ſe judicem interpellans: cum enim ipſi nihil injuriæ feciſſet Abraham conſectarium erat ut illa Deum ſuæ in maritum iracundiæ ultorem ſentiret. 3. *Muliebri impotentia*, quod æquo & conſtanti animo ancillæ ſuæ petulantiam non ſubſtinuerit & ſpreverit. In hoc tamen excuſanda venit Sara, quod in ancilla ſentiret ingrati animi vitium, quo nullum odioſum eſt magis; præſertim in ancilla, quam ad uxoris dignitatem promoverat. In eo pariter laudanda, quod cum ancillam ſuam marito dediſſet uxorem, illam caſtigare noluit niſi prius accepta ab eo poteſtate, quam ſi petiiſſet moderatius, & ſine mariti in ea re innocentis ſugillatione, nihil eſſet in hac ejus querela culpandum.

Docemur indè etiam inter ſanctiſſimos conjuges interdum aliqua ſuboriri jurgia; non defectu matrimonii quod per ſe amoris & concordiæ vinculum eſt: ſed vel Deo id permittente in ultionem levium delictorum conjugum; vel inſtigante Dæmone, qui in agro cœleſtis patris-familias non ceſſat ſua ſuperſeminare zizania. Familia quidem Abrahæ domeſtica erat Eccleſia, ſed zizaniis paleiſque non vacua: Agara namque natione Ægyptia nonnihil ſuæ Gentis, etiam in fidelium cœtu, perverſitatis retinuit; nec Sara omnem ſui ſexus exuit infirmitatem, imo muliebrem & impotentem ſuum animum acrius exeruit.

Addit enim Moſes, quod Sara accepta ab Abrahamo omnimoda in ancillam poteſtate, *afflixit eam*, & duriuſcule verbis & minis in eam egit, ut illam ad officia ancillaria revocaret, ipſiuſque proterviam frangeret. Agar autem, ut ſervilis erat ingenii, exulceratum erga ſe Saræ animum experta, fugam meditari maluit, quam humili culpæ agnitione redire in gratiam: „ Talis ſcilicet ſervorum mos eſt, (inquit ſanctus Chryſoſtomus eadem *homil.* 38.) quando non permittitur eis more ſuo agere, ſed impediuntur eorum conatus, ſtatim dominorum ruptis ſtenis ſugam capeſſunt.

Igitur illa correctionis impatiens ſecreto *fugam iniit*, per deſertum Sur, via qua itur in Ægyptum; putans in deſerto, aut ſylva melius ſe habituram; quam in domo herili atque haud dubie in patriam redire cogitans; *Sur* enim, teſte S. Hieronymo, deſertum eſt Judæam inter & Ægyptum, pertenditque ad mare rubrum.

At cum in illo deſerto ſiticuloſo per aliquot dies oberraſſet Agar, in eo fontem invenit inter *Cades & Barad*, qui quidem fons etiam ibidem dicitur *puteus* tametſi duo hæc differre videantur, omnis enim puteus eſt fons: ſed non omnis fons eſt puteus; fons enim aquas fundit ex plano aut eminentiori loco; puteus vero in profundo. Fons autem ille dictus eſt puteus, quod forte aquas ex profundo ejacularet.

Erat autem ille inter *Cades & Barad*, inquit Moſes. *Cades* autem eſt Barnea illa, ubi aqua fluxit ex petra *Num.* 20. juxta urbem *Petram*, Arabiæ Petreæ Metropolim. Illo autem in loco Agaræ apparuit Angelus Domini, ſuaſitque ut depoſita protervia, ad domum herilem rediret, & Saræ Dominæ ſuæ famularetur. Ad quæ verba S. Chryſoſtomus ait: *Vide quomodo ancillæ ſupernum auxilium non deeſt, quo juſtus* (Abraham) *in majori ſit honore: nam quia juſti ſemen intra ſe gerebat, ideo Angeli aſpectum videre meruit.*

QUÆ-

QUÆRITUR III.

Quis fuerit Angelus ille qui apparuit Agaræ, & iſta ei denuntiavit.

COmmunis eſt ſententia Veterum Patrum Angelum illum non fuiſſe aliquem ex Angelis ſeu ſpiritibus creatis, ſed Chriſtum Dominum ſeu Dei Filium qui in umbratili carne Patribus Veteris Teſtamenti apparuit, ut in figurato corpore futuræ ſuæ Incarnationis myſterio proluderet. Id egregie docet Tertullianus, lib. contra praxeam, *cap. 6.* ubi cum dixiſſet Patrem Divinum omnia per Filium operari, concludit: „ Filius itaque
„ eſt qui ab initio judicavit, turrim ſuperbiſ-
„ ſimam elidens, linguaſque diſpertiens, or-
„ bem totum aquarum violentia puniens,
„ pluens ſuper Sodomam & Gomorram ignem
„ & ſulphurem: *Dominus a Domino.* Ipſe
„ enim & ad humana ſemper colloquia de-
„ ſcendit, ab Adam uſque ad Patriarchas
„ & Prophetas; in viſione, in ſomno, in
„ ſpeculo, in ænigmate, ordinem ſuum præ-
„ ſtruens ab initio ſemper, quem erat per-
„ ſecuturus in finem. Ita ſemper ediſcebat
„ & Deus in terris cum hominibus con-
„ verſari, non alius potuit quam ſermo qui
„ caro erat futurus &c.

Eadem docent *S. Juſtinus Martyr* in dialogo adverſus Triphonem, & Apolog. 2. S. *Irenæus* lib. 3. cap. 6. & lib. 4. cap. 17. *Origenes* in Iſaiam homil. 1. *S. Cyprianus* lib. 2. adverſus Judæos. *Euſebius* lib. 1. hiſt. cap. 2. *Baſilius* lib. 2. adverſus Eunomium. *Athanaſius* orat. 4. contra Arianos. *Gregorius Nazianzenus* orat. 36. & 40. *Ambroſius* in Epiſt. ad Corint. cap. 1. & alii bene multi.

Confirmant iſta Patres Concilii Antiocheni in Encyclica ſua Epiſtola quæ de Chriſto hæc habet: *Qui implet voluntatem paternam, Patriarchis apparet, & cum eis loquitur, in eiſdem clauſulis, & eiſdem capitibus, aliquando quidem tanquam Angelus; quandoque vero tanquam Dominus, quandoque autem Deus eſſe affirmatur. Deum enim univerſi impium eſt exiſtimare Angelum. Filius vero Angelus patris eſt; qui eſt ipſe Dominus & Deus. Scriptum eſt enim, Angelus magni conſilii.*

Quod autem is qui Agaræ apparuit, non fuerit Angelus creatus, haud obſcure indicat Moſes dum illum vocat *Jehova*, quod eſt ita proprium Dei nomen, ut nulli unquam creaturæ fuerit conceſſum, ſicut demonſtravimus in Scoto noſtro Academico, ubi actum eſt de nominibus Dei. Hoc pariter agnoviſſe cenſetur Agar, cum attonita quod Deum vidiſſet: exclamavit: *Tu Deus qui vidiſti me?* Quibus verbis ſignificabat ſe mirari plurimum Dei manſuetudinem, qui ſe mortali fœminæ conſpiciendum præbuiſſet. Addit vero *Profecto vidi poſteriora videntis me.* Hoc eſt: argumentum & effectum jam habeo illius erga omnes creaturas vigilantis providentiæ; & quem conſpiciendo & vivendo, quis eſſet, ignorabam; jam abeuntem agnoſco eſſe Dominum & Deum meum.

Deus itaque, ſive per ſe, ſive per Angelum Agaræ apparens, & loquens, ei plurima prænuntiat. I. Quod conceptura eſſet filium quem vocaret Iſmael, *eo quod*, inquit, *audierit Deus afflictionem tuam*; Iſmael enim ſignificat, *audiet Deus.* Fuit autem Iſmaelis hoc ſingulare privilegium, quod ante illius ortum nomen illi Deus dederit. II. Prænuntiatur Iſmaelem futurum hominem agreſtem, ſylvarum, & ſolitudinis incolam, ferarum venatorem, inurbanum & moribus incultum.

Præſignabantur pariter ejus poſterorum mores & affectus; Iſmaelitæ namque ſeu Saraceni (ait Ammianus Marcellinus lib. 14. de ſtudiis, moribus, & inſtitutis Saracenorum) „ Omnes pari ſorte ſunt bellatores,
„ ſeminudi, coloratis ſagulis pube tenus a-
„ micti, equorum adjumento pernicium, gra-
„ ciliumque camelorum per diverſa reptan-
„ tes, in tranquillis æque ac turbidis rebus
„ &c.

Inſuper de Iſmaele denuntiatur: *Manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum:* hoc eſt, negotium omnibus faceſſet, & alii ipſi; vir bellicoſus & inquietus cum nemine pacem habebit; nulluſque viciſſim cum ipſo pacifice victurus eſt.

At inquies. Cum pace nihil magis ſit expetendum, qua ratione inter Dei beneficia Iſmaeli, ejuſque poſteris conferenda, cenſetur eos futuros bellatores omnibus inſenſos, & ab omnibus impetendos?

Reſpondeo, quod etſi optabilius eſſet ſumma pace & tranquillitate frui cum omnibus; attamen quia prævidebat Deus Iſmaelem, ejuſque poſteros propter eorum agreſtes & efferatos mores ab omnibus oppugnandos; hoc in gratiam patris Abrahæ habituri erant ſolatii, quod hoſtibus ſuis non forent impares; ſed tanta virtute & fortitudine præditi, ut oppugnantibus reſiſtere, eorumque vim & inſultus repellere poſſent.

Agar itaque excuſſa animi ferocia, & in aliam mutata juxta Dei monitum, ad Saram reverſa, ſuis humilibus & aſſiduis obſequiis, ipſius gratiam redimere ſatagit, narratque (ut coniicere licet) ea omnia quæ ſibi in ſolitudine contigerant; quorum argumentum eſt, quod natum poſtmodum ab ea filium Abrahamus Iſmaelem vocaverit, quemadmodum Deus ipſi Agaræ præceperat.

DISQUISITIONES IN CAPUT XVII.

ABrahæ annum nonageſimum agenti denuo ſe conſpiciendum Deus præbens, tria potiſſimum ei hoc in capite ſignificat. I. Cum hortatur ad ſuæ divinæ voluntati præſtandum obſequium; *Ambula coram me*, inquit, *& eſto perfectus*. Spondetque ejus ſemen velut arenas maris ac cœli ſydera multiplicandum, atque pollicetur a ſe ipſi illiuſque poſteris dandam eſſe terram Chanaan in æternam poſſeſſionem.

II. Pactum init cum Abrahamo, cujus ſymbolum voluit eſſe Circumciſionem: *Hoc eſt pactum meum*, inquit, *quod obſervabitis inter me & vos, & ſemen tuum poſt te: circumcidetur ex vobis omne maſculinum...., ut ſit in ſignum fœderis inter me & vos.*

III. In rei promiſſæ fidem, Abrahami & Saræ mutat nomina; prius enim ille dicebatur *Abram*, id eſt, *Pater excelſus*; jam vero appellatur *Abraham*, addita littera H. quæ una eſt ea ſacratioribus quibus ſacro-ſanctum nomen *Jehova* effertur, biſque in divino & ineffabili nomine ſcribitur: quo factum eſt, ut Abrahamus ex vi & Etymologia ſui nominis dictus ſit *Pater excelſus multitudinis*. Nomen enim *Abraham* Hebraice componitur ex *Abram* & *Hamon*, quæ vox multitudinem ſignificat, Unde dicendum erat *Abrahamon*: Verum ad tollendam cacophoniam, quædam litteræ tolluntur, ſicut fit in plurimis aliis nominibus, quo lenius & facilius pronuntientur.

Fuit autem revera Abrahamus *pater multarum Gentium*, non ſolum generatione carnali, qua ex Iſmaele, & Iſaaco, filiiſque Ceturæ plurimæ Gentes prodierunt; ſed maxime generatione ſpirituali, qua dictus eſt Pater omnium credentium, ex Apoſtolo ad Rom. v 4. 11.

Mutatum eſt pariter nomen *Saræ*, quæ antea Hebraice dicebatur *Sarai*, hoc eſt, ut obſervat S. Hieronymus, *princeps mea*, quod eſſet tantum unius domus mater familias & domina; ſubducta vero ex ejus nomine Hebraica littera i addita eſt ea nomine divino littera H. ut Hebraice diceretur *Sarah*; quo ſignificaretur illam pariter futuram matrem multarum Gentium, omniumque credentium in Chriſtum.

Hæc autem omnia ut informaret Deus, Abrahamumque certiorem faceret, omnia quæ pollicebatur, fore implenda, promiſſionem orditur ab his verbis: *Ego Dominus omnipotens*: nimirum ut interpoſita ſua omnipotenti virtute, omnem ab Abrahami animo dubitationem ſubmoveret. Duo nempe ſpondebat Deus, quæ creditu difficilia videbantur. *Primum*: quod Abraham centenarius, & Sara nonagenaria futuri eſſent pater & mater multarum gentium: *Alterum* vero quod eorum poſteri accepturi eſſent Cananitidem in perpetuam poſſeſſionem; cujus promiſſionis executio non ita facilis videbatur; quippe cum regiones illæ refertæ eſſent incolis potentiſſimis, & validiſſimis bellatoribus.

Utrique vero divinæ promiſſioni conſtantiſſimam fidem adhibuit Abrahamus; his enim auditis, ut refert Moſes, *cecidit Abraham pronus in faciem*; nimirum ut ſignificaret ſe non ſolum humillimum ſupremæ Dei majeſtatis adoratorem; ſed & quæ dixerat, & quæ dicturus erat, reverenter ſuſcipere & ſtudioſe amplecti; hoc autem egregie declarat Apoſt. *ad Rom.* 4. ubi in hanc Dei promiſſionem digitum intendens, de Abrahamo ſcribit: *Non infirmatus eſt fide, nec conſideravit corpus ſuum emortuum, cum fere eſſet centum annorum, & emortuam vulvam Saræ. In repromiſſione etiam Dei non hæſitavit diffidentia; ſed confortatus eſt fide, dans gloriam Deo: pleniſſime ſciens, quia quæcumque promittit, potens eſt & facere &c.*

Hac itaque Deus Abrahami religione & obſervantia provocatus, init cum eo fœdus tam ab ipſo, quam ab ejus poſteris inviolabiliter ſervandum: *Hoc* inquit, *eſt pactum meum quod obſervabitis inter me & vos, & ſemen ſuum poſt te: circumcidetur ex vobis omne maſculinum, & circumcidetis carnem præputii veſtri; ut ſit in ſignum fœderis inter me & vos.* Solebant olim homines fœdera inita non modo in publicas tabulas referre; ſed in æs incidere, vel inſculpere lapidibus, quo magis teſtata & conſtans eſſet eorum memoria; at Deus in Abrahæ, ejuſque poſterorum carne fœdus ſuum inſculpi voluit, quaſi ſolemne monumentum eorum adoptionis & electionis in peculiarem ſibi populum maxime eos, qui per Iſaacum & Jacobum erant propagandi.

QUÆRITUR AUTEM I.

Cur ſacrum fœdus, quo juſtitia & ſalus promittitur, ſtatuere voluerit Deus in illis partibus nonniſi cum pudore nominandis.

ABſurdum prima fronte, ac ridiculum videri potuit divinum hoc mandatum. Initur ſacrum fœdus quo diſcerni debeat ſemen Abrahæ a reliquis Gentibus, utque ejus poſteri ſint populus Dei, & oves paſcuæ ejus: tanti vero myſterii ſymbolum & inſi-

Inſigne ſtatui in pudendis partibus, quis rationi conſentaneum eſſe dicat? Verum cum Deus ſit infinita ſapientia præditus, nihil niſi rationabili de cauſa ſtatuere poteſt; quæ licet nos lateat, nihilominus graviſſimam eſſe exiſtimandum eſt.

Etſi vero Moſes illam non expreſſerit, multiplex tamen inter ſignum viſibile & rem ſignatam effulget analogia. Illas erudite aperit Philo in brevi diſſertatione quam inſtituit de uſu Circumciſionis. *Ridetur*, inquit, *Majorum noſtrorum Circumciſio: quamvis ea non in mediocri honore habita eſt, etiam apud Gentes alias, præſertim vero Ægyptiacam, præcellentem non minus hominum ſapientia quam frequentia;* idque multis de cauſis quas perſtringo. I. Quo facilius caveretur morbus ægre curabilis, quem vocant *carbunculum*: ſic appellatum, quod urat inflammatione, quod tam præputiatis, quam circumciſis frequentius contingit.

II. Ut totum corpus eſſet purius, nec officia impediret ſacerdotalis Ordinis.

III. Pars hæc corporis circumciſa, cum cordis ſimilitudinem habeat, indicat generationem ex corde profluere.

IV. Ob majorem fœcunditatem, quia hac parte reſecta, facilius fit generatio; & ideo Gentes circumciſæ, fœcundiſſimæ ſunt & populoſiſſimæ,

V. Ejus membri Circumciſio, exciſionem ſignificat voluptatum, quæ mentem faſcinant. Et quia inter voluptatum illecebras principatum tenent, quæ illam corporis partem titillant, & afficiunt; idcirco juſtum eſt illas mutilare.

VI. Ut deprimeretur hominum arrogantia, qui quod alios homines generare poſſint ſuperbia intumeſcunt; diſſimulato vero humani generis Auctore & Propagatore.

Addit Joſephus lib. 1. Antiquitatum; „ Voluit Deus corporali hac nota inſigniri „ Gentem noſtram, quo ſcilicet manifeſte „ ſecerneretur & ſegregaretur a cæteris „ Gentibus; ſcilicet ne cum illis permixta „ & confuſa, flagitioſos quoque earum mo„ res, fœda inſtituta, iniquas leges, impias „ ſuperſtitiones, prava æmulatione ſequi „ vellet. Quam rationem etiam proferunt „ *S. Chryſoſtomus* homil. 39. in Geneſ. *S. Hieronymus* in cap. 3. Epiſt. ad Galatas. *Theodoretus* quæſt. 65. in Geneſ. „ Quoniam „ *inquit*, prædixerat Deus futuram ſeminis „ ejus quadringentorum annorum peregri„ nationem in terra aliena; pietati conſer„ vandæ velut cuſtodiam quandam præmoli„ tus eſt Circumciſionem: ne poſteri Abra„ hæ, impiis hominibus permixti, macula„ rent paternam nobilitatem; ſed ſignum „ illud Circumciſionis intuentes, indelebi„ lem ejus memoriam, qui tale ſignum eis „ dederat, conſervarent.

QUÆRITUR II.

Utrum Circumciſio fuerit revera divinæ Inſtitutionis: an Traditionis humanæ.

Etſi Moſes diſtincte aſſerat, verbis ſupra laudatis, Deum eſſe unicum Circumciſionis auctorem, ejuſque ab ipſo obſervantiam & ritum Abrahamo, illiuſque poſteris præſcripſiſſe: . Nihilominus, ut temerarii ſemper quorumdam hominum auſus non defuerunt olim, nec deſunt modo, qui Iſraelitarum ritus, maxime Circumciſionem, ab Ægyptiis & Chaldæis, quorum doctrina imbutus erat Moſes, acceptam referunt. Prodiit enim olim Celſus, qui, referente Origene, aſſerebat Judæos Circomciſionem ab Ægyptiis mutuatos fuiſſe.

Noſtris etiam temporibus eandem ſententiam innovare voluit Joannes Marshamus natione Anglus, titulo Eques Auratus, qui in Canone Chronico Ægyptiaco &c. *pag. mihi* 73. &c. videtur inſinuare Iſraelitas circumcidendi maſculos morem ab Ægyptiis hauſiſſe, eamque aſſertionem confirmat teſtimonio Herodoti, *lib.* 2. *cap.* 104. dicentis: *Soli omnium hominum Colchi, & Ægyptii, & Æthiopes ab initio ſtatim pudenda circumcidunt. Nam & Phœnices, & Syri, qui ſunt in Palæſtina, didiciſſe id ab Ægyptiis & ipſi confitentur &c.* Producit etiam Diodorum Siculum: lib. 1. pag. 17. ubi cum dixiſſet Judæos & Colchos ex Ægypto deductos eſſe, ſubdit: *Ideoque Gentilibus illis ex antiqua traditione in uſu eſt, ut circumcidant, ſtatim a partu pueros, ritu ab Ægyptiis derivato.* Ex his colligit Marshamus Circumciſionem non fuiſſe primum ab Iſraelitis uſitatam, ſed ab Ægyptiis ad eos derivatam.

Verum cum Moſes diſtincte pronunciet Deum Abrahamo Circumciſionem præſcripſiſſe, ut eſſet ſymbolum & ſignum fœderis & pacti initi cum ipſo, ejuſque poſteris, *Eritque pactum meum* (inquit Deus) *in carne veſtra in fœdus æternum;* ſatis aperte ſignificat tum primum inſtitutam fuiſſe Circumciſionem: ſi enim hæc fuiſſet jam apud alias nationes in praxi, non recte aſſumeretur a Deo tanquam ſymbolum pecularis ſuæ erga Abrahæ poſteros dilectionis & protectionis; nec eſſet ipſa Abrahamitis ſignum repræſentativum ac demonſtrativum perpetuæ ſuæ in Deum religionis & obſervantiæ.

Hoc ipſum confirmat Chriſtus Dominus *Joan.* 7. *v.* 22. ubi Judæos alloquens ait: *Propterea Moyſes dedit vobis Circumciſionem non quia ex Moyſe eſt, ſed ex Patribus.* Quibus aperte indicat Circumciſionem non ab Ægyptiis, ſed a Patribus eſſe derivatam; nimirum ab Abrahamo Iſraelitarum parente.

Confirmatur teſtimonio filiæ Pharaonis quæ cum in ripa profluentis fluvii puerulum Moſem conſpexiſſet, e veſtigio circumciſum agnoſcens, fœtum gentis Hebraicæ pro-

pronunriavit: ſi autem Circumciſio pariter fuiſſet ab Ægyptiis frequentata, vanum fuiſſet illud indicium.

His accedit exterorum etiam teſtimonium, qui res Judaicas, melius quam Herodorus, & Diodorus Siculus, calluerunt: nam Artapanus (productus ab Euſebio) in eo opere, quem ſcripſit de Judæis, diſtincte ſcribit, Æthiopes Circumciſionem a Moſe: *Æthiopes autem ipſos* (inquit) *hoſtes, tam propenſo tamen in Moyſem animo fuerunt, ut ipſius quoque Circumciſionis ab eo ritum acciperent.* Similia habet Theodotus ab eodem Euſebio productus *lib. 9. cap.* 22. hic enim cum enarraſſet Sichemi cum civibus ſuis Circumciſionem, ut obtineret Dinæ nuptias, ad primam hujus ritus originem digitum intendens, ſcribit: *Qui magnum patris Abrahamum eduxit ab oris, cælitus hunc tota juſſit cum ſtirpe recurvo, glaude ſub extrema, præputia demere ferro? paruit atque Dei verbis immotus inhæſit.*

His adiicere licet Veteres Eccleſiæ Doctores expreſſe docentes Circumciſionem idcirco Judæis traditam, ut ſignum eſſet demonſtrativum initæ perpetuæ ſuæ in Deum obſervantiæ; atque ſymbolum, quo ab aliis Gentibus diſtinguerentur. Sic imprimis S. Juſtinus Martyr, qui cum dixiſſet, non omnibus neceſſariam eſſe Circumciſionem, ſed ſolis Judæis; idque probaſſet exemplo Adami, Abelis, Lothi, Noe, aliorumque Patriarcharum, qui ſine Circumciſione ſalvi facti ſunt, adiicit: *Abraham* (*qui primus Circumciſionem carnis accepit*) *benedictione ab eo auctus*... *Vobis ergo ſolis neceßaria fuit Circumciſio iſta, ut populus, fieret non populus; & gens non gens, ſicut & Oſeas ait &c.*

Ei ſubſcribit S. Irenæus, qui ait: *Quod autem Circumciſionem, non quaſi conſummatricem juſtitiæ fidei, ſed in ſignum dederit eam Deus, ut cognoſcibile perſeveret genus Abrabæ ex ipſa ſcriptura diſcimus: Dixit enim Deus ad Abraham, circumcidetis carnem præputii veſtri, & erit ſignum Teſtamenti inter me, & vos &c.*

Adſtipulantur cæteri Eccleſiæ Patres idem aſſerentes prælertim S. Chryſoſtomus: *Quemadmodum* (inquit) *vir aliquis temperans & lenis, ancillam habens petulantem terminos & regulas illi dat, ne unquam extra veſtibula prodeat; neque cum prætereuntibus conveniat; & nonnunquam pedibus compedes addit, ut ſic illius intemperantiam coercere valeat: ita & benignus Dominus Circumciſionis ſignum carni eorum indidit, quaſi pedibus vinculum quoddam: ut domeſticum habentes ſignum non ultra doctrina aliorum opus habeant.*

Videſis etiam S. Auguſtinum *lib.* 15. *de civitate Dei*, ubi dicit idcirco præceptam Abrahamo Circumciſionem, ut eſſet ſignum regenerationis per Chriſtum futuræ: & *lib.* 11. *de nuptiis & concupiſcentia*; ubi dicit inſtitutam eſſe a Deo Circumciſionem, tanquam remedium ad purgationem peccati originalis. *Ex quo*, inquit, *inſtituta eſt Circumciſio in populo Dei; quod erat tunc ſignaculum juſtitiæ fidei, ad ſignificationem purgationis valebat parvulis originalis, veteriſque peccati: ſicut & Baptiſmus ex illo valere cæpit ad innovationem hominis, ex quo eſt inſtitutus.*

Ex his omnibus apparet quam turpiter hallucinentur ii qui obtrudere volunt Circumciſionis ritum Judæos ab Ægyptiis hauſiſſe. Nec iis quidquam ſuffragatur Herodoti teſtimonium; nam Joſephus ex Manethonis ſcriptis probat *Herodotum frequenter in rebus Ægyptiacis ignoratione mentitum*. Idque Diodotus Siculus lib. 1. pag. 63. confirmat: *Nos autem*, inquit, *quæ Herodotus, & nonnulli rerum Ægyptiarum Scriptores, portenta narrationum pro veritate ſponte amplexi, & voluptatis gratia fabulas commenti blaterarunt, miſſa faciemus.*

Porro hic præſertim plurimum erraſſe Herodotum, manifeſtum fit, ex eo maxime, quod aſſerat Syros, qui in Palæſtina ſunt, fateri ſe Circumciſionem ab Ægyptiis & Colchis habere. Nam ex Palæſtinæ incolis, ſoli Judæi circumcidebantur, teſte Joſepho mox laudato. At Judæi nuſquam aſſeruerunt ſe Circumciſionis ritum ab Ægyptiis accepiſſe; quinimo Ægyptios fuiſſe mutatos ab Iſraelitis hunc morem contendunt.

Multominus danda eſt fides Diodoro Siculo, qui Julii Cæſaris, & Auguſti temporibus ſcripſit; hic enim cum eſſet Ethnicus, in hiſtoria Judaica penitus rudis & ignarus fuit; quique Ægyptios de antiquitate ſuæ Gentis nimium glorian tes aſſerit, *Multa ambitioſe, magis quam vere ſibi tribuere, quæ nec firmis demonſtrationum argumentis, nec idoneorum teſtimoniis auctorum ſubnitantur.*

Cum itaque Ægyptii plurima ad ſuæ nationis commendationem fuerint commenti, quidni pariter fabulati ſint ſe Circumciſionis primos auctores, quam tamen ab ipſis Iſraelitis hauſerant, eo ſorte tempore, quo ipſis dominabatur Joſephus: quem ut ſibi redderent magis propitium, veriſimile eſt eoſdem ritus, quos ille, tunc fuiſſe ſectatos & imitatos; maxime vero Circumciſionem quam videbant ad gentis multiplicationem plurimum conducere. Ita docet eruditiſſimus Rabbinus ille, cujus extat liber nomine *Aruch*:

Ne autem viderentur hunc ritum hauſiſſe ab exteris, eum in plurimis deinde interpolarunt. Nam Judæi ex Dei mandato pueros circumcidebant octavo eorum nativitatis die: Ægyptii autem appetente anno decimo quarto, ut narrat S. Ambroſius, lib. 2. de Abrahamo, cap. xi.

Deinde Judæi omnes omnino mares circumcidebant: at Ægyptii eos tantum qui vel inanium Deorum cultui & miniſterio erant addicti; vel qui Philoſophiæ & Mathematicis operam navabant, teſte Origene: „ Apud
„ Ægyptios, *inquit*, qui in ſuperſtitionibus
„ vetuſtiſſimi & eruditiſſimi habebantur,
„ & a quibus cæteri pene omnes ritum ſa-
„ crorum, & cæremonias mutuati ſunt,
„ nullus aut Geometriæ, aut Aſtrologiæ
„ ſtudebat, aut Geneſeos ſecreta rimabatur,
„ niſi circumciſus eſſet. Nemo item apud
„ illos Sacerdos eſſe poterat, neque Aru-
„ ſpex, neque quorumlibet ſacrorum mini-
„ ſter, nec, ut illi appellabant, Propheta,
„ niſi

„ niſi antea Circumciſione quaſi purgatus, „ atque initiatus fuiſſet. Omnes hierophantes, omneſque vates, atque omnis, ſive „ Cœli, (ut putabant illi;) ſive inferni „ Myſtes, & conſcius, nullam apud eos fidem & auctoritatem habet, nulloque in „ honore eſt, ſi hoc careat Circumciſionis „ inſigni. *Hæc Origenes*. Unde S. Clemens Alexand. 1. ſtrom. pag. 302. ſcribit: *Pytagoras cum Ægyptiorum Prophetis congreſſus eſſe dicitur: per quos etiam circumciſus fuit, ut adyta ingrediens, myſticam Ægyptiorum diſceret Philoſophiam*.

Denique ſolos mares circumcidebant Judæi; Ægyptii vero, ut docet Strabo lib. 16. etiam fœminas circumcidere ſolebant. Unde diverſus erat omnino Ægyptiorum ab Hebræis circumcidendi ritus.

Hic ergo Circumciſionis fuit proceſſus: illam Abrahamus a Deo accepit: ab Abrahamo, per Iſmaelem Agaræ filium *Arabes* & *Æthiopes*: ab Arabibus, *Saraceni* & *Turcæ*: per Cethuræ filios, plurimæ nationes ab eis exortæ: per Iſaacum, *Edomitæ* Eſau poſteri: & *Iſraelitæ* Jacobi filii & nepotes. Ægyptii ab ipſo Abrahamo, vel Joſepho; ab Ægyptiis vero Colchi, & ſic de cæteris.

Opponet fortaſſis quiſpiam, illud Joſue 5. v. 9. ubi poſtquam circumciſi fuiſſent ii omnes Iſraelitæ, qui nati fuerant tempore peregrinationis in deſerto: *Dixit Dominus ad Joſue: hodie abſtuli opprobrium Ægypti a vobis*; quibus ſignificare videtur, etiam ante Joſue & Moſis tempora, ab Ægyptiis ignobilitati & infamiæ illorum deputatum, qui non eſſent circumciſi: Igitur ſignum eſt Ægyptiis etiam antequam Iſraelitis Circumciſionem in honore fuiſſe; ac proinde illos hunc ritum ab Hebræis non fuiſſe mutuatos.

Reſpondeo, his vocibus, *opprobrium Ægypti*, ex mente Theodoreti (*quæſt. 4. in Joſue*,) ſignificari liberationem ab Ægyptiaca ſervitute, & promiſſæ terræ conſecutionem; non vero Circumciſionis defectum. Fuerant quidem per plurimos annos Hebræi ſub duræ ſervitutis jugo in Ægypto gementes; fuerant & per quadraginta annos per deſertum errantes: at cum jam ingreſſi eſſent terram benedictionis, patribus ſuis a Deo repromiſſam, merito Deus illis ſignificat ſe ab eis abſtuliſſe opprobrium Ægypti: tum quod plena jam libertate donarentur; tum quod propter obſervatam ab eo ſancitam Circumciſionis legem, admiſſa ab eorum patribus in Ægypto delicta, ipſis non eſſet imputatus; imo eorum memoriam omnem aboleret. Itaque verba hæc, *opprobrium Ægypti*, non ſunt intelligenda de Circumciſione; quaſi illa a Deo Iſraelitis verteretur in probrum, ac ſi ritum illum ab Ægyptiis accepiſſent; cum enim illi omnes recens eſſent circumciſi, tantum abeſt ut ab eis eſſet ablatum opprobrium Ægypti, imo iſtius opprobrii perpetua in proprio corpore tuliſſent ſtigmata & inſignia: igitur nihil eſt in iſtis verbis quod Marshami erroneo dogmati faveat.

Inſtabis. Illi cenſendi ſunt primi Circumciſionis auctores, qui inter circumciſos primum ordinem obtinent: at ita eſſe de Ægyptiis apparet ex his Dei verbis apud Jeremiam, cap. 9. v. 2. & 26. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & viſitabo ſuper omnem qui, circumciſum habet præputium, ſuper Ægyptum & ſuper Juda, & ſuper Edom, & ſuper filios Ammon, & ſuper Moab, & ſuper omnes qui attonſi ſunt in comam, habitantes in deſerto: quia omnes Gentes habent præputium; omnis autem domus Iſraël incircumciſi ſunt corde*. Ubi vides Ægyptios inter circumciſos primos numerari.

Reſpondeo, Ægyptios illo in ordine nòn idcirco primos recenſeri, quod primi Gentium omnium Circumciſionem corporis admiſerint: ſed quod inter incircumciſos corde pejores eſſent, & multiplici idololatriæ crimine magis contaminati. Quamobrem primi erant inter quos Deus propter horrenda errorum ſcelera ad iracundiam provocatus animadvertere decreverit. Vel ſi mavis, verba illa intelligenda eſſe reſpective ad Iſraelitas, quos ibi per Prophetam compellat Deus: eorum ſenſus hic erit, ut exponit S. Hieronymus, nimirum quod Judæi non habeant unde plurimum ſeſe efferant de ſua Circumciſione, cum plurimæ ſint aliæ nationes puta Ægyptii, Iſmaelitæ &c. quæ Circumciſionem admittunt; quæ tamen cum in Deum non credentes, nec eum colentes, magis Circumciſionem cordis non habent, quam aliæ nationes præputium habentes. Vult itaque Deus verbis illis ſignificari Circumciſionem carnis nil prodeſſe ad juſtitiam, abſque Circumciſione cordis & ſpiritus, quæ ſola conducit ad vitam æternam. Cum autem Moſes inducat Deum aſſerentem Circumciſionem carnis ſymbolum eſſe fœderis æterni: *Eritque pactum meum*, inquit, v. 13. *in carne veſtra in fœdus æternum*.

Q U Æ R I T U R III.

An publicata & firmata lege Evangelica, licite omiſſa fuerit illa carnalis Circumciſio.

Contendunt Judæi perperam a Chriſtianis prætermitti Circumciſionis ritum, quem Deus in ſignum æterni fœderis cum fidelibus initum eſſe voluerat. At Chriſtiani omnes merito jure propugnant abrogatam eſſe Circumciſionis carnalis legem, utpote quæ nihil quidquam jam ad hominum juſtificationem & ſalutem conferat, his potiſſimum rationibus.

I. Idcirco (ut docet S. Chryſoſtomus) præcepta fuerat Circumciſio carnalis, ut ſignum eſſet diſtinctivum populi fidelis ab inſide-

fideli; ne ille cum aliis Gentibus impiis permixtus & confuſus, illibatum Dei cultum & veram religionem non cuſtodiret; at ritus ille Circumciſionis omnino ceſſare debuit, promulgata & ſtabilita lege evangelica, quæ non alicui populo; ſed univerſis mundi nationibus erat præſcribenda, ita mandante Chriſto ſuis Apoſtolis. Marci ult. *Euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ*, ut ſignificaret accedente lege Evangelica, nullam apud Deum futuram eſſe diſtinctionem *Judæi & Græci*, ut diſerte probat Apoſtolus ad Romanos cap. 1. & 2. Quia ait primæ ad Timotheum 2. Hoc præſertim tempore manifeſtavit Deus ſe velle *omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*.

II. Tandiu vigere debebat Circumciſionis præceptum, quandiu pactum Dei cum Abrahamo ejuſque poſteris erat ſervandum: porro pactum illud duntaxat ſervandum erat donec novum, per Evangelii prædicationem ſtatueretur, ut egregie demonſtrat S. Paulus ex vaticinio Jeremiæ, cap. 31. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & conſummabo ſuper domum Iſrael, & ſuper domum Juda Teſtamentum novum: non ſecundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum; pactum quod irritum fecerunt. Sed hoc erit pactum quod feriam domui Iſrael poſt dies illos: dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam: & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum*. Ex quibus Apoſtolus colligit; *dicendo novum, veteravit prius; quod autem antiquatur & feneſcit, prope interitum eſt*.

III. Omnes a Deo Patriarchis præſcripti ritus, per Moſaicam legem collecti & innovati, ſigna erant & figuræ eorum quæ in adventu Meſſiæ eſſent implenda, ut docet Apoſtolus: adveniente autem veritate evaneſcere debent figuræ; nulliuſque ſunt amplius ponderis & momenti: igitur omnes illi veteres ritus nullum deinceps obtinere debebant vigorem, adveniente Chriſto, & ſtabilita lege Evangelica. Confirmabuntur iſta in refutatione eorum quæ Judæi ſolent obiicere.

Opponunt itaque Judæi. 1. Præceptum de ſervanda Circumciſione præſcribitur in perpetuum, ut conſtat ex verbis Dei Abrahamum alloquentis: *Statuam pactum meum inter me & te, & inter ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis fœdere ſempiterno: ut ſim Deus tuus & ſeminis tui poſt te*. Quod vero hujuſce ne ineundi perpetui fœderis ſymbolum ſit Circumciſio carnalis, declarat Deus v. 13. *Circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me & vos... eritque pactum meum in carne veſtra, in fœdus meum*: igitur Circumciſio non debuit abrogari.

Reſpondeo I. duplicem diſtinguendam eſſe Circumciſionem; carnis alteram, alteram cordis: prior ad tempus duntaxat inſtituta fuerat; poſterior vero ad mundi finem perſeveratura: hanc poſteriorem in mente habuit Deus ineundo fœdus cum Abrahamo, qui idcirco dictus eſt *Pater credentium*, quod ipſius ex ſanguine & proſapia oriundus eſſet non ſolum Judæorum, ſed & omnium prorſus hominum Salvator & Redemptor, in quem credentes tam ex Gentibus quam ex Judæis, vitam æternam divinæ gratiæ beneficio ſuis bonis operibus poſſent promereri. Si vero urgeas perpetuam illam Circumciſionis durationem adſcribi non ſolum rei ſignificatæ, nempe Circumciſioni cordis & ſpiritus, ſed etiam ſigno & ſymbolo quod tanquam ſignum perpetuum divini fœderis in ſua carne perferre debebant Abrahæ poſteri.

Reſpondeo II. voces illas *perpetuum & ſempiternum*, Hebræè voce עולם *olam*, triplicem in Scriptura habere ſignificationem: vel enim indicant rem, quæ nec finem nec principium habitura ſit; quo ſenſu ſoli Deo tribuuntur, ſic Pſal. 86. *A ſæculo & uſque in ſæculum tu es Deus*. Vel indicant infinitam durationem (ut loquuntur Theologi) *A parte poſt*, illius rei, quæ exordium quidem habet, nullum vero finem ſit habitura, ſic Proverb. 10. v. 30. *Juſtus in æternum non commovebitur*. Vel denique denotant diuturnam perſeverantiam alicujus rei abſque ulla interruptione, quo ſenſu, *perpetuum* idem ſignificat, ac *continuum*; ſic Eccleſiaſtes 1. v. 4. terra dicitur *ſtare in æternum*. Porro vox illa עולם *olam*, qua uſus eſt Moſes, loquendo de Circumciſione, ſignificat durationem, non quidem aliquando non finiendam; ſed quæ longa ſit, nec habitura finem, niſi aliqua interveniat notabilis converſio rerum, qualis fuit in mutatione Circumciſionis & præceptorum cæremonialium Moſaicæ legis per adventum Meſſiæ.

His Addo quod ſimiles voces *in perpetuum, in æternum &c.* æque proferantur de feſto Paſchatis, de ſacrificiis, de aſſervatione mannæ, de oleo unctionis, & aliis id genus; quæ tamen Deum handquaquam perpetua eſſe voluiſſe rerum eventu ſatis compertum eſt; cum ſeptingenti quatuor ſupra mille jam ſint anni, quibus iſtis omnibus Abrahæ poſteri ſecundum carnem, penitus deſtituuntur, ut perſpicue demonſtrabimus in noſtra panoplia catholica, ubi ſermo erit adverſus Judæos.

Nec eſt quod reponant Judæi, ſe quidem iſtis omnibus orbari, quod ipſis liberum non ſit accedere ad locum in quo iſta omnia ex Dei præſcripto erant peragenda: hæc enim reſponſio noſtram aſſertionem confirmat; nimirum Dei voluntatem non fuiſſe, ut iſta in perpetuum obſervarentur; ſed duntaxat quandiu illi divinarum legum eſſent zelatores; & donec adveniſſet Meſſias, qui novam legem conderet; quique, antiquis illis ritibus præfigurata, accedente earum veritate, compleret, ut vaticinati fuerant Prophetæ, præſertim Jeremias, *laudato cap.* 31. ubi pactum vetus prædicitur abrogandum, ac proinde etiam abroganda iſtius fœderis ſigna & ſymbola.

Reponunt Judæi promiſſiones illas de ineundo novo fœdere, non eſſe intelligendas de inſtitutione fœderis quo aboleatur Moſaica lex & Circumciſio: ſed quo compleantur, & ef-

& effectum obtineant promiſſiones illæ, quibus Deus pollicetur a ſe liberandum eſſe populum ſuum ab exteris nationibus, & reſtituendum in terram promiſſionis, ut ibi vivat tranquillius, utque divino cultui religioſius ac pacatius, quam antea incumbat.

Reſpondeo I. Novo fœdere ea tantum ratione confirmatum eſſe Vetus, quod quæ in hoc promittebantur, in illo cumpleta fuerint; ceſſant vero promiſſiones, ubi res promiſſa confertur: hinc Chriſtus Dominus Matthæi 5. v. 17. merito dicebat: *Nolite putare quoniam veni ſolvere legem, aut Prophetas: non veni ſolvere, ſed adimplere.* His addo falſum eſſe nihil aliud novo fœdere promiſſum, præter liberationem Iſraelitarum a Gentibus, & eorum reſtitutionem in terram benedictionis; contrarium enim conſtat ex omnibus vaticiniis, quibus promittitur novum fœdus ineundum, non ſolum cum, ipſis Iſraelitis Abrahæ filiis carnalibus, ſed etiam cum omnibus prorſus Gentibus quæ in venturum Meſſiam credituræ erant, & leges ab eo ſanciendas obſervaturæ.

Opponunt II. Judæi, plurima Prophetarum vaticinia quibus ſpondet Deus adveniente Meſſia reſtituendam in integrum Iſraeliticam Gentem, nec amplius e ſuo ſtatu patriaque diſturbandam: illud potiſſimum Iſaiæ 52. v. 1. *Conſurge, conſurge, induere fortitudine tua Sion: induere veſtimentis gloriæ tuæ, Jeruſalem, civitas ſancti; quia non adiiciet ultra ut pertranſeat per te incircumciſus & immundus.* Unde inferunt a venturo Meſſia non abrogandos eſſe Moſaicos ritus, maxime vero Circumciſionem; ſed potius confirmandos.

Reſpondeo, iſta Prophetarum oracula non eſſe intelligenda de civitate Sion & Jeruſalem terrena; nam eventus docet ex ea jamdudum exulare Judæos; neque ulla ſpes affulget futuræ eorum reſtitutionis: ſed exponenda eſſe de Sion & Jeruſalem ſpirituali, nempe Eccleſia, quæ cum omni ex parte ſancta ſit, & munditiam undique ſpiret, in illam intrare non debet corde pollutus & incircumciſus.

Urgent. Vaticinia iſta intelligenda ſunt de omni Dei ſanctuario ut demonſtratur ex illo Ezechielis 44. v. 9. *Omnis alienigena incircumciſus corde, & incircumciſus carne, non ingredietur ſanctuarium meum.* Igitur ſicut licitum non erat incircumciſis carne ingredi ſanctuarium legis Moſaicæ; ita nec eis liberum eſt ingredi ſanctuarium legis Evangelicæ ſcilicet Eccleſiam.

Reſpondeo, in eis oraculis ſermonem non fieri de ſanctuario novi fœderis; ſed de templo Hieroſolymitano poſt captivitatem Babylonicam reſtaurando. Adde quod etiamſi de Eccleſia eſſent intelligenda, illa carnis Circumciſio requirenda in illam ingredientibus, non eſſet accipienda de Circumciſione quæ fit per ablationem præputii; ſed de ea quæ fit per mortificationem carnis, ad quam hortatur Apoſtolus 2. ad Corinthios 4. v. 10. ubi ait: *Semper mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferentes, ut & vita Jeſu manifeſtetur in corporibus noſtris.*

Adiiciet aliquis Circumciſionem *non eſſe ex Moſe, ſed ex Patribus*, Joannis 7. v. 22. igitur licet per Chriſtum abrogatæ fuerint leges cæremoniales a Moſe præſcriptæ; inde non debet eſſe conſequens Circumciſionem etiam fuiſſe abrogatam.

Reſpondeo, quod quamvis Circumciſio ante Moſem præſcripta fuerit, cum tamen inter ritus Leviticos a Moſe præſcriptos fuerit inſerta, una cum eis debuit expungi: non quod eſſet res mala, & a malo principio, ut volebant Manichæi, quos refellit & impugnat S. Auguſtinus, & Encratitæ apud Clementem Alexandrinum: ſed quia inſtituta fuerat ad certum tempus, nempe pedagogiæ Iſraelitarum, quo tranſacto, ceſſare debuit. *Deinde* cum Meſſiam ex Abrahami ſemine naſciturum præſignificaret, eo adveniente ceſſare debuit. *Denique.* Illa etiam inſtituta fuerat ut diſtingueret populum Iſraeliticum ab aliis Gentibus: porro cum adveniente Chriſto *non ſit amplius diſtinctio Judæi & Græci, nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum*, inquit Apoſtolus, non debuit amplius ſubſiſtere ſymbolum illud diſtinguens & divellens, maxime cum omnes in Chriſtum credentes, ſint ſpirituales filii Abrahæ, baptiſmuſque in locum Circumciſionis ſucceſſerit. Conveniunt quidem Circumciſio & Baptiſmus in præcipuis finibus. 1. Quod utrumque ſit obſignatio gratiæ juſtificantis, & regenerationis per Sanguinem Chriſti. 2. Quod in utroque contrahatur obligatio ſolemnis ad fidem, & obedientiam fœderis Deo præſtandam. 3. Quod utrumque ſit ſymbolum fidelium, horumque diſtinctivum ab extraneis.

Differunt vero in plurimis. 1. Quod Circumciſio cruenta fuerit corporis læſio, & ſanguinis effuſio: Baptiſmus vero, illæſo corpore & ſuperinfuſa aqua celebratur. 2. Illa ſolos ad maſculos; hic ad omnes utriuſque ſexus fœderatos ſpectat. 3. Illa infantibus ſolum octavo die eſſet conferenda; hic ſtatim a nativitate legitime confertur. Illa ſignum eſſet futuri adventus Meſſiæ, & infuſionis illius gratiæ; hic utrumque præſens denotat. 4. Illa obligaret ſolos Abrahæ poſteros; iſte quoſcumque Eccleſiæ filios &c.

Poſt expreſſum de Circumciſione præceptum, illudque executioni demandatum, addit Moſes Deum Abrahamo dixiſſe: *Benedicam te, & ex illa* (Sara) *dabo tibi filium cui benedicturus ſum, eritque in nationes, & Reges populorum orientur ex eo.* Quibus auditis, *cecidit Abraham in faciem ſuam, & riſit in corde ſuo dicens: Putaſne centenario naſcetur filius, & Sara nonagenaria pariet?* Unde

QUÆRITUR IV.

Utrum ea in occaſione Abrahami fides ceſpitaverit.

EXiſtimat S. Chryſoſtomus Abrahamum ea in re nonnihil infidelitate peccaſſe; ac propterea ejus poſteros hujus infidelitatis per quadringentos annos ſervitutis pœnas luiſſe: *Permiſit Deus* (inquit Chryſoſtomus) *viros juſtos, proprium penes arbitrium humanis erroribus incurvari: non ipſe quidem ad peccandum eos impellens; ſed arbitrio quemque ſuo permittens, ſinenſque ſecundum proprium nutum ambulare. Sic itaque infidelitate ſanctus peccavit Abraham, & propterea pœnam non effugit a Deo, ut ſerviret ejus ſemen quadringentis annis &c.* Ipſi concinit S. Hieronymus lib. 3. dialog. adverſus Pelagianos, ubi exponens cauſam riſus Abrahæ, ait: *Conſcentia fragilitatis ſuæ cecidit pronus in terram, riſitque dicens: ſi centenario naſcetur filius? &c.*

Verum adverſus iſtam ſententiam reclamat Apoſtolus, *Rom.* 4. ubi de Abrahamo ait: *Non eſt infirmatus in fide; nec conſideravit corpus ſuum emortuum &c.* Unde S. Chryſoſtomus priorem ſuam ſententiam revocavit, illa enim verba expendens: *Cecidit in faciem ſuam &c.* Ait: „ Videns excel„ lentem promiſſionem, & magnitudinem „ ejus promiſſorum cogitans, *Qui cecidit in* „ *faciem ſuam, & riſit*, hoc eſt, voluptate „ perfuſus eſt. Et in animo cogitabat, quo„ modo juxta humanum morem hoc fiat ali„ quando, & num centenario naſcatur fi„ lius, & num ſterilis & nonagenaria re„ pente poſſit idonea fieri ad partum: & „ cum hæc animo cogitaſſet, non audebat „ tale quiddam lingua effari: ſed monſtrata „ ſua gratitudine oravit pro Iſmaele, &c.

Cenſet igitur S. Chryſoſtomus riſum illum Abrahæ tribuendum eſſe ingenti illius animi & cordis exultationi, quod audiret etiam ex Sara ſuſcipiendum eſſe Filium, qui divinarum promiſſionum, Deique beneficiorum eſſet futurus hæres.

Itaque riſus ille Abrahami non fuit irriſio divinæ promiſſionis quaſi Deus rem vanam, aut impoſſibilem promitteret, ſed potius gaudentis apud ſe & admirantis bonitatem & potentiam Dei, ſeu ut loquitur S. Ambroſius: *Riſus ille non incredulitatis, ſed exultationis fuit indicium.* Vel ut addit S. Auguſtinus, lib. 16. de civit. cap. 25. *Riſus Abrahæ exultatio eſt gratulantis, non irriſio diffidentis.* Exiſtimabat enim Abrahamus ſufficientem, imo ampliſſimam ſuæ erga Deum religionis & obſervantiæ mercedem ſe aſſecutum in nativitate Iſmaelis: quamobrem nihil ultra audebat ſibi a Deo promittere. Unde cum audivit Deum ſpondentem quod etiam ex Sara ſuſcepturus eſſet Filium, eximiam erga ſe divini beneficii magnitudinem demiratus, incredibili gaudio exultans ait: *Putaſne centenario naſcetur filius?* Non quod diffideret promiſſioni divinæ, ſed quod miraretur omnipotentiam Dei ejuſque erga ſe munificentiam, & noſce cuperet qua ratione promiſſum illud, quod humanas vires excedebat, eſſe perficiendum.

Quamobrem adjecit Deus: *Sara uxor tua pariet tibi filium, vocabiſque nomen ejus Iſaac, & conſtituam pactum meum illi in fœdus ſempiternum.* Unde merito exclamat Rupertus lib. 5. „ O virum æterno riſu vere di„ gnum, & ſempiternæ jucunditati bene præ„ paratum, qui ita cecidit in faciem, ut ri„ deret: ita riſit, ut in faciem caderet: il„ lius utique adorans omnipotentiam, in „ cujus promiſſione audiebat ſingularem gra„ tiam. Ergo illud quod in corde ſuo di„ xit: *Putaſne centenario naſcetur filius?* „ non dubitando dixit, ſed ſuam ipſe fœ„ licitatem ineffabiliter admirando.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XVIII.

QUinque hoc in capite recenſet Moſes. I. Deum duobus Angelis comitatum in peregrinorum habitu iterum apparuiſſe Abrahæ, ad hoſpitalitatem ipſius explorandam. II. Humanitatem ipſius Abrahæ, illos advenas ad convivium invitantis, illumque ipſis miniſtrantis. III. Promiſſionem prolis a Sara ſuſcipiendæ. IV. Manifeſtationem divinæ in Sodomitas iracundiæ, & imminentis eorum excidii. V. Ipſius Abrahami interceſſionem pro Sodomitis.

QUÆRITUR I.

Quinam fuerint illi tres viri qui Abrahamo apparuerunt.

CItra controverſiam eſt duos ex illis eſſe Angelos; cum enim hoc in capite narraſſet Moſes eorum duos profectos Sodomam, initio capitis ſequentis, diſtincte illos appellat Angelos: *Venerunt*, inquit, *duo Angeli Sodomam veſpere.* Et v. 15. Illi duo

juve-

juvenes quos Loth hoſpitio exceperat, appellantur Angeli: *Cogebant*, inquit, *eum Angeli, dicentes: ſurge, tolle uxorem tuam & duas filias quas habes &c.* Idque non obſcure ſignificat S. Paulus, Epiſt. ad Hebræos, cap. 13. obi hoſpitalitatem commendans, ait: *Hoſpitalitatem nolite oblíviſci; per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hoſpitio receptis:* ubi dubio procul ſpectat hiſtoriam Abrahæ & Loth Angelos ſub humana ſpecie hoſpitio excipientium.

At difficultas eſt de tertio qui Abrahamum allocutus eſt, quemque ipſe conſtanter *Dominum* appellavit. S. Juſtinus Martyr in diſputatione contra Triphonem non dubitat aſſerere eum, qui cum Abrahamo converſatus eſt, fuiſſe *Dominum Deum Angelorum, quibus progredientibus, ipſe relictus eſt cum Abraham, & collocutus, quæ deſcripta ſunt a Moſe.* Idem docet Tertullianus, lib. 3. contra Marcionem, ubi cum probaſſet Chriſtum Dominum idcirco veram carnem induiſſe & ex carne naſci voluiſſe: *Ut nativitatem noſtram ſua nativitate reformaret atque ita mortem noſtram morte ſua diſſolveret, reſurgendo in carnem in qua natus, eſt ut mori poſſet.* Addit: *Ideoque & ipſe cum Angelis tunc apud Abraham in veritate quidem carnis apparuit ſed nondum natæ, quia nondum morituræ: ſed diſcentis jam inter homines converſari.* Ei ſuccenturiatur.

S. Chryſoſtomus homil. 42. in Geneſim: *In tabernaculo Abrahæ*, inquit, *& Angeli & eorum Dominus per idem tempus viſi ſunt, poſtea vero illi quidem ut miniſtri miſſi ſunt ad ſubverſionem illarum civitatum: ipſe autem Dominus manſit, & quaſi amicus amico juſto communicabat quænam facturus eſſet.* Explicat iſta egregie S. Paulinus, Epiſt. ad Pammachium, *Pater Abraham dum peregrinos ſuſcepit, excepit & Dominum cum Angelis Chriſtum & in hoſpitali tabernaculo, illum quem in Evangelio coram, in ſemetipſo ſalvator exhibet, diem vidit.* Mitto cæteros Patres eamdem ſententiam comprobantes, quam etiam confirmaſſe videtur S. Stephanus in præclara illa oratione quam habuit ad Judæos, Actuum 7. cum eum *Dominum*, qui apparuit Abrahæ, nominat *Deum gloriæ*, quem certe titulum nullus eſt Angelorum qui audeat ſibi vindicare. Id inſuper confirmatur ex eo quod hoc Geneſis capite 18. v. 22. cum dixiſſet Moſes duos Angelos verſus Sodomam profectos, addit: *Abraham vero adhuc ſtabat coram Domino:* ubi Hebraice ſcribitur, *coram Jehova*; qui titulus ita Deo proprius eſt, ut nulli creaturæ unquam conceſſus videatur.

Inſuper. Ille probavit ſe *omniſcium*, quippe Saram nomine ſuo non ita pridem mutato compellavit, *v.* 9. Futura ſuis in cauſis adhuc deliteſcentia prædixit, *v.* 10. Occultum Saræ riſum, & tacitum ſermonem, *v.* 12. 13. 15. Futuram Abrahami ſedulitatem in erudiendis ſuis filiis, *v.* 19. Numerum juſtorum in regione Sodomorum diſtincte novit, *v.* 26. *& ſequentibus.* Probavit pariter *ſe Omnipotentem*, apod quem nihil ſit factu difficile, *v.* 14. qui poteſtatem habeat ſervandi & perdendi, *v.* 26. *& ſequentibus & judicem univerſæ terræ*, *v.* 25. At nihil ſimile de Angelis puris creaturis affirmari poteſt: igitur fatendum eſt illum fuiſſe revera ſupremum Deum.

Neque his obſtat quod illi tres, dicti ſint Angeli; ſicut dicuntur tres *viri*; quia cum ille qui ſtetit cum Abrahamo, dixerit ſe Jehovam, & ea fecerit quæ Dei ſunt, etſi diceretur Angelus, id non obſtat quin eſſet Filius Dei, qui a Malachia dicitur, *Magni conſilii Angelus*; eo quod a Divino Patre in terram miſſus ſit, ut hominum ſaluti incumberet.

Excipit quidem adverſus iſta S. Auguſtinus, lib. 16. de civitate Dei, cap. 19. ubi dicit, a Lotho pariter Dominum appellatum eſſe unum ex illis Angelis, qui apud ipſum diverterant; nam cum eis pluraliter dixiſſet cap. 19. v. 2. *Obſecro, Domini, declinate in domum pueri veſtri:* ſubjungit v. 19. *Quæſo Domine mi, quia invenit ſervus tuus gratiam coram te, & magnificaſti miſericordiam tuam, quam feciſti mecum, ut ſalvares animam meam &c.*

Verum advertere debuerat S. Auguſtinus, quod etſi hæc Lothi deprecatio ſit ſingularis; nihilominus ad duos illos Angelos dirigitur; cum enim de illis duobus ſcriptum eſſet: *Eduxeruntque eum, & poſuerunt extra civitatem ibique locuti ſunt ad eum, dicentes: ſalva animam tuam &c.* Additur: *Dixitque Loth ad eos; quæſo Domine mi &c.* ubi vides deprecationem illam ad duos ſimul Angelos dirigi; ipſum vero Loth idcirco in ſingulari dixiſſe: *Domine mi*: quia in ipſis Angelis Deum ſpectabat, cujus illi erant legati & vices implebant.

Abrahamus igitur ſtatim atque conſpexit tres illos adventas, cucurrit illis obviam, rogavitque, ut ad eum refectionis & quietis cauſa declinare dignarentur. Quos audiens oblatam hoſpitalitatem non dedignari, feſtinavit in tabernaculum ad Saram, juſſitque tria ſata farinæ ſimilaginæ protinus commiſceri, ac placentas fieri. Inde in ſtabula perrexit, vitulumque tenerum ſervo tradidit apparandum: quibus confectis, placentas, & carnem vitulinam cum butyro & lacte hoſpitibus proponit, qui aſtante Abrahamo comederunt ſub arbore e regione tabernaculi.

Quæritur autem utrum revera apparatos ei iſque propoſitos cibos illos illi hoſpites comederint?

Id affirmare videtur S. Auguſtinus. Cum enim dixiſſet corpora juſtorum poſt reſurrectionem nullis corporalibus alimentis egere, ut famem ſitimque depellant: *Quoniam* inquit, *certo & omnimodo, inviolabili munere immortalitatis induentur, ut nonniſi velint, poſſibilitate, non neceſſitate veſcuntur.* Adiicit, „ Quod Angeli quoque viſibiliter & „ tractabiliter apparentes, non quia indi- „ gebant: ſed quia volebant, & poterant „ ut hominibus congruerent, ſui miniſterii „ quadam humanitate, fecerunt. Neque „ enim in Phantaſmate Angelos ediſſe cre- „ dendum eſt, quando eos homines hoſpi-

„ tio

Digitized by Google

„ tio ſuſceperunt; quamvis utrum Angeli „ eſſent, ignorantibus, conſimili nobis in„ digentia veſci viderentur. Unde eſt quod „ ait Angelus in lib. Tobiæ: *Videbatis me* „ *manducare, ſed viſu veſtro videbatis*: id „ eſt; neceſſitate reficiendi corporis, ſicut „ vos facitis; me cibum ſumere putabatis. *Ita S. Auguſtinus* quibus ſignificare videtur tres illos hoſpites revera comediſſe, tametſi non ex neceſſitate, ut ſolent homines.

Verum comeſtionem illam non fuiſſe veram & realem, ſed duntaxat apparentem demonſtravimus in noſtro Scoto Academico, Tractatione de Angelis, ubi probatum eſt, Angelos revera in corporibus aſſumptis non comediſſe, quia in vera comeſtione cibus converti debet in ſubſtantiam comedentis, quod ab Angelis natura ſpiritualibus fieri non potuit. Itaque illi cœleſtes Abrahami hoſpites videbantur quidem manducare, quia cibos manu ſumebant, & in os trajiciebant: ſed proprie illos non edebant.

Illi nihilominus Abrahami & hoſpitalitate & humilibus obſequiis provocati, ut beneficia beneficiis compenſarent, abſoluto prandio dixerunt Abrahæ: *Ubi eſt Sara uxor tua?* ille reſpondit: *Ecce in tabernaculo eſt*: qui majeſtate & dignitate inter eos præſtabat, adjunxit: *Habebit filium Sara uxor tua*. Quo audito Sara riſit, occulte dicens: *Poſtquam conſenui, & Dominus meus vetulus eſt, voluptati operam dabo?*

Hic autem obſervandum eſt non abs re a Sara appellatum eſſe Abrahamum *Dominum ſuum*; Sic enim antiquitus viros ſuos nominabant uxores, memores illius Dei ad Evam: *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui*. Geneſ. 3. 16. Unde S. Chryſoſtomus, in 1. ad Corinth. cap. 9. *Quia*, inquit, *uxores viris ſubditas eſſe oportet, apud veteres illæ maritos ſuos Dominos vocabant*. Ut etiam videre eſt Judicum 19. v. 26. & 27. Apud Romanos tamen uſus invaluit, quemadmodum & apud varias nationes, ut viri conjuges ſuas appellarent *Dominās*, ut legitur apud Guidonem Pancirollum. Unde Virgilius, lib. 6. Æneid. ubi ſermo eſt de Theſeo & Pirithoo qui Proſerpinam rapere voluerant, ait:

Hi Dominam Ditis talamo deducere
adorti.

Et Epictetus in Enchirid. cap. 70. mulieres ſtatim ab anno decimo quarto, a viris *Dominæ* vocantur.

Advocata autem Sara & interrogata cur riſiſſet? negavit ſe riſiſſe dicens: *Non riſi*; *timore perterrita*. Dominus autem eam redarguens ait: *Non eſt ita, ſed riſiſti*.

Quæritur autem utrum riſus ille Saræ fuerit culpabilis?

Reſpondet S. Ambroſius illum non modo omni culpa vacuum, ſed etiam prophetiæ ſpiritu & magnitudine myſterii excitatum, exiſtimat. *Riſit enim*, inquit, *licet adhuc neſciens quid rideret; quod publicum eſſet in Iſaac paritura lætitiam: Ideo negavit ſe riſiſſe, quia neſciens prophetavit*.

At cum Dominus ipſius riſum redarguerit, argumentum eſt illum fuiſſe incredulitatis indicium, quam culpam addito mendacio non modicum auxit: Unde S. Auguſtinus quæſtione 36. in Geneſ. *Quæritur*, inquit, *quare riſum Saræ redarguit Dominus, cum & Abraham riſerit, nec reprehenſus fuerit? niſi quia riſus Abrahæ fuit admirationis & lætitiæ: Saræ autem riſus fuit dubitationis; id vero diſcerni & dijudicari ab eo potuit, qui ſolus novit corda hominum*. Idem lib. 16. de civitate Dei, cap. 31. ſic ait: *Riſit Abraham admirans in gaudio: riſit Sara dubitans in gaudio; nam ex Angelica ex probatione apparet, quod riſus ille, etiamſi gaudii fuerit; plenæ tamen fidei non fuerit*.

Saucia jam vetulæ marcebant viſcera
Saræ,
Grandævoque contempta ſitu, prolemque
negabat
Frigidus unnoſo moriens in corpore ſan-
gnis:
Cum ſeniore viro gelidi præcordia ventris
In partum tum vere nonum, tremebunda-
que mater
Algentes onorata ſinus, ſpem gentis
opimæ
Edidit, & ſerum ſuſpendit ad ubera na-
tum.

Peracto prandio, tres illi hoſpites, comitante Abrahamo iter fecerunt verſus Sodomam: dimiſſis autem duobus Angelis Sodomam, hæſit aliquantulum Dominus medio in itinere cum Abrahamo, eique indicavit quam ob cauſam acceſſiſſet, quidque per Angelos erga Sodomitas, eorumque ſceleris vicinos participes erat acturus; ſcilicet horrendum illorum exitium & omnimodam exterminationem. *Num celare potero*, inquit, *Abraham quæ geſturus ſum?*

Voluit autem Deus ſui divini conſilii & ſecreti Abrahamum eſſe participem. 1. Ut eximiam ſuam erga illum benevolentiam teſtatam faceret; ſolet enim Deus dilectos ſuos ſervos præmonere eorum quæ præter naturæ ordinem acturus eſt. Ut teſtatur Propheta Amos. *Non facit Dominus Deus verbum niſi revelaverit ſecretum ſuum ad ſervos ſuos Prophetas*.

2. Cenſuit illi ſua aperire ſecreta, ut ipſa ſuis poſteris manifeſta faceret; quamobrem addit: *Scio enim quod præcepturus ſit filiis ſuis, & domui ſuæ poſt ſe*. Solebant enim SS. Patriarchæ, non ſolum exemplis, ſed etiam viva voce docere filios, & poſteros ſuos Dei beneficia & judicia; unde David. *Quanta audivimus, & cognovimus ea; & Patres noſtri narraverunt nobis &c.*

3. Ratio hujus manifeſtati conſilii fuit, ut noſſent homines Sodomitarum incendium & exterminationem, a cauſis naturalibus non proceſſiſſe. Cum enim ignes ſint ſubterranei qui flatibus vehementer impulſi, magno impetu erumpentes, aliquando vicinas plagas devorant; exiſtimare potuiſſent homines, Sodomorum incendium, non Deo criminum vindici, ſed ipſi e terræ viſceribus

erum-

erumpenti igni eſſe tribuendum. Quam exiſtimationem ut præverteret Deus; illius incendii cauſam Abrahamo declarare voluit, dicens: *Clamor Sodomorum &c.* Quibus verbis Deus indicat quam horrenda fuerint & execranda, tam Sodomorum, quam vicinarum civitatum ſcelera. *Non ſolum enim* (ait Philo Judæus) *in fœminas inſaniendo, alienos polluebant thoros; verum & mares contra naturæ legem, cum maribus miſcebantur, execranda libidinis fœditate, atque irrito naturæ propoſito.*

Addit S. Cryſoſtomus, præter has ſpurcitias fuiſſe etiam in illis civitatibus magnatum & potentium cruentas vexationes & oppreſſiones pauperum. Unde magnus ubique erat planctus & ejulatus patientium; tamque horrenda ab eis Sodomitis, eorumque vicinis admittebantur crimina, ut divinam provocaverint animadverſionem.

Licet autem omne grande peccatum *in Cœlum clamare dicatur*, quod gravitate ſua Dei provocet vindictam: tritum tamen eſt quatuor eſſe peccatorum genera in Cœlum clamantia. Quorum *primum* eſt effuſio ſanguinis innocentis: unde *Geneſ.* 4. *v.* 10. Cainum fratricidam Deus compellans, ait. *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Secundum*, maſculorum concubitus, quo præſertim infamabantur Sodomitæ. *Tertium*, violenta infirmorum oppreſſio; unde de Iſraelitis in captivitate Ægyptiaca lugentibus, Deus Moſen alloquens ait: *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eorum audivi, propter duritiam eorum, qui præſunt operibus. Quartum*, mercedem defraudantium; de quibus S. Jacobus: *Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt a vobis, clamat; & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.*

At non ſolum illa quatuor peccatorum genera; ſed & alia quæcumque gravia, dicuntur *in Cœlum clamare*, & Dei vindictam interpellare. Unde Jonas de Niniviris ait: *aſcendiße malitiam eorum coram Deo.* Ubi ſeptuaginta Interpretes legunt, *aſcendit clamor malitiæ ejus.* Quamobrem Salvianus Maſſilienſis appoſite ſcribit: *Quare peccata hominum quaſi clamare teſtatur? ſcilicet quia cædi aures ſuas Deus dicit clamoribus peccatorum, ut non differatur pœna peccantium. Et vere clamor, & grandis clamor eſt, quando pietas Dei peccatorum clamoribus vincitur; ut peccantes punire cogatur. Oſtendit ergo Dominus quam invitus puniat, etiam graviſſimos peccatores, dicens quod clamor Sodomorum ad ſe aſcenderit: hoc eſt dicere, miſericordia quidem mea mihi ſuadet ut parcam: ſed tamen peccatorum clamor cogit ut puniam.*

Quod autem addit Moſes Deum dixiſſe: *Deſcendam & videbo &c....* Ea verba non ſic veniunt accipienda, quaſi Deus rerum eſſet inſcius, dubiuſque de iis quæ in mundo aguntur; ac proinde opus haberet ſe præſentem ſiſtere, ut præmiſſa inquiſitione de eis certior fieret. Hæc, inquam, exiſtimatio nullatenus venire debet in mentem. Cum enim Deus Cœlum & terram impleat, & ubique ſit præſens per eſſentiam, potentiam & providentiam; cumque ab æterno habeat in proſpectu ea omnia, quæ in diverſis temporum differentiis debent contingere; nullo eget adminiculo ut plenam & perfectam de rebus notitiam aſſequatur.

Loquitur itaque Deus more hominum, qui ſi æqui ſint judices, neminem debent condemnare, niſi cauſa prius examinata & perfecte cognita, ut ſuo exemplo doceret, non niſi præmiſſa matura deliberatione, de quibuſcunque ferendum eſte judicium.

Aliam quoque rationem profert S. Chryſoſtomus: nimirum iſta verba a Deo præmitti, ut præverteret eorum querimoniam, qui blaterare poſſent, ipſum nimia feſtinatione in Sodomitas animadvertiſſe: *Quaſi*, inquit, *ſatisfactionem quamdam offert iis, qui poſthac impudenter accuſare volunt, & monſtrando eorum pervicaciam, & virtutis penuriam, tanta uſus eſt longanimitate.*

Adjicit etiam alteram rationem: *Fortaſſis autem*, inquit, *non propter hoc ſolum: ſed ut juſto* (Abrahæ) *detur occaſio declarandi mentem ſuam condolentem, & erga alios bene affectam.*

Ex hoc autem familiari cum Deo colloquio allectus, & velut audacior factus Abrahamus, niſus eſt vicinos ſuos ab interitu eripere. Quod ut obtineret, preces ſuas orditur a commendatione divinæ æquitatis & juſtitiæ. *Numquid*, ait *perdes juſtum cum impio?* ac ſi diceret; Itane erit ut boni pariter ac mali eodem ſupplicio opprimantur? Nonne divinæ tuæ juſtitiæ, & bonitati convenientius eſt, ut propter bonos, etiam impiis indulgeas, quam ut in ſceleratos animadvertendo, unà cum eis probos extermines?

Hanc Abrahami compellationem cum non improbaret Deus, imo illi promitteret ſe reis illarum civitatum incolis parciturum, ſi ut propoſuerat Abraham, in illis invenirentur *quinquaginta juſti*: quinetiam ſe id facturum propter *quadraginta quinque*: atque etiam propter *quadraginta*: pariter propter *triginta*: inſuper propter *viginti*: tandem etiam propter *decem*: ſic enim permiſit Deus viro ſibi dilecto ut interrogationes ſuas multiplicaret ſexies, & ut ex majori numero ad minorem procederet. Porro in denario numero hæſit Abraham, quod tametſi Sodomam fœtidiſſimis ſceleribus refertam ſciat non potuit tamen in animum inducere ſic per totum corpus graſſari ſcelerum colluviem, ut membra ſingula inficerentur.

Ex quibus certe apparet quanta fuerit civitatum illarum perverſitas & corruptio, cum ex tot hominum millibus qui eas incolebant, ne quidem decem juſti reperiri fuerint, in quorum gratiam, ſceleratis parceret Deus: ſed unus tantum Loth cum uxore & duabus filiabus in eis juſti reperti ſint qui propterea urgentibus Angelis, inde educti ſunt. Nam ad infantulos quod ſpectat, ne ipſi quidem innocentes & juſti erant, cum eſſent omnes peccato originali obnoxii & conſequenter filii iræ. Neque enim parentum ſuorum infidelium meritis, neque ſacrificiis Dæmonibus oblatis, iſti miſelli poterant juſtificari.

QUÆRITUR VI.

Quo affectu excitatus fuerit Abraham ut pro Sodomitis intercederet.

QUidam exiſtimant ipſum de unius nepotis Lothi hominis ſcilicet magna ſecum neceſſitudine conjuncti, & propter diuturnum contubernium & convictum chariſſimi ſalute, magis fuiſſe anxium, quam de Sodomitis, aliarumque civitatum incolis ex verecundia tamen Lothi memoriam non feciſſe, ne magno populo neglecto, unum hominem, ejuſque familiam nominatim ſibi dari poſceret. At veriſimile non eſt, virum ſanctiſſimum, tali ſimulatione uſum, erga eum quem noverat ſcrutatorem cordis & renum. Probabilius itaque dicendum arbitror multis aliis de cauſis, hiſque non injuſtis, permotum fuiſſe Abrahamum, ut pro illarum civitatum incolis divinam imploraret clementiam.

I. Ex affectu, quo in eos propendebat: Tum quod nepotem ſuum chariſſimum una cum ingenti ſua familia inter ſuos cives benigne & honorifice excepiſſent: eique pacifice convixiſſent. Tum quod non ita pridem eos eripuiſſet ex hoſtium manibus; putabatque iſtius recentis liberationis memoriam apud illos adhuc vigere; quamobrem dolebat vehementiſſime eorum exterminationem quos recens ſalvos fecerat.

II. Ad veniam pro reis exorandam percellebat nedum humanus affectus, quo fit ut condoleamus miſeris; ſed etiam eximia, qua fervebat, charitas: non poterat enim vir juſtus ſumma charitate flagrans, vehementiſſime non dolere, cum videret tot hominum millia æternæ damnationi ſtatim adjudicanda.

III. Habebat etiam unde ſibi ſuiſque proſpiceret: cum enim non longe diſtaret a Sodomitarum regione, degeretque inter Chananæos plurimis etiam ſceleribus inquinatos habebat unde timeret, ne Sodomitarum ſupplicium & incendium in vicinas quoque regiones erumperet.

Finito colloquio, abceſſit Dominus, & ex Abrahami conſpectibus ſeſe ſubduxit; hic vero totus cogitabundus domum repetiit.

DISQUISITIONES IN CAPUT XIX.

HOc in capite quinque enarrat Moſes. I. Duorum Angelorum Sodomam acceſſum, eorumque apud Lothum hoſpitium. II. Sodomitarum petulantiam, duos illos hoſpites ad libidinem poſtulantium. III. Liberationem Lothi cum ſua familia. IV. Horrendum Sodomitarum totiuſque illius Gentis ac regionis incendium & excidium. V. Lothi a filiabus decepti incœſtum, præ nimio generandæ prolis deſiderio.

Cum duo Angeli Sodomam ingrederentur, tunc in illius porta forte conſiderat Lothus, Hoſpites, ſi quidam advenirent, benigne excepturus: conſpectis autem duobus Angelis egregia forma præſtantibus, vultu in terram declivi, illis fit obviam, & enixe deprecatur, ut apud ſe diverſari dignentur; *Qui dixerunt: minime ſed in platea manebimus.* Non ut ibi civium mores explorarent; ſed ut hoſpitalem Lothi humanitatem acuerent, palamque facerent. *Hoc autem faciebant Angeli* (inquit S. Chryſoſtomus) *virtutem juſti manifeſtare volentes, & nos omnes docere, quanta fuerit ejus hoſpitalitas. Poſtea autem non jam verbis contentus eſt exhortari; ſed & vim fecit.* Ait enim Moſes: *compulit illos oppido ut diverterent ad eum; ingreſſiſque domum illius, fecit convivium, & coxit azima: & comederunt.*

Peracta cœna nondum illi hoſpites cubitum ierant, cum vis foribus fit a Sodomitis turmatim irruentibus, & pulchros aſpectu juvenes ad libidinem expoſcentibus; Lothus domo egreſſus, immane probrum eis obiicit, & ut a concepto facinore abſtineant hortatur; quin etiam duas, quas habebat nubiles filias virgines, eis offert, ut ſi velint, cum ipſis libidinem expleant.

QUÆRITUR AUTEM I.

Utrum hac in propoſitione graviter peccaverit Loth.

HOc facinus non ſolum excuſant, ſed & præconiis celebrant aliqui SS. Patres præſertim S. Chryſoſtomus: „Quanta ju-„ſti virtus? omnem virtutem hoſpitalitatis „ſuperavit. Quid enim quis juſti hujus be-„nignitati ſat dignum attulerit, qui neque „filiabus parcere voluit, ut ſervaret hoſpi-„tibus honorem, & liberaret eos a per-„verſitate Sodomitarum? Et ille quidem „filias ſuas proſtituit ut hoſpites viatores „(iterum eadem dico) omnino ignotos eri-„peret ab impiorum contumelia.

Ei concinit S. Ambroſius: „ Offerebat, „ *inquit*, S. Loth filiarum pudorem. Nam „ etſi illa quoque flagitioſa impuritas erat; „ tamen minus eſt ſecundum naturam coire „ quam adverſum naturam delinquere. Præ- „ ferebat domus ſuæ verecundiæ hoſpita- „ lem gratiam, etiam apud barbaras Gentes „ inviolabilem. Denique illic quoque inof- „ fenſa hoſpitalitas eſt, ubi nec germanitas „ ſatis tuta eſt.

Quin etiam eandem ſententiam firmare videtur S. Petrus Lothum his verbis commendans. *Juſtum Loth oppreſſum a nefandorum injuria ac luxurioſa converſatione eripuit: aſpectu enim, & auditu juſtus erat: habitans apud eos, qui de die in diem animam juſtam iniquis operibus cruciabant.*

Dubius quidem hac in re videtur S. Auguſtinus qui de hoc Lothi propoſito diſputans, ambigue loquitur; nec diſtincte reſolvit utrum debeat Loth verti in probrum, an ipſe excuſari, quod animo perturbato, menteque confuſa id egerit: concludit tamen factum hoc nullomodo eſſe imitandum.

At lib. contra mendacium *cap. 9.* melius conſultus, ſententiam ſuam de hoc Lothi propoſito diſtinctius exponens, cum dixiſſet: „ Ille vir juſtus aliena timendo pec- „ cata, quæ niſi conſentientes non poſ- „ ſunt, perturbatus, non attendit ſuum, „ quo voluit ſubdere filias libidinibus im- „ piorum. Addit Lothum potuiſſe his ad- „ moneri verbis *Age quidquid potes, ne fiat quod merito times; ſed non te timor iſte compellat, ut facias quod in ſe filiæ tuæ, ſi voluerint, facient cum Sodomitis te auctore nequitiam: ſi autem noluerint, patientur a Sodomitis te auctore violentiam. Noli facere magnum ſcelus tuum, dum majus horreſcis alienum: quantum enim diſtet inter tuum & alienum, hoc erit tuum, illud alienum.*

Veriſimilius itaque dicendum arbitror Lothum proponendo, & exponendo filias libidini Sodomitarum, nonnihil peccaſſe. I. Contra charitatem & prudentiam; quia ex harum virtutum præſcripto, nullus debet committere aliquid ex natura ſua vitioſum & inordinatum, ut præcaveat majus peccatum alterius; quia nullus tenetur magis diligere proximum, quam ſe ipſum: diligeret autem magis alterum, ſi ut illum graviori peccato eximeret, ſeſe divini mandati tranſgreſſioni exponeret: at Lothus volendo proſtituere filias Sodomitarum libidini, agebat directe contra Dei mandatum, quo prohibetur non ſolum adulterium, ſed & omne aliud genus propudioſæ libidinis: igitur &c.

II. Non ſunt facienda minora mala, ut graviora caveantur, ſicut docet Apoſtolus ad Romanos 3. v. 8. ubi improbat ſententiam eorum qui dicunt: *Faciamus mala, ut veniant bona: quorum damnatio juſta eſt.* At Lothus in eo propoſito intendebat cavere gravius peccatum, minus admittendo; nempe quia intendebat virginum conſtuprationem quæ minus eſt crimen illo, quod admittere volebant Sodomitæ: igitur non eſt cenſendus immunis ab omni crimine.

III. Citra peccatum inferri non poteſt innocenti gravis injuria: at Lothus graviſſimam injuriam & infamiam ſuis filiabus innocentibus, & nihil ſimile merentibus intuliſſet, ſcilicet conſtuprationem: igitur iſtud citra peccatum tentare non potuit.

Attamen cum Scriptura ſacra ob iſtud facinus Lothum non arguat; imo S. Petrus loco ſupra laudato, in hanc hiſtoriam digitum intendens, Lothum appellet *juſtum*, quo etiam titulo eum decorat Sapiens, cap. ult. v. 16. ubi loquens de Sodomitis Lothi portas frangere conantibus ait: *In foribus juſti ſubitaneis cooperti ſunt tenebris.* Dicendum cenſeo, factum illud, etſi ex natura ſua eſſet peccatum grave; attamen ex circumſtantiis fuiſſe leviſſimum. *Primo*, quidem ratione ingentis animi perturbationis quæ mentis judicium ſæpe ita præoccupat, ut plena non ſit in dictis & factis advertentia & voluntas: gravem autem fuiſſe Lothi perturbationem facile eſt conjicere ex eminenti periculo.

II. Excuſandus venit Lothus ex intentione, quia tametſi filias offerret, non tamen credebat efferatum illum populum propoſitionem illam accepturum ſed ſperabat illum placatum iri ſua ſubmiſſione; adeo ut illi ab incœpto deſiſterent; maxime cum ſcirent ipſius Lothi filias primariis Sodomæ civibus eſſe deſponſatas.

III. Multum etiam ejus culpam imminui non dubito, flagrantiſſimo illo ſtudio erga ſuos hoſpites, ut illos a tam nefaria injuria liberaret, quod ut obtineret, omnia quæcunque erant ſibi chariſſima, paratus erat impendere. Hæc attendiſſe videntur illi SS. Patres, qui Lothum ea in re ab omni culpa immunem exiſtimant; maxime S. Chryſoſtomus, qui inde ſuos auditores ſic compellat: „ Qualem habebimus excuſationem „ cum juſtus neque filiabus parcat, ut ho- „ ſpitum ſervet curam; Nos autem ita im- „ miſericorditer erga fratres noſtros efficia- „ mur, & ſæpe frigida illa & abſurditatis „ plena verba proferamus? Quid enim, in- „ quit, mihi cum eo commune? Mihi non „ eſt curæ, nihil mihi negotii cum eo. Quid „ dicis homo, nihil tibi commune cum eo? „ Frater tuus eſt, ejuſdem tecum naturæ, „ ſub eodem eſt Domino, ſæpe etiam ejuſ- „ dem particeps menſæ; ſpiritualis, illius „ (inquam) & terribilis, & dicis: Nihil „ commune habeo cum eo: & immiſericor- „ diter præteris; & non porrigis jacenti „ manum!

Cum Sodomitæ perſiſterent in ſua petulantia, & Lotho vim intentarent, Angeli eum propere intra ædes ad ſe raptum ab injuria vindicarunt, & Sodomitas percuſſerunt cæcitate, *ita ut oſtium invenire non poſſent.* Eorum vero impietatem experti Angeli, Lothum admonent, ut ſi quid in urbe charum, filios, filias, aut generos haberet, protinus educeret; excidium enim urbis imminere, & ſceleratos brevi daturos eſſe pœnas.

His auditis Loth continuo convenit viros illos qui ſuas deſponſarant filias, eoſque admonet inſtantis excidii, atque citiſſime ex

urbe egrediendum: at illi monita cum riſu & ludibrio excipiunt.

Interim Lothum urgent Angeli, ut cum ſuis quamprimum urbe excedat; ipſum vero nonnihil tergiverſantem & moras ducentem, una cum uxore & duabus filiabus, manibus apprehenſos illico rapiunt extra urbem, eiſque præcipiunt ut montem proximum ſubeant. Rogante vero Lotho ut in viciniam civitatem, quæ prius *Bela*, poſtmodum vero *Segor* dicta eſt, poſſet ſeſe recipere, & ibi ſtare ſalvus & incolumis; id, permittente Deo, conceſſerunt Angeli, monueruntque ne procedendo retroſpicerent.

At Lothi uxor ſive divini mandati immemor; ſive quod invita patriam ſe parentes relinqueret; ſive Dei judicia curioſius obſervaret, dum Sodomam reſpicit, in ſalis molem vertitur, ſervatis tamen omnibus corporis lineamentis; cujus ſortem his verſibus deſcribit Auctor Carminum ad calcem operum Tertulliani.

Fœmina non patiens, divina ad munera cœli,
Audaces oculos nequicquam ſola retorſit;
Non habitura loqui, quod viderit & ſimul illic,
In fragilem mutata ſalem, ſtetit ipſa ſepulchrum,
Ipſaque imago ſibi formam ſine corpore ſervans;
Durat adhuc etenim nuda ſtatione ſub æthram,
Nec pluviis dilapſa ſitu, nec diruta ventis:
Quia etiam ſi quis mutilaverit advena formam,
Protinus ex ſeſe ſuggeſtu vulnera complet.
Dicitur & vivens alio jam corpore, ſexus,
Munificos ſolito diſpungere ſanguine menſes.

Sedulius quoque ſic de ea canit

Loth Sodomæ fugiente chaos, dum reſpicit uxor,
In ſtatuam mutata ſalis ſtupefacta remanſit,
Ad pœnam converſa ſuam: quia nemo retrorſum
Noxia contempti vitans diſcrimina mundi,
Reſpiciens ſalvandus erit, nec debet arator,
Dignum opus exercens, vultum in ſua terga referre.

Auctor libri Sapientiæ de eadem uxoris Lothi in ſtatuam ſalis converſione ſcribit cap. 10. v. 7. *Incredibilis animæ memoria ſtans figmentum ſalis*. Quam memoriam etiam Chriſtus Dominus refricat, Luc. 17. v. 31. *Memores eſtote*, inquit, *uxoris Loth*: nimirum ut ex divina in illam animadverſione & vindicta, homines ſibi præcaventes, evadere poſſint pœnas peccatoribus & incredulis decernendas in extremo judicio.

Illam autem ſalis ſtatuam, adhuc ætate ſua conſiſtere, ex oculari inſpectione teſtatur Joſephus. Idem aſſerit R. Eliezer in Capitulis num. 25. *Facta eſt*, inquit, *ſtatua ſalis, ac etiamnum hodie perſiſtit: lambunt eam boves, & iterum ſtans ſuper pedes mane effloreſcit*.

Id ipſum confirmat R. Beniamin in itinerario ſuo. Quin etiam adhuc perſeverare teſtantur Brocardus, Breindembachius, Salignacus & multi ex noſtris Fratribus, qui plurimos, quos in Palæſtina habemus, Conventus incolunt, omnes hujus veritatis ſunt teſtes oculati, aſſerentes ſtatuam illam extare inter Mare Mortuum, & montem Engaddi.

At, inquies, gravior videtur iſtius mulieris punitio, quam fuerit culpa; retroſpectio enim ex ſe res erat prorſus indifferens.

Verum facta eſt illicita per divinam prohibitionem, quam ubi trangreſſa eſt illa mulier, non leviter peccavit; etenim mandatum expreſſum etiam ſub gravi interminatione flocci pendit; unde eam *incredulam* appellat Sapiens, *cap.* 10. *v.* 7. imo & ingrata dicenda eſt, quippe quæ pro tam ingenti beneficio, quo pene ex inferni faucibus erepta fuerat, in re adeo facili obedientiam denegavit.

Cur autem potius in ſtatuam ſalis, quam in lapideam, aut metallicam aliquam mutata fuerit? multi multa confingunt. R. Raſchi, quod illa pridie ſuis hoſpitibus, nempe duobus Angelis in cœna ſal non appoſuerit. Scriptor Pentateuchi Ionſinæ productus ab Hottingero: Quod illa conveniſſet cum vicinis, ut dum apud maritum ſuum eſſent hoſpites, illos indicaret pulſando parietem, & dicendo: *Date mihi ſal.* At hæc otioſa ſunt & vacua Rabinorum commenta.

Serius ſapit Aben-Eſra, cui ſubſcribit Grotius, nempe eam ex parte punitam eſſe ſupplicio Sodomitarum conſumptorum pluvia ſulphurea, cui ſal erat admixtum. At rectius opinantur alii dicentes, eam prævaricatam eſſe defectu ſapientiæ, cujus *ſal* eſt ſymbolum ac idcirco converſam in ſtatuam ſalis, ut ex illius exemplo alii ſaperent. Ideo autem ſtatua illa perſeverat, quia non conſtat ex communi ſale, & arte confecto ex maris ſpuma, quod aqua & pluviis diſſolvitur: ſed ex minerali, quod inſtar petræ duriſſimæ ædificiis quoque poſſit eſſe materies, teſte Plinio, lib. 31. cap. 7.

Vix Loth cum ſuis ingreſſus fuerat civitatem Segor, cum repente, *Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem* ſuperque alias urbes, nimirum Adamam & Seboim, quæ facto terræ motu ſubverſæ ſunt, locumque fecerunt Pelago, cui nomen eſt *Mare Mortuum*; quod nec ſuetas aquis volucres, nec piſces ullos fert, nec aliud quidquam generat, præter bitumen, quod e fundo ſuo eructat; unde lacus ille, a bitumine *Aſphaltites* nominatur.

Illius autem aquæ ſpiſſæ ſunt ac fœtidæ; tam tetrum & peſtiferum eructant vaporem, ut in vicinis locis arbores ac plantæ nihil vividum ac ſalubre progerminent.

Apparuiſſe quidem, ait *Egeſippus*: *Eis in locis ad ſpeciem poma viridantia, formatos uvarum racemos, at edendi generent ſpectan-*

tibus

tibus cupiditatem: at ſi carpas, fatiſcunt, ac reſolvuntur in cinerem, fumumque excitant, quaſi adhuc ardeant. Ei concinit *Joſephus. Denique adhuc in ea divini reliquias ignis, & oppidorum quinque videre licet imagines, & renaſcentes in fructibus cineres, qui colore quidem ſunt edulibus ſimiles, carpentium vero manibus in fumum diſſolvuntur, & cinerem.* Juſto autem Dei judicio peſſimi illi Sodomitæ ſulphure perierunt; *Sulphur quippe* (ait S. Gregorius magnus) *fætorem habet, ignis ardorem: qui itaque ad perverſa deſideria ex carnis fœtore urſerant, dignum fuit ut ſimul igne & ſulphure perirent, quatenus ex juſta pœna diſcerent, ex injuſto deſiderio quid feciſſent.*

Interim Loth urbem Segor ingreſſus, animi anceps cum flamma, quæ magnas civitates depopulata fuerat, huic urbeculæ parceret, cujus incolæ non minus, quam Sodomitæ, eorumque vicini erant ſceleratі, iiſdemque horrendis implicati criminibus; montem ſibi primum ab Angelis deſignatum, cum duabus filiabus aſcendit, profundam ſpecum, in ſalutem, ingreſſus. At dum illi ſoli otiantur, curaſque & mœrorem ex comportatis cibis, & vino liniunt; fœminæ illæ, mortalium genus incendio, ut in diebus Noe diluvio extinctum, ut aliqui putant, ratæ; de eodem propagando conſilium ineunt. Cumque nemo præter patrem occurreret; qui eas poſſet fœcundas reddere, vino ſopitum ad inceſtos concubitus, alternis vicibus, ſtimulant.

Ex pudendo autem illo complexu, ambæ filios, major Moabum, Ammonem junior pariunt: qui duo numeroſarum Gentium capita & patres extitere Moabitarum nempe & Ammonitarum, qui Dei mandato, a fidelium cœtu in perpetuum excluſi ſunt, *Deuter.* 23. & *Nehem.* 13. Ex quo facto videre eſt, nullum locum vitio immunem, ipſamque ſolitudinem non minus dæmonum inſidiis, quam hominum frequentiam patere. Loth quidem inter perditos homines intactus & juſtus extitit; ſuis vero cum filiabus temulentus ac inceſtus.

QUÆRITUR AUTEM II.

Utrum illa Lothi ebrietas, & cum utraque filia commixtio, a crimine poſſit excuſari.

CAuſam Patris & filiarum tuendam ſuſcipiunt plurimi SS. Patres: imprimis S. Irenæus, tam patrem quam filias, ab omni crimine vendicat: „ Loth, *inquit*, non ex ſua voluntate, neque ex ſua concupiſcentia carnali, neque ſenſum, neque cogitationem hujuſmodi generationis accipiens; ſed conſummavit typum.... *De filiabus vero ait*: Illæ quidem filiæ ſecundum ſimplicitatem & innocentiam putantes univerſos homines periiſſe, quemadmodum Sodomitas, & in univerſam terram iracundiam Dei ſuperveniſſe, dicebant hæc. Quapropter & ipſæ excuſabiles ſunt, arbitrantes ſe ſolas relictas cum patre ſuo ad conſervationem generis humani; & propter hoc circumveniebant patrem &c. *Ita S. Irenæus.*

Origenes homil. 5. in Geneſ. Lothum partim accuſat, partim excuſat. Illum excuſat ab inceſtu. „ Non enim, *inquit*, invenio eum inſidiatum eſſe, aut violenter eripuiſſe pudicitiam filiarum, ſed magis inſidias paſſum, & arte circumſcriptum. Sed neque rurſum circumventus fuiſſet a puellis, niſi inebriari potuiſſet. Unde mihi videtur in parte culpabilis, in parte excuſabilis inveniri. Excuſari namque poteſt, quod a concupiſcentiæ & voluptatis crimine liber eſt; & quia neque ipſe voluiſſe arguitur, neque volentibus conſenſiſſe. Subjacet vero culpæ, quod decipi potuit quod vino nimis indulſit; & hoc non ſemel, ſed iterum fecit. Nam & ipſa Scriptura mihi videtur pro eo quodammodo ſatisfacere, cum dixit: *Neſciebat enim cum dormiret cum eis, & cum ſurgeret.*

Filias vero excuſat, quod iſtud egerint animo conſervandi humani generis. Apparet namque, *ait*: „ filias Loth didiciſſe quædam de conſummatione mundi, quæ immineret per ignem: ſed tanquam puellæ non integre perfecteque didicerant, neſcierunt quod Sodomitis regionibus igne vaſtatis, multum adhuc ſpatii integrum reſideret in mundo. Audierunt in fine ſæculi terram, & omnia elementa ignis ardore decoquenda. Videbant ignem; videbant ſulphureas flammas; videbant cuncta vaſtari. Matrem quoque ſuam videbant non eſſe ſalvatam: ſuſpicatæ ſunt tale aliquid factum, quale in temporibus audierant Noe & ob reparandam mortalium poſteritatem, ſolas eſſe cum parente ſervatas. Recuperandi igitur humani generis deſiderium ſumunt; atque inſtaurandi ſæculi ex ſe dandum opinantur exordium. Et quamvis grande eis crimen videretur furari concubitum Patris, grandior tamen eis videbatur impietas, ſi humanæ (ut putabant) poſteritatis ſpem ſervata caſtitate delerent.... Singulis ingreſſæ noctibus ſuſcipiunt ab ignorante conceptum. Ultra non repetunt, non requirunt. Ubi hic libidinis culpa? Ubi inceſti crimen arguitur? Quomodo dabitur vitio, quod non iteratur in facto? Vereor proloqui quod ſentio: vereor, inquam, ne caſtior fuerit harum inceſtus, quam pudicitia multarum.

His adſtipulatur S. Chryſoſtomus factum hoc diſcutiens, ait: „ Quid igitur & de hac dicemus? non tam ex ebrietate & incontinentia hæc facta ſunt, quam ex triſtitia.

„ Nul-

„ Nullus igitur audeat aut juſtum aut juſti filias condemnare. Quomodo enim non eſſet extremæ dementiæ & deſipientiæ, ut eos quos divina Scriptura ab omni liberat crimine; imo pro quibus tantam Apologiam componit, nos innumeris peccatis, pleni, condemnemus; & non audiremus Paulum dicentem: *Deus qui juſtificat, qui eſt qui condemnet?*

His addere licet S. Ambroſium: „ Excuſantur autem, *inquit*, filiæ S. Loth, quia putaverunt non vicinæ regionis; ſed totius orbis fuiſſe illud excidium, & ſe ſolas cum patre ſuperſtites & omnibus populis remanſiſſe. Et ideo ne genus deficeret humanum paternum petiiſſe concubitum, ut ſemen generationis humanæ de patre ſuo reſuſcitarent. Non ergo libidinis vitium fuit; ſed generationis remedium, quod non puto criminis duci loco &c.

„ Eandem ſententiam propugnat Theodoretus, *quæſt.* 70. *in Geneſ.* ubi tam Loth quam filias excuſat. Loth atque Theodoretus quidem, quod inſcius & ebrietatem & inceſtum admiſerit: „ Ebrietas vero illa, *inquit*, quam habet reprehenſionem venia temperatam. Siquidem anxius valde ac mœrens, utpote omnibus ſimul bonis, & uxore etiam ſua ſpoliatus, permiſit ut filiæ vinum largius effunderent, & quod ſtruebatur ignorans, ad leniendam mitigandamque triſtitiam id fieri ſuſpicabatur.

Verum pace & venia tot illuſtrium Scriptorum, potius dicendum arbitror cum S. Auguſtino contra Fauſtum qui hoc factum contra divinæ Scripturæ puritatem obiiciebat; nec Loth, nec ejus filias ab ebrietatis & inceſtus crimine poſſe penitus excuſari. Loth enim ebrietatis reum probat, quod paſſus fuerit a filiabus ſuis crebra vina ſibi porrigi, quod certe virum juſtum nullatenus decebat. *Deinde*, quod ſi culpa immunis hoc in opere fuiſſet Loth, dubio procul Scriptura ſacra hoc annotaſſet: inde colligit adverſus Manichæos: „ Cum ergo, *inquit*, in litteris, quas iſti reprehendunt Deus huic facto nullum juſtitiæ teſtimonium perhibuerit, qua dementia temeritatis hinc illas litteras accuſare contendunt, cum in aliis earum locis apertiſſime inveniantur divinis præceptis iſta prohiberi? .... Itaque ex mente S. Auguſtini Loth ab illo ebrietatis & inceſtus vitio omni ex parte non venit excuſandus.

Addit S. Hieronymus *in quæſt. Hebraicis* Loth pariter fuiſſe reum incredulitatis in Deum, quod non crediderit Deo per Angelos ſpondenti illum fore ſalvum in Segor. Exiſtimavit enim S. Hieronymus quod cum Segor frequenter terræ motu ſubverſa *Bale* primum, & poſtea *Saliſſa* appellata ſit: timueritque Loth dicens: „ Si cum cæteræ adhuc urbes ſtarent, ipſa ſæpe ſubverſa eſt: quanto magis nunc in communi ruina non poterit liberari? Et hanc occaſionem infidelitatis, etiam in filias coitus dediſſe principium. Qui enim cæteras viderat ſuorui civitates, & hanc ſtare, ſeque Dei auxilio erutum; utique de eo quod ſibi conceſſum audierat, ambigere non debuit. Illud igitur quod pro excuſatione dicitur filiarum, eo quod putaverint defeciſſe humanum genus, & ideo cum patre concubuerint, non excuſat patrem. *Hæc ille*.

Idem eſto judicium de illius filiabus. I. Quia veroſimile non eſt tam craſſo errore illas fuiſſe deceptas, ut putarent univerſum humanum genus una cum Sodomitis fuiſſe extinctum,... Recens enim habitaverant in Segor, cuius incolas ſcire poterant non interiiſſe. *Deinde* cum mons, in quo ſtabant eſſet integer, argumentum erat univerſum orbem igne non conflagraſſe, *Denique* ſub oculis patebant longe diſtantes amœnæ regiones incolis nequaquam vacuæ.

II. Meminiſſe debuerant Angelos eis dixiſſe ſolas regiones in convalle exiſtentes exitio eſſe devotas; non vero totum terrarum orbem: & idcirco ab Angelis juſſum ut fugerent in montem, quo tutiores, quam in planitie exſterent.

III. Ignorare non poterant Abrahamum virum eſſe juſtum ipſumque cum univerſa ſua familia divino cultui eſſe addictiſſimum ac proinde ratum habere debebant ipſum cum ſuis incolumem ſupereſſe. Unde nullatenus ea ratione veniunt excuſandæ.

IV. His adde quod ipſæmet ſatis aperte indicant rem, quam meditabantur, eſſe nefariam, & immane facinus; cur enim patrem inebriant, niſi quia ſatis conjiciunt eum ſui compotem non eſſe tantum ſcelus admiſſurum? Nullo igitur modo ſunt excuſabiles, quod obſcœnum concubitum ambierint a quo naturaliter Gentes omnes abhorrent.

Sunt etiam plurimum arguendæ, quod eas non puduerit inceſtus ſui probrum palam vulgare, & poſteris conſignare; filiis enim ſuis, vel potius populis ex eis oriundis impoſuerunt nomina quibus nemo neſciat eos adulterinam eſſe progeniem & inceſto coitu ortam. Prior enim appellat filium ſuum *Moab*, id eſt *de patre*: Junior, *Ammon*, hoc eſt, *ex propinqua cognatione;* ita ambæ facinus ſuum ſine pudore divulgant. Nec contentæ ſæculi ſui infamia ſcelus ſuum in alias ætates traducunt. Junior nihilominus verecundior apparuit, dum vocavit filium ſuum *Ammon*, hæc enim vox idem præciſe ſignificat ac *filius populi mei*.

DISQUI-

DISQUISITIONES
IN CAPUT XX.

QUatuor potiſſimum hoc in capite repræſentat Moſes. I. Abrahami receſſum a planitie Mambre, quam annis viginti tribus incoluerat; & acceſſum in Geraram Palæſtinæ Metropolim Abimelecho Regi ſubditam. II. Initum Abrahami cum Sara conſilium, ut diſſimulato conjugis nomine, ſe ipſius ſororem eſſe diceret. III. Ipſius Saræ ab Abimelecho raptum, ut eam duceret in uxorem. IV. Dei in Abimelechum animadverſionem, ut Saram intactam Abrahamo reſtitueret.

Quorſum autem Mambre planitiem viginti trium annorum amœniſſimam ſedem hoc tempore deſeruerit Abrahamus, multi multa opinantur. Judæi quidem recte ſatis Abrahami hoſpitali animo tribuunt, quod Sodoma, totaque regione ſubverſa nulli viatores illac eſſent tranſituri, nulluſque Abrahamo,upereſſet exercendæ charitatis & hoſpitalitatis locus. Putant aliqui Abrahamum inde migraſſe ad vitandam graveolentiam & halitum peſtilentem ex fœtidiſſimo Sodomico lacu emanantem; at planities Mambre & Ebronis regio multo remotior erat, quam ut vaporum inſalubrium inde ſentiretur moleſtia.

Nonnulli exiſtimant illum receſſiſſe a ſuaviſſimo incolatu declinandæ illius famis cauſa, cujus eſt mentio initio capitis 26. Verum probabile non eſt regionem illam alioquin fæcundiſſimam tam cito exaruiſſe, & collectas fruges ita defeciſſe, ut eorum penuria, illa in uberrima regione fames graſſaretur. Addunt alii idcirco Abrahamum migrandi conſilium iniiſſe, ne ſemper haberet præ oculis horrendum & triſte divinæ juſtitiæ ſpectaculum in conſumptis vicinis urbibus. planities enim illa quæ nuper aſpectu tam amœna fuerat & multiplici frugum copia referta, mutata fuerat in deforme chaos.

Veriſimilius ego crediderim non alia ratione Abrahamum inde migraſſe, quam ut pareret Dei juſſioni, qui voluit eum eſſe in Chananitide inquilinum, quatenus plurimos populos veri Dei cultum & morum ſanctimoniam exemplo ſuo doceret.

Utut ſit, certum eſt referente Moſe Abrahamum relicta ſtatione Mambre pertexiſſe in Regionem Auſtralem, inter *Cades* & *Sur* ſolitudine, habitaturus. Cum autem Gerara Abimelechi regno ipſi tranſeundum eſſet, dubiuſque quinam eſſent illius regionis incolarum mores, & pertimeſcens ne propter Saræ pulchritudinem ſibi periculum eſſet, apud hos alienigenas; ut ſibi caveret, idem conſilium iniit, quod ei bene ſucceſſerat in Ægypto; nimirum ut diſſimulato conjugis nomine, Sara illum fratrem, & ille ipſam ſororem diceret.

Cum itaque Abrahamus copioſam haberet familiam, illius in regnum Geraræ acceſſus latere non potuit principem, qui advocato Abrahamo requiſivit quænam eſſet mulier quam habebat ſociam, & cujus pulchritudine Abimelechus ille captus erat? Reſponente autem Abrahamo illam eſſe ſororem ſuam, Abimelechus eam duxit in palatium pro uxore habiturus.

Deus vero hanc illatam Abrahamo injuriam impune non tulit; Abimelecho namque protinus morbum inflixit, omniumque Geraræ mulierum divina quadam vi uteros obſtruxit ne conciperent & parere poſſent liberos. *Deinde* in ſomnis Abimelecho minitatus eſt mortem, propterea quod alienam abduxiſſet uxorem; niſi quamprimum illam intactam marito ſuo reſtitueret; quæ ut planiora fiant.

Hic obiter obſervandum eſt, Moſem dixiſſe hanc apparitionem factam eſſe *per ſomnium*: hic enim unus eſt ex variis modis quibus olim uſus eſt Deus, ut divinam ſuam voluntatem hominibus ſignificaret, quatenus eos in officio contineret. Eum divinæ manifeſtationis modum deſcribit Eliu, Job. cap. 33. v. 14. *Semel*, inquit, *loquitur Deus*, *& ſecundo idipſum non repetit: per ſomnium, in viſione nocturna, quando irruit ſopor ſuper homines, & dormiunt in lectulo ſuo; tunc aperit aures virorum & erudiens eos, inſtituit diſciplina. Ut avertat hominem ab iis quæ fecit, & liberet eum de ſuperbia: eruens animam ejus a corruptione, & vitam illius, ut non tranſeat in gladium...* Sic plurimis Prophetis, aliiſque viris inter dormiendum ſecreta ſua manifeſtavit, ut ipſemet declarat Num. 12. v. 6. *Si quis inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, per ſomnium loquar ad illum.*

Cujus rei varia habemus exempla tam in Veteri quam in Novo Teſtamento: hinc per Joelem Prophetam, cap. 2. v. 28. de fidelibus Novi Teſtamenti prædicit: *Prophetabunt filii veſtri, ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt, & juvenes veſtri viſiones videbunt.* Notum eſt exemplum S. Joſephi ſponſi Deiparæ Virginis, quem dormientem Deus per Angelum admonuit, Matth. 1. v. 20 ut non repugnaret Mariam accipere conjugem ſuam: & cap. 2. v. 13. ut acciperet puerum & matrem ejus, & fugeret in Ægyptum.

Fit autem illa divina revelatio per ſomnium duplici modo, ſcilicet obſcure & per imaginarias quaſdam ſimilitudines quæ repræſentant res venturas, cujuſmodi fuit ſomnium Pharaonis de ſeptem ſpicis & ſeptem bobus futuram ubertatem, & famem per ſeptem annos, deſignantibus. *Geneſ.* 41. Et primum ſomnium Regis Nabuchodonozoris de miranda illa ſtatua quam deſcribit *Daniel*

cap.

Digitized by Google

cap. 2. Fit etiam illa revelatio per ſomnium diſtinctiori & nobiliori modo, cum Deus vel per ſe, vel per Angelum aperte demonſtrat quæ ventura ſunt ſine ullo ænigmate, ulliſque ambagibus, quemadmodum Abimelecho mentem ſuam aperuit.

Neque tamen putandum eſt omnia quæ de iſta apparitione referuntur, eſſe peracta inter dormiendum. Quinimo Abimelechus videtur ad priores Dei voces omnino expergefactus; etenim ſuum excuſat factum dicens: *Domine, num gentem ignorantem & juſtam interficies?* ac ſi diceret: Domine, non me latet quantum adulteria abhorreas, & acriter punias; ſed itane ira tua ſe in homines innoxios effundet, qui errore potius lapſi ſunt, quam ſcientes ac volentes peccaverint? *Nonne ipſe dixit mihi; ſoror mea eſt: & ipſa ait; frater meus eſt? ſimplicitate cordis mei, & munditia manuum mearum feci hoc:* Quam excuſationem admiſit Deus dicens: *Scio quod ſimplici corde feceris: & ideo cuſtodivi te, ne peccares in me, & non dimiſi ut tangeres eam.*

Interea præcepit ei Deus, ut ſine mora uxorem reſtitueret. Abrahamumque conveniret ut pro ipſo interpellaret; *quia*, inquit *Propheta eſt*, id eſt, vir eximiæ virtutis, qui ſuis meritis ac precibus plurimum apud Deum valeat.

Quibus auditis Abimelech ſtatim e lecto conſurgens, cuncta narravit ſuis aulicis, & accerſitum Abrahamum acribus verbis objurgavit, quod ſe Regnumque ſuum abſque ullo demerito in graviſſimi delicti diſcrimen expoſuiſſet: *Quid feciſti nobis*, inquit, *quid peccavimus in te? quia induxiſti ſuper me, & ſuper regnum meum peccatum grande &c.* Ubi adulterium vocat *grande peccatum*, quod non modo unum hominem; ſed totum populum quaſi piaculo obligat: maxime cum admittitur a Principe.

Hanc objurgationem ut deliniret Abrahamus, duo reſpondit: *Primo*, fatetur ſe metu inductum fuiſſe ut conjugium ſuum tegeret: *Deinde* ſe nullatenus eſſe mentitum: cum dixit Saram eſſe ſororem ſuam; *Vere enim*, inquit, *ſoror mea eſt, filia patris mei, & non filia matris meæ.*

QUÆRES III.

Quo ſenſu Abrahamus hæc verba protulit.

MUltiplex, ſed potiſſimum triplex eſt hac de re Auctorum ſententia. *Prima* quidem S. Clementis Alexandrini ſub finem ſecundi libri Stromatum, & S. Hieronymi lib. de Traditionibus Hebraicis. Quibus ſubſcribunt plurimi Recentiores, aſſerentes Saram fuiſſe veram & germanam Abrahæ ſororem; non tamen uterinam, utpote quæ ex ſecunda Tharæ uxore nata eſſet.

Secunda ſententia eorum eſt, qui aſſerunt Saram uterinam fuiſſe Abrahami ſororem, quam nihilominus duxit in matrimonium, quod, inquiunt, tunc temporis permiſſa eſſent conjugia fratrum cum ſororibus.

Verum hæ duæ ſententiæ refelluntur per ipſa Abrahami verba: *Non filia matris meæ*, Adde quod ſi illo tempore ex Gentium æſtimatione licuiſſet inire tale conjugium fratris cum ſorore; ut ſuum cum Sara tegeret Abrahamus, fruſtra dixiſſet illam ſuam eſſe ſororem: igitur fatendum eſt Geraræ incolas, ita abhorruiſſe a conjugio cum propria ſorore, ut audito nomine *ſororis*, ſtatim crediderint Saram non eſſe Abrahæ conjugem.

Itaque facilius eorum in ſententiam deſcendo qui exiſtimant Saram eadem ratione dici ſororem Abrahami, qua Loth dicitur ejus frater; nimirum quod eſſet illius conſanguineus, & ex fratre nepos. Probabiliſſimum enim eſt Saram fuiſſe filiam Aranis Abrahæ fratris, quæ priuſquam nuberet Abrahamo, dicebatur *Sara*, & *Jeſcha*: legimus enim *Geneſis* 5. 29. quod mortuo Arane duxerunt Abraham, & Nachor uxores: *Nomen uxoris Abram, Sarai; & nomen uxoris Nachor, Melcha filia Aran, patris Melchæ, & patris Jeſchæ; erat autem Sarai ſterilis, nec habebat liberos.* Quorſum enim poſt mentionem duorum fratrum, qui uxores duxerant, adderentur nomina duarum filiarum Aranis, quarum una nupſerat Nachoro, niſi ambæ illæ ſorores, duobus fratribus, de quibus actum fuerat, nimirum Abrahamo & Nachoro conjunctæ fuiſſent? Quorſum immediate ſubiiciatur Saram fuiſſe ſterilem, niſi illa fuiſſet iſta Jeſcha de qua mox factus fuerat ſermo? Quorſum duntaxat hoc loco adjiceretur *Jeſchæ* nomen, niſi una eademque eſſet cum Sarai Abrahami conjuge, quæ erat binominis? Quis enim exiſtimet a Moſe patrem uxoris Nachoris nominatim, & conſulto quidem exprimi, de patre vero Sarai uxoris Abrahami, ex qua oriunda erat gens benedicta altum illi fuiſſe ſilentium?

Veroſimile eſt igitur duas illas ſorores duorum fratrum fuiſſe uxores, quæ patre orbatæ, a fratribus in conjuges aſſumptæ fuerant juxta morem Gentis ſuæ, quo ſancitum erat, ut non ex aliena, ſed ſua ex familia uxores viri ſibi eligerent.

Neque his obſtat quod de Sara dixerit Abrahamus; *Vere ſoror mea eſt*, quia iſta non protulit Abraham, ut ſignificaret Saram eſſe veram & germanam ſororem ſuam, id enim verum non erat; ſed hæc dixit ſecundum morem ſuæ Gentis, in qua tritum erat, ut non ſolum ejuſdem patris filii, aut filiæ, verum etiam patruelis avunculi, & fratrum filii, ac filiæ nominarentur fratres, ac ſorores. Quare adverbium illud, *vere*, non jungitur cum ſequenti vocabulo, *ſoror*, quaſi denotetur eam fuiſſe veram & germanam ſororem Abrahæ; ſed pertinet ad veritatem ſententiæ, quam dixerat Abraham; ut hic ſit ſenſus: non ſum mentitus, cum dixi, eam eſſe ſororem meam; nam ſecundum con-

ſue-

ſuetudinem Gentis noſtræ, cum ea ſit filia fratris mei, vere dici potuit ſoror mea.

Jam vero illud: *Filia patris mei, & non matris meæ*, hanc habet ſententiam: omnes qui erant ex familia Thare, ipſum appellabant patrem, & idcirco inter ſe appellabantur fratres & ſorores. Cum autem duæ illæ Arani filiæ patre orbatæ, Thare avum ſuum, patrem nominare ſolitæ eſſent, merito dixit Abrahamus, Saram eſſe *filiam patris ſui, non vero matris ſuæ*; quia Thare duas habuerat uxores: quarum quidem ex altera Aran, ex altera vero Abrahamus natus erat.

QUÆRITUR IV.

Qua ratione Deus Abrahamum Prophetam appellaverit, cum nullum legatur editum ab eo vaticinium.

R*Eſpondeo* cum Pererio *Propheta* nomen varie, ſed præſertim ſex modis in Scriptura ſacra accipi. I. Ea Philone Judæo lib. de præmiis & pœnis: *Propheta eſt interpres Dei dictantis intus oracula*. Unde qui divina myſteria & arcana, humana ratione incomprehenſibilia cognoſcit, & aliis enunciat, vere dicendus eſt Propheta. II. *Prophetare*, interdum ſignificat, divinas laudes pſallere certis quibuſdam modulis & inſtrumentis muſicis: ſic *lib.* 1. *Paralip. cap.* 5. filii Aſaph & Heman dicuntur prophetaſſe in citharis, cymbalis, & pſalteriis &c. quo etiam ſenſu *lib.* 1. *Regum, cap.* 10. de Saule dictum eſt: *Et Saul inter Prophetas*. III. *Propheta* vox ab Ethnicis tribuitur Poetis, quod crederent eos divinitus afflatos, verſus tanquam oracula edere: quo ſenſu S. Paulus *Epimenidem* appellat Cretenſium Prophetam. IV. Prophetare nonnunquam idem ſignificat ac deſipere, furere, & more arreptitiorum aliena, & rationi minus conſentanea loqui: ſic 1. Reg. cap. 18. cum Saul agitaretur maligno ſpiritu, dicitur *Prophetaſſe in medio domus ſuæ*.

V. Vox prophetandi aliquando denotat miraculum editum ad declarandam inſignem alicujus virtutem. Sic *Eccleſiaſt.* 48. mortuum Eliſæi corpus prophetaſſe dicitur, quod cum alterius hominis cadaver in illius ſepulchrum illatum fuiſſet, contactu ejus corporis, ad vitam revocatum eſt. VI. Prophetare in divina Scriptura plerumque idem ſignificat ac interpretari, & exponere res divinas, & ab humana intelligentia remotas; quo ſenſu S. Paulus conferens donum prophetiæ cum dono linguarum, dicit multo eſſe præſtantius & utilius munus prophetandi, quam variis linguis loquendi; quod qui variis linguis loquitur, admirandus magis auditoribus ſit, quam utilis: qui vero Scripturas interpretatur, erudit audientes, eoſque in fide confirmat, & ad virtutem accendit.

Porro Abrahamus primo & ſecundo modo revera fuit Propheta; quippe qui frequens eſſet in divinis laudibus decantandis; & inſuper Deo revelante, plurima novit divina arcana, reſque venturas ſuis indicavit, puta futuram poſterorum ſuorum per quadringentos annos peregrinationem, atque ſervitutem, eorumque ſtupendam multiplicationem & benedictionem omnium Gentium per Chriſtum ea ſemine ſuo oriundum; cujus etiam Incarnationem & Nativitatem præcognovit, dicente Chriſto D. *Abraham exultavit ut videret diem meum, vidit & gavisus eſt*.

Capitulum hoc claudit Moſes his verbis: *Orante autem Abraham ſanavit Deus Abimelech, & uxorem, ancillaſque ejus, & pepererunt. Concluſerat enim Dominus omnem vulvam domus Abimelech propter Saram uxorem Abrahæ.*

QUÆRITUR AUTEM V.

Quomodo contingere & deprehendi potuerit illa ſterilitas in Abimelechi familia.

R Atio difficultatis petitur ex modico tempore quod effluxiſſe videtur raptum inter & reſtitutionem Saræ: quomodo enim ſterilitas omnium mulierum familiæ Abimelechi tam exiguo temporis intervallo potuit deprehendi? Sunt qui exiſtimant hic inverſam fuiſſe hiſtoriæ ſeriem; nam, inquiunt, ſi antequam Abrahamus exiret ex regione Mambre, & tranſiret in terram Geraræ, gravida jam erat Sara & partui proxima, quomodo eam eſſe conjugatam non deprehendit Abimelechus? Et ſi ea omnia quæ hic narrat Moſes, impleta ſunt eodem ordine, quo hoc in capite recenſentur; qui fieri potuit, ut tam exiguo tempore apparuerit ſterilitas mulierum illarum? Videtur itaque Abrahamum jam tunc in terra Geraræ habitiſſe, cum illi fuit promiſſus & conceſſus Iſaac; atque hanc hiſtoriæ partem quæ prius omiſſa fuerat, a Moſe nunc recenſeri. Verum, ſi hic inverſa eſſet hiſtoriæ ſeries, ejus de ſinceritate conſtare non poſſet, quippe cum ſimilia obiici liceret de aliis narrationibus.

Hebræi, referente Mercero, dicunt in *Bereſith Rabba*, ſterilitatem illam fuiſſe deprehenſam ex eo quod, nec viri, nec mulieres ex familia Abimelechi, poſſent cibum ca-

capere, & egerere excrementa, nec invicem congredi. Hoc quidem poſtremum videtur rationi conſentaneum: priora vero Judaicum commentum & nænias redolent.

Crederem itaque viros ac mulieres plaga cœlitus immiſſa ſic eſſe affectos, ut rem conjugalem nullatenus poſſent exercere; ac propterea cenſerentur ſteriles ab eo tempore, quo ab Abimelecho aſſumpta fuit Sara: idque ſignificare videtur Moſes, dum ait: *Concluſerat enim Dominus omnem vulvam domus Abimelech propter Saram uxorem Abrahæ:* quid enim eſt concludere vulvam, niſi rem conjugalem impedire?

Cum ſalvam & integram ſuam familiam recepiſſet Abimelechus, *Tulit oves & boves & ſervos & ancillas, & dedit Abraham: redditque illi Saram uxorem ſuam, & ait: Terra coram vobis eſt, ubicumque tibi placuerit habita. Saræ autem dixit: Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecum ſunt, & quocumque perveneris: mementoque te deprehenſam.*

Petes I. Quanta pecuniæ ſumma fuerint *mille argentei?*

Reſpondeo, loco *argenteos* hebraice eſſe vocem *ceſeph*, quæ, teſte Joſepho lib. 3. antiquitatum, idem ſignificat ac *ſiclus* & *ſtater:* unde etiam ſeptuaginta Interpretes eodem modo loquuntur de argenteo, atque de ſiclo; utrumque enim appellant *didrachmam*, & loco *mille argenteos*, ſcripſerunt illi *mille didrachmas*; quod nimirum exiſtimaverint didrachmam conſtare viginti obolis, quibus etiam ſiclum conſtare ſcribit Ezechiel, cap. 45. Igitur donum illud *mille argenteos*, quod Abimelech contulit Abrahæ, æquivalebat ad minus quadringentis ſcutis aureis Gallicis.

Petes II. Quid ſignificare voluit Abimelechus per præfata verba ad Saram: *Hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes &c.* Vel, ut legit S. Chryſoſtomus: *Ea quæ dedi fratri tuo, erunt in honorem vultus tui, & omnia vere dici.* Cum autem inquiſiviſſet *quid ſit in honorem vultus tui.*

Reſpondet hæc ab illo dicta, tum ut Sara teſtaretur Abrahamo ſe nihil contumeliæ ab Abimelecho paſſam: Tum ut Abrahamus vir juſtus pro illo preces ad Deum funderet. Addunt alii eam pecuniæ ſummam Abrahamo dediſſe, ut deinceps ſe Saræ maritum non diſſimularet; eſſetque ei quaſi velamen oculorum: dum videlicet illam intuentes, Abrahamumque illius conjugem eſſe audientes, oculos ab ea averterent. Sunt qui cum Vatablo exiſtimant Abimelechi verbis denotari objurgationem, quod Sara ſe in mariti poteſtate eſſe diſſimulaverit: maritus enim uxori debet eſſe inſtar veli: hinc S. Paulus, 1. *Cor.* 1. *v.* 7. dicit velum, quo teguntur mulieres, ſubjectionis eſſe indicium. Unde Sara ſe conjugatam non eſſe ſimulans, mariti præſidio ſe nudaverat, atque ita in ſua diſſimulatione fuerat deprehenſa.

Exiſtimarem ego quod, cum eo tempore mos invaluiſſet ut conjugatæ mulieres velarentur; virgines autem detecto incederent capite: quod etiam ætate ſua viguiſſe declarat Tertullianus; Sara, ut conjugium diſſimularet, nuda facie procedebat in publicum: quod ne ulterius illa faceret, Abimelechus pecuniæ ſummam dedit Abrahamo, ut ex ea emeret vela, quibus Sara, ejuſque ancillæ tegerentur; ne aliis eſſent in offendiculum.

Petes, quo animo Abimelechus Saræ dixerit, *quocumque perrexeris, memento te eſſe deprehenſam?*

Reſpondeo, verba hæc non eſſe exprobrantis & redarguentis, quaſi Sara ſuam ob diſſimulationem rea fuiſſet: iſta enim redargutione opus non erat, cum Abrahamus illam excuſaſſet, aſſerens vere eſſe ſororem ſuam. Adde quod Abimelechi propoſitum non erat Abrahæ & Saræ animos objurgationibus exulcerandi: quinimo volebat eos muneribus ſibi conciliare, ut ſuis precibus Deum illi propitium redderent, unde licet primum de Abrahamo viſus fuerit conqueri; verba tamen ejus non tam ſunt objurgantis, quam exponentis, quod ſua ſimulatione ipſi fuiſſent in periculum.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XXI.

TRia potiſſimum occurrunt hoc in capite ſpectanda I. Iſaaci nativitas, circumciſio & ablactatio. II. Iſmaelis cum matre ſua Agara e paterna domo ejectio, accretio, & nuptiæ. III. Initum fœdus Abrahamum inter & Abimelechum Palæſtinæ Regem.

Primo itaque, quod ſummis plurimiſque votis optaverant Abrahamus & Sara, Deo tamen bene propitio aſſequuntur, filium ſcilicet qui futurum hæredem virtutum & facultatum. Riſerat Sara cum denunciavit Deus fore ut ipſa pareret; & tunc quidem ita ridebat, ut deridere videretur, tanquam impoſſibile: jam vero cum impletum videt id, quod vix ſperare audebat, dat gloriam Deo, & ſerio tota in gaudium effuſa, ait: *Riſum fecit mihi Deus, quicumque audierit, corridebit mihi.* Hoc eſt: mirandum illud factum, quod mulier nonagenaria viro centenario filium pepererit, quicunque audierint, mecum ſtupebunt & congaudebunt. Sic Lucæ 1. v. 58. poſtquam Elizabetha Zachariæ Sacerdotis conjux peperiſſet filium, *audierunt vicini & cognati ejus, quia magnificavit Dominus miſericordiam ſuam cum illa, & congratulabantur ei.*

Habemus itaque in iſtis Saræ verbis ingens illius cordis tripudium, quod filium pepeſiſſet: at præclarum etiam ſuæ erga Deum fidelitatis & obſervantiæ argumentum præ-

bet

Digitized by Google

bet Abrahamus, cum filio nomen in ſpeciem ridiculum imponit, vocando illum *Iſaac*, id eſt, *riſum:* non ſuo arbitrio, ſed Dei juſſu: Tum ut perenne eſſet monumentum riſus parentum ſuorum, qui audita promiſſione futuræ illius nativitatis, riſerant *cap.* 17. & 18. Abrahamus quidem ex ſtupore tanti promiſſi beneficii: Sara vero ea levitate & incredulitate, quod nonagenariæ filius eſſet futurus. Tum ut præſignaretur illum eſſe futurum mundi gaudium, quod per eum propagandum eſſet benedictum ſemen, ex quo generis humani Redemptor & Reparator eſſet oriundus.

Aliud inſuper obedientiæ præſtantioris ſpecimen præbuit Abrahamus, cum filium ſuum adhuc tenellum octavo ab illius nativitatis die circumcidit. Tametſi enim timendum erat, ne inflictum vulnus exitiale foret puerulo; nihilominus, ut a Deo imperatum erat, corpuſculum vulnerare non dubitavit, ut chariſſimus ille Filius hoc cruento, ſed divinitus imperato ſignaculo, non tantum bonorum, ſed & fœderis benedictionis hæres eſſet.

Natum autem & circumciſum puerum mater non negligit, ſed propriis uberibus lactat: in quo ſane aliud Dei grande beneficium obſervare licet, quod mulier nonagenaria jamdudum effœta, & carens muliebribus, quæ lactis materiam præbent; nihilominus lacteos fontes habuerit, qui ſufficerent ad pueri nutritionem. Propter hoc, inquit S. Chryſoſtomus, *dati ſunt ei lactei fontes, ut partum magis credibilem faciant, & ne quis ſuppoſititium eſſe putaret puerum: fontes enim lactis prædicabant omnibus genuinum eſſe partum, & præter humanam expectationem eveniſſe.* Inde vero maxime celebrandus venit Saræ maternus amor, quod licet ſenio confecta, nutricis onera & incommoda lubens ſuſceperit. *Provocantur ejus exemplo fœminæ* (inquit S. Ambroſius,) *ut meminerint dignitatis ſuæ, & lactare filios ſuos; hæc enim matrum gratia; hic honor &c.* Unde ait Phavorinus apud Gellium: *Matres quæ filios ſuos non lactant, non ſunt totæ, aut integræ matres; ſed imperfectum quoddam, atque dimidiatum matris genus.* Cum vero puerulus ille ſolidioris cibi jam eſſet capax, eum ablactavit Sara: hunc vero ablactationis diem magnifico convivio celebravit Abrahamus.

QUÆRITUR AUTEM I.

Cur Abrahamus convivium potius in ablactatione filii, quam in ejus Nativitate, aut Circumciſione inſtauravit.

a *Lib.* 1. *de Abrah. cap.* 7.
b *Quæſt.* 50. *in Geneſ.*
c *Lib.* 7. *in Geneſ.*

RESpondent S. Ambroſius [a], S. Auguſtinus [b], & Rupertus [c]: non aliam hujus rei proferri poſſe rationem, quam moralem & myſticam: nimirum ut hoc convivio ſignificaret Abrahamus tunc fidelibus debere magnum ineſſe gaudium, quando homo factus in Chriſto nova creatura, euſque crevit in vita ſpirituali, ut jam non ſit ſimilis illis, de quibus Apoſtolos: *Lac vobis potum dedi, non eſcam: nondum enim poteratis; ſed nec nunc quidem poteſtis: adhuc enim carnales eſtis.*

Ita hunc locum ex S. Auguſtino exponit Rupertus: „ Quid opus eſt, *inquit*, in die „ ablactationis fieri tam grande convivium, „ aut ſcribi a Moſe, niſi quia certi ſubeſt „ pulchritudo myſterii, quæ lactentes adhuc „ parvulos ad ſolidum cibum provocare poſ„ ſit? eſt enim quoddam lac, & quædam in„ fantia, quam verus Iſaac, ſcilicet Chri„ ſtus cito exceſſit: & quam ſupergredi opor„ teat quemque idoneum Chriſti imitatorem, „ in quo qui tardiores exiſtunt, redarguun„ tur per Apoſtolum dicentem ad Hebræos „ 25. *Cum deberetis jam magiſtri eſſe &c.*

d *In Theæteto.*
e *In encomio Calvitii.*
f *Dialog. in Charon.*

Hujus tamen inſtaurati in die ablactationis convivii proferri poteſt naturalis & litteralis ratio, nempe Abrahamum ſecutum eſſe morem a Majoribus acceptum, ut ob tempora lactationis fœliciter elapſa, feſtivus dies ageretur a pueri parentibus & eorum amicis: quod etiam ab Ethnicis obſervatum fuiſſe notant *Plato* [d], *Syneſius* [e], *Lucianus* [f]. *Afer* autem *comedus*, Phorm. act. 1. refert tria feſta ab Ethnicis propter pueros celebrata; nimirum. 1. Die quo in lucem prodierunt. 2. Eodem die anno recurrente. 3. Die quo divorum tutelæ poſt ablactationem committebantur....

.... Porro autem Geta
Ferietur alio munere Hera peperit:
Alio autem ubi erit puero natalis dies:
Ubi initiabunt.

Gentiles autem inanium Deorum fictores & cultores ſolebant pueros ablactatos initiare divis *Educæ*, & *Potinæ*, ſic dictis ab eſu, & potu, quibus puer in poſterum alendus erat.

Quam utique conſuetudinem a Majoribus acceptam & ex ſe piam, Dæmon, operum Dei interpolator & corruptor a ſe dementatis Gentilibus malitia ſua nonnihil depravatam inſtillavit. At viri ſanctiſſimi eam illibatam ſervarunt: nimirum ut quo die infans primogenitus ſolidiorem cibum comedere inciperet, id etiam commune multorum convivantium lætitia celebraretur, immolatis prius in gratiarum actionem Deo victimis. Quem utique morem poſtea invaluiſſe apparet ex 1. *Reg. cap.* 1. Ubi Anna uxor Elcanæ, & mater Samuelis, poſtquam hunc infantulum ablactavit, illa & vir adduxerunt illum in Domum Domini in Silo & immolaverunt vitulum, & obtulerunt puerum Heli. Ex quibus apparet tempus ablactationis olim ſacrificiis, conviviiſque fuiſſe celebratum.

Unde colligitur, rem non eſſe illicitam, nec indignam ſanctis hominibus, ut interdum

amicos ad communem lætitiam invitent, ut Deo ſimul gratias agentes, ſolito hilarius opulentur. Colenda eſt quidem ſemper temperantia & ſobrietas, dandaque opera ut tam apparatus ipſe ſit frugalis, quam modeſti convivæ. Cum enim Moſes convivium ab Abrahamo celebratum non improbet, inferre licet Deum non ita auſtere nobiſcum agere, quin liberalius interdum & lautius amicos excipiamus: cavendum tamen eſt, ne talium exemplorum prætextu, abuſus irrepat frequentius, & magnificentius menſas inſtruendi; ne Deus exceſſibus noſtris irritetur, & extrema gaudii luctus occupet; uti contigiſſe videtur in hoc Abrahamico convivio, tametſi moderato & compoſito.

Addit enim Moſes: *Cum vidiſſet Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Iſaac filio ſuo, dixit ad Abraham: Eiice ancillam hanc, & filium eius: non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac.* Quibus verbis videtur Moſes non alia ratione meminiſſe iſtius convivii, quam ut aperiret occaſionem deprehenſæ Iſmaelis malitiæ, qua fratri ſuo Iſaac illudebat. Licet enim nonnulli Interpretes velint ea quæ adiiciuntur alio tempore contigiſſe, nec eſſe connectenda cum præfato convivio: attamen cum Iſmaelis in fratrem petulantiæ narrationem recitationi convivii attexat Moſes, veroſimile eſt quod quamvis antea Iſmael fratrem ſuum Iſaac ſubſannaſſet, attamen poſt exactum hoc convivium inſolentius in eum inſurrexerit, eumque, quod eſſet adhuc puerulus, indigne contempſerit, ut apparet ex violenta exacerbatione Saræ tam in ipſum Iſmaelem, quam in Agaram ejus matrem.

QUÆRITUR II.

Qua de cauſa Sara, aliunde mitiſſima, adeo in Iſmaelem irritata fuerit.

CUm Moſes non aliam hujus Saræ commotionis cauſam proferat, quam quod viderit Iſmaelem *ludentem cum filio ſuo Iſaac:* exſtimarunt nonnulli luſus pueriles inter duos fratres fuiſſe inſtitutos, ac diſplicuiſſe Saræ quod filius ancillæ cum ſuo luderet, ſeſeque illi parem faceret. Verum hæc expoſitio omnino jejuna videtur, & a genuino Scripturæ ſenſu prorſus aliena; Iſmael enim agebat annum decimum ſeptimum, proinde veriſimile non eſt eum, maxime cum agreſtis eſſet genii, ita ſe demiſiſſe, ut puerides luſus cum infantulo ageret.

Expoſitionum diverſitati occaſionem præbet Hebræa vox [illegible] *Methſachek*, quæ cum ſit ſignificationis æquivocæ, interdumque deſignet *ludere:* alias vero *illudere*: hic proprie pro ſubſannatione poteſt accipi, quemadmodum eandem vocem uſurpat Latinus Interpres, Geneſ. 39. ubi uxor Putipharis de ipſo conqueritur, v. 14. *Introduxit virum Hebræum ut illuderet nobis.*

Itaque voces illas *ludentem cum filio*, non exiſtimo aliam hic habere ſignificationem, quam illuſionem & deriſionem, qua Iſmael inſultabat Iſaaco; tum quod eſſet adhuc puerulus: tum quod eſſet minor natu, ac proinde perperam primogenituræ jura ſibi divinitus repromiſſa vindicaret; ad eam enim uſque ætatem pervenerat Iſmael, ut minime ignarus eſſet divinarum benedictionum Iſaaco repromiſſarum, ob quas tanto gaudio efferebantur ejus parentes Abrahamus, & Sara. Quam promiſſionem & ſpem, cum ludo faceret Iſmael; merito in ipſum tantopere excanduit Sara, ut juberet eum ſua cum matre e domo eiici. Nihil enim ſancto cordi acerbius eſt, quam Dei gratiam deſpectui, & ſubſannationi expoſitam videre.

Hinc eſt quod S. Paulus ad Galatas 4. v. 29. hanc irriſionem appellat perſecutionem: *Quomodo*, inquit, *tunc is qui ſecundum carnem natus fuerat, perſequebatur eum, qui ſecundum ſpiritum; ita & nunc.* Unde conſtat malitioſam fuiſſe, & Sarcaſticam irriſionem, quæ non ſine ratione *perſecutio* dicitur: cum enim ex odio & contemptu proficiſcatur, homicidii ſpecies eſt, ita docente Chriſto D. Matth. 5. v. 22. *Qui dixerit fratri ſuo raca, reus erit concilio:* ubi per *raca*, intelliguntur omnia ſigna quæ contemptum innuunt.

Addunt Hebræi, referente S. Hieronymo in Traditionibus Hebraicis, Iſmaelem cum Iſaaco ludentem idola feciſſe, quinetiam, ut illa coleret, eum impuliſſe; nec non & obſcæna quædam verba per ludum & jocum protuliſſe.

At utut ſit, certum eſt Saram in Iſmaelem plurimum fuiſſe commotam & exacerbatam quippe quæ maritum ſuum iracundia adhuc abrepta conveniens, dixerit: *Eiice ancillam hanc, & filium eius: non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac.* Unde

QUÆRITUR III.

Utrum verbis illis rationem & modum non exceſſerit Sara.

ILlam *aliquid humanum paſſam* iſta in commotione dicit S. Chryſoſtomus, & *Ægre tuliſſe parem filiorum honorem.* Durum etiam & æquitati minus conſentaneum videtur ejus poſtulatum. I. Quia Iſmaelis, qui Abrahami legitimus erat filius, potuiſſet aliter coerceri petulantia, cum præſertim in ea adhuc verſaretur ætate, quæ correctione poſſet emendari. II. Etſi reus eſſet filius, non videtur propterea juſte cum eo puniendam eſſe matrem, quæ ab ea culpa erat immunis. III. Cum conjugium Agaræ cum Abrahamo ini-

tum

tum fuiſſet ipſius Saræ conſenſu, non debuit hæc abſque graviſſimis cauſis illius vinculi diſſolutionem expetere. IV. Alia via imponi poterat, ne Iſmael etiam in paterna domo exiſtens, involaret in hæreditatem, ſi nempe id caveretur teſtamento, ut hæreditas integra penes Iſaacum conſiſteret; Iſmaeli dumtaxat conceſſis aliquibus muneribus; quemadmodum inter Iſaacum ipſum & ſuſceptos ex Cethura filios, Abrahamus ipſe deinde diſpoſuit.

Hæcquidem cum aliqua probabilitatis ſpecie poſſent obiici, niſi his occurriſſet Deus approbando Saræ poſtulatum, & dicendo Abrahæ: *Non tibi videatur aſperum ſuper puero, & ſuper ancilla tua; omnia quæ dixerit tibi Sara audi vocem ejus*. Quibus verbis ſignificat nonniſi legitima de cauſa Iſmaelem una cum matre ſua paterna domo eſſe eiiciendos, ne diutius in ea permanentes cauſæ eſſent rixarum, & contentionum. Enim ad Agar quod ſpectat, veriſimile eſt illam filii petulantiæ anſam præbuiſſe eique addidiſſe animos ut majora auderet: quamobrem conveniens erat, ut unam cum filio recederet, quæ aliunde nonniſi ægre tuliſſet ſe ab eo avelli. Etſi vero hæc abſceſſit, non propterea matrimonii vinculum ipſam inter & Abrahamum fuit diſſolutum; licet quoad contubernium & convictum facta ſit inter eos ſeparatio.

At, inquies, ſi hæc ex Dei ordinatione geſta ſunt, quomodo Abrahamus, cum eſſet Propheta, non intellexit petitionem Saræ de eiiciendo Iſmaele cum ejus matre, fuiſſe a Deo inſpiratam?

Reſpondeo I. Non ſemper Prophetis præſto fuiſſe ſpiritum prophetiæ quotieſcumque optarent, vel ad ſuam, vel ad aliorum utilitatem eo uti; ut conſtat ex 1. Reg. cap. 14. v. 37. &c.

Reſpondeo II. Cum S. Auguſtino, ex divina quidem inſpiratione, quam etiam Abrahamus poſtmodum agnovit verba illa fuiſſe prolata a Sara. Cum enim propter hanc uxoris petitionem in partes ſcinderetur ejus animus, cogitaretque non præjudicare divinis promiſſionibus in Iſaaco factis, ſi domi maneret Iſmael cum matre ſua; & utrumque filium in eadem familia poſſe vivere ſine præjudicio juris cujuſque; cenſuit hac de re Deum eſſe conſulendum; qui cum ei reſpondiſſet ſtandum eſſe judicio & petitioni uxoris ſuæ, ſtatim aſſenſus eſt: addit enim Moſes: *Surrexit itaque Abraham mane, tollens panem & utrem aquæ impoſuit ſcapulæ ejus Agaræ, tradiditque puerum, & dimiſit eam.*

Citra dubium eſt Abrahamum accepto hoc divino reſponſo variis curis tota nocte æſtuaviſſe, & ſecum varie luctatum, ingentes perpeſſum eſſe cruciatus. Deus tamen illius angorem animi delinire dignatus eſt, innovando jam factam ſponſionem, quod ambo illius filii futuri eſſent patres numeroſiſſimæ poſteritatis: Iſaac quidem populi Iſraelitici; Iſmael vero plurium nationum, quæ ex ipſo erant oriundæ; quinetiam Reges & Principes inter nepotes eſſet habiturus.

His confirmatus & excitatus divinis promiſſis, ſurgit ſummo mane, & advocatis Agaræ & Iſmaeli exitum denuntiat; lagenam aquæ & panem Agaræ humeris imponit, eiſque valedicit.

QUÆRITUR IV.

Cur Abrahamus plurimis auctus divitiis, tam tenui viatico uxorem & filium inſtruxerit.

EXiſtimant aliqui cum Cajetano ab Abrahamo copioſiſſime proviſum fuiſſe, tam uxori, quam filio de neceſſariis ad victum, & veſtitum, onerariis ad utrumque plurimis jumentis, additis pariter famulis & ancillis, quorum curam & regimen Agaræ commiſit: cum vero meminiſſe tantum *panis* & *aquæ*, locutione metaphorica, ut ſignificaret nihil eis contuliſſe ad pompam & magnificum apparatum; ſed tantum providiſſe de neceſſariis.

Verum cum Moſes hæc hiſtorice, non autem oratorio modo recenſeat, ejus verba, ut ſonant, & in propria ac litterali ſignificatione ſunt accipienda; idque maxime confirmatur ex eo quod ſubiicitur, Agaræ fuiſſe *utrem aquæ*, qua ſuum potabat filium donec defeciſſet; *Cumque conſumpta eſſet aqua in utre, abjecit puerum ſubter unam arborum quæ ibi erant &c.* Nihil ergo ad potum habebat aliud, quam aquam, nec ad cibum, quam acceptum panem.

Quod autem tam modico viatico eos donare voluerit Abrahamus, omiſſis aliorum conjecturis, id tribuendum puto paterno Abrahami affectui quo cenſuit modico viatico onerandos, ut non procul a domo conſiſterent, ut quibus eſſet opus, officiis eos juvaret. *Deinde* illius pronitati ad obediendum Deo, nam ut divinum impleret mandatum, voluit quamprimum Iſmaelem & Agaram ſubducere Saræ oculis, nec moras nectere in parandis omnibus ad migrationem neceſſariis: aliunde ratus Iſmaelem & Agaram divinæ providentiæ eſſe commendatos & Deum de utroque curam & ſollicitudinem habiturum.

Quæ eſt etiam Theodoreti ſententia, ſcribit enim: „ Etſi Abraham, *inquit*, valde diligeret Iſmaelem; prompte tamen & alacriter facit quod Deus præceperat: adeoque divinis de Iſmaele promiſſis credidit, „ ut non datis illi ſervis, vel ancillis, non „ auro vel argento; ſed cum ſola matre, „ paucisque panibus, & utre aquæ, domo „ amandaverit. Nimirum certus erat, haud „ dubie præſtiturum Deum, quod de puero promiſerat, facturum ſe eum in gen-

„ tem

„ tem magnam. Quocirca cum in ſolitudi-
„ ne puer ſit vexatus, aquam deſideraret,
„ miſſus a Deo Angelus, puteum aquæ po-
„ tabilis oſtendit.

Abierunt ergo Agar, & Iſmael in deſertum, quod poſtmodum vocatum eſt *Berſabee*, occaſione fœderis inter Abimelechum & Abrahamum initi: Cumque per aliquot dies in ea ſolitudine erraſſent, aqua defecis in utre. Unde cum Iſmaelem puerum graviſſima ſiti confectum ac pœne deficientem aſpexiſſet Agar, tota in lachrymas effuſa, dimiſit eum ſubter arborem, ut ſaltem umbra ejus tegeretur; & inde ſe præripiens, ejulando ait: *Non videbo morientem puerum*.

Cum autem illa ſolveretur in clamores & gemitus, Deus utriuſque miſertus, maxime vero gementis & animam pœne exhalantis filii, miſit Angelum, qui & fontem proximum oſtendit, unde ſitim ſuam poſſent reſtinguere; & inſuper Dei nomine, Agaræ denuntiavit, puerum illum futurum aliquando patrem numeroſiſſimæ familiæ.

Sunt qui exiſtimant fontem illum e repente divinitus emerſiſſe: At cum Moſes dicat: *Aperuit oculos Agaræ Deus, quæ videns puteum &c.* Manifeſtum fit puteum illum ſeu fontem præextitiſſe; ſed Agara mœrore confecta & attonita, quod præ oculis habebat, non deprehenſum. Ita hæc exponit S. Chryſoſtomus: „ Aperuit oculos
„ ejus, *inquit*, id eſt, indicavit ei ignoranti
„ & mentem ejus excitavit, viamque ei o-
„ ſtendit, ut videret locum in quo fontes a-
„ quæ ſcaturiebant, *Et vidit*, inquit, *fon-*
„ *tem aquæ viventis, ut ivit & implevit*
„ *utrem, & potavit puerum*. In inviis viam
„ præivit, & perplexæ menti, nullamque
„ ſalutis ſpem habenti ſuam liberalitatem
„ exhibuit, ſimul eam conſolans, & pueri
„ curam agens. Sic quandocumque voluerit
„ Deus, licet in ſolitudine ſimus, & in ex-
„ tremis afflictionibus, nullamque ſpem ſa-
„ lutis habeamus, nullo alio opus habebi-
„ mus, divino auxilio nobis omnia ſuppe-
„ ditante.

Hic etiam obſervandum eſt quod ubi nos ſua gubernatione deſtituit, ſuamque gratiam ſubmovit Deus; ſubſidiis omnibus, etiam quæ ad manum ſuppetunt, non ſecus nos privari, quam ſi procul remota eſſent. Itaque rogandus eſt, non tantum ut nobis largiatur quæ nobis uſui ſunt: ſed ut ſimul eiſdem utendi prudentiam conferat: alioqui clauſis oculis ſiti tabeſcere inter medios fontes continget.

QUÆRITUR V.

Quænam deinde fuerit Iſmaelis ſors, quæ occupatio, qui mores.

EXponit iſta Moſes his verbis: *Crevit, & moratus eſt in ſolitudine; factuſque eſt juvenis ſagittarius. Habitavitque in deſerto Pharan; & accepit illi mater ſua uxorem de terra Ægypti.* Quibus verbis tria ſignificantur. I. Iſmaelis cum duta Agara matre deſertis in locis vita duta peneque Sylveſtris ad virilem uſque ætatem; non procul ab ea regione quam incolebat Abrahamus.

II. Ab eodem ducta uxor Ægyptia, id ſuadente & procurante matre, quæ origine pariter erat Ægyptia; ex quo apparet Iſmaeli nullum amplius fuiſſe cum Abrahamo patre commercium; neque enim hic piiſſimus vir, unius veri Dei cultui religioſiſſime deditus, paſſus eſſet a filio ſuo uxorem aſſumi ex Gente quæ Dæmonum cultui eſſet imprimis dedita; ut conjicere licet ex ea adjuratione, qua domui ſuæ præpoſitum obſtrinxit, ne filio ſuo Iſaac uxorem acciperet de filiabus Chananæorum, ſeu poſterorum Cham, & Chanaan, ex quibus erant Ægyptii: ſed ex cognatione ſua, ut refert Moſes *cap.* 24.

III. Iſmaelis exercitium in deſerto & mores deſcribit Moſes, dicendo eum fuiſſe *ſagittarium*, hoc eſt, venationi imprimis deditum; unde ſibi & matri victum comparabat. Quinetiam R. Raſi addit; traditionem eſſe Hebræorum, Iſmaelem in deſerto latrocinando victum quæſiviſſe, quamobrem dictus eſt *ſagittarius*, hoc eſt, crudelis cunctiſque infenſus: quo ſenſu exponitur oraculum Angeli Agaræ de filio quem utero geſtabat prænuntiantis: *Hic erit ferus homo; manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum.*

His ſubjicit Moſes Abrahamum poſt receſſum Iſmaelis, abiiſſe ex regione Geraræ in ſolitudinem Berſabee, ubi ipſum convenerunt Rex Abimelech, & Phicol Princeps militiæ ejus, inituri cum eo fœdus; ut tam inter ſe, quam ſuos inter poſteros mutua eſſet & pacifica confœderatio. Juratum ab utriſque: & ideirco initi fœderis locus dictus eſt *Berſabee*: „ Duplex autem cauſa eſt (inquit
„ S. Hieronymus in quæſt. Hebraicis) cur
„ ita appellatus ſit: ſive quia ſeptem agnas
„ Abimelech de manu Abrahæ acceperit;
„ ſeptem enim dicuntur *Sabee*. Sive quod
„ ibi juraverint, quia & juramentum, *Sabee*
„ ſimiliter appellatur. Quod ſi ante hanc
„ cauſam, ſupra nomen hoc legimus, ſcia-
„ mus per prolepſin (hoc eſt anticipationem)
„ dictum eſſe; ſicut & *Bethl*, & *Galgala*:
„ quæ utique uſque ad tempus quo ita ap-
„ pellatæ ſunt, aliter vocabantur.

Abrahamus itaque pacto inito cum Abimelecho comparavit ibi terræ agellum, ut tandem poſt exactos in aſſidua peregrinatione labores, aliqua ſtabili manſione quieſceret. In eo autem loco *plantavit nemus, & invocavit nomen Dei altiſſimi*.

QUÆRITUR VI.

Quem in finem nemus ibi plantaverit Abrahamus.

TRadunt Hebræi in Thargo Jeroſolymitano ideo hortum inſtructum arboribus fructiferis conſitum ab Abrahamo, ut peregrinis eſſet in umbraculum & refrigerium; utque eos hoſpitio ſuſcipiens, optimis fructibus recrearet, nihil aliud exigens pro pretio, niſi ut Conditorem, Rectoremque cœli & terræ agnoſcerent, & colerent; cujus bonis & donis fuiſſent refecti: ut hac urbanitate & beneficentia eos unius veri Dei cultum edoceret, & ad melioris vitæ inſtituta adhortaretur.

Veroſimilius exiſtimant alii Interpretes ab Abrahamo nemus hoc plantatum eſſe, non modo commodioris amænioriſque habitationis gratia, verum etiam ut eſſet locus divino cultui ſacratus, ad quem ipſe Abrahamus ſua cum univerſa familia ſtatutis horis, & diebus, conveniret ad divinas laudes celebrandas, offerendaque ſacrificia: & in quem ipſe res divinas meditaturus, quieto atque tranquillo animo frequenter accederet. Unde nemus illud erat tam ipſi Abrahæ, quam ejus domeſticis velut oratorium, & templum: idcirco dicitur ibi *invocaſſe nomen Domini Dei æterni*.

Ejus fortaſſis exemplo inanium Deorum cultores ſacra omnia, dæmonum inſtinctu pervertentes, cœperunt in ſylvis, ſubque umbriferis arboribus idola ſua locare & venerari; priuſquam publica ipſis conſtruxiſſent templa; nam ait Plinius: Hæc fuere quon„dam Numinum templa: priſcoque ritu, „ſimplicia rura: etiam nunc Deo præcel„lentem arborem dicant: nec magis auro „fulgentia atque ebore ſimulacra, quam lu„cos, & in iis ſilentia ipſa adoramus. Ar„borum genera, numinibus ſuis dicata, per„petuo ſervantur, ut *Jovi* Eſculus, *Apol„lini* Laurus, *Minervæ* Olea, *Veneri* Myr„tus, *Herculi* Populus: quin & ſylvanos „faunoſque, & dearum genera ſylvis, ac „ſua numina non ſecus ac cœlo attributa „credimus. *Sic Plinius delirans*.

Eadem paucioribus verbis deſcribit Seneca: *Si*, inquit, *tibi occurrit vetuſtis arboribus, & ſolitum altitudinem egreſſis, frequens lucus, & conſpectum Cœli denſitate ramorum aliorum alios protegentium ſubmovens; illa proceritas ſylvæ, & ſecretum loci, & admiratio umbræ, in aperta tam denſæ atque continuæ, fidem tibi Numinis facit*.

His concinit Tacitus, lib. de moribus Germanorum, ubi inter cætera ſcribit: Cæte„rum nec cohibere parietibus Deos, nec in „ullam humani oris ſpeciem aſſimilare, ex „magnitudine cœleſtium arbitrantur. Lu„cos ac nemora conſecrant, Deorumque „nominibus appellant ſecretum illud, quod „ſola reverentia vident.

Quoniam autem ſolebant Gentiles circa numinum ſuorum templa lucos & arbores conſerere: Inde Strabo lib. 9. ſcribit: *Poeta propter conſitarum arborum juxta templa perpetuam conſuetudinem ornandi gratia, omnia templa lucos appellant, etiam arboribus carentia*.

Notat etiam Servius, manes & heroum animas, qui lares vitales dicebantur, lucos tenere. Unde illæ apud Virgilium, *lib. 6. Æneidos*, aiunt:

Nullis certa domus, lucis habitamus opacis.

Ipſi concinit Lucanus, qui veteres Maſſilienſium ritus deſcribens, lib. 3. Pharſaliæ canit:

Lucus erat longo nunquam viduatus ab ævo,
Obſcurum cingens connexis aera ramis,
Et gelidas alte ſummotis ſolibus umbras.
Hunc non ruricolæ Panes, nemorumque potentes
Sylvani, Nymphæque tenent, ſed barbara ritu
Sacra Deum, ſtructæ ſacris feralibus aræ,
Omnis & humanis luſtrata cruoribus arbor....
Arboribus ſuus horror ineſt. Tum plurima nigris
Fontibus unda cadit: Simulacraque Mœſta Deorum
Arte carent, Cæſiſque extant immania truncis.

Idem lib. 1. de Druidis Gallis ſcribit:

Et vos barbaricos ritus, memoremque ſiniſtrum
Sacrorum Druidæ poſitis repetiſtis ab armis.
Solis noſſe Deos, & Cœli numina vobis,
Aut ſolis neſcire datum; nemora alta rematis
Incolitis ſuis &c.

Hinc Plinius Druidas exiſtimat dictos ἀπὸ τῆς δρυὸς a quercetis inhabitatis, & cultis. Solebant enim Druidæ ſingulis annis querci viſcum inquirere, & tametſi ex palumbarum & turdorum fœce natum, e cœlo miſſum pignus putantes, religioſo cultu inventum ſcindere aurea falce; tum demum immolare humanas victimas precantes, ut ſuum donum Dii proſperum iis facerent, quibus dediſſent.

Neque vero exiſtimes ſolos Occidentales & craſſioris genii tunc populos hac agreſti religione dementatos: eadem enim etiam infatuati erant Orientales, præſertim vero Chananæi, qui lucos pariter, templorum loco plantabant, in eis ſuoſque fictitios & inanes Deos colebant. Quamobrem Deus *Deuteronomii*, *cap.* 12. Iſraelitis præcipiens ut

ut ex terra, quam eis daturus erat in poſſeſſionem, exterminarent omnem idolorum cultum, inter cætera ait: *Subvertite omnia loca, in quibus coluerunt Gentes, quas poſſeſſuri eſtis, Deos ſuos ſuper montes excelſos, & colles, & ſubter omne lignum frondoſum. Diſſipate aras earum, confringite ſtatuas, lucos igne comburite, & idola comminuite: diſperdite nomina earum de locis illis. Vos autem non ita facietis Domino Deo veſtro:* Quamobrem cap. 16. diſtricte prohibet Iſraelitico populo: *Non plantabis lucum, & omnem arborem juxta altare Domini Dei tui.* Hinc Ahias Propheta prænuntiat Iſraelitis a Jeroboamo ad nefarium idolorum cultum concitatis, eorum in captivitatem abductionem, *quia fecerunt ſibi lucos, ut irritarent Dominum:* & Jeremias cap. 2. eidem Iſraeliticæ Genti exprobrans idololatriam, v. 20. ait: *In omni colle ſublimi, & ſub omni ligno frondoſo, tu proſternebaris meretrix.*

Eandem ob cauſam his verbis eos objurgat Oſeas: *Super capita montium ſacrificabant, & ſuper colles accendebant thymiama; ſubtus quercum, & populum, & Terebinthum, quia bona erat umbra ejus; ideo fornicabuntur filiæ veſtræ, & ſponſæ veſtræ adulteræ erunt.*

Itaque quoniam religioſus ille ritus ab Abrahamo conſtitutus, Deum in ſylvis & nemoribus colendi agente Dæmone depravatus fuerat; idcirco merito Deus vetuit ſuis cultoribus, ne idololatratum inſtar, divinos ipſi honores in abditis ſylvarum & nemorum impenderent.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XXII.

HOc in capite quatuor complectitur Moſes. I. Explorationem fidei & obedientiæ Abrahami, cui Deus imperavit ut dilectiſſimum filium ſuum Iſaac offerat in holocauſtum. II. Promptum ac religioſum ipſius Abrahami divino mandato parentis obſequium, ſeſeque ad immolationem accingentis. III. Subſtitutionem arietis in locum & vices Iſaaci ad immolationem jam parati. IV. Inſignem Dei Benedictionem.

Primo itaque ait Moſes a Deo tentatum eſſe Abrahamum, eique dictum: *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis: atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper unum montium quem monſtravero tibi.* Mirum fortaſſis videbitur, quod Moſes ſcripſerit a Deo tentatum fuiſſe Abrahamum, cum S. Jacobus, cap. 1. diſerte ſcribat: *Nemo cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur; Deus enim intentator malorum eſt: ipſe autem neminem tentat.*

Verum ſciendum eſt duplex eſſe tentationem genus. ait S. Ambroſius, alterum a Deo, alterum a Diabolo: tentat quidem Diabolus *ut ſubruat;* Deus vero, *ut coronet.* Vel, inquit S. Auguſtinus, ſerm. nunc 11. de tempore: *Deus tentat, ut doceat; Diabolus ut decipiat.*

Quod autem non omnem tentationem ex parte Dei excludere voluerit S. Jacobus, apparet ex eodem capite; nam, v. 2. vult ut fideles pro ſummo gaudio tentationem habeant: *Omne gaudium,* inquit, *exiſtimate fratres mei, cum in varias tentationes incideritis, ſcientes quod probatio fidei veſtræ patientiam operatur.* Et v. 12. addit: *Beatus vir qui ſuffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Quam tentationem exorabat David, Pſalm. 25. v. 2. *Proba me, Domine, & tenta me: ure renes meos & cor meum.* Igitur tentatio divina eſt ad probationem & gloriam; Diabolica vero ad ſubverſionem & ruinam: porro tentatio qua Deus adduxit Abrahamum ad ſerium examen, fuit ut fidei & obedientiæ experimentum in ſuo ſervo caperet. Verum

QUÆRITUR I.

Cur Deus iterum explorare voluerit fidem & obedientiam Abrahami, quam plurimis argumentis ſatis ſuperque jam habebat compertam.

PLurima jam in toto vitæ ſuæ decurſu egregia fidei & obedientiæ argumenta præbuerat Abrahamus; noviesque jam fuerat a Deo tentatus. 1. Cum juſſus eſt exire de patria. 2. Dum fame cogente, compulſus eſt in Ægyptum migrare. 3. Uxor abducta. 4. Bellum cum quatuor Regibus, ut Lothum recuperaret, 5. Saræ infœcunditas ad decrepitam ætatem uſque. 6. Imperatum Circumciſionis vulnus, cum jam ſenex eſſet. 7. Uxor iterum abducta. 8. Expulſio Agaris jam matris. 9. Illius abdicatio cum filio Iſmaele. At nulla acerbior fuit tentatio, quam imperata occiſio proprii filii unigeniti. Quid enim alienum magis ab affectu patris, quam proprium mactare filium? quod utique nobis facillime perſuaſum erit, ſi hujus *divini* mandati ſingula verba paucis expenderimus.

I. Nam-

I. Namque ait Deus: *Tolle filium tuum*, in ætate provecta ac pœne decrepita genitum, ut eſſet baculus ſenectutis, laborum merces, familiæ decus, virtutum æmulus &c. mactare hominem atrox eſt. amicum & proximum, atrocius: at proprium filium, atrociſſimum.

II. *Unigenitum*, quem nullus ea proprie dicta uxore præceſſerit, nullusque ſit ſecuturus: qui proinde unicus eſſe debuerat paternorum bonorum hæres, unicum utriusque parentis ſolatium; quo vivente, futura eſt numeroſiſſima & benedicta poſteritas: at eo moriente, nulla ſpes gignendæ ſobolis affulgebat; ſola ſupererat orbitas luctuoſa. Si primogeniti filii mors eſſe ſolet acerbiſſima, qualis eſſe debuit Abrahæ luctus?

III. *Quem diligis*, non illo ſolum amore a natura inſito, quo parentes filios habere ſolent in deliciis, ſed amore cælitus indito, quo juſtus quiſque vehementiſſima charitate flagrat erga alterum quem ſcit Deo dilectum, & ab ipſo plurimis donatum gratiis. Cum itaque Abrahamus ſciret Iſaacum omni virtutum genere inſtructiſſimum, & a Deo deſtinatum ut eſſet futurus pater non modo numeroſiſſimæ proſapiæ; verum etiam benedicti ſeminis, ſeu Meſſiæ, & Salvatoris mundi ex ejus ſtirpe aliquando oriundi, toto cordis affectu eum proſequebatur, proindeque ingens illi inſſe debebat dolor tam amantiſſimo filio ſe proxime orbatum iri.

IV. *Iſaac*, hoc eſt, *riſus*, & gaudium, omniſque parentum voluptas; quo admonebatur Abrahamus nuſquam ſibi aliquam fore lætitiam: ſed in ingenti mœrore, & animi anguſtiis reliquum vitæ tempus eſſe traducendum.

V. *Vade in terram viſionis*; itinere ſcilicet trium dierum: noluit enim Deus eum ſtatim filii ſui mactatione defungi; ſed cogit toto triduo futuram filii mactationem animo ſuo revolvere, quo gravius torqueretur.

Expendit iſta egregie Origenes, *Homil.* 8. ubi inter alia multa: „ Non ſuffecerat, *inquit*, dixiſſe filium; ſed adjicitur, & chariſſimum. Eſto & hoc, quid adhuc additur? & quem diligis; ſed vide tentationis pondus, caris & dulcibus appellationibus iterum ac ſæpe repetitis, paterni ſuſcitantur affectus; ut amoris evigilante memoria ad immolandum filium paterna dextera retardaretur, & adverſus fidem animi, tota carnis malitia repugnaret &c.... Propterea ergo etiam via injungitur (*& quidem tridui*) & montis aſcenſio, ut in his omnibus ſpatium certaminis accipiat affectus & fides; amor Dei & amor carnis; præſentium gratia, & expectatio futurorum. *Hæ Origenes*. Gravis itaque Abrahamo fuit tentatio unico filio privari: gravior illum ſibi eripi violenta morte: at graviſſima ipſummet patrem filii ſui conſtitui carnificem qui propria manu illum mactaret.

Accedit ad Abrahami obedientiæ commendationem, quod audito hoc divino mandato quantumvis acerbo; attamen nihil excuſat, nihil obmurmurat, nihil obſectat, in tam luctuoſo negotio; ne hiſcit quidem, & pene præcepti novitatem, atque admirabilitatem non admiratur: plurima occurrebant momenta quæ hujus mandati fidem dubiam efficere videbantur. Cogitare namque poterat Abrahamus: Deus prohibet fundere humanum ſanguinem innoxium, igitur ille non eſt qui jubet mactare filium innocentem. *Inſuper* Deus ſibi ipſi contrarius non eſt: at promiſit in Iſaaco multiplicandum ſemen ſicut ſtellas cœli, & per eum futurum illud divinum ſemen in quo benedicendæ ſunt omnes Gentes: Igitur non ille eſt qui Iſaaci jugulationem imperat. Hæc & ſimilia illi venire poterant in mentem, quæ ab implendo hoc mandato illum deterrerent, quod non a Deo, ſed a Dæmone ſuggeſtum videretur. At eximia illius in Deum fides & fiducia, omnia iſta retinacula ſcindunt; & cœleſti illuſtratus lumine, continuo ad obediendum ſe accingit, de nocte conſurgit tacitus, parat quæ ſacrificio erant neceſſaria, addit ad Iſaacum comites duos, ac ſtatim dat ſeſe in viam.

Itaque duplicem ob cauſam hac tentatione voluit Deus explorare Abrahami fidem & obedientiam. I. Ut utramque notam faceret, & immortalem apud poſteros laudem ipſi conciliaret, illæque cederent in aliorum eruditionem & exemplum. II. Ut per propoſitam illam immolationem Iſaac, præfiguraretur illud pietatis ſacramentum, quod Deus Pater in loco proximo unigenitum filium ſuum, hominem factum, vere immolaturus erat aliquando pro humani generis redemptione.

Hanc duplicem cauſam ſic expoſuit Theodoretus. „ Tentavit, *inquit*, Deus Abraham, non ut diſceret ipſe quæ ſciebat; ſed „ ut ignorantes doceret quam juſta de cauſa „ Patriarcham diligeret. Hac de cauſa tres „ dies & totidem noctes amoris divini periculum in eo fecit. Nam Patriarcha medius „ inter naturam conſtitutus & fidem, cum „ utrinque ſtimularetur, fidei dedit palmam „ victoriæ. Deus autem patefaciens ejus pietatem, ſacrificium cohibuit... Verum hæc „ erant umbra diſpenſationis pro nobis factæ. Pater ſiquidem filium dilectum obtulit pro mundo. Iſaac enim typus erat divinitatis, aries autem humanitatis. Tempus autem ipſum æquale, quia tres dies „ & tres noctes & hic & illic.

Stupendum autem hoc, & inſolitum facinus Saræ celat, quam etſi divini numinis amantem noſſet, matrem ſciebat, quæ tam dilectum filium ſine lachrymis ad victimam non dimiſiſſet. Pergunt itaque itinere trium dierum, ut per prolixum hoc ſpatium, curis recurſantibus, viſcera paterna cruciarentur; utque filium dilectiſſimum Pater diu aſpiceret, cum eo veſceretur, & tot noctibus filii amplexibus implicitus imminentis orbitatis dolorem acrius ſentiret.

Tandem perveniunt ad montem Moria, locum a Deo idcirco huic ſacrificio deſignatum, quod ibi Templum aliquando conſtruendum, & ſuo cultui dedicandum ſelegiſſet. Legimus enim lib. 2. Paralipomenon cap. 3.

Cæpit Salomon ædificare domum Domini in Jeruſalem, in monte Moria: qui potiſſimum dictus eſt *terra viſionis*, quod cæteris illius regionis montibus emineret, unde Septuaginta vertunt εἰς τὴν γῆν τὴν ὑψηλὴν terram excelſam. Tametſi enim Jeruſalem ædificata eſſet in loco eminentiſſimo, adeo ut undequaque in eam urbem aſcenderetur, unde Chriſtus Dominus, Matth. 20. v. 18. diſcipulos alloquens, aiebat: *Ecce aſcendimus Jeroſolymam &c.* Attamen templum in loco erat aliis eminentiori.

Totus autem ille mons in plures colles, vallium interjectu diſtributus, varia ſortitus eſt nomina: nam qui meridiem reſpicit, dictus eſt *Sion*: qui occaſum, *Golgotha*, ſive *Calvaria*; qui ortum, *Moria*, communi totius loci nomine; qui Septemtrionem, *Acra*, ut obſervat Vilalpandus in deſcriptione Terræ Sanctæ, quidam Moria dictum putant ab aromatibus aloe, cinnamomo, & præſertim mirrha quæ tunc ibi creſcebant, atque de illo dictum putant, Cantic. 4. *Ibo ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.*

Priuſquam hunc montem aſcenderet Abrahamus, ſervos ſubſiſtere jubet ad illius radices cum aſino, ſpondens ſe peracto ſacrificio cum filio reverſurum: *Expectate*, inquit, *hic cum aſino: ego & puer illuc uſque properantes, poſtquam adoraverimus, revertemur ad vos.*

QUÆRITUR II.

Utrum Abrahamus iſta proferendo non fuerit mentitus.

MUltiplex eſt ea de re Auctorum ſententia. *Prima* quidem S. Chryſoſtomi, & S. Ambroſii dicentium ab Abrahamo hæc fuiſſe prolata ſpiritu prophetico, quamvis inſcius eſſet de futuro eventu. *Altera*, S. Auguſtini ſermone qui primus eſt de immolatione Iſaac, ubi dicit ipſum Abrahamum crediſiſſe a Deo ſuſcitandum Iſaacum, ſeque proinde cum eo reverſurum. Idque docere videtur Apoſtolus ad Rom. 4. v. 17. cum de Abrahamo ait ipſum crediſiſſe Deo *qui vivificat mortuos.*

Verum etſi talis fuerit Abrahamo fides, non apparet unde ſciverit Iſaacum reſuſcitandum ſtatim atque fuiſſet immolatus, ut cum eo poſſet ad ſervos redire. Adde quod hæc expoſitio nonnihil videatur detrahere gloriæ & merito fidei, ac obedientiæ ipſius Abrahæ: ſi enim certo crediſiſſet Iſaacum ſtatim atque jugulatus fuiſſet, eſſe vitæ reſtituendum; inde non videretur plurimum celebranda ipſius erga Deum obedientia.

Tertio. Cenſent aliqui hæc verba, *revertemur ad vos*, eſſe dicta per *prolepſin* ſive *Enallagen* numeri, qua plerumque in Scriptura, pluribus tribuitur quod uni duntaxat convenit. Sic *Joann.* 12. 4. querela ſolius Judæ adverſus Magdalenam effundentem unguentum ad Chriſti Domini pedes; *Matth.* c. 26. v. 8. & *S. Marc.* cap. 14. v. 3. cæteris Apoſtolis tribuitur; aiunt enim: *Videntes autem diſcipuli, indignati ſunt dicentes: ut quid perditio hæc &c.* Potuit ergo, inquiunt, Abrahamus dicere in plurali, *revertemur ad vos*; tametſi crederet ſe ſolum eſſe reverſurum, ne ſerius proderet myſterium, quod non erat detegendum.

Exiſtimarem ego Abrahæ verbis contineri ſeriam promiſſionem de ſuo, ſuique filii reditu: quacumque ratione Deus id efficeret: ſive filium ſub cultro, & in igne vivum ſervaret: ſive ſtatim mortuum revocaret in vitam. Cum enim ſæpius iteratam haberet Dei, mentiri & fallere neſcientis, promiſſionem de ſuo multiplicando ſemine per Iſaacum; totum ex corde ſe commiſit divinæ providentiæ; atque, veluti clauſis oculis, in divinam potentiam & veracitatem recumbens, ad executionem divini mandati, ſecurus perrexit, de reditu quomodocumque futuro nullatenus dubitans.

His itaque dictis, *Abrahamus tulit ligna holocauſti, & impoſuit ſuper Iſaac filium ſuum: ipſe vero portabat in manibus ignem & gladium. Cumque duo pergerent ſimul, dixit Iſaac patri ſuo: Pater mi, ecce ignis & ligna, ubi eſt victima holocauſti?* „ Conſidera, inquit „ S. Chryſoſtomus, quo modo probatur juſtus? Quomodo tulit auribus? Quomodo „ potuit reſpondere puero? *Deus providebit victimam holocauſti, fili mi.* Pergit „ Moſes. *Venerunt ergo ad locum quem oſtenderat ei Deus, in quo ædificavit altare, & deſuper ligna compoſuit; cumque alligaſſet Iſaac filium ſuum, poſuit ſuper ſtruem lignorum.* Hæc verba egregie expendens Auctor ſermonum ſub nomine S. Zenonis Epiſcopi, inter cætera ait: „ Lætatur pater, filio quoque gaudente; & cum gaudio, unici pignoris illigat manus, quas ille viencndas „ libentius offert. Pedes quoque conſtringit; „ ne in exitu mortis, concitata victima calcitraret .... Quid eſt pater? ecce ſub oculis jacet filius vinculis adſtrictus: ubi ſunt „ lacrymæ? ubi dolor qui in humanis ſenſibus verſari conſuevit? In tantis filii caſibus lætatur, & gaudet: & ſe Dominum „ promeruiſſe triumphat.

Addit ſermone 2. „ Dominum filio, ſacerdotem prætulit patri; nec enim ſe credidit, niſi probaſſet fidelem &c.

Adiicit Moſes Deum per Angelum clamaſſe Abrahamo: *Ne extendas manum tuam ſuper puerum, neque facias illi quidquam: nunc cognovi quod times Deum.* Ad quæ verba S. Chryſoſtomus ait: „ Quid igitur: Ignorabatne ante hoc juſti virtutem? Et nunc „ cognovi omnium Dominus? Non hoc, inquit, dicens: Nunc ipſe cognovi; ſed nunc, „ inquit, omnibus declaraſti, quomodo ſincero timore Deum colas. Nam ego noveram famulum meum: quæ autem nunc „ a te facta ſunt, in doctrinam ſunt tam „ præſentibus, quam futuris. Notum enim „ ſe-

„ feciſti nunc omnibus quod timeas Deum, „ & mandata ejus opere cures implere: quia „ non pepercisti filio tuo dilecto propter me.

Inſignoe hoc Abrahami fidei & obſervantiæ argumentum quam gratum habuerit Deus, aperte teſtatus eſt, ampliſſima illa benedictione, qua illum cumulavit. Hæc autem eſt ſeptima Dei benedictio erga Abrahamum. 1. Enim fuit cum egrederetur ex patria. 2. Poſt ſeparationem Loth. 3. Poſt victoriam ex Regibus. 4. Cum circumcideretur. 5. In convivio quo Angelos excepit. 6. Poſt ejectionem Iſmaelis: hæc vero 7. Poſt paratam immolationem, quæ cæteris amplior addita eſt, *Tum* ut Abrahami fides totius jam firmata, nunc tandem hac iterata promiſſione, conſtantiſſima fiat: *Tum* ut Iſaac qui ejuſmodi promiſſiones divinitus factas nondum audierat, niſi forte a patre, iam de eis cœlitus ſit perſuaſus: *Tum* denique ut præcedentes Abrahamo factæ divinitus promiſſiones & benedictiones hae cæteris ampliori firmarentur.

Neque enim ſolum hic promittitur ſeminis multiplicatio ſecundum multitudinem ſtellarum, & pulverem terræ, aut arenam maris, ſed inſuper adiicitur: *Poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum tuorum & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ.* Quibus verbis præſignatur 1. Abrahamitas triumphaturos eſſe de ſuis hoſtibus; nam *poſſidere portas*, phraſi hebraica eſt imperare, dominari, vincere & expugnare: in portis enim erant urbium propugnacula, & in eis ſolebant veteres judicia exercere, & leges ferre. Inſuper antea quidem dictum fuerat Abrahamo *cap.* 12. & 18. *Benedicentur in te omnes Gentes;* hic vero diſtinctius declaratur, non in perſona ipſius Abrahami; ſed in eius poſteris per Chriſtum ex illius ſemine oriundum, benedicendas eſſe omnes Gentes.

Dum Abrahamus vultu retorto in Angelum clamantem erigitur, en ob oculos implicitum vepreto cornibus arietem conſpicit, quem prehenſum, loco filii Domino immolat: quo præfigurabatur Chriſtum Dominum ſpinis coronatum aliquando pro humani generis ſalute in ligno crucis immolandum.

QUÆRITUR III.

Utrum aliquo Ethnicorum exemplo inductus fuerit Abrahamus, ut filium ſuum immolaret.

HOc inſinuare videtur Marshamus in Chronico ad ſæculum quintum pag. 77. Ubi cum dixiſſet: *Oblatio Iſaaci mirum fuit fidei experimentum & ab humana ratione alienum; ſive mandatum ſpectemus; ſive obedientiam*; addit: *Non tamen novum & Abrahamo inauditum fuit hujuſmodi ſacrificium.* Idque a ſe probari putat auctoritate Philonis Judæi qui libro de Abrahamo pag. 294. ſcribit: *Quid attinet illum* (Abrahamum) *laudare tanquam novi facinoris auctorem, quod & privati & Reges, & Gentes integræ ex occaſione faciunt?* Unde concluuit Marshamus: *Feralis iſte ſacrificandi ritus, Abrahami temporibus vetuſtior erat.* In cujus rei probationem ex Euſebii lib. 1. de Præpar. Evangel. cap. 10. producit Philonem Biblium qui ex Sanchuniathone in Phœnicum hiſtoria, refert a Saturno, ut graſſantem peſtilentiam averteret, filium ſuum unigenitum cœlo patri in holocauſtum fuiſſe immolatum. Quam autem frequens fuerit apud veteres hominum immolandorum conſuetudo, non ſolum ex Philone Biblio: ſed & ex Porphyrio, & Clemente Aleyandrino declarat ibidem *lib* 4. *cap.* 10. Unde Marshamus videtur colligere, hanc Iſaaci ab Abrahamo patre immolationem, ad priſtinos Gentilium præſertim Chananæorum mores eſſe referendam.

Verum ipſe Philo Judæus, ipſum aperte refellit. Cum enim dixiſſet, Gentiles a Dæmone dementatos, filiorum ſuorum Diis immolatores fuiſſe, vel ut mala arcerent; vel invitos & ad id coactos a potentioribus; vel cupidine gloriæ illectos; vel ex inveterata conſuetudine: Demonſtrat deinde Abrahamum nullo ex his motivis inductum eſſe ut filium ſuum immolaret, ſed tantum ut Deo præcipienti pareret. *Cum enim*, inquit, *nulla conſuetudo eſſet in illa regione (ſicut forraſſe apud quoſdam immolandi liberos) ipſe primus auctor futurus erat novi & inuſitati exempli.* Fallitur ergo quiſquis Abrahamum ex Gentilium conſuetudine fingit inductum, ut filium ſuum immolare voluerit.

Tantum enim abeſt ut ad id Abrahamus fuerit motus Gentilium exemplis; quinimo ea conſuetudo homines immolandi, longe eſt ipſo recentior: quin etiam illa quæ de Saturno filium ſuum ex legitima uxore unigenitum immolante, atque ſibi verenda præſcindente narrat Philo Biblius, ipſiſſima eſt Abrahami hiſtoria filium ſuum unigenitum ex Sara immolantis, & virilia circumcidentis; ſed variis Ethnicorum figmentis interpolata.

Idque multa evincunt. Primo namque Saturnus iſte a Sanchuniathone memoratus qui filium ſuum unigenitum in holocauſtum offert, dicitur etiam pudenda ſibi circumcidiſſe, & commilitones ſuos, ut idem præſtarent, adegiſſe; quod utique Abrahamo convenit. *Deinde* Saturnum illum a Phœnicibus *Iſraelem* dictum eſſe codices Euſebiani habent; ubi Abrahamus confunditur cum Jacobo, ut ſacra permiſcere ſolent Ethnici, Reponit quidem Marshamus [a] Voſſium ſecurus pro Iſraele *Ilum* legi, qui alibi apud Sanchuniathonem Saturnus nominatur *Ilus*. At vox *Ilus* videtur derivari ex *El* ſeu *Elohim*, id eſt, Deus, quo nomine illuſtrabatur Abrahamus a Phœnicibus ſeu Chananæis; quod ut refertur *Geneſ.* 23. *v.* 6. Filii

[a] *Lib.* 1. *de Idolol. cap.* 18.

lii Heth Abrahamo dixerint: *Princeps Dei es apud nos*. Nec mirum quod ex *principe Dei*, fabuloſa poſteritas principem Deum fecerit.

Tertio, filius hujus Saturni a Sanchuniathone dictus fuit *Jeud*, quod Phœnicum lingua *unigenitum* ſonat, quo nomine deſignatur Iſaacus Geneſ. 22. v. 2.

Quarto, hic unigenitus dicitur natus ex *Nympha*, quod convenit Saræ eximiæ pulchritudinis fœminæ. Inſuper Nympha illa a Sanchuniathone memorata dicitur *Anobret*, id eſt, Hebraice *ex gratia concipiens*, quod apprime quadrat in Saram, quæ nonniſi divinitus conceſſa fœcunditate filium peperit. Itaque ex his manifeſtum fit, ea omnia quæ ſub Saturni nomine fabuloſe a Sanchuniathone narrantur ex interpolata Abrahami hiſtoria eſſe deſumpta, uti etiam cenſuerunt Scaliger, Seldenus, Bochartus, Grotius, qui dicit Abrahamum idcirco dictum fuiſſe Saturnum ab Ethnicis, quod ejus poſteri die ſabbati feriabantur.

At, inquit Marshamus, *Jeud* Saturni filius, vere mactatus eſt: non item Iſaac.

Reſpondent prænominati auctores, Diabolum idcirco credi voluiſſe Iſaacum revera fuiſſe mactatum; ut ea illo exemplo. Gentiles a ſe deluſos induceret ad mactandos filios ſuos falſis numinibus.

DISQUISITIONES IN CAPUT XXIII.

TRia ſunt hoc in capite ſpectanda. I. Mors Saræ. II. Abrahæ planctus. III. Acta ad ejus ſepulturam. Ad primum quod ſpectat, cum Sara fidelium mater nata eſſet 127. annos, poſt tot peregrinationes, totque calamitates, ac varias ſortes una cum Abrahamo conjuge perpeſſas; tandem Hebrone, ubi aliquandiu habitaverat, e vivis exceſſit. Cujus obitum cum audiſſet Abrahamus in alio tabernaculo non procul ab ea degens, cum numeroſo ſervorum & ancillarum cœtu *venit ut eam fleret, atque plangeret*.

QUÆRITUR I.

An legitimus fuerit ille fletus & planctus.

MIrabitur fortaſſe quiſpiam, qua ratione Abrahamus vir aliunde conſtantiſſimus, qui tot in ingruentibus periculis nuſquam animum deſponderat, quique ſui in unigeniti filii mactatione nullas emiſerat lachrymas, ſuſpiria nulla; in annoſæ, ſibique jam inutilis conjugis orbitate, ſic animum deiiciat, ut ſolvatur in gemitus & planctus.

At mirari deſinet, dum cogitaverit, quam fervens fuerit utriuſque conjugis amor, quam ſtrictum inter utrumque conjugale vinculum, nonniſi ſumma vi, ingentique dolore ſolvendum.

Accedunt ad mœroris fomentum, innumera ipſius Saræ erga maritum ſingularis obſervantiæ argumenta: „ Illa namque (ait „ Philo) relicta ſua cognatione, peregrina„ tionis fuerat comes individua: continuos „ errores alios ſuper alios, fames, egeſtates „ expeditiones una cum eo pertulerat: nam „ ubique adfuerat, in omni loco, fortuna„ que: vere conſors vitæ ac negotiorum „ ad victum pertinentium, proſperæ adver„ ſæque fortunæ ex æquo particeps: nec „ enim, ut quædam, ærumnas fugiebat, ſer„ vans ſe fœliciori tempori: ſed utramque „ ſortem, ſicut uxorem decet, ſubibat ala„ criter.

Pie igitur ac juſte illius obitum flevit ac planxit Abrahamus, cujus dulci ſocietate tandiu fuerat recreatus; nempe homo erat nec quod humanum eſt, a ſe alienum putavit. Nihil enim triſtitiæ ex charorum interitu ſentire, barbaries eſt magis ac ſtupor quam animi fortitudo: pias eſſe lachrymas in amicorum interitu, ſuo nos exemplo docuit Chriſtus Dominus qui ad monumentum Lazari flevit. Ex quo Judæi collegere ejus amorem erga defunctum. Quem textum expendens S. Cyrillus appoſite ſcripſit: *Erudiit nos Dominus ſuis lachrymis, quonammodo charos noſtros vita functos moderatis & lege rationis temperatis lachrymis flere debeamus; nam ex toto nec compati, nec mœrere, ferinum eſt & durum, horum vero exuberantia, muliebre.*

Porro ab Abrahamo largiores non effuſas eſſe lachrymas, nec ipſum hoc mœrore fuiſſe animo dejectum, etſi Scriptura ſileat, alia quæ in ejus commendationem effert, ſuadent ipſum non immoderate fleviſſe.

Quapropter non ſunt improbandæ illius lachymæ: *Nam*, inquit S Paulinus, *Pater fidei matrem vocationis noſtræ Saram ſuam flevit, non utique diffidentia recipiendæ, ſed prægreſſæ deſiderio: quomodo enim reſurrectionis diffideret fidei pater, & repromiſſionis beata primus auditor?*

Quod utique indicat Moſes adiiciens, quod cum Abrahamus ſurrexiſſet ab officio funeris, convenit Ephron Principem illius loci, emitque ab eo, incolis præſentibus, quadringentis ſiclis argenti probatæ monetæ publicæ, agrum in quo erat *ſpelunca duplex*, ſic dicta, vel quod duplicem haberet aperturam, & ex duabus partibus ingreſſum: vel quod ſpe-

ſpelunca eſſet ſupra ſpeluncam: aut quod ſinuoſa eſſet, multaque foramina haberet, multiplicemque concamerationem, in quibus recondi poſſent mortuorum cadavera.

In eo autem antro ſepelivit Saram uxorem ſuam, *Docens pariter* (inquit ibidem S. Paulinus) *quid ſibi iſti deberent homines providere; cum is qui ad Dei verbum de terra patria cognationis exierat, nihilque præterea de pervagatis natione diverſa ſpatiis comparaverat, omnis terræ advena, ſolum tamen agrum ſepulchro; id eſt, non temporalem, ſed æternam poſſeſſionem; nec terram avaritiæ, ſed quietis emiſſet.*

Animo namque ſanctiſſimi Patriarchæ alte infixum erat, nihil nobis ex toto terrarum orbe proprium eſſe, niſi ſpatium illud quod noſtra corpora poſt mortem occupant: cætera namque omnia, theſauri, prædia, ædificia &c. quamquam multa, & præclara, hominibus aliis, & forte alienis ſunt relinquenda: nobis vero nihil ſupereſt, niſi ſepulchrum. Unde rident omnes ridiculum illud Sardanapali effatum; *hoc ſolum habeo, quod edi:* neque enim illud diutius habebat, quam dum illo ad momentum fruebatur.

QUÆRITUR II.

Utrum licita fuerit illa venditio & emptio agri in ſepulturam.

SAnctus Hieronymus, In Traditionibus Hebraicis, Ephroni vitio vertit, quod vendiderit locum ſepulturæ mortuorum deſtinatum, dicitque idcirco mutatum fuiſſe illius nomen: „ Ablata videlicet de ejus nomine littera *o*; ut qui dicebatur *Ephron* „ dictus fuerit poſtmodum *Ephren* ſignificante Scriptura, non eum fuiſſe conſummatæ „ perfectæque virtutis, qui potuerit memorias vendere mortuorum. Et inde invehitur in eos qui ſepulchra venditant: „ *Sciant igitur*, ait, *qui ſepulchra venditant*, „ *& non coguntur ut accipiant pretium; ſed* „ *a nolentibus quoque extorquent, immutari* „ *nomen ſuum, & perire quid de merito eorum; cum etiam ille reprehendatur occulte,* „ *qui invitus acceperit.*

Verum unde hoc S. Hieronymo venerit in mentem, non video; nam nomen *Ephron* poſtea quoque eodem, quo ante ſcriptum erat, modo legitur *cap* 25. *v.* 29. Adde quod ſiqua in illa venditione & emptione fuiſſet culpa, in Abrahamum penitus refundenda videatur, quippe qui ultro & gratis oblatum ab Ephrone ſepulchri locum, acceptare noluit, & poſſeſſorem coegit ut rei pretium acciperet.

At neque leviter propterea culpandus videtur Abrahamus: ſiquidem non conſtat agrum illum & ſpeluncam fuiſſe mortuorum ſepulturæ deſtinata; imo contrarium conjicere licet, maxime cum Abrahamus noluerit acceptare electiſſima & magnifica quæque ſepulchra ab Ephrone & Hethæis gratis oblata, ut in eis ſuam ſepeliret uxorem; ne videlicet uxoris ſuæ, cineribus permiſceret idololatrarum.

QUÆRITUR III.

Qua ratione conciliari poſſit hujus emptionis narratio cum verbis Sancti Stephani.

REfert Moſes ab Abrahamo emptum eſſe ab *Ephron filio Seor* agrum juxta urbem Hebron, in quo erat ſpelunca duplex, ubi Saræ corpus ſepelivit. At Beatus Stephanus in illa percelebri concione, quam habuit ad Judæos, *Act.* 7. inter cætera dixit: *Deſcendit Jacob in Ægyptum, & defunctus eſt ipſe, & patres noſtri & tranſlati ſunt in Sichem, & poſiti ſunt in ſepulchro, quod emit Abraham pretio argenti a filiis Hemor filii Sichem.* In quibus verbis, ſunt quæ cum Moſis narratione conveniunt. I. Quod Abraham ab utroque dicitur *emptor*. II. Quod res empta ſepulchrum appellatur; non enim alium ob finem Abrahamus agrum & ſpeluncam emit, quam ut ibi ſepeliret Saram. III. Quod emptio facta ſit pretio argenti.

Differunt autem I. Quod Moſes ſepulchrum illud collocat juxta urbem *Hebron*: Sanctus vero Stephanus juxta Sichem. II. Quod Moſes venditorem appellet Ephron filium Seor: S. Stephanus autem dicit ab Abrahamo ſepulchrum emptum fuiſſe a filiis Hemor filii Sichem.

Ut hos pugnantes textus concilient Interpretes, varias eunt in ſententias; nonnulli enim cum *Melchiore Cano*, lib. 2. de Locis Theologicis, cap. 18. *Capella* in Spicilegio ad cap. 7. ad Act. Apoſt. volunt a S. Stephano ſimul jungi emptionem ſepulchri factam ab Abrahamo, cum emptione agri a Jacobo, Geneſ. 33. v. 18.

Verum cum ex cap. 6. Actuum conſtet S. Stephanum fuiſſe plenum Spiritu-Sancto, religiose non poteſt aſſeri, quod ipſe animo perturbato coram Judæis ſapientibus res permutarit & confuderit.

Nonnulli exiſtimant cum *Eugubio*, Calvino &c. *Abrahæ* nomen in Actis Apoſt. irrepſiſſe in textum loco nominis *Jacobi* incuria Amanuenſium. *Verum* cum omnes codices habeant nomen *Abrahæ*, conſultum non eſt illis fidem detrahere.

Volunt aliqui cum *Riveto* exercit. 102. nomen *Abrahæ* in actis patronymice ſumi, ut idem ſit quod *Abramides*, id eſt, *Jacob*; ſicut Chriſtus *Iſaiæ* 30. dicitur *David*, quia ex

ejus

ejus ſemine erat oriundus: At iſta perſonarum confuſio in ſincera narratione hiſtorica, & in viro divinitus illuſtrato non videtur admittenda.

Itaque his & ſimilibus prætermiſſis expoſitionibus, veriſimilius dicendum arbitror veram ac ſinceram eſſe S. Stephani narrationem, diſtincte enim pronuntiat agrum ab Abrahamo emptum, fuiſſe in uſum ſepulchri; non vero, ut prædium eſſet, in quo figerentur tentoria, qualis fuit ille quem emit Jacob a Sichemitis.

Neque his obſtat hominum diverſitas in recenſione Moſis & S. Stephani; Ephron enim a quo Abrahamus emit agrum, potuit eſſe binominis, ita ut qui vocatur a Moſe *Ephron*, a S. Stephano appelletur *Hemor*; cujus pater fuerit Sichem, quas circumſtantias a Moſe prætermiſſas S. Stephanus, ſuggerente Spiritu-Sancto adjecerit. Neque enim inſolitum eſt in Scripturis ſacris, ut interdum aliqui ſint binominis, & qui ab uno ſcriptore ſub priori nomine efferuntur, ab alio exprimantur ſub altero. Sic *lib.* 4. *Reg. cap.* 23. unus ex filiis Joſiæ, qui dicitur *Joachaz*, idem *lib.* 1. *Paralip. cap.* 3. appellatur *Johanan*: Jeremiæ vero cap. 22. nominatur *Sellum*: niſi forte hic fuerit quartus Joſiæ filius. Plurima his ſimilia occurrunt, præſertim in Genealogia Chriſti D. a SS. Evangeliſtis Matthæo & Luca contexta. Potuit itaque Ephron a Moſe memoratus, fuiſſe binominis; atque etiam Hemor dictus: iſque nepos, aut pronepos Sichemi, civitatis Sichem fundatoris.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XXIV.

DUo potiſſimum hoc in Capite narrantur. I. Adjuratio Abrahami, qua domui ſuæ præpoſitum adſtringit ut Iſaaco uxorem comparet, non ex filiabus Chananæorum, ſed ex ipſius Abrahami proſapia & cognatione. II. Rebeccæ Nachoris Abrahami fratris filiæ cum Iſaaco connubium & nuptiæ. Primum exponitur his verbis: *Pone manum tuam ſubter femur meum, ut adjurem te per Dominum, Deum Cæli & terræ, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito: ſed ad terram & cognationem meam proficiſcaris, & inde accipias uxorem filio meo Iſaac.*

QUÆRITUR I.

Quam ob cauſam Abrahamus ſervum ſuum hoc juramenti ritu devinxerit.

OBſervandum imprimis hoc eſſet diſcrimen inter *juramentum*, & *adjurationem*: quod quiſque ſe juramento obſtringit & obligat: adjuratione autem alios devincimus & obſtringimus; *adjurare* enim nihil aliud eſt, quam adigere aliquem ad jurandum: ſeu ab aliquo juſjurandum accipere. Quomodo Principes & Magiſtratus adjurant ſubditos, Judices reos, parteſque invicem litigantes. Inſuper *adjuratio* ſupponit in adjurante aliquam auctoritatem, qua juſjurandum non tantum poſtulat, ſed imperat: ita ut non liceat tum, ubi cauſa eſt juſta, ei qui adjuratur, vel moras nectere, vel renuere. Ex quo intelligimus adjurationem differre a ſimplici *petitione juramenti*: quod hæc inferiori erga ſuperiorem poteſt competere; nunquam autem adjuratio, quæ ſolis competit in dignitate conſtitutis, ut Principibus, Magiſtratibus, & Judicibus.

Obſervandum inſuper, *juramentum* apud omnes prorſus nationes inter actus religionis ſemper fuiſſe reputatum. Unde Cicero offic. 3. *Eſt jusjurandum affirmatio religioſa: quod autem affirmate, quaſi Deo teſte promiſeris, id tenendum eſt.* Cauſa autem quæ jurisjurandi religionem adeo ſanctam, atque inviolabilem apud omnes Gentes fecit, alia non eſt, quam quod omnibus in univerſum hominibus per generalia juris naturæ præcepta, propriosque motus innotuit eſſe aliquem Deum, qui hanc mundi fabricam & quidquid in illa eſt, ineffabili potentia condidit, ejuſque rector eſt, & arbiter: qui ut neminem fallit, ita nec ipſum juſtiſſimum Judicem nemo fallere poſſit. Quo fit, ut cum in omni juramento familiare ac domeſticum ſit, datæ, ſervandæque fidei Deum vocare teſtem & vindicem; inde creditum eſt ab omnibus, ut ſiquis perfidus fefellerit, Deus ipſum omnibus malis afficiet, quapropter appoſite Sophocles ait in Hippodamia:

Mens excitari jurejurando ſolet,
Ut bina diligenter evitet mala;
Culpari amicis, & Deos offendere.

Hinc gravis pœna perjuris imminere nunquam non credita; ut Heſiodus dixit de juramento:

Clades mortalibus unde
Adveniunt, quoties fallaci pectore jurant.

Unde conſtantiſſime apud fideles omnes utriuſque Teſtamenti viguit ſemper juramenti religio. Nec in lege Evangelica ulla fuit

præ-

præciſe unquam juramenti prohibitio, ſed tantum non neceſſarii aut temerarii. Cum enim juraverit hominibus Deus, & velit etiam nunc juramentum ſuum vim habere inter nos ad faciendam fidem, nullo modo credibile eſt juramentum eſſe homine Chriſtiano indignum. Hinc Apoſtolus agens de juramento divino, cum dixiſſet: *Abrahæ promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem juraret, Majorem, juravit per ſemetipſum.* Addit: *Homines etiam per majorem ſui jurant: & omnis controverſiæ eorum finis, ad confirmationem, eſt juramentum. In quo abundantius volens Deus oſtendere pollicitationis hæredibus immobilitatem conſilii ſui, interpoſuit jusjurandum &c.* Quibus verbis Apoſtolus dicit Deum promiſſiones ſuas voluiſſe jurejurando confirmari, quemadmodum juramentum uſurpant homines ad ſuorum dictorum confirmationem, quod nec improbat, nec reiicit Apoſtolus.

Fuit autem varius ac multiplex apud homines jurandi ritus. Communior tamen fuit manus aut digiti ad Deum verſus Cœlum erectio. Unde in adagium vertitur, *manum levare*, pro *jurare*: quæ conſuetudo etiam hodie viget in Gallia; ſolent enim Judices, ubi de ſolemni juramento quæſtio eſt, hoc jubere, *attolle manum*; exceptis tantum Eccleſiaſticis, qui manum pectori admovent. Apud Italos vero, Germanos, & Hiſpanos, jurantes extollunt digitum.

Manum vero inter jurandum Cœlum verſus erigere, ab exemplo divino derivatum videtur. Siquidem Deus Exodi 6. v. 8. *Terram ſuper quam levavi manum meam, ut darem eam Abraham, Iſaac, & Jacob; dabo illam vobis poſſidendam, ego Dominus.* Quamobrem hanc jurandi formulam etiam imitati ſunt Angeli ſub humana ſpecie apparentes: ſic ille apud Danielem cap. 12. *Cum elevaſſet dexteram & ſiniſtram ſuam in Cœlum, & juraſſet per viventem in æternum.* Similiter S. Joannes Apocalypſis 10. v. 5. *Angelus, quem vidi ſtantem ſuper mare & ſuper terram, levavit manum ſuam ad Cœlum, & juravit per viventem in ſæcula ſæculorum.*

Altero autem ſolemni ritu ad jusjurandum excipiendum uſus eſt Abrahamus, imperando ſervo ut poneret manum ſuam ſubter femur ejus. Cur vero hoc ritu uti voluerit multi multa commentantur. Sunt enim qui volunt morem illum fuiſſe tunc temporis in uſu apud Chananæos. Verum id gratis, & abſque fundamento profertur; ſiquidem Abrahamus primus hunc ritum uſurpaſſe legitur; neque enim Abimelech Philiſtinorum Rex, amicitiam & fœdus cum Abrahamo juramento firmans, eo ritu uſus eſt; nulluſque ſimilem jurandi rationem adhibuiſſe poſtea traditur, niſi ſolus Jacob, Geneſis 47.

Putant aliqui hoc ritu uſum Abrahamum, ut ſi ſervus juramentum non exequeretur, fieret elumbis & infœcundus. *Renes enim*, ait Caſſiodorus, *ſignificant fortitudinem corporalem, qui dum bene vigent, corpus noſtrum eorum miniſterio vegetatur; cum fuerint ſaucii, imbecilla nimis fragilitate ſuccumbit.* Sunt etiam ſedes fœcunditatis, quippe cum ab eis emanet humor prolificus. Unde veteres *lumbos* a libidine dictos exiſtimabant.

Tradunt Judæi, teſte S. Hieronymo, ab Abrahamo adhibitam cæremoniam propter ſymbolum Circumciſionis, quo Abrahamus ejuſque poſteri ab infidelibus ſegregabantur, eratque *ſignaculum juſtitiæ fidei*, ut loquitur Apoſtolus *ad Rom.* 4. Verum cum omnibus Abrahæ poſteris communis eſſet Circumciſio, & ab illis religioſiſſime coleretur, etiam talis jurandi ritus dubio procul apud eos invaluerat, quippe cum illi acceptorum a ſuis patribus ſacrorum rituum fuerint retinentiſſimi. At præter Abrahamum & Jacobum, a nemine legimus hunc jurandi morem uſurpatum eſſe.

Veriſimilius dicendum exiſtimo cum ſacris Eccleſiæ Doctoribus, eam cæremoniam idcirco ab Abrahamo adhibitam, quod Meſſias promiſſus, eſſet oriundus ex ejus fæmore, & ſtirpe: *In ſemine tuo benediceantur omnes Gentes.* Ita docet S. Ambroſius: „ Per ſe-
„ mur, *inquit*, generationem intelligimus:
„ generatio autem Abrahæ Chriſtus eſt.
„ Unde Apoſtolus ait: *Abrahæ dictæ ſunt*
„ *promiſſiones, & ſemini ejus. Non dicit: &*
„ *ſeminibus, quaſi in multis: ſed quaſi in uno:*
„ *& ſemini tuo, qui eſt Chriſtus*: Oſtendens
„ per ipſum nobis ſanctum fore ſacramen-
„ tum, per ipſum tutum fore auxilium.

Subſcribit S. Hieronymus mox laudatus, ubi cum expoſuiſſet Hebræorum hac de re ſententiam addit: *Nos autem dicimus juraſſe eum in ſemine Abrahæ; hoc eſt, in Chriſto, qui ex illo naſciturus erat juxta Evangeliſtam Matthæum loquentem; Liber generationis Jeſu-Chriſti filii David, filii Abrahæ.*

Concinit S. Auguſtinus; „ Quod Abra-
„ ham, *inquit*, jubet puero ſuo, ut manum
„ ponat ſuper ejus femore, & ſic eum ad-
„ jurat per Dominum Cæli, & Dominum
„ terræ; ſolet imperitos movere, non at-
„ tendentes magnam iſtud de Chriſto fuiſſe
„ prophetiam: quod ipſe Dominus Cœli &
„ terræ in ea carne venturus eſſet, quæ de
„ illo femore propaganda erat.

Succenturiatur etiam S. Gregorius: *Manum*, inquit, *ſub femore jubet ponere, quia per membrum illud deſcenſura erat caro ejus qui Filius Abrahæ eſſet ex humanitate, & Dominus ex ejus divinitate.*

QUÆRITUR II.

Cur tantopere abhorruerit Abrahamus Chananæorum connubium.

RESpondet S. Ambroſius, id factum duplici de cauſa. *Prima*, quod Chananæi, poſteri eſſent Chami, ejuſque filii Chanaani; qui divina fuerant fulminati maledictione, quod parentem ſuum Noe deſpectui habuiſſent. *Secunda*, quod Idololatriæ admodum eſſent dediti, fœdiſſimiſque inquinati flagitiis: quamobrem timendum erat, oe mulieres idolorum cultui aſſuetæ, Iſaaci animum inflecterent ad ſimilem neſarium cultum, ut contigit Salomoni de quo lib. 3. Reg. cap. 11. legimus: *Rex Salomon adamavit mulieres alienigenas multas, ſuper quibus dixit Dominus filiis Iſrael: Non ingrediemini ad eas: certiſſime enim avertent corda veſtra, ut ſequamini Deos earum. His itaque copulatus eſt Salomon ardentiſſimo amore, & averterunt mulieres cor ejus. Cumque jam eſſet ſenex, depravatum eſt cor ejus per mulieres, ut ſequeretur Deos alienos &c.*

Adiici poteſt *tertia ratio*, quod divino oraculo noverat Abrahamus, Chananæorum gentem propter horrenda crimina, funditus aliquando per ſuos poſteros exterminaodam; quamobrem nullam cum eis habere voluit affinitatem, quos a Deo ſciebat eſſe reprobatos, & devotos internecioni; ne cum eorum impio ſanguine, ſuus in poſteris effunderetur.

Petes, cur hoc in ineundo conoubio nulla fiat Iſaaci mentio?

Reſpondeo, quod etiamſi Moſes in hac texenda narratione, Iſaaci non meminerit, niſi cum adducta Rebecca, eam in tabernaculum ſuæ matris introduxit: attamen non eſt exiſtimandum, illo penitus inſcio, negotium iſtud fuiſſe peractum. Etenim licet maxima ſit parentum in filios poteſtas, poſſintque pro jure ſuo, de illorum ſorte decernere,, dummodo nullum ſalutis periculum immineat; nihilominus cum Abrahamus optimus eſſet pater, filiumque ſuum unigeoitum ſummopere diligeret, veriſimile non eſt ab eo quidquam ſtatutum eſſe de conjugio Iſaaci, tum quadragenarii ipſo inconſulto, ad quem res illa maxime ſpectabat. Forte vero id tacuit Moſes, ut ſignificaret Iſaacum paternæ ſententiæ obſervantiſſimum eſſe, & in omnibus ejus voluntati adeo obſequentem, ut etiam conoubium ineundum patris judicio curæque permiſerit.

Ut promiſſis & juratis ſtaret Eliezer Abrahamicæ familiæ œconomus, oneratis decem camelis *ex omnibus bonis Domini ſui*, illiuſque mandatis inſtructus, iter capeſſens, poſt dies aliquot pervenit ad urbem, quam incoluerat Nachor Abrahami frater, eo tempore quo ſolebant puellæ ex urbe egreſſæ convenire ad puteum publicum, ut aquam inde haurirent, & aſportarent. Ibi cum hæſiſſet una eum ſuo comitatu, ad Deum converſus, his verbis eum oravit: *Domine Deus Domini mei Abrahæ, occurre, obſecro, mihi hodie, & fac miſericordiam cum Domino meo Abraham. Ecce ſto prope fontem aquæ, & filiæ habitatorum hujus civitatis egredientur ad hauriendam aquam. Igitur puella cui ego dixero: inclina hydriam tuam, ut bibam: & illa reſponderit, bibe, quin & camelis tuis dabo potum: ipſa eſt quam præparaſti ſervo tuo Iſaac: & per hoc intelligam quod feceris miſericordiam cum Domino meo.*

Hac autem in oratione duæ ſunt partes: *Prima* quidem, qua petit fœlicem ſucceſſum negotii ſibi ab Abrahamo commiſſi: *Secunda* vero, qua certum & ſingulare ſignum, velut omen proponit, quo poſſit deprehendere puellam illam, quam Deus Iſaaco in conjugem deſtinaverat.

QUÆRITUR AUTEM III.

Utrum præfatas conditiones recte propoſuerit & ſtatuerit Eliezer.

VIdetur primo intuitu arguendus audaciæ, aut ſuperſtitionis: *Audaciæ* quidem, non enim hominis eſt pro ſuo deſiderio legem Deo præſcribere; nec rite precatur quiſquam, niſi vota ſua Deo ſubjecerit, ut ſua pro divina voluntate, quod ad ſalutem magis expedit conferat, aut deneget. *Superſtitionis* vero, quippe qui augurium & omen uſurpet, ut rei, quam verſabat animo, eventum agnoſcat.

Verum cum ejus votum exaudierit Deus, reſque, ut illum propoſuerat, ſucceſſerit; argumentum eſt in ſecunda hac orationis parte nullum extitiſſe vitium.

Sane non licet cuivis, & in qualibet occaſione ſignum a Deo petere fauſti alicujus eventus; certumque eſt homines privatos in ominibus & auguriis captandis a regulis pietatis aberrare, maxime cum ſæpe, vel incredulitate, vel ex inani curioſitate de futuris eventibus inquirunt; idque in rebus etiam minoris momenti. At alia hic erat ratio: res enim de qua agebatur, eo majoris erat ponderis, quod ſpectaret ad propagandum verum & ſincerum Dei cultum in Abrahamica familia, opuſque fuit ſingulari Dei directione homini in aliena regione verſanti, in qua omnia ipſi erant incognita; eratque periculum ne ſi requireret ab hominibus conſilium, incideret in eos, qui prave eſſent affecti, & ſuſcepti negotii exitum præpedirent, aut perverterent. Hinc S. Chryſoſtomus non ſolum non improbat, ſed laudibus effert iſtius œconomi conſilium, & prudentiam

tiam

tiam: *Nam quia ſciebat*, inquit, *Patriarchæ hoſpitalitatem, & quia virginem inde ducendam, conveniens erat iiſdem eſſe preditam moribus, quibus Dominus ſuus, nullam aliam quærit conjecturam: ſed caracterem virginalis animi, ex hoſpitalitate vult agnoſcere.*

Videtur quidem Eliezerus dubiam & incertam conjecturam ſibi propoſuiſſe: ſed quia in Dei providentia recumbebat, certo perſuaſus eſt, propoſitum indicium inſtar oraculi ſibi fore; quodque Deus, quem habebat expeditionis ſuæ Præſidem & Rectorem, non ſineret eum decipi. In hoc autem maxime laudanda eſt ejus prudentia, quod ſignum notitiæ non procul accerſerit, ſed ex re præſenti; arbitratus puellam ignoto hoſpiti tam urbanam & beneficam, hoc officio daturam ſpecimen ſuæ charitatis & probæ naturæ.

Nec certe eum ſpes fefellit; apparuit enim prompta & officioſa Rebeccæ urbanitas & charitas; in eo quod nec ignotum virum repulerit, nec reliquas puellas quibuſcum venerat, recedentes, morata eſt; ſed libenter ac prompte Eliezero potum petenti, urbane & modeſte obtulit, dicens: *Et tu bibe, & camelis tuis tribuam potum*. Statimque non expectato Eliezeris aſſenſu, *effudit hydriam in canalibus*, recurrit ad puteum, ut hauriret aquam, & hauſtum omnibus camelis dedit. Cumque de ſuo genere interrogata reſpondiſſet ſe filiam eſſe Bathuelis filii Nachor; nihil cunctatus Eliezer, inaures & armillas ei tradidit, quibus illa caput ornaret.

QUÆRITUR IV.

Utrum ornatus ille & cultus ſit probandus.

H*Abitus fœminæ*, inquit Tertullianus, *duplicem ſpeciem circumfert, cultum & ornatum. Cultum dicimus, quem mundum muliebrem vocant: ornatum quem immundum muliebrem convenit dici. Ille in auro & argento, & gemmis, & veſtibus deputatur: iſte in cura capilli, & cutis, & earum partium corporis quæ oculos trahunt. Alteri ambitionis crimen intendimus: alteri proſtitutionis.* Quibus verbis damnat & reprobat omnem illum muliebrem ornatum; præſertim inaures & armillas, ut diſtinctius ſcribit cap. 8. *Uno lino*, inquit, *decies ſeſtertium inſeritur: ſaltus & inſulas tenera cervix circumfert. Graciles aurium cutes calendarium expendunt; & ſiniſtra per ſingulos digitos de ſaccis ſingulis ludit. Hæ ſunt vires ambitionis, tantarum uſurarum ſubſtantium, uno & muliebri corpuſculo bajulare.*

S. Paulus 1. ad Timotheum 11. cum viris præſcripſiſſet officia, addit v. 9. *Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundia & ſobrietate ornantes ſe; & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veſte pretioſa: ſed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona.* Cui concinens S. Petrus, Epiſt. 1. cap. 3. Chriſtianarum mulierum debitum cultum præſcribens, inter cætera ait: *Quarum non ſit extrinſecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti, veſtimentorum cultus: ſed qui abſconditus eſt cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modeſti ſpiritus, qui eſt in conſpectu Dei locuples.*

Ex iis tamen non eſt inferendum omnem mundum & ornatum muliebrem eſſe damnandum ac reprobandum; ſed tantum illius exceſſum, nimiumque affectum & ſtudium, quod nimirum vanitatis & ſuperbiæ eſſet argumentum: nullus enim eſt ſacrorum Interpretum, qui Rebeccæ vitio verterit, quod inaures & armillas ab Eliezero oblatas acceptaverit, tanquam dona ſibi a propatruo miſſa. Hæc enim ſtatum puellæ nubilis non dedecebant, nec ab ejus conditione erant aliena, quippe cum ornatus ille, non turpis lenocinii cauſa datus & acceptatus eſſet: ſed quem Rebecca parentibus proferret, quo facilior ad ſponſalia eſſet acceſſus.

His donis acceptis *cucurrit puella, & nunciavit in domum matris ſuæ, omnia quæ audierat.* Ex quibus verbis infert Joſephus, defunctum jam eſſe Rebeccæ patrem, ejuſque loco Labanum natu majorem, domus curam geſſiſſe idque tota ſeries Moſaicæ narrationis confirmat; in ea namque fit quidem mentio matris duorumque fratrum Rebeccæ, ſcilicet Labani & Batuelis; at de patre altum eſt ſilentium; qui tamen in hoc negotio primarias partes habere debuiſſet. Inſuper Eliezer Rebeccæ dedit munera, ejuſque matri & fratribus: nulla patris facta mentione: Eidem Eliezero dimiſſionem petenti, reſpondent mater & fratres; at pater nullus auditur. Rebeccæ abeunti fratres precantur proſpera ſorori ſuæ; pater, qui deberet ei benedicere nullus apparet: igitur argumentum eſt, eum amplius non fuiſſe in vivis.

Obſervandum inſuper, quod etſi quædam occurrant variationes inter ea, quæ ab Abrahamo dicta & imperata fuerant Eliezero; & ea quæ ipſe Eliezerus enarrat Rebeccæ parentibus: nulla tamen in eis intervenit pugna & diſcrepantia, quamvis enim verbis aliquando mutatis, aut contractis, nonnulla repetat; ſenſum nihilominus ſervat ubique & clarius exponit. v. g. Abrahamus dixerat v. 4. *Ad terram & cognationem meam proficiſcaris:* At Eliezer diſtinctius v. 38. ait: *Ad domum patris mei, perges, & de cognatione mea accipies uxorem filio meo.* Dixerat Abrahamus, v. 8. *Si autem mulier noluerit ſequi te, non teneberis juramento.* Eliezerus v. 41. eadem magis exponit dicens: *Innocens eris a maledictione mea*, ut ſignificaret ſe maledictum iri niſi jusjurandum impleret. Omittit etiam ritum quem in juramento præſtando ſervaverat, apponendo ſcilicet manum ſuam ſuper femur heri ſui, quoniam hæc ad fidem faciendam non videbantur neceſſaria.

Facta abeundi licentia, & Rebecca cum ancillis impoſita camelis; Eliezerus, qua ac-

ceſſetat via, conεitato greſſu ſuos ad heros revertitur. Iſaacus interim *egreſſus ad meditandum in agro* (inquit Moſes) *inclinata jam die: cumque elevaſſet oculos, vidit Camelos venientes procul*, illiſque it obviam; Rebecca vero eum intuita, famuli indicio quis eſſet intelligens, protinus deſcendit, capur peplo obnubit: exemplo ſuo virgines nubiles docens, verecundiam etiam io nuptiis præire debere. Ipſam autem omni quo decebat honore & affectu excipiens Iſaac, cum audiiſſet ab Eliezero quæ geſta fuerant, *introduxit eam in tabernaculum Saræ matris ſuæ; & accepit eam uxorem: & in tantum dilexit eam, ut dolorem, qui ex morte matris ejus acciderat, temperaret*, Io quibus verbis quædam ſunt anootanda.

Primo quidem, cum nulla hic fiat Abtahami mentio, putant plerique Iſaacum tunc ſeorſim a parre habitaſſe: quod utrique nimis copioſa eſſer familia, numeroſiorque famulorum turma, & armatorum copia: cumque expectaretur Iſaaco adducenda conjux, parer & filius rationi conſentaneum cenſuerunt ſeorſim habitare, ut inter diverſas familias jurgia præcaverent, & domeſticæ paci conſulerent,

Neque enim exiſtimandum eſt haoc ſeceſſionem ex animorum diſſentione contigiſſe; nihil enim dulcius habebat Abrahamus, quam ſimul agere cum filio; nihilque antiquius habuir Iſaacus, quam omnibus officiis erga patrem deſungi.

Verum quin hic conjecturæ ſubſcribam, tria obſtant: *Primum*, quod Abrahamous & Iſaacus revertentes a Monte Moria, *abierunt Berſabee ſimul*; nam patrem amantiſſimum a ſuo filio unigenito ſenecturis ſuæ ſolatio ſeceſſionem feciſſe, non eſt veriſimile: *Secundum*, quod cum acceſſiſſet Rebecca ad Iſaac, ille *introduxit eam in tabernaculum Saræ matris ſuæ*. Saræ vero tabernaculum, fuit Berſabee. *Tertium*, quod ibidem ſubditur. *Et accepit eam uxorem*. Quis autem exiſtimabit Iſaacum patri in omnibus obſequentiſſimum, eo abſente uxorem duxiſſe, quam Abrahamus tanro ſtudio, totque impenſis illi procuraverat? Nulla autem Abrahami hic fit mentio, quod ſola Iſaaci res agebatur.

Obſervandum inſuper ſeparata fuiſſe virorum & mulierum tabernacula: & quamvis jam aore triennium obiiſſet Sara, manſit tameo ejus domicilium ſupellectile inſtructum, ut cederet ei matri-familias quæ ſuo filio erat matrimonio jungenda.

Introductam autem Rebeccam in Saræ tabernaculum Iſaacus, tunc natus aonos 40. ut refertur cap. ſequenti verſ. 20. prius fuſis ad Deum precibus, & conciliata cum Rebecca amicitia, accepit eam in uxorem; neque enim de utriuſque pietate præſumendum eſt, nonniſi poſt nominis divini invocationem matrimonium iniiſſe: hoc etenim poſtulabat matrimonii ſanctitas, ut divina benedictione fulciretur.

Additur autem circa finem capitis: *In tantum dilexit eam ut, dolorem, qui ex morte matris ejus acciderat, temperaret*. Ea quibus verbis apparet quanta fuerit Iſaaci ſuos erga parentes obſervantia, quantuſque filialis amor. Jam enim a tribus annis e vivis exceſſerat Sara: nam Iſaac quadragenarius erat dum Rebeccam duxit uxorem, ut conſtat ex *cap. ſeq. v.* 20. Sara autem erat nonagenaria quando illum genuit, ut patet ſupra *cap.* 17. Vixit autem centum viginti ſeptem annis, *cap.* 23. *v.* 1. Si autem ab illis ſubducas 40. annos quos agebat Iſaac dum uxorem accepit, inde fiet manifeſtum illum jam a tribus annis luxiſſe matris orbitatem; nec ſuum potuiſſe temperare mœrorem, donec in defunctæ matris locum dilectiſſima uxor accederet.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XXV.

SEx ſunt potiſſimum in hoc capite notatu digna. I. Abrahami cum Cethura conjugium, & qui filii ab ea procreati. II. Ipſius Abrahami teſtamentum & ſepultura. III. Iſmaelis genealogia. IV. Rebeccæ conceptus & partus. V. Natorum ex ea filiorum diverſum genium, oppoſitaque animorum propenſio. VI. Ab Eſau primogenituræ juris venditio, & ejuſdem a Jacobo fratre emptio.

QUÆRITUR I.

Qua ratione Abrahamus ſenio confectus juvenculam Chananitidem voluerit in uxorem ducere.

PRæſens caput his verbis orditur Moſes *Abraham vero aliam duxit uxorem nomine Cethuram*.

Mirum ſane videri debet quod Abrahamus, qui quadraginta pene annos ſupra centum ante mortem Saræ, dictus fuit ab Apoſtolo, emortuum habuiſſe corpus, dum gignendus eſſet Iſaac; nihilominus triennio a viduitate ſua exacto, jam decrepitus mortique proximus uxorem duxerit, & quinque

ex

ex ea ſuſceperit filios qui diverſarum familiarum & nationum evaſerunt capita.

Cum autem Moſes initi hujus conjugii tempus non indicaverit, quidam ut huic admirationi & difficultati reſpondeant, arbitrantur Cethuram eandem eſſe cum Agara, quam poſt Saræ obitum revocaverit Abrahamus, & alios poſt Iſmaelem ex ea filios genuerit. Verum hæc conjectura difflatur ex hoc eodem *capite v. 6.* ubi cum Moſes dixiſſet: *Deditque Abraham cuncta quæ poſſederat Iſaac*; adjicit: *Filiis autem concubinarum largitus eſt munera &c.* Ex quibus apparet illi plures fuiſſe concubinas, ſeu uxores quæ non eſſent matres-familias, quæque cum filiis nullum jus haberent ad paternam hereditatem. Inſuper *lib. 1. Paralip. cap. 1. v. 29. & 32.* Agaræ & Cethuræ diverſa refertur genealogia: erant ergo diſtinctæ conjuges.

Accedit quod expreſſe Moſes pronunciet aliam ab Abrahamo *ductam uxorem*. Quæ verba uxorem recens aſſumptam, & a jam ductis diverſam eſſe denotant. Adde quod non ſit probabile Agaræ nomen, quod hoc in capite v. 12. diſtincte memoratur, initio capitis fuiſſe mutatum.

Arbitrantur alii hic a Moſe admiſſum eſſe ὕστερον πρότερον, ſeu hiſterologiam; ita quod hoc Abrahami cum Cethura connubium, vivente adhuc Sara, & poſt ejectam Agaram, peractum fuerit: ſed a Moſe hic dumtaxat narratum, quod Iſaaci hiſtoriam, ad initum ipſius matrimonium, uno filo ac ſtylo recenſere voluerit.

Verum vivente adhuc Sara ductam fuiſſe Cethuram tot filiorum matrem, ea eo non ſit probabile, quod tam ſollicite poſt ablactatum Iſaacum curaverit Sara, ut ejiceretur ancilla cum filio ſuo; hac addita ratione: *Non erit hæres filius ancillæ cum filio meo*. Non eſt, inquam, veriſimile Saram annuiſſe, ut Abrahamus juvenculam duceret uxorem, ex qua plurimos filios ſuſciperet, eo tempore quo Abrahamus duos jam habebat nubiles filios, Iſaacum & Iſmaelem: Maxime cum ipſa Sara non alia ratione ſuaſerit connubium Abrahami cum Agara, quam quia videbat ſe ſterilem, & ægre ferebat Abrahamum filiis carere.

Itaque veriſimilius dicendum puto, Cethuram nonniſi poſt mortem Saræ ab Abrahamo aſſumptam eſſe; ideoque Moſis hiſtoriam hic, ſicut alibi perfecte cohærere. Nemo autem miretur Abrahamo tunc quadragenario ſupra centum ſufficientem adhuc fuiſſe vigorem, ut ex juvencula quinque filios gigneret; neque enim inſolitum eſt, a viris ſenectute confectis ex puellis forma & decore præſtantibus filios gigni.

Quod autem in ea tam provecta ætate Abrahamus ducere voluerit uxorem, non ſatiandæ libidinis, ſed implendi myſterii cauſa factum eſſe, docet S. Auguſtinus, Quæſt. 70. in Geneſ. nimirum, ut per Agaram & per Iſmaelis poſteros ſignificarentur ſynagogæ, ejuſque carnales filii: per Cethuram vero ejuſque liberos; homines, profeſſione quidem Chriſtiani, ſed non obſervantia; quibus, ut concubinariis filiis, dantur quidem munera, ſed illi non habent partem in hæreditate; ſeu ut loquitur S. Auguſtinus: *Munera quæ acceperunt filii concubinarum, videntur mihi ſignificare quædam dona Dei, vel in ſacramentis, vel in quibuſque ſignis, etiam carnali populo Chriſtianorum, & Hæreticis data, velut filiis concubinarum: cum tamen hæreditatis munus, & charitas, & vita æterna, nonniſi ad Iſaac pertineat, hoc eſt, ad filios promiſſionis.*

Confirmat iſta *lib. 16. de civit. Dei, cap. 34.* „ Quid autem ſibi vult, *inquit*, Quod „ Abraham poſt mortem Saræ, Cethuram „ duxit uxorem? Ubi abſit, ut incontinen„ tiam ſuſpicemur, præſertim in illa jam „ ætate, & in illa fidei ſanctitate. An adhuc „ procreandi filii quærebantur, cum jam, „ Deo promittente, tanta multiplicatio „ filiorum ex Iſaac per ſtellas Cœli, & are„ nam terræ fide probatiſſima teneretur? „ ſed profecto ſi Agar & Iſmael doctore „ Apoſtolo, ſignificaverunt carnales Vete„ ris Teſtamenti; cur non etiam Cethura & „ filii ejus ſignificent carnales, qui ſe ad „ Teſtamentum Novum exiſtimant pertine„ re? Ambæ quippe & uxores Abrahæ, & „ concubinæ ſunt appellatæ.... Neque enim „ video, cur etiam Cethura poſt uxoris mor„ tem ducta, niſi propter hoc myſterium, „ dicta ſit concubina. Sed quiſquis hæc non „ vult in iſtis ſignificationibus accipere, non „ calumnietur Abrahæ &c.

Duabus itaque potiſſimum de cauſis inductus videtur Abrahamus ut Sara e vivis ſublata, aliam duceret uxorem: *Prima* quidem, ut impleret magnificam illam promiſſionem ſibi a Deo toties factam, quod futurus eſſet *pater multitudinis*, & numeroſiſſimæ poſteritatis. *Secunda* vero, quod ab Iſaaco matrimonio juncto voluerit ſecedere novamque inſtituere familiam, ut pacatius & tranquillius viveret: ac proinde ipſi opus erat novam ducere uxorem, quæ præcipuam haberet curam & rationem ejus ſenectutis, & regendæ ſuæ privatæ familiæ præeſſet. Quæ duæ rationes ducendæ uxoris, cum religioni & honeſtati ſint conſentaneæ, nihil quidquam peccaſſe videtur Abrahamus novam illam ducendo uxorem.

Ad iſtius autem Cethuræ genus quod ſpectat, incertum eſt cujus illa nationis fuerit; illam enim fuiſſe Chananitidem non conſtat etſi vero hac ex regione eſſet oriunda; veſiſimile eſt, illam educatam in familia Abrahami, unamque fuiſſe ex illis ancillis quibus præerat Sara; nec proinde infidelem; quin potius unius Dei veri cum cæteris Abrahami familiis cultricem extitiſſe. Perinde vero erat ipſi Abrahamo cujus illa eſſet proſapiæ: cum orinndi ex illa filii, nullam in Abrahami hæreditate partem habere deberent.

Hinc non abs re obſervat Moſes ab Abrahamo morti proximo, *filiis concubinarum data munera*. Cum enim unicum bonorum ſuorum hæredem inſtituiſſet Iſaac, reliquos ſuos filios ab Agara & Cethura genitos, muneribus donatos, a ſe ablegavit in partes Orientales, nondum ab aliis occupatas

& a Chananitide diſſitas; nimirum ut terra Chanaan a Deo poſteris Abrahæ repromiſſa, ſolis Iſaaci ſucceſſoribus in hæreditatem cederet; atque etiam ne illi, ab Agara & Cethura, ex Abrahami ſanguine prognati, cum Chananæis aliquando ab Iſaaci poſteris exterminandis penitus interirent.

At, *inquies*, non videtur hæc Abrahami juſta agendi ratio, ut filios ex legitimo matrimonio natos, exhæredes faceret; omnis enim filius legitimus facultatum patris hæres eſt cenſendus, ait Apoſtolus, *Rom.* 8. *v.* 17.

Reſpondeo, Agaram & Cethuram legitimas quidem fuiſſe Abrahami uxores; non primarias, ſed tantum ſecundarias, ductas abſque ſubarratione & dote; quæ jus quidem habebant thori, ſicut & primaria uxor: ſed non jus ad hæreditatem & ſucceſſionem utpote cum non eſſent bonorum dominæ, ſed ancillæ.

Inſtabis, Jacobi filii ex ancillis nati eandem cum filiis ex Lia & Rachele natis, habuerunt in diſtributione terræ promiſſæ hæreditatem & partem. Quidni parem cum Iſaaco ex Agara & Cethura nati ſortem habuerunt?

Reſpondeo, rationem hujus diſcriminis petendam eſſe ex Dei ordinatione, qua ſtatutum erat, ut ſolus Iſaac hæres fieret; dixerat enim Sara cap. 21. verſ. 10. *Non erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac*: Quod Saræ conſilium ibidem approbat Deus, *v.* 12. dicens Abrahamo: *Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus, quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen*: Hoc eſt, ſolus ille, ejuſque poſteri, jus habebunt ad promiſſiones tibi factas; maxime cum apud illos manſura ſit Eccleſia, & ex eis oriundum ſit benedictum ſemen; in quo benedicendæ ſunt omnes Gentes. Itaque Abrahamus ſumma pietate & prudentia res ſuas ſic ordinavit, tum ut obtemperaret divinæ ordinationi: tum ut filiorum paci conſuleret, præſcindens inter illos omnem diſcordiarum ſomitem, quæ inter hæredes, mortuis parentibus, ſæpius oriuntur.

Addit Moſes: *Fuerunt autem dies vitæ Abrahæ, centum ſeptuaginta quinque anni, & deficiens mortuus eſt in ſenectute bona, provectæque ætatis, & plenus dierum: congregatuſque eſt ad populum ſuum.* Quæ ſingula verba notanda ſunt, quandoquidem non ſine myſterio ſuerint adjecta. I. Namque numerantur omnes anni quos vixit Abrahamus, tum ut certa habeatur ſacræ Chronologiæ ratio; tum ut inde conſtet per Abrahamum ad filios, præſertim Iſaacum, transfuſam eſſe mundi hiſtoriam, quam a Majoribus acceperat: vixit enim 57. annis cum Noacho: 175. cum Semo: cum Phaleg 48. cum Nachor 49. cum Thare 135. cum Arphaxado 148. cum Iſaaco 75. & cum Jacobo 15. juxta ſupputationem Bucholeri & Sethi Calviſii.

II. Dicitur obiiſſe propter virium defectum, ut ſignificetur ipſum morte ſubitanea non fuiſſe correptum; ſed communi ſenum omnium ſorte; præcedente nimirum corporis languore, viribuſque paulatim deficientibus fuiſſe extinctum: ut illius exemplo animentur ſenes ad conſtanter perferenda ſuæ ſenectutis incommoda; adeo ut exangue & emarcidum corpus, hebetes oculi, tremulæ manus, omniumque defectio membrorum, illos non exaniment.

III. Dicitur mortuus, *in ſenectute bona, provectæque ætatis, & plenus dierum*: ſeu, ut fert alia verſio: *Satur dierum*: quibus ſignificatus ipſum placido vultu, & animo tranquillo mortem ſuſcepiſſe; nec exoptaſſe vitæ prorogationem: ſed ſua ſorte contentum acceptam a Deo vitam voluntarie reddidiſſe.

IV. Additur, *Congregatus ad populum ſuum*; Quibus denotatur animæ immortalitas; niſi enim poſt mortem animæ eſſent ſuperſtites, fieri non poſſet talis ad anteceſſores collectio. Inde non leve argumentum deducitur adverſus quorumdam hominum temeritatem, qui audent effutire, Moſem nuſquam meminiſſe immortalitatis animæ, & alterius hominum poſt hanc vitam ſtatus: hæc enim frequens & in Moſaicis, & in aliis ſacris libris de hominibus vita functis loquendi formula: *Appoſitus eſt ad patres ſuos*, non obſcure ſignificat, homines, beſtiarum inſtar, in morte non omnino perire, nec migrationem e mundo, eſſe totius hominis interitum.

Mortuus eſt itaque fidelium omnium pater, & benedicti ſeminis fons & origo; eumque ſepelierunt Iſaac & Iſmael filii ejus, juxta Saræ uxoris ſuæ corpus, in ſpelunca duplici, quam ad ſui, ſuorumque ſepulturam Abrahamus ipſe pretio comparaverat. Unde apparet, quod etſi Iſmael a paterna domo fuit abdicatus, non longe tamen a parentum incolatu receſſerat, nec ab eis erat animo alienus; quippe qui in celebrandis patris vita functi exequiis, filii officio una cum ſuo fratre Iſaaco functus fuerit. Qua forte ratione meruit, ut ejus genealogiam, nepotumque nomina ſacris libris hoc in capite inſereret Moſes.

A *verſ.* 12. ad 18. nimirum ut ſignificaret, quod etſi Abrahamo repromiſſa fœderis gratia ad ſolum Iſaacum ejuſque poſteros ſpectaret: tamen ſeminis propagatio & multiplicatio, etiam ad Iſmaelem erat transfuſa; & quidem uberius quam ad Iſaacum, cujus uxor diutiſſime fuit ſterilis, duoſque tantum deinde genuit filios. Iſmael vero pater fuit duodecim filiorum, qui totidem extiterunt illuſtrium familiarum capita, diverſarumque nationum patres & origines. Sic Deus varie gratias ſuas diſpenſat, ut electis plus ſpiritualium, minus ſenſibilium; Infidelibus vero plus corporalium, minus ſpiritualium bonorum conferat.

Sepulto itaque parente, ad ſua tabernacula reverſus eſt Iſaacus, ut a dilectiſſima ſua uxore ingentis ſui mœroris de patris morte, lenimentum aliquod acciperet. Verum ut plerumque falſæ ſunt & evanidæ hominum ſpes, non levem ex ipſius Rebeccæ ſterilitate habuit triſtitiæ fomitem. Licet enim Abrahamo, vel Iſaaco repromiſſa fuiſſet numeroſa poſteritas; nihilominus Rebecca per viginti annos ſterilis extitit, Deo ita

diſpo-

Digitized by Google

diſponente, tum ut probaret ipſius Iſaaci fidelitatem & conſtantiam: tum ut conſtaret ſanctum ſemen non communi naturæ ordine naſci: ſed e cœlo donari debuiſſe. Quamobrem addit Moſes: *Deprecatus eſt Iſaac Dominum pro uxore ſua, eo quod eſſet ſterilis; qui exaudivit eum, & dedit conceptum Rebeccæ.*

Quanquam autem Moſes uno tantum verbo dicit Iſaacum ſuis precibus a Deo ſobolem impetraſſe; non tamen exiſtimandum eſt ab illo ſemel aut iterum ad Deum hac de cauſa fuſas eſſe preces: ſed potius ab ipſo per totum illud viginti annorum ſterilitatis curriculum, vota preceſque crebro fundente Deum fuiſſe inductum, ut ſibi prolem concedere dignaretur. Quem exorantem diutiſſime ſuſtinuit Deus, ut ejus probaret patientiam, & tolerantiam impenſius coronaret.

Obſervat S. Chryſoſtomus, *homil. 49.* mulieres ſanctiſſimas, & in ſacra Scriptura encomiis celebratas, nimirum Saram, Rebeccam, & Rachelem, fuiſſe ſteriles: *Quid ſibi vult*, inquit, *ille ſterilium chorus? Omnes juſti, omnes virtute præditi, omner a Deo teſtimonium habentes? Nam de ipſis dicebat: Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob. Beatus autem Paulus: Ideo non confunditur Deus, ut vocetur eorum Deus. Multæ ipſorum laudes in Novo, multæ in Veteri Teſtamento, undique clari & nobiles, & omnes ſteriles bnbuerunt uxores, multoque tempore caruerunt liberis.* Reſpondet, idcirco id a Deo permiſſum, ut earum ſterilitas præluderet Virginis partui: „ Quaodo igitur, *in-*
„ *quit*, tibi dicit Judæus, quomodo peperit
„ Virgo? dic ei: quomodo peperit ſterilis
„ & vetula? Duo impedimenta tunc erant,
„ & ætas intempeſtiva, & natura vitiata: in
„ Virgine autem unum impedimentum fuit,
„ quod non eſſet particeps concubitus. Ste-
„ rilis igitur jam viam parat Virgini. Et ut
„ ſcias quod propter hoc ſteriles prius fue-
„ runt, ut credatur virginitatis partus:
„ audi verba Gabrielis, quæ ad Virginem
„ dixit. Poſtquam enim venit, & dixit: *Con-*
„ *cipies in utero, & paries filium, & vocabis*
„ *nomen ejus Jeſum:* Obſtupefacta eſt, & ad-
„ mirata, ac dixit: *Quomodo erit mihi iſtud,*
„ *quia virum non cognoſco?* Cui Angelus
„ duo tepoſuit, ut futuri virginalis conce-
„ ptus fidem faceret; *Primum: Spiritus-San-*
„ *ctus ſuperveniet in te &c.* Alterum exem-
„ plum Elizabethæ cognatæ ſuæ, quæ licet
„ diutiſſime ſterilis, filium in ſenectute con-
„ ceperat; nimirum ut inde demonſtraret
„ etiam Virginem poſſe concipere.

Itaque nonniſi divina ordinatione contigit diuturna illa Rebeccæ ſterilitas, ut inde conſtaret conſequentem ejus fœcunditatem, cœleſte fore munus. Hinc non unicum: ſed duos ſimul concepit filios, qui adhuc matris utero hærentes, cum invicem de jure primogenituræ & primatu jam viderentur confligere; ac propterea materna viſcera graviſſime torquerent; Rebecca poſtquam ſæpiſſime cum lachrymis & ejulatu præ anguſtia exclamaſſet: *Si ſic mihi futurum erat, quid neceſſe fuit concipere?* tandem, *perrexit ut conſuleret Dominum.*

QUÆRITUR II.

Qua Ratione Rebecca de futuro ſuo partu Dominum conſuluerit, & acceperit Oraculum.

MUltiplex apud veteres Iſraelitas, (dum vigeret Moſaica lex, & Dei cultus in ea præſcriptus ſolemni ritu perſolveretur:) ſed potiſſimum quadruplex erat, divina oracula captandi modus. *Primus*, per Prophetas. Sic. 1. *Reg. c. 9* Saul ivit conſultum Samuelem ſuper aſinis quos amiſerat. *Secundus*, per ſomnia tum quis enixe Deum precabatur, ut inter dormiendum rei, de qua dubium erat, futurum eventum aperire dignaretur. *Tertius*, per ſortes, quibus uſus eſt Samuel in electione Saulis Regis, ut legimus 1. *Reg. cap.* 10. quas pariter adhibuit Joſue ut deprehenderet eum, qui contra prohibitionem, aliquid ex ſpoliis Jericho ſibi reſervaverat, ut videre eſt Joſue cap. 7. *Quartus* denique, iſque frequentior fiebat per Sacerdotes, qui cum applicaſſent ſibi Ephod, divino afflabantur ſpiritu prophetiæ, ut ad petita reſponderent. Vel, qui rei eventum deprehendebant per inſolitum ſplendorem eorum pretioſorum lapidum, quos gerebat Pontifex in pectorali, maxime vero per *Urim & Thummim* de quibus dictum eſt initio præcedentis Tomi, eritque amplior ſermo ſuo loco. Horum quatuor modorum captandi oracula meminit Auctor lib. 1. Regum, cap. 28. ubi de Saule ſcribit v. 6. *Conſuluitque Dominum, & non reſpondit ei, neque per ſomnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas.*

At cum illi modi Deum conſulendi nondum videantur fuiſſe in uſu ætate Rebeccæ: ut propoſitæ quæſtioni reſpondeant Interpretes, varias ſcinduntur in partes. S. Chryſoſtomus *homil.* 50. cum de Rebecca dixiſſet:
„ Vide mulieris ſagacitatem: quoniam au-
„ dit, quod qui vulvam ejus reſerarat; is
„ naturæ eſſet Dominus, & infœcundum
„ ventrem repente ita fœcundum effeciſſet,
„ ut videbat uteri ſarcinam magna quædam
„ promittentem; *Perrexit*, inquit, *ut con-*
ſuleret Dominum. Addit: „ Et feſtinavit ad
„ Sacerdotem Dei miniſtrum, per quem la-
„ tentium ſcientiam volebat diſcere: &
„ enarrans omnia quæ ſibi contigerant, di-
„ dicit diligenter omnia, miſericorde Deo
„ per Sacerdotis linguam, detegente ei om-
„ nia manifeſte, & alacriorem eam redden-
„ te. Et vide quanta & tunc erat Sacer-
„ dotum dignitas. Nuſquam enim dicit
„ quoad Sacerdos, ei reſponderit, ſed poſt-

quam

„ quam dixit: *Abiit ut conſuleret Dominum*; „ ſubjecit: *Et dixit Dominus ei*, nempe per „ Sacerdotem: *Duas Gentes in utero tuo* „ *contines*.

Quis autem fuerit ille Sacerdos, non indicat S. Chryſoſtomus. Euſebius vero, Theodoretus, & Gennadius, aliique, tradunt illum fuiſſe Melechiſedechum Regem Salem, qui Sacerdotis officio Dei altiſſimi fungebatur, huicque opinioni ſubſcribit Paraphraſtes Hieroſolymitanus qui ita vertit: *Abiit, ut peteret miſericordiam a Domino in domo ubi concionabatur Sem; quem Hebræi eundem cum Melchiſedecho exiſtimant*. Verum cum ille Melchiſedech longe diſtaret a loco habitationis Iſaaci, probabile non eſt Rebeccam gravidam & partui proximam, tam periculoſum iter ſuſcepiſſe.

Petrus Comeſtor Auctor hiſtoriæ Scholaſticæ, putat illam iviſſe ad montem Moria. „ Ubi, *inquit*, Abraham altare fecerat Domino; & immolatis hoſtiis, ſubſtratis earum pellibus incubans, per ſomnium accepit oraculum. Fortaſſe etiam more „ Gentium quem viderat apud parentes ſuos „ in Meſopotamia, ſpeciem lauri, quam „ Tripodem dicunt, capiti ſuppoſuit, & ramis arboris, quæ *Agnus Caſtus* dicitur, „ incubuit ut ſic viſiones capitis phantaſticas dormiens, non ſentiret & divinæ re„ velationis rite capax eſſet. „ *Hæc ille*: At hæc ratio Rabinicum commentum ſapit: & præterea Rebecca non erat in eo ſtatu, ut præmiſſo trium dierum itinere, montem conſcenderet, ibique ſuo dio pernoctaret ad oraculum excipiendum.

Cenſent alii ab ipſa conſultum aliquem Prophetam, cujus tunc in ea regione erat fama celebris. Sed nullus alius videtur tunc temporis extitiſſe Propheta, præter Abrahamum & Iſaacum, qui ſi ea de re fuiſſent conſulti, haud dubie non ſiluiſſet Moſes.

Veriſimilius itaque cenſeo ſubſcribendum eſſe Theodoreto dicenti, quod cum Patriarchæ conſuevиſſent in locis, in quibus habitabant, conſtruere oratoria & altaria quædam; probabile eſt illam ad unum ex iſtis ſupplicaſſe Deo, a quo accepit quæ erant futura; nimirum: *Duæ Gentes ſunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividentur, populuſque populum ſuperabit, & major ſerviet minori*. Hoc eſt in utero tuo duo ſunt filii naturali propenſione penitus oppoſiti; qui totidem Gentium ac populorum erunt capita; & quorum ſors futura erit inæqualis; nam major & prior natu junioris imperio ſubiicietur, eique obtemperabit.

QUÆRITUR III.

Quomodo impletum fuerit hoc divinum oraculum.

PEperit itaque Rebecca geminos fratres, quorum prior, quod eſſet toto corpore hiſpidus, dictus eſt *Eſau*, hoc eſt, *faciens & operans*; forte quia pili, quibus erat obtectus, indicia ſunt hominis magis ad virilem ætatem vergentis, & ad operationem apti, quam pueri naſcentis: alter vero, quod naſcendo fratris calcaneum manu teneret, appellatus eſt *Jacob*, id eſt, *ſupplantator*. Prior ferocis & agreſtis erat animi, cumque adoleviſſet, ferarum venationi imprimis deditus, alter mitioris erat genii, necnon patris ac matris obſequiis plurimum addictus. Primogenitum præ minore natu diligebat Iſaac; eo quod (inquit Moſes) *de venationibus illius veſceretur*: at Jacobum magis, quam Eſau amabat Rebecca, quod ipſi eſſet obſequentior, morumque comitate & lenitate omnibus gratior, & acceptior.

Tametſi vero Eſau eſſet major natu, nihilominus prædicit Deus illum ſubjectum iri junioris fratris imperio; quod divinum oraculum qua ratione impleram fuerit, non ita facile eſt determinare. Nuſquam enim legitur in Scriptura ſacra Eſau paruiſſe Jacobi ſui fratris mandatis: quinimo, ut hic illius declinaret iracundiam, coactus eſt a paterna domo exulare, & per quatuordecim & amplius annos Labani ovium cuſtodiam in Meſopotamia agere.

Paternam vero domum repetens, cum audiiſſet fratrem ſuum Eſau copioſo armatorum cuneo ſtipatum venire ſibi obviam, hoc nuntio territus, ſuos duas in turmas diſtribuit, diverſiſque viis incedere juſſit, quo ſi alteram ab Eſau profligari contingeret, ſalvaretur altera: ut autem fratris animum iratum deliniret, præmiſit ei munera, mandavitque eorum ductori, ut inquirenti Eſau, quid hæc eſſent? reſponderet: *Servus tuus Jacob munera miſit Domino meo Eſau. Geneſ.* 32 v. 18. Quæ certe verba non ſunt dominantis & imperantis: ſed ſervientis & ſubditi.

Cum autem deinde longe ab invicem diſſiti, habitaverint; & Eſau numeroſior ac potentior, quam Jacobo, fuerit proſapia; non apparet, qua ratione major ſervierit minori.

Hunc nodum ut ſolvat S. Auguſtinus, exiſtimat hæc non ad litteralem, ſed ad myſticum ſenſum eſſe exponenda: „ Secun„ dum litteram, *inquit*, in Eſau & Jacob „ non videmus impletum: non enim corpo„ raliter beato Jacobo ſerviſſe Eſau com„ memorat Scriptura. Et quia, niſi id fieri „ deberet, non commemoraſſet Scriptura; „ oportere id ſpiritualiter intelligere. Ergo „ id factum & impletum agnoſcimus in Chri„ ſtianis & Judæis. Major enim, & ſenior „ populus Judæorum, minori & juniori, „ id eſt, populo Chriſtiano, ſervire proba„ tur; dum per totum mundum libros di„ vinæ Legis ad inſtructionem omnium Gen„ tium portare cognoſcitur. Ideo enim per „ omnem terram Judæi diſperſi ſunt, ut „ cum aliquem paganum ad fidem Chriſti „ volumus invitare, Chriſtum Dominum

„ ab

„ ab omnibus Prophetis prænuntiatum eſſe
„ teſtantes, & ille reſiſtens dixerit, a nobis
„ potius quam a Spiritu Sancto libros di-
„ vinæ, Legis, & propheticos eſſe conſcri-
„ ptos; nos habemus unde eum redarguere
„ certa ratione poſſimus, dicentes: Si de
„ meis libris tibi dubitatio naſcitur, ecce
„ Judæorum libros, utique inimicorum no-
„ ſtrorum, quos certum eſt, ſi ego conſcri-
„ bere vellem, mutare non potui; ipſos re-
„ lege, & cum in ipſis hoc ipſum, quod
„ in meis libris inveneris, noli eſſe incredu-
„ lus, ſed fidelis. Hoc igitur ordine major
„ populus minori ſervire cogitur, dum etiam
„ per illorum libros, ad credendum in Chri-
„ ſtum Gentium populus invitatur.

Idem habet lib. 12. contra Fauſtum ubi de Judæorum Gente: *Quid eſt aliud hodie Gens ipſa,* inquit, *niſi quædam ſcrinaria Chriſtianorum? bajulans Legem & Prophetas ad teſtimonium adſertionis Eccleſiæ, ut nos honoremus per Sacramentum, quod nuntiat illa per litteram.* Et in Pſalm. LVI *Codicem portat Judæus unde credit Chriſtianus. Librarii noſtri facti ſunt, quomodo ſolent ſervi poſt Dominos codices ferre, ut illi portando deficiant, illi legendo proficiant.* In hunc pariter ſenſum exponit hæc verba Pſalm. 58. v. 12. *Deus oſtendet mihi ſuper inimicos meos, ne occidas eos, nequando obliviſcantur populi mei: diſperge illos in virtute tua.* Ita hunc contextum exponit S. Auguſtinus.

Etſi vero hæc myſtica expoſitio textui apprime concordet: nihilominus etiam litteralis, non contemnenda, poteſt proferri; nimirum ut vaticinium iſtud, non de perſonis Eſau & Jacob; ſed de amborum poſteris ſit intelligendum. Ut enim Eſau viribus corporis & audacia fratrem ſuum Jacobum ſuperabat, eratque illo robuſtior; ita populus Idumæorum ab Eſau prognatus, multitudine ſua, ſuiſque viribus & opibus Iſraelitis a Jacobo genitis initio potentior erat. Nam cum Iſraelitæ exeuntes de Ægypto ab Idumæis per legatos peterent licentiam tranſeundi per regionem ab eis inhabitatam, ut viæ compendio ad Chananitidem ſibi repromiſſam pergerent; reſpondit eorum Rex: *Non tranſibis. Statimque egreſſus eſt obvius cum infinita multitudine, & manu forti, nec voluit acquieſcere deprecanti, ut concederet tranſitum per fines ſuos. Quamobrem divertit ab eo Iſrael.*

Nihilominus tandem Idumæi illi a poſteris Jacobi ſub jugum redacti fuere: primum quidem a Davide, a quo cum ſubacti fuiſſent, diu ſervierunt Iſraelitis, ut videre eſt *lib.* 2. *Regum cap.* 8 ſcilicet uſque ad Regnum Joram, ſub quo jugum excuſſerant, ſicut legitur 4. *Regum cap.* 8. attamen rurſus ab Iſraelitis ſubjugati fuerunt temporibus Machabæorum, ut refertur *lib.* 1. *cap.* 5. & *lib.* 2. *cap.* 10. idque prædixerat Abdias Propheta, v. 18. *Erit domus Jacob ignis, & domus Joſeph flamma, & domus Eſau ſtipula: & ſuccendentur in eis, & devorabunt eos: & non erunt reliquiæ domus Eſau.* Quod maxime impletum eſt imperante Iſraelitis Hircano ex Machabæorum genere. *Hic enim,* inquit Joſephus, *ſubjugatis omnibus Idumæis, edixit ut circumciderentur; niſi mallent a propriis pelli ſedibus. Atque illi amore patriæ, admiſerunt & Circumciſionem, & reliquam juxta Judaicos ritus vivendi formulam.* Apparet ergo oraculum illud, quo denunciabatur majorem ſubiiciendum eſſe minori, impletum eſſe in ipſius Eſau poſteris; & intelligendum, non de perſonis Eſau & Jacobi; ſed de eorum ſucceſſoribus. Idque indicant hæc oraculi verba: *Populus populum ſuperabit, & major ſerviet minori:* olim nimirum populus initio copioſior ſerviet populo minus numeroſo.

Exponit hæc egregie S. Auguſtinus: „ Quod,
„ *inquit,* dictum eſt: *major ſerviet minori,*
„ nemo fere noſtrorum aliter intellexit, quam
„ majorem populum Judæorum, minori po-
„ pulo Chriſtiano ſerviturum. Et revera
„ quamvis in gente Idumæorum, quæ nata
„ eſt de majore, cui duo nomina erant,
„ (nam & Eſau vocabatur, & *Edom,* unde
„ *Idumæi,*) hoc videri poſſit impletum; quia
„ poſtea ſeparanda fuerat a populo, qui
„ ortus eſt ex minore, id eſt ex Iſraelitico
„ eique fuerat futura ſubjecta: tamen in
„ aliquid majus intentam fuiſſe iſtam Pro-
„ phetiam, qua dictum eſt: *Populus popu-*
„ *lum ſuperabit, & major ſerviet minori,*
„ convenientius creditur.

Habuit inſuper Jacobus ſupra Eſau quatuor alia ſibi divinitus in ſuis poſteris conceſſa beneficia. *Primum:* quod ex ejus ſemine innumeri viri pietate & ſanctitate celebres orirentur, quales fuere Prophetæ omnes, aliique viri ſanctiſſimi qui in Veteri Teſtamento celebrantur. Tales vero non referuntur ab Eſau progeniti.

Secundum: quod ejus poſteros Deus ſibi in peculiarem populum elegerit, & paternam erga eos curam ac providentiam habuerit, ſuis inſtruxerit legibus, & ſingulari protectione firmaverit. Unde merito David de ſe, aliiſque Iſraelitis dicebat, Pſalmo 94. *Ipſe eſt Dominus Deus noſter, & nos populus ejus, & oves manus ejus.* Et Pſalm. 147. *Non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis.*

Tertium: quod pinguiorem, feracioremque regionem ipſis in hæreditatem conceſſerit. Unde Malachias cap. 1. v. 2. *Dilexi vos, dicit Dominus, & dixiſtis: In quo dilexiſti nos? Nonne frater erat Eſau Jacob, dicit Dominus, & dilexi Jacob, Eſau autem odio habui? & poſui montes ejus in ſolitudinem, & hæreditatem ejus in dracones deſerti. Quod ſi dixerit Idumæa: deſtructi ſumus, ſed revertentes ædificabimus quæ deſtructa ſunt: hæc dicit Dominus exercituum: iſti ædificabunt, & ego deſtruam; & vocabuntur termini impietatis, & populus cui iratus eſt Dominus uſque in æternum.*

Quartum: quod Deus voluerit Jacobum eſſe prædeſtinatorum ſymbolum, Eſau vero reproborum; hinc S. Paulus ad Rom. cap. 9. utitur horum duorum fratrum exemplo, ut prædeſtinatorum a reprobis diſcrimen ſtatuat. *Non ſolum autem illa* (Sara inquit) *ſed & Rebecca ex uno concubitu habens, Iſaac patris noſtri. Cum enim nondum nati fuiſſent*

ant

Digitized by Google

aut aliquid boni egiſſent, aut mali, (ut ſecundum clectionem propoſitum Dei maneret) non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei: quia major ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt: Jacob dilexi: Eſau autem odio babui. Quem locum expendens S. Auguſtinus ſupra laudatus ait: „ Paulus Apoſtolus magnum vult „ intelligi gratiæ documentum: quia non„ dum illis natis, nec aliquid agentibus bo„ ni ſeu mali, ſine ullis bonis meritis eli„ gitur minor, majore reprobato: quoniam „ proculdubio quantum attinet ad origina„ le peccatum, ambo pares erant; quan„ tum autem ad proprium, nullius eorum „ ullum erat.

Etſi vero prædixiſſet Deus duorum illorum fratrum majorem ſubjectum iri minori; nihilominus Eſau primogenituræ jura ſibi ratione nativitatis vendicabat. At contigit quod cum hic ex venatione fatigatus domum revertiſſet, fratrem ſuum Jacobum invenit coquentem pulmentum ex lenticulis Ægyptiis, quæ ſuaviores erant. Hujus ergo pulmenti colore & odore captus Eſau, illius cibi partem avide poſtulavit: *Da mibi*, inquit, *de coctione hac rufa, quia oppido laſſus ſum.* Petitioni annuit Jacob ea conditione ut jus primogenituræ ſibi cederet, & ad ſe transferret; annuit Eſau, affirmavitque cum juramento, ſe Jacobo omnes primogenituræ prærogativas ultro concedere: *& ſic accepto pane, & lentis edulio comedit, & bibit, & abiit, parvipendens quod primogenita vendidiſſet.* Inde Eſau dictus eſt Edom, ideſt rufus, propter videlicet acceptam illam eſcam rufam: Hinc illius poſteri dicti ſunt *Idumæi*; terra autem quam incoluit, dicta eſt *terra Seir*, hoc eſt, *piloſi*; quia Eſau ab utero hirſutus erat & piloſus, non modo aliqua ex parte, ut viri: ſed toto corpore inſtar feræ; quamobrem nonnulli monſtris eum accenſent.

QUÆRITUR IV.

Utrum illa venditio, & emptio fuerint licitæ.

TRiplicis criminis primo intuito reus videtur Jacob hanc primogenituræ venditionem a fratre exigens. I. Quidem *Inhumanitatis*, quod fratri violenta fame laboranti, nonniſi ſtatuto pretio, etſi præ manibus ampliſſimum cibum habens, ſuccurrere voluerit. II. *Injuſtitiæ*, quod rem ſummi momenti tam vili pretio, quale eſt lentis edulium, a fratre nihil tale cogitanti extorſerit; non enim veniebat Eſau ferens venalem primogenituram ſuam, vel eam ſponte offerens. *Illius piaculi* quod in Simone Mago deinde damnavit S. Petrus, Act. 8. cum ei dixit, v. 20. *Pecunia tua tecum ſit in perditionem. Quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri.* Siquidem juri primogenituræ tunc temporis, adjunctum erat Sacerdotium, quod nullo temporali pretio licite poterat comparari.

Hæc ut planius pleniuſque conſtent, obſervandum eſt apud Veteres, præſertim Abrahami poſteros, primogenitorum ſupra reliquos fratres quinque fuiſſe privilegia. I. Qui erat primogenitus, cæteris prior accumbebat menſæ. Hinc Joſephus Ægypti Prorex, dum fratres ſuos convivio excepit: *Sederunt coram eo, primogenitus juxta primogenita ſua, & minimus juxta ætatem ſuam.* Geneſ. 43. v. 33. Quæ conſuetudo etiam apud exteros erat in uſu, ut videre eſt, Job. 1. v. 13.

II. Aliis fratribus dominabatur, eiſque ut ſuperior præerat, ut declaravit Iſaac benedicendo Jacobo, quem exiſtimabat eſſe primogenitum ſuum Eſau: *Eſto dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filii matris tuæ.* Geneſ. 27. v. 29.

III. Duplex ipſi pars erat in hæreditatem: hinc cum primogenituræ jus ablatum fuiſſet a Ruben, quod thorum patris temeraſſet, & translatum partim ad Judam, partim ad Joſephum: ille imperio in fratres donatus eſt; hic Princeps duarum Tribuum eſt inſtitutus. Eamque conſuetudinem ab Iſraelitis exacte ſervatam ſignificat Moſes, Deuteron. 21. v. 17. ubi de homine duas uxores habente, quarum una eſſet minus grata, & ſuas facultates earum filiis diſtribuente, ait: *Si filium odioſæ agnoſcat primogenitum, dabit ei, de his quæ habuerit, cuncta duplicia; iſte enim eſt principium liberorum ejus, & huic debentur primogenita.* Ad quæ verba Aben-Ezra addit: *Si tres fuerint fratres, putentur ut quatuor; & capiet ille duas partes; ſi fratres ſint bini, illi tres putentur.*

IV. Primogenitus ſingularem patris benedictionem, & longe uberiorem ac fœcundiorem, quam cæteri fratres obtinebat, ut conſtat ex benedictionibus quas Iſaacus dedit filiis ſuis, Geneſ. 27.

V. Denique primogenito cedebat jus Sacerdotii, quod ſimul cum parente adhuc ſuperſtite exercebat, ut conſtantiſſimum habent Hebræi Doctores in Berechit Rabba, ubi legitur: *Quæ cauſa, cur Jacob primogenituræ jus ita concupiſceret? Quoniam traditur ante tabernaculum conſtructum, altaria fuiſſe in uſu non illicita; atque Sacerdotii munere fungi ſolitos primogenitos. Extructo vero tabernaculo, altaria illicita erant, & functio ſacra ad Sacerdotes ſpectabat.* Idque confirmat S. Hieronymus Epiſt. 126. quam ſcripſit ad Evagrium: *Tradunt*, inquit, *Hebræi, quod uſque ad Sacerdotium Aaron, omnes primogeniti ex ſtirpe Noe, cujus ſeries & ordo deſcribitur in Scriptura. fuerint Sacerdotes, & Deo victimas immolarint; & hæc eſſe primogenita, quæ Eſau vendiderit fratri ſuo Jacob.* Quod etiam repetit in Traditionibus Hebraicis ſuper caput 47. Geneſis. Ei concinit S. Auguſtinus ſuper Pſalmum 46. *Eſau*, inquit, *cupiditate gulæ ſpiritualem, quam naſcendo acceperat, dignitatem vendidiſſe:* Sed quæ, obſecro, erat ſpiritualis dignitas ab Eſau naſcendo accepta, niſi primogenitura

con-

Digitized by Google

conjuncta ſacerdotio, ſine quo dici ſpiritualis nullo modo poſſet?

Idque confirmatur Exodi 19. v. 22. ubi ſcriptum eſt: *Sacerdotes quoque, qui accednnt ad Dominum, ſanctificentnr*. Ubi per *Sacerdotes*, non alii ſignificantur, quam primogeniti; quia nondum erant inſtituti Sacerdotes Levitici, qui duntaxat cap. 28. ordinantur. Similiter Exodi 28. v. 25. *Miſit Moſes juvenes de filiis Iſrael, & obtulerunt holocauſta: immolaveruntqne victimas Domino*. Ubi Chaldæus Paraphraſtes habet *miſit primogenitos Iſrael qni immolaverunt*.

Illa tamen primogenitorum in ſacerdotio prærogativa non excludebat alios fratres a ſacrificandi munere, dum a paterna domo ſejuncti, diſtinctarum familiarum erant capita: alioqui ſolus Japhet inter Noe filios, ſacrificandi facultatem habuiſſet, nec Abrahamus, nec Iſaac, nec Jacob, qui non erant primogeniti, victimas licite offerre potuiſſent. Quod tamen perſæpe ab eis factum eſſe Scriptura ſacra teſtatur. Igitur certum eſt, ante Aaronicum ſacerdotium, cuique familiarum capiti liberum fuiſſe ſacrificare, & ſacerdotale munus obire. Unde ſicut primogenitus ſuccedebat in locum patris, & fiebat familiæ caput, quandiu ipſe unam cum fratribus familiam conflabat; ſic illi ſoli hoc jus Sacerdotii conveniebat; non vero aliis: ita tamen ut cæteri fratres, quamprimum aliam in familiam commigrantes, necnon ipſi familiæ caput effecti, idem Sacerdotii jus acquirerent; tametſi non eadem dignitate qua primogeniti, qui in rebus omnibus antecellebant.

Itaque, primogenito, præ cæteris fratribus in jure Sacerdotii, tres erant prærogativæ. *Prima* quidem, ut parente adhuc ſuperſtite, ejus loco ſacrificare poſſet. *Secnada*, quod patre defuncto, & fratribus in eadem familia adhuc conviventibus & permanentibus, ſolus Sacerdos cenſeretur. *Tertia*, quod fratribus in proprias familias tranſeuntibus, & Sacerdotii jus etiam ſibi vindicantibus, quatenus erant familiarum ſuarum capita, primogenitus ille in diguitate ſacerdotali anteiret.

Hoc autem Sacerdotii jus, idcirco præſertim primogenito addictum erat, quod in more poſitum eſſet primogenitos offerri Domino, in gratiarum actionem acceptæ fœcunditatis; quod etiam poſtmodum Deus lege voluit eſſe cautum, Moſi præcipiens, Exodi 13. v. 2. *Sanctifica mibi omne primogeaitam quod aperit vulvam in filiis Iſrael*.

Obſervandum inſuper primogenitis illis fuiſſe præterea, ratione ſuæ ſacerdotalis dignitatis, pretioſa & fragmenta indumenta quibus uterentur diebus ſolemnioribus, & quoties Deo ſacrificandum erat ut docet S. Hieronymus in Traditionibus ſuper hoc Geneſis caput 27. *Tradita m eſt*, inquit, *ab Hebræis; primogenitos eſſe functos officio Sacerdotnm & habniſſe veſtimeatam ſacerdotale, qno iadnti, Deo victimas offerebant, antequam Aaron in Sacerdotem eligeretur*. Idque non obſcure iodicat Moſes *cap.* 27. *v.* 15. cum ait Rebeccam induiſſe Jacobum *veſtibus Eſau valde bonis, qnas apnd ſe habebat domi*; nimirum ut decenti in ſtatu paternam benedictionem primogenito debitam exciperet, ut plenius ibidem in iſtius capitis diſcuſſione expendemus. His ita præmiſſis.

Ad propoſitam quæſtionem reſpondeo graviter peccaſſe Eſau. I. Peccato *irreligionis & impietatis*, quod primogenita ſua vendiderit, quibus annexum erat jus ſacerdotale; ſicque rem ſacram terreno & caduco bono permutaverit; quod utique grande erat piaculum: cum terrena omnia rebus ſacris & ſpiritualibus comparari nullatenus debeant. Quamobrem S. Paulus cap. 12. Epiſt. ad Hebræos v. 16. vocat eum βέβηλον PROFANUM: *Neqais*, ait, *ſit foraicator aat profanns, ut Eſau, qni propter nnam eſcam vendidit primitiva ſua*. Ubi vox *fornicator*, non eſt referenda ad ipſum Eſau, quem talis flagitii reum non arguit Scriptura ſacra: ſed referri debet ad id quod antea dixerat S. Paulus, ſanctimoniam eſſe colendam *ſine qaa aemo videbit Denm*. Vox autem *profanus* ipſum ſpectat Eſau, qui rem ex parte ſacram & ſpiritualem, nempe primogenituram, cui annexum erat jus ſacerdotale, vendiderit.

Verbum enim *profanandi*, in Scriptura ſignificat rem ſacram polluere, vel humanos in uſus convertere. Hinc Pſalm. 88. v. 40. de homine impio dicitur: *Evertiſti teſtamentnm ſervi tui, profanaſti in terra ſanctuarium ejas*. Et Ezechiel. cap. 22. *Sacerdotes ejas contempſerunt legem meam, & pollnerunt ſanctnarinm meum: iater ſanctnm & profaaum non babuerunt diſtantiam*. Merito igitur Eſau a S. Paulo dictus eſt *profaans*, quod rem ſacram & ſpititualem, hoc eſt, Sacerdotium primogenituræ adjunctum, ut quid corporeum & terrenum irreligioſe atque impie vendiderit.

Peccavit II. Peccato *gulæ* & ingluvii, cum ad pulmenti conſpectum, & odorem, tanta ventris appetituſque ſatiandi aviditate abreptus fuerit, ut quidquid ipſi pretioſiſſimum erat, exigui illius cibi comparandi cauſa non erubuerit abdicare. Hinc nonnulli Græci Interpretes vocem illam βέβηλον, vertunt *gaſtrimargum*, id eſt ventri gulæque deditum: *gaſtrimargia* enim, (inquit Caſſianus initio lib. 5.) ſignificat *gulæ concnpiſcentiam*.

Exponit hæc egregie S. Remigius Remenſis Epiſcopus, vel quiſquis eſt Auctor Explanationum in Epiſtolam ad Hebræos, ubi cum Apoſtoli præfata de Eſau verba præmiſiſſet, addit: „ *Foraicator* appellatur Eſau,
„ qui contra voluntatem patris & matris,
„ uxores alienigenas duxit: *profanos* autem
„ proprie dicitur irreligioſus, quaſi porro,
„ id eſt longe a fano & templo Dei. Hic
„ autem pro gaſtrimargo, ſive pro illo qui
„ utile pro inutile vendit, ponitur; quod
„ bene congruit Eſau qui fuit gaſtrimargus
„ atque guloſus, vendens primogenita ſua
„ pro vili cibo, pro lenticula ſcilicet rufa:
„ primogenita autem appellaotur iſto in lo-
„ co honor & dignitas Sacerdotii: ante
„ Sacerdotium autem Aaron, quod a Deo
„ conſtitutum eſt in Lege, omnes primoge-
„ niti, Sacerdotes erant, ſicut fuit Sem, qui
„ fuit primogenitus filius Noe.

Digitized by Google

„ Magna etenim dignitas erat habere primogenita, quoniam & de ſubſtantia atque hæreditate paterna majorem portionem ſumebant, veſtimentorumque ornatu locupletiore ſplendebant. Unde legitur in Geneſi, quod Rebecca accipiens veſtimenta Eſau, valde bona quæ apud ſe domi habebat, induit ea Jacob, ſicque adduxit eum ad Patrem; qui, ut ſentit odorem veſtimentorum ejus fragrantium, dixit: Ecce odor filii mei, quaſi odor agri. Quia ergo inter Judæos erant quidam ſectatores Eſau in fornicatione atque gaſtrimargia, reducit ei ad memoriam factum Eſau, hortans cavendum ab omnibus illis, nequis ſimilis foret qui pro dilectione temporalium rerum uſque ad vendenda ſua primogenita pervenit. Propria ſiquidem negligentia & cupiditate vendidit honorem, quem a Deo acceperat, & pro parva re, magnam gloriam perdidit, poſtremus enim effectus eſt, qui erat primus; & qui erat ſecundus, manſit primus.

Peccavit III. Juramento confirmans primogenituræ ſuæ venditionem, & aſſumendo nomen Dei in illius teſtimonium. Vetat enim religio Deum advocari in teſtem promiſſionis illicitæ, multo magis ſacrilegæ, qualis erat illa venditio ex parte ipſius Eſau. Tametſi enim nondum erant conſtituta Decalogi præcepta, quorum ſecundo prohibetur ne *aſſumatur nomen Dei in vanum*; attamen interdictum hoc ſatis ſuperque notum erat Eſau ſuorum ex majorum inſtitutis & documentis; quippe cum hoc unum eſſet ex Noachidarum præceptis. Unde mirum non eſt quod de eo ſcribit Apoſtolus ad Hebræos 12. v. 20. *Cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus eſt: non enim invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacbrymis inquiſiſſet illam.*

Ad Jacob autem quod attinet, non levis eſt difficultas, utrum in tota hac agendi ratione cum ſuo fratre, ita ſeſe geſſerit, ut expers fuerit omnis omnino culpæ: nam, ut dictum eſt in hujus quæſtionis exordio, tria videtur peccaſſe in illa primogenituræ emptione. Nec mihi probatur eorum ratio, qui contendunt non fuiſſe iniquam illam ſtipulationem ex ejus parte, quod Eſau libere venditionem illam fecerit; *Volenti enim*, inquiunt, *non fit injuria*. Verum hoc axioma non debet univerſaliter admitti. Si quis enim ex imprudentia rem ſibi nocivam a viro ſapiente exigeret, non propterea hic illam ipſi tribuere deberet: ſed effatum illud comparate debet intelligi; nimirum quod injuria volenti non fiat tanta, quanta nolenti & reluctanti.

Felicius & rectius eum excuſare videntur, qui ſentiunt Jacobo notum fuiſſe ſibi divinitus eſſe promiſſum primogenituræ jus. Cum enim Deus revelaſſet Rebeccæ, quod major ejus filius ſerviturus eſſet minori, citra dubium eſt, quod ipſa divinum hoc oraculum declaraverit Jacobo, quem unice diligebat; ac proinde Jacobus, cum certus eſſet jus illud ex divino decreto ſibi deberi, illud ab Eſau, tanquam ab injuſto occupatore, quoquo modo poſſet, redimere potuit: unde licet Eſau peccaverit, illud vendendo; non peccavit tamen Jacob, iſtud ab Eſau tanquam ab invaſore vendicando.

Unde excuſatur: Primo ab *inhumanitate* tum quia Eſau non neceſſitate, ſed delectationis cauſa movebatur; cum enim eſſet domi, potuiſſet famem aliter expellere, quam per eſum illius pulmenti: tum quia prudentis eſt negare aliquid occupatori juris ſui, quando ſeſe offert occaſio hac negatione recuperandi id quod ſuum erat, & inique ab alio poſſidetur.

Excuſatur etiam ab *Injuſtitia*, quaſi rem ſummi momenti exiguo pretio comparaverit; hoc namque in negotio perſonam non induit empturis quaſi acquireret rem non ſuam ſed redemptoris; nimirum ut jus ſuum ab alio injuſte occupatum redimeret. Abuſus eſt quidem verbo *vendendi* propter ignorantiam & malitiam Eſau: *ignorantiam* dico, quia Eſau forte neſciebat Dei decreto translatum eſſe primitivorum jus ad Jacob: *malitiam* vero, quia perſuaſus erat Jacob Eſau ita eſſe pravi & obſtinati animi, quod etiam ſi illud noſſet, tamen cedere noluiſſet.

Tandem excuſandus etiam videtur ab *emptione rei ſacræ*: Siquidem noluit primogenituram emere cui annexum erat Sacerdotium; ſed redimere ſuam vexationem, & rem ſibi debitam recuperare ab injuſto poſſeſſore. „ Jacob (*inquit* Lipomanus) docente matre cognoverat jus primogenituræ, Dei voluntate, & decreto, ſibi eſſe delatum, unde ſuam intelligitur vexationem redemiſſe, revocando prudenter ad ſe, quod ſibi ex gratia Dei competebat; licet tum ab Eſau occuparetur. Dicunt etiam nonnulli, quod ſicut jus Patronatus partim eſt ſpirituale, & partim temporale; propter quod per ſe quidem vendi non poteſt; ſed poteſt tamen cum fundo vendito transferri in alium: ita jus primogenituræ: cum redditibus, aliiſque bonis temporalibus ad ſe pertinentibus transferri poterat per venditionem.

At, Inquies, qui inducit aliquem in peccatum, reus eſt ejuſdem criminis: ſed Jacob fratrem ſuum induxit in peccatum: igitur &c.

Reſpondet Cajetanus, quod etſi Jacobus fratrem ſuum Eſau excitavit ad illam illicitam venditionem, non propterea peccavit: ſicut nullius criminis reus videtur Eccleſiaſticus, qui offert pecuniam occupatori ſui beneficii; non enim, *inquit*, eſt hoc inducere ad peccatum; ſed alii non ſolum parato ad peccandum, verum etiam actu peccanti, detinendo ſcilicet quod ſuum non eſt, offerre redemptionem ſecundum veritatem: quamvis ſecundum modum loquendi, & ſecundum intentionem alterius, videatur eſſe aliud. Unde dicens Jacob: *Vende mihi primogenita tua*, revera hunc ſenſum facit: Da mihi primogenita, quæ vere ſunt mea: & quia non vis gratis dare, offero prandium abs te tantopere expetitum.

Nec obſtat, ſi dicatur, Eſau inſcium divinæ ordinationis, bona fide tenuiſſe primogenituram. Hoc, inquam, non obſtat,

quo-

Digitized by Google

quoniam etiamſi ſciviſſet Eſau divinam ordinationem, non propterea ceſſiſſet: ſed nihilominus retinere eam voluiſſet. Siquidem cognita poſt ordinatione patris, & Dei, dixit: *Venient dies luctus patris mei, & interficiam Jacob*. Licuit ergo redimere vexationem ſuam ab ignorante: & quidem tanto magis, quanto minus peccandi occaſionem accipit ignorans, ſe poſſidere alienum, quam ſciens. *Ita Cajetanus*.

Veriſimiles quidem ſunt omnes illæ rationes quibus excuſari poteſt Jacobus in illa primogenituræ propoſita & peracta emptione: at efficaciori argumento confirmatur illius ea in re ab omni crimine exemptio, quod Scriptura non referat illum propterea a Deo fuiſſe reprehenſum, & divina ejus dilectione & protectione minus dignum. Inſuper eventus probavit, totum iſtud negotium, non niſi Deo ita diſponente, fuiſſe peractum.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XXVI.

QUatuor hoc in capite veniunt notanda. I. Migratio Iſaaci in terram Philiſtinorum, & ad eorum Regem Abimelech propter graſſantem in Chananitide famem. II. Ipſius Iſaaci cum Rebecca uxore ſua pactum, ut hæc ſe ſororem ejus diceret. III. Vexationes ipſi Iſaaco factæ a Philiſtinis, & tandem initum fœdus cum eorum Principe. IV. Eſau conjugium & polygamiam cum exteris mulieribus, præter patris & matris voluntatem.

QUÆRITUR I.

Utrum Rex Abimelech, hic memoratus, idem ſit qui Abrahamum exceperat, & Saram abduxerat.

JOſephus lib. 1. Antiquit. vult hunc Abimelechum eundem fuiſſe apud quem peregrinatus fuerat Abraham, quia conveniunt nomina tam illius, quam ducis exercitus ejus. Eandem ſententiam tuetur S. Auguſtinus, quam ut aſſerat, dicit ea quæ hoc in capite referuntur, prius quidem geſta, ſed propter hiſtoriæ Jacobi & Eſau connexionem hic eſſe poſtpoſita, & per recapitulationem commemorata.

Verum hoc S. Auguſtini argumentum non urget, ſupponit enim pro certo Regem Abimelech hic nominatum, illum ipſum fuiſſe eum quo Abrahamus fœdus inierat. At eundem non eſſe probabile reddit temporis ſpatium elapſum ab inito illo fœdere ad hanc uſque Iſaaci profectionem. Nondum enim natus erat Iſaacus cum Abraham profectus eſt Geraram ad Regem Abimelech: Iſaacus autem ſexagenarius erat, quando nati ſunt ei Eſau & Jacob: quibus ſexaginta annis, ſi adiiciantur viginti aut ſaltem quindecim vitæ duorum ipſius filiorum, quando hanc peregrinationem exortus eſt, efficient annos 75. Porro Abimelech ille quem convenit Abrahamus, erat tunc ad minus natus annos triginta, quippe cum haberet uxores & liberos; igitur ſi idem eſſet cum eo, quem adivit Iſaacus, ſequeretur eum regnaſſe pluſquam centum annis. Quæ ætas, etſi illo tempore non fuit inſueta, vix tamen credibile eſt Regem aliquem tandiu regnare potuiſſe, & adhuc aptum fuiſſe rebus gerendis.

Accedit quod ſi fuiſſet idem Abimelech, dubio procul meminiſſet nominis Abrahami, fuiſſetque conqueſtus ab Iſaaco eadem ſibi impoſita, quæ ab ejus patre, dum diſſimulavit Rebeccam ſuam eſſe conjugem: quapropter cum nequidem ſemel Abrahami nomen proferat, argumentum eſt illum eſſe diverſum ab eo, quem inviſit Abrahamus.

Nec movere debent *Abimelechi* & *Phicol* nomina; Nam, ut obſervat S. Hieronymus lib. 9. comment. in Ezechielem, nomen *Abimelech* erat tunc temporis commune Regibus Palæſtinæ, quemadmodum nomen *Pharaonis* Regibus Ægypti; & nomen *Cæſaris* & *Auguſti* commune Romanis Imperatoribus. *Phicol* erat pariter nomen commune, ſignificans *os omnium* & eum denotabat, qui pro omnibus apud Regem verba faciebat, vel qui aliis Regis voluntatem indicabat. Nulla igitur ratio vetat credere hiſtoriam hujus capitis ſuo loco eſſe narratam.

Cum ad Abimelech pergeret Iſaac, *Apparuit ei Dominus & ait: ne deſcendas in Ægyptum*. Cur autem Deus Iſaaco interdixerit acceſſum in terram Ægypti, quo Abrahamum patrem ejus deſcendere paſſus fuerat? Tametſi Moſes rationem non exprimit; coniicere tamen licet, id forte prohibitum, quod acceſſus ille foret filio magis periculoſus, quam patri: Vel quod pejores tunc eſſent Ægyptii: Vel quod plus infirmitatis erat in Iſaac, quam fuerat in Abrahamo; idcirco Deus diſcrimini eum obiici noluit.

At alteri periculo ſeſe expoſuit Iſaacus ipſe: nam, inquit Moſes: *Cum interrogaretur a viris loci illius ſuper uxore ſua, reſpondit: ſoror mea eſt*; timuerat enim confiteri

quod ſibi eſſet ſociata conjugio, reputaat ne forte interficereut eum propter illius pulchritudiaem. Igitur hoc arrificio uſus eſt Iſaac, Abrahami ſui patris incitatus exmplo, qui proſpero ſucceſſu ſimilem diſſimulationem obtenderat, vitæ ſuæ conſulturus, imminenſque periculum declinaturus.

Nec eſt quod quis propterea mendacii reum Iſaacum putet: hæc enim dicens, non negavit, ſed prudenter tacuit Rebeccam eſſe ſuam uxorem; quæque cognata ſibi erat, more ſuæ Gentis, ſororem vere appellavit. Erenim Bathuel pater Rebeccæ, conſobrinus erat Iſaac; nam, Nachor Bathuelis pater, erat germanus frater Abrahami. Igitur qua ratione dixit Abrahamus Saram ſuam eſſe ſororem, Iſaac Rebeccam ſororem ſuam appellare potuit.

An vero tali diſſimulatione nonnihil peccaverit Rebeccam obiiciens in diſcrimen perdendæ pudicitiæ, Dei judicio definiendum relinquo. Certum autem eſt illum ea de re gravirer reprehenſum eſſe ab Abimelecho: *Qui*, ait Moſes, *proſpicieus per feueſtram, vidit eum jocautem cum Rebecca uxore ſua: & accerſito eo, ait: cur mentitus es eam ſororem tuam eſſe.... Quare impoſuiſti nobis? potuit coire quiſpiam de populo cum uxore tua, & induxeras ſuper nos grande peccatum.*

QUÆRITUR II.

Quis fuerit ille luſus Iſaaci cum Rebecca, quo Abimelech deprehendere potuit illam eſſe ipſius uxorem.

Difficultati ac quæſtioni locum præbet hebræa vox *metſachek* quæ vel *jocum*, vel *luſum*, vel *actum conjugalem* in Scriptura ſignificat. Hinc putanr aliqui, præſertim Salaces Judæi, ab Abimelecho idcirco Rebeccam non Iſaaci ſororem, ſed conjugem fuiſſe judicatam, quod viderir eos invicem coeuntes: cum enim, inquiunt, diuturna experientia perſuaſus eſſet Iſaacum eſſe virum probum, & Rebeccam virtuti & pietati ſtudenrem, ex eorum commixtione inrulit eos eſſe conjuges; neque enim adeo pravam de illis habere potuit exiſtimarionem, ut libidinis furore abrepti inceſtum admittere non abhorrerent. Eandem ſententiam amplectuntur Cajetanus, Toſtatus & alii bene multi.

Verum qui rem ſerio & mature perpendet, nuſquam exiſtimabit Iſaacum & Rebeccam tantæ fuiſſe nedum imprudentiæ, & adeo pudoris ac honeſtaris oblitos, ut conjugalem actum in propatulo inire ſeſeque etiam a longinquo ſpectandos præbere, veriti non fuerint. Credibilius iraque eſt ab Abimelecho idcirco deprehenſum Rebeccam eſſe Iſaaci conjugem, quod forte viderit eum liberius illam oſculantem & amplexantem, quam cum ſorore agere deceret.

Cum enim ſcitet illum eſſe virum gravem, moribuſque compoſitum & honeſtum, judicavit eum tanta liberrate & familiaritate cum Rebecca non poſſe verſari, niſi revera hæc illius eſſet uxor.

Declarat iſta egregie S. Auguſtinus: *Forte*, inquit, *ſtudioſorum aliquis quærat, in cujus figuræ ſacramento accipiendum ſit, quod Rex alienigeua Rebeccam viri ſui conjugem tunc eſſe coguovit, quando eum cum illa ludeutem vidit, quod uou coguoviſſet, niſi cum conjuge ille ſic luderet, quomodo cum ea, quæ conjux non eſſet, ludere uon deceret. Quod cum ſancti conjugati faciunt, nou inaniter faciunt, ſed prudeuter. Deſcenduut enim quodammodo ad fœminei ſexus infirmitatem, ut aliquid blanda hilaritate, vel dicant, vel faciaut: uon eaervautes, ſed temperantes virilem rigorem; quod tameu ei, quæ uxor uon eſt, qui dixerit, aut fecerit, turpis eſt.*

Ex his inferre licet. I. Iſaacum diutiſſime eum Rebecca veluti cum ſorore pudice & ſerio fuiſſe converſarum, & quouſque comperiit nil ſibi moleſtæ ob ejus pulchritudinem, a Philiſtinis eſſe timendum.

II. Illum ita ſancte & pudice vixiſſe, ut ne levis eriam de ejus caſtitate & probitare ſiniſtra ſuſpicio, a Principe Ethnico potuerit haberi.

III. Majorem tunc, quam hoc ſæculo, viguiſſe integritarem; nec ita vulgatas & profuſas illo tempore fuiſſe libidines; quippe cum, ne quidem de hoſpite, liberius cum fœmina agenre, obliqua opinio Regis animum ſubierit.

IV. Hoc exemplo nos doceri, ſic tota vita colendam eſſe virtutem, ut nequid ſcelestum, aut turpe de nobis ſuſpicari poſſint homines: nihil enim ſelicius ab omni infamiæ labe, & contumeliæ nota vendicat, quam vita pudice & religioſe acta.

V. Servos Dei nuſquam ab ipſo deſeri: quin potius imminentibus periculis ſemper eis opem ferri. Habebat Abimelechus unde excandeſceret in Iſaacum, quod ſub ementito ſororis nomine, eum fefelliſſet. Acriter quidem eum objurgat dicens: *Quare impoſuiſti aobis? potuit coire quiſpiam de populo eum uxore tua; & induxeras ſuper nos grande peccatum.* Ejus tamen animum ita inflectit Deus, ut ille edicto publico ſub capitali pœna prohibuerit, nequis ſuis e ſubditis Rebeccam tangeret, eique fieret moleſtus. Quod autem pacifice, tutoque apud eos vixerit Iſaac una cum numeroſa ſua familia, apparet ex his quæ Moſes adiicit: *Sevit autem Iſaac iu terra illa, & invenit in ipſo anuo centuplum: beuedixitque ei Dominus.* At

QUÆ-

QUÆRITUR III.

Quomodo hæc cohæreant cum his quæ antea dixerat ei Deus, ut ibi inquilinus eſſet & peregrinus.

DEus prohibens Iſaaco ne deſcenderet in Ægyptum, ſed quieſceret in terra quam ei deſignaret, adjecerat: *Peregrinare in ea.* Unde moveri poteſt quæſtio, quomodo ſerere potuerit Iſaac quem Deus tota vita, præſertim in regione Philiſtinorum peregrinari jubebat? Sunt qui exiſtimant, quod cum haberet Regem ſibi propitium ac benevolum, ipſo annuente agros quoſdam emit, coluit, ſevit, ex eiſque meſſem retulit ampliſſimam.

Verum huic ſententiæ repugnat ipſum Dei de continua peregrinatione mandatum, quod ab Iſaaco fuiſſe violatum, non eſt veriſimile.

Repugnat etiam continua ipſius Iſaaci in terra illa deambulatio: cum enim propter ingentes illius divitias & populoſam familiam, inviderent ei Philiſtini, quibus Iſaac utebatur, ne quid ei deterius contingeret, dixit illi Abimelech: *Recede a nobis, quoniam potentior nobis factus es.* Cui obtemperans Iſaacus, inde continuo diſceſſit; nulla facta emptorum agrorum venditionis mentione, quæ tamen venditio non fuerat prætermittenda, ſi quos agros revera ſibi prius pretio comparaſſet, *Deinde* poſt ſationem illam, ſtatim recenſentur ingentes Iſaaci divitiæ, & opulentia his verbis: *Habuit quoque poſſeſſiones ovium, & armentorum & familiæ plurimum.* Nulla vero fit agrorum mentio.

Itaque veriſimile eſt ſationem hanc in agris conductitiis eſſe factam: quanquam enim Iſaac nullam habebat certam & propriam poſſeſſionem; quia tamen e re ipſius, ut patris-familias, erat victum parare numeroſæ ſuæ familiæ, prudentiſſime cenſuit agrum eſſe conducendum in quo ſereret, & ex quo meſſem colligeret, Quod autem Deus hanc agri conductionem non improbaverit, imo habuerit gratiſſimam, apparet ex eo quod in eo factæ ſationi benedixerit, ut illa ſuſceptum ſemen reddiderit in centuplum.

Quæ hoc in capite ſuperſunt, facilia ſunt intellectu: referuntur enim variæ Iſaaci migrationes in ipſa regione Philiſtinorum, propterea quod ab ipſis divexaretur: ipſum inter & Abimelechum initum fœdus: & Eſau, contra parentum voluntatem, matrimonium cum duabus Hethæorum filiabus.

DISQUISITIONES IN CAPUT XXVII.

TRia hoc in capite ſunt potiſſimum obſervanda. I. Iſaaci ſenio confecti viſuque orbati propoſitum de impertienda paterna benedictione filio ſuo primogenito. II. Conſilium Rebeccæ filium ſuum Jacobum induentis, ut captata Eſau abſentia, paternam illam benedictionem præriperet. III. Capitale Eſau in fratrem Jacobum odium, propter ſubreptam illam benedictionem; quam ob cauſam Jacobus ſuaſu & inductu matris, patriſque conſenſu, e paterna domo exulare compulſus eſt, ut vitæ ſuæ conſuleret, fratriſque declinaret iracundiam.

Complebat annum vitæ ſuæ 137. Iſaacus, viſuſque ipſi defecerat; non tam præ ſenectute, & ætate decrepita, ut nonnulli putant: cum adhuc fuerit ſuperſtes annis 43, ſed ex peculiari infirmitate, qua factum eſt, ut luminibus obductis, videre non poſſet. Arbitratus autem ſe morti proximum, quam ab Abrahamo patre benedictionem acceperat, filio ſuo primogenito impertiri voluit, ut eum hæredem inſtitueret omnium bonorum ſuorum, tam temporalium, quam ſpiritualium, hoc eſt, futuri benedicti ſeminis.

Quapropter accerſit Eſau, quem habebat pro primogenito, eique jubet parare cœnam, ut delicatiori cibo recreatus, expeditior eſſet ad propheticam & ſolemnem benedictionem ipſi largiendam. Quamvis enim divino Spiritu agerentur ſanctiſſimi Patriarchæ & Prophetæ cum ederent oracula, reſque futuras prænuntiarent; exiſtimabant nihilominus ad id non eſſe inutilem corporis compoſitionem, & diſpoſitionem organorum, ut expeditior eſſet animus ad ſuas functiones exercendas: Hinc Eliſeus 4. *Reg. cap.* 3. *v.* 15. requiſitus a Regibus Juda & Iſrael, ut indicaret quis futurus eſſet ab eis ſuſcepti belli exitus, juſſit adduci ſibi pſaltem. *Cumque caneret pſaltes, facta eſt ſuper eum manus Domini, & ait* &c.

Obſervandum inſuper duplicem in Scriptura ſacra diſtingui benedictionem: *Ordinariam* unam, *extraordinariam* alteram: illam charitatis; hanc auctoritatis. De priori loquitur Chriſtus D. Lucæ 6. *v.* 27. *Benedicite maledicentibus vobis.* De poſteriori S. Paulus ad Hebræos 7. *v.* 7. *Sine ulla contradictione, quod minus eſt, a meliore benedicitur.* Prior fieri ſolebat a Sacerdotibus, quibus imperat Deus, *Numer.* 6. *v.* 23. Ut benedicant filiis Iſrael, & dicant. *Benedicat tibi Dominus & cuſtodiat te: oſtendat Domi-*

nus

nus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui: convertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem. Talis fuit benedictio quam Melchiſedech impertiit Abrahamo, *Geneſ.* 14 *v.* 16. Talis pariter erat benedictio Principum in ſubditos, ut 3. *Reg. cap.* 8. *v.* 14. *Convertitque Rex* (Salomon) *faciem ſuam, & benedixit omni Eccleſiæ Iſrael:* talis benedictio parentum in filios, cujus exempla frequenter occurrunt.

Extraordinaria benedictio, non tam appreeatio erat, quam aſſertoria rerum futurarum denuntiatio; qualis fuit Iſaaci benedictio erga Jacobum; ipſiuſque Jacobi erga ſuos filios. Hanc ergo impertiri voluit Iſaac Eſau tanquam primogenito.

QUÆRITUR AUTEM I.

Utrum licite Iſaacus id intenderit.

SUnt qui Iſaacum triplicis peccati hoc in propoſito reum exiſtimant. I. Affectus præpoſteri, quo nimium amavit filium deteriorem, negligendo meliorem. II. Injuſtitiæ in Jacobum, dum voluit eum privare benedictione & hæreditate quam ei Deus deſtinarat. III. Deſpectus divinæ ordinationis. qua Jacobus Eſau erat anteponendus.

At facili negotio hæc diſſolvuntur. Primum quidem; nam citra culpam majori propenſione Iſaacus ferebatur erga Eſau. I. Quia erat primogenitus, præcipuuſque jure naturali facultatum hæres. II. Illius in Sacerdotio, & in familiæ directione coadjutor. III. Ipſius perſonæ, & obſequio addictior: Jacobus vero in matrem propenſior, patrem minus facere videretur.

Ad ſecundum reponere licet, Iſaaco forte latuiſſe vaticinium, quo prænuntiabatur majorem eſſe minori ſubjiciendum: neque enim videtur præſens adfuiſſe, dum Rebecca oraculum conſuleret. Fieri quidem potuit, ut hæc illi Dei ordinationem circa filios declaraverit. At anceps erat quo ſenſu oraculum illud eſſet intelligendum; dictum enim fuerat duos populos in utero Rebeccæ contendere, quorum unus, minor nempe majori prævaleret. Porro ignorare potuit Iſaacus quis futurus eſſet ille major populus. *Deinde* ſi inter populos a duobus filiis ſuis propagandos debuit hæc eſſe diſcrepantia, ignorare potuit eandem incepturam a capitibus: proinde credibile eſt Iſaaco ita non fuiſſe perſpectum ſenſum oraculi, ut ex eo certo ſcire potuerit decretam Jacobo prærogativam.

Inde patet etiam Reſponſio ad tertium momentum: neque enim Iſaacus Eſaum præponere voluit Jacobo in contemptum divini oraculi, quia hoc ſatis non habebat exploratum. Quin etiam adjicere licet cum Joanne Ligthfooto obſervatione 27. in Geneſ. idcirco ab Iſaaco emiſſum Eſau venarum, ut cognoſceret inde, ipſene eſſet benedicendus, an non? Cum enim jam compertum haberet ipſum Eſaum, vacuum e venatione reducem, ſua primogenita vendidiſſe; experiri voluit per eventum imperatæ venationis, utrum dignus, an indignus foret ſuſcipiendæ paternæ benedictionis. Inde factum putat Ligthfootus. quod quamvis benedictionem maximam Iſaacus deceptus in Jacobum contuliſſet; attamen audiens Eſau domum reverſum expers præda, Dei voluntatem eſſe judicavit, ut aliquam pariter benedictionem huic conferret.

Cum audiiſſet Rebecca, quæ Iſaac præceperat Eſau, ut paternam benedictionem acciperet; ſtatim accerſivit filium ſuum Jacobum, quem præ Eſau diligebat, cuique ſciebat jus primogenituræ divinitus eſſe repoſitum; juſſitque ut pergens ad gregem afferret ipſi duos hædos optimos, ex quibus ipſa pararet eſcas, quibus ſciebat libenter Iſaacum veſci; quatenus illis patri ab eo oblatis, propoſitam benedictionem obtineret. At Jacobus veritus ne in fraude deprehenſus, maledictionem ſibi, loco benedictionis accerſeret, ſeſe excuſavit dicens: *Noſti quod Eſau frater meus homo piloſus ſit, & ego lenis: ſi attrectaverit me pater meus, & ſenſerit, timeo ne putet me ſibi voluiſſe illudere, & inducam ſuper me maledictionem.* Hunc ſcrupulum ac timorem ut elevaret Rebecca, repoſuit: *In me ſit iſta maledictio, fili mi.*

His verbis animatus, cucurrit Jacob ad ovile, ex quo duos Hædos attulit, quos inſtar carnis ferinæ aptari jubet Rebecca: interim Jacobum induit veſtibus Eſau, ejuſque collum & manus pellibus hædorum affabre aſſutis, obtexit; ut ſi contrectaretur a patre, hirſutus ut Eſau appareret.

QUÆRITUR II.

Utrum in his non peccaverit Rebecca.

PEccaſſe videtur. I. In ipſum jus naturale, quod primogenito filio ſuo parum æqua, ipſum paternæ benevolentiæ effectu privare intenderit. II. Quod Jacobum filium ſuum ad fallendum patrem, & mentiendum inſtruxerit; expoſueritque periculo odii fraterni, & paternæ maledictionis. III. Quod præpoſtero zelo, & muliebri impatientia, Dei propoſitum dolo & mendaciis promovere cogitat, nec patienter expectat ut promiſſa ſua Deus ipſe impleat. Habebat infixum animo, primogenituræ jus divinitus eſſe decretum filio ſuo Jacobo: igitur patienter debebat expectare ut ratum oſtenderet Deus,

quod

Digitized by Google

quod ſemel in ſe decreverat; maxime cum ſciret judicia Dei eſſe immutabilia.

Excuſari tamen poteſt Rebecca. I. Quia divinitus erat edocta, primogenituræ jus, & conſequenter paternam benedictionem & hæreditatem non ad Eſau, ſed ad Jacobum ſpectare: proindeque nihil ſubtrahebat Eſau, quod eſſet ipſi jure naturali debitum.

II. Veroſimile eſt, divino inſtinctu & monitu inductam fuiſſe ad ea omnia ſuadenda, & exequenda; utpote cum fœlici ſucceſſu ejus propoſitum Deus coronaverit. Accedit quod cum eſſet inſignis pietatis, & integritatis morum, noſce potuit ſpiritu prophetico nihil ſibi, nec Jacobo timendum eſſe a paterna maledictione, nec ab aliis ioſauſtis eventibus. Utut ſit, aut nullum in iſto negotio fuit Rebeccæ peccatum; aut ſi quod fuerit, prorſus leve fuit, ac omnino veniale, cum propterea Deus ipſi divinis in Scripturis nullatenus ſuccenſeat.

Jacob itaque collo manibuſque hædinis pellibus tectus, & indutus *veſtibur Eſau valde bonis, quas apud ſe Rebecca habebat domi*; hoc eſt, indumentis quibus Eſau ſive ſacrificando, ſive in actione quapiam ſolemni uti ſolebat; & accepto quod mater paraverat edulio, accedit ad patrem, dixitque, *pater mi?* Cui reſpondens Iſaacus, *audio, quis es tu fili mi? dixitque Jacob: ego ſum primogenitus tuus Eſau: feci ſicut præcepiſti mibi: ſurge, ſede, & comede de venatione mea*.

QUÆRITUR III.

Utrum in iſtis verbis aliquid peccaverit Jacob.

TRiplicis mendacii reus videtur. *Primo*, cum patri quærenti de perſona quis eſſet, ait: *Ego ſum primogenitus tuus Eſau:* non enim erat Eſau, ſed Jacob. II. Cum dicit: *Feci ſicut præcepiſti mibi:* nihil enim ei tunc Iſaac de afferendo cibo præceperat; ſed tantum id juſſerat Eſau. III. cum addit; *Comede de venatione mea;* cibus enim quem offerebat, non erat paratus ex aoimalibus venatione captis, nec ferina, ſed hædina erat caro, quam ex grege domeſtico ſumpſerat.

Ut Jacobum Patriarcham ſuom a mendacio excuſent Hebræorum quidam Doctores, dicunt cum *Aben-Eſra*, & *Raſi*, verba hæc: *Ego ſum primogenitus tuus Eſau*, cum diſtinctione fuiſſe prolata: ita ut duo priora *Ego ſum*, ſpectent ad Jacobum: duo vero ſequentia connotent perſonam Eſau. Ac ſi dixiſſet Jacobus, ego ſum qui tibi cibum attuli: Eſau vero eſt primogenitus tuus. Verum Rabinicum hoc commentum proferre, diſſtare eſt; nam, quæ ſequuotur, verba illud omnioo confutant.

Suot qui Jacobum a mendacio eximere nituntur, dicendo verbis illis quæ protulit, nihil contra ipſius mentem & propoſitum ſignificari: ita ut dicendo: *Ego ſum primogenitus tuus Eſau*, ſignificare voluerit, ego ſum loco Eſau primogeniti tui, ejuſque vices impleo; jam enim ille non eſt primogenitus, ſiquidem primogenituræ ſuæ jura mihi vendidit. Similiter cum addit: *Feci quod juſſiſti*; intendebat a ſe ea, quæ alias juſſerat pater, impleta eſſe: hæc autem verba: *Comede de venatione mea*; eo ſenſu volunt ab illo prolata, ac ſi dixiſſet, comede carnes a me paratas, quæ ſuo ſapore & odore carnem venatione captam, aut ferinam referunt & redolent.

Sic eum excuſat Theodoretus *quæſt.* 81. *in Geneſ.* Ubi cum quæſiviſſet utrum Jacob eſſet mentitus, dicendo *ego ſum Eſau primogenitus tuus?* Reſpondet: *Emerat privilegia primogenituræ; vere igitur ſeipſum appellabat primogenitum*. Ei concinit S. Gregorius Magnus, homil. 6. io Ezechielem: *Jacob*, inquit, *primogeniti benedictionem, non per fraudem ſurripuit: ſed ut ſibi debitam accepit, quam concedente fratre, data leutis mercede emerat*. His concinunt Iſiuorus Hiſpalenſis, Venerabilis Beda, Rupertus, & alii qui Jacobum a mendacio excuſant.

Duplex enim, inquiunt, eſt primogeniti genus; ſicut duo ſunt filiorum geoera: alii enim ſunt filii ſecuodum carnem; alii ſecundum jus, ut docet Apoſtolus ad Rom. 9. v. 6. *Non omnes*, inquit, *qui ex Iſrael ſunt ii ſunt Iſraelitæ: nec qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filii: ſed qui filii ſunt promiſſionis, æſtimantur in ſemine*. Et ſtatim: *Non ſolum autem illa, ſed & Rebecca ex uno concubitu*, &c. & quia *major ſerviet minori*, &c. S. Paulus itaque ſemen Abrahæ vocat, populum Gentium, eundemque fratrem appellat minorem, cui major erat ſerviturus. Ut igitur ſine mendacio, Gentium hic populus in fidem jam & hereditatem Judæorum ſuſfectus, dicere poterat: *Ego ſemen Abrahæ:* ita & Jacob, quoniam jus habebat ad primogenituram, in quam Deo auctore fuerat ſubſtitutos, vere utique dixit: *Ego ſum primogenitus tuus Eſau*. Quod cum Joannes Baptiſta *Elias* a Domino vocatus ſit, non natura quidem, ſed præcurſoris officio: num ad eum quoque modum Jacob, qui ad hæreditatem erat deſtinatus, ſe eſſe Eſau ſine falſitate potuit aſſerere? *Hæc illi Auctores*.

Verum cum eo fine ſint inſtituta verba, ut mentem noſtram proximo exprimamus; quicumque aliter loquitur, quam verba vulgaria ſonant, dubio procul fallit ac decipit: licet mendacii reos non dicatur qui contra mentis propoſitum verba nun effert, ſaltem deceptoris ac verſipellis crimen effugere nequit. Quam noxam qui adſcribet Patriarchæ Jacobo, quem Moſes ob ſinceritatem & ſimplicitatem celebrat, in virum ſanctiſſimum valde cootumelioſus erit. Chriſtus D. *Matthæi* 5. *v.* 37. præſcribens formam jurandi, atque mentis noſtræ ſinceritatem teſtificandi, ait: *Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt: non, non*. Quod S. Jacobus repetit in ſua Epiſtola Catholica, cap. ult. qua vocis gemina-

tione

tione uſus fuiſſe videtur Chriſtus Dominus, ut deſignaret duplicem confirmationem verborum noſtrorum; unam cum re, alteram noſtro cum conceptu; nimirum ut efferamus quod eſt, & quod eſſe ſentimus. Unde ſequitur Chriſti Domini præceptum eſſe, ut lingua menti conſonet, nec aliter loquamur, quam concipimus.

Itaque omiſſis aliorum ſententiis qui Jacobum Patriarcham a mendacio excuſare nituntur, eis ſubſcribendum cenſeo, qui illius in præfatis verbis juxta litteralem eorum ſignificationem, dicunt triplex ineſſe leve ſaltem mendacium; quod etiam admittit ſubtilis Doctor *lib. 3. ſentent. diſtinct.* 38. *quæſt. un. Num.* 13. ubi varia proferens Patriarcharum exempla, qui mentiti videntur, ait: „ Ad illud de Jacob, licet aliqui conentur multum ſalvare eum, & aliquos „ Patres Veteris Teſtamenti non fuiſſe mentitos; cum tamen in aliis concedant eos „ habuiſſe legem imperfectam, & gratiam „ modicam reſpectu noſtri, qui & legem „ habemus perfectam, & gratiam ſuperabundantem, & de noſtris non negatur „ aliquando mentiri, vel fuiſſe mentitos, „ non videtur multum rationabile negare „ illos quandoque fuiſſe mentitos, vel potuiſſe mentiri. Quod ſi ita eſt, etſi laudemus bona facta eorum, & illa ſumamus in exemplum; mala autem nec recipimus in exemplum, nec pertinaciter „ excuſamus, dicitur tamen quod tales ſermones poſſunt figurative intelligi, vel ſub „ alio intellectu, quam verba primo exprimant. Sed circa tales intellectus non oportet immorari. *Ita ſubtilis Doctor.*

Ei conſentit Lyranus in hoc Geneſ. cap. 27. Ubi poſtquam nonnulla adduxiſſet ad excuſandum Jacobi mendacium, ait: *Sciendum tamen, quod non videtur mihi magna neceſſitas excuſandi Patres Veteris Teſtamenti a mendacio, maxime officioſo.*

Quod vero dicamus Jacobum & mentitum & fraude aliqua uſum fuiſſe, nihil derogatur gloriæ Dei, quæ potius inde illuſtratur; nec neceſſe eſt ab omni peccato Jacobum excuſare. *Si enim omnes ſanctos & ſanctas* (inquit S. Auguſt. lib. de nat. & grat.) *cum hic viverent congregare poſſemus, & interrogare, utrum eſſent ſine peccato, quantalibet eſſent ſanctitatis excellentia præditi, una voce clamarent: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus.* Quæ poſtrema ſententia deprompta eſt ex cap. 1. prioris epiſtolæ S. Joannis.

Sunt tamen qui cum S. Auguſtino, Patriarcham Jacobum ab omni mendacii labe ſe purgaturos exiſtimant, dicendo in ejus verbis non ſubeſſe mendacium, ſed myſterium: „ Quod Jacob matre fecit auctore „ (*inquit S. Auguſtinus*) ut patrem fallere „ videretur, ſi fideliter & diligenter attendatur, non eſt mendacium, ſed myſterium, &c.

Cum itaque Jacobus inquirenti patri quis eſſet, conſtanter aſſeruiſſet ſe eſſe Eſau; quinetiam forte matris conſilio vocem ſuam attemperaſſet ad vocem Eſau: ſollicitus, & anxius hærens Iſaac, num revera eſſet Eſau, quod loquentis vox tenuior eſſet, nec Eſau vocem rigidiorem exprimeret; juſſit eum accedere, ut tactu deprehenderet, quod nec viſu, nec auditu certo cognoſcere poterat. Cum enim ſciret Eſau toto corpore, ferarum inſtar, eſſe hirſutum; tactu explorare voluit, num talis eſſet, qui ſecum loquebatur, & cibum offerebat. Cum autem, ex aptatis circa manus & collum hædinis pellibus, agnoviſſet eum inſtar Eſau eſſe hirſutum, ait: *Vox quidem, vox Jacob eſt: ſed manus, manus ſunt Eſau.*

Neque tamen hoc contactu plene perſuaſus rurſus interrogavit: *Tu es filius meus Eſau?* Jacobo autem reſpondenti: *Ego ſum.* Adjicit Iſaacus: *Affer mihi cibos de venatione tua, fili mi.* Quos cum oblatos comediſſet, hauſiſſetque propinatum vinum, ait: *Accede ad me, & da mihi oſculum fili mi! acceſſit & oſculatus eſt eum, ſtatimque ut ſenſit veſtimentorum illius fragrantiam*, paternam & ampliſſimam ei benedictionem indulſit, dicens: *Det tibi Deus de rore cæli* &c. In quibus verbis filio tria denuntiat. I. Bonorum temporalium abundantiam. II. Dominationem tam in extraneos, quam in ſui fratris poſteros. III. Prædicit non defuturos, qui eum maledicant & oppugnent, ſed conſolationem adhibet, prænuntiando hoc illis male ceſſurum.

QUÆRITUR IV.

Cum Iſaacus propoſuiſſet benedicere Eſau, cur paſſus ſit Deus eum decipi.

CErtum eſt ab Iſaaco omnem, quam potuit, & debuit adhibitam fuiſſe diligentiam, ut exploraret, an is qui ſecum loquebatur, revera eſſet Eſau. Quadruplicem enim ea de re inſtituit quæſtionem. 1. Cum dixit v. 18. *Quis es tu fili mi?* Deinde v. 20. *Quomodo tam cito invenire potuiſti fili mi?* Tertio v. 21. *Accede ut tangam te.* Quarto v. 24. *Tu es filius meus Eſau?* Ut autem firmior eſſet perſuaſio, ad id aliorum ſenſuum adhibuit operam. Cum enim viſus ei defeciſſet, nec poſſet auditu certo deprehendere, utrum vox ſecum loquentis, eſſet vox Eſau; quia forte ſuſpicabatur quod Eſau conſulto vocem ſuam remitteret & extenuaret, partim ob reverentiam paternæ auctoritatis; partim ob devotionem percipiendæ benedictionis, atque etiam præ imminutis præ venationis labore & exercitio corporis viribus: idcirco duos alios adhibuit ſenſus, nimirum *guſtum*, oblatam carnem edendo, ut cognoſceret an eſſet ferina, ac per venationem apprehenſa: deinde *odoratum*, quo agnovit eſſe veſtes quas Eſau diebus ſolemnibus induere ſolebat. Mirum itaque quod non obſtante tanta diligentia, atque etiam pro-

prophetico ſpiritu, quo illuſtrabatur, Deus permiſerit ipſum decipi.

Reſpondet S. Hieronymus, Epiſt. 124. ad Damaſum Romanum Pontificem, qui ſimilem quæſtionem ei propoſuerat, non ſoli Iſaaco contigiſſe, ſed plurimis etiam Prophetis, aliiſque ſanctiſſimis viris, ut non omnia noverint: ſed tantum ea quæ, & quando Deus eis voluit revelare & exponere. Ideo Zacharias, Daniel, & S. Joannes rogant Angelos eis loquentes, ut dignentur explicare ea, quæ illis ænigmatice proponebantur. Sic etiam Deus non revelavit Iſaaco, quod Jacobus futurus eſſet legitimus repromiſſæ benedictionis hæres; donec per fallaciam, cujus ipſe Iſaacus non eſſet auctor, id fieret manifeſtum.

Profuit autem hæc ignorantia tum Iſaaco tum illius familiæ tranquillitati; nam ſi ſciens & volens Iſaacus benedictionem primogenito debitam, Jacobo fuiſſet largitus, cum Eſau ferox eſſet & ſanguinarius, in patrem aliquid iniqui moliri potuiſſet; ſicut fratris mortem machinabatur, quam ut declinaret Jacobus, coactus eſt e paternæ domo exulare.

S. Chryſoſtomus ait, hoc ideo factum, ut ita fieret illuſtrior Dei erga Jacobum cura & providentia; ſimulque manifeſtum fieret, quod quæ Deus fieri decrevit, nulla ratione poſſit impediri, juxta illud Iſaiæ 46. *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.* Addit Theodoretus, myſterium hoc illo tempore fuiſſe Iſaaco revelatum: quamobrem Jacobum ob fraudem non objurgavit nec benedictionem ſurreptam revocavit: ſed potius confirmavit dicens, verſ. 33. *Benedixi ei, & erit benedictus &c.*

Tribus itaque potiſſimum de cauſis permiſit Deus Iſaacum decipi. I. Propter præpoſterum ejus, in Eſau filium deteriorem, affectum paternum, Jacobo meliore neglecto. II. Ne Eſau in patrem excandeſceret, ſi noſſet ab illo hanc benedictionem quam ſibi debitam exiſtimabat, voluntarie in fratrem fuiſſe tranſlatam. III. Ut inde conſtaret benedictionem illam, non ex humano affectu & conſilio; ſed ex Dei ordinatione, & providentia Jacobo eſſe repoſitam.

QUÆRITUR V.

Qua ratione benedictio præter intentionem Iſaaci eam conferentis accepta Deo, & rata fuerit.

Citra dubium eſt Iſaaco proponenti paternam ſuam benedictionem impertiri, non alium fuiſſe in animo, quam Eſau; proindeque ab ipſo hanc largiente benedictionem, non de alio, quam de eodem Eſau cogitatum eſſe. Qui ergo fieri potuit, ut illa in Jacobo rata, effectumque ſortita fuerit? nam in humanis contractibus, error perſonæ contractus irritos efficit, ut in conjugiis apparet: & defectus intentionis in miniſtrante ſacramenta, hæc reddit irrita. Quinetiam Iſaacus ipſe illam improbare & revocare videtur, cum Eſau dixit v. 34. *Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam.*

Certum eſt nihilominus Deo benedictionem illam ratam probatamque fuiſſe, utpote qui illam confirmavit cap. 28. v. 14. Jacobo dicens: *Terram, in qua dormis, tibi dabo & ſemini tuo; eritque ſemen tuum quaſi pulvis terræ: dilataberis in Orientem, & Occidentem, & Septemtrionem, & Meridiem; & benedicentur in te, & in ſemine tuo cunctæ Tribus terræ.* Igitur etſi alium affectu paterno in intentione habebat Iſaacus, nihilominus cum eo in negotio ageret perſonam Dei miniſtri, non in alium illam, quam in quem intendebat Deus, debebat benedictionem dirigere.

Si enim Propheta Balaam, qui ſuam (ut legimus *Num.* 22. *v.* 12.) linguam venalem proſtituerat, ut malediceret Iſraelitico populo, cohibitus fuit a Spiritu-Sancto; adeo ut præter animi ſenſum benedixerit Electo populo, quem exitio devovere optabat: quanto magis credendum eſt ab eodem divino Spiritu linguam S. Iſaaci inflexam, ut in illum benedictionem dirigeret, cui ex divina ordinatione erat repoſita.

Accedit quod non alium intenderit benedicere, intentione proxima & immediata, quam eum qui ipſi offerebat cibos, quem contrectaverat, & fuerat oſculatus: *Nam,* inquit S. Chryſoſtomus, *ne quis opinetur, quod in perſonam Eſau benedictionem fecerit; ſed in illum quem oſculatus eſt: propterea commemorat divina Scriptura, quod oſculatus eſt, & benedixit illum quem oſculatus eſt... Vide quomodo ſervit juſtus etiam ignorans Dei voluntati. Omnia enim propter hoc diſpenſabantur, ut hic propter virtutem dignus recipiat benedictionem.* Igitur etſi anterior Iſaaci intentio ferebatur in Eſau; proxima tamen & immediata in eum, quem oſculatus fuerat, dirigebatur.

Unde, inquit Toſtatus: „ Sicut Epiſcopus conferens Ordines; præmonet ac prænunciat ſe non intendere conferre Ordines, niſi examinatis & probatis; tamen cum mox præſentes ordinat, etiam revera Ordines confert iis qui furtive, & ſine ullo præmiſſo examine, aliis ordinandis ſeſe inſeruerunt; quia ipſius immediata intentio fertur in præſentes. Ita pariter rata fuit Iſaaci benedictio accepta a Jacobo, quem proxime benedicere intendebat; etſi eum alium eſſe putaret: maxime cum jus illius benedictionis nullomodo penderet a voluntate & intentione patris; ſed ex divina ordinatione, ex qua petenda eſt efficacia propheticarum promiſſionum.

Unde facilis patet reſponſio ad ea quæ prius fuerant objecta; ad *primum* quidem: alia enim eſt ratio humanorum contractuum, alia myſteriorum divinorum. Certum quidem eſt apud homines errore in perſona irritari contractum matrimonii; quia nullum eſt matrimonium, niſi adſit expreſſus conſenſus utriuſque partis: conſenſus vero nullus eſt circa perſonam ignotam. Idcirco validum non fuiſſet conjugium inter Jacobum & Liam, quæ loco Rachelis in ipſius thorum fuerat ſubſtituta, niſi poſt fraudem agnitam, Jacobus conſenſum adhibuiſſet. Nihil autem tale occurrit in benedictionibus divinis; Deus enim nunquam errat in perſona: igitur ut benedictio, quam pronunciaverat Iſaac, eſſet valida, non opus fuit ut accederet Iſaaci conſenſus, quia hæc ante ipſius conſenſum rata fuerat apud Deum.

Inde eſt quod ſtatim atque Iſaacus divinam hanc ordinationem agnovit, benedictionem illam ratam habuit. Subdit enim Moſes quod agnita deceptione: *Expavit Iſaac ſtupore vehementi, & ultra quam credi poteſt admirans, ait: Quis igitur ille eſt &c.* Hunc ſtuporem *extaſim* dixerunt ſeptuaginta Interpretes. *In qua*, inquit S. Auguſtinus, *intelligendum eſt factam eſſe ſpiritualem admonitionem, ut confirmaret benedictionem ſuam filio minori, cui potius iraſcendum fuit, quod fefellit patrem.* Seu ut ſcribit lib. 16. de civitate Dei, cap. 37. *Miratur, & quiſnam ille ſit, percunctatur: nec tamen ſe deceptum eſſe conqueritur: imo confeſtim revelato ſibi, intus in corde, magno ſacramento, devitat indignationem, confirmat benedictionem.* (& mox) *Quis non hic maledictionem potius expectaret irati, ſi hæc non ſuperna inſpiratione, ſed terreno more gererentur?* Unde tantum abeſt ut Iſaacus, errore agnito, datam benedictionem revocaverit, quinimo Eſau de fratris fraude conquerenti, v. 33. repoſuit: *Benedixi ei, & erit benedictus.* Unde merito S. Auguſtinus loco laudato exclamat: O *res geſtas! ſed prophetice geſtas: in terra! ſed cælitus: per hominem! ſed divinitus.*

Ad ſecundum objectum dico verba illa: *Venit germanus tuus fraudulenter*, non eſſe ab Iſaaco prolata, quaſi Jacobo fraudem exprobraret ſed ut ſignificaret ſe illius ſolertia fuiſſe deceptum. Unde apposite Lippomanus diſtinguit triplicem fraudem: „ Unam, *in-*
„ *quit*, eruditionis, qua Joſeph ſcyphum
„ ſuum poni juſſit in ſacco Benjamin: alte-
„ ram inſpirationis divinæ, qua filii Iſrael
„ mutuati ſunt ab Ægyptiis vaſa aurea, ac
„ tali Jacob uſus eſt cum patre ſuo Iſaac:
„ Tertiam noxiæ deceptionis, qua Prophe-
„ ta Bethel decepit virum Dei de Juda, ut
„ ſecum comederet, & hæc vitioſa eſt; non
„ autem priores duæ.
„ Simulatio item quadruplex eſt: una
„ *providentiæ* & cautelæ, qua uſus Joſue,
„ ſimulavit fugam: Altera *doctrinæ*, ſic Chri-
„ ſtus coram duobus diſcipulis finxit ſe lon-
„ gius ire: Tertia *ſignificationis*, de qua hic
„ eſt ſermo: *Quarta* duplicitatis, & calli-
„ ditatis, ſecundum quam ſæpe Angelus Sa-
„ tanæ transfigurat ſe in Angelum lucis,
„ & hæc cenſetur culpabilis & damnabilis.
Hæc ille.

Ex his apparet a Jacobo tuta conſcientia conſervari potuiſſe paternam illam benedictionem, tametſi ſuis artibus comparatam; quippe qui illam ſibi deberi perſuaſus eſſet; tum quod id ita a Deo fuiſſe ordinatum, a matre ſua Rebecca acceperat: tum quod illam ſoluto pretio emerat a fratre.

Vix accepta benedictione e patris conſpectu ſeſe ſubduxerat Jacobus, cum ſtatim adfuit Eſau patri edulium offerens, ut promiſſam ſibi benedictionem acciperet: cum autem audiviſſet illam fuiſſe a fratre præreptam, in ejulatus & planctus abreptus, patrem exoravit, ut ſibi quoque benediceret. Quibus commotus Iſaacus dixit: *In pinguedine terræ & in rore Cæli deſuper erit benedictio tua.*

QUÆRITUR VI.

Quomodo hæc benedictio conciliari poſſit cum verbis Apoſtoli.

Sanctus Paulus ſcribens ad Hebræos cap. 12. inter cætera ait: *Ne quis fornicator, aut profanus ut Eſau, qui propter unam eſcam vendidit primitiva ſua. Scitote enim quoniam & poſtea cupiens hæreditare benedictionem; reprobatus eſt: non enim invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis inquiſiſſet eam.* Duo ſunt in his S. Pauli verbis quæ cum præcedentibus Moſaicis pugnare videntur. *Primum* quod negat Apoſtolus Eſau benedictionem a patre conceſſam, qua tamen fuiſſe donatum præfatis verbis aſſerit Moſes: *Alterum* quod etiam cum lachrymis exoratam pœnitentiam & veniam non obtinuerit. Moſes vero refert, quod licet Iſaacus ſemel & iterum rogatus renuerit ei benedicere, tandem tamen ejus precibus victus petitam benedictionem conceſſit.

Verum hæc utraque in ſpeciem pugnantia verba facili negotio ad unitatem & concordiam revocantur. Etſi enim aliqualem benedictionem ſuis a patre precibus extorſit; non tamen eam obtinuit Eſau quæ erat conjuncta cum hæreditario jure paternarum facultatum, & cum dignitate primogenituræ, quam, inquit Apoſtolus, *hæreditare cupiebat.* Unde triplex eſt diſcrimen benedictionem conceſſam Eſau, inter & eam quam acceperat Jacob. I. Iſaacus benedicendo Jacob, ait: *Det tibi Deus de rore Cæli & de pinguedine terræ*, &c. Quibus cœleſtia prius ei adprecatur, quam terrena; ut denotaret ejus ſortem eandem eſſe, quæ Electorum, qui juxta Chriſti monitum, Matth. 6. v. 33. Quærunt primum Regnum Dei, & juſtitiam ejus, ut ipſis deinde terrena adiiciantur. Secus autem

eſt

Digitized by Google

eſt de benedictione Eſau, quam Iſaac orditur primum a *pinguedine terræ*, ut ſignificaret eum potius de terrenis, quam de cœleſtibus bonis conquirendis ſore ſollicitum. *Secundo* prædieit Iſaae Jacobo ejus poſteros dominaturos eſſe, non ſolum ſuper tibi proximos, ſed etiam ſuper exteros; dominatione quidem pacifica & bonis omnibus referta: at Eſau ait: *Vivet in gladio, & fratri tuo ſervies.* Tertio tandem, ait Iſaacus Jacobo: *Qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus: & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* Quibus fauſta omnia ei apprecatur: ſimilia vero non exoptat Eſau. Unde metito dici poteſt ab hoc non obtentam fuiſſe benedictionem quam exorabat, nimirum ſimilem ei quæ fratri ſuo fuerat conceſſa.

His adde quod apparet etiam illum ipſum Eſau nunquam ſuiſſe ductum vera & ſeria pœnitentia; taleſque ejus fuiſſe lachrymas, quæ teſtarentur quidam nonnullum dolorem de privatione benedictionis, ar qui non eſſet ſecundum Deum, nec jacturam ſpiritualem ſpectaret, ſed prærogativam tempotalem: ſi enim vere pœnituiſſet adjunxiſſet ſe fratri, eumque tanquam Deo gratum ſuſpexiſſet; ut ex intima eum eo conjunctione, veniret in benedictionis illius partem, quæ ſalutem æternam ſpectat.

At tantum abeſt ut eum habuerit animum; quinimo addit Moſes, verſ. 41. *Oderat ſemper Eſau Jacob pro benedictione, qua benedixerat ei pater: dixitque in corde ſuo, venient dies luctus patris mei, & occidam Jacob fratrem meum*; Hoc eſt, brevi morietur pater meus, & tunc ſurreptæ benedictionis Jacob pœnas luet; nam interficiam eum. Noluit quidem neſarium illud conſilium exequi vivente adhuc patre; ne forte quis ei obiieeret, quod patris canos cum luctu deduxiſſet ad ſepulchrum: Vel ne propter fratricidium, pater maledictione ſua eum fulminaret. At non id tantum machinatus eſt in corde ſuo; ſed quoniam ex abundantia cordis os loquitur; etiam prorupit in audaces minas: quæ cum ad Rebeccam delatæ eſſent, hæc acceſſito Jacobo, ſuaſit ut accepta prius iterata patris benedictione, domo egreſſus, pergeret ſuum ad avunculum Laban, ut ex ejus familia uxorem duceret.

Hoc autem conſilium iniit prudens mulier, arbitrata quod abſente Jacobo, deſerveſceret Eſau livor & iracundia; ſciebat enim per abſentiam objecti, & temporis diuturnitarem, nedum animi mœrorem, ſed & iram & odium plurimum relaxari. Timebat inſuper ne ſi Eſau in fratrem irrueret utrumque deperderer filium: *Cur*, inquit, *utroque orbabor filio in uno die?* Jacobo quidem ſi occideretur: Eſau pariter, vel quod poſſet lethali vulnere a fratre repugnante feriri: vel quod ob admiſſum facinus, fugeret parentum conſpectum: vel quod ex Jure Gentium, fratricida admiſſum crimen morte lueret.

Quoniam autem decens non erat ut Jacobus tantum iter ſuſciperet inſcio patre; & aliunde timendum erat, ne ſi Iſaaeo ætate confecto Eſau crudele propoſitum detegeretur, bonus ille ſenex triſtitia tabeſceret; vel in Eſau vehementiſſime inflammaretur; Rebecca, quæ ita diligebat Jacobum, ut tamen Eſau non male vellet, prudentet aliam excogitavit cauſam inſtituendæ peregrinationis, quam indicat marito: *Tædet*, inquit, *me vitæ meæ propter filias Heth* (quas Eſau duxerat uxores) *ſi acceperit Jacob uxorem de ſtirpe hujus terræ, nolo vivere.*

Hoc ſatis efficax fuit argumentum, ut Iſaacus, eui uxoris vita ſummopere erat in votis, abhorreret ulterius ineundum cum Hetheis conjugium; tum propter earum morum diſſimilitudinem; tum quod ab idolorum cultoribus prognatæ, unius Dei inviſibilis cultui non niſi ægre aſſueſcerent. Quamobrem Rebeccæ conſiliis acquievit; nimirum ut Jacob aliunde ſibi uxorem acceſſeret, uti declaratur in ſequenti.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XXVIII.

HOc capite deſcribuntur. I. Executio conſilii a Rebecca matre Jaeobo dati, ut in Meſopotamiam ſuum ad Labanum avunculum proficiſceretur, ejus ex filiabus ducturus uxorem. II. Novum Eſau conjugium eum Iſmaelita. III. Locus in quo prima ſuſcepti itineris nocte Jacobus ſub dio dormivit. IV. Ab ipſo inter dormiendum viſa ſcala, terram cælumque pertingens; ſimul & Angeli per eam aſcendentes & deſcendentes. V. Unctio lapidis quem ſuo, ut dormiret, capiti ſuppoſuerat. VI. Votum ibidem ab eo emiſſum.

Iſaacus itaque dilectiſſimæ ſuæ conjugis votis morem gerens, advocato Jacobo præcepit, ut adiret Labanum ex matre avunculum, unam ex ejus filiabus uxorem accepturus. Ut autem fauſte cuncta ſuccederent, Iſaacus ionovavit & ampliavit quam ei conceſſerat benedictionem; adjecit enim: *Det tibi* (Deus) *benedictiones Abrahæ, ut poſſideas terram peregrinationis tuæ, quam pollicitus eſt avo tuo.*

QUÆRITUR I.

Cur iterum Iſaacus Jacobo benedixerit.

R*Eſpondeo*, id ab ipſo conſulto factum eſſe. I. Ut certiorem faceret Jacobum a ſe priorem illi conceſſam benedictionem, tametſi ſubreptitie petitam, ratam haberi.

II. Ut certior fieret Jacob ſe revera eſſe paternæ benedictionis, & divinitus repromiſſæ ſœlicitatis hæredem. Talia namque paſſurus erat, quæ videri poterant iſti benedictioni non reſpondere: quippe diutiſſime futurus erat extra paternam domum duræ ſervituti per annos quatuordecim mancipatus dum Eſau quiete ac tranquille in paterna domo bonis omnibus affluens, videretur benedictionis fructus colligere.

III. Ut firmaretur ejus fides ac ſpes poſſidendæ aliquando terræ Chanaoitidis: neque enim levis eum urgere poterat tentatio, utrum hæc ipſi poſſeſſio contingeret; cum videret ſe in longinquum exilium abire juſſum, ab ea regione quæ pluſque, a centum anois fuerat in poſſeſſionem ſuis repromiſſa patribus, ſibique, priore patris benedictione in hæreditatem aſſignata. Iſaac vero hac iterata promiſſione, contra illam tentationem diſerte filium ſuum munit, *terram peregrinationis ejus* vocans, cujus eum conſtituit Dominum. Nam his verbis admonet, fieri quidem poſſe, ut vagetur tota vita: verum iu non obſtare quominus rata ſit Dei promiſſio, ut ea una contentus, pariter tempus executionis expectet.

Ut autem ejus ſpem magis ac magis obfirmet, animumque erigat, ipſi adprecatur *benedictiones Abrahæ*: hoc eſt, certum eum facit, ei illa omnia repoſita eſſe beneficia, quæ Deus Abrahæ poſteris ſpoponderat. Quemadmodum enim, etiam ſi Abrahamus plures filios ex Agara & Cethura habuit; divina tamen illa promiſſa unicum Iſaac ex Sara genitum ſpectabant; ita licet Iſaac duos habuerit filios, Eſau & Jacob, ſolus hic ſuis in poſteris, divinarum illarum promiſſionum futurus erat particeps, ut egregie docet S. Auguſtinus: „ Hinc jam, *inquit*, „ intelligimus ſegregatum ſemen Jacob ab „ alio ſemine Iſaac, quod factum eſt per Eſau. „ Quando enim dictum eſt, (Abrahæ) *In* „ *Iſaac vocabitur tibi ſemen:* pertinens uti„ que ad civitatem Dei: ſeparatum eſt in„ de aliud ſemen Abrahæ, quod erat in an„ cillæ filio, & quod futurum erat in filiis „ Cethuræ ſed adhuc erat ambiguum de „ duobus geminis filiis Iſaac, an ad utrum„ que, an ad unum eorum illa benedictio „ pertineret. Etſi ad unum, quiſnam eſſet „ illorum. Quod nunc declaratum eſt, cum „ prophetice a patre benedicitur Jacob, & „ dicitur ei: *Et eris in congregationes Gen*„ *tium: Et det tibi benedictionem Abrahæ* „ *patris tui*. Sic S. Auguſtinus.

At, *iniquies*, Abrahamus, *cap.* 24. *verſ.* 6. prohibuerat ſuæ domus œconomo ne Iſaacum reduceret in Syriam propter periculum idololatriæ: peccavit igitur Iſaacus illuc Jacobum ablegando, tum contra patris Abrahami voluntatem tum quia filium ſuum eidem periculo expoſuit.

Reſpondeo, Iſaacum in illa delegatione nihil peccaſſe, neque contra patris conſilium, quia Abrahamus vetuit illuc reduci filium eo fine ut ibi perpetuo maneret; noo erat autem hæc Iſaaci intentio: neque timendum erat Jacobo ab idololatris, quia cum jam eſſet ſeptuagenatius, in veri Dei fide & cultu pleniſſime erat confirmatus.

Addit Moſes: *Videns autem Eſau quod benedixiſſet pater ſuus Jacob, & miſiſſet eum in Meſopotamiam Syriæ, ut inde uxorem duceret; & quod poſt benedictionem præcepiſſet ei, dicens: Non accipies uxorem de filiabus Chanaan: quodque obediens Jacob parentibus ſuis iviſſet in Syriam: probans quoque quod non libenter aſpiceret filias Chanaam pater ſuus; ivit ad Iſmaelem, & duxit uxorem; abſque iis quas prius habebat, Mabeleth filiam Iſmael filii Abraham, ſororem Nabajoth.* His verbis docet Moſes quale fuerit, Eſau genium, quæque ejus humana prudentia. Cum enim adverteret a ſe alienum eſſe parentum animum, quod exteras uxores duxiſſet, putavit ſe bonam initurum eorum gratiam, ſi quod juſſerat fratri, idem præſtaret ipſe, aſſumeodo ſibi uxotem ſuis e conſanguioeis.

QUÆRITUR II.

Qua ratione Eſau dicatur iviſſe ad Iſmael, qui jam erat vita functus.

COnſtat ex vigeſimo quinto Geneſis capite, quod eo tempore, quo Jacob juſſus eſt a parentibus adire Labanum, jam e vivis exceſſerat Iſmael: enarrata enim ejus genealogia, additur v. 17. *Facti ſunt anni vitæ Iſmaelis centum triginta ſeptem, deficienſque mortuus eſt*. Anno ſcilicet Iſaaci 123. Jacob vero ab eo ablegatus eſt anno illius 137. Igitur 14. annis poſt Iſmaelis mortem, Qua ratione igitur potuit ad eum pergere Eſau, ut ex ejus familia uxorem duceret?

Reſpondeo, Iſmaelis nomen hic non proprie pro ipſius Iſmaelis perſona, ſed patronymice pro ejus familia & Gente Iſmaelitica poni; quod ut ſignificaret Moſes, addidit nomen *Nabaiothi* primogeniti Iſmaelis qui parentis demortui loco regebat familiam.

Quamquam vero cogitavit Eſau hac arte ſibi conciliare parentum animos, ſimul quoque, abſente fratre, ſe poſſe recuperare paternam benedictionem: tria nihilominns hoc

ſa-

facto peccavit. I. Quod parentum ea in re non expetiverit conſilium, ſed ſua ſponte abierit, ut uxorem ſibi acciperet: cum Jacob id non ſuſceperit, niſi prius a parentibus juſſus.

II. Quod ſuam polygamiam auxerit, quæ licet tunc temporis fuerit tolerata in ſanctis Patriarchis, quorum intererat multiplicare veros Dei cultores; illa tamen ſuos habuit defectus, in iis præſertim qui profano imbuti Spiritu, nihil minus quam de propaganda Eccleſia cogitabant.

III. Quod hac ſuperinducta uxore, non tamen ab aliis prius ductis divulſus fuerit, quæ utique parentibus erant ingratæ & moleſtæ.

Addunt alii quartam illius in hoc facto culpam, quod uxorem ducere voluerit ex Iſmaelis familia, quæ licet cognata, impia tamen erat, & adverſa veri Dei cultoribus. Verum non exiſtimo illam Iſmaelis familiam tum fuiſſe a ſuis parentibus plane alienam: Siquidem, ut dictum eſt, cum Iſaaco Iſmael interfuit funeri parentis Abrahami; & veriſimile eſt inter fratres & cognatos adhuc bene conveniſſe: ſi enim inter eos fuiſſent ſimultates, tum certe Eſau non ſtuduiſſet patrem pacare ducta ſua patrueli; nec id in ſe ſuſcepiſſet, niſi fuiſſet perſuaſus Iſaacum patrem ſuum non eſſe alieno a fratris-familia animo.

Ad pietatem & religionem quod ſpectat, vix credi poteſt Iſmaelis familiam tam modico temporis intervallo, a veri Dei cultu & morum probitate omnino defeciſſe; cum Iſmael ipſe ab Abrahamo edoctus, veri Dei cultor extiterit, & ab ipſo benedictus, ut in numeroſam Gentem excreſceret. *Geneſ.* 21. *v.* 18.

Jacob itaque accepta patris benedictione, domo egreſſus ſolus cum neceſſario viatico ſe commiſit itineri verſus Haran.

QUÆRITUR III.

Cur Jacob ſine comite & vehiculo a parentibus in tam diſſitum locum ſit ablegatus.

NOn abs re mirabitur quiſpiam quam ob cauſam ſanctiſſimus Jacob opulentiſſimi patris filius, ad conducendam uxorem, in longe diſſitam regionem miſſus ſit, abſque ullo famulorum comitatu, omnibuſque deſtitutus auxiliis, quæ ad iter commode conficiendum neceſſaria videbantur; necnon & ſine pretioſis muneribus quibus Labani, aliorumque cognatorum conſequi poſſet amicitiam. Notum eſt quanta cum opulentia Eliezer Abrahæ ſervus eundem in locum ab eo fuerit miſſus, ut inde uxorem ad Iſaacum adduceret. Vidimus enim *Geneſis* 24. eum tuliſſe decem camelos de grege Domini ſui, & ex omnibus bonis ejus aſſumpta copia in Meſopotamiam perrexiſſe. Quorſum igitur Jacobus Abrahami & Iſaaci facultatum hæres, ſolus, & bonorum omnium inops illuc dimittitur? adeo ut poſtea rediens, Deo gratulabundus diceret, ſe *cum baculo tranſiſſe Jordanem*; tunc autem cum duabus turmis regredi.

Varias eaſque ſatis idoneas hujus ſolitudinis & inopiæ rationes proferunt ſacri Interpretes. I. Nimirum quod fugitivo hic conveniebat apparatus, ut ſic facilius latere poſſet; quamobrem quantum potuit, ſuum occultavit & feſtinavit diſceſſum; quo tutius omnes præcaveret inſidias, neve flagrante adhuc ira, irrueret in eum Eſau, ac perderet.

II. Ut inde appareret, quod licet ſanctiſſimi illi Patriarchæ divitiis abundarent & ſervis, attamen ſua ſimplicitate, humilitate, & corporis mortificatione, jam præludebant Apoſtolicæ & Evangelicæ vivendi & agendi rationi; jubet enim Chriſtus Dominus Marci 6. v. 8. ſuis Apoſtolis: *Ne quid tollerent in via, niſi virgam tantum; non peram, non panem, neque in zona æs.* Deſcribit hæc egregie S. Chryſoſtomus. „ Conſidera, *inquit*,
„ quemadmodum antiqui illi Patres iter faciebant. Jacob vir domi educatus, longe
„ peregrinatus, neque jumentis, neque ſervis, neque viatico uſus eſt: ſed jam tum
„ Apoſtolicum morem imitatus, iter fecit:
„ & cum occumberet Sol, ibi dormivit,
„ ubi eum nox comprehendit, ſuper lapide
„ caput reclinans: quoniam igitur bene moralem animam habebat & virilem ſpiri-
„ tum ab omni luxu, vanitateque liberum,
„ idcirco admirabilem viſionem illam meruit.
„ Juſtorum itaque converſio & vita, totius
„ Philoſophiæ continet doctrinam. Hic juvenis domi educatus, nunquam antea pere-
„ grinatus, neque grave quippiam aut du-
„ rum expertus; longum iter ſolus, & pau-
„ per, omnibuſque humanis ſubſidiis ac ſo-
„ latiis deſtitutus arripuit. *Hæc S. Chryſoſtomus.*

Aliam rationem profert Theodoretus, quæſt. 82. in Geneſ. ubi cum propoſuiſſet, cur Jacob tantas benedictiones adeptus fratrem fugit, & ſolus, rebuſque neceſſariis carens abit peregre? ait: *Nimirum id factum eſt, quo manifeſtius divina providentia declararetur in rebus quæ videntur adverſæ: nam quibus omnia proſpere ſuccedunt, non ſatis intelligunt quantis bonis fruantur. Hac de cauſa Jacob aufugit, & ſolus eſt peregrinatus; ut locupletiſſimus poſtea rediens, & ipſe experiretur quanta ſit providentia Dei hominum; & alios doceret hanc Dei curam & providentiam.* Itaque ſingulari Dei providentia Jacob omnibus vacuus, dimiſſus eſt; ut experiretur quantum Deo curæ eſſet, diſceretque ſeſe ejus divinæ protectioni & paternæ benevolentiæ totum ex affectu committendum; utpote qui ipſi nuſquam defuerit.

His adde aliam fuiſſe Eliezeris, aliam vero Jacobi rationem: ſervus ille erat, hic filius; neceſſarium autem fuit ſervo pluribus adminiculis inſtrui, ut adhiberetur fides ipſi dicenti Deum benedixiſſe Abrahamo, huncque plurimis divitiis abundare: Hæc vero in Jacobo ceſſabant, quia Labani jam ſatis ſuperque nota erat Iſaaci familia. *Deinde* ipſe Jacobus ad avunculum miſſus, ei potuit exponere quæ illi mater in mandatis dederat, cauſaſque cur ita ſolus fuiſſet dimiſſus.

Quanta vero fuerit Jacobi itinerantis penuria, apparuit ex prima ejus pernoctatione: *Cum enim* (inquit Moſes v. 11.) *veniſſet ad quemdam locum, & vellet in eo requieſcere poſt ſolis occubitum, tulit de lapidibus qui jacebant; & ſupponens capiti ſuo, dormivit in eodem loco.* Idque ſub dio, quod forte non haberet unde hoſpitium ſolveret; vel quod nocte præoccupatus, non potuerit ad oppidum divertere; non enim inde longe diſtabat oppidum Luza.

QUÆRITUR IV.

Quis fuerit ille locus in quo Jacobus requievit.

Communis eſt Hebræorum, necnon quorumdam Chriſtianorum ſententia, eum locum, in quo Jacob primo itinerarii ſui die pernoctavit, & ubi mirabilem illam viſionem habuit ſcalæ a terra ad Cœlum pertingentis, fuiſſe *montem Moria*; ubi Abrahamus filium ſuum Iſaac immolare voluit, ubique multis poſtmodum ſæculis ædificatum eſt a Salomone magnificum illud templum toto terrarum orbe celebratum, ut legitur 2. Paralipp. cap 3.

Verum huic ſententiæ repugnat primo: quod locum in quo decubuerat Jacob, appellaverit *Bethel*, id eſt *Domum Dei*: Abrahamus quidem *Geneſ.* 12. *v.* 8. dicitur fixiſſe tentoria in *Bethel*; ſed ibi fuit nominis anticipatio per Moſem, aut Eſdram, ut locum Judæis notum deſignaret. Bethel autem longe diſtabat a monte Moria, ut colligitur ex 3. lib. Reg. cap. 12. ubi refertur, quod Jeroboamus primus Rex Iſrael, veritus ne ſibi ſubditi populi, religionis cauſa, aſcenderent in Jeruſalem, & ſic ab eo deficerent; conflavit duos vitulos aureos, & dixit eis: *Nolite ultra aſcendere in Jeruſalem: Ecce Dii tui Iſrael, qui eduxerunt te de terra Ægypti. Poſuitque unum in Bethel, & alterum in Dan.* Diſtabat ergo Bethel a Jeroſolymis; proindeque locus ille, in quo quievit Jacobus, non erat mons Moria unus ex iis, in quibus condita erat Jeruſalem.

Deinde, civitas Bethel occupata fuit a filiis Joſeph, ut traditur in lib. Judicum, cap. 1. & Joſue cap. 16. At Jeruſalem nunquam fuit poſſeſſa a filiis Joſeph, ſed primo a filiis Benjamin; deinde vero a Tribu Juda, ut conſtat ex cap. 18. Joſue. Igitur locus dictus *Bethel* diverſus eſt a monte Moria in templum quo Jeroſolymitanum fuit conſtitutum.

Neque his obſtat quod Jacob ſomno ſoluto, & peracta viſione, dixit: *Terribilis eſt locus iſte, hic domus Dei eſt & porta Cœli* &c. Hæc enim non protulit ſpiritu prophetico, ut volunt iſtius ſententiæ aſſertores, quaſi præſignaſſet eo in loco ædificandum aliquando Jeroſolymitanum templum, quod *Dei domum* plerumque nominat Scriptura ſacra; non enim alio ſenſu hæc protulit, quam ut indicaret mirabilem viſionem illam qua ſe illi Deus manifeſtum exhibuit; ſubdit enim Moſes, quod cum dormiret Jacob, *vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens Cælum: Angelos quoque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ dicentem ſibi: Ego ſum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Iſaac &c.*

Voluit autem Deus hac mirabili viſione recreari ipſius Jacobi extrema neceſſitate & penuria laborantis animum, ipſumque certum fieri, quod licet, ut parentibus obtemperaret, voluntario exilio ſeſe addixerit, omnibuſque facultatibus eſſet nudatus; non propterea deberet corde concidere: *Quoniam*, inquit, *terram in qua dormis, tibi dabo, & ſemini tuo. Eritque ſemen tuum quaſi pulvis terræ: dilataberis ad Occidentem, & Orientem, & Septemtrionem, & Meridiem: & benedicentur in te, & in ſemine tuo cunctæ Tribus terræ. Et ero cuſtos tuus quocunque perrexeris: & reducam te in terram hanc: nec dimittam niſi complevero omnia quæ dixi.*

In quibus certe apparet mira Dei erga eos, qui ſincere in ipſo confidunt, benignitas & providentia. Etenim vix Jacobus parentes deſeruerat, cum ſtatim Deus loco parentum, præſentem illi ſeſe exhibet, ut eum certum faceret ſe ſuſcepturum illius curam; adeo ut nuſquam illi quippiam deficeret. Loco fratris in ipſum domi furentis, videt Angelos e Cœlis ad ipſius auxilium & ſolatium deſcendentes, atque illuc remeantes ut omnipotenti Deo illius preces efferrent & vota; loco patriæ terrenæ quam deſeruit, videt ſibi apertum Cœlum, & paratam ſcalam qua poſſit in ipſum conſcendere: tandem loco divitiarum & ſubſidiorum, quibus in domo paterna fruebatur & recreabatur, favente ſibi experitur divinam providentiam, ipſique ſpondentem ſe in omnibus illi adfuturam.

QUÆ-

QUÆRITUR V.

Quid ſignificaverit ſcala illa myſtica, quam in ſomnis vidit Jacob.

DIverſa ſomniotum genera diſtinguit S. Gregorius: *Aliquando*, inquit, *ſomnia, ventris plenitudine, vel inanitate; aliquando vero illuſione; aliquando cogitatione ſimul & illuſione, aliquando revelatione; aliquando autem cogitatione ſimul & revelatione generantur.* Hæc autem ita explicat, quod duo prima, omnes experimento cognoſcimus; ſubjuncta autem quatuor in Scriptura notamus. Ex *illuſione dæmonis* quædam procedere probat, quia Scriptura hoc teſtatur, dum vana ſomnia & illuſiones reiicit. Ex *illuſione & cogitatione ſimul*, oriri ſomnia quædam attendit, quia Salomon, Eccl. 5. v. 2. dicit *ſomnia ſequi multas curas*. Ex myſterio autem *revelationis divinæ*, procedere ſomnia multa expreſſe docet Scriptura, Num. 12. v. 6. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum:* & 1. Reg. 28. v. 6. de Saule dicitur: *Conſuluit Dominum: & non reſpondit ei, neque per ſomnia, neque per Sacerdotes neque per Prophetas.*

Cur autem Deus arcana ſua potius hominibus dormientibus, quam vigilantibus revelare dignetur? non alia eſt quærenda ratio, quam divina ejus voluntas: nam, inquit S. Paulus Epheſ. 1. v. 11. *Operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* Tres nihilominus divinæ hujus diſpoſitionis proferuntur congruentiæ. I. Quod hominis dormientis & quieſcentis anima aptior videatur revelationibus divinis recipiendis; quia tum ceſſante miniſterio exteriorum ſenſuum, non ita diſtrahitur ex variorum objectorum concurſu; neque tot negotiis curiſque diſtinetur: ſed tam ſibi veluti præſens & parata, ſuas vires & facultates habet collectas & conjunctas; ideoque mens ad intelligendum videtur aptior.

II. Quod homo dum vigilat, ſi quid audiat, aut videat, id diſcutere & examinare ſolet ad rationis calculos, & conſenſum ſuum vel ſuſpendit, vel etiam plane negat; pro ut illa judicio ſuo convenire, aut diſſentire videntur. At quæ homo per ſomnium videt, eadem citra examen accipit, eſtque paratior & promptior ad credendum, & obediendum, quod maxime neceſſarium eſt, ubi Deus agit aut loquitur; tunc enim hominem agi & regi extrinſecus ſatius eſt, quam ſi ſeipſum regat.

III. Quod hac ratione velit Deus oſtendi quanto ſit potentior & efficacior ad docendos homines quam homines ipſi, qui vigilantibus tantum, & attendentibus conceptus ſuos poſſunt ingerere; cum tamen Deus altiſſime dormientem & ſomniantem poſſit informare. *Denique* ea inſuper ratione confirmatur, non ſolum animæ immortalitas, ſed etiam ejuſdem cognitio & ſcientia, poſtquam erit a corpore ſeparata; cognitionemque omnem a ſenſibus non pendere, vel a diſcurſu rationis, cum utriſque ceſſantibus, ſæpe ſuggerantur homini ea quæ nec ſenſibus unquam percepit, nec de iis unquam antea fuerat ratiocinatus. His ita præmiſſis, jam videndum eſt.

Quid per hanc mirabilem ſcalam a Jacobo in ſomnis conſpectam Deus ſignificari voluerit; multi multa proferunt: At veriſimilius opinari videntur, qui per myſticam illam ſcalam ſignificari cenſent divinam providentiam, qua Deus tam cœleſtia quam terrena moderatur; per eam enim, inquit Sapiens cap. 8 v. 1. *Attingit a fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter:* Et ut addit cap. 11. v. 21. *In menſura, & numero, & pondere diſponit.* Cui obſequentes Angeli, ad ejus divina exequenda mandata eunt, & redeunt ſuorum miniſteriorum rationem coram eo reddituri, quod ſignificare voluit Job 1. v. 6. cum ait *Filios Dei*, hoc eſt Angelos, *veniſſe ut aſſiſterent coram Domino.* Et Zacharias cap. 1. v. 11. Angelos inducit dicentes: *Perambulavimus terram & ecce omnis terra habitatur & quieſcit.* Quamvis enim, inquit, S. Paulus, *Non ſit ulla creatura inviſibilis in conſpectu Dei; & omnia nuda & aperta ſint oculis ejus:* ipſeque *cœlum & terram impleat*, ut loquitur Jeremias 23. v. 24. & ut ait idem S. Paulus, *Non longe ſit ab unoquoque noſtrum: in ipſo enim vivimus, movemur & ſumus*; Adhibet tamen Angelos adminiſtros, & teſtes voluntatis ſuæ, qui illam hominibus notam faciant.

Sunt etiam plures aliæ hujus mirandæ ſcalæ myſticæ expoſitiones: magis autem mihi probanda videtur ea, quæ per hanc mirabilem ſcalam, Chriſtum Dominum præſignificari exiſtimat: Ille enim eſt qui per incarnationem ſuam & hypoſtaticam unionem divinitatis ſuæ noſtra cum humanitate, Cœlum terræ conjunxit: qui, ut divinus Mediator Dei & hominum; nos, per peccatum a Deo longe poſitos, divinæ ſuæ gratiæ beneficio ad divinam ſocietatem revocavit; quique cum ſit caput Angelorum, efficit ut membris ſuis terrenis miniſtrent. Hinc ipſe ait: *Amen, amen dico vobis, videbitis Cœlum apertum, & Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſupra Filium hominis;* qui ut medius Deum inter & homines exiſtit, quinetiam extrema duo ſolus pertingit divinitatem ſcilicet & humanitatem habens in ſeipſo conjunctas, Angelis miniſteria præſcribit in fidelium utilitatem & ſalutem: *Nam*, inquit S. Paulus, *omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi, propter eos qui hæreditatem capiant ſalutis.*

Huic autem ſcalæ inſidet Deus exercituum; quia, ait S. Paulus. *In Chriſto inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, qui eſt caput omnis principatus & poteſtatis.*

Subiicit

Subiicit deinde Moſes quæ Jacobus a Deo audivit, nimirum iteratas promiſſiones, avo ſuo & patri factas de futura poſſeſſione Chananitidis, de copioſa poſteritate, deque Meſſia qui ejus ex ſemine erat orturus, in quo & benedicendæ eſſent omnes Tribus terræ: necnon & de peculiari Dei erga ipſum cura & providentia, atque fœlici peregrinationis ſuæ ſucceſſu.

Expergefactus autem Jacob intellexit ex divina apparitione, religioſum eſſe locum illum in quo jacuerat, & a Deo ſpecialiter electum, ut ibi honoraretur; exclamavitque: *Vere Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam.* Non quod ignoraret Deum eſſe ubique præſentem; ſed quod neſciret locum iſtum ſibi delegiſſe, ut manifeſtam faceret divinam ſuam majeſtatem, & arcana revelaret: quæ ignorantia in eo culpabilis non erat, cum neque ſupina fuerit, neque pravæ diſpoſitionis; ſed negationis tantum in re quam ſcire non tenebatur, priuſquam Deus ipſi manifeſtaſſet. Adiicit Moſes: *Surgens mane Jacob, tulit lapidem quem ſuppoſuerat capiti ſuo, & erexit in titulum, fundens oleum deſuper.*

QUÆRITUR VI.

Quem in finem iſta geſſerit Jacobus.

Reſpondeo, id ab ipſo præſtitum multis de cauſis. I. Ut certum haberet in ſuo reditu ſignum loci illius, in quo Deus apparere ei dignatus fuerat, & fauſta prænunciare. II. Ut erectus ille lapis eſſet in monumentum & memoriale perpetuum accepti ibidem beneficii. Cujus exemplo, Iſraelitæ ipſius poſteri, cum ſicco pede tranſiiſſent Jordanem, duodecim lapides ex ipſius alveo ſtatuerunt in cumulum, ut ſignum eſſet tanti miraculi. Joſue 4 v. 8.

III. Cum Jacobus jure comparatæ ſibi primogenituræ, Sacerdotis officio & dignitate gauderet, voluit in Dei cultum & honorem altare erigere ex congeſtis in cumulum ibidem repertis lapidibus; etſi enim unicus duntaxat lapis in ſingulari videtur ab ipſo erectus; veriſimile tamen eſt ab eo plures coacervatos fuiſſe lapides, inter quos eminebat ille quem ſibi pro cervicali ſtraverat.

Quod autem eum in finem lapides congeſſerit, apparet ex eo quod fuderit oleum deſuper; illa enim olei effuſio, non fuit communis, ſed ſacra; quorſum enim rem ſibi ad victum & ſolatium neceſſariam effundere voluiſſet, niſi ut Deo litaret?

Duplicem enim in uſum effundebatur oleum in ſacris ritibus; nempe ad *libamen*: vel ad alicujus rei *conſecrationem*. Libamen, ut plurimum, erat appendix ſacrificiorum; & vix reperitur aliquando facta libatio, ubi nulla erat alicujus olei oblatio. Hinc *Levitici 2. v. 1.* inſtituitur olei libamen in oblatione ex ſimila: *Anima cum obtulerit oblationem ſacrificii Domino, ſimila erit ejus oblatio, funderque ſuper eam oleum.* Veriſimile autem eſt, a Jacobo nihilo tunc aliud habente, quod Deo offerret, effuſum fuiſſe oleum in ipſius honorem.

Eſt pariter probabile ab eodem oleum hoc ſuper lapidem effuſum eſſe in conſecrationem, nempe ut conſecraret lapidem iſtum ſuperpoſitum in altare. Cujus rei argumentum eſt, quod locum iſtum appellavit *Bethel*, hoc eſt, domum ſeu templum Domini; atque in ſuo reditu, ibi altare erexit: ſeu, prius erectum inſtauravit & libamina ac oleum ſuper illud effudit, ut legimus, *Geneſ. 35. v. 14.*

Hinc eſt quod in altarium conſecratione, ut docet Durandus [a], poſtquam Epiſcopus altare aqua benedicta ſæpius abluit, illud deinde ungit in quinque diverſis partibus, quo tempore a clero decantatur: *Erexit Jacob lapidem in titulum* &c. Quibus ſignificatur Eccleſiam hunc ritum, altaria conſecrandi per infuſionem olei, a Jacobi exemplo hauſiſſe. Hoc ipſum aperte tradit Rabanus [b]: *Altare*, inquit, *poſt aſperſionem aquæ, chriſmate ungitur ad imitationem Patriarchæ Jacob, qui poſt viſionem illam terribilem erexit lapidem in titulum, fundens oleum deſuper; vocanſque eum locum domum Dei.* Hoc pariter ſpectavit ſolemnis altaria conſecrandi per infuſionem olei ritus, quem Deus a Moſe aliiſque Sacerdotibus Leviticis ſervari voluit.

a Lib. 1. de ritib. cap. 7.

b Lib. 1. de inſtit. Cleric. cap. 25.

Quinetiam illuc digitum intendere videntur Ethnici, quibus in more fuit ut ſtatuas & dolatos lapides, alioſque ſæpe rudes & impolitos inungerent, & ſic innuctos colerent, ut docet Theophraſtus [c]. Et Clemens Alexand. [d] ubi de Gentilibus ſcribit: *Iidem lignum quodlibet, & lapidem omnem, etiam lubricatum dictum adorantes.* Id ipſum ſe præſtitiſſe dicit Arnobius [e], dum adhuc eſſet Ethnicus: *Venerabar*, inquit, *o cæcitas! nuper ſimulacra modo ex fornacibus prompta, in incudibus Deos, & ex malleis fabricatos, elephantorum oſſa: picturas veternoſis in arboribus tænias, ſi quando conſpexeram, lubricatum lapidem, & ex olivi unguine ſordidatum, tanquam ineſſet vis præſens adulabar, affabar, & beneficia poſcebam nihil ſentiente de trunco.*

c Lib. de ſuperſtitione.

d Lib. 7. ſtrom.

e Lib. 1. contra gentes.

Erecto & uncto lapide adjecit Jacobus: *Si fuerit Dominus mecum, & cuſtodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum: reverſuſque fuero proſpere ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum, & lapis iſte quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei: cunctorumque quæ dederis mihi decimas offeram tibi.*

QUÆ-

QUÆRITUR VII.

Utrum rectum & legitimum fuerit hoc Jacobi votum.

VOtum iſtud non fuiſſe legitime ſactum, & Jacobum in illo formando multa peccaſſe videtur. 1. Quia vovet ſub dubio & in ſide hæſitans: *ſi fuerit*, inquit, *Dominus mecum*; perinde ac ſi Deus non eſſet ubique, & cum omnibus. 2. Sub conditione illicita, ac velut impia, *ſi fuerit mecum* &c. *Erit mihi Dominus in Deum*; ac ſi diceret, ſi hæc non præſtiterit, ipſi divinos honores non impendam. 3. Votum fieri debet de rebus liberis, & alias indebitis: at liberum non erat Deum colere, vel non colere. 4. Spondet ſe futurum Dei cultorem, *ſi dederit panem* &c. Hoc vero mercenarium erat, & Deo contumelioſum.

Verum dico Jacobum nil quidquam in eo voto peccaſſe; vovet enim pro conſequendis beneficiis licitis, & promiſſis ob finem legitimum, nempe ad majorem Dei cultum & gloriam, & teſtandam Deo animi gratitudinem.

Unde ad ſingula reſpondeo. *Ad* 1. particulam *ſi*, non eſſe dubitantis ſed exorantis, & gratiam ex animo poſtulantis, ut Deus ipſi fieret propitius, iterque ſuum divina ſua protectione obſecundaret.

Ad 2. particulam *hic*, non eſſe conditionalem ſed temporis diſtinctivam, ac ſi dixiſſet: Poſtquam beneficia quæ a Dei bonitate & providentia ſpero, fuero conſecutus, ſingulare meæ gratitudinis monumentum religioſo cultu ipſi præſtabo.

Ad 3. dico rem aliunde debitam poſſe fieri voti materiam: non per ſe; ſed per accidens: nempe dum voto nos conſtringimus arctius ad id implendum, quod alias debebamus exequi. *Ad* 4. illa *panis* propoſitio, non fuit facta intuitu conſequendæ mercedis, ſed obtinendi neceſſarii ſubſidii.

Uno verbo Jacobus hoc emittendo votum, nihil aliud intendebat, quam ſi Deus eſſet itineris dux & comes, religioſe impenderet illi, non ſolum generalem cultum, quem ei exhibere naturali lege adſtrictus erat, ſed certam quandam & ſingularem venerationem duabus in rebus poſitam, quas mox ipſe ſubdidit; nimirum quod eum locum, in quo divinam viſionem habuerat, dicaret & ſacraret Dei cultui, quem ipſe inibi, poſt reditum ex Meſopotamia, agitare & celebrare vellet; perinde quaſi locus ille eſſet *Domus Dei*, id eſt templum divino cultui conſecratum. Idque ſignificavit Jacob: nam cum diceret: *Erit mihi Dominus in Deum*, idipſum exponens ſubdit: *Et lapis iſte quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei*. Altera pars ſpecialis illius cultus, quem voverat Jacob, fuit promiſſio decimarum de omnibus quæ poſſideret; nam propterea ſubjunxit. *Cunctorumque, quæ dederis mihi decimas offeram tibi*.

At, *inquies*, quid opus erat vovere ſe decimam bonorum ſuorum partem in Dei cultum eſſe daturum, quod ſuorum majorum exemplo jam videbatur lege ſancitum?

Reſpondeo, tunc de Decimis perſolvendis nullam adhuc eſſe conſtitutam expreſſam legem, quæ poſtea in populo Judaico ſancita eſt *Exodi*, 12. *Levit.* 27. *Numer.* 18. *Deuter.* 14. Nimirum ut inde haberent divini cultus miniſterio addicti, ad victum & veſtitum neceſſaria. At æquitati & religioni conſentaneum judicabant homines ipſo lumine naturali, aliquam bonorum a Deo acceptorum partem, in ejus cultum impendere. Decimas enim, quas Abrahamus Melchiſedecho tradidit, non eo fine contulit, ut eſſent in ipſius Melchiſedechi ſubſidium; erat enim Rex; proindeque his opus non habebat ad vitæ ſuſtentationem. Itaque illas decimas eo fine obtulit Abrahamus, ut cederent & offerrentur in Dei honorem & cultum.

Eundem in finem ſe daturum decimas ſpondet Jacobus: neque enim tunc temporis erat Sacerdos in cujus vitæ ſuſtentationem illas offerret. His adde quod ipſemet jure ſuæ primogenituræ eſſet Sacerdos & Pontifex, qui proinde eo titulo alteri victimas perſolvere non tenebatur.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XXIX.

QUinque potiſſimum hoc in capite ſunt nnranda. I. Jacobi adventus in Meſopotamiam, ejuſque occurſus, & colloquium cum Rachele. II. Ipſius ſuo cum avunculo Labano pactum, pro ducenda Rachele in uxorem. III. Fraus Labani Liam Jacobo ſubſtituentis in thorum & locum ſororis Rachelis. IV. Connubium Jacobi cum Rachele, tametſi ſororem ejus antea duxiſſet; & retineret. V. Rachelis ſterilitas, & varii Liæ partus.

Votis itaque ac precibus peractis, ſuſceptum iter verſus Haran inſequitur Jacob, & Deo duce, tandem incidit in aliquos Haranæ civitatis paſtores juxta puteum recubantes, ut ſtatuto tempore greges adaquarent. Neque enim hoc fortuito, ſed Dei providentia factum eſt, ut occurrerent ipſi pa-

ſtores, qui eum de Labano, ejuſque familia inquirentem pleniſſime inſtruerent, certumque facerent brevi venturam Rachelem cum ſuo grege, ut una cum cæteris adaquaretur.

Ubi obiter obſervanda eſt illius temporis frugalitas & humilis agendi ratio, puellas in luxu, otio & mollitie non educare; ſed mature operibus domeſticis aſſuefacere. Etſi enim Rachel ex ampliſſima eſſet & nobili familia, ovibus tamen paſcendis curam impendit: Lia quidem ejus ſoror natu major domi recumbebat; ſed forte quod, ut dicetur, debiles haberet oculos; nec ſolis ardores, nec aeris æſtum poterat ſuſtinere.

Rachelem ergo egregia forma præditam, ſtatim atque conſpexiſſet Jacobus, ſciens illam ſuam eſſe conſobrinam, & gregem cui præerat, eſſe Labani; ſaxum ingens, quo puteus operiebatur, quodque nonniſi conjunctis plurium manibus poterat amoveri, ſolus ipſe viribus valens elevat, & adaquato grege, oſculatus eſt conſobrinam ſuam, cui etiam indicavit Rebeccæ ſororis ipſius patris, ſe eſſe filium.

QUÆRITUR AUTEM I.

Qua ratione Rachel citra pudorem paſſa ſit ſibi ab incognito dari oſculum.

IGnota quidem illa non erat Jacobo, cum a paſtoribus intellexiſſet illam ſui eſſe avunculi filiam; at cum ante datum illud oſculum, nihil narret Moſes de ſermonibus inter eos commutatis; ſed tantum ea referat poſt oſculi dati mentionem, nempe quod Jacob ei indicaverit ſe illius eſſe cognatum, & Labani ex ſorore nepotem, poſſet aliquis ſiniſtre interpretari, quod Rebecca puella paſſa ſit ſe ab ignoto homine oſculo ſalutari.

Verum hanc difficultatem diluit S. Auguſtinus dicendo in Scriptura narrari per recapitulationem. quod primo factum erat: ita ut prius Jacob indicaverit ei quiſnam eſſet, & poſt expoſitam cognationem, dederit ei oſculum. Eſt igitur in hac narratione figura, quam Rhetores *hyſterologiam* appellant; id eſt, præpoſteram rerum expreſſionem, cum ſcilicet poſterius geſta, prius commemorantur.

Quod autem eo in oſculo ſive dato, ſive accepto, ne leviter quidem peccatum fuerit, apparet ex eo quod natura duce, Gentiumque omnium conſenſu, oſcula honeſtatis & urbanitatis, maxime inter notos & conſanguineos, præſertim aut nunquam, aut jamdudum non viſos, non ſolum non culpantur, ſed & approbantur.

Sunt enim multiplicis generis oſcula, ab Auctoribus cum ſacris, tum prophanis memorata, ex quorum ſententiis integrum volumen *de Oſculis* compoſuit & inſcripſit Martinus Kempius. Eſt enim I. Oſculum *myſticum* quod a divino ſuo ſponſo exorabat ſponſa Cœleſtis, in canticorum exordio: *Oſculetur me oſculo oris ſui*. Quibus verbis juxta graviores Interpretes, Eccleſia exoptat Chriſti Redemptoris præſentiam, favorem & gratiam. Quemadmodum enim pudica ſponſa dilectum ſuum ſponſum, quem per litteras, per nuntios ſibi aliquandiu loquentem audivit, ardentiſſimis tandem ſuſpiriis urget, ut ipſe adſit; quatenus cum oſculis, atque amplexibus recreet: ita Eccleſia poſtquam per Scripturam ſacram, quæ eſt ipſa Dei Epiſtola ad humanum genus; per Angelos & Prophetas, qui ſunt Dei miniſtri & nuncii, diutius audiverat loquentem Dei filium, ardentiſſime & flagrantiſſime exoptabat, ut tandem ipſe humanitate ſuſcepta, adeſſet Redemptor, quatenus gratiarum ſuarum irriguo, fluminis inſtar, ipſam irrigaret & lætificaret.

II. *Oſculum Religionis*, quod ſacris voluminibus jam ab ipſa antiquitate pietatis & devotionis cauſa impendere ſolebant, & etiamnum impendunt fideles; præſertim vero ſacris Evangeliis, ut conſtat ex ſacrificii Miſſæ ritibus. Talia pariter ſunt oſcula quæ venerandæ Chriſti Domini cruci, Sanctorum imaginibus, & reliquiis præbere ſolent Catholici. Unde Prudentius hymno 14. de S. Hyppoliti reliquiis, canit:

> *Mane ſalutatum concurritur: omnis adorat*
> *Pubes, eunt, redeunt. Solis ad uſque obitum.*
> *Conglobat in cuneum Latios ſimul, & peregrinos*
> *Permixtim populos, Religionis amor.*
> *Oſcula perſpicuo figunt impreſſa metallo.*
> *Balſama diffundunt, fletibus ora rigant.*

III. Oſculum *Charitatis*, quod ſibi invicem occurrentes præbere ſolebant Veteres Chriſtiani. Ad quod plurimum hortatur Apoſtolus eos, ad quos ſcribit, ſuas omnes pene Epiſtolas claudens his verbis, *Salutate invicem in oſculo ſancto*. Quod præſertim impendebant, dum eſſet peracta publica oratio, ut docet S. Juſtinus martyr in fine ſecundæ ſuæ apologiæ: *Oſculo*, inquit, *nos invicem ſalutamus, quando a precibus ceſſamus*.

Hinc Tertullianus acriter arguit Chriſtianos illos, qui orationem cum fratribus habitam, non conſignabant oſculo pacis. *Alia*, inquit, *jam conſuetudo invaluit: Jejunantes habita oratione cum fratribus, ſubtrahunt oſculum pacis, quod eſt ſignaculum orationis*. Cujus utique piæ conſuetudinis rationem his verbis effert S. Hieronymus: *Veri Chriſtiani ſe invicem oſculantur, ut recordentur Deum nos in Verbo ſuo & Spiritu Sancto ſuaviter oſculari.*

IV. Oſculum *reconciliationis*: ſic Laban, prius iratus Jacobo, quod furtim filias ſuas adduxiſſet, placatus tandem, *Oſculatur*

tus eſt filios, & filias ſuas; & benedixit illis. Geneſ. 31. v. 55. Sic pariter Eſau complexus eſt Jacobum fratrem, Geneſ. 33. v. 4. *Currens itaque Eſau obvium fratri ſuo, amplexus eſt eum, ſtringenſque collum ejus, & oſculans, flevit.* Hinc Chriſtus Dominus, ut Dei miſericordiam in peccatorum pœnitentium reconciliatione commendaret, ſub parabola patris-familias duos habentis filios, quorum unus poſt devoratam cum meretricibus ſubſtantiam, factus pœnitens, ad patrem reverteretur; ait, quod optimus ille pater, ut vidit illum filium prodigum redeuntem, *Accurrens cecidit ſuper collum ejus, & oſculatus eſt eum.*

V. Oſculum *proditionis* quale fuit Joabi erga Amaſam, II. *Reg. cap.* 20. *v.* 10. & Judæ traditoris, qui oſculo Chriſtum Dominum prodidit.

VI. Oſculum *honeſtatis* & *urbanitatis*, quo homines officioſi ſeſe mutuo adventantes excipiunt. Hinc Chriſtus D. de Phariſæo, qui ipſum ad prandium invitaverat, conqueritur, quod ipſi in domum intranti oſculum non dediſſet.

Mitto cætera oſculorum genera quæ præfatus perdoctus Kempius plurimis exemplis illuſtrat, & explicat. Satis enim apparet ex dictis, non omne prorſus oſculum eſſe propudioſum; imo aliqua eſſe laudanda: ea maxime, quæ non ſolum cauſa pietatis, & charitatis; ſed etiam quæ in ſignum urbanitatis & amicitiæ conferuntur, quale fuit illud a Jacobo Racheli datum; & quo Labanus ipſe Jacobum complexus eſt: ſtatim enim atque illum veniſſe audiit, cucurrit illi obviam, & mutuis datis oſculis, & amplexibus, induxit illum in domum ſuam.

Jacob vero, etſi in avunculi domo pacifice verſaretur, noluit tamen in otio degere: ſed honeſtis operibus ſe addixit; ne ignavus alienum panem ederet. Laban autem videns eum eſſe virum ſtrenuum, & rerum intelligentem, cum eo paciſci voluit de mercede: judicavit enim ex ſenſu omnium mentibus ingenito, juſtitiam eſſe mutuo colendam, & ſuum cuique reddendum: *Num quia frater meus es*, inquit, *gratis ſervies mihi?* cui Jacob: *Serviam tibi pro Rachel filia tua minore ſeptem annis.* Quam conditionem audiens Laban, gratam habuit. *Servivit ergo pro Rachel ſeptem annis.*

QUÆRITUR II.

Utrum legitima fuerit hæc conventio.

RESpondeo, Labanum in ea, ejuſque appendicibus, plurima peccaſſe: reus enim fuit.

I. *Inhumanitatis*, & *atrocitatis* in filiam, quam mercedis loco permutavit cum Jacobi obſequiis, nullam ei dotem conſignans; ſed ut vile mancipium homini, tunc bonis omnibus deſtituto, in uxorem ſpondens. Unde merito infra *cap.* 31. conqueruntur Rachel, & Lia: *Numquid habemus reſidui quidquam in facultatibus, & hæreditate domus patris noſtri? Nonne quaſi alienas reputavit nos, & vendidit, comeditque pretium noſtrum?*

II. *Duplicis*, & *verſipellis animi* erga Jacobum nepotem ſuum; cui poſtulatam Rachelem, promittit uno ſpe illa potiundi poſt exactum ſeptem annorum obſequium; cum tamen haberet in animo, non Rachelem, ſed Liam oculis lippientem, & deformem fraudulenter ei in conjugem ſubſtituendi: reticens in animo, quam poſtmodum excuſationem obtendit; ſcilicet non eſſe illius regionis conſuetudinem, ut juniores filiæ, ante natu majores, traderentur ad nuptias.

III. *Iniquitatis* & *injuſtitiæ*, cum abuſus occaſione ardentis affectus Jacobi erga Rachelem, eum duræ per ſeptem annos ſervituti mancipat. Debuerat enim attendere Jacobum eſſe carnem ſuam, hoc eſt, ex ſorore nepotem, cui filiam ſuam liberaliter concedere tenebatur, propter jus neceſſitudinis, maxime cum aliunde noſſet Jacobum ipſum, hæredem eſſe Iſaaci facultatum, quæ copioſiſſimæ erant & ampliſſimæ.

IV. *Violentiæ* in ipſum Jacobum, cum coegit illum in uxorem accipere Liam, quæ fraudulenter obtruſa fuerat in lectum; cumque adegit eum ad ratihabitionem ingrati matrimonii: necnon ad onus iterum ſerviendi per ſeptem annos, ut Rachelem obtineret, quam jure ſibi jam acquiſierat. Debuiſſet ille ob factam fraudem, Jacobum compenſare, & honeſta dote animum ejus demulcere, ut minori cum moleſtia Liam in uxorem retineret: at tantum abeſt ut ipſi irrogatæ injuſtitiæ debitam compenſationem offerat; quinimo ejus onus aggravat: & ſic mulctatur ille, cui facta fuerat gravis injuſtitia.

V. Denique ſummæ in filiam ſuam Liam injuriæ, cum eam induxit ut ſtuprum pateretur ab eo, qui non erat ejus maritus; eamque in periculum adduxit opprobrii perpetui; ſi illam vitiatam Jacobus repudiaſſet. Plurimis itaque titulis culpandus eſt Laban, maxime vero inſignis erga Jacobum injuſtitiæ, qui ſeptennali labore ſibi debitam Rachelem in uxorem poſtulans, ejus loco furtive ſubintroductam Liam habuit.

Petes, quo jure dixerit Jacob: *Da mihi uxorem meam: quia tempus jam impletum eſt ut ingrediar ad illam;* cum nondum eam duxiſſet, nec veniſſet in ejus poteſtatem?

Reſpondeo, ipſum merito Rachelem nominaſſe uxorem; quia etſi nondum in thalami communionem veniſſet; tamen ex inito pacto cum Labano, Jacobus credidit jus ſibi eſſe acquiſitum in conjugem; maxime cum ipſe ſtipulatam conditionem impleviſſet. Quæ enim deſponſata eſt, uxor poteſt appellari, cum alteri non poſſit nubere. Unde *Deuter. v.* 23. ſtatuitur: *Si virginem puellam deſponderit vir, & invenerit eam aliquis in civitate, & concubuerit cum ea, educes*

utrumque ad portam civitatis illius, & lapidibus obruentur: puella, quia non clamavit cum eſſet in civitate: Vir, quia humiliavit uxorem proximi ſui. Ubi vides deſponſatam appellari uxorem; ac proinde Jacobus merito jure Rachelem ſibi deſponſatam, uxorem nominavit.

Ut Jacobi votis in ſpeciem annueret Laban, ſeu potius, ut illum majori arte falleret, vocatis multis amicorum turbis ad convivium; fecit nuptias; ſcilicet ut coram plurimis teſtibus obſtrictum teneret Jacobum, ne conjugium ineundum, & conſummandum cum Lia, tametſi deceptus, detrectare auderet. Veſpere autem facto, filiam ſuam Liam introduxit Labanus in Jacobi thalamum; ea vero Jacobus tanquam uxore uſus eſt; nec in tenebris eam a Rachele diſcrevit.

Petes II. qui fieri potuit, ut Jacobus tota nocte ita in errore verſatus ſit, ut nullam habuerit fraudis ſuſpicionem?

Reſpondet Lyranus noſter in hoc apparere ipſius Jacobi animi candorem: „ Primo, *inquit*, quod nocte illa forſitan Liam non „ tetigit; ſed continens ab ea, orationi vacavit; ſicut & de Tobia legitur. II. Quod „ ſi tetigerit eam carnaliter, oſtenditur hic, „ quod non quæſivit in uxore ſua blanditias, ut in meretricis tactibus & verbis: „ ſed magis ea uſus eſt in caſtitate maritali. *Hæc ille.*

Addunt Hebræi quod Rachel videns hunc eſſe ſui patris animum, ut ſororem ſuam prius traderet Jacobo, ei dedit ſigna quæ ab ipſo Jacobo acceperat; ut ita Jacobus minus fraudem ſuſpicaretur. Verum ſi res ita fuiſſet, non potuiſſet Rachel in lenocinii partem non venire, quod ipſi maxime fuiſſet probroſum.

Rectius itaque dicendum arbitror, Jacobo ſimplicitatis & caſtitatis amanti, nihil fuiſſe unde fraudem ſuſpicaretur; cum id prorſus eſſet inſuetum, nullumque rei ſimilis exemplum extaret: nec aliunde poſſet in tenebris diſcernere, utrum eſſet Rachel quæ cum eo decumberet, an vero alia: nullum enim indicium aliud habere potuit quam ex ſermone. At potuit Labanus Liam monuiſſe ut tota nocte ſileret; aut ſi loqui urgeretur, ita ſubmiſſe vocem ederet, ut ſororis loquelam ſic temperaret, ut nulla Jacobo fraudis eſſet ſuſpicio. Utut ſit, teſtatur Moſes nonniſi mane facto, a Jacobo deprehenſam Liam, quam putabat eſſe Rachelem.

Hoc autem cum agnoviſſet, jure expoſtulavit adverſus Labanum de fraude ſibi facta: *Quid eſt*, inquit, *quod facere voluiſti? nonne pro Rachel ſervivi tibi? quare impoſuiſti mihi?* Reſpondit Laban non eſſe conſuetudinem iſtius regionis, locare filias natu minores, majoribus præteritis. Quæ reſponſio, etſi habeat aliquid coloris, fraudem tamen minime excuſat; non enim debuerat doloſe ſpondere Rachelem; ſed potius cum illam petiit Jacobus, oportuiſſet illum monere, ut vel ab utriuſque ſororis conjugio deſiſteret: vel animum adiiceret ad Liam, ut regionis conſuetudini morem gereret.

Nihilominus, ut eum placaret Laban, ſimulque matrimonium inter eum & Liam ineundum ex mutuo utriuſque conſenſu ſuaderet, ac ſervitutem ipſius ſibi maxime proficuam produceret in aliud ſeptennium, promiſit ſe ei daturum etiam Rachelem, ea tamen lege, ut prius impleret hebdomadam ſolemnitatis nuptiarum cum Lia, & inſuper aliis ſeptem annis ei inſerviret. Quibus conditionibus acquieſcens Jacobus, tandem optatam Rachelem obtinuit.

Petes III. Utrum poſt tranſactam illam hebdomadam, & ante ſeptennium ſervitutis completum, Rachelem obtinuerit Jacob?

Scribit Joſephus nonniſi exacto altero ſeptennio, ductam fuiſſe Rachelem. At rectius cenſet S. Hieronymus in Quæſt. Hebr. ſcribens conceſſam eſſe Rachelem, *Non poſt alios ſeptem annos ſervitutis: ſed poſt ſeptem dies nuptiarum uxoris primæ.* Cui ſubſcribit S. Auguſtinus: „ Quod itaque ait „ Laban (inquit) *conſumma ſeptimanam iſtius*, „ ad nuptiarum celebrationem pertinet, „ quæ ſeptem diebus celebrari ſolet. Hoc „ itaque ait: imple dies nuptiarum ſeptem „ pertinentes ad iſtam quam duxiſti, & „ dabo tibi & hanc pro eo quod operaberis apud me adhuc ſeptem annos alios. „ Deinde ſequitur: Fecit autem Jacob ſic, „ & implevit ſeptimanam ejus, id eſt, ſeptem dies nuptiarum Liæ, & dedit illi „ Laban Rachel filiam ſuam ſibi uxorem... „ Nimis enim durum & valde iniquum fuit, „ ut deceptum adhuc differret alios annos „ ſeptem, & tunc eam traderet, quam „ primo debuit. Id pariter colligitur ex verbis Moſis. ait enim: *Hebdommada tranſacta, Rachel duxit uxorem... Tandemque potitus optatis nuptiis, amorem ſequentis priori prætulit, ſerviens apud eum ſeptem annis aliis.* Quæ verba indicant jam in „ uxorem ductam eſſe Rachelem.

QUÆRITUR III.

Utrum Jacobus Racheli pridem deſponſatus, potuerit licite Liam in uxorem accipere.

Citra dubium eſt a Jacobo illam potuiſſe reiici, cum inter eos legitimum non interceſſiſſet matrimonium; quia nullus fuerat conſenſus, quem error in perſona penitus excludit: ac proinde, ſi illam rejeciſſet, nullatenus peccaſſet adverſus divinas, vel humanas leges; neque aliud potuiſſet Laban ab eo ex jure requirere.

Cur vero, accedente conſenſu, illam in uxorem duxerit? duæ potiſſimum fuerunt cau-

cauſæ. *Prima* quidem, ingens metus, ne in ſe ſui avuuculi irritaret animum: cum enim ille ſolus ex ſua familia in Meſopotamia verſaretur, ſub Labani poteſtate, qui domeſticis & amicis plurimum valebat; timendum erat ne ſi ejus voluntati obluctaretur in reſpuenda Lia, grande ſibi periculum accerſeret.

Urgebatur etiam altera conſideratione, ſcilicet ablati pudoris in ſua cognata, etſi non ſine ipſius culpa; quippe cum illa fraudi conſenſiſſet. Cum igitur Jacobus cogitaret illam a ſe fuiſſe defloratam & forte imprægnatam, cenſuit ex conſcientia eſſe retinendam. Adiici poteſt tertia ratio, nempe ferventiſſimus amor, quo Rachelem proſequebatur; & quam obtinere non poterat, niſi Liam in uxorem acciperet.

Utrum vero, Lia in uxorem aſſumpta, licite potuerit Jacobus Rachelem ejus ſororem ducere? Sunt qui eum duplicis criminis reum faciunt, nimirum *polygamiæ*, quod plures duxerit uxores; & *incæſtus*, quod eum duabus ſororibus matrimonium inierit.

At ab utroque crimine illum eximit S. Auguſtinus; qui cum reſpondiſſet Fauſto Manichæo polygamiam Abrahamo tanquam grande crimen obiicienti: „ Addit, jam ve-
„ ro filio eius Jacob quod pro ingenti cri-
„ mine quatuor obiiciuntur uxores, gene-
„ rali prælocutione purgatur. Quando enim
„ mos erat, crimen non erat: & nunc pro-
„ pterea crimen eſt, quia mos non eſt. Alia
„ enim ſunt peccata contra naturam; alia
„ contra mores; alia contra præcepta. Quæ
„ cum ita ſint, quod tandem criminis eſt,
„ quod de pluribus ſimul habitis uxoribus
„ obiicitur ſancto viro Jacob? Si *naturam*
„ conſulas; non laſciviendi, ſed gignendi
„ cauſa illis mulieribus utebatur. Si *morem*,
„ illo tempore, atque in illis terris hoc factitabatur. Si *præceptum*, nulla lege prohi-
„ bebatur. Nunc vero cur crimen eſt, ſi
„ quis hoc faciat? niſi quia & moribus,
„ & legibus non licet? Quæ duo quiſquis
„ contempſerit, etiamſi tantummodo cauſa
„ generandi, uti poſſit fœminis pluribus,
„ peccat tamen &c.

Igitur non ſtudio libidinis implendæ Jacobum conſenſiſſe in polygamiam, argumentum eſt, quod plurimos annos antea celebs fuiſſet; nec unquam intemperantiæ fuit in Scriptura inſimulatus. Dum enim primum uxorem duxit, natus erat annos circiter 84. Inſuper cum Deo gratus fuerit, habueritque promiſſionem ſpecialis curæ & providentiæ divinæ in ſua peregrinatione; tametſi non ſuppeterent rationes; quibus excuſari poſſet ipſius polygamia, maxime cum duabus ſororibus; id nobis debet ſufficere illum non potuiſſe ſimul eſſe Deo gratum, & fœdis implicatum nuptiis, in eiſque ſine ulla pœnitentia per totum vitæ ſuæ tempus perſeverare. Neceſſario itaque ſentiendum eſt, Deum cum eo in lege communi de unitate uxoris diſpenſaſſe; eumque fuiſſe certiſſimum ſe in ſtatu multiplicitatis uxorum, Deo non diſplicere.

Jacobus tandem *potitus optatis nuptiis cum Rachele* (inquit Moſes) *amorem ſequentis priori prætulit*. Idque non ſine Dei judicio, quod enim minus habetur Lia a marito, non ſine eiuſdem Liæ culpa accidit; ipſa enim fuerat paternæ fraudis conſcia, ut ſorori debitum maritum indigne abduceret.

Nihilominus cum in coniugio ſervari debeat mutuus affectus; hanc in Jacobo erga Rachelem amoris præferentiam, cum ipſius ſororis iniuria, cui non habetur debitus honor, Deus ulciſci voluit, Liæ tantam tribuendo fœcunditatem, ut ſex filiorum fieret mater, dum Rachel ſterilis & infœcunda ingemiſceret. Vide (inquit S. Chryſoſt.) *Omnipotentis Dei ſapientiam; quoniam illa quidem pulchritudine ſua conciliaret ſibi gratiam viri, qua altera privata, odio haberi viſa eſt, hanc idoneam facit partui; illam vero inutilem: ambo hæc ſua miſericordia diſpenſans, ut & hæc per liberos, qui ex ea naſcebantur, ſolatium haberet, in ſui amorem virum alliciens: & illa non propter pulchritudinem & formoſitatem adverſus ſororem inſurgeret* &c. Quibus manifeſtum fit filiorum procreationem inter coniuges peculiare eſſe donum Dei, qui ſuo pro nutu uxorum claudit, aut aperit uterum: quodque ſoboles mutuum eſſe debeat paterni ac materni amoris vinculum. Unde veteres, liberos communes dixerunt *pignora*, quia ad augendum & fovendum mutuum inter conjuges amorem non parum conferunt.

Hoc ipſum agnovit Lia cum in ſuæ erga Deum propter datam fœcunditatem gratitudinis argumentum, quatuor filiis cum certo præconio nomen indidit: primumque appellavit *Ruben* dicens: *Vidit Dominus humilitatem meam, nunc amabit me vir meus*. Aliis ſimiliter tribus ſuam gratitudinem teſtantia nomina impoſuit, ut apparet ex textu. Genuit autem eos annis Jacobi 84. 85. 86. 87.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XXX.

DUo potiſſimum hoc in capite narrantur: ſcilicet multiplicatio uxorum, & filiorum Jacobi, occaſione invidiæ Rachelis erga ſororem; & facultatum, in re pecuaria, in vindictam injuſtitiæ & avaritiæ Labani.

Tripudium egerat Rachel in ſororis contemptum cum propter eximiam ſuam pulchritudinem: tum propter ſui mariti vehementem affectum. At cum adverteret Liam jam quatuor filiorum matrem, ſe vero ſterilem; *Invidit ſorori ſuæ, & ait marito ſuo: Da mihi liberos, alioquin moriar.*

QUÆ-

QUÆRITUR I.

Num in iſtis verbis peccaverit Rachel.

SUnt qoi affirmant ab illa citra ullam culpam iſta prolata; perinde enim eſt, ac ſi dixiſſet: Tu qoi tua eximia pietate, tuiſque precibos plurimum apud Deum vales, effice tuis votis, ut liberos mihi concedat; quemadmodum pater tuus ſuis orationibus gratiam fœcunditatis Rebeccæ matri tuæ obtinuit.

Verum ſi is fuiſſet illius verborum ſenſus, non habuiſſet Jacob cur in illam excandeſceret, eamque graviter objurgaret: addit enim Moſes: *Cui iratus, reſpondit Jacob: Num pro Deo ego ſum, qui privavit te fructu ventris tui?* Ille certe indignationis motus, in viro aliunde patientiſſimo, illaque gravis in dilectiſſimam uxorem animadverſio, iudicia ſunt illam in verbis iſtis non leviter peccaſſe. Neque vana eſt exiſtimatio.

I. Namque, rea fuit æmulationis & invidiæ erga ſororem ſuam, quod hæc plures pareret filios; cum potius debuiſſet ei congratulari, quod Deus ipſi benediceret, quodque ſui mariti & familiam & nominis ſplendorem augeſceret, atque poſteritati conſignaret.

II. Contumeliæ ſuum in marirum, cum ſuæ ſterilitatis cauſam in eum retundit, & petulanter in eum inſurgens: *Da mihi liberos*, inquit: ac ſi per ipſum ſtaret, quominus eſſet fœcunda.

III. Infidelitatis erga Deum, cum inficiatur illum humani generis primarium eſſe parentem; creditque liberos pro hominum arbitrio formari. Unde merito Jacobus, ut Deo debitum honorem aſſerat, eam admonet, illius forte in ſua pulchritudine complacentiam & animi elationem, in cauſa fuiſſe, cur ſterilitare illam Deus mulctaverit. Solus enim ille eſt fœcunditatis auctor. Unde Theodoretus: *Non nuptiæ dant liberos, ſed qui nuptiis legem dedit, Deus.* Cui concinit Hebræorum Paraphraſtes Hyeroſolymitanus referente Paulo Fagio: *Quatuor claves traditæ ſunt in manum Domini univerſi mundi, quas non tradidit Dominus, nec Angelo, nec Serapho: clavis ſcilicet pluviæ, clavis cibutionis, clavis ſepulchrorum, clavis ſterilitatis.* De clavi pluviæ, Deut. 28. *Aperiet Dominus Cælum, ut tribuat pluviam terræ tuæ in tempore ſuo.* Clavem alimoniæ, Pſalm. 144. v. 16. *Aperis tu manum tuum & imples omne animal benedictione.* Clavis ſepulchrorum, in mortuorum reſurrectione, Ezechielis. 37. v. 12. *Ecce ego aperiam tumulos veſtros, & educam vos de tumulis veſtris.* Clavis fœcunditatis & ſterilitatis, ut conſtat præſenti exemplo Liæ & Rebeccæ. Jure igitur Jacobus Rebeccam arguit, quod tribuat homini virtutem ſoli Deo propriam ac reſervatam. In quibus certe maximum nobis adeſt humanæ infirmitatis exemplum & argumentum. Rachel formæ præſtantia & mariti gratia in tantum efferebatur, ut contemneret ſororem ſuam: at fœcunditate orbata abripitur impatientia in Deum & maritum: ſic rebus ſecundis plerumque inſoleſcimus, adverſis nimium deiicimur.

Nihilominus excuſari poteſt Rachel, quod forte audierat marito ſuo repromiſſam eſſe a Deo numeroſiſſimam poſteritatem; atque divinum illod ſemen in quo benedicendæ eſſent omnes tribus terræ, a cujus gratiæ participatione videbat ſe propter ſterilitatem penitus arceri.

Unde mariti monitis & reprehenſioni humiliter acquieſcens, ne ſuſcipiendæ prolis ſpem abiiceret, cum audiiſſet quod Sara eadem de cauſa, ancillam ſuam Agar Abrahamo ſubſtituiſſet in uxorem: ſic illa maritum compellat: *Habeo*, inquit, *famulam Balam: ingredere ad illam, ut pariat ſuper genua mea, & habeam ex illa filios: deditque illi Balam in conjugium: quæ, ingreſſo ad ſe viro, concepit* &c.

QUÆRITUR II.

Num recte egerit Jacobus huic Rachelis petitioni annuens.

EA fuit olim Fauſti Manichæi in S. Patriarcham Jacobum criminatio, ut ipſum propudioſæ incontinentiæ argueret propter aſſumptas quatuor uxores. Cujus veſtigiis inſiſtens Calvinus, & expendens præfata Rachelis verba, ſcribere non veretur: „ Itaque „ ad tertium conjugium rapitur Jacob. Unde „ colligimus nullum eſſe peccatis finem, „ ubi ſemel neglecta eſt Dei inſtitutio. At„ que hoc eſt quod dixi, non ſtatim Dei „ ſerulis reductum ad ſanam mentem. Fa„ cit quidem hoc uxoris impulſu: ſed an „ uxor illi pro Deo eſt, a quo ſolo con„ jugii lex petenda eſt? atque ut morige„ rum ſe uxori præbeat, vel ejus oportu„ nitati obtemperet, recedere non dubitat „ a Dei mandato. Et ſubſcribunt ex Heterodoxis plurimi, Jacobum libidinis exceſſus reum aſſerentes.

At S. Patriarcham excuſat S. Auguſtinus præfato libro 22. contra Fauſtum, ubi cum dixiſſet: *Poſſunt iſti maledici potius calumniatores, quam veridici judices, etiam SS. Apoſtolos accuſare, quod non charitate generandi filios vitæ æternæ, ſed cupiditate laudis humanæ populis tam multis Evangelium prædicaverunt.* Inde concludit: „ Sicut ergo ſan„ cti Apoſtoli auditoribus admirantibus do„ ctrinam ſuam, condelectabantur, non avi„ ditate conſequendæ laudis, ſed charitate „ ſe-

Digitized by Google

„ ſeminandæ veritatis: ita ſancti Patriarchæ
„ conjugibus excipientis ſemeo ſuum miſce-
„ bantur, non concupiſcentia percipiendæ
„ voluptatis; ſed providentia propagandæ
„ ſucceſſionis: ac per boc nec illos ambitio-
„ ſos multitudo populorum, nec illos libi-
„ dinoſos multitudo faciebat uxorum. Sed
„ quid de viris loquar, quibus excellentiſ-
„ ſimum teſtimonium divina voce perhibe-
„ tur, cum ipſas fœminas ſatis eluceat ni-
„ hil aliud in concubitu appetiiſſe, quam
„ filios? quippe ubi ſe minime parere vide-
„ runt, famulas ſuas dederunt viro ſuo,
„ ut illas matres facerent carne, ipſæ fierent
„ voluntate. *Ita S. Auguſtinus*.

At ſi uxores excuſandæ veniunt, quod prolis ſuſcipiendæ deſiderio ancillas ſuas in conjuges Jacobo dederint, exemplo Saræ, quæ Agaram Abrahamo obtulit; ne tantus vir filiis orbatus e vivis excederet, neque divinæ promiſſiones de multiplicando ejus ſemine ſicut ſtellas cœli, & ſicut pulverem terræ irritæ fierent & prorſus inanes: multo magis excuſandus eſt ipſe Jacobus, quippe qui Abrahami avi ſui, quem noverat Deo ſemper ſuiſſe gratiſſimum, exemplum haberet.

Accedit qnod nobiliori fine, quam Abrahamus, uxorum ſuarum ancillas matrimonio ſibi copulaverit; eas ſiquidem in thalami conſortium ea conditione non aſſumpſit, ut procreandi ex illis filii, inſtar Iſmaelis, paternæ hæreditatis eſſent estorres: ſed ut a prioribus usoribus adoptati, iiſdem juribus ac privilegiis gauderent, quibus frui debebant ex Lia & Rachele geniti, quod utique factum manifeſte conſtat ex ipſius Jacobi teſtamento, & terræ ſanctæ duodecim Patriarchis diſtributione.

Cum igitur perſuaſum habeamus Jacobum fuiſſe Deo gratum & acceptum, neque propter uxorum multiplicitatem unquam ab eo reprehenſum; veroſimile eſt Dei estraordinaria indulgentia illum a communibus in matrimonio præſcriptis legibus immunem factum, & ſingulari benevolentia diſpenſatum. Qua ratione, citra culpam etiam Liæ ancillam ab ea deprecatus in quartam uxorem aſſumpſit, ne ſi duriorem ſe præbuiſſet in illa reiicienda, augeret invidiam & æmulationem, qua poſtmodum Lia etiam in ſororem Rachelem exarſit: cujus utique non leve præbuit argumentum, cum Racheli petenti ut ipſi partem concederet mandragoris quas Ruben puerulus & adhuc ſeptennis ex agro reverſus matri Liæ obtulerat, hæc irata reſpondit: *Parumne tibi videtur, quod præripueris maritum mihi, niſi etiam mandragoras filii mei tuleris?*

QUÆRITUR III.

Quis ſit horum verborum ſenſus.

IN Hebræo textu, loco mandragoræ, eſt vox *Duduim*, cujus cum ſignificatio ſit anceps, varia eſt de illa Interpretum ſententia. Piſcator & Junius volunt ea voce pluralis numeri deſignari faſciculum florum amœniſſimorum, quos per campum deambulans Ruben adhuc infans, ſola varietate coloris & odore inductus collexerit & detulerit domum: At verſimile non eſt a Rachele tantopere ſuſcipiendæ prolis impatiente, faſciculum florum agreſtium adeo ferventer deſideratum, ut pro iis obtinendis jus ad thorum conjugale ſorori ſuæ cederet.

Eſtimant plurimi voce *Dudaim* ſignificari quandam liliorum ſpeciem, quæ ſua pulchritudine, & ſuaviſſimo odore, Rubenum eſcitarit, ut hunc florem decerperet. Verum Lilia, Hebraice non dicuntur *Dudaim*; ſed *Soſanim*. Adde quod illa *Duduim* inventio, & decerptio, dicatur facta tempore meſſis; Lilia autem eo tempore, vel nulla ſunt amplius, vel marceſcunt.

Itaque ſecurius dicendum arbitror cum LXX. Syro, Arabe, & Vulgato noſtro Interpretibus, ea voce *Dudaim* denotari *Mandragoram*, quam Avicenna, & S. Epiphanius in Philologo, cap. 4. dicunt plurimum conducere ad vim generativam, quod ſumme expetebat Rachel jamdudum ſterilis. Advertit tamen S. Auguſtinus quod cum Rachel non niſi diu poſtea conceperit, illius fœcunditas mandragoræ non eſt tribuenda. Quamobrem addit, quod cum ipſe mandragoram, fructum rariſſimum obtinuiſſet: *Rem*, inquit, *comperi pulchram & ſuaveolentem, ſapore autem inſipido: quocirca cur eam mulier illa* (de Rachele loquitur) *tantopere concupierit, ignorare me fateor: niſi forte propter pomi raritatem, & odoris jucunditatem*.

At, utut ſit de ſignificatione vocis *Dudaim*; certum eſt illum ſive fructum, ſive florem fuiſſe Liæ peropportunum ac perutilem; illius enim occaſione annuente Rachele, admiſſa eſt ad thorum conjugalem, quo diu caruiſſe videtur, forte quod cenſeretur effœta; quippe jamdudum nullos pepererat filios: exinde vero duos adhuc genuit & unam filiam.

Tandem Deus etiam Rachelis miſertus eſt, unumque concepit filium, quem appellavit Joſeph, hoc eſt incrementum ſeu accreſcentem, ſpe nixa quod alteram prolem ipſi Deus concederet. Illo autem in lucem edito dixit: *Abſtulit Deus opprobrium meum*; ſterilitas enim erat illo tempore in fœminis velut grande probrum; quod non viderentur habere partem in benedictione, quam Deus Adamo & Evæ contulit dicens: *Creſcite & multiplicamini &c.* Neque in ea promiſſione, quam primæ mulieri fecerat Deus, quod illius ex ſemine Meſſias eſſet oriundus.

Inde eſt quod non ſolum Rachel ſterilitatem ſuam *opprobrium* appellat: ſed etiam Iſaias, qui *cap.* 4. *v.* 1. inducit ſeptem mulieres apprehendentes virum unum, & dicentes: *Aufer a nobis opprobrium noſtrum*:

& S.

Digitized by Google

& S. Eſizabeth mater S. Joannis Baptiſtæ, *Lucæ* 1. *v.* 25. videns ſe gravidam, gratias agit Deo, quod, inquir, *reſpexit auferre opprobrium meum inter homines.*

Jacobus itaque ſe tot filiis auctum, & jam dudum expertus Labani erga ſe duririem ac perfidiam, cogitavit de ſuo in patriam reditu; & dimiſſionem ab eo poſtulat: cujus petitionis æquirarem ei ob oculos exponir, dicens: *Tu noſti ſervitutem qua ſervivi tibi:* quibus ſignificabat non amplius ſe illi eſſe obnoxium, cnm pactis & promiſſis aliunde ſatisfeciſſet.

QUÆRITUR IV.

Quibus artibus Labanus Jacobum detinuerit & luſerit.

LAbanus perſuaſus quantum Jacobi præſenria & opera contuliſſet ad divitiarum augmenrum: avaritia ductus, exorat illum ur ſub condicta pro ejus arbitratu mercede, conſiſtere dignaretur. Petir Jacobus ur poſtquam Labanus ſeparaverit pecudes unicolores a variegatis, variegatas & diverſicolores aliis commirrat, ſibi unicolores paſcendas relinquat: ex unicoloribus autem, quidquid poſtea naſcetur variegatum, pro mercede ei cedat; quidquid autem nigrum, vel album, id eſt, unius coloris, maneat Labano: quam conditionem Labanus ambabus, quod dicunt, ulnis amplectitur; quia judicabat multo plures unicolores ex unicoloribus naſciruras, quam variegatas: cum id natura comparatum ſit, ut ex albis, albi; ex maculoſis, maculoſi naſcantur. Unde illud Tytiri apud Virgilium;

Sic canibus catulos ſim'les, ſic matribus hædos.

Hac itaque condirione videbatur optime conſulrum Labano qui maculis diſtinctas pecudes filiis ſuis, unius vero coloris Jacobo paſcendas commiſir, interpoſito inrer utrumque gregem tridui itinere, ne ex promiſcuo coitu verſicolor ſoboles Jacobo naſceretur. Idcirco Labanus condirionem hanc approbans ait, juxra vulgatum Interpretem: *Gratum habeo quod petis. Et ſeparavit in die illa, capras, & oves, & hircos, & arietes varios, atque maculoſos: cunctum autem gregem unicolorem, id eſt, albi & nigri velleris, tradidit in manu filiorum ſuorum. Et poſuit ſpatium itineris trium dierum inter ſe & generum, qui paſcebat reliquos greges ejus.*

Verum poſtrema hæc verba non conveniunr rextui Hebraico & Græco, nec ſtipulationi a Jacobo propoſitæ, & a Labano probatæ. Petierat enim Jacobus ut ſepararentur unicolores a variegatis, & hæ traderentur filiis ac ſervis Labani; illas vero ſuſciperet ipſe cuſtodiendas; ait enim v. 32. *Quodcumque furvum & maculoſum, variumque fuerit, tam in ovibus, quam in capris, erit merces mea.* Quod aurem ita factum fuerit apparet ex arte qua uſus eſt Jacobus ut oves variegatas obrineret: ſi enim ipſi conceſſæ fuiſſent diverſicoloris, quid opus erat virgas populoſas partim corticibus exutas, partim integras in canalibus apponere, ur ex earum conſpectu grex diverſicoloris gigneretur; cum ſoleant greges ſibi in vellere ſimiles partus edere.

Hunc nodum ut ſolvant Interpretes, nonnulli dicunr cum Benedicto Pererio hic eſſe hiſterologiam, & præſata verba non eſſe intelligenda de prima illa diſtinctione poſt initum pactum; ſed de ea quæ ſacta eſt poſt partum pecudum; quo tempore Jacobus accepit unicolores. At expoſitio hæc non concordat tam cum inito pacto quam cum illius executione.

Cornelius a Lapide exiſtimat a Labano aliquem ex ſuis ſervis & filiis adjunctum Jacobo, ne fraus aliqua ex ejus parte in prædicta conventione fierer. Verum huic expoſitioni repugnar illa Jacobi obteſtatio v. 33. *Reſpondebit mihi cras juſtitia mea, quando placiti tempus advenerit coram te: & omnia quæ non fuerint varia, & maculoſa, & furva, tam in ovibus, quam in capris, furti me arguent.* Hoc enim non dixiſſer ſi filios Labani habuiſſer ſibi adjunctos exploratores; neque potuiſſet in eorum præſentia virgas detractis corticibus adhibere, ut verſicolores greges obtineret, hac enim arte uſus eſt Jacobus ante priorem gregis partum.

Igitur his & ſimilibus expoſirionibus omiſſis, cenſerem ego hic adiiciendam eſſe particulam negativam *non*, ut ſit ſenſus, *cunctum autem gregem unicolorem, id eſt, albi & nigri velleris, non tradidit in manus filiorum. ſuorum.* Ut autem hæc negans particula prætermirreretur, effecit ſorte textus LXX. Interpretum, quem S. Hieronymus in tradirionibus Hebraicis dicit ita hic eſſe obſcurum & conſuſum, ut neminem repererit qui illum nitide exponeret.

Subjungit Moſes artificium quo uſus eſt Jacobus ad variegarum gregem ex uni coloribus conſequendum: nam primo arborum virgulas partim decorticatas appoſuit in canalibus, ut cum oves incaleſcerent, & inirentur, ex illo virgarum diverſicoloris intuiru variegatos ederent partus: „ Ex virgis enim (*inquit S. Hieronymus mox laudatus*) in canalibus poſitis, varius erat „ etiam imaginum color. Nec mirum hanc „ in conceptu fœminarum eſſe naruram, ut „ quales proſpexerint, ſive mente conceperint in extremo voluptaris æſtu, quæ concipiunt, talem ſobolem procreent: cum „ hoc ipſum etiam in equarum gregibus „ apud Hiſpanos dicatur fieri: & Quintilianus in ea controverſia, in qua accuſabatur matrona, quod Æthiopem pepererat, pro defenſione illius argumenterur, „ hanc conceprus eſſe naruram, quam ſupra „ diximus. Et ſcriptum reperitur in libris Hyp-

„ Hyppocratis, quod quædam ſuſpicione „ adulterii fuerat punienda, cum pulcherrimum peperiſſet, utrique parenti generique diſſimilem, niſi memoratus medicus „ ſolviſſet quæſtionem, monens, quærere „ ne talis forte pictura eſſet in cubiculo: „ qua inventa mulier a ſuſpicione liberata „ eſt. Similia profert S. Auguſtinus quæſt. „ *63.* in Geneſ.

QUÆRITUR V.

Utrum in illa conventione, eiuſque executione prudenter ac iuſte egerit Jacobus.

PEccaſſe videtur primo contra rationis & prudentiæ dictamen, dum ſe obſtrinxit ſocero ſub conditione mercedis incertæ, cum potuiſſet, de certo atque determinato aliquo ſtipendio cum illo paciſci. Similiter in executione reus videtur fraudis & uſurpationis alieni boni; quippe artificio uſus eſt ad ampliandam mercedem ſuam aliter quam cum ſocero convenerat.

Verum ab utroque reatu facili negotio eximitur. A primo quidem; manifeſtum enim eſt quod cum iamdudum expertus eſſet tenacem & avarum Labani animum, nullaque prorſus humanitate ac juſtitia erga ſuos flexibilem; utpote qui ſuas ei, filias ſine ulla dote in uxores dediſſet, illumque duriſſimis laboribus per quatuordecim annos in cuſtodiendo ſuo grege diu noctuque mancipaſſet; non habebat Jacobus unde ei fidere poſſet. Atque ita de certa mercede cum eo debuit paciſci, ut ſine contentione illius executionem a Labano poſſet ſperare; maxime cum in eo loco verſaretur extraneus, omni urique humano auxilio deſtitutus.

Egit ergo conſultiſſime, committendo ſe Dei providentiæ qui ſpoponderat ſe illi ſemper adſuturum, & a cuius benedictione talem expectabat futuram mercedem, quæ ſuis laboribus ex æquo reſponderet. Nihil ergo ab eo temere tentatum; quippe qui ſibi propoſuerit fidelem curam commiſſi gregis, ſed juſtam a Deo expectare mercedem laboris, quam a Labano ſciebat ſe ex æquo non accepturum.

Nihil pariter peccavit in executione pacti; quandoquidem illis artibus adhibitis nihil aliud quæſivit, quam ut ſibi debita reſarciret, quæ alia via obtinere non valebat:

His adde quod hoc artificium proprio genio non excogitaverit Jacobus; ſed Deo per Angelum monente, has artes adhibuit, ut ipſemet Jacobus teſtatur initio capitis ſequentis. Non quod Deus non poſſet ullo abſque artificio humano ex pecudibus unicoloribus variegatas producere: ſed quia vult non negligi cauſas naturales, quando ad intentum effectum poſſunt concurrere.

Tametſi non exiſtimem adhibitum iſtud a Jacobo artificium præcipuam fuiſſe illius varietatis vellerum in gregibus cauſam; neque enim pecudum imaginatio quovis objecto propoſito movetur, cum poſſit ab alio præoccupari: ſed Deus voluit id eſſe Jacobo veluti ſignum futuri eventus, ex ſpeciali ipſius providentiæ cura, ut perbelle exponit S. Chryſoſtomus: „ Hæc faciens juſtus, *inquit*, non a ſeipſo movebatur: „ ſed inſpirante menti eius ſuperna gratia: „ neque juxta naturæ ordinem erat quod „ fiebat; ſed valde admirabile, & naturæ „ modum tranſcendens.

At inquies, impium videtur, fallendi artem in Deum auctorem refundere.

Reſpondeo, in illo Jacobi facto nullam interveniſſe fraudem: ſiquidem non invadebat alienum, ſed ſuum iniuſte detentum recuperabat. Ex divina vero juſtitia & æquitate erat, ut Labanus alieni boni iniuſtus detentor puniretur: ea tamen ratione, ut nullatenus poſſet iuſte conqueri; ſed cogeretur ſuam agnoſcere in Jacobum iniuſtitiam, & Dei innocentium protectoris æquitatem.

DISQUISITIONES IN CAPUT XXXI.

QUatuor hoc in capite occurrunt ſpectanda. 1. Jacobi propoſitum in patriam revertendi inconſulto Labano. 2. Rachelis furtum, quæ Labani patris ſui Teraphim abſtulit. 3. Labani in abeuntem & fugientem Jacobum perſecutio. 4. Huius adverſus Jacobum, & Jacobi in ipſum expoſtulatio; atque deinde inter utrumque initum fœdus.

Jam viginti annis in Meſopotamia egerat Jacobus ut apparet ex v. 38. & 41. ſub dura Labani ſervitute, imo tyrannide, cuius tandem pertæſus, atque monitus a Deo, convocatis uxoribus ſignificavit ſibi animum eſſe natale ſolum repetendi; ut illarum exploraret animos, an profectioni libere conſentirent. Difficile ſiquidem ipſi videbatur mulieres, quæ nunquam paterna domo egreſſæ erant, in longinquam regionem per iter igno-

ignotum traducere, niſi volentes. Deo autem ita ſuggerente ſactum eſt, ut illæ mariti ſui votis annuerent; imo conquererentur de ſui patris erga ſe duritie, qui ſane illas Jacobo coniunxerat velut ancillas, & nulla conceſſa dote. Quamobrem Jacobo reſponderunt: *Quæ precepit tibi Deus, fac.*

Omnibus itaque ad exitum comparatis, cum Labanus occupatus eſſet in tondendis ſuis ovibus procul a domo, Rachel, compoſitis ſarcinis, patris Teraphæos, Jacobo inſcio, abſtulit.

QUÆRITUR AUTEM I.

Quæ fuerint illa Theraphim, & quo animo Rachel illa abſtulerit.

VUlgatus Interpres; qui hanc vocem *Theraphim*, Judic. 17. v. 5. & cap. 18. v. 14. nec non Oſeæ, 3. v. 4. retinet, hic Idola vertit; an autem revera fuerint Idola, quæ Labanus coleret & qualiter confecta, diſquirunt Interpretes.

Hebræi Doctores, maxime Rabi Eliezer, & David Kimki in lib. Radicum, ſcribunt: Theraphim fuiſſe imagines futura indicantes. Addit Eliezer & ex eo Kircherus a & Toſtatus b, Theraphim confecta fuiſſe e capite mactati filii primogeniti, & oleo conditi; cuius ori inſerta ſit lamina aurea, Dæmonis nomine inſignita; & coram quo ad parietem poſito lampades accendebantur, & interrogantibus reſponſa dabant.

a *In Ordipo pag.* 261.
b *In cap.* 10. *Zacharia.*

Rem vero aliter exponit Toſtatus: *Erant*, inquit, *quædam capita in metallo certo quodam tempore, & ſub certis ſyderum aſpectibus & conjunctionibus planetarum facta, ut virtus e cœlo derivaretur in illud caput, fieretque potens reſpondendi conſulentibus & interrogantibus ipſum. Itaque fiebat partim per Aſtrologiam, partim per Necromantiam.* Verius dixiſſet iſta fuiſſe confecta ope Dæmonum, qui per iſtas idololatricas figuras conſulentibus reſponſa dabat. Unde Propheta Zacharias, cap. 10. v. 2. *Simulacbra locuta ſunt inutile.* Ubi loco *ſimulacbri*, Hebraice eſt *Theraphim*. Et Ezechielis 21. v. 21. *Stetit rex Babylonis in bivio: in capite duarum viarum, divinationem quærens, commiſcens ſagittas interrogavitque Idola*, Hebraice *Theraphim*. Ex quibus apparet Idololatras a talibus imaginibus, quæ *Theraphim* appellantur, reſponſa petiiſſe in rebus dubiis.

Confirmat iſta Mercurius Triſmegiſtus in Aſclepio, ubi cum dixiſſet ſicut Deus ſupremus alios Deos ſimiles effinxit; ita homines Deos ſuos ex ſui vultus ſimilitudine figurarunt. Interrogante Aſclepio: *Statuas dicis, o Triſmegiſte?* hic reſpondet: *Statuas o Aſclepi! Videſne quatenus tu ipſe diffidas? Statuas animatas ſenſu & ſpiritu plenas, tantaque facientes & talia. Statuas futurorum præſcias, ea quæ forte omnis vates ignoret, in multis & variis rebus prædicentes, imbecillitates hominibus facientes, eaſque curantes, triſtitiam, lætitiamque pro meritis.* Quam ſententiam producit S. Auguſtinus, lib. 8. de civit. Dei, cap. 23. eamque ibidem expendit & ſuggillat. Fatetur tamen capite ſequenti, *Dæmones, qui coluntur in templis, per artem neſcio quam, imaginibus, hoc eſt, viſibilibus ſimulacbris, ab hominibus colligari.*

Ex his apparet Labani Theraphinos vera fuiſſe Idola, quibus exiſtimabat ille quamdam divinam ineſſe vim, quæ ipſi in neceſſariis ſucurreret: unde illa vocabat *Deos ſuos*.

Non tamen exiſtimo illum fuiſſe publicum Idololatram, nec ab ipſo veri Dei cultu penitus abjectum: non enim veriſimile eſt Jacobum virum ſanctiſſimum tandiu apud hominem inanium Deorum cultorem hæſiſſe, cujus etiam filias duxit in uxores, ſi illæ tam neſario cultui fuiſſent addictæ; maxime cum idcirco noluerit Abrahamus ab Iſaaco Jacobi patre uxorem duci ex Chananitidis, quod illæ a vera religione eſſent alienæ. Itaque dicendum exiſtimo Labanum partim Majorum ſuorum veræ religioni addictum; partim vero Ethnicorum, apud quos degebat, ſuperſtitionibus dementatum, eorum inſtar magica habuiſſe ſimulachra, quæ in dubiis conſuleret.

Ex his conficitur non recte ſatis opinari eos, qui cum S. Chryſoſtomo c, & Ruperto d exiſtimant a Rachele idcirco ſumpta patris ſui ſimulachra, ut ea coleret; illam enim ab hoc crimine vindicat Theodoretus quæſt. 89. in Geneſ. ubi docet ab ipſa ideo Idola iſta ſublata, quod ſic vellet patrem ab impio Dæmonum cultu liberari; nam, inquir, pietatem illius mulieris ſatis docuit Scriptura dicens, Geneſ. 13. *Recordatus eſt Deus Rachelis, & exaudivit eam, & aperuit eius vulvam.* Cum enim audiſſet a Jacob: *Numquid ego tibi ſum pro Deo, qui te privavit fructu ventris?* Vehementiores Deo preces obtulit, & adepta eſt quod poſcebat. Quinetiam poſt partum ſuam in Deum pietatem demonſtravit: nato enim filio Joſeph, dixit: *Abſtulit a me Deus opprobrium, & vocavit nomen ejus Joſeph, dicens: Addet mihi Deus alterum filium.* Quomodo igitur talis mulier in Deum affectu prædita, Idolis quæ non ſunt Dii, inſervire potuiſſet?

c *Homi.* 57. *in Geneſ.*
d *In cap.* 42. *Geneſ.*

His accedit quod ſi quam vim divinam exiſtimaſſet ineſſe iſtis ſimulacbris, non ita indigne erga illa ſe geſſiſſet, abſcondendo ea ſuper ſtramenta camelorum, ipſiſque incubando; hæc enim fuiſſet indignitas maxima.

Quamobrem exiſtimarem ab illa ideo ea ſublata ſimulachra, quod forte auro & argento eſſent conflata, vel ex alia quadam pretioſa materia, nimirum ut eſſent loco tum mercedis, qua maritum ſuum Jacobum Laban injuſte fraudaverat; tum dotis ſibi & ſorori ſuæ debitæ, ſed a patre denegatæ.

Neque huic ſententiæ obſtat quod illam ſimulachrorum ablationem, *furtum* appellet Moſes: revera enim non erat furtum proprie dictum, ſed boni violenter & injuſte

de-

detenti legitima recuperatio, quæ idcirco ad externam facti ſpeciem, & juxta communem hominum opinionem dici poterat furtum, quod illa ſurreptio furtive & clandeſtine fuerit facta.

Non abnuerem tamen in ea ſurreptione nonnihil peccaſſe Rachelem, quod id fecerit inſcio marito; non enim debuit mulier viro ſubjecta, in negotio tanti momenti quidquam attentare, præter mariti ſcientiam & voluntatem; qui ſi ea de re fuiſſet conſultus, dubio procul non permiſiſſet; utpote qui factum improbavit, illiuſque ſurreptionis auctorem, ſi quis ex ſuis eſſet, reum eſſe mortis conſtanter pronunciavit.

QUÆRITUR II.

Quid deinde actum fuerit Labanum inter & Jacobum.

CUm poſt tres dies a Jacobi receſſu, Labanus domum reverſus eſſet, cognita ſui generis atque filiarum fuga, nec ſimulachris domi repertis, collecto filiorum ſuorum, & domeſticorum agmine, fugientes inſequitur: & ſeptimo tandem die, illos comprehendit in monte, qui deinde dictus eſt Galaad. At cum nocte præcedente admonitus fuiſſet a Deo ne quidquam aſpere adverſus Jacobum ageret, ſolis verbis contentus, in eum expoſtulat. 1. Quod clam abiiſſet. 2. Quod filias ſuas, ſuoſque nepotes ipſo inconſulto abduxiſſet. 3. Quod Deos ſuos eſſet furatus. At Jacobus objurgationem patienter ferens, duo priora accuſationis capita diluit: de clandeſtino quidem diſceſſu, & abductis uxoribus ac filiis modeſte ac verecunde excuſat, quod veritus eſſet ne ſpoliaretur uxoribus; & ſi profectionem denunciaſſet, non conſenſiſſet Labanus filias ſuas, ſuoſque nepotes in alienam terram demigrare; *Timui*, inquit, *ne violenter auferres filias tuas. Quod autem furti me arguis: apud quemcumque inveneris Deos tuos necetur coram fratribus noſtris. Scrutare, quidquid tuorum apud me inveneris, & aufer. Hæc dicens, ignorabat quod Rachel furata eſſet Idola.*

Hæc autem ut furtum abſconderet, & patris, ac mariti ſui reprehenſionem, & ultionem declinaret, ſubter camelorum ſtramentis abſcondit Idola, & ipſis inſidens, menſtrua ſe & cruoris effluvium pati ſimulavit, dicens Labano: *Ne iraſcatur Dominus meus, quod coram te aſſurgere nequeo, quia juxta conſuetudinem fæminarum, non accidit mihi.*

Cum itaque Labanus perſcrutatus eſſet tam Jacobi, quam ejus uxorum tabernacula, nec quidquam ex iis quæ requirebat inveniſſet, Jacob animoſior factus, Labanum maximæ iniquitatis inſimulat, eique exprobrat ſummam illius tam in ſe, quam in ſuas uxores duritiem: arguitque. I. *Crudelitatis*, quod Generum, & filias hoſtiliter perſequatur abſque cauſa, *quam ob culpam, & ob quod peccatum meum ſic exarſiſti poſt me?* II. *Calumniæ*, quod illum furti inſimulaverit: *Quid inveniſti de cuncta ſubſtantia domus tuæ?* III. *Inhumanitatis*, quod paſſus ſit nepotem ſuum per viginti annos duriſſimam & ſervilem vitam agere: *Die*, ait *noctuque æſtu urebar, & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis meis*. IV. *Injuſtitiæ* in proprias filias, quod eas indotatas vendiderit ipſi Jacobo pro ſervitio quatuordecim annorum. V. *Perfidiæ*, quod contra pactum conditionem, & datam fidem, intra ſexennium, decies mutaverit mercedem laboris, illam minuendi cauſa. VI. *Manifeſtæ iniquitatis*, quod nepotem & generum ſuum poſt tot exantlatos diros labores mercede vacuum erat dimiſſurus, niſi Deus obſtitiſſet.

His pacatus Labanus, ipſum redarguente conſcientia, & perſuaſus Deum in omnibus Jacobo eſſe propitium, eum rogavit, ut pacifice invicem convenirent, fœduſque ſtatuerent, ut tam ipſi, quam eorum poſteri perpetua ac ſolida amicitia jungerentur.

QUÆRITUR III.

Quæ in illo inito fœdere ſint obſervanda.

DEclarat iſta Moſes v. 45. & ſeq. nimirum quod tam ipſe Jacob, quam Labanus, eiuſque filii colligentes lapides fecerunt tumulum, comederuntque ſuper eum. Acervus autem ille a Labano lingua Syriaca dictus eſt *Igar Saadutha*; acervus teſtimonii: a Jacobo autem *Gal Ed*, id eſt, acervus teſtis. Licet enim Labanus eſſet oriundus ex Hebræis; attamen, inquit S. Hieronymus in tradit. Hebr. *Antiquam linguam patrum, provinciæ in qua habitabat, ſermone mutaverat:* lingua autem Syriaca *Igar* ſignificat acervum; *Saadutha* vero teſtimonium: lingua autem Hebræa *Gal* ſignificat acervum, *Ed* vero teſtem. Unde acervus ille dictus eſt *Gal Ed*, quæ vox poſtmodum inflexa, mutata eſt in *Galaad*; Unde mons ille ab iſto acervo dictus eſt *Galaad*; tametſi per anticipationem tali nomine paulo antea a Moſe donetur.

Ut autem res huius acervi & montis titulo reſponderet, adjecit Labanus: *Tumulus iſte, & lapis ſint in teſtimonium: ſi aut ego tranſiero illum pergens ad te: aut tu prætererieris, malum mihi cogitans. Deus Abraham, & Deus Nachor, Deus eorum judicet inter nos*. Quibus non interpellat in vindices Deos ſuos; ſed verum Deum qui ipſi ap-

paruerat in itinere, prohibenſque Jacobo noceret.

Rebus itaque ſic compoſitis, & pacifico fœdere inito Labanum inter & Jacobum, ac utriuſque familiam; religioſe cenſuit Jacobus pro tanto beneficio gratias eſſe Deo refnndendas. Quamobrem erecto altari Sacrificium obtulit, *Immolatiſque victimis in monte: vocavit fratres ſuos ut ederent panem*. In quo ſane apparet mira ipſius Jacobi benignitas, & manſuetudo qui ſuos affines, a quibus male tractatus fuerat, convivio reficere voluit. Hac autem humanitate ita Labani ſibi devinait animum, ut mane conſurgens, *Oſculatus ſit filior & filias ſuas, & benedixit illis: reverſuſque eſt in locum ſuum*. In qnibus verbis non omittenda eſt iſta circumſtantia, qnod Laban, licet improbis & ſceleſtis eſſet moribus, & a Maiorum inſtitutis deviaſſet, ab eis tamen tradicum filios benedicendi morem retinuit. Ur inde appareat avitam religionem ab ipſo non fuiſſe penitus repudiatam.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XXXII.

TRia maxime notatu digna hoc in eapite commemorat Moſes. I. Angelorum agmina parata in Jacobi tutelam. II. Ipſius ad fratrem Eſau delegarionem & initam cum eo concordiam. III. Jacobi cum Angelo colluctationem & victoriam.

Cum ad propria rediret Labanus, & Jacobus ſnſceptnm iter verſus natale ſolum inſequeretur; hic e repente duo conſpicit ſibi occurrentia Angelorum agmina ad eius protectionem armata, quæ cum ſniſſet incuitus eaclamavit: *Caſtra Dei ſunt hæc*. Locum veto ubi confiitebant, Hebraico nomine appellavit *Mabanaim*, numero duali, quod duas acies videret; ac ſi diaiſſet, *Mabbane Elobim* id eſt, *caſtra Dei*.

Duplex antem fuit hujus viſionis utilitas. I. Ur Jacobus conſtantior fieret in quacumque deinceps occurrente tentatione & anguſtia. II. Ut præteritæ ſuæ liberationis e manibus Labani, & futuræ ab atrocitate Eſau perpetuam haberet memoriam; utque perſuaſus eſſet ea illa viſibili Dei per Angelos tutela, non fortuito ſe nuper ereptum eſſe ex manu Labani, ſed Dei beneficio: Ut etiam certo ſperaret contra fratris conatus paratum ſibi fore Angelorum auxilium.

Igitur illa Angelica apparitio non minus contulit ad firmandam in ſuturum tempus Jacobi fiduciam, quam ad præteritæ gratiæ recordationem. Hinc duplicem ob finem, locum ubi facta fuerar hæc apparitio, appellavit, *Mabanaim*, id eſt, *caſtra*; I. Ut eſſet quaſi perpetuæ memoriæ accepti beneficii ſymbolum, quo non ſolum ille, ſed & eius poſteri omnem ſuam fiduciam in Dei benignitatem & providentiam reponerent. II. Ut ſuam hoc nomine teſtaretur erga Deum gratitudinem, alioſque ſuo doceret exemplo beneficiorum Dei memoriam eſſe perpetuo recolendam.

Licet autem Jacobus hac Angelica viſione plurimum recreatus, præconceptum de Eſau occurſu timorem depoſniſſer; nihilominus quoniam ſciebat Deum ita nobis providere, ut tamen velit in rebus gerendis & præcavendis noſtram non deeſſe operam; cum videret ſibi in Chananæam ennti tranſeundum eſſe per Idumæam quam incolebat Eſau, voluit experiri quali eſſet in ſe animo, eumque ſibi conciliare. Quamobrem delegavit ad ipſum quoſdam e ſuis, qui & ipſius acceſſnm, & familiæ amplitudinem ac ſtatum annunciarent; eiuſque gratiam & fraternam amicitiam exorarent. *Admonendi ſumus hoc exemplo* (inquit S. Augnſtinus quæſt. 102. in Geneſ.) *quod quamquam credimus in Deum; tamen facere debemus ea qua facienda ſunt, ne ea prætermittentes, Deum tentare videamur.*

QUÆRITUR I.

Quis fuerit iſtius delegationis eventus.

REbecca Jacobo filio ſuo ſuadens ut declinaturus fratris itacundiam, in Meſopotamiam pergeret, ei promiſerat, *Geneſ. 27. v. 45.* quod cum deſerbuiſſet Eſau indignatio, ſe illum inde revocaturam: *Mittam*, inquit, *& adducam te inde huc*. Veriſimile autem eſt illam ſtetiſſe promiſſis, atque de rerum domeſticarum ſtatu pleniſſime inſtructum fuiſſe Jacobum, priuſquam e Meſopotamia pedem moveret; reſciviſſe pariter fratris ſui e paterna domo egreſſum, eatra Chananitidem, & in terra *Seir* montoſa & aſpera una cum ſuis incolatum; neque enim Jacobus illnc ad Eſau delegaſſet, niſi illum ibi habitare fuiſſet certus.

Non autem abſqne ſingulari Dei providenria factum eſt, ut Eſau a Chananitide ſecederet. Cum enim Deus Jacobi poſteris terram illam deſtinaſſet in hæreditatem; deletis omnibus ejus incolis, permittere noluie, ut Eſan in ea ſibi domicilium eligeret; ne temporum ſucceſſu, ejns poſteri cum Chananæis ab Iſraelitis eaterminarentur. Ita-

Itaque, Deo ita diſponente, factum eſt, ut Eſau e paterna domo fuerit egreſſus: ſive propter frequentes illius uxorum contentiones, quas ferre non poterat Rebecca: ſive quod ſuum propter animum imperioſum & ferocem, patri ac matri infenſus eſſet, & viciſſim ſciret ſe illis eſſe exoſum: ſive quod, multis opibus & numeroſo grege locupletatus, in paterna domo amplius conſiſtere non poſſet.

Hæc itaque cum noſſet Jacobus, velletque fratris erga ſe animum explorare, e ſuis domeſticis ſelectos ad eum delegavit, deditque in mandatis, ut ei exponerent: *Hæc dicit frater tuus Jacob: apud Laban peregrinatus ſum, & fui uſque in præſentem diem. Habeo boves, & aſinos, & oves. & ſervos, & ancillas: mittoque nunc legationem ad Dominum meum, ut inveniam gratiam in conſpectu tuo.* Exiſtimandum vero non eſt, jactantiæ cauſa, Jacobum divitias ſuas prædicaſſe; ſed ut hac ratione fratris ſui benevolentiam captaret, teſtando ſcilicet ſe non venire ut patris ſubſtantiam colligat, vel ditetur cum fratris jactura; cum ex ſe ſatis ſuperque haberet, unde copioſe familiam ſuam ſuſtentaret.

Quid reſponderit Eſau non refert Moſes, ſolumque reverſi nuncii ad Jacobum retulerunt: *Venimus ad Eſau fratrem tuum, & ecce properat tibi in occurſum cum quadringentis viris.* Quibus auditis *timuit Jacob valde* &c.

At, inquies, qui fieri potuit, ut Jacobus divinis promiſſis, Angelorumque ad ejus præſidium armatorum viſione de futuris eventibus eruditus, & confirmatus, tanto terrore ad fratris adventum fuerit concuſſus?

Reſpondeo, non ſine cauſa ab occurſu fratris timuiſſe Jacobum; noverat enim quanta fuerat olim illius ferocitas, quam truces minæ ex ejus ore prodiiſſent; cumque audiret eum cum quadringentis armatis equitibus ſtipatum adventare, nihil humanum ab eo expectabat. Quamobrem ad Deum converſus, illum enixe deprecatur, ut e manibus fratris ſui ſe ſalvum eriperet.

Ne tamen exiſtimes Jacobum ita fuiſſe territum, ut ſpem omnem abiiceret, & conſilii adeo inopem ut rerum eventus caſui permitteret. Quinimo prudentiſſime univerſum comitatum ſuum duas diviſit in turmas, ut præmiſſis in priori turma, quæ minus ipſi chara erant, in iis experiretur animum fratris: ita ut ſi ſæviret in primos, ſecundis daretur evadendi locus. Inſuper, ut utrique turmæ præcaveret, ex cunctis gregibus ſelegit aliquem numerum; eumque in varios ordines diviſit, præcepitque ductoribus illorum, ut ſeorſim procederent; interroganti autem Eſau, ſi forte eum haberent obviam, cujus eſſent iſta? quiſque reſponderet: *ſervi tui Jacob, munera miſit Domino meo Eſau:* quæ certe omnia non ſunt indicia animi præ timore dejecti, ſed ſingula ſapientiſſime ordinantis.

Nec vana fuit illa præcautio; quamquam enim forte Eſau non eo animo quadringentos armatos comites aſſumpſerit ut fratri ſuo noceret, ſed ut majori cum apparatu ipſi iret obviam, honorificentiuſque illum exciperet: certum eſt illi non ingratam fuiſſe Jacobi ſibi munera offerentis honeſtatem; quippe cum ad eum non irato, ſed amico & vere fraterno animo acceſſerit, ut refertur cap. ſequenti.

Rebus itaque ſic ordinatis, cum in fervent illa oratione quam ad Deum habuit, ita confirmatus fuiſſet Jacobus de divino ſibi adfuturo præſidio, non dubitavit fratri obviam ire. Cum autem iter faciendo perveniſſet ad torrentem nomine *Jaboc*, qui e montibus Galaad ortus, in Jordanem juxta mare Galilææ influit, explorato & cognito illius vado, traductiſque omnibus, quæ ſuo erant in comitatu, ipſe ſolus remanſit trans torrentem; non ut audita ſuorum clade effugeret; ſed quia ſolitudo illa ad precandum & meditandum ipſi videbatur aptior. Contigit autem circa noctis medium, ut *vir cum eo luctaretur uſque mane. Qui cum videret, quod eum ſuperare non poſſet, tetigit nervum femoris ejus, & ſtatim emarcuit*, verſ. 23.

QUÆRITUR II.

Quis fuerit ille vir: qualiſque ipſa lucta.

PUtat Origenes *lib. 3. de principiis*, luctam illam Jacobi, non aliam fuiſſe, quam gravem Dæmonis tentationem, quam *luctam* appellat S. Paulus, cap. 6. ad Epheſ. cum ait: *Non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem; ſed adverſus principes & poteſtates &c.* In quam pariter ſententiam deſcendiſſe videtur S. Hieronymus (commentario in præfata Apoſtoli verba) ubi cum dixiſſet, Dæmones habere poteſtatem, ut nos incitent ad peccata, addit: *Talem luctationem & Jacobi Patriarchæ...., fuiſſe credendum eſt, qualem hi habent, qui poſſunt dicere: non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem &c.* Unde verba illa Moſis: *Vir luctabatur cum eo*, non putant eſſe referenda ad Antagoniſtam, ſive tentatorem: ſed ad auxiliatorem Angelum, ut ſit ſenſus: *Vir luctabatur cum eo*, hoc eſt, bonus Angelus eum adjuvabat præliantem adverſus Dæmonem.

Verum colluctationem illam non internam ſed externam fuiſſe, manifeſtum fit ex ſerie narrationis. I. Enim Antagoniſta Jacobum rogat, ut illum dimittat, quia inſtabat ortus auroræ. II. Jacob poſtulat, ut ab illo benedicatur; quis autem a Dæmone benedictionem exoraret? III. Ex hac lucta Jacob claudus factus eſt, quod Antagoniſta nervum ipſius cruris percuſſiſſet: *Quam ob cauſam* (inquit Moſes circa finem præſentis capitis)

non

non comeduut nervum filii Iſrael; quia emarcuit ex femore Jacob uſque in præſentem diem. Quod certe exrernum fuit ac ſenſibile.

Putant Heoræi Doctores *in Tuucbuma*, Angelum illum cum Jacobo præliantem fuiſſe *Sumuelem*: ſeu alterum malum Angelum, obſiſtentem ingreſſui Jacobi in Chananiridem, ne iſtius regionis incolas neſario Dæmonum cultui addictos ad veri Dei cultum ſuis & verbis & exemplis evocaret. Verum figmentum hoc diſſlant mox productæ rationes.

Communis Chriſtianorum Interpretum ſententia eſt, Angelum iſtum luctatorem unum fuiſſe ex ſanctis Angelis a Deo delegatum, ut in illo certamine Jacobo vim & animum adderet; quatenus ſecurus & conſtans fieret adverſus omnes ab hominibus inſerendas moleſtias, quas facile erar ſuperaturus, utpote qui Angeli victor fuiſſet. At Angelo creato tribui non poſſunt ea omnia quæ de iſto Antagoniſta a Moſe referuntur.

Quamobrem veriſimilius dicendum arbitror cum Theodoreto illum Antagoniſtam, non alium fuiſſe, quam Dei Filium, magni conſilii Angelum, qui, ut antea perſæpe diximus, futuræ ſuæ Incarnationi præludens, interdum Patriarchis apparuit. Cuius expoſitioni ſubſcribit S. Auguſt. dicens luctam iſtam Jacobi, præludium fuiſſe conflictationis Judæorum adverſus Chriſtum: *Prævaluit*, inquit, *Jacob Chriſto, vel potius prævalere viſus eſt, per eos Iſraelitas, u quibus crucifixus eſt Chriſtus &c.* Similia habet ſerm. 80. de tempore, ubi inter cætera ait: *Luctatur Jacob cum Angelo: quia populus Judæorum luctaturus erat cum Chriſto: vincebat Jacob Angelum; quia Judæorum populus Chriſtum uſque ud mortem perſecuturus erat &c.*

Neque vero hæc ſententia auctoritate ſolum nititur; ſed etiam his rationibus firmatur. I. v. 28. Jacob dicitur *fortis fuiſſe contra Deum*: igitur is cum quo pugnavit, Deus erat. II. v. 29. Qui cum Jacobo luctabatur, requiſitus quod ipſi nomen erat? reſpondit: *Cur quæris nomen meum?* quibus tacite ſignificabat illud eſſe ineffabile. III. Luctator ille benedixit Jacobo; ſolius autem Dei eſt ex auctoritare benedicere. IV. v. 30. Jacob dicit ſe vidiſſe *Deum facie ad faciem*; igitur vir ille qui cum eo pugnabat, revera Deus erat.

At, *inquies*, Oſeæ 2. Luctator ille abſolute dicitur *Angelus*: igitur non erat Deus.

Reſp. Chriſtum ſæpiſſime in Scriptura appellari *Angelum teſtamenti*, & *magni conſilii*; Angelum quidem, non natura, ſed officio, ratione divinæ miſſionis & delegationis a Patre, quæ cum voluntaria fuerit, non obeſt eius divinæ maieſtati.

Adiicies, indignum eſt Deo, ur pugnare dicatur cum homine, & ab eo vincatur. *Diſtinguo*, ſi hæc fierent ex infirmitare, concedo: ſi ex beneplacito, & indulgenria; ut probaretur Jacobi fides, & ut firmior eſſet illius in Deum fiducia, & in adverſis conſtanria, nego.

Inſtabie; Veriſimile non eſt Jacobum auſum fuiſſe luctari cum viro illo, ſi noviſſet illum eſſe Deum. *Diſtiuguo*, ſi in pugnæ ioitio id ſciviſſet, concedo: ſi rantum in fine certaminis, nego. Ignorabat itaque primum Jacobus quis eſſet luctator ille; ar cum conflictus ſucceſſu agnoviſſer illum eſſe Deum: ſtatim ſe totum illi permiſit.

Urgebis, indecens videtur, ut filius Dei luctam corporalem cum homine inſtituat. Verum, neſcis ipſius delicias eſſe, cum filiis hominum converſari. *Proverb. cup* 8. *v.* 31.

Addes, abſurdum eſt aſſerere Deum omnipotentem ab homine infirmo vinci & ſuperari, eumque rogare ut dimitterer; quoniam inſtabar aurora.

Reſpoudeo, 1. Idem dicendum de ſancto Angelo; nullus enim eſt ex ſanctis Angelis qui hominibus etiam fortiſſimis virtute non præcellat. 2. Dico Deum in illa lucta duplicem egiſſe perſonam, unam *Agonothetæ*; alteram *auxiliatoris*, qua vires Jacobo ſuppeditabat ad prævalendum: ſic ergo Deus in illa lucta ſe geſſit, ut in corpore aſſumpto, non maiores exerceret vires, quam ſoleat babere homo cum altero pugnans. Unde ſic omniporentiam ſuam moderari voluit, ut tamen virrutem Jacobo adderet, qua conſtanter poſſet reſiſtere Antagoniſtæ: imo etiam prævalere, nimirum ut ipſius animum adverſus omnes ab hominibus inferendas moleſtias erigeret: quamobrem addidit v. 28. *Si contra Deum fortis fuiſti, quauto mugis coutra bomiues prævalebie?* Quod ur confirmaret, quæſivit ab eo: *Quod nomen eſt tibi?* cui cum reſpondiſſet, *Jacob*: ille Anragoniſta adjecit: *Nequuquam Jacob appellabitur nomen tuum*, *ſed Iſrael*; ideſt, non appellaberis deinceps ſupplantator, ſed *Iſrael* erit tibi nomen.

QUÆRITUR III.

Quæ ſit nominis Iſraelis Etymologia.

VAria profertur ab Interpretibus. Joſephus enim lib. 1. anriq. air eo nomine ſignificari *reluctantem*, ſeu *reſiſtentem Augelo*. Philo lib. *de profugis*; Origenes, lib. 4. de principiis cap. 4. S. Baſilius 1. Iſaiæ: Auguſtinus, lib. 16. de civitate Dei, cap. 39. aliique benemulti *Virum videntem Deum*: quam expoſirionem etiam approbat S. Hieronymus in cap. 44. Iſaiæ, & 1. cap. Malachiæ: illam vero improbat in Tradition. Hebraicis, ubi ex Grammatica Hebraica demonſtrat voce *Iſrael*, non deſignari *videutem Deum*: ſed *principium cum Deo*: unde concludit quod *quamvis grandis auctoritatis & eloquentiæ ſint*, *& ipſorum umbra nos opprimat: qui Iſrael virum, ſive meutem videutem Deum trauſtulerunt: nos magis Scripturæ & Angeli vel Dei, qui ipſum Iſrael*

voca-

vocavit, auctoritate ducimur, quam cuinslibet eloquentiæ ſæcularis. At cum S. Hieronymus alteram etiam nominis Iſraelis Etymologiam nempe *videntis Deum* approbet, conſultius exiſtimo ſtandum eſſe communiori ſententiæ.

Neque tamen putandum eſt omnino interdictum eſſe, & ſopitum *Jacobi* nomen: ſæpius enim hoc nomine, tam a Moſe, quam ab aliis ſacris Scriptoribus, necnon etiam ab ipſo Chriſto appellatur: ſed illuſtratus fuit nomine *Iſraelis*, ac ſi dixiſſet Deus, non ſolum vocaberis Jacob, ſed Iſrael quoque erit nomen tuum.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XXXIII.

PRoſequitur Moſes, & abſolvit hoc capire occurſum Eſau & Jacobi, eorumque confœderationem, & fraternam amicitiam; repræſentatque. I. Qualiter Jacobus ſtatim atque eminus conſpexit venientem Eſau, illi perrexit obviam, ſepties ante illius acceſſum procumbendo in terram. II. Ipſius Eſau erga Jacobum fratrem ſuum humanitatem, & ſinceræ reconciliationis amoriſque indicia. III. Ipſius Jacobi in terram Chanaan acceſſum & moram.

Cum Jacobus ſuam, ut dictum eſt, univerſam familiam in tres ordines, velut totidem in agmina diſtribuiſſet, quorum in primo ſtatuerat duas uxores, quæ prius erant ancillæ: una cum eorum filiis & affeclis: in ſecunda vero Liam ſuis cum liberis & familia; in tertio autem Rachelem cum Joſepho, ac utriuſque comitatu, omneſque juxta conſtitutum ordinem iter facerent; ille ut Dux ſtrenuus, ipſis omnibus præivit. Hanc enim curam debet Princeps ſuis ſubditis paſtor ovibus, maritus conjugi, patet liberis, ut pro eorum ſalute & vita primus conſiſtat in acie, ſuoque periculo ſuorum incolumitati conſulat. Ut autem Jacob conſpexit venientem Eſau; & cum eo quadringentos viros, *progrediens adoravit pronus in terram ſepties, donec appropinquaret frater eius*.

QUÆRITUR I.

An hæc Jacobi adoratio fuerit legitima.

SUnt qui putarunt illius adorationis objectum fuiſſe Deum, quem Jacobus, ſepties in terram proſtrato corpore, voluerit venerari, priuſquam accederet Eſau; idque tum ut gratias Deo rependeret de promiſſo ſibi divinitus præſidio; tum ut eum in adjutorium inſtanter advocaret.

Verum colligere licet ex iis quæ præcedunt, quæque ſequuntur, Jacobum ſepties repetita illa humi proſtratione, voluiſſe ſignificare ſuo fratri, ad eum ſe non accedere, ut acquiſito ſibi jure primogenituræ erga eum uteretur, aliquodque in ipſum dominium exerceret; ſed potius ut tam ipſe, quam ſui illi ſubiicerentur, donec aliter a Deo ſtatueretur. Inde eſt quod ipſius exemplo, cum approximaſſent Eſau, ancillæ & filii earum *coram ipſo incurvati ſunt: acceſſit quoque Lia cum pueris ſuis, & cum ſimiliter adoraſſet, extremi Joſeph & Rachel adoraverunt*. Ex quibus manifeſtum fit, idcirco ſepties ſe in terram proſtraſſe Jacobum, ut hac ſubmiſſione fratris animum ſibi conciliaret, *provocaretque per geſtus & per adorationem fratrem in ſui benevolentiam*, inquit S. Chryſoſtomus homil. 58. Itaque adoratio illa non fuit actus Religionis, ſed reverentiæ, qua fratris animum ſibi benevolum reddere ſtudebat Jacobus.

Neque tamen exiſtimandum eſt Jacobum hac civili reverentia renuntiaſſe ſuo juri primogenituræ: ſed ceſſiſſe tempori, ſibi jus interius reſervando donec Deo placeret toties ſibi repetita promiſſa de multiplicando ejus ſemine, aliiſque beneficiis conferendis implere.

Illa igitur Jacobi demiſſio eo dumtaxat fine exhibita eſt, ut fratris benevolentiam captaret. Nec certe vana fuit illius ſpes; ſtatim enim atque illum contingere potuit Eſau, *currens obviam fratri ſuo, amplexatus eſt eum*: triaque ipſi exhibuit fraternæ amicitiæ ſigna. I. Cum humaniter recuſavit oblata a Jacobo munera, dicens: *Habeo plurima, frater mi, ſint tua tibi*: nec ea niſi inſtantibus Jacobi precibus acceptavit. II. Quod liberaliter ſeſe obtulerit cum ſuis quadringentis viris fratri ſuo comitem itineris, ut ipſi eſſet in præſidium & tutelam; quod cum excuſaſſet Jacob. III. Adjecit Eſau: *Oro te, ut de populo qui mecum eſt, ſaltem ſocii remaneant viæ tuæ*: quæ certe evidentia fuerunt ſigna perfectæ ipſius cum fratre reconciliationis & amicitiæ. *Conſidera, obſecro* (inquit S. Chryſoſtomus, in illa verba Eſau) *quomodo ex humilitate excellenti fratrem devicerit Jacob; & quem putabat affici erga ſe hoſtiliter & atrociter, ita invenit manſuetum, ut voluerit in miniſterium ejus omne officium ſuum declarare*.

QUÆRITUR II.

Quo ſenſu dixerit Jacob fratri ſuo Eſau, SIC VIDI FACIEM TUAM QUASI VIDERIM VULTUM DEI.

SUnt qui Jacobum in iſtis verbis nimiæ adulationis, aut ſaltem alicujus mendacii inſimulent; quia ſi data fuiſſet optio, nihil magis optaſſet quam vitare fratris occurſum.

Hunc nodum Interpretes diverſimode ſolvere nituntur. I. Nam S. Auguſtinus *quæſt.* 105. *in Geneſ.* dicens hæc a Jacobo prolata, non utique expavente, & præ timore perturbato animo, ut quidam exiſtimant; quandoquidem ipſum antea amplexatus, & oſculatus perfectæ ſuæ cum ipſo reconciliationis ſignum dederat Eſau; ſed ut magis ſibi devinciret fratris animum, ita profunde & humiliter ſeſe illi ſubiecit, ac ſi quidpiam divinum in eo fuiſſet intuitus.

Unde S. Auguſtinus putat ea verba eſſe intelligenda, non comparate ad verum Deum: ſed ad eos, qui licet puræ ſint creaturæ, nihilominus nomine *Dei* donantur & illuſtrantur: quo ſenſu Moſes, *Pharaonis Deus* dictus eſt; & ſecundum quem ſenſum, dicit Apoſtolus 1. ad Corint. 8. *Etſi ſunt qui dicantur Dii, ſive in Cœlo, ſive in terra; ſiquidem ſunt Dii multi, & Domini multi.* Atque ita præfatorum Jacobi verborum hic eſſet ſenſus; quod Eſau intuendo, ſic eſſet affectus, quemadmodum ſolent ii qui faciem contemplantur alicujus potentis, cujus benevolentiam ambiunt. Eadem paucioribus, complectitur S. Chryſoſtomus, dicens: *Hoc magni obſequii gratia dictum eſt a juſto, ut eum demulceret, & ad fraternam benevolentiam duceret.*

II. Volunt aliqui Jacobum, illa loquendi formula jam tum uſum ſuiſſe, quam deinde ſacri Scriptores uſurparunt, ut id quod in ſuo genere eximium eſt, & valde eminet, nomine *Dei* adjuncto celebretur: ſic *cedri Dei*, Pſalm. 79. id eſt proceræ &c. Atque iſta prolata a Jacobo, ut teſtaretur ſe recreari ſupra modum, videndo vultum placidum ſui fratris, ac ſi divinum quid conſpiceret.

III. Sunt etiam qui ſic exponunt: conſpectus placidi tui vultus, mihi certum eſt divinæ protectionis indicium; quaſi ipſam Dei faciem quæ me benigne intueatur, contemplarer.

IV. Cenſerem ego his expoſitionibus poſſe adiici Jacobum ita locutum, ut ſignificaret, quod ſicut Deus dicitur nobis oſtendere faciem ſuam, dum nobis favet & opitulatur: unde David Pſalm. 80. v. 10. *Oſtende nobis faciem tuam, & ſalvi erimus.* Sic Jacob videndo fratrem ſuum in amplexus & oſcula ruentem, atque humaniter, ac benigne cum eo agentem, dicit ſe pari lætitia perfuſum, qua affectus fuerat, dum expertus eſt ſummam Dei erga ſe benignitatem.

Jacobus itaque cum ſuam ſuum erga fratrem exhibuiſſet gratitudinem, & congratulationem, excuſaſſetque oblatum illius comitatum, promiſit ſane ſe veſtigia illius ſecuturum; ſed pedetentim, pro captu parvulorum & ovium, donec ad eum accederet in Seir. Cum autem illuc non videatur properaſſe, eo quod poſt receſſum Eſau, ſtatim adiiciat Moſes: *Et Jacob venit in Socoth. Et inde tranſivit in Salem urbem Sichimorum, quæ eſt in terra Chanaan.*

QUÆRITUR III.

Utrum mentitus fuerit Jacob, dum fratri promiſit ſe ad eum venturum in Seir.

EUm fuiſſe mentitum, & aliud dixiſſe quam haberet in animo multi exiſtimant; ſed volunt leve ac prorſus veniale ſuiſſe mendacium illud. De Jacobo (inquit Toſtatus) ſorte melius dicetur quod ipſe nunquam intendit ire in Seir, nec etiam quando iſtud promiſit, & ſic mentitus eſt. Fuit tamen iſtud mendacium officioſum, quod non eſt negandum fuiſſe in Patriarchis; quia non fuerunt viri valde perfecti, quia aliqui eorum mortalia peccata, & ſatis gravia commiſerunt. *Ita Abulenſis* præſul, ſed minus conſultus. Quod Sectarii libenter arripuerunt: Calvinus præſertim, qui ſanctum Patriarcham paſſim vellicat, modo mendacii, modo diffidentiæ illum accuſans. Suamque ſententiam firmare nituntur; ex eo quod, inquiunt, magnæ ſuiſſet temeritatis & imprudentiæ committere ſe ſuoſque voluntati fluxæ & inconſtanti Eſau, qui diu multumque illi fuerat infenſus. Inſuper timendum erat ne ſi eorum ampliſſimæ familiæ ſimul conſiſterent, novæ exurgerent contentiones, quibus Eſau, homo ſuperbus & ferox exulceratus, priſtinas iniurias cum novis in fratrem, ejuſque filios & famulos, vindicaret.

S. Auguſtinus exiſtimat quidem Jacobum cum iſta diceret, habuiſſe in animo ad fratrem ſuum progredi; ſed re ſerius perpenſa ac deliberata, cenſuit reconciliato hoſti non eſſe fidendum, ne antiquum vulnus recrudeſceret; neve fratris odium levi quapiam occaſione exſuſcitaretur, ex quo etiam fortaſſe fieret ut eum apud ſe ſuis cum omnibus retineret invitum.

Addunt

Addunt alii Jacobum habuiſſe quidem in animo propoſitum eundi in Seir; ſed Deo ſuggerente, mutaſſe conſilium. Sicut Magi, qui Chriſtum natum adoraturi venerant, promiſere quidem Herodi poſt inventum & adoratum recens natum Judæorum Regem, ſe ad illum redituros: ſed in Deo per Angelum in ſomnis admonente. *Ne redirent ad Herodem, per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam*, ut narrat S. Matthæus, cap. 2. v. 12. ſic etiam S. Paulus ſe excuſat 2. ad Corinthios, cap. 1 v. 15. quod ad eos non venerit, licet id propoſuiſſet & promiſiſſet; neque propterea ſe mentitum eſſe dicit, quia id ſincere propoſuerat: ſed ipſi liberum non fuit illud exequi.

Verum, tametſi probabiles ſint exceptiones illæ: nihilominus non invitus deſcenderem in eorum ſententiam, qui exiſtimant, quod etſi Scriptura non memorat Jacobi profectionem & acceſſum in Seir, non minus propterea cenſendus ſit illuc acceſſiſſe: Hunc autem acceſſum idcirco a Moſe non commemorari, quia tantum per occaſionem, ut fratri gratificaretur, paucis diebus ibi manſerit; non ut in familia propria, ſed velut fratri hoſpes. Sicut non memorat Moſes Jacobi acceſſum ad parentes ſuos, niſi poſt Dinæ raptum, & direptionem Sichemis, id eſt, decennio circiter poſtquam rediiſſet ex Meſopotamia. At quis credet illum tamdiu diſtuliſſe parentes viſitare? id tamen ſilet Moſes, quia Jacob diu non hæſit apud eos, nec forte prius ad eos acceſſerat cum univerſa familia.

Adde quod ſi promiſſis fratri ſuo factis non ſtetiſſet Jacobus, habuiſſet Eſau unde plurimum in ipſum exulceraretur, & veteres renovaret iras, quod fraternam amicitiam quam Jacob per deputatos & oblata munera ambierat, totque humilibus obſequiis fuerat deprecatus, indigne paulo poſt violaſſet.

At, inquies, non debuit reconciliato hoſti fidere. Verum fidere debuit Deo, qui illi fratrem benignum reddiderat, ſuumque divinum præſidium illi non defuturum tot ſolemnibus apparitionibus ſpoponderat. *Accedit* quod deflectendo a via, & promiſſis non ſtando periculum non vitaſſet Jacobus; quia Eſau videns ſe a fratre deluſum, iterum ad ipſum iam regioni ſuæ proximiorem, potuiſſet armata manu accedere, & violatam fidem ulciſci: quod cum factum non fuerit imo ſimul poſtmodum pacifice convenerint ad ſepulturam patris, argumentum eſſe debet, integram inviolatamque ſemper apud eos ſtetiſſe reconciliationem.

Itaque dicendum exiſtimo Jacobum ſubſecutum fuiſſe fratrem ſuum Eſau, & ad eum veniſſe; ſed ibi diu non ſubſtitiſſe, quia aliter ſtatuerat Deus: nec id conveniebat eorum familiis, quæ cum eſſent numeroſiſſimæ, vix diu pacifice ſimul ſtetiſſent. Quod autem nullum dein Jacobum inter & Eſau diſſidium fuerit, colligere licet tum ex Scripturæ ſacræ ſilentio: tum ex eo quod ſimul amice convenerint in obitu & ſepultura ſui patris Iſaac: ut refertur, cap. 35. v. 29. *Reverſus eſt itaque illo die Eſau in Seir; & Jacob venit in Socoth*, id eſt *tabernacula*, locum ſic dictum a tentoriis ibi a Jacobo fixis. Noluit autem recta ire ad patrem Iſaac conſiſtentem Hebrone, quia forte aliter ei ſignificatum fuerat a Deo; vel ne ob copioſam familiam gravis eſſet patri, quem tamen ſæpius inviſiſſe ante mortem declarabimus, cap. 35.

Quamdiu autem ſteterit in Socoth, prorſus incertum: diuturnam tamen ibi moram feciſſe inferre licet, ex eo quod ibi domum ædificaverit: neque enim in paucos dies habitationis domus conſtruitur. Incertum pariter cur hac habitatione relicta migraverit *ad Salem urbem Sichimorum*: niſi forte ut parentibus ſuis eſſet proximior, tutiuſque conſiſteret juxta urbem, quam media in ſolitudine. Utut ſit, relicta Socoth *tranſivit in Salem urbem Sichimorum &c.* Ita Vulgatus Interpres.

At cum vox *Salem*, diverſam habeat ſignificationem, poſſitque accipi vel *adjective*, quatenus ſignificat Sanum, integrum, & incolumem eſſe; vel *ſubſtantive*, prout denotat urbem, ſeu locum habitationis; Inde eſt quod Interpretes diverſimode illam hic accipiant. Hebræi namque, quibus plurimi Chriſtiani ſubſcribunt, nomen illud pro adjectivo uſurpant, ut ſit ſenſus: Jacobus ſalvus & incolumis venit in urbem Sichem: *Salvus* (inquit Rabbi Raſi) *in corpore ſuo quod ſanatus fuerat a claudicatione: ſalvus in facultatibus, quia nihil deficiebat in omni domo: ſalvus in lege, quia non fuerit oblitus doctrinam legis in domo Laban*. Huic expoſitioni favet Chaldæus Paraphraſtes, vocem *Salem* vertens per *ſalvum*, & *incolumem*.

Alii vero voce illa nomen urbis ſignificari non immerito contendunt; quippe cum conſentientes habeant non ſolum ſeptuaginta Græcos Interpretes, & Latinum Vulgatum: ſed & Græcos patres, atque ex Latinis præcipuos, maxime S. Auguſtinum [a], necnon & S. Hieronymum [b]; quamquam ab aliis diſſentiat dicens, civitatem Salem aliam eſſe a Sichima, & eamdem cum *Salim*, ubi S. Joannes baptizabat. Sed ejus ſententiæ repugnare videtur textus; nam ſi Salem ſit proprium nomen urbis, debuit eſſe proprium urbis Sichimorum; ac proinde non eſt confundendus hic locus cum ea Salim ubi Joannes Baptiſmum adminiſtrabat; quia Sichimitæ non extra, ſed citra Jordanem reſpectu Meſopotamiæ habitabant. Quamobrem veriſimilior videtur Toſtati ſententia qui *Salem*, & *Sichem*, & *Sichar*, pro una eademque civitate accepit variis nominibus ſignificata. Unde cum dicitur Jacobus veniſſe in Salem urbem Sichimorum, idem eſt ac ſi quis diceret, venit Lutetiam civitatem Pariſiorum.

[a] *Quaſt.* 108. *in Geneſ.*

[b] *Ep.* 126. *ad Evagrium & in Tradit. Hebraicis.*

Utut ſit, certum eſt Jacobum a Socoth egreſſum veniſſe habitatum juxta urbem Salem, quæ poſtea dicta fuit *Sichem*, vel a patre, vel a filio Hemor; nam ut diximus exponendo cap. 23. Geneſis, Hemor ille potuit eſſe filius Sichemi fundatoris hujus urbis, & pater alterius Sichemi violatoris Dinæ, ut refertur capite ſequenti.

Notat autem Moſes Jacobum non in ea urbe, ſed juxta habitaſſe; forte quia urbs illa, ſeu oppidum iſtud capax non erat continendæ ipſius numeroſiſſimæ familiæ cum gregibus: vel quia nolebat ſocietatem inire cum idololatris, vel quia ſibi commodius erat habitare in campeſtribus, ut ſuis armentis haberet paſcua neceſſaria.

Ne autem quis ipſi moleſtus fieret propter habitationem, emit partem agri, in quo fixerat tabernacula, *a filiis Hemor:* hoc eſt, ab ejus ſubditis, quos filios eo ſenſu nominat, quo Reges vocantur *patres populorum*, & *patres patriæ*. Dedit autem pro illa agri parte quam occupabat, centum agnos, vel centum nummos agni figura ſignatos. Quod utique pretium, etſi exiguum videtur, fuiſſe tamen ſufficiens apparet ex eo quod eam duntaxat agri partem ſibi comparaverit, quæ ſufficeret tum ad tentoria, tum ad altare quod ibi conſtruxit. *Vide* (inquit S. Chryſoſtomus) *pietatem religionemque viri, qua de cauſa agrum emere ſtuduerit: & erexit ibi, inquit, altare: & invocavit Deum Iſrael. Vidiſti quare & agri partem emat? ut gratias ageret communi noſtri omnium Domino.*

Addit Moſes: *Invocavit ſuper illud fortiſſimum Deum Iſrael:* hoc eſt, victimas obtulit omnipotenti Deo, qui ipſi Iſraelis nomen indiderat. Vel, ut fert Hebræus Textus: *Vocavit illud, fortis Deus Iſrael.* Quod videlicet altare illud eſſet ipſi ſymbolum ad recolenda accepta a Deo beneficia, & ut quoties illud intueretur, Dei meminiſſet.

DISQUISITIONES IN CAPUT XXXIV.

QUatuor ſunt præcipua huius capitis membra. I. Dina filia Liæ rapitur ad ſtuprum a Sichemo urbis & regionis Principe, quod illa curioſitatis cauſa, relicta patris domo, liberius vagata eſſet quam oportuit. II. Illa petitur in ſponſam a Sichemo, & promittitur a Jacobi filiis ex pacto ſubeundæ Circumciſionis a Sichemitis. III. Trucidantur Sichemitæ a filiis Jacobi, & civitas diripitur. IV. Jacob acerrime filios increpat propter cruentum illud facinus.

Decennio, aut ad minus, octennio cum Sichemitis pacifice egerat Jacobus, cum Dina Liæ filia vana atque temeraria curioſitate videndi mulieres regionis illius, rapta fuit & oppreſſa a Sichemo Hemoris iſtius regionis Principis filio. Octo inquam, aut decem annis cum eis egerat Jacobus; dum enim egreſſus eſt ex Meſopotamia ut ad ſuos rediret, Dina erat tantum quinquennis; cum autem rapta eſt, non minor fuit quatuordecim aut quindecim annis; erat enim nubilis; quippe cum ab Hemore poſtulata ſit in filii ſui coniugem.

Similiter Simeon & Levi præcipui Sichimitarum trucidationis Auctores, in exitu e Meſopotamia agebant tantum annum ætatis undecimum. Cum autem rapta fuit eorum ſoror, non erant minores viginti duobus aut tribus annis: quippe viribus ad trucidandos homines valebant. Itaque jam pene per decennium eam regionem incoluerat Jacobus, quando caſus ille cruentus accidit.

Quod autem eorum quæ geſta ſunt in Jacobi familia per hoc decennium, nihil referat Moſes; forte accidit, quod ea rem domeſticam ſpectaverint, nihil vero conducerent ad hiſtoriæ ſacræ ſeriem & ſcopum. At cum aperienda eſſet cauſa migrationis Jacobi ex illa regione, illaque eſſet magni momenti, noluit eam Moſes ſilentio præterire.

QUÆRITUR I.

Utrum peccaverit Dina e domo paterna egrediens ut videret mulieres Sichimitas.

REſpondeo, ipſam graviter peccaſſe. I. *Vana curioſitate*, ut docet S. Bernardus, qui cum oculorum cuſtodiam commendaſſet, improbaſſetque vanam quorumdam curioſitatem circumquaque oculos obverſantium, paulo poſt exclamat: *O Dina! quid neceſſe eſt ut videas mulieres alienigenas? Qua neceſſitate? Qua utilitate? An ſola curioſitate? Etſi tu otioſe vides; ſed non otioſe videris. Tu curioſe ſpectas; ſed curioſa ſpectaris. Quis crederet tunc illam tuam curioſam otioſitatem, vel otioſam curioſitatem fore poſt ſic non otioſam, ſed tibi, tuis, hoſtibuſque tam pernicioſam?*

II. Peccavit inordinato voluptatis & vanitatis appetitu. Cur enim eo potiſſimum tempore Dinam inceſſerit cupido urbem ingrediendi, in quam forte antea non intraverat, ſed ut decens erat, ſedulo manſerat domi recluſa? cauſam aperit Joſephus, *lib.* 1. *antiquit.* ſcribens: Tunc feſtum diem magno illius regionis hominum conventu luxuque celebratum fuiſſe apud Sichimitas, cuius voluptatis & lætitiæ ut particeps fieret Dina, utque ſciret iſtius urbis mulierum mores, habitum, & cultum, quatenus ſe in earum conſuetudinem & amicitiam inſinuare poſſet; domo forte clam, & inſciis

ſciis

ſciis parentibus egreſſa, ut iſtius ſolemnitatis & lætitiæ fieret particeps; ſe videndam præbuit, & juvenis Principis Sichemi in ſe oculos & libidinem provocavit. Unde Moſes huius flagitii culpam in ipſam potiſſimum refundere videtur; cum dicit, illam egreſſam eſſe ut videret filias regionis, quæ debebat ſub matris oculis in tabernaculo latere.

III. Peccavit graviſſime in eo quod fuerit in cauſa, cur tot Sichimitæ, qui nullam in illato ſtupro partem habuerant, crudeliſſime fuerint a filiis Jacob trucidati. Nam Simeon & Levi, germani Dinæ ex Lia matre fratres, ira perciti quod Sichemus Hemoris illius regionis Principis filius ſororem eorum virginem violaſſet; capta occaſione vehementiſſimi doloris, quo omnes Sichimitæ mares, ob ſuſceptam Circumciſionem premebantur, armata manu ſuis cum ſervis urbem invaſere, & maſculis omnibus ferro deletis, ipſis etiam trucidatis Hemore & Sichemo, ſororem ſuam domum reduxerunt; quibus auditis cæteri filii Jacob urbem pariter ingreſſi, eamque civitatem depopulati, mulieres, pueros, armenta, & greges in ſua tentoria adduxerunt.

QUÆRITUR II.

Utrum illa Sichimitis civitatis vaſtatio fuerit licita.

JUſtam ac licitam fuiſſe arbitrantur nonnulli. I. Quod licitum ſit ulciſci graviſſimam iniuriam quæ in numeroſæ familiæ grande probrum, ingentemque contumeliam vergit, qualis erat illa Dinæ violatio, quæ in univerſæ Jacobi familiæ dedecus redundabat.

II. Quod propter illam Sichimitarum vaſtationem Simeonis & Levi zelum plurimum celebret Juditha; ait enim, cap. 9. *Domine Deus patris mei Simeon qui dediſti illi gladium in defenſionem alienigenarum, qui violatores extiterunt in coinquinatione ſua, & denudaverunt femur virginis in confuſionem: & dediſti mulieres illorum in prædam, & filias illorum in captivitatem; & omnem prædam in diviſionem ſervis tuis, qui zelaverunt zelum tuum: ſubveni, quæſo te Domine Deus, mihi viduæ! &c.* Igitur facinus illud filiorum Jacobi in ultionem ſtupri illati ſorori ſuæ Sichimitas trucidantium, non reprehenſione, ſed laude dignum videtur.

III. Jacob ſuum condendo teſtamentum & unicuique filiorum paternam benedictionem impertiendo, Joſephum alloquens Geneſ. 48. v. 22. ait: *Do tibi partem unam extra fratres ſuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo.* Quem locum LXX. Interpretes ita verterunt: *Do tibi Sichimam præcipuam ſuper fratres tuos: quam accepi de manibus Amorrhæorum in gladio meo & ſagitta.* Igitur cenſuit Jacob illam Sichimitarum vaſtationem fuiſſe legitimam; ſi enim iniuſtam exiſtimaſſet, dubio procul ſanctiſſimus ille vir, civitatem illam, & ex ea ſublata omnia, velut iniuſte comparata legitimis Dominis, nempe Hemoris hæredibus reſtitui iuſſiſſet.

Verum facinus illud grande fuiſſe piaculum, & ab ipſo Jacobo valde improbatum, imo & damnatum, apparet primo ex illa ſevera increpatione, qua in hoc capite v. 30. perſtrinxit Simeonem & Levi huius facinoris primarios auctores: *Turbaſtis me* inquit, *& odioſum feciſtis me Chananæis, & Pherezæis habitatoribus terræ huius. Nos pauci ſumus: illi congregati percutient me, & delebor ego, & domus mea.* Quantum autem in eos propterea fuerit exacerbatus, iſtudque cruentum facinus ipſi permanſerit alta mente repoſitum, etiam ad ultimam uſque vitæ periodum, manifeſtum fit, ex illis verbis, quibus brevi moriturus Simeonem & Levi obiurgat Geneſ. 49. *Simeon & Levi fratres,* inquit, *vaſa iniquitatis bellantia.... Maledictus furor eorum, quia pertinax: & indignatio eorum, quia dura: dividam eos in Jacob, & diſperdam eos in Iſrael.* Quibus verbis ſignificat S. Patriarcha, interprete *S. Hieronymo* in Traditionibus Hebraicis: „ Non ſui conſilii fuiſſe, quod illi „ Sichimitas fœderatos viros interfecerint, „ contraque jus pacis & amicitiarum ſanguinem fuderint innocentem; & quia „ quodam furore ſive crudelitate rapti, muros hoſpitæ urbis everterint. Illud: Dividam eos in Jacob, & diſpergam eos „ in Iſrael; bene congruit cum eventu. „ Levi enim hæreditatem propriam non accepit, ſed inter alias Tribus, paucas urbes ad habitandum habuit. Simeon quoque, ut eſt in libro Joſue, proprium funiculum non eſt conſecurus; ſed de Tribu „ Juda quiddam accepit. Et in 1. Paralipomenon, cap. 19. ſcriptum eſt: Cum „ multiplicata eſſet Tribus Simeonis, nec „ haberet poſſeſſionis locum exiſſe in deſertum ad quærendum ſibi locum.

Apparet itaque ex præfatis Jacobi verbis, illius filios graviſſime peccaſſe in illa Sichimitarum trucidatione & vaſtatione; atque perperam Hebræorum Doctores cruentum illud facinus excuſare conati, ſub obtentu zeli vindicandæ violatæ pudicitiæ, & vis illatæ ſorori ſuæ. Porro quam grande, quamque enorme fuerit piaculum illud, colligere licet ex illius circumſtantiis.

I. Quod illud fuerint aggreſſi inconſulto patre, cujus erat irrogatam ſibi, ſuæque familiæ in conſtuprata filia injuriam, vindicare; aut illius debitam ſatisfactionem exigere. Fuerat quidem Jacobus flagitio iſto vehementiſſime exulceratus; ſed vir cordatus, tametſi ingenti dolore oppreſſus, attamen cum ſolus eſſet domi, injuriam diſſimulaverat, & mœrorem ſuum intus abſorbuerat donec redirent filii ex agro. In quo certe maxime laudanda eſt ipſius moderatio, quod non ſolum ad tam funeſtum nuntium non excanduerit; ſed benigne, & humaniter exce-

exceperit Hemorem patrem Sichemi poſtulantem Dinam, rametſi violatam, in filii ſui coniugem. Debuerant ergo filii illam ſui patris animi moderationem imitari, ad ejuſque exemplum propoſita honorifica ſatisfactione eſſe contenti.

II. Peccarunt mendacio pernicioſiſſimo, imo & horrenda perfidia, pactum Sichimitis proponentes, quod violare decreverant, cum enim audiiſſent Hemoris propoſitionem, qua Dinam in filii uxorem poſtulabat, illi tria reſponderunt. *Primo*, a ſe non poſſe affinitatem contrahi cum præputiatis, eo quod ipſis probroſum eſſet præputium: *Deinde* obſtaculum hoc tolli poſſe, ſi tam ipſe Hemor, quam ejus filii, & ſubditi velint circumcidi: quod ſi fieret, mutua invicem inirentur connubia, & in unam gentem, unumque populum coaleſcerent. *Tertio*, quod ſi aliter Sichimitis viſum eſſet, nec propoſitam conditionem vellent admittere, illi reciperent ſororem ſuam, & inde migrarent; cum tamen aliud prorſus diverſum haberent in animo.

IV. Peccarunt impietate, proſtituendo religionem, & ſacramentum fœderis, ac veræ fidei, nempe Circumciſionem hominibus idolorum cultui deditis, nulla prævia eorum converſione; & quod ſceleratius eſt, eo ſacramento utuntur, tamquam medio ad nefariam vindictam.

V. Quod longe graviorem de Sichimitis ultionem ſumpſerint, quam admiſtum ab eorum principe facinus mereretur; ſiquidem ſolus Sichem Princeps Dinam violaverat, ejus vero pater & ſubditi nullam in iſto piaculo partem habuerant: attamen illi Jacob filii ut ſe de privato unius hominis delicto ulciſcantur, totum populum cum eo trucidant; nec ea immanitate exſaturati, in omnia bona Sichimitarum hoſtili furore graſſantur, captivas rapiunt eorum uxores, diripiunt urbem, muros, domoſque diſſipant, greges & armenta deprædantur.

VI. Quod iſtiuſmodi facinore tanta temeritate, tantoque furore patrato, ſeſe univerſamque ſuam familiam in ſummum vitæ diſcrimen expoſuerint; futurum enim erat inde ut illius terræ incolæ, finitimæque gentes in unum collectæ ad horrendum illud facinus vindicandum, Jacobum una cum ſuis delerent & trucidarent: idque dubio procul eveniſſet, niſi Deo monente, quamprimum inde migraſſent.

Unde ab initio objecta, reſpondeo *ad primum*, licitum quidem eſſe vindicare irrogatam injuriam maxime contumelioſam, dummodo ultio illa non fiat auctoritate privata, ſed publica, nec juſtitiæ modum excedat, puniendo inſontes ſcilicet cum reis. In his autem omnibus circumſtantiis peccarunt Jacobi filii. Iſtud enim facinus propria auctoritate, & inconſulto patre ſunt aggreſſi; exceſſeruntque modum in generali illa vaſtatione qua innocentes cum reis fuerunt extincti.

Ad ſecundum dico, tria in iſto facinore filiorum Jacob eſſe diſtinguenda; ſcilicet motivum, modum, & ſcopum. *Motivum* erat laudabile, quippe ultio illa ſuſcepta fuit zelo vindicandæ violatæ pudicitiæ, & familiæ ſuæ, dedecus ulciſcendi. *Scopus* pariter non erat improbandus; illo quippe Simeonis & Levi zelo uſus eſt Deus ad reſarciendam ſuam gloriam a Sichimitis idolorum cultoribus, pluriumque criminum reis violatam. *Modus* vero, nempe crudelis illa ſtrages omnino erat damnanda; injuſtum enim erat pro unius delicto tantam fieri hominum carnificinam. Duo priora in iſto facinore laudat Judith, non vero poſterius.

Ad tertium dico, a Jacobo legante partem illam extra fratres ſuos, non intelligi civitatem Sichimam, quam ipſe nuſquam obtinuit, nec ſibi ſervavit; quippe cum ſtatim atque peracta fuit ſæva illa Sichimitarum interfectio, inde continuo diſceſſerit, variaſque poſtmodum egerit peregrinationes. Hinc etiam non ait ſe portionem illam tuliſſe de manu Hemoris Sichemi Principis, a quo partem Agri juxta Sichem emerat; ſed ait: *Quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo*; quibus indicat aliquam terræ plagam a ſe prius occupatam, ſed deinde ab Amorrhæis uſurpatam, ex qua armorum vi fuerant ab ipſo poſtmodum ejecti. Si tamen cum LXX. Interpretibus, & S. Hieronymo velis per *partem unam*, intelligi Sichimam, ſenſus erit: quod ex illa Agri parte, quam ab Hemore pretio centum agnorum comparaverat, atque etiam forte ex univerſa illa regione ejecerit Amorrhæos, qui illam invaſerant.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XXXV.

Declarantur hoc in capite quatuor Jacobi migrationes. I. Ex Sichimitarum Regione in Bethel. II. Ex Bethel in Ephratam. III. Ex illa plaga ad Turrim gregum. IV. Inde ad locum ubi degebat Iſaac: ſingulæ autem migrationes illæ habent aliquid notabile annexum hic expendendum.

Cum propter cruentam Sichimitarum ſtragem, ac eorum urbis depopulationem, mœrore & curis ingentibus torqueretur Jacobus, timeretque ne finitimæ Gentes in ultionem iſtius facinoris armatæ, ad ſuæ familiæ extinctionem inſurgerent; medias inter anguſtias fluctuanti adfuit Deus, ut divina ſua apparitione eum recrearet, & inde in Bethel migrandum, ibique ſacrificandum imperaret.

QUÆ-

QUÆRITUR I.

Cur potius in Bethel, quam in alia loca migrare juſſerit Deus.

ASilum Jacobo ejuſque familiæ in Bethel potiuſquam alibi elegit & aſſignavit Deus multis de cauſis. I. Quia ipſe loci iſtius aſpectus plurimum valebat ad eximendum terrorem, ſpemque faciendam de adſuturo divino præſidio; cum ſcilicet memoria recoleret Jacobus viſam illic ſibi fuiſſe myſticam illam ſcalam a terra ad Cœlum pertingentem, conſpectamque majeſtatem & gloriam Dei ipſi promittenti ſe eunti & redeunti fore propitium.

II. Quia ibi proximior futurus erat paternæ domui & familiæ, unde opportunum nanciſci poterat auxilium adverſus eos omnes, qui manu facta auſi fuiſſent eum inſectari.

III. Quia conveniens erat ut Jacobus emiſſum votum tandem impleret; ſiquidem cum in Meſopotamiam pergeret pernoctaſſetque in Bethel, voto ſe obſtrinxit quod ſi reverteretur proſpere, ibi ſolemnes ageret Deo gratias: in cujus promiſſionis fidem erexerat lapidem in titulum, eumque oleo perfuderat. Unde, referente Marcero, quidam Hebræorum Doctores exiſtimant Deum idcirco raptum & ſtuprum Dinæ permiſiſſe, quod diutius diſtuliſſet Jacobus votum hoc implere poſt ſuum in Chananitidem acceſſum. Adeo ut neceſſe fuerit hoc funeſto eventu, illum e Regione Sichimitica, ubi nimium ſuis commodis ob terræ feracitatem inſerviebat, avocari, & emiſſum votum ejus in memoriam reduci.

Verum cum Scriptura hujus obliti voti eum non inſimulet, putidum & inane prorſus exiſtimo Rabinicum iſtud commentum; cenſeoque Jacobum non ſponte ſua, ſed juxta Dei voluntatem tandiu in partibus Sichimorum egiſſe, donec opportuna adeſſet occaſio migrandi in Bethel, ut ibi voto ſatisfaceret, cujus implendi tempus adveniſſe ſignificavit Deus, cum illuc migrandum juſſit, ubi conſtrueret *altare Deo qui apparuit ipſi*.

Hic autem obiter obſervandum in iſtis divinis verbis non deeſse myſterium. *Quid eſt* (inquit S. Auguſtinus) *quod non dixit: Fac ibi aram mihi, qui apparui tibi? ſed dixit Deus quaſi de alio loquens: Fac ibi aram Deo qui apparuit tibi; verum filio ibi apparuit, & Deus pater hoc dixit:* hunc etiam textum producit S. Hilarius lib. 4. de Trinit. ut probet in Deo perſonarum pluralitatem, & filium eſse revera Deum: „ Deus, *inquit*, „ honorem Deo poſtulat, & poſtulat cum „ alterius ſignificatione perſonæ, *Qui apparuit*, inquit, *tibi cum fugeres Eſau*; ne „ qua perſonæ ejuſdem confuſio naſceretur. „ Deus ergo & qui loquitur cum Jacob, „ dicitur Deus, & de quo is loquitur; ho„ noris confeſſio naturæ nomen non diſcer„ nit, quos ſignificatio ſubſiſtentes eſse di„ ſtinguit.

Accepto itaque divino mandato, illico Jacobus ſe comparavit ad iter. Quoniam vero pergendum erat ad locum quem agnoverat eſse ſanctum & terribilem; cenſuit nonniſi puris manibus ac mentibus illuc eſse properandum. Quamobrem, *Convocata omni domo ſua*, ait: *Abiicite Deos alienos qui in medio veſtri ſunt, & mundamini; ac mutate veſtimenta veſtra Surgite & aſcendamus in Bethel; ut faciamus ibi altare Deo, qui exaudivit me in die tribulationis meæ, & ſocius fuit itineris mei. Dederunt ergo ei omnes Deos alienos, quos habebant, & inaures quæ erant in auribus eorum: at ille infodit ea ſubter terebinthum, quæ eſt poſt urbem Sichem.*

QUÆRITUR II.

Quinam fuerint illi alienigeni Dii quos abiiciendos jubet Jacobus.

PLanum eſt Deos alienos vocari a Jacobo, Ethnicorum ſimulachra, ſeu idola, quæ ideo tanquam numina illi colebant, quod divinam quamdam virtutem eis ineſse putarent. At difficultas eſt, unde hæc idola in Jacobi viri piiſſimi, verique Dei cultoris familiam irrepſerint. Joſephus, aliique Hebræi Doctores, quibus plurimi etiam Chriſtiani conſentiunt, exiſtimant idola illa eadem fuiſse quæ Rachel furata fuerat in domo Labani patris ſui. Unde Calvinus indigne non Rachelem modo, ſed & Jacobum execrandi idololatriæ criminis inſimulare non veretur: „ Cæterum, *inquit*, hinc perſpici„ mus quorſum tenderet furtum Rachelis; „ neque enim voluit (ut dictum eſt) patrem „ a ſuperſtitione retrahere; ſed in ejus vi„ tium ſucceſſit: neque venenum hoc apud „ ſe continere, ſed ſparſit in totam fami„ liam. Sic peſſima contagione infecta fuit „ illa ſancta Domus. Unde etiam patet „ quanta ſit hominum ad impios & vitio„ ſos cultus propenſio, quando domeſtici „ Jacob, quibus pura religio tradita erat, „ tam cupide oblata idola arripiunt. Nec „ vero prorſus inſcius fuit Jacob: ſed cre„ dibile eſt nimis fuiſse uxorium, ut ſua in„ dulgentia peſtem domi tacitus aleret.

Verum quam injuſta ſit hæc criminatio, argumentum eſt ipſius Moſis altum de hoc crimine ſilentium; qui enim alios Patriarcharum defectus, etiam leviſſimos non ſubticet, hunc graviſſimum, ſi verum eſset, non tacuiſset. *Adde* quod veriſimile non ſit a Jacobo viro piiſſimo, & erga unius veri Dei cultum zelantiſſimo, per decem pluſquam

an-

annos, ex quibus facta fuerat illa Deorum Labani ſubductio, ejuſmodi idolorum cultum a Rachele, aliiſque domeſticis aut ignoratum aut toleratum fuiſse: neque Deus tot erga eum divinæ ſuæ benignitatis & protectionis præbuiſset argumenta, ſi ille ſuo ſaltem conſenſu idololatriæ labe fuiſset inquinatus.

Probabilius itaque dicendum arbitror, per *Deos alienos*, quos abiiciendos Jacobus imperat, intelligenda eſse ſimulachra quæ tam ejus filii, quam eorum domeſtici ex Sichimitarum direptione abſtulerant, quod ex pretioſa eſsent materia conflata; hæc vero nolebat Jacobus a ſuis retineri, ne ipſis eſsent in laqueum, neve in cauſa eſsent cur forte Deus offerendum ſacrificium ingratum haberet.

Ejus mandatis obſequentes filii omnes & domeſtici, non ſolum idola, ſed & eorum ornamenta, puta armillas, inaures, & alia hujuſmodi continuo ipſi præbuerunt. Ille vero infodit ea omnia ſubter terebinthum quæ eſt poſt urbem Sichem. *Facta*, inquit Abulenſis, *magna foſſa; liquefacta tota illa materia metallina infuſa fuit in foſſam, & penetravit in profundum per viſcera terræ, ut nullus eam inde acciperet. Et noluit illud aurum, vel argentum in aliam formam converſum accipere, ut quod ſemel dicatum fuerat cultui Dæmonum, nunquam applicaretur ad uſus hominum.*

Hoc autem, inquit Salianus, videtur ex abundantia fervoris potius, quam ex neceſſitate factum. Nam tulit David coronam Melchom, Idoli Ammonitarum de capite ejus, & invenit in ea auri talentum, & pretioſſimas gemmas, fecitque inde diadema. Idemque ſanctificavit omnem prædam, Regibus Syriæ debellatis, acquiſitam in templi fabricam, & uſum. In qua vix credibile eſt nihil templis idolorum ademptum, aut illis parcitum, quos in primis exterminari oportebat.

Addit Jacobus: *Mundamini, ac mutate veſtimenta veſtra*. Quibus verbis duplicem munditiem imperat, unam exteriorem, interiorem alteram: illam corporis, hanc animi. Idem mandatum Deus legem daturus Hebræis in monte Sina præſcripſit Moſi: Exodi, cap. 19. v. 10. *Vade ad populum, & ſanctifica illos hodie & cras, laventque veſtimenta ſua. Et ſint parati in diem tertium.* Hanc autem præparationem externam requirebat Deus, tanquam ſymbolum renovationis interioris hominis, quam potiſſimum intendit Deus. Unde apud Iſaiam, cap. 1. *Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis.* Quo reſpicit etiam illud Apoſtoli II. ad Corinth. cap. 7. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei.* Etſi vero hæc cordis & corporis mundities in Chriſtianis ſemper exquirenda; utraque præſertim exigitur cum religioſus cultus ſive per orationem, ſive per ſacrificia, ſive per ſacramentorum ſuſceptionem eſt exhibendus.

Sic itaque rebus compoſitis, viæ ad Bethel cum univerſa ſua familia ſe commiſit Jacob. *Cumque profecti eſsent, terror Dei pervaſit omnes per circuitum civitates, & non ſunt auſi perſequi recedentes.* Ex quibus verbis colligere licet vicinos populos audito Sichimitarum excidio, in odium & exterminium Jacob, eiuſque familiæ exarſiſſe; quinetiam inito conſilio decreviſse armata manu in eos irrumpere, ut eos funditus delerent. Quorum impetus ut cohiberet Deus, omnipotenti ſua virtute illos a propoſito deterruit; ſive illorum emolliendo ferream duritiem, & reprimendo conceptum vindictæ furorem: ſive horrendo tonitru & ingeminatis fulguribus, aliiſque terrificis ſignis domi continendo. Quo pariter favore ſe proſecuturum Iſraelitas ex Ægypto egredientes promittit *Exodi* 19. exequitur vero Deuter. cap. 2. ubi ait: *Hodie incipiam mittere terrorem, atque formidinem tuam in populis, qui habitant ſub omni cœlo: ut audito nomine tuo paveant, & in morem parturientium contremiſcant, & dolore teneantur.*

Pacifice igitur & ſecure ſuſceptum iter abſolvit Jacobus, pervenitque in Bethel, ubi extructo altare ſacrificium obtulit: quod proculdubio maximam ipſi contulit lætitiam videndo ſe ſanum & incolumem in eum locum reducem cum numeroſa & copioſa familia, ubi fugitivus, & ab omnibus deſtitutus ſub dio aliquando pernoctarat.

At ut extrema gaudii luctus occupat, & res proſperæ adverſis ſunt intermixtæ: *Eodem tempore mortua eſt Debora nutrix Rebeccæ, & ſepulta eſt ad radices Bethel ſubter quercum; vocatumque eſt nomen loci illius, Quercus fletus,*

QUÆRITUR III.

Qua ratione Debora fuerit in comitatu Jacobi.

LEgimus *Geneſ. cap. 24. v. 59.* Rebeccam e Meſopotamia egredientem ſibi comitem adjunxiſse nutricem ſuam; non legitur autem hæc in patriam rediiſse. Qui ergo fieri potuit ut illa in Jacobi comitatu inveniretur, ibique diem extremam clauſerit? Judæi ut ſibi nihil ignotum eſse, & omnia Scripturæ arcana patere ſignificent, dicunt Deboram a Rebecca miſsam fuiſse in Meſopotamiam, poſtquam audiviſset Jacobum ibi familiam alere, ut eum juvaret in uxoribus inſtituendis: rediiſse vero cum illo in Canan tidem, & ipſius itineris atque manſionis fuiſse comitem.

Fingunt alii Deboram cum videret Rebeccam eſse ſterilem, nec illi neceſsariam eſse ſuam operam, ab Iſaaco & Rebecca licentiam obtinuiſse natale ſolum repetendi. Cum autem audiiſset Jacobum Rebeccæ filium illuc adventaſse, & familiam inſtitue-

re,

re, ipſi adhæſiſſe, eique in famllia regenda plurimum inſerviiſſe, atque cum ipſo perrexiſſe in Cananitidem.

Veriſimilius exiſtimarem ego, illam ſtetiſſe ſemper cum Rebecca ad illius mortem uſque. Cum autem e vivis exceſſiſſet Rebecca, audiiſſetque Jacobum ingenti familia donatum in Sichimis habitare, ad ipſum tanquam Rebeccæ dilectiſſimum filium ſe contulit, ut quiete ac pacifice cum illo ageret. Hanc autem cum ſuæ matris chariſſimam nutricem expertus eſſet Jacobus, ſolemnibus exequiis voluit eam hoonrare, ut matrem in nutrice veneraretur.

Quinetiam ſunt, qui adiiciunt in ipſius obitu voluiſſe Jacobum parentare matri ſuæ Rebeccæ quæ non ita pridem, ut tradunt Judæi, obierat, fueratque ſine ullis ſolemniis tumulata: „ Propterea quod, inquiunt,
„ (referente Burgenſi) Iſaac non poterat ire
„ in ſepulturam ipſius, cum jamdiu ante
„ ſenuerat, & caligaverant oculi eius, ut
„ dictum eſt ſupra cap. 27. Nec etiam Ja-
„ cob poterat intereſſe ſepulturæ matris
„ ſuæ, quia adhuc erat in Meſopotamia.
„ Eſau autem non honoraſſet eam debito
„ modo, propter benedictionem quam per-
„ diderat ipſius cauſa. Unde ex hoc dicunt,
„ quod Iſaac ſenex ordinavit, ut ſepelire-
„ tur de nocte latenter, ne palam defice-
„ ret ſibi honor debitus. Et eadem ratio-
„ ne Scriptura non facit mentionem expli-
„ citam de ſepultura Rebeccæ, eo quod fue-
„ rat ſic latenter facta: ſed adhuc implicite
„ ſacra Scriptura facit mentionem, cum de
„ ſepultura Deboræ nutricis eius tantam
„ fecit mentionem, ut dictum eſt. Unde vo-
„ catum eſt nomen loci illius, *quercus fle-*
„ *tus:* quia ibidem Jacob principaliter fle-
„ vit matrem ſuam; pro cuius honore nu-
„ tricem eius honorifice ſepelivit.

Alterum ingentis mœroris & luctus fomitem præbuit mors Rachelis, quæ dum Jacob a Bethel pergeret Ephrata, ſeu Bethleem, obiit parturiendo forte ante tempus, propter itineris moleſtias; etſi fructus eſſet maturus, quippe qui diutiſſime perfecta ſanitate donatus vixerit.

Veriſimile autem eſt quod hunc partum Jacob vicinum ignoraverit, alioquin tabernacula non moviſſet, ne tanto periculo exponeret conjugem dilectiſſimam.

Mortua eſt itaque Rachel medios inter vehementiſſimos partus dolores: quamobrem animam pene exhalans, natum puerum appellavit *Benoni*, hoc eſt, *filium doloris* ſeu *luctus mei*; quia inter ejulatus matris, & mortis dolores, prodierat in lucem. Pater vero vocavit eum *Ben-jamin*, id eſt, *filium dexteræ*; forte quia Rachel dulciſſima conjux erat ipſi pro dextera; qua amiſſa, in nato filio renaſcentem, excipiebat.

Mortuam autem conjugem ſepelivit Jacob juxta viam quæ ducit Bethleem; *Poſuitque titulum ſuper ſepulchrum eius, Hic eſt titulus monumenti Rachel, uſque in præſentem diem.* Sepelivit, inquam, illam juxta viam, illique monumentum erexit, quatenus viatores illac tranſeuntes illius meminiſſent, & ſuæ imminentis mortis admonerentur. Diſcrimen enim eſt inter monumentum, & ſepulchrum: *ſepulchrum* namque erat arcula lapidea in qua mortuum corpus recludebatur: *monumentum* vero erat præalta lapidum congeries, vel titulus aliquis excelſus, quo viatores admonerentur ibi ſepultum eſſe aliquem, cuius nomen erat ibi exaratum. Unde Hebræi ſolebant mortuos ſuos juxta vias ſepelire, ut Jacob Rachelem: vel in montibus, ſic *Aaron* ſepultus eſt in monte Hor, Num. 20. v. 30. Eleazar eius filius in monte Ephraim, Joſue 24. v. 33. Similiter *Joſue*, Iudic. 2. v. 9. &c.

Tametſi vero Jacobus ſummo dolore fuerit affectus propter mortem ſuæ dilectiſſimæ Rachelis, is tamen non fuit illius mœroris finis: paulo poſt enim Ruben ipſius primogenitus paternum lectum temeravit, rem habendo cum una e patris uxoribus, nomine Bala. Quod impium facinus, licet Jacobum non latuerit; illud tamen prudentia tunc diſſimulavit, propter varias anguſtias quibus premebatur.

Ut autem ex tot angoribus aliquod haberet ſolatium, cum aliquandiu tentoria fixiſſet circa *Turrim gregis*, ubi nato Salvatore paſtores audierunt vocem Angeli: tandem cum univerſa ſua familia perrexit ad patrem ſuum Iſaac Hebroni commorantem.

Tametſi vero hic primum Jacobi ad patrem Iſaac acceſſum poſt ſuum in Chananitidem adventum referat Moſes, veriſimile non eſt illum antea dilectiſſimum ſuum parentem non conveniſſe: ab illo enim ex Meſopotamia reditu pluſquam decem effluxerant anni; intra quod ſpatium, optimum filium & erga patrem, qui tot impenſis benedictionis ipſum fratri primogenito prætulerat, optime & religioſe affectum, ſeſe illi non ſtetiſſe præſentem, nullus cordatus exiſtimabit. Hunc vero acceſſum commemorat Moſes, quod Jacobus illuc cum univerſa ſua familia ſeſe tranſtulerit ſtabili commoratione in paterna domo permanſurus.

Licet enim Moſes poſt hunc Jacobi acceſſum adiiciat: *Completi ſunt dies Iſaac centum octoginta annorum, conſumptuſque ætate mortuus eſt* &c. Attamen exiſtimandum non eſt, Iſaacum paulo poſt Jacobi adventum, vita fuiſſe functum: quinimo duodecim, ut vult Salianus; imo tredecim, ut egregie probat Perrerius, annos ſupervixit Iſaacus, eique convixit Jacobus; itaut ex duabus familiis una coaleſceret. Adeo tamen ut greges & armenta diverſis in locis paſcerentur, quod eos præ multitudine terra capere non poſſet: quæ etiam cauſa fuit, ut licet Eſau ſepeliendi patris cauſa ad Jacobum acceſſiſſet, ab eo tamen deinde receſſerit, ut habetur cap. ſequenti.

DISQUI-

DISQUISITIONES IN CAPUT XXXVI.

Cum ſepulturæ Iſaaci occaſione Eſau meminiſſet Moſes, cenſuit ejus genealogiam continuo attexere. Quia autem Eſau affinitatem contraxerat cum Horæis regionis Seir habitatoribus, quos poſtmodum Eſau poſteri ſedibus ſuis expulerunt, eorum etiam ortum & propagationem hoc in capite recenſere voluit Moſes.

QUÆRITUR I.

Quid conducat duplex illa genealogia ad Hiſtoriam ſacram.

R*Eſpondeo*, plurimum conducere: primo, quia multa occurrunt in ſacris Libris, quæ facili negotio non poſſent intelligi, niſi compertus eſſet ſtatus populi Idumæi, ejuſque affinium: crebra namque fit a Scriptoribus ſacris mentio *Seir*, *Edom*, *Horrhæorum* &c. Qui vero eſſent illi, nos lateret, ſi eorum originem & propagationem non docuiſſet Moſes. Fit pariter mentio regionis *Theman*, Amos 1. & alibi; quis vero illam compertam haberet, niſi noſſet illam fuiſſe partem Idumææ occupatæ a nepote Eſau filio Eliphas, cui nomen erat Thema? Frequens etiam occurrit de *Amalecitis* narratio, ob varias clades, quas ab eis paſſi ſunt Iſraelitæ, quaſque hi viciſſim illis intulerunt. Ignota autem eſſet gens illa, niſi in hoc capite diſceremus *Amalech* fuiſſe filium Eliphaz nepotis Eſau.

Præterea intererat Eccleſiæ ſcire eventum prædictionum Iſaaci; ut inde colligerent fideles, a Deo omnia implenda, quæ per ſuos ſervos promiſſa ſunt, etiam perverſis: Iſaacus enim benedicens Eſau, optaverat illi numeroſam poſteritatem, divitias multas, & quod ex ejus ſemine orirentur Duces ac Principes.

Hoc autem vaticinium effectum habuiſſe declarat Moſes in hoc capite, enumerando filios, quos ſuſcepit Eſau ex tribus conjugibus, in quibus enituit illa Dei benedictio.

QUÆRITUR II.

Cur aliis nominibus Eſau uxores Moſes appellet hoc in capite, quam appellaverat antea.

Capitibus 26. & 28. trium ab Eſau aſſumptarum uxorum nomina refert Moſes, primamque appellat *Judith*, filiam Beeri Hethæi: Secundam *Baſemath*, filiam Elon ejuſdem loci: tertiam autem *Mabeleth*, filiam Iſmael. Hic autem refert quidem eundem uxorum numerum; ſed neque eodem ordine, neque iiſdem nominibus; ſimiliter earum parentes aliter hic atque ibi nominantur. Hæc autem diverſitas aliter conciliari non poteſt, niſi dicatur tam viros quam fœminas tunc fuiſſe polyonymos; vel quia occaſione aliqua eorum mutata fuerint nomina; ſed hæc ſunt levioris momenti.

At gravior eſt difficultas de *Ana* quæ v. 2. & 14. dicitur *filia Sebeon*, & v. 18. mater Oolibamæ: v. autem 24. appellatur *Sebeonis filius*, & v. 25. Oolibamæ pater. Hunc nodum ut ſolvant Interpretes, varias in partes ſe torquent. LXX. quidem ab eo facile ſeſe expediunt, utroque in loco Anam illum appellantes filium Sebeonis & Oolibamæ patrem. At repugnat Hebræus textus qui v. 2. & 14. habet בת *bath*, id eſt, *filia*. Cui conſonat Chaldæa paraphraſis, & noſtra Vulgata, unde apparet hic mendum aliquod in editionem LXX. irrepſiſſe.

Itaque omiſſis aliorum conjecturis, dico hic diſtinguendas eſſe duas perſonas eodem nomine inſignitas, unam fœminam, alteram virum, quod utique colligitur ex textu, nam prior Ana dicitur patrem habuiſſe Sebeonem Hevæum: poſterior vero Sebeonem Hethæum e Chananeorum gente.

Hic pariter Ana dicitur a Vulgato *Inveniſſe aquas calidas in ſolitudine:* In textu autem Hebræo hodierno, *inveniſſe mulos:* at de hac textuum differentia actum eſt in præcedenti volumine, ubi de conciliatione textuum pugnantium.

QUÆ-

QUÆRITUR III.

Quo ſenſu hic dicat Moſes Eſau abiiſſe in alteram regionem, & receſſiſſe a fratre ſuo Jacob, cum alibi jam ipſe Eſau habitaret.

CONſtat ex præcedentibus Eſau jamdudum receſſiſſe a Chananitide, & habitationem ſuam conſtituiſſe in terra Seir, in quam ad eum Jacobus e Meſopotamia rediens, legatos miſerat; & ex qua Eſau cum quadringentis viris fratri ſuo Jacobo proceſſit obviam. Quid igitur ſibi vult Moſes dum ait hic v. 6. *Tulit autem Eſau uxores ſuas, & filios & filias, & omnem animam domus ſuæ, & ſubſtantiam, & pecora, & cuncta quæ habere poterat in terra Chanaan, & abiit in alteram regionem.*

Reſpondeo, hæc nullatenus pugnare cum antecedentibus. Cum enim dictum fuerit Eſau acceſſiſſe ad funus patris ſui Iſaac, veriſimile eſt eum non illuc adveniſſe, niſi maximo cum comitatu uxorum, filiorum & ſervorum; ut ſcilicet patris exequias majori cum honore abſolveret. Tumulato vero patre, ibi aliquandiu degiſſe ut illius hæreditatem cum fratre partiretur, reſque ſuas cum ipſo componeret. Quibus abſolutis cum videret propter numeroſam fratris familiam, plurimoſque greges, non poſſe ſimul cum ipſo commode habitare, aſſumpta portione gregis & facultatum, quæ ipſi paterna ex hæreditate obtigerant, reverſus eſt in terram Seir; ſpe concepta, fore ut Horræos montana inhabitantes paulatim ſubigeret, & univerſam illam regionem ſibi, ſuiſque in ſolidam & perpetuam poſſeſſionem vendicaret.

Hanc expoſitionem approbat S. Auguſtinus: Quæſtio eſt, *inquit*, quomodo Scriptura dicat, poſt mortem Iſaac, abſceſſiſſe Eſau de terra Chanaan, & habitaſſe in monte Seir; cum, veniente de Meſopotamia Jacob, legatur ſupra jam illic habitaſſe. Proinde qui fieri potuerit, ut Scriptura nec fallere, nec falli credatur; in promptu eſt cogitare, quod ſcilicet Eſau poſt diſceſſum Jacob in Meſopotamiam noluerit habitare cum parentibus ſuis: ſive ex illa commotione, qua dolebas ſe benedictione paterna fuiſſe fraudatum: ſive quod videret uxores ſuas odioſas eſſe ſuis parentibus, vel ob aliam quampiam cauſam; & ita cœperit habitare in monte Seir. Deinde poſt reditum Jacob ex Meſopotamia, facta inter eos concordia, reverſus eſt & ipſe ad parentes: & cum mortuum parentem ſimul ſepeliſſent, quod eos plurimum ditatos terra illa minime caperet, abſceſſit rurſus in Seit, & ibi propagavit gentem Idumæorum.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XXXVII.

DEſcribit Moſes hoc in capite Joſephi hiſtoriam, quam orditur ab ejus venditione, cujus refert. I. Motivum, nempe odium fratrum. II. Modum. III. Eventus.

Tametſi Moſes hanc hiſtoriam poſt Iſaaci mortem referat, communior tamen eſt Interpretum ſententia eam contigiſſe priuſquam venerandus ille ſenex e vivis excederes. Imo Iſaacum undecim aut duodecim annis ſupervixiſſe infra demonſtrabimus. Cum tamen hanc hiſtoriam Moſes poſt obitum Iſaaci & ſepulturam recitet, eſt neceſſario concedenda hyſterologia; cujus rasio hæc fuit, quia cum poſt adventum Jacobi in Hebron, Moſes nihil amplius vellet de vita Iſaaci narrare, & ad ea, quæ Jacobo Patriarchæ notanda acciderant, pergere deliberaſſet, cenſuit hiſtoriam Iſaaci concludendam morte ipſius; & ne deinceps cum alia recenſeret, dicendorum fieret interruptio, adjecit præcedens caput de iis quæ Eſaum ſpectabant. Poſtea aſſumens hiſtoriam Jacobi, quia venditio Joſephi ſequentibus lucem præfert, eam initio præmittere voluit.

Cum itaque Jacobus fixam habitationem conſtituiſſet in Hebron, nec gregibus opportuna paſcua in locis vicinis inveniret, quoſdam e filiis cum armentis dimiſit in Sichimorum agrum, in quo prædium ante aliquot annos emerat, ſimul etiam prudenter exiſtimans, ira incolarum metu compreſſa, eos magna ex parte rediiſſe. Nec diu diſtulit etiam filios Liæ, & ancillarum eo mittere, qui præſidio illis eſſent, ſi res poſtularet, & parentem apud ipſos repræſentarent. Nec minus interea ipſe de eorum incolumitate ſollicitus, Joſephum ad eos inviſendos dimittere ſtatuit: *Hæc erat cauſa*, inquit Rupertus, *paternæ ſollicitudinis, quia paſcebant filii eius oves in Sichimis, videlicet ubi dudum populo terræ illius odioſos fecerat illos furor ipſorum pertinax, & indignatio dura.*

Porro Joſephum oderant fratres triplici de cauſa. I. *Quod a patre plus cunctis filiis amaretur.* Jacobus enim præ cæteris filiis diligebat Joſephum, non ſolum eo quod, ut inquit Moſes, *in ſenectute genuiſſet eum*; agebat enim Jacobus unum annum ſupra nonaginta dum ei natus eſt Joſeph: verum hac ratione tenerius fuiſſet diligendus Benjamin, qui fratrum omnium poſtremus in lucem

cem eſt editus: ſed maxime præ cæteris diligebatur: *Quia*, inquit S. Chryſoſtomus, *ſuperna quædam gratia fuit, quæ juvenem amabilem reddebat, & propter animi virtutem cunctis præferri faciebat. Hæc autem in Scriptura adjecta eſt cauſa, quod filius ſenectutis fuerit, & ideo magis eum dilexerit, ut non manifeſte augeret odium fratrum.*

Secunda cauſa iſtius in Joſephum odii fraterni fuit, quo Jacobus ſpiritu prophetico ductus ipſum induerit *tunica polymita*, hoc eſt, ex filis diverſi coloris contexta, quæ diſtinctas in ea veluti particulas referentia, ſpecioſam ac pretioſam veſtem exhibebant, atque futurum illius Joſephi in fratres imperium præfigurabant: talibus enim veſtibus indui ſolebant Reges & Principes, maxime in Oriente, ut colligere licet ex cap. 17. Ezechiel. v. 4. Ubi Rex Babylonis deſignatur ſub ſigno *aquilæ diverſi coloris*. & ibid. cap. 26. prædicitur: *Deſcendent de ſedibus ſuis omnes Principes maris, & auferent exuvias ſuas, & veſtimenta ſua varia abiicient.* Et Pſalm. 44. *Aſtitit Regina a dextris tuis in veſtitu deaurato circumdata varietate*: Simili tunica talari & polymita induebantur apud Hebræos filiæ Regum quandiu virgines erant: ut refertur 2. Regum, cap. 13. v. 19. Erat itaque illa Joſephi tunica talaris & polymita futuræ illius dignitatis fauſtum omen: ſed infauſtum odii fraterni incentivum, cui vehementius excitando accedebant ipſius Joſephi narrata ſomnia de futuro illius Principatu.

Tertia vero cauſa iſtius fraterni in Joſephum odii erat, quod accuſaſſet *fratres ſuos apud patrem ſuum de crimine peſſimo.*

QUÆRITUR I.

Quodnam fuerit iſtud enorme crimen, cujus fratres ſuos reos Joſephus ad Patrem detulit.

HEbræi Doctores, referente R. Raſi, exiſtimant Joſephum fratres ſuos ex Lia oriundos, quibuſcum verſabatur, potiſſimum detuliſſe apud patrem. *I. Quod ederent membrum de vivo animali. II. Quod vilipenderent filios ancillarum, appellando eos ſervos. III. Quod eſſent ſuſpecti de ſcortatione.*

Rupertus inquirens de quo crimine accuſavit Joſeph fratres ſuos, ait: „ Quia non explicuit Scriptura, vagæ opinioni locus datus eſt; multa namque ſunt vitia quorum conſummatum opus peſſimum eſt; aiunt tamen viri illuſtriſſimi crimen Sodomitiei fuiſſe ſceleris.

Toſtatus vero putat crimen illud fuiſſe beſtialitatem, quod vitium frequens & familiare paſtoribus exiſtimat; „ Nec valet, *inquit*, ratio dicentium tantam turpitudinem non eſſe tribuendam illis Patriarchis: fuerunt namque illi homines valde imperfecti, & in juvenili ætate admodum flagitioſi. Hoc nempe indicat coitus Ruben cum Bala uxore patris ſui, ipſo vivente: quantum enim fuiſſe putamus libidinis ejus æſtum, quem ab eo flagitio verecundia patris, & talis patris non revocaverit? Judas quoque cum nuru ſua Thamar, tanquam cum meretrice, quanta libertate coivit? cujus filios Her, & Onan, qui ſemen fundebat in terram, antequam ad uxorem accederet, ne ſuſcitaret ſemen fratri ſuo, peſſimos fuiſſe, atque ob id a Deo interfectos, teſtatur Scriptura *Geneſ.* 38. ſed quod ſcelus comparari poteſt malitiæ iſtorum filiorum Jacob, qui fratrem ſuum Joſeph immerentem, atque innocentem, omni non ſolum fraternæ charitatis, ſed etiam humanitatis ſenſu prorſus abjecto, crudeliter interficere voluerunt; & pro magno beneficio duxerunt, condonata ei morte, vendere ipſum extraneis Gentibus? ſatis igitur probabiliter dici poteſt, crimen illud peſſimum fratrum Joſeph, fuiſſe beſtialem coitum.

In eam etiam ſententiam propendere videtur S. Thomas, qui præfatorum verborum: *Accuſavit fratres ſuos crimine peſſimo*, expoſitioni Gloſſæ interlineari adiicit, quod *cum pecoribus miſcebantur.*

Verum cum vox Hebræa *Dibba*, qua hic utitur Moſes, proprie ſignificet murmur, ſermonem, vel rumorem, dici poteſt Joſephum detuliſſe ad patrem, quod fratres pro vitioſa, ſuaque peſſima vita apud alios male audiebant: vel quod ſermones maledicos & inhoneſtos proferre ſolerent: vel quod circa ipſum Joſephum iniquiores eſſent, eumque vexarent contumeliis & dictis mordacibus. Alii alia fingunt: at cum crimen illud Moſes non expreſſerit, quis ergo deteget?

QUÆRITUR II.

Utrum licite Joſephus fratres ſuos ad patrem detulerit.

VIdetur peccaſſe contra charitatem fraternam, quæ ſuadet quidem fratrem peccantem arguere: ſed clam & ſecreto, ne ſi diffametur, amiſſo pudore, obſtinatior in peccato perſeveret. Multi enim ſtudio boni nominis, & metu infamiæ a flagitiis coercentur; qui ſi publicatis vitiis videant ſe infamatos, quaſi rupto & abjecto verecundiæ fræno, toto impetu audacter ruunt in flagitia. Hinc fratrum accuſatores aſſimilantur Diabolo, de quo ſcribit S. Joannes: *Projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabant illos ante conſpectum Dei noſtri nocte ac die.* Itaque arguendus videtur Joſephus

quod

Digitized by Google

quod fratrum ſuorum crimina ad patrem detulerit.

Verum in ea delatione, & accuſatione nihil peccaſſe Joſephum, nec id malo animo egiſſe colligitur. I. Ex ipſius indole, quæ in tota hac hiſtoria, ſatis apparet candida, & ab omni ſimultate, ac malevolo animo prorſus alieno.

II. Ex eo quod non apud alios, fratres accuſavit, ſed tantum apud patrem, cuius erat filios emendare. Unde potius laudandus, quam arguendus eſt quod fratrum ſaluti ſtuduerit: imo culpandum fuiſſet illius ſilentium; ſi ipſo tacente fratres in criminibus perſtitiſſent.

III. Ex ipſius Jacobi patris exemplo, qui cum fuerit vir pius & prudens, Joſephum propter illam delationem non reprehendit, quod utique non omiſiſſet, ſi animadvertiſſet Joſephum perverſa voluntate fratres ſuos accuſaſſe; hoc eſt, vel ut parentem magis devinciret: vel ut fratres ſuos alienaret ab ejus affectu; quod ſæpe fit a pueris ex aliqua linguæ intemperie, & levitate animi, aut invidia in ſuos fratres.

Quod autem fraternam charitatem in eo facto non violaverit, inde conſtat. I. Quia nullo argumento probari poteſt Joſephum antea privatim & ſecreto fratres ſuos non admonuiſſe, quamvis de eo nihil expreſſe referat Moſes; neque enim omnia quæ geſta, vel dicta ſunt a Patriarchis, ipſe recenſet. *Deinde* licet concederetur illos non fuiſſe præmonitos; id referendum non eſset ad defectum charitatis; ſed ad diffidentiam auctoritatis, & eorum correctionis: potuit enim exiſtimare ſe ſuis a fratribus eſse deridendum & contemnendum propter juvenilem ætatem, nec non ipſos majore odio in eum exarſuros: quo in caſu correctionem omittere, prudentia eſt. Unde Salomon, Proverb. 9. *Noli arguere deriſorem, ne oderit te.*

Itaque non peccavit Joſeph fratrum ſuorum patri peccata denuntiando; quippe qui id non fecerit animo nocendi, ſed ſtudio corrigendi imo graviſſime peccaſset, ſi tacuiſſet: ſiquidem fuiſset in cauſa cur in illo crimine fratres perſeveraſsent, nec a patre fuiſsent reprehenſi, & meliorem in frugem recepti.

Poſtquam duo priora odii fratrum Joſephi in ipſum ſemina declaravit Moſes, altius conſcendit, nempe referre ipſum Joſephum admirabili Dei conſilio inter fratres unum electum fuiſse ad res maximas; idque ſomniis fuiſse præſignatum. Quæ cum ſimplici animo fratribus recitaſset, inde majoris invidiæ in eum jam conceptæ, & truculentioris odii fomes erupit.

Primum ſomnium ſumptum eſt ex rebus terreſtribus, ſpicis nempe & manipulis. *Patabam* (inquit ille fratres alloquens) *nos ligare manipulos in agro: & quaſi conſurgere manipulum meum. Quod ſomnium*, inquit Theodoretus quæſt. 93. *denotabat futuram, frumenti cauſa, adorationem: ſiquidem frumenti recipiendi gratia, fratres ſecundum prophetiam, eam adoraverant.*

Secundum vero ſomnium eſt a rebus cœleſtibus; & eamdem prædictionem continet, ſed ampliorem: quippe cum parentes etiam ipſius Joſephi complectatur ſub ſymbolo Solis & Lunæ: *Vidi* inquit, *per ſomnium, quaſi Solem, & Lunam, & Stellas undecim adorare me*: quæ cum audiiſſet Jacob, ait: *Num ego, & mater tua & fratres tui adorabimus te ſuper terram?* Quibus verbis apparet Jacobum ancipitem fuiſſe circa ſignificationem & eventum præfati ſomnii. Si enim certo crediiſſet Joſephum ſuis a fratribus aliquando adorandum, non ita facile crediiſſet eum a mala beſtia eſſe devoratum, ut finxerunt ipſius filii, ſicut refertur hic v. 31. & ſequentibus.

QUÆRITUR III.

Qua ratione conciliari poſſint quæ in præfatis ſomniis videntur pugnare.

TRia potiſſimum in utriuſque ſomnii recitatione minus cum eventu cohærere videntur. I. Quomodo videre potuerit Joſephus fratrem ſuum Benjamin manipulos cum aliis fratribus ligare, quia adhuc erat puerulus, & forte vagiebat in cunis? II. Qui fieri potuit, ut Jacobus, ſub ſolis ſymbulo, viſus ſit filium ſuum adorare, cum nullibi legatur iſtud ab ipſo factum? III. Quomodo inter futuros Joſephi adoratores recenſeatur ipſius mater, quæ ante relationem ipſius ſomnii e vivis exceſſerat?

Ad duas autem priores difficultates facilis eſt reſponſio. Ad primam quidem, quia eventus illius prædictionis ſeu ſomnii myſtici non ſpectabat præſentem, ſed futurum ſtatum Joſephi: frater porro Beniaminus, ut refertur, *cap.* 43. cum cæteris fratribus Joſephum adoravit. Igitur merito dici potuit ipſius manipulum cum ipſius fratrum manipulis coram Joſephi manipulo procubuiſſe.

Similiter Jacobus Joſephum filium veneratus eſt: quippe ut eodem, *cap.* 43. legitur, ei per filios, quos in Ægyptum miſit, Joſepho eum honorem detulit, quem ipſi tanquam Pro-Regi cæteri impendebant; ad ipſum enim miſit munera: *Sumite*, inquit v. 11. *de optimis terræ fructibus in vaſis veſtris, & deferte viro munera &c.* Inſuper cum interrogarentur ipſi Jacobi filii a Joſepho, quem tamen adhuc ignorabant, an pater ipſorum adhuc viveret; reſponderunt v. 28. *Soſpes eſt ſervus tuus pater noſter, adhuc vivit, & incurvati adoraverunt eum.* Sed ad tertium quod ſpectat, gravior eſt difficultas.

S. Auguſtinus ingenue fatetur ſe idoneum huius quæſtionis exitum ſecundum hiſtoricum ſenſum, non poſſe reperire: quamobrem totam hanc hiſtoriam dicit eſſe myſtice interpretandam: „ Niſi in aliquo myſterio, „ *inquit*, dictum hoc accipiatur, quomodo „ po-

„ poteſt intelligi de matre Joſeph, quæ jam erat mortua? Imo nec in Ægypro cum Joſeph ſublimaretur, putandum eſt ſomnium illud fuiſſe completum, quia nec pater eum adoravit, quando ad eum venit in Ægyptum; nec mater ejus adorare eum potuit, ut quæ iam olim vita fuiſſet defuncta. In Chriſti ergo perſona facile intelligi poteſt, etiam de mortuis, ſecundum illud quod dicit Apoſtolus: *Quia donavit ei nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu omne genuflectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.*

Hebræi Doctores, referente Rabbi Raſi, ut ab hac difficultate ſeſe expediant tria reponunt. *Primo* quidem, nullum eſſe ſomnium ſine verbis otioſis; unde contendunt adjectionem illam de Sole & Luna eſſe otioſam & vanam. *Secundo*, Jacobum data opera meminiſſe matris Joſephi, quam omnes obiiſſe noverant, ut ea ratione occurreret periculo, mitigaretque exaſperatos filiorum ſuorum in Joſephum animos; nimirum ut videntes quam abſurdum illud eſſet, quod jam demortua Joſephi mater coram ipſo procumberet; idem judicium facerent de aliis ſomnii partibus quæ ipſos ſpectabant; ſicque talia ſomnia pro nihilo ducerent. *Tertio* nomine *matris*, a Jacobo non intellectam Rachelem vita functam, ſed vel Balam Rachelis ancillam, quæ Joſephum inſtar matris educaverat: vel Liam, quæ defuncta Rachele, in Jacobi familia eminebat, appellabaturque mater-familias.

Contendunt aliqui Interpretes cum Oleaſtro, & Cajerano, aliiſque antiquioribus quorum verba refert Liranus; contendunt, inquam, vix eſſe adhuc Rachelem cum recitata ſunt illa ſomnia, ac proinde veridicum fuiſſe Jacobum, cum ait Joſepho: *Num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te ſuper terram?*

Verum, inquit Lyranus: „ Directe repugnat textui Scripturæ Rachelem tunc fuiſſe in vivis; nam in præſenti capite dicitur quod Joſeph miſſus fuit de Hebron a patre ad viſitandum fratres ſuos. Ex quo patet quod ibidem manebat Jacob quando Joſeph fuit venditus: & certum eſt quod ibidem manebat Iſaac quando Jacob venit ad eum, rediens de Meſopotamia, ut habetur ſupra, *cap.* 35. Ex quo patet quod Joſeph fuit venditus poſtquam Jacob venerat ad Iſaac patrem ſuum: & aliquo tempore manſerat juxta eum: ſed mater Joſephi mortua fuit antequam Jacob veniret ad patrem, ut habetur ſupra 35. *cap.* Ex quo patet Joſeph venditus eſt poſt mortem matris ſuæ. Item hic dicitur, quod Joſeph vidit in ſomnis Solem & Lunam & ſtellas undecim adorantes eum: & per undecim ſtellas intelligebantur undecim fratres ejus. Ex quo patet quod Benjamin, qui erat undecimus frater ſuus jam erat natus. Et certum eſt quod mater Joſeph mortua erat in partu Benjamin, ut habetur ſupra 35. *cap.* Et ſic patet, quod venditio Joſeph fuit poſt mortem matris ſuæ. Nec valet pro dicto contrario, quod venditus ſit ante mortem Iſaac 12. annis: quia per hoc non concluditur, quod Rachel adhuc viveret: quia ex Scriptura non habetur, quot annis Jacob ſteterit cum patre, poſtquam venit ad eum: nec ex alio loco Scripturæ poteſt concludi dictum eorum. *Ita Lyranus.*

Hanc Lyrani ſententiam approbat & confirmat Pererius, exponendo omnes Jacobi manſiones a ſuo e Meſopotamia exitu, uſque ad ipſius acceſſum ad patrem: „ Profectus, *inquit*, ex Meſopotamia dicitur, Geneſ. 31. veniſſe in montem Galaad; ibique comprehenſus eſſe a Laban. Hinc venit ad locum nominatum Mahanaim, Geneſ. 32. Inde venit in Bethel. Ex hoc loco egreſſus venit ad terram, quæ ducit Ephratam, ſive Bethlehem; & ibi Rachel, in ortu Benjamin, egit animam. Egreſſus inde Jacob, fixit tabernaculum trans Turrim gregis; Ex quo loco diſcedens, denique venit ad Iſaac patrem ſuum, in Mambre, civitatem Arbe, quæ eſt Hebron. Hæc autem omnia diſertis verbis ita ut a me commemorata ſunt, in 35. *cap.* huius libri prodita ſunt. Intelligit, opinor, lector ex hac brevi deſcriptione Itineris Jacob ex Moſopotamia in urbem Hebron, Rachelem eſſe mortuam priuſquam Jacob veniſſet in urbem Hebron: &c. *Hæc ille.*

Unde concludit pleniſſimam fore illius ſomnii ſententiam & interpretationem, ſi dicatur hoc ſomnio ſignificatum eſſe, Joſeph evectum iri ad tantum dignitatis & poteſtatis faſtigium, ut comparatione conditionis & ſtatus, in quo erant fratres & parentes ejus, ab illis merito adorabilis & adorandus foret. In tantum enim Rex Ægypti honoris ac potentiæ extulit Joſephum, ut ipſum honorari & adorari juſſerit ab omnibus etiam Principibus Ægyptiorum.

Itaque ſicut fratres ejus, cum in Ægypto, adiiſſent illum, neſcientes eſſe Joſeph, maxima ſubmiſſione & reverentia ipſum adoraverunt ſic quoque pater ejus, ſi conveniſſet eum in Ægypto, ignorans eſſe filium ſuum Joſeph, procul dubio venerabundus adoraſſet eum. Idemque dicendum eſt de matre ejus Rachele, ſi tum vixiſſet; Vel de aliis uxoribus Jacob, quas nonnulli putant nomine *matris* eſſe appellatas. Portendebatur igitur eo ſomnio tanta honoris, & imperii Joſeph ſublimitas futura, ut habito ejus reſpectu & ratione, venerandus & adorandus foret non ſolum ab hominibus, qui eſſent ejuſdem conditionis, cujus erant fratres, & parentes ejus; ſed ab aliis etiam longe honoratioris & præſtantioris conditionis. Ita Pererius &c.

At S. Chryſoſtomus exponens hæc verba Geneſis, cap. 47. v. 31. *Adoravit Iſrael Deum, converſus ad lectuli caput*; quæ LXX. Interpretes, & S. Paulus ſic referunt: *Adoravit Iſrael ad faſtigium virgæ ejus.* Cum dixiſſet, *vide Senem, decrepitum, Patriarcham, adoratione honorem in Joſeph declarare & reipſa implere viſionis eventum. Quando*

enim

enim narravit Joſeph viſionem: Dixit, inquit, *nunquid ego, & mater tua veniemus, & adorabimus te ſuper terram?* Deinde inquirens, Quomodo impletum eſt ſomnium in matre quæ jam ante defuncta erat, & filium non adoravit? Reſpondet: *Perpetuus Scripturæ mos eſt, a magis principali totum ſignificare. Quoniam igitur caput mulieris vir* (erunt, inquit, duo in carne una) *tam adoravit caput, manifeſtum quod corpus totum caput ſequebatur. Si enim pater hoc fecit, multo magis illa, niſi ex hac vita prærepta fuiſſet, hoc feciſſet.* Quibus verbis ſignificat Jacobum adoraſſe Joſephum, non quidem illius perſonam; ſed eminentem in eo Regiam dignitatem; atque una cum ipſo, virtute ſaltem, ſi non actu, idem a Rachele fuiſſe præſtitum. Cui expoſitioni ſubſcribo.

At, inquies, quorſum hæc ſomnia immittuntur Joſepho, qui ea non intelligit?

Reſpondeo, id factum eſſe multis de cauſis. I. Ut ipſi ac fratribus, necnon & patri deinceps conſtaret, non caſu, ſed divinitus ad dominium Ægypti illum eſſe evectum. II. Ut argumentum eſſent omnia Dei conſilia & decreta, invitis ac repugnantibus licet hominibus, effectum ſortiri; juxta illud Iſaiæ 46. v. 10 *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.* III. Quia prævidebat Deus quod illa ſomnia ſomitem præberent odio fratrum in Joſeph, quo magis inflammarentur ad eum perdendum, & vendendum in Ægyptum; ſicque divinæ diſpoſitioni etiam neſcii, & præter voluntatem inſervirent.

Pergit Moſes enarrare truculentum Jacobi filiorum in fratrem ſuum Joſephum odii eventum. Cum enim hic mandatum excepiſſet a patre inviſendi fratres ſuos, & referendi eorum ſtatum, prompto & alacri animo pertexit eos inquirere. Cum autem non inveniſſet eos in regione Sichimorum, quæ ab Hebrone diſtabat circiter duodeviginti leucis; audiiſſetque ab homine, vel, ut aliqui volunt, ab Angelo ipſi in agris erranti occurrente, illos cum grege abiiſſe in Dothain, totidem leucis a Sichimis diſſita, illuc celeriter contendit.

Cum vero eum eminus vidiſſent fratres, quiſque eſſet agnoſcentes ex tunica polymita, hoc eſt diverſi coloris, qua ipſum prædilectionis cauſa induerat pater; invicem convenientes, conſilium ineunt de ipſo tollendo. Tria itaque proponunt. I. Cædem innocentiſſimi fratris. II. Cadaveris ejus dejectionem in ciſterna veteri. III. Qua ratione apud patrem factum illud a ſe perpetratum amoverent, deferendo & mittendo ſcilicet ipſius Joſephi tunicam laceratam, & ſanguine tinctam per nuntium qui diceret, illum a fera peſſima eſſe devoratum. Et ne quid ad ſceleris atrocitatem deeſſet, ad hunc inſultabundi: *Tunc apparebit quid illi proſint ſomnia ſua:* Quibus verbis non tantum Joſephum, ſed etiam ipſum Deum petunt. At, inquit S. Gregorius, *Inde voluntatem Dei peragunt, unde hanc immutare contendunt; & omnipotentis conſilio dum reſiſtere nituntur, obſequuntur: quia ſæpe & hoc ejus diſpoſitioni apte militat, quod ei per humanum ſtudium frivole reſultat.*

Tam horrendi facinoris atrocitate commotus Ruben eorum major natu, fratres ab immani illo flagitio deterrere conatur, eis ſuadendo, ut Joſephum vivum in ciſternam veterem proiicerent, manuſque ſuas ab effuſo fraterno ſanguine ſervarent innoxias. *Hoc autem*, inquit Moſes, *dicebat volens eripere eum de manibus eorum & reddere patri ſuo.*

Quo autem animo conſilium iſtud dederit Ruben, qui omnium nequiſſimus extiterat; quippe qui effræni libidine & inceſtu patris cubile fœdaverat? incertum eſt. Potuit id ſibi proponere. I. Ut ſervata Joſephi vita, & eum patri ſalvum ac incolumem reſtituendo, patrati ſceleris veniam obtineret, & illud e memoria patris oblitteraret. II. Potuit etiam ſibi metuere ne qui ſemel in infando crimine fuerat deprehenſus, ſi Joſephi trucidatio in notitiam patris veniret, culpa præcipue ei imputaretur; quippe cum natu major, ſua auctoritate alios reprimere debuiſſet. III. Quod prioris admiſſi criminis pœnitens, & ut credebat veniam a Deo conſecutus, noluit altero non minus atroci ſcelere contaminari.

Utcumque res ſe habeat, hæc tamen humanitas quam in fratre liberando præſtitit, teſtis eſt non fuiſſe projectum ad omnia ſcelera. Non auſus eſt quidem palam ſe opponere peſſimæ fratrum voluntati, neque a ſcelere dehortari; quia videbat rationibus non eſſe locum ad eos mitigandos: ſed ad barbaros eorum affectus ſermonem accommodans, ſatis judicavit præſentem illorum impetum hoc artificio reprimere.

Illi itaque truculentiores feris, quæ Joſepho in deſertis erranti pepercerant, ſtatim ac innocens ille in eorum manus venit, exuunt illum tunica polymita, & demittunt in profundam cavernam, eo animo ut ibi fame periret. *O crudelitatem!* (inquit S. Chryſoſtomus, homil. 61.) *o inhumanitatem! ille quidem tantum itineris confecerat, & tanto ſtudio de eis inquiſierat, ut videret & annunciaret patri quomodo ſe haberent res illorum; iterum illi quaſi alieni, & barbari & inhumani, quia conſuluerat eis Ruben, ne effunderent ſanguinem, fame occidere volebant. Sed benignus Deus ſtatim eum liberavit ab inſania fratrum.*

Judas enim, eorum fratrum unus, videns Iſmaelitas mercatores tranſeuntes, dixit fratribus: *Quid nobis proderit ſi occiderimus fratrem noſtrum, & celaverimus ſanguinem ipſius? melius eſt ut venundetur Iſmaelitis, & manus noſtræ non polluantur.* „O iniquam permutationem! (*inquit ibidem S. Chryſoſtomus*) „o damnoſum lucrum! o injuſtam venditionem! Eum qui vobis ſanguine conjunctiſſimus erat, quem pater maxime amabat, „qui ad viſendum vos venerat, qui nunquam vos, vel in parvo, vel in magno „offenderat, vendere attentatis? & vendere hominibus barbaris, & in Ægyptum „deſcendentibus? Quæ tanta inſania? quæ „invidia? quis livor? &c.

QUÆ-

Digitized by Google

QUÆRITUR IV.

Qua ratione Moſes dixerit Joſephum venditum Iſmaelitis, ac Madianitis.

ISmaelitas & Madianitas diverſos eſſe populos certiſſimum eſt. Madianitæ namque ortum ducebant a Madian filio Abrahami ex Cethura; Iſmaelitæ vero ab Iſmaele ejuſdem Abrahami filio ex Agara. Qui ergo fieri potuit, ut diverſæ nationis, & regionis populis venderetur Joſephus? hunc nodum ut ſolvant aliqui Interpretes, dicunt Joſephum bis fuiſſe venditum. I. Quidem Iſmaelitis, ſed cum ab eis neglecta fuiſſet emptio, fuiſſe conſignatum Madianitis, qui circa hujus capitis finem, dicuntur ipſum vendidiſſe Putipharo Eunucho Pharaonis, magiſtro militum.

S. Auguſtinus hanc difficultatem proponit quæſt. 124. in Geneſ. eamque ſolvit dicendo; Iſmaelitas & Madianitas, utpote ex eodem parte Abrahamo prognatos, pro una eademque gente reputari.

Verum tametſi Scriptura ſacra plerumque nominibus Iſmaelitarum, & Madianitarum promiſcue utatur, quod ab eadem ſtirpe prodierint; quodque eamdem Arabiæ regionem incolerent, unde a Philone & Joſepho dicuntur *Arabes*; nihilominus erant diſtincti populi: qui tamen cum eſſent vicini, commerciique ſocietatem iniviſſent; in alias regiones mercimonii cauſa, juncto mutuo comitatu, pergebant. Horum itaque turmam cum tranſeuntem vidiſſent Joſephi fratres, illum e ciſterna eductum eis vendiderunt. Cum autem illis merces eſſent communes, inde eſt quod tam Iſmaelitæ, quam Madianitæ promiſcue dicuntur Joſephum emiſſe & vendidiſſe.

Interea Ruben, ut quod cogitaverat in Joſephi ſalutem, impleret; ſimulato aliquo negotio, ſe ſubduxerat e fratrum conſpectu, & iſti venditioni non interfuerat, nihilque de ea audierat; quod forte per diverſum iter & per ambages ad ciſternam pergeret. Unde cum Joſephum in ea non inveniſſet, ſciſſis veſtibus præ dolore ad fratres reverſus ejulans ait: *Puer non comparet, & ego quo ibo?*

Ut autem, qui eum vendiderant, tanti ſceleris ſuſpicionem a ſe averterent, exequuntur quod excogitaverant commentum; Joſephi tunicam polymitam hœdi ſanguine tinctam & laceram mittunt ad patrem, per unum e ſervis, qui non erat ſceleris conſcius. „ O inſenſati (*inquit S. Chryſoſtomus*) „ licet patrem illum decipere poſſitis, non „ tamen falletis judicem illum qui decipi ne„ quit: non ignorabit oculus ille qui nun„ quam dormitat, quem maxime omnium „ formidare oportebat *&c.* Audito autem „ tam lugubri tamque funeſto nuntio, & viſa Joſephi tunica ſanguine maculata, adeo Jacobus perturbatus & dejectus fuit animo, ut nulla facta inquiſitione ſtatim pronuntiaverit, filium ſuum a fera devoratum.

At, inquies, nonne Jacob erat Propheta? Prophetam autem quid occultum latet? Erat quidem; ſed penes Prophetam non eſt pro ſuo nutu, & quo voluerit tempore, vel occulta noſſe, vel futura prævidere; non enim ſemper Prophetis adeſt ſpiritus propheticus: ſed Deus illum eis largitur quoties judicat expedire. Certe ſi Jacobus noviſſet quid factum fuerat, & quid circa Joſephum erat futurum, non tanto mœrore fuiſſet oppreſſus: *Adeo ut*, inquit Moſes, *noluerit conſolationem accipere, ſed ait: deſcendam ad filium meum lugens in infernum.*

QUÆRITUR V.

Utrum ingens ille mœror, & luctus in Jacobo non fuerit culpandus.

NOn abs re quis mirabitur quomodo Jacobus, qui plurimis in tentationibus & anguſtiis abſque ulla querela tot heroicæ patientiæ præbuerat argumenta, tanto dolore in unius filii jactura fuerit abreptus, ut omnem reſpuerit conſolationem; maxime cum undecim alios filios haberet ſuperſtites. Nihil enim minus conſentaneum eſt viro piiſſimo, quam ut ſciens & volens dolori indulgeat, & triſtitiam ſponte alendo, aliquatenus adverſus Deum inſurgat.

Verum non dubito quin Jacobus, etiamſi humana ſolatia reſpuit, ſe ex corde ſubmiſerit Deo, quem toties expertus fuerat in adverſitatibus propitium. Nec aliunde culpandus erat ejus dolor; graves enim erant cauſæ ob quas naturæ vim inferre non debuit, nec humanos patris affectus erga dilectiſſimum filium exuere quem eximia indoles, & virtutes egregiæ præ cæteris faciebant chariſſimum. Accedit quod ingenti illo mœrore perſtringere voluerit filiorum animos, & damnare malævolam ipſorum erga Joſephum voluntatem; quem unum pluris ſibi illis omnibus fuiſſe demonſtrat.

Quid vero ſignificare voluerit illis verbis: *Deſcendam ad filium meum lugens in infernum* gravis eſt inter Interpretes controverſia. Plurimi enim, maxime Proteſtantes, contendunt vocem שאול *Sceol* qua hic utitur Moſes, non aliud ſignificare, niſi *foveam* ſeu *ſepulchrum*; Quibus conſentiens Cajeranus, ait: Dictio interpretata *infernum*, foſ„ ſam, ſeu ſepulchrum ſonare dicitur; & „ hoc quadrat ſenſui germano. Manifeſta„ tur enim quid fuerit Jacob tenuere con„ ſolationem, videlicet velle perſeverare in „ luctu uſque ad tempus ſepulturæ propriæ: „ hoc enim ſignificatur dicendo: Deſcendam triſtis in ſepulchrum, ad filium meum jam defunctum eundo. Eadem eſt plurium Catholicorum Doctorum ſententia.

Ve-

Verum probabilior eſt expoſitio Lyrani, qui cum dixiſſet ab Hebræis illa Joſephi verba explicari de fovea vel ſepulchro, addit: „ Carholici autem melius exponunt di„ centes: in infernum, id eſt, ad Limbum „ ſanctorum Patrum; qui locus eſt ſuperior „ pars inferni. Eadem fuit S. Hieronymi „ ſententia: nam Epiſt. ad Dardanum, præ„ ſatum Geneſis locum laudans, ait: *Hæc eſt terra viventium, in qua ſanctis Viris, atque manſuetis bona Domini præparantur, quam ante adventum in carne Domini Salvatoris, nec Abraham, nec Iſaac, nec Jacob, nec Prophetæ, & alii viri juſti conſequi potuerunt. Denique & Abraham licet diverſis locis, cum Lazaro videatur apud inferos: & Jacob vir juſtus dicit, lugens & gemens deſcendam ad infernum*, ad diverſum ſcilicet ac diſcretum ab aliis, Abrahæ reliquorumque Juſtorum locum.

Ipſi adſtipulatur S. Auguſtinus lib. 20. de Civit. Dei cap. 15. Ubi affirmat animas Sanctorum ante Chriſti Domini reſurrectionem fuiſſe in inferno, loco tamen ab impiorum tormentis remoto: *Non abſurde*, inquit, *credi videtur antiquos etiam Sanctos, qui venturi Chriſti tenuerunt fidem locis tamen a tormentis impiorum remotiſſimis, ſed apud inferos tamen fuiße; donec eos inde ſanguis Chriſti, & ad ea loca deſcenſus erueret*. Itaque Jacobi verborum ſenſus eſt. Propter hanc acerbiſſimam filii mei iacturam, ingenti mœrore confectus e vivis excedam, pergamque ad eum locum, ubi iam filius meus Joſeph requieſcit cum SS. hominibus vita functis.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XXXVIII.

DUm in Ægyptum abducitur Joſephus, Jacobus eius pater exiſtimans eum mortuum mœrore conficitur, Moſes quaſi per parentheſim hoc in capite initum enarrat a Juda eum Chananæa coniugium. Ex quo tria occurrunt maxime Judæis prubro vertenda. I. Quod Judas connubium inierit cum Chananæis a Deo reprobatis, & Jacobo inviſis. II. Quod ex illa uxore Chananæa duo priores ſuſcepti filii, fuerint peſſimi, & propter eorum improbitatem a Deo fulminati. III. Quod Judas ipſe rem habuerit cum Thamara, nuru ſua quam ſcortum exiſtimabat.

QUÆRITUR I.

Cur prætermiſſis aliorum patriarcharum conjugiis, & Genealogiis, unius Judæ proſapiam referat Moſes.

REſpondeo id factum eſſe ex peculiari ſancti Spiritus inſtinctu, & multiplici de cauſa. I. Cum Jacobo facta fuiſſet divina promiſſio quod ex eius proſapia divinum ſemen exurgeret, hoc eſt, Meſſias eſſet futurus mundi ſalus; & in quo benedicendæ erant omnes Gentes: Judamque inter duodecim fratres elegiſſet Deus, ex cuius familia divinus ille Salvator eſſet oriundus; operæ pretium erat, ut quamvis aliorum Patriarcharum prætermiſſæ ſint genealogiæ, Judæ proſapia deſcriberetur, ut conſtaret ex quibus ſecundum carnem ortum duceret Chriſtus Dominus. Inde eſt quod etſi Judas ex duabus mulieribus prolem ſuſceperit; attamen, qui ex legitima proceſſerunt filii, primas non obtinuerunt in eius Tribu; neque ex earum ſerie prodiit Chriſtus: ſed ex iis qui orti ſunt ex inceſtu ipſius Judæ cum Thamara.

II. E re divinæ providentiæ erat, notum facere Judæis ex quibus originem ducerent, nempe ex primordiis fœdiſſimis, & maxime pudendis ac probroſis, ut deprimeretur eorum arrogantia de ſui generis claritate inaniter gloriantium. Nam licet ex inceſtuoſo concubitu prodiiſſent; nihilominus, referente S. Joanne cap. 8. non puduit eos dicere Chriſto Domino: *Nos ſemen Abrahæ ſumus; & nemini ſervivimus unquam*: Et Paulo infra: *Nos ex fornicatione non ſumus nati*. Quod utrumque effatum, manifeſtum erat mendacium; nam & ſæpiſſime in captivitatem abducti ſervierunt Gentibus: & nobiliſſima inter eos Tribus, quæque plures ex eadem ſtirpe Reges dedit, ex alienigena muliere, & ex inceſtu nurus cum ſocero prodiit.

III. Conducebat hæc hiſtoria ad commendandam Chriſti Domini humilitatem, & miſericordiam, qui, ut manifeſtum faceret ſe non veniſſe vocare iuſtos, ſed peccatores; ex proavis maxime peccato inquinatis naſci voluit.

Unde conſulto Moſes hoc in capite triplex grande enarrat Judæ peccatum: *Primum*, quod a fratribus receſſerit: *Secundum*. quod uxorem duxerit Chananæam: *Tertium*, quod rem habuerit ſua cum nuru Thamara. Peccavit, inquam. I. recedendo a patre: *Eodem tempore*, inquit Moſes, *deſcedens Judas a fratribus ſuis* &c. Prius dixerat conveniſſe omnes Jacobi filios, ut patrem de filii ſui Joſephi morte lugentem conſola-

ren-

rentur; cur autem Judas a fratribus receſſerit, Lyranus noſter ex Hebræorum traditione cauſam ſic refert: „ Dicunt, *inquit* Hebræi quod filii Jacob videntes patrem inconſolabiliter afflictum eo quod credebat Joſeph eſſe mortuum, cœperunt eſſe moleſti Judæ, eo quod dediſſet conſilium de eius venditione, dicentes ei: ſi conſuluiſſes eum totaliter dimittendum, acquieviſſemus tibi tanquam principaliori: maxime, quia ſedata paſſione iræ in nobis, fuiſſemus ei compaſſi; & ſic redditus fuiſſet patri. Propter quod Judas declinans a fratribus ſuis contraxit cum aliis amicitiam, & inde accepit uxorem. *Ita Lyranus*. Ex quibus apparet peccaſſe Judam contra inſitam a natura hominibus obſervantiam erga parentes, cum patrem ingenti mœrore confectum abſque ſolatio deſeruerit.

Peccavit II. Ineundo coniugium cum Chananitide; neque enim erat neſcius Chananæos Gentem eſſe a Deo maledictam: ac propterea patrem & avum ſuum a parentibus juſſos non aſſumere conjuges ex illa reprobata Gente; ſed ex ſua proſapia, tametſi longe diſſita. Inde eſt, quod etiam ex tali conjugio orti fuerint peſſimi homines, & a Deo fulminati. Ex illa enim conjuge Chananæa Judas ſuſcepit tres filios, ſcilicet Her, Onan, & Sela: *Her* (inquit Moſes) *primogenitus Judæ, nequam in conſpectu Domini & ab eo occiſus eſt*. De duobus aliis dicemus infra.

III. Graviſſime peccavit in Thamar nurum ſuam; idque multis modis. *Primo*, Quod illam induxerit, ut mortuo Here filio ſuo primogenito, ob impietatem divinitus occiſo, alteri ſuo filio nomine Onan nuberet; res hactenus inaudita. Quod enim Philo lib. de nobilit. ſcribit illam ad has nuptias adſtrictam ex decreto judicum illius regionis Chananitidis, prorſus commentum eſt: Moſes enim diſtincte pronuntiat id factum eſſe ex præcepto Judæ, qui Onano filio ſuo dixit: *Ingredere ad uxorem fratris tui, & ſociare illi, ut ſuſcites ſemen fratri tuo*. Id quidem deinde præceptum fuit a Moſe. *Deuter. cap.* 25. *v.* 5. Verum id temporibus Judæ nondum erat in uſu apud fideles, nullum enim a mundo condito extabat illius leviratioṅis exemplum.

Secundo, Peccavit in eam quod etiam divinitus extincto peſſimo illo Onano, quia ne liberi fratris nomine naſcerentur, congrediens cum Thamara ſemen fundebat in terram, Judas illam varia ſpe lactaverit, illi dicendo: *Eſto vidua in domo patris tui, donec creſcat Sela filius meus*; qui fortaſſis tunc erat circiter annorum duodecim. Verebatur enim ne ſi tam cito nuberet, ipſe quemadmodum fratres ejus, celerius periret. *Tertio*, Injuſtitia, quod illam ſua e domo relegat cum ignominia ad domum patris ſui, quaſi jam ipſi alienam. *Quarto*, Infidelitate, quippe cum Sela matrimonio jam aptum, non Thamaræ, ſed alteri uxori junxerit. *Quinto*, Denique inceſtu, dum rem habuit cum ipſa Thamara nuru ſua, putans illam eſſe ſcortum.

Hæc enim, ut vidit ſe a Juda deluſam, plurimis jam exactis viduitatis ſuæ diebus, cum audiſſet Judam paratum ire ad tonſores ovium ſuarum, ut ſe a luctu propter mortuam uxorem ſuam tantillum recrearet, hæc, inquam, transformavit ſe in ſcortum, depoſito videlicet viduitatis ſuæ lugubri habitu, & aſſumpta tenui veſte, qua æſtate utebantur mulieres Palæſtinæ, atque velata facie, ne agnoſceretur, perrexit in bivium, qua neceſſe erat Judam tranſire undecumque veniret. Eam Judas, meretricem ratus, veſana libidine accenditur, concubitum poſtulat, pretium hœdum offert, pignus poſtulatum dat; ſcilicet annulum ſignatorium, & pallium ſeu vittam pretioſam, necnon & baculum vel pedum paſtorale, & cum illa congreditur. Ex quo concubitu illa fit gravida; atque infandi criminis cum ipſo Juda rea.

Non me latet a nonnullis e SS, Patribus utrumque excuſari; Judam quidem, quod neſcivit eſſe nurum. Verum in ipſo errore grande peccatum fuit, quia voluntarius erat; ſua quippe culpa neſcivit; facile enim reſcire potuerat quænam illa eſſet, ſi cæco pravis libidinis impetu non fuiſſet abreptus. Adde quod neque cum ſcorto congrediendum naturali & poſitiva divina lege prohibitum ſit.

Thamaram S. Chryſoſtomus [a], S. Ambroſius [b], Theodoretus [c] nituntur excuſare a peccato, duplici ratione. 1. Quod non affectu veſanæ libidinis, ſed honeſto prolis amore incenſa, corporis ſui Judæ copiam fecerit: *Neque enim*, ait Theodoretus, *poſtea Judæ aut alicui alteri copulata eſt: ſed contenta fuit vocari mater eorum, qui ex illo ſemine naſcerentur*. 2. Quod in hoc opere ſervivit divinæ diſpenſationi qua ſanxerat Deus, ut Chriſti generatio ex Juda per Pharen Thamaræ filium fieret.

[a] *Hom. 62. in Geneſ.*
[b] *Lib. 3. in cap. 3. S. Lucæ.*
[c] *Quæſt. 95. in Geneſ.*

Verum, ſalva tantis Eccleſiæ Doctoribus debita veneratione, veriſimilius dicendum arbitror cum S. Auguſtino Judam graviſſime eo in facto peccaſſe, nec Thamaram pariter a crimine fuiſſe immunem; tametſi minus quam Judas videatur culpanda; nam, ait S. Aug. melius quidem ſine filiis remaneret, quam ſine vero matrimonio mater fieret. Unde etiam S. Chryſoſtomus Thamaram non ab omni labe prorſus excuſat: nam homil. 1. in 3. cap. S. Matth. Thamaram & Bethſabeam, appellat *mulieres de peccato celebratas*. Commixtionem quoque Thamar cum Juda vocat *adulterium*, homil. 3. exponens enim illa verba: *Judas genuit Phares & Zaran de Thamar*, ait: *Quid agis o homo? quid nobis talis recordationem refers hiſtoriæ qua adulterium turpe continetur?*

Tandem graviſſime peccavit Judas in Thamaram, dum audiens illam eſſe gravidam, juſſit ex domo paterna ad ſe adduci: *Producite*, inquit, *eam ut comburatur*. v. 24. ſententia enim hæc fuit prorſus iniqua. 1. Quod inauditam damnat, ſtatim atque audivit illam eſſe gravidam. 2. Quod nullam habuerit rationem fœtus quem erat enixura: hoc autem adverſabatur humanitati; debuerat

enim

enim ſupplicium differre donec illa peperiſſet, ne fœtus innocens cum rea matre periret. 3. Quia nullum jus ad capitalem illam ſententiam ferendam videtur habuiſſe: eam enim protulit vel ut judex, vel ut pater-familias: oon ut Judex, quia oon legitur ipſum aliqua, vel principis, vel magiſtratus auctoritate in illa regione fuiſſe poritum; ut vero pater-familias, poteſtatem non habuit de alicujus vita decernendi.

4. Denique quod ſententia illa modum excedebat; neque enim ſimplex fornicatio cujus Thamaram ream exiſtimabat Judas, tam gravi ſupplicio, quale eſt vivam comburi, erat punienda. Statuitur quidem *Levit. 21. v. 9.* filiam Sacerdotis fornicatam, igne comburendam: unde Judæi Thamaram fingunt fuiſſe filiam Sacerdotis Sem: ſed putidum eſt commentum Rabinicum: nam Sem ante inceſtum Judæ annis 145. mortuus fuerat; quomodo ergo Thamar juvencula ejus filia eſſe potuit? Unde verba Judæ ſunt hominis præcipitati judicii, atque injuſte damnantis miſeram, ut pereat horrendo mortis genere, propter contumeliam ſibi & familiæ ſuæ illatam; perſuaſus forte quod hac oblata opportuna occaſione tolleret eam e medio, ne amplius ipſi propter negatum Selæ connubium fieret moleſta.

Neque his obſtat quod Jacobus Patriarcha teſtamentum condens, ſuiſque filiis ventura prædicens, cæteris prætulerit Judam, & felicioribus auſpiciis illum commendaverit. Inſuper quod a Deo electus fuerit ut ex ejus ſtirpe Meſſias naſceretur: inde namque inferre non licet illum fratribus fuiſſe innocentiorem: non enim propterea ab adulterio, homicidio, ſuperbia, ac vanitate immunis dicendus eſt David, quod poſtmodum ampliſſimis encomiis in Scriptura ſacra commendatur.

Neque putandum eſt S. Petrum graviſſime non peccaſſe dum Chriſtum Dominum abnegavit, quod poſtea princeps Apoſtolorum, ſimulque Eccleſiæ paſtor ac rector a Chriſto fuerit inſtitutus &c. Non enim priora hominum peccata rite per pœnitentiam expuncta Deum removent a conferendis ipſius beneficiis: quin etiam perſæpe pravis illorum facinoribus utitur ad divinæ ſuæ miſericordiæ & munificentiæ commendationem; ſicut uſus eſt neſario iſto Judæ concubitu, ut ex ipſo natus Phares, unus eſſet ex Chriſti Domini majoribus. Videant itaque Judæi quam habeant occaſionem & anſam, ut de ſuls parentibus tantopere glorientur.

QUÆRITUR II.

Quonam tempore contigerint ea omnia quæ de Juda relata ſunt.

POſt narratam benedictionem Joſephi, illiuſque in Ægyptum abductionem, capur 38. ſic orditur Moſes: *Eodem tempore* &c. quibus verbis ſignificare videtur ea omnia quæ de Juda dicturus erat tum temporis fuiſſe peracta.

Verum quominus hæc ita intelligenda ſint, obſtat rerum hoc in capite narratarum ſeries. I. Namque refertur ipſius Judæ a fratribus e domo paterna diſceſſus, & acceſſus ad Hiram præfectum Odollamitidis oppidi ſupra Hebron verſus Orientem, cujus opera & ſuaſu uxorem duxit nomine *Suam*, origine Chananæam, patre Jacobo inconſulto, forte etiam invito. II. Conceptus & partus trium filiorum, non quidem ſimul, ſed ſucceſſive, ut indicat Moſes his verbis, v. 3. *Quæ concepit, & peperit filium, vocavitque nomen ejus Her. Rurſumque concepto fœtu natum filium vocavit Onan. Tertium quoque peperit, quem appellavit Sela:* Ac proinde tres illi nonniſi per triennium naſci potuerunt. III. Oportuit tres illos filios adoleviſſe, & natos eſſe ad minus tredecim annos priuſquam matrimonio fierent apti. IV. Duo priores ſucceſſive nupſerunt Thamaræ; quibus divinitus extinctis, juſſa eſt a Juda Thamar repetere paternam domum, donec adoleſceret Sela. V. *Evolutis autem multis diebus, mortua eſt ſua uxor Judæ: qui poſt luctum conſolatione ſuſcepta, aſcendit ad tonſores ovium ſuarum.* v. 11. & 12. animi ſcilicet relaxandi cauſa. VI. Thamar nacta hanc occaſionem, ſcortum ſe ſimulans, a Juda concepit Phares & Zara. VII. Hos oportuit adoleviſſe & matrimonio junctos priuſquam Jacob cum univerſa ſua familia deſcenderet in Ægyptum; nam cap. 46. v. 12. inter deſcendentes numerantur Heſron & Hamul filii Phares. Hæc autem omnia non videntur potuiſſe peragi intra 23. illos annos qui interceſſere a venditione Joſephi ad illum Jacobi cum ſua familia deſcenſum in Ægyptum.

Quod autem non plures quam 23. anni interceſſerint, manifeſtum fit; nam Joſeph agebat annum ætatis ſuæ 16. aut 17. inchoabat, dum fuit venditus. Geneſ. 37. v. 1. At natus erat 30. dum ſtetit coram Pharaone, cap. 41. v. 46. His ſucceſſere ſeptem anni ubertatis, & duo ſterilitatis priuſquam Jacob ad Ægyptum accederet; Joſeph enim præcipiens fratribus ut patrem illuc adducerent, dixit: *Adhuc quinque anni reſidui ſunt famis*. cap. 45. v. 11. Igitur Jacob non intravit in Ægyptum niſi circa finem ſecundi anni ſterilitatis, vel in initio tertii.

Ex quibus conficitur a venditione Joſephi ad illum ingreſſum tantum 23. effluxiſſe annos. Qui autem fieri potuit ut tam modico tempore Judas uxorem duxerit, treſque filios ex illa ſucceſſive genuerit: deinde ex Thamara multis poſt hæc diebus ſuſceperit Pharem, qui etiam ante illum deſcenſum genuerit Heſron & Hamul? Neque enim eorum quiſque potuit eſſe aptus connubio & filios gignere, ante annum ætatis ſuæ 13. aut 14.

Hunc nodum ut ſolvant Interpretes, communiter reponunt omnia quæ hoc capite narrantur, contingere potuiſſe intra viginti tres illos annos qui a venditione Joſephi ad ingreſ-

Digitized by Google

greſſum Jacobi in Ægyptum, numerantur: quod ut aſtruant, dicunt duos filios Phares, *Heſron* & *Hamul*, qui memorantur *Geneſ.* 46 cum ingredientibus in Ægyptum, non fuiſſe natos ante, ſed poſt illum ingreſſum; numerati vero cum ingredientibus; quia etſi non per ſe immediate, per ſuos parentes dici poſſunt ingreſſi. Eodem ſenſu, quo Moſes, recenſitis Liæ filiis, & nepotibus, ſubdit eos genitos fuiſſe in Meſopotamia; quod tamen falſum eſt de filiis Judæ, Ruben, Simeonis, & Levi, qui geniti ſunt in terra Chanaan. Cum enim Jacob ex Meſopotamia diſceſſit, Ruben erat annorum tredecim, Simeon duodecim, Levi undecim, Juda decem, in qua ætate non eſt credibile jam ab eis filios genitos eſſe: quam fortaſſe ob cauſam ſupra *Geneſ.* 35. ubi recenſetur progenies Jacob, ſoli numerantur ejus filii, quorum nullus nominatur filius.

Ergo quod dicitur de filiis & nepotibus Liæ, ab ea genitis in Meſopotamia, interpretandum eſt de filiis quidem Liæ, per ſe atque immediate. de nepotibus autem ejus, mediate & in eorum patribus, qui nati fuerant in Meſopotamia. Ad hunc ſcilicet modum ſolvit quæſtionem iſtam S. Auguſtinus, quæſtione 151. in Geneſ. *Magna*, inquit, *quæſtio eſt, quomodo triginta tres animæ ex Lia genitæ fuerint in Meſopotamia: niſi quia illa locutio confirmatur, tanquam ibi omnes ortæ ſint quarum parentes ibi orti ſunt.*

Quod autem inter eos, qui dicuntur ingreſſi in Ægyptum una cum Jacobo, aliqui nondum eſſent nati, probat Pererius ex recenſione decem filiorum Benjamini, qui pariter cum ingredientibus numerantur, ſecundum textum Hebraicum, & Latinam verſionem; quos tamen omnes non fuiſſe a Benjamino proxime genitos, ſed quoſdam fuiſſe nepotes, ac pronepotes ejus, conſtat ex verſione ſeptuaginta Interpretum.

Verum huic ſententiæ repugnant Moſis verba *Geneſ. cap.* 46. Ubi diſtincte referuntur filii & nepotes Jacobi nati in Meſopotamia, in Chananitide, & in Ægypto. Neque huic ſententiæ ſuffragantur, quæ proferuntur de filiis Benjamini; nam ut diſerte probat Uſſerius in Chronologia ſacra, pag. 57. ex tempore, quo Benjamin ingreſſus eſt in Ægyptum, natus erat annos 27. qua ætate nihil vetat illum decem filiorum fuiſſe patrem. Inde colligit Uſſerius verba illa Moſis: *Eodem tempore deſcendens Judas &c.*... non eſſe intelligenda de tempore quo venditus eſt Joſeph, & in Ægyptum abductus; ſed de eo quo ipſe Judas una cum patre ſuo, & materna familia in Chananæam advenit; ita quod locutio illa *Eodem tempore &c.* eo ſenſu accipienda ſit, quo Deuteron. 10. v. 10. hæc verba, *In die illo*, hoc eſt, abſque ulla determinata temporis notatione, ſicut ſedecies in Veteri & Novo Teſtamento poſita legimus. Quæ ſi ita accipiantur, facile, inquit, cohærebunt omnia.

Et revera quidem; nam fieri potuit ut Judas anno vitæ ſuæ decimo tertio uxorem duxerit, genueritque ſub finem menſis decimi ejuſdem anni filium ſuum primogenitum *Her*: & anno ſequente menſe circiter octavo alterum nomine *Onan*: tertio autem anno, qui Judæ erat decimus quintus, circiter ſexto ſuſceperit tertium filium nuncupatum *Sela*. Anno autem Judæ 27. quando ſcilicet Her natus erat 14 potuit illum Thamaræ conjugem addere, quo mortuo, mox dederit ipſi Thamaræ ſecundum filium ſuum Onan; quo vita functo, Thamar vidua hæſit in domo paterna uſque ad Judæ annum 28. quæ cum videret ſibi non eſſe datum Selam in conjugem ſcortum, ſe finxit, ex Juda concepit, & uno partu edidit Pharem & Zaram. Poſtea vero Phares cum natus eſſet annum vitæ 13. ducta uxore, genuerit ſpatio decem & novem menſium Heſron & Hamul; ita ut poſterior natus ſit paulo ante Jacobi deſcenſum in Ægyptum.

Quæ omnia cohærere videntur conſueto naturæ ordini, atque etiam Moſaicæ narrationi, & Chronologiæ ſacræ, necnon & S. Auguſtino, qui quæſt. 128. in Geneſ. dicit hic admittendam eſſe hiſterologiam, ſeu anticipationem; *Quomodo* inquit, *fieri potuerunt omnia quæ de uxore & filiis & nuru Judæ narrantur, indagare difficile eſt; niſi forte ut credamus* (& hoc enim fieri potuit) *mox ut adoleſcere Judas cæpit, eum incidiſſe in amorem ejus quam duxit uxorem, nondum vendito Joſeph in Ægyptum.* Unde quæ hoc capite narrantur, quædam contigerunt ante venditionem Joſeph, alia vero poſt ipſius in Ægyptum abductionem.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XXXIX.

INterruptam de Joſepho narrationem hoc in capite reſumit & proſequitur Moſes: & quemadmodum in præcedenti nobis exhibuit tremenda in impuros homines Dei judicia; in hoc exhibet paternam Dei erga caſtitatis & inviolatæ pudicitiæ cultorem, providentiam. Repræſentat namque duplicem Joſephi in ſervitute degentis ſtatum. Primum quidem proſperum, ex Dei benedictione, qua ſibi conciliaverat heri ſui gratiam & affectum. Alterum adverſum, quo ab utroque excidit per heræ ſuæ impudentiam, & calumniam; quibus factum eſt, ut carceri manciparetur.

Nec tamen ibi divina protectione deſtitutus eſt; *Dedit enim ei* (Deus) *gratiam in conſpectu principis carceris, qui tradidit in manu illius univerſos vinctos, qui in cuſto-*

ſtodia tenebantur; & quidquid fiebat, ſub ipſo erat &c. Orditur autem hoc caput Moſes ab his verbis: *Igitur Joſeph ductus eſt in Ægyptum, emitque eum Putiphar Eunuchus Pharaonis, princeps exercitus.* Unde

QUÆRITUR I.

Quid hic præciſe ſignificet vox EUNUCHUS.

NOminis *Eunuchi* multiplex eſt in Scriptura ſacra ſignificatio; ſed potiſſimum duplex: Vel enim hominis ſtatum, vel officium deſignat. Priori modo ſignificat hominem impotentem ad opus conjugale. Poſteriori vero benevolum ac fidelem; quo ſenſu S. Epiphanius *Eunuchi* vocem derivat ἀπὸ τοῦ εὐνοεῖν, quod videlicet nemini fidem frangat & iniuriam inferat.

Juxta priorem huius vocis acceptionem, triplex a Chriſto Domino diſtinguitur Eunuchorum genus, Matthæi cap. 19. *Sunt Eunuchi, qui de matris utero ſic nati ſunt; & ſunt Eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus; & ſunt Eunuchi, qui ſe ipſos caſtraverunt propter regnum Cœlorum.* Unde Eunuchi alii dicuntur *nati*, alii *facti*, alii *myſtici*: de quibus Heribertus copioſiſſime diſputat in ſpeciali tractatu quem de triplici Eunuchorum genere inſcripſit.

Eunuchi *a nativitate*, dicuntur illi, qui e matris utero in lucem prodeunt virilitate privati; ſicut nonnulli ſine oculis, auribus, aut aliis corporis partibus naſcuntur: *Vel* qui ob præfrigidum temperamentum, & virilium partium pravam conſtitutionem, ſunt incapaces rei venereæ.

Eunuchi *facti*, dicuntur illi quibus vel exſecantur, vel atteruntur, vel debilitantur virilia: de quibus Deuter. cap. 33. *Non intrabit Eunuchus attritis, vel amputatis teſticulis, vel abſciſſo veretro, Eccleſiam Domini;* ut videlicet aliquod in ea miniſterium impleat. Quin etiam de victimis offerendis ſtatuitur Levitici 22. *Omne animal quod, vel contritis, vel truncis, vel ſectis, ablatiſque teſticulis eſt, non offeretis Domino.*

Eunuchi *myſtici*, dicuntur illi, qui Evangelicæ perfectionis aſſequendæ deſiderio, & æternæ ſaluti ſecurius invigilandi propoſito, per emiſſum caſtitatis votum, omni corporea voluptate, præſertim venerea, toto vitæ tempore conſtanter abſtinent. Unde S. Hieronymus ad Heliodorum ex milite monachum: *Cum derelicta militia*, inquit, *te caſtraſti propter regnum cœlorum, quid aliud quam perfectiorem ſecutus es vitam?* De his Eunuchis hic non eſt ſermo, quippe cum Putiphar Joſephi emptor uxorem habuerit, quæ Joſephum ſollicitavit ad concubitum, cap. 39. 12. quæque & filiam genuit.

Itaque dictus eſt *Eunuchus* ſecundum ſtatum & miniſterium, quod videlicet ſumma apud Principem polleret auctoritate. Etenim mos erat apud Veteres, Eunuchos adhibere janitores & cuſtodes, non ſolum Reginæ & concubinarum Regis, ſed & ipſorum Regum ac Principum: ſic *Judith, cap.* 12. Vagao Eunuchus, cuſtos erat cubiculi Holophernis: & Aſſuerus habebat ſeptem Eunuchos eorum ſe miniſtrantes *Eſther, cap.* 1.

Inde factum eſt, ut ipſi maxima apud Principes auctoritate pollerent, primaſque obtinerent dignitates, & illuſtriora obirent munia. Hinc temporum ſucceſſu, qui in aulis regiis eminebant nobiliores miniſtri, ex conſuetudine dicti ſunt Eunuchi, quod ſcilicet huius ſtatus homines claris muneribus inſigniri ſolerent. Sicut Senatores quamvis non omnes ſenes, & mareſcalli licet non ſtabularii.

Hac ratione Putipharem dictum eſſe Eunuchum exiſtimo. Nam quod inquiunt Hebræi ipſum Eunuchum factum fuiſſe, ſiccatis per miraculum virilibus, quod Joſephum ad deteſtandam voluptatem emiſſet, Rabbinicum eſt commentum.

Confirmatur autem hæc ſententia ex illuſtri titulo quem ei adſcribit Moſes, dicendo illum fuiſſe *magiſtrum militum*. Cum autem vox Hebræa qua utitur, x LXX. Interpretibus exponatur per vocem Græcam *Archimagiros*, quæ proprie ſignificet *mactatorem*; ſintque mactatores vel belluarum, ut coqui; vel hominum reorum, ut lictores; vel hoſtium, ut milites; inde factum eſt ut Putiphar a quibuſdam Interpretibus dictus ſit *Princeps coquorum* ab aliis, *Præfectus lictorum:* x cæteris vero, præſertim a Latino Interprete, *Magiſter militum*. Unde S. Auguſtinus ait: *Nolunt quidam præpoſitum coquorum interpretari, qui Græce* ἀρχιμάγειρος *dicitur, ſed præpoſitum militiæ, cui eſſet poteſtas occidendi. Nam ſic appellatur eſt etiam ille, quem Nabuchodonoſor miſit, penes quem potius invenitur primatus fuiſſe militiæ. Quidam hic edidit rerum capitalium præfectus.*

Decimum ſeptimum ætatis annum tunc agebat Joſephus, eximiæ idolis; & quemadmodum animo, ſic ſpecie & forma corporis præſtantiſſimus, Deumque habebat in omnibus ſibi faventem; quo factum eſt ut hero ſuo gratus, ſervilibus operibus primum exemptus, mox aſſecla, demum univerſæ domus præfectus conſtitueretur: adeo ut herus omnem rem domeſticam ipſius arbitrio committeret. *Nec quidquam aliud noverat, niſi panem quo veſcebatur.* v. 6. Hoc eſt, nihil omnino inquirebat de adminiſtratione rei domeſticæ, niſi an ſtatis horis cibus eſſet paratus. *Benedixitque Dominus domui Ægyptii propter Joſeph.*

Hic dum commiſſam ſibi provinciam ſtrenue exequitur, cum eſſet omnibus acceptus, Putipharis uxor, mulier impudica Joſephi pulchritudine illecta, eum provocavit ad ſtuprum, mercedem pollicita ſi conſentiret, ſupplicium autem minata niſi votis annueret. Qui ſceleris odio, & Dei timore, reſuatis laſcivis amoribus, rejectaque mu-

lieris impudentia, cum per vim ad ſtuprum urgeretur, foras erupit, palliolo, quo ab adultera fuerat apprehenſus, in illius manibus relicto.

Verum effrænata cupido contempta in furorem abit; & impudens mulier repulſam paſſa, maritum vix in ædes reverſum conveniens, Joſephum ſalacitatis inſimulat, & tanquam tentatæ pudicitiæ indicium, pallium oſtendit. Putiphar habita uxori fide, & ſine ulla inquiſitione, Joſephum ad regios carceres amandat.

QUÆRITUR II.

Qui fieri potuit ut Putiphar Joſephum ſibi chariſſimum inauditum ſic damnaverit.

GRaviſſime peccaſſe Putipharum citra dubium eſt. I. Quidem ingraritudinis vitio, utpote qui Joſephi ſedulitatem, fidelitatem, pietatem ac modeſtiam decennio fere toto fuerat expertus agnoverat, Domino benedicente in gratiam Joſephi, omnes ſuas facultates plurimum accreviſſe ut refert Moſes de Putiphare dicens: *Optime noverat Dominum eſſe eum eo,* (Joſepho) *& omnia quæ gereret, ab eo dirigi in manu illius.* In quo certe apparet ſumma Dei benignitas erga ſuos ſervos, cum beneficentiæ ſuæ partem ab ipſis ad reprobos uſque derivet: tota enim illa Dei benedictio, qua paternum ſuum amorem erga Joſephum teſtari volebat, in lucrum Ægyptii cedebat: eo tamen conſilio id factum eſt, ut humanius & liberalius Joſephum tractaret ſuperbus ille homo, qui poterat eum tanquam vile mancipium durius excipere.

II. Peccavit injuſtitia, quod noluerit Joſephi rationes & accuſationes expendere, eumque indicta cauſa carcerem detruſerit; neque enim dubium eſt, (etſi Moſes brevitatis cauſa id non referat) Joſephum ſupplicem factum fuiſſe, & de fama ſua, potius quam de vita ſollicitum, excuſationem protuliſſe, ut fœdam hanc maculam a ſe amoliretur, ſuamque innocentiam probaret: ſed ab hero tanquam objecti criminis rejectum fuiſſe.

III. Peccavit nimia credulitate, & animi levitate, quod ſtatim audita uxore, excanduerit in Joſephum, eumque accuſatum pro vere convicto habuerit. Ipſum certe decebat eſſe minus uxorium, nec ita faciles mulieri, quam dubio procul aliunde noverat eſſe libidini ac voluptati deditam, aures præbere. Hinc juſtam nimiæ ſuæ facultatis & indulgentiæ erga uxorem retulit mercedem, quod uxoris loco ſcortum honorifice retinuerit domi, & propemodum lenonis partes egerit; ſeque orbaverit ſingulari Dei beneficio, ſervo nempe fideli, cujus gratia tot bonis eum divina providentia cumulabat.

Nihilominus aliqua excuſatione dignus videtur: rei enim indignitas, uxoris accuſatio, criminis ea relicto pallio indicium poterant primo intuitu, vel patientiſſimum virum commovere. Primi enim illi motus, maxime in cauſa Zelorypiæ, vel in prudentiſſimis vix cohiberi poſſunt; ut etiam mirum ſit a viro militari, in tali poteſtate conſtituto, qui nullo Dei timore tenebatur, utpote qui idola coleret, in iracundiæ ſuæ æſtu Joſephum non fuiſſe gladio confoſſum.

Nec certe dubitandum eſt ipſum à Deo fuiſſe cohibitum, ne ulterius in Joſephum ſæviret: quod etiam agnoſcit S. Chryſoſtomus: „ Conſidera (*inquit*) hoc loco Dei mi-
„ ſericordiam erga Joſeph. Sicut enim a fra-
„ tribus eum eripuit volentibus interficere
„ ipſum: & primo quidem effecit, ut juxta
„ conſilium Ruben demitteretur in ciſternam,
„ & poſtmodum ex conſilio Judæ negotia-
„ toribus venderetur, ut præſignificatus
„ eventus ſomniorum compleretur: ita &
„ nunc ſuperna Dei manus barbarum illum
„ detinuit, ne in Juſti cædem rueret. Quid
„ enim prohibuiſſet hoc eum facere, cum in-
„ telligeret attentaſſe eum violare thorum
„ ſuum? Verum omnipotens Deus tantam
„ fecit illi exhiberi clementiam, ut injectus
„ in carcerem, etiam illic ſuam declararet vir-
„ tutem, & ſic ad principatum regni per-
„ veniret. Si enim ille non credebat reum
„ Joſeph, cur in carcerem conjecit? Si au-
„ tem credebat verum eſſe quod uxor dixe-
„ rat, tunc non carcere dignus; ſed extre-
„ mo ſupplicio, capitalique pœna judican-
„ dus erat, &c.

Joſephus itaque, tametſi innocens, in carcerem detruditur; nec id ſolum, ſed etiam duriſſimis vinculis & compedibus conſtringitur, ut colligitur ex his verbis Pſal. 104. *In ſervum venundatus eſt Joſeph; humiliaverunt in compedibus pedes ejus, ferrum pertranſiit animam illius:* Hoc eſt, ferreis repagulis diriſſime cruciatus eſt. Nec tamen divino deſtitutus eſt auxilio; nam, inquit Moſes: *Fuit autem Dominus cum Joſeph, & dedit ei gratiam in conſpectu principis carceris; qui tradidit in manu illius univerſos vinctos, qui in cuſtodia tenebantur; & quidquid fiebat, ſub ipſo erat.*

Voluit autem Deus ſervi ſui ſic probari conſtantiam, ut ad illuſtriora, ad quæ deſtinabatur, miniſteria, dignior appareret. Declarat iſta egregie, Sapiens cap. 10. ubi Dei erga fideles ſuos providentiam, & ſapientiam celebrans, inter cætera ait: *Hæc venditum juſtum* (Joſeph) *non dereliquit: ſed a peccatoribus liberavit eum; deſcenditque cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit illum: donec afferret illi ſceptrum regni, & potentiam adverſus eos, qui eum deprimebant; & mendaces oſtendit, qui maculaverunt illum, & dedit illi claritatem æternam.*

DIS-

DISQUISITIONES IN CAPUT XL.

TRia hoc in capite referuntur. I. Duorum Pharaonis miniſtrorum incarceratio, quibus Joſephus datus eſt miniſter. II. Utriuſque ſomnia, & eorum per Joſephum interpretatio. III. Eventus interpretationi conſentaneus.

Quo tempore Joſephus detinebarur in carcere, contigit ut duo Pharaonis Eunuchi, hoc eſt, præcipui miniſtri, quorum unus erat Pincerna, ſive pocillator, id eſt, princeps eorum qui vinum Regi fundebant; alter piſtor, ſeu princeps piſtorum, quibus commiſſa erat cura regiæ menſæ panem miniſtrandi: contigit, inquam, ut uterque Regis offenſam incurreret, illiuſque juſſu in eundem carcerem, in quo degebat Joſephus, ambo fuerint amandati. Cumque ibi aliquandiu ſtetiſſent, accidit ut eadem nocte, diſtincta haberent ſomnia, quibus Deus occultum rei futuræ eventum eis patefacere voluit.

Cum autem eorum ſomniorum interpretatio ipſos lateret, hærebant mente anxii: quod animadvertens Joſephus, cui demandata fuerat eorum cura, mœroris cauſam ſciſcitatus, cum illi aperuiſſent; rogavit ut uterque ſomnium ſuum diſtincte referret, illius manifeſtam interpretationem ſpondens. Quod utique præſtitit: alteri quidem dicens, ſuo ſomnio ſignificari ipſum poſt triduum priſtinæ dignitati reſtituendum: alteri vero, ipſius ſomnio deſignari illum, exacto triduo, ſupplicio afficiendum. Cujus expoſitionis veritatem eventus probavit; nam Pharaone poſt tres dies natalitia ſua celebrante, pincerna in priorem honoris gradum, piſtor in crucem ſublatus eſt.

QUÆRITUR I.

An licita fuerit illa ſomniorum expoſitio.

SUpponendum in primis ſomniorum eſſe duo genera: *interna* ſcilicet & *externa*. *Interna* oriuntur ea principiis internis, vel ex phantaſia inter dormiendum operante, variaque effingente ac repræſentante phantaſmata: vel ex complexione & conſtitutione corporis. *Externa* ſpectant vel corpus, vel animam. Ad corpus pertinent ea quæ oriuntur ex ſympathia quadam noſtri corporis cum aſtrorum dominantium influxu. 2. Quæ vero ad animam, illa proveniunt ex cauſa ſpirituali: Suntque triplicis generis; alia namque ſunt Divina, alia Angelica, alia Diabolica. *Divina*, Deum immediate habent auctorem. *Angelica*, inſinuantur per Angelos ex ordinatione Dei. *Diabolica*, ex cacodæmonis malitia ſuggeruntur.

Has omnes aliaſque ſimiles ſomniorum ſpecies exponit egregie S. Gregorius Magnus in illa verba Jobi cap. 7. *Terrebis me per ſomnia* &c. „ Exquirendum eſt, *inquit*, quot „ modis tangant animum imagines ſomniorum. Aliquando ſomnia ex ventris plenitudine; aliquando inanitate; aliquando „ illuſione; aliquando cogitatione ſimul & „ illuſione; aliquando revelatione; aliquando cogitatione ſimul & revelatione generantur. Sed duo, quæ prima diximus, „ omnes experimento cognoſcimus: ſubjuncta autem quatuor, in ſacræ Scripturæ „ paginis invenimus. Etenim niſi ſomnia „ plerumque a Dæmone per illuſionem fierent, nequaquam ſapiens dixiſſet: *Multos errare fecerunt ſomnia, & illuſiones vanæ*. „ Nec ſcriptum eſſet Levitici 19. *Non augurabimini, nec obſervabitis ſomnia*. Quibus verbis; cujus ſint deteſtationis oſtenditur, quæ auguriis conjunguntur.

„ Rurſum niſi aliquando ex cogitatione „ ſimul & illuſione procederent, Salomon „ non dixiſſet: *Multas curas ſequuntur ſomnia*. Et niſi quandoque ſomnia ex myſterio revelationis orirentur, Joſeph præferendum ſe fratribus per ſomnium non „ vidiſſet: nec Mariæ ſponſum, ut ablato „ puero in Ægyptum fugeret, per ſomnium „ Angelus admonuiſſet.

„ Rurſum niſi aliquando ſomnia cogitatione ſimul & revelatione procederent, „ nequaquam viſionem Nabuchodonozor „ ediſſerens, a radice cogitationis inchoaſſet „ Daniel, dicens: *Tu Rex cogitare cœpiſti in ſtrato tuo, quid eſſet futurum poſt hæc*, „ &c. Ergo cum ſomnia, tot rerum qualitatibus alternent, tanto eis credi difficilius debet, quanto & ex quo impulſu veniant difficilius elucet. Sæpe namque malignus ſpiritus his, quos amore vitæ præſentis vigilantes intercipit, proſpera etiam dormientibus promittit; & quos formidare adverſa conſiderat, eis hæc durius „ ſomni imaginibus intentat: quatenus indiſcretam mentem diverſa qualitate afficiat; eamque aut ſpe ſublevans, aut deprimens timore confundat.

„ Sæpe quoque Sanctorum corda afficere „ ſomniis nititur, ut ab intentione cogitationis ſolidæ, ad tempus ſaltem momentumque deriventur, quatenus ipſi protinus animum ab illuſionis imaginatione „ diſcutiant. Sed hoſtis inſidians, quo eos „ vigilantes minus ſuperat, eo dormientes „ gravius impugnat. Qui tamen talia maligne agere ſuperna diſpenſatione benigne permittitur, ne in Electorum cordibus, vel ipſe a paſſionis præmio ſomnus „ vacet. *Hæc S. Gregorius.* So-

Somnia, quæ a corporis complexione, ſeu temperamento proveniunt, interpretari licet, ad detegendam prædominantem corporis affectionem, & præcavendos morbos, vel imminentes, vel futuros: dummodo naturæ limites coniector non tranſcendat, nec prætergrediatur. Plerumque enim accidit ut ſomnia nonniſi ex humore prædominante oriaotur; ut cum *bilioſi* ſomniant cædes, atmorum conflictus, &c. *Phlegmatici*, aquas, navigationes, voragines, &c. *Sanguinei*, volatum, ſaltationes, muſicam, convivia, &c. *Melancholici*, mortem, funera, ſepulchra &c. quorum expoſitio licite fieri poteſt a medicis, ad deprehendendos corporis affectus.

In ſommis, quæ phautaſiæ & imaginationis opera fiunt exponendis, immorari vanum eſt & omnino ludicrum; ac proinde culpanda in ea expoſitione temeraria curioſitas, & temporis iactura. Tritum eſt enim illud Claudiani.

Omnia quæ ſenſu volvuntur vota diurno,
Pectora ſopito reddit amica quies.

Somniorum a Dæmone ingeſtorum interpretatio, qualem profitentur Magi, artibuſve ſuperſtitioſis addicti, pernicioſa eſt, & variis Scripturæ textibus proſcripta, præſertim *Deuteron.* 18. v. 10.

Somnia vero divinitus immiſſa per verba diſtincta, ut fuit ſomnium Magorum Chriſti adoratorum, expoſitione non egent. Quæ autem ingeruntur per ſymbola, exponi licet ab iis qui ad id muneris a Deo aſſumuntur & illuſtrantur: ſic Jacobus filii ſui Joſephi ſomnium de Sole, Luna & duodecim ſtellis eum adorantibus expoſuit. Sic Joſephus ipſe duorum Pharaonis miniſtrorum ſomnia inquirit, ot exponat. *Numquid Dei non eſt interpretatio?* inquit. Quæ verba conveniunt cum eis quæ duobus poſtmodum annis dixit Pharaoni ſimiliter ſomnium eius interpretaturus. Cum enim ei dixiſſet Pharan cap. 41. v. 15. *Vidi ſomnia, nec eſt qui ediſſerat: quæ audivi te ſapientiſſime coniicere*; reſpondit ei Joſeph: *Abſque me Deus reſpondebit proſpera Pharaoni*. His quoque conſona ſunt, quæ Daniel Regi Nabuchodonoznri dixit enarraturus eius ſomnium: *Myſterium* (inquit) *quod Rex interrogat, ſapientes Magi, Arioli & aruſpices nequeunt indicare Regi: ſed eſt Deus in Cælis revelans myſteria. Mihi quoque non in ſapientia, quæ eſt in me plusquam in cunctis viventibus, ſacramentum hoc revelatum eſt; ſed ut interpretatio Regi manifeſta fieret.*

Hic inſuper advertendum eſt, quod quoties conſilium ſuum per ſomnia innoteſcere voluit Deus, ſimul indidit certas notas quibus ea a naturalibus & Dæmoniacis diſcernerentur, ut ſolida conſtaret eorum fides & auctoritas. Id etiam peculiare habent ſomnia divinitus immiſſa, quod eos, qui ſomniant, valde ſollicitos reddunt; ut apparet in pincerna & piſtore Pharaonis; nec non & poſtea in ipſo Pharaone, atque in Babyloniæ Regibus apud Danielem.

Cum fauſta pincernæ Pharannis auguratus fuiſſet Joſephus, adjecit: *Tantum memento mei, cum tibi benefuerit: & facias, quæſo, miſericordiam; ut ſuggeras Pharaoni, ut educat me de iſto carcere; quia furtim ſublatus ſum de terra Hebræorum, & hic innocens in lacum miſſus ſum.*

QUÆRITUR AUTEM II.

Utrum iſtius hominis auxilium implorans Joſephus nihil peccaverit.

EUm leviter ſaltem peccaſſe exiſtimat S. Auguſtinus ſermone 82. Ubi cum dixiſſet: *Quamvis ſervi & amici Dei capitalia crimina vitaverint, & multa opera bona fecerint; eos tamen ſine minutis peccatis fuiſſe non credimus*; adiicit: Hoc autem aperte
„ licet intelligere in S. Joſeph. Nam cum
„ Dominus eſſet cum eo, & gratiam ei
„ apud Dominum ſuum, & apud princi-
„ pem carceris dediſſet, ut ait Scriptura
„ *Geneſ.* 39. & 40. præventus tunc eſt, ut
„ a magiſtro pincernarum auxilium poſtu-
„ laret, dicens ei: *Memento mei cum tibi*
„ *bene fuerit; & ſupplica Pharaoni, ut edu-*
„ *cat me de iſto carcere.* Et quia nondum
„ ſcriptum erat: *Bonum eſt ſperare in Domi-*
„ *no, quam ſperare in homine*; cum in om-
„ nibus Dei gratiam meruiſſet, ſubreptum
„ eſt illi ut ab homine auxilium peteret.
„ Pro qua re additi ſunt duo anni, quibus
„ adhuc teneretur in carcere. Tamquam
„ diceret ei Deus: Ego tibi oſtendo, ut ma-
„ gis a me, quam ab homine debeas auxi-
„ lium poſtulare. Sine ulla enim dubitatio-
„ ne credendum, quod pro caſtigatione fa-
„ cti Joſeph, non permiſit Deus magiſtrum
„ pincernarum recordari eorum quæ Jo-
„ ſeph exeunti ipſi de carcere ſupplicaverat.
„ Et quia etiam ipſe Joſeph, quamvis San-
„ ctus, tunc ſine peccato eſſe non poterat,
„ ideo tanto tempore fuit in carcere clau-
„ ſus, ut in eo impleretur quod ſcriptum
„ eſt: *Ego quos amo, arguo: & quos diligo,*
„ *caſtigo.* Hæc S. Auguſtinus.

Verum aliter de Joſepho cenſet S. Chryſoſtomus, homil. 63. ubi expendens pincernæ oblivionem promiſſionis factæ Joſepho, dicit illam divinitus eſſe permiſſam, non in ultionem fiduciæ quam Joſephus habuerat in protectione & auxilio pincernæ; ſed ut ipſius Joſephi probaretur adhuc per duos annos incarcerationis animi conſtantia, & ſplendidius illuceſceret: „ Oportebat enim, *inquit*,
„ expectari tempus opportunum, ut majori
„ cum gloria inde educeretur. Si enim præ-
„ fectus pincernarum ante ſomnia Pharao-
„ nis, recordatus eum ſubſidio ſuo liberaſſet,
„ fortaſſis non tam perſpicua fuiſſet aliis
„ ejus virtus. Nunc autem ſolers & ſapiens
„ Deus, ſciens ſicut optimus artifex, quan-

„ to

„ to tempore in igne debeat aurum teneri, „ & iterum inde reduci, permittit ad tem- „ pus duorum annorum præfectum pincer- „ narum illius oblivisci, ut & tempus ſomnio- „ rum Pharaonis veniat, & compellente ne- „ ceſſitate ipſa, juſtus ille in toto regno „ Pharaonis notus fiat.

Altera adiici poteſt ratio, nempe Deum duos ulterius annos incarcerationis Joſephi idcirco permiſiſſe, ut ipſemet videretur illius liberationis auctor. Nam ſi pincernæ deprecatione, conceſſa illi fuiſſet libertas; vulgo creditum fuiſſet, non Dei, ſed hominis hoc eſſe beneficium.

Quod autem dicitur pincerna oblitus fuiſſe Joſephi; non ſic accipiendum eſſe cenſeo, quod ſui benefactoris penitus non meminerit: ſed, vel quod noluerit ejus mentionem facere, ne peccatum ſuum revocaret in memoriam, & ſuæ incarcerationis dedecus & ignominiam refricaret: vel ne quid invidiæ ſubiret, aut moleſtus eſſet Principi: quod utique aulicis familiare eſt; malunt enim omnia amicitiæ & gratitudinis jura violare, quam Principibus eſſe moleſti.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XLI.

NArrat hoc in capite Moſes. I. Tempus. II. Motivum liberationis Joſephi. III. Qua ratione promotus fuerit ad ſupremam Ægypti præfecturam.

Tempus notat his verbis: *Poſt duos annos*, &c. ſed undenam anni illi ſint computandi, non indicat Moſes. Hinc quidam cum Joſepho lib. 1. Antiq. Jud. exiſtimant biennium illud eſſe computandum ab eo die quo Joſephus in carcerem detruſus eſt. Verum probabilius exiſtimo duos illos annos inchoandos eſſe a liberatione pincernæ, de qua proxime dictum fuerat; contextus enim narrationis id indicat, & illa præſentis capitis verba neceſſariam habent connexionem cum fine capitis antecedentis.

Motivum liberationis Joſephi, fuit duplex Pharaonis ſomnium. Principi enim illi dormienti oblatæ ſunt ſeptem vaccæ forma ſpectabiles, corpore oboeſo, quæ circa Nili flumen veluti manentes, herbis graminibuſque paſcebantur. Mox ſeptem aliæ prodiere deformes, confectæque macie, quæ pingues adorſæ, repente deglutierunt, non aucto interim earum utero, nec minus alimentorum avidæ.

Regi expergefacto & rurſum dormienti, per ſomnium apparuerunt ſeptem ſpicæ plenæ atque fœcundæ, quæ a totidem uredine confectis abſorptæ ſunt & exterminatæ.

Quid utrumque ſomnium portenderet, cum anxius hæreret Princeps, accerſivit undique conjectores & ſomniorum Interpretes, qua in arte Ægyptii ſe cæteris antecellere gloriabantur. Verum accerſiti illi Arioli, nihil quod inquietum Regis animum ſedaret, effutiunt. *Vide* (inquit S. Chryſoſtomus) *vide multiplicem Dei diſpenſationem: prius permittit omnes qui ibi habebantur ſapientes, tentari, ut monſtraretur eorum ignorantia: & tandem hic vinctus, captivus, ſervus, Hebræus in medium adductus eſt, & nota facit multis ignota, quo omnibus manifeſtetur ſuperna gratia in illo refulgens.*

Cum igitur omnes ſapientes veniſſent, & neque dicere aliquid, neque os aperire poſſent: tunc princeps pincernarum Joſephi recordatus, recenſuit Pharaoni ea quæ ſibi in carcere contigerant; & inquit: *Confiteor peccatum meum*; narravitque quomodo in carcerem conjectus ſit ipſe, & præfectus piſtorum; & viderint ſomnia & interpretationem eorum a Joſepho acceperint, & quod juxta illius prædictionem, ipſi evenerint omnia.

Quibus auditis, juſſit Rex Joſephum accerſiri, ipſeque ſtatim e carcere eductus & honeſte veſtitus, Regi ſiſtitur: ab eo utrumque ſomnium audit, & ut cuncta in Dei gloriam refundat, reſpondet. I. Somnia illa ſpectare res futuras, quæ Deus eſſet facturus: poſtea explicat in ſpecie, quænam eſſent & quando eventuræ: *Quæ facturus eſt*, inquit, *Deus oſtendit Pharaoni*. Quibus verbis iterum tribuit Deo gloriam omnem, tum ſignificationis, tum impletionis rerum futurarum; ut agnoſcat Rex talia caſu non eventura, ſed ita a Deo fuiſſe non modo diſpoſita, ſed etiam ſuo tempore perficienda. Innuit autem ea a nemine præterquam ab ipſo Deo poſſe revelari; quandoquidem quid facturus ſit, ſolus ipſe novit.

Deinde quid per ſeptem boves pingues, & totidem ſpicas plenas ſignificaretur, aperuit Joſephus ſeptem ſcilicet annis proxime ſequentibus, futuram ubertatem frugum maximam: per ſeptem vero boves macilentas, & totidem ſpicas grano vacuas, conſequentes ſeptem annis inopiæ.

Inſuper addit conſilium ſalutare, ne divina illa præmonitio inutiliter cederet: *Nunc ergo*, inquit, *provideat Rex virum ſapientem & induſtrium, & præficiat eum terræ Ægypti, qui conſtituat præpoſitos per cunctas regiones; & quintam partem fructuum per ſeptem annos fertilitatis, qui jam nunc futuri ſunt, congreget in horrea.*

QUÆ-

QUÆRITUR I.

Quomodo quinta pars frugum ſeptennii ubertatis potuerit ſufficere ſeptennio ſterilitatis.

RESpondet Lyranus noſter, ſterilitatem non ſtatim a principio fuiſſe vehementem, adeo ut non liceret arare nec metere quidquam. Quamvis autem meſſis illa eſſet modica, nihilominus ſufficiebat cum illa quinta parte annonæ reſervatæ.

Adiici poteſt, quintam illam partem frugum collectam quidem eſſe ut ſervaretur in horreis regiis: at Ægyptiorum quiſque cum audiſſet ſeptem annos penuriæ ſecuturos poſt ſeptennium ubertatis, ſibi providit de privatis horreis, ut in futurum haberet alimoniam. Unde in hoc capite v. 55. & 56. legimus: *In univerſo orbe fames prævaluit: in cuncta autem terra Ægypti panis erat.* Initio ſcilicet graſſantis per regiones vicinas ſterilitatis & famis.

At cum omnes Ægyptii non haberent unde poſſent ſibi proſpicere in futurum; qui vero frugum abundantia pollebant, tenerentur partem abdicare, ne copia gravarentur; Rex ſui populi neceſſitati, juxta Joſephi monitum conſulere voluit, & quintam partem proventuum per ſeptem annos uberes, a ſuis ſubditis pretio comparari juſſit, in horreis regiis reponendam & aſſervandam.

Quoniam autem per Ægyptum nemo viſus eſt ad id munus obeundum Joſepho prudentior & ſapientior, Rex habito cum ſuis magnatibus conſilio, conſtituit eum non ſolum ſummum adminiſtratorem domus Regiæ; ſed etiam totius Ægypti Pro-Regem. Unde detracto ſuo ſignatorio annulo, illum in Joſephi digitum inſeruit, ut auctoritate regia, decreta ſanciret: Juſſit etiam byſſinis veſtibus, quæ tunc in deliciis apud Ægyptios erant, eum indui, currumque ſuum ſecundum aſcendere, præeunte præcone & clamante, ut omnes coram eo genua flecterent, & ſcirent eſſe præpoſitum univerſæ terræ Ægypti.

Clamabat autem præco: *Abrech:* quæ vox, ait, S. Hieronymus in quæſt. Hebraicis, componitur ex duplici Hebræa, nempe *Ab* & *rech*. *Ab* autem ſignificat *patrem*; *rech* vero, tenerum; ut ſignificaretur Joſephum eſſe quidem patrem omnium ſapientia; tenerum vero, juvenili ætate. *Ita S. Hieronymus*. Nonnulli vero cenſent vocem illam eſſe Ægyptiacam boni hominis & fœlicis opprecationis; ac ſi diceret: *Vivat fælix*. At rectius opinantur, qui aſſerunt ea voce ſignificari reverentiam & obedientiam exhibendam Joſepho, uti a Rege ſecundo: quod nitide expreſſit Vulgatus ſcribens v. 43. *Fecitque* (Pharao) *eum* (Joſephum) *aſcendere ſuper currum ſuum ſecundum, clamante præcone, ut omnes coram eo genuflecterent, & præpoſitum eſſe ſcirent univerſæ terræ Ægypti*. Itaque præcones Regii ante Joſephum curru triumphali vectum clamabant, *Abrech*, id eſt, *reverentia*, ſeu inclinet ſe quiſque, genua flectat, ſicut fieri ſolet coram Rege.

QUÆRITUR II.

Utrum licite honores illos, eaque miniſteria ab homine Ethnico admiſerit Joſephus.

R*Eſpondeo*, iſtud ei fuiſſe liberum, cum ea non offerrentur ut abiiceret unius veri Dei cultum; ſed ut eius ordinationi inſerviret. Præmiſerat enim ei Pharao: *Quia oſtendit tibi Deus omnia quæ locutus es: numquid ſapientiorem, & tui conſimilem invenire potero?* Inſerviebat ergo Pharao divinæ Providentiæ, quæ non ſolum Ægyptiorum ſaluti invigilabat: ſed etiam proſpiciebat Eccleſiæ ſuæ in Jacobi familia tunc temporis potiſſimum reſidenti, quæque per Joſephum ab imminenti famis exitio erat præſervanda.

A ſervis quidem Dei colenda ſemper eſt humilitas & modeſtia; nihilque illis ad ſalutem videtur utilius, quam ut dignitates & honores aſpernentur: ſed cum aliter imperat Deus, acquieſcendum eſt; eiuſque divinæ ordinationi reluctari, grande foret piaculum. Igitur non debuit Joſephus modum præſcribere Pharaonis auctoritati, hac in parte Dei voluntatem exequentis; ut nempe Joſephus pro tot laboribus exantlatis, toleratiſque calamitatibus debitam mercedem acciperet.

Quatuor autem Joſepho & honoris, & ſui erga eum amoris argumenta contulit Pharao. I. Inſignia regia, ſcilicet annulum ſignatorium, torquem auream, veſtes auguſtas, currum ſecundum e regio & comitatum nobilium ac procerum.

II. Supremam in univerſam Ægyptum auctoritatem: *Abſque imperio tuo* (inquit v. 44.) *non movebit quiſquam manum aut pedem in omni terra Ægypti*. Quæ verba expendens Philo, ait: *Quis expectaſſet intra unam diem e ſervo Dominum, e vincto præſtantiſſimum omnium, e carcerarii vicario proregem fieri; & Regiam inhabitare pro carcere; extremam ignominiam, verſam in honorem maximum?*

III. Cum iis quos ſummos ad honores evehunt illuſtria addere nomina conſueſcant

Re-

Reges, Pharao Joſephum appellari voluit *Zaphenath-phaanecha*, ut legit S. Hieronymus, *in quæſt. Hebr.* Sive, ut Septuaginta tranſtulerunt ψονθομφανήχ, quæ vox ſignificat *Salvatorem mundi*, ut fert Editio Vulgata, eo quod Joſephus ſuo conſilio ab imminenti famis excidio orbem terræ liberarit. *Ita S. Hieronymus.* Hebræi Doctores hoc impoſitum nomen volunt eſſe *Taphenath-paneath*; quod, inquit Kirkerus, idem eſt, quod Ægyptiacum ſive Copticum *Phontom phanik*, aut *Pſonton panec*; id eſt, ut cenſet Onkelos, *cui retecta ſunt occulta*: vel, ut ait Jonathas, *occultorum interpres*. At cum S. Hieronymus diu vixerit in Palæſtina, melius novit quid ea vox ſignificet: unde ipſi conſentiunt S. Auguſt. quæſt. 135. in Geneſ. Rupertus, Toſtatus, & alii bene multi. Et merito quidem; ſi enim Pharao tantum appellaſſet Joſephum *Interpretem*, aut *occultorum enarratorem*, non plurimum condecoraſſet virum, cui tantam auctoritatem & dignitatem conferebat, hoc enim nomine etiam appellari poterant omnes Magi, & Arioli, quibus Ægyptus abundabat.

IV. Pharao Joſephum honoravit nobiliſſimo conjugio; etenim *dedit ei uxorem Aſeneth filiam Putiphare Sacerdotis Heliopoleos*.

QUÆRITUR III.

Quis fuerit ille Putiphar.

Eundem putant Judæi Doctores, referente S. Hieronymo, cum eo qui Joſephum ab Iſmaelitis emerat, & cuius mandato coniectus fuerat in carcerem. Verum hunc ab illo diverſum eſſe docent S. Chryſoſtomus, hom. 65. & S. Auguſt. qu. 136. in Geneſ. idque hic probat plurimis argumentis. I. Quia ſi unus idemque fuiſſet, id a Scriptura ſancta ſilentio non eſſet prætermiſſum; quippe cum ad Joſephi gloriam plurimum conduaiſſet, quod qui captivus fuerat, Domini ſui filiam duaiſſet uaorem. *Deinde*, prior ille Putiphar dictus eſt *princeps cocorum*: vel ut alii interpretantur, *princeps militiæ*; hic autem dicitur Sacerdos Heliopoleos: veriſimile autem non eſt militiæ præfectum fuiſſe etiam divinis myſteriis præpoſitum. *Inſuper* hic dicitur Sacerdos in civitate Solis, ſive Heliopolis, viginti pluſquam milliaribus diſtantis a civitate Memphis, quæ tunc Regia erat; quomodo igitur derelicto officio Sacerdotii ſui, inquit S. Auguſtinus, potuit ſtrenue Regi ſervire in militiæ principatu? Adde quod etiam ipſi Sacerdotes nulli alteri inſerviſſe dicantur, niſi ſuis numinibus, nec aliud quidpiam officium exercuiſſe.

Accedit quod etſi in Vulgata Editione, & a ſeptuaginta Interpretibus utriuſque iiſdem ſyllabis efferantur nomina; tamen in Hebræo textu diverſa ſunt. Primus enim dicitur *Putiphar*, alius vero *Potipherang*: unde Lyranus noſter cum ſeptuaginta Interpretum ſententiam protuliſſet, concludit: *Sed contra hoc videtur quod in Hebræo textu Putiphar iſte* (nempe de quo hic agitur) *habet litteram* Ain *in fine, quam non habet præcedens; & ideo videtur eſſe alius homo a prædicto.*

QUÆRTIUR IV.

Utrum citra culpam Joſephus nupſerit infideli & filiæ Sacerdotis Idolorum.

Peccaſſe videtur quod ſe expoſuerit periculo perverſionis & depravationis, quæ ex familiari cum infidelibus contubernio & ſocietate ſolet oriri. Quamobrem *Exodi* 34. *v.* 6. diſtricte prohibuit Deus Iſraelitis ne acciperent uxores de filiabus Chananæorum, cujus interdicti hanc rationem profert: *Ne poſtquam ipſæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios tuos in Deos ſuos.* Et Deuteron. 7. v. 4. *Quia ſeducet filium tuum, ne ſequatur me, & ut magis ſerviat Diis alienis.* Et Joſue 33. v. 13. *Erunt vobis in foveam, & laqueum, & offendiculum ex latere veſtro.* Quæ quam vere fuerint prænuntiata, demonſtrant exempla Salomonis, 3. *Reg. cap.* 11. & Jorami, 4. *Reg. cap.* [illegible] Imprudentiæ igitur, atque temeritatis reus videtur Joſephus, cum in uxorem duxit Idolorum cultricem, eamque filiam Sacerdotis inanium Deorum.

Verum ipſum in illo ineundo connubio nil peccaſſe, plurimæ ſunt rationes quæ demonſtrant. I. Quia minus decebat ut voluntati refragaretur Principis, cui tantopere devinctus erat; præſertim in re, quæ tunc non erat prohibita, & in qua duces habebat majorum ſuorum filios, nempe Iſmael & Eſau. II. Non licebat ei aliunde quærere ſibi uxorem, nec id potuiſſet ſine periculo amittendæ dignitatis, quam ſervare debuit in uſum Eccleſiæ. III. Joſeph fuit donatus earraordinaria ſapientia, qua & periculum præcavere, & prodeſſe potuit ſaluti conſortis ſuæ. IV. Non id fecit motus libidine, qui caſtiſſimus fuit, ſed prolis deſiderio, & juſtis conſiderationibus politicis adductus. V. Cum Scriptura S. non referat id Deo diſplicuiſſe, poſſumus addere, in id non conſenſiſſe Joſephum, ſine aliquo inſtinctu divino, vel etiam ſingulari aliqua revelatione.

Digitized by Google

Igitur cum operæ pretium eſſet, ut in eo Regi gratificaretur, quia indecorum fuiſſet a Rege tantos accepiſſe honores, & nunc ultro ab eo oblatum conjugium rejicere, conſenſiſſe eum credere par eſt, qui ſperavit ſe eam adducturam ad veri Dei cultum; quod etiam factum fuiſſe maxime probabile eſt, cum Deus voluerit iſtam Aſeneth inter Matriarchas numerari; ex qua duæ nobibiliſſimæ Iſraelitarum Tribus, nempe Manaſſe, & Ephraim duxerunt origioem.

DISQUISITIONES IN CAPUT XLII.

Exacto prænuntiatæ per Joſephum ubertatis ſeptennio, cum ſecuta ſterilitas diram famem nedum per Ægyptum, ſed & per Lybiam, Æthiopiam, & Chananitidem invexiſſet; earum provinciarum Incolæ cum accepiſſent frumentum in Ægypto diſtribui, illuc turmatim properarunt annonam pretio deducturi. Adſunt & Joſephi novem fratres a Jacobo patre emiſſi, ſolo Benjamino domi relicto, ne quid funeſtum in longa illa peregrinatione ei contingeret. Quid autem eis Ægyptum ingreſſis acciderit hoc in Capite refert Moſes. I. Adeunt rei frumentariæ præfectum nempe Joſephum, qui ab eis ignotus, qui ſint agnoſcit. II. Severo & acerbo vultu eos Joſephus excipit, & proditionis inſimulat eos tanquam Imperii vires, & urbium munimenta veniſſent exploraturi; utque ſe de his perſuaſum demonſtret, per vitam Pharaonis, rem ita eſſe, ſemel & iterum obteſtatur. III. Eos vinculis conſtrictos, & carceri per biduum mancipatos, tandem dimittit onuſtos frumento, & pecunia ipſis inſciis reddita, ſolo in vinculis remanente Simeone, donec accederet Benjaminus; ut ſua præſentia, quæ dixerant, confirmaret.

QUÆRITUR I.

Cur Joſephus per viginti tres annos, quibus abſuit a patre, eum de ſuo ſtatu certiorem non fecerit.

Proponit hanc eamdem quæſtionem S. Auguſtinus ſerm. 82. de tem. ubi cum præmiſiſſet facili negotio Jacobum potuiſſe informari non ſolum de vita; ſed etiam de honore & gloria Joſephi; ab eo enim loco, ubi erat Jacob, ad Ægyptum vix erant trecenta milliaria, & frequentiſſime ex Ægypto in terram Chanaan, & hinc in Ægyptum magna fiebat hominum commeatio.

Addit, Deum duplici de cauſa hæc permiſiſſe, imo ſilentium hoc inſpiraſſe Joſepho. I. Ut levia Jacobi peccata hoc mœrore, eaque anguſtia caſtigaret: *Quamvis enim*, inquit, *ſervi & amici Dei capitalia crimina vitaverint, & multa bona fecerint: tamen ſine minutis peccatis eos fuiſſe non credimus; quia non eſt mentitus ille qui dixit S. .. ſepties in die cadit juſtus & reſurgit*. II. Ut exerceret illius patientiam, eique anſam meriti ſubminiſtraret, nec non in eo impleret quod per Spiritum Sanctum dixerat: *Vaſa figuli probat fornax, & homines juſtos tentatio tribulationis* &c.

Alteram hujus divinæ diſpenſationis rationem profert Theodoretus: nempe iſtud a Deo permiſſum, ut implerentur prædictiones factæ Abrahamo, poſteros ſuos peregrinaturos eſſe in terra aliena; atque ibi paſſuros varias calamitates & afflictiones. Addit hoc etiam divino conſilio factum eſſe, ut Joſeph e carcere ad Regios honores promoveretur. Etenim ſi captivum illum ſciviſſet Jacobus, dubio procul omnem impendiſſet operam, ut illum redimeret, atque ita non fuiſſet interpretatus Pharaonis ſervorum ſomnia, nec aſſumptus ut ipſius Pharaonis ſomnium explicaret: *Hoc autem*, inquit, *non facto, regimen Ægypti nunquam illi fuiſſet creditum: quod niſi accepiſſet, Patriarcham una cum familia non introduxiſſet in Ægyptum. Igitur hoc poſtremo eventu diſpenſationis divinæ ſcopus declaratur.*

QUÆRITUR II.

Utrum Joſephus non fuerit mentitus dum fratres ſuos exploratores dixit.

Aſſerit Moſes v. 7. quod dum Joſephum adorarent fratres ſui, illos ipſe agnoverit, nec tamen ab ipſis fuerit cognitus. Facile quidem erat Joſepho fratres ſuos agnoſcere. I. Quia Hebraice loquebantur, lingua ſcilicet familiæ ſuæ peculiari. II. Quod videret eos jam grandiores & ad virilem ætatem provectos; quo tempore non tanta fit in vultu, ſtatura, & voce mutatio. III. Ex eorum narratione, familiæ ſuæ ſtatum repræ-

repræſentari videbat; ac proinde nullum ipſi poterat eſſe dubium illos eſſe revera ſuos fratres.

At quod eum illi non agnoverint, mirum videri non debet; quippe cum tunc valde mutatus eſſet ab eo ſtatu qui fuerat, dum ab eis fuit venditus. Mutatus, inquam, I. In *ſtatura*: tunc enim cum eſſet dumtaxat natus ſexdecim annos, mediocris erat ſtaturæ; jam vero procerus erat & grandis, quippe qui trigeſimum nonum circiter annum agebat. II. Mutatus *vultu*: tunc erat imberbis, nunc plurimum barbatus. III. Mutatus *veſtitu*: tunc enim ſimplici, ut paſtores decebat, & vili amictu erat indutus; nunc regio & magnifico veſtimento ornatus. IV. Diſſimulabat ſe callere linguam Hebraicam; quamobrem, ut obſervat Moſes v. 24. loquebatur eis per interpretem. Hinc facillimum illi fuit ſe alium fingere. Unde duo hic peccaſſe videtur, alterum quod ſimulaverit a ſe illos non agnoſci: alterum quod eos in crimen explorationis vocaverit. Quod ut confirmaret, juravit per ſalutem Pharaonis.

Veriſimile tamen eſt ipſum nihil quidquam in iſtis peccaſſe. Non quidem in ſimulatione: ſummæ ſiquidem fuit prudentiæ & ſapientiæ ſeipſum non ſtatim eis prodere: tum ut exploraret eorum animos, utrum videlicet ipſos admiſſi criminis in eius venditione pœniteret: tum ut tanquam ignotos interrogando, eos induceret ad narrationem ſtatus familiæ ſuæ: cum enim exiſtimarent ſe illi eſſe ignotos, neque illum plurimum eſſe ſollicitum de iis quæ ad eorum familiam pertinerent, candide magis ac ſine fuco declaraturi erant ea de quibus inquirebantur.

Præterea, cenſuit eos aliqua caſtigatione eſſe plectendos, ut ſcelerum ſuorum quibus indormierant, atrocitatem melius expenderent: unde cum viderent ſe ad carcerem damnatos, dixere: *Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem noſtrum &c.* Deinde judicavit rem a ſe fieri Deo non ingratam, utendo oblata occaſione patefaciendæ veritatis oraculorum ſeu ſomniorum quæ illis fuerant deriſui, quæque tamen executioni demandata eſſe, ipſe ſuo ex ſtatu erat perſuaſus.

Merito itaque effecit ut coram ipſo ſe incurvarent, contremiſcerent, ſupplices fierent, ac ejus iuriſdictioni ſubmitterentur, ad eius nutum in carcerem coniecti. *Denique* operæ pretium judicavit, per longam dilationem manifeſtationis ſuæ pleniori gaudio eos cumulare, poſtquam aliquandiu eos exercuiſſet & excruciaſſet.

Itaque hoc in toto negotio, Joſephi propoſitum fuit animum explorare fratrum ſuorum, eoſque ad pœnitentiam adducere, & ad meliorem frugem. Neque enim putandum eſt illum malo animo, aut aliqua vindictæ cupiditate, inductum fuiſſe, ut eos ſic vexaret, ſiquidem contrarium manifeſte comprobant illius cordis affectus & motus; quippe cum ſæpe coactus fuerit ſeceſſum quærere fundendis lachrymis opportunum, quas ex intimo pectore erumpentes amplius continere non poterat. Oportuit certe Divino inſtinctu, ea in occaſione illum fuiſſe directum, ut non excanduerit, nec in exprobrationes eruperit; cum tot auctores videret ærumnarum ſuarum; & vindictam haberet præ manibus. Quamvis enim & vultu ad ſeveritatem compoſito, & acrioribus verbis eos compellaverit, ſedato tamen animo, ita modum agendi temperavit, ut videretur ad ſingula præmeditatus accedere. Igitur nihil in iſto negotio peccaſſe videtur.

At inquies, ſimulavit ſe extraneum, cum tamen eſſet eorum frater: porro *ſimulatio*, inquit Cicero in Lælio, *vitioſa eſt, quia tollit & adulterat judicium veri*; qui enim diſſimulat quod eſt, ſimulat aliud quod non eſt.

Reſpondeo, non omnem ſimulationem eſſe vitioſam; ſed eam duntaxat, quæ manifeſtam injuſtitiam habet annexam, & vergit in præjudicium proximi innocentis. Nullus damnat prudentiam ducis exercitus, dum caſtra in hoſtium conſpectu poſita movet, & receſſum fingit, ut hoſtem imparatum adoriatur & vincat.

Adde, diſcrimen ſtatuendum ſimulationem inter & diſſimulationem. *Simulatio* namque proprie dicta, fit per ſigna quædam habentia ſpeciem veri cum intentione decipiendi; differtque tantum a mendacio, quod hoc verbis, illa factis indicetur. Unde ſimulatio eſt falſorum; diſſimulatio autem verorum; qui enim diſſimulat, falſum non dicit, ſed verum celat; quod aliquando fieri poſſe opportune, nemo eſt qui negare debeat: id namque ſuadent Chriſti Domini & Sanctorum plurima diſſimulantium exempla. Angeli ſæpe humana forma viſibiles ſe præbuerunt hominibus, & humanas actiones imitati. qui eſſent, ad tempus diſſimularunt; in quo tamen ab eis nihil eſt peccatum. Porro Joſephus non profitebatur ſe eſſe Ægyptium, ſed originem ſuam Hebræam tegebat; quod nondum tempus eſſet illius aperiendæ.

Verum *adiicies*, non ſolum diſſimulavit a ſeipſo fratres ſuos cognoſci, ſed etiam accuſavit ut exploratores v. 15. & 16. cum tamen certo ſciret illos non eo animo veniſſe; igitur diſſimulationi mendacium & calumniam adjunxit, quod utique peccatum eſt.

Reſpondeo, multorum eſſe ſententiam Joſephum iſta profitendo, fuiſſe quidem mentitum; ſed mendacio, ut aiunt, jocoſo: Et ideo peccaſſe ſaltem venialiter, quod a Patriarchis non raro factum, ſupra docebat S. Auguſtinus.

Verum probabiliorem exiſtimo aliorum ſententiam, qui aſſerunt nullum in Joſephi verbis extare mendacium; quia, inquit S. Bonaventura, cum fratres ſuos, *exploratores* appellavit, hæc non dixit affirmando, ſed inquirendo & tentando; eodem utique ſenſu, quo ſolent agere judices, ut a reis confeſſionem extorqueant.

Urgebis. Iſta Joſephum affirmando dixiſſe argumentum eſt, quod ea graviſſimo juramento confirmaverit, ſemel & iterum jurando *per ſalutem* (ſeu ut fert Hebræus textus) *per vitam Pharaonis*: quod juramentum,

tum, ait Aben-Eſra ex Scriptoribus Ægyptiis, adeo firmum eſt apud Ægyptios, ut ſi quis illud violaret, pœnam capitis incurreret.

Reſpondeo, juramentum illud non fuiſſe prolatum in confirmationem eorum quæ dixerat; nempe fratres ſuos eſſe exploratores; ſed quod tandiu manerent in carcere, donec adveniſſet ipſorum frater minor, quem in ſuum apud patrem extare dicebant, ut ex ejus præſentia, quæ dixerant vera eſſe cognoſceret, atque ita probarent ſe non eſſe exploratores. Licet autem poſtmodum mutata ſententia, non omnes, ſed unum tantum ex eis in carcere vinctum detinuerit; prior tamen ejus mens fuerat omnes ſervare vinctos, uno tantum dempto, qui ad patrem revertendo, natu minimum fratrem adduceret.

Adde quod etſi poſt triduum omnes ſolvit e carcere, & ad patriam reverti permiſerit, attamen cum Simeonem in vinculis retinuerit, uſquequo reverteotes, Benjamioum ſecum adducerent; non tamen cenſendus eſt pejeraſſe; quia non omnes exierunt, quippe cum unus ipſorum vinctus permanſerit, pro aliis obſes. Non enim dixerat, nullus veſtrum egredietur hinc: ſed indefinite dixit: *Per ſalutem Pharaonis non egrediemini hinc, donec veniat huc frater veſter minimus*. Ad cujus ſententiæ veritatem ſatis eſt non omnes rediiſſe, ſed unum eorum obſidem remanſiſſe pro aliis.

Inſtabis iterum, ſaltem peccavit Joſephus io forma juramenti, nimirum jurando per creaturam, quod oon erat licitum; quippe cum Deus ſit ſuprema veritas, ſummaque juſtitia, qui poſſit perjurii pœnas exigere: ſolus etiam advocandus eſt io teſtem veritatis eorum quæ juramento firmantur. Hinc *Deuteronomii 6. v. 13.* ſtatuitur: *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſervies, ac per nomen illius jurabis*.

Reſpondeo, illa Joſephi verba non fuiſſe juramentum religioſum & proprie dictum: ſed potius quandam obteſtationem politicam, qua dictis majorem fidem conciliare volebat. Adeo ut hic fuerit illius verborum ſenſus: tam verum eſt quod dico, quam verum eſt Pharaonem vivere, cojus vices impleo; eodem pene modo, quo poſtea Moſes Cœlum & terram obteſtatur: *Audite Cœli quæ loquor, audiat terra verba oris mei* &c. Ut verbis ſuis fidem conciliaret, ſignificaretque nullam fore mundi partem quæ adverſus Iſraelitarum ingratitudinem non debeat inſurgere, ſi poſt tot accepta a Deo beneficia, traditam ab eo legem noo impleant.

Hanc eamdem quæſtionem proponit S. Augnſtinus: „ Quid eſt, *inquit*, quod Joſeph vir tam ſapiens, atque ita non ſolum hominum, inter quos vivebat, teſtimonio; ſed ipſa etiam ſcriptura teſte, laudatus, ita jurat per ſalutem Pharaonis, non exituros de Ægypto fratres ſuos, niſi frater eorum minor venerit, &c.

Reſpondet autem a Joſepho in iſtis nullum admiſſum eſſe perjorium: „ Tenuit enim, *inquit*, unum eorum fratrum in carcere donec veniret Benjamin, & verum factum eſt quod dixerat: *Non exibitis hinc, niſi venerit frater veſter*: Ad omnes enim non potuit pertinere quod dictum eſt. Nam quomodo eſſet ille venturus, niſi ad eum ducendum aliqui rediiſſent.

Sed quod ſequitur, magis urget quæſtionem, ubi iterum juravit dicens: „ *Mittite ex vobis unum, & adducite fratrem veſtrum: vos autem non educemini quoadusque manifeſta ſint verba veſtra, ſi vera dicitis an non: ſin autem per ſalutem Pharaonis, exploratores eſtis.* Huic ſententiæ interpoſuit jurationem, quia ſi vera non dixiſſent, exploratores eſſent, id eſt, exploratorum pœna digni eſſent; quos tamen vera dicere ſciebat. Neque enim perjurus eſt quiſque, ſi ei, quem caſtiſſimum novit, dicat ſi hoc adulterium de quo argueris commiſiſti, damnet te Deus: etſi his verbis adhibeat jurationem, verum omnino jurat. Ibi eſt enim conditio qua dixit, ſi feciſti, quem tamen non feciſſe ratum habet.

Hic autem obiter obſervandum eſt, multiplicem fuiſſe apud veteres Chiſtianos jurandi formulam: nempe per Deum, per Chriſtum, per majeſtatem & ſalutem Imperatoris, ut colligere eſt ex militiæ Sacramento, quod milites tunc emittebant, de quibus Vegetius a: *Jurant*, inquit, *per Deum, & per Chriſtum, & per Spiritum Sanctum, & per majeſtatem Imperatoris* &c. Quin etiam jurabant per ſalutem Imperatoris, ut refert Tertullianus b *Juramus*, ioquit, *ſicut non per genios Cæſarum, ita per ſalutem eorum*: ut prius negat, ſic poſterius admittit: cuius diſcriminis hanc profert rationem: *Nos judicium Dei ſuſpicimus in Imperatoribus qui Gentibus illos præfecit: id in eis ſcimus eſſe quod Deus voluit: ideoque & ſalvum volumus eſſe quod Deus voluit, & pro magno juramento habemus. Cæterum Dæmones, id eſt genios, adjurare conſuevimus ut illos de hominibus exigamus.* Igitur nil peccavit Joſephus jurando per ſalutem Pharaonis, quam ipſi proſperam a Deo optabat.

a Lib. 2. cap. 5.

b in Apolog. cap. 32.

DISQUI-

DISQUISITIONES IN CAPUT XLIII.

Summa hujus capitis complectitur ſecundam profectionem filiorum Jacobi in Ægyptum aononæ procurandæ cauſa; treſque ſunt præcipuæ illius partes, I. Reluctantia ipſorum filiorum profectionem detrectantium, niſi comitem habeant fratrem Benjaminum, quem tandem Jacobus eis concedit. II. Eorum ad Joſephum acceſſus, a quo benignius excipiuntur. III. Convivium eis inſtructum; in quo Benjaminus portione aliis majore donatur.

Jacobi filii accepta tandem a patre renitente licentia ducendi ſecum fratrem ſuum Benjaminum; iterum in Ægyptum proficiſcuntur, conveniuntque Joſephum adhuc ipſis igootum: quos cum ille una cum Benjamino vidiſſet, præcepit Diſpenſatori domus ſuæ, dicens: *Introduc viros domum, & occide victimas, & inſtrue convivium: quoniam mecum ſunt comeſturi meridie.*

QUÆRITUR AUTEM I.

Quas victimas manducaverit Joſephus, ut tam ipſi, quam ſuis fratribus eſſent in ferculum & edulium.

Ratio difficultatis eſt, quod veriſimile ſit, Ægyptios non conſueviſſe veſci animalium carnibus; ſed vel oleribus, vel fructibus, & piſcibus, ut colligitur ex *Numer.* xi. v. 5 ubi Iſraelitæ, una cum promiſcuo vulgo contra Moſem inſurgentes, aiunt: *Quis dabit nobis ad veſcendum carnes? Recordamur piſcium, quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones porrique, & cæpe, allia: anima noſtra arida eſt; nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri, niſi man.* Occiſio autem victimarum non dicitur fieri ex piſcibus, aut oleribus, ſed ex animalibus.

Animalia autem illa occidenda non fuerunt oves, neque boves; quia cum illa, ut numina colerentur ab Ægyptiis, piaculum ipſis videbatur, & grande crimen, ſi quis illa percuteret & occideret, ut conſtat *Exod.* 8. v. 26. ubi cum Pharao diceret Moſi & Aaroni, ut tam ipſi quam Iſraelitæ Deo ſuo ſacrificarent in Ægypto: illi reſpondent: *Non poteſt ita fieri: abominationes enim Ægyptorum immolabimus Domino Deo noſtro. Quod ſi mactaverimus ea, quæ colunt Ægyptii coram eis, lapidibus nos obruent.* Igitur animalia illa juſſu Joſephi occidenda, ut eſſent in eſcam ſuis fratribus, non fuerunt boves, nec oves, quænam ergo?

Reſpondeo 1. Falſum eſſe Ægytios nullatenus uſos fuiſſe animalium carnibus; quorſum enim murmuratores illi dixiſſent: *Quis dabit nobis ad veſcendum carnes?* ſi illis in Ægypto edendis non aſſueviſſent?

Reſpondeo 2. Quod etſi Ægyptiis interdicta eſſet caro bovilla & ovilla, aliæ plurimæ erant ipſis permiſſæ; puta volarium domeſticarum, nempe gallinarum, pullorum, anſerum, columbarum, atque venatu, & aucupio comparandarum, quales ſunt cervi, apti, perdices &c. ex quibus ſplendidum poterat apparari convivium. Utut ſit, certum eſt a Joſepho fratres ſuos lautiſſimis epulis exceptos fuiſſe, maxime vero Benjaminum, cui duplices dapes juſſit apponi.

QUÆRITUR II.

Utrum prudenter egerit Joſephus plus largiendo Benjamino, quam cæteris fratribus.

Reſpondet Alexander Polyhiſtor productus ab Euſebio, non ſine gravi ratione Joſephum juſſiſſe quincuplas germano ſuo Benjamino partes in illo prandio apponi: „ Propterea, *inquit*, id factum eſt ab eo, „ quoniam ſeptem filios Lia patri ejus pe- „ pererat (ſex mares, & unam fœminam:) „ Rachel autem mater ſua duos tantum. „ Propterea Joſeph quinque partes dediſſe „ Benjamin, & duas ipſe ſibi accepiſſe: ut „ ſeptem etiam ipſi partes, quot & Liæ filii „ haberent, ne domus matris ſuæ minor vi- „ deretur.

Lyranus vero, aliique complures putant id a Joſepho factum eſſe ut animos tentaret fratrum ſuorum erga Benjaminum, exploraretque num inviderent ipſi, & ægre ferrent ſibi prælatum eſſe in convivio, ſicut inviderant ſibi, quod plus ipſis diligeretur a patre. Adjici poteſt id a Joſeph factum quod Benjamin ſibi conjunctior eſſet, & charior cæteris fratribus, cum eſſet frater ſuus uterinus, & unicus eodem patre matreque generatus: & quod in ſui locum ſucceſſiſſet apud patrem, quantum ad ſingularem amorem & curam ejus. QUÆ-

QUÆRITUR III.

Qua ratione Joſephus vir pius & ſobrius permiſerit fratres ſuos inebriari,

PRæſens caput claudit Moſes his verbis: *Biberuntque & inebriati ſunt cum eo.* Quæ ſignificare videntur tam Joſephum, quam ejus fratres adeo intemperanter & immodice in eo convivio potaſſe, ut in ebrietatem fuerint lapſi. At res ita non eſt; verbum enim *inebriandi* apud Hebræos non ſemper deſignat eum potus exceſſum, qui hominem mente emotum efficiat: ſed ſæpiſſime uſurpatur in bonam partem, pro ſatietate; ita ut idem ſigoificet, ac epulis, lætitiæ cauſa, liberalius indulgere, & bibere ad ſatietatem: ita exponit S. Hieronymus in traditionibus Hebraicis ſuper præſata Geneſis verba: *Idioma linguæ Hebrnicæ eſt*, inquit, *ut ebrietatem pro ſatietate ponat, ſicut ibi: in ſtillicidiis ejus inebriabitur germinans: haud dubium quin terra pluviis irrigata ſignificetur.* In eundem ſenſum S. Auguſtinus præſata Moſis verba exponit: „ Solent, *inquit*, „ ebrioſi homines hinc ſibi adhibere teſtimonii „ patrocinium, non propter illos filios Iſrael: „ ſed propter Joſeph, qui valde Sapiens „ commendatur. Sed *inebriandi* verbum, & „ pro ſatietate ſolere poni in Scripturis, „ qui diligenter advertit, multis in locis inveniet. Unde eſt illud: *Viſitaſti terram*, „ *& inebriaſti eam, multiplicaſti ditare eam.* „ Et quia in laude benedictionis hoc poſitum eſt, & tanquam donum Dei commemoratur; ſatis apparet ebrietatis vocabulo, ibi ſatietatem ſignificari. Nam ſic „ inebriari, ut inebriantur ebrioſi, nec ipſi „ terræ utile eſt; quoniam majore quam „ ſitienti ſufficit, humore corrumpitur: ſicut „ vita ebrioſorum, qui non ſitientes ſe replent, ſed mergunt diluvio. *Sic S. Auguſtinus.*

Quod autem in eo convivio nec Joſephus, nec ejus fratres ita potationi indulſerint, ut in proprie dictam ebrietatem fuerint lapſi; argumentum eſt, quod ipſe Joſephus vir imprimis continens & caſtus, paſſus non eſſet in menſa ſua crapulæ & temulentiæ ita convivas indulgere, ut ex illa immoderata potatione exturbatum fuiſſet eorum judicium, & temperantiæ metas fuiſſent tranſgreſſi. Poſſunt ii, qui frugaliter veſcuntur, interdum cibo & potu liberiore ſe exhilarare; præſertim ubi ſe offert occaſio amicos diu non viſos excipiendi: ſed cum ſint continuo temperantiæ memores; ita genio non indulgent, ut vino aut potu inebriante ſe ingurgitent, ſintque mente emoti.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XLIV.

PEracto convivio imperavit Joſephus domus ſuæ præfecto, ut frumento impletis fratrum ſuorum ſaccis, receptum ab eis pro annona pretium in ſingulis ſaccis abſconderet; ſcyphum autem, in quo bibere ſolebat, tanquam auguralem, reponeret in Benjamini Sacco.

Illi itaque ſummo mane dimiſſi cum ſuis oneribus, læti in patriam tendebant, cum ſubito equitum agmine, & duce Joſephi domus Præfecto, a tergo premuntur. Crimen Præfectus obiicit, quod liberaliter & magnifice excepti, Joſephi ſcyphum, in quo augurari ſolebat, furto abſtuliſſent. Duo itaque potiſſimum hoc in capite referuntur, I. Novum Joſephi ad explorandum fratrum ſuorum animum, artificium. II. Judæ pro Benjamino furti inſimulato ad Joſephum vehemens interceſſio.

Cum itaque perſcrutatis ſingulorum ſaccis, ſcyphus ille tandem repertus eſſet in ſacco Benjamini, hic quaſi furti reus deprehenſus, cum ſuis fratribus ad Joſephum reducitur. Quos omnes in terram proſtratos ſic auſtere compellat Joſephus: *Cur ſic agere voluiſtis? an ignoratis quod non ſit ſimilis mei in augurandi ſcientia?* Unde

QUÆRITUR I.

Quo animo Joſephus has Benjamino innocenti ſtruxerit inſidias & criminationes.

REſpondet Theodoretus: „ Experiri volens Joſeph animum fratrum erga „ Benjamin, & liquido noſcere an Benjamin „ calumniam paſſum, & animo, & acriter „ defenderent, ob id in ejus ſaccum abſcondi ſcyphum imperavit. At ubi eos non „ tantum illi patrocinari, ſed etiam pro eo „ vehementer certare, ac ſe ipſos offerre „ perſpexit; perſona Principis, & imperantis depoſita, fraternum vultum induit, & bene-

„ benevolentiam oſtendit; fratreſque trepidantes, & tantum non terram ſibi dehiſcere exoptantes, ipſe bono animo eſſe juſſit dicens: *Nunc igitur ne timueritis: neque durum eſſe vobis videatur quod vendidiſtis me: nam ut viveretis, miſit me Deus huc ante vos*. Sic Theodoret.

Verum inquies, tametſi bono animo erga Benjaminum hoc commentum meditatus fuerit Joſephus; nihilominus immunis a culpa non videtur, dum ait augurandi ſe artem profiteri: perperam enim & indigne cœleſtis gratiæ ſibi conceſſæ laudem transſert ad dæmonia. Prius negabat ſe idoneum ſore ſomnii interpretem, niſi quatenus veritatem Deus ſuggereret: nunc autem totum illud beneficium reſundit in augurii auctores, nempe dæmones. Iſta enim proferendo, vel intendebat ſignificare ſe augurem eſſe præſtantiſſimum, & ſic Deo vaticiniorum ſuorum laudem detrahebat: vel ea non erat ipſius intentio; & ſic aperte mentiebatur.

Hoc argumentum proponit, & ſic diluit S. Auguſtinus: „ Quod ait fratribus ſuis Joſeph: *Neſciebatis quia augurio auguratur homo, qualis ego*; de hoc augurio etiam mandavit eis dicendum per hominem ſuum: quid ſibi velit, quæri ſolet; an quia non ſerio, ſed joco dictum eſt, ut exitus docuit non eſt habendum mendacium? Mendacia enim a mendacibus ſerio aguntur, non joco: eum autem quæ non ſunt, tanquam joco dicuntur, non deputantur mendacia. *Ita S. Auguſtinus*. Quibus verbis ſignificat Joſephum iſta verba non ſerio, ſed per jocum & ut figmento ſuo faceret fidem protuliſſe.

Aſſerere tamen quis poſſet hæc ab eo dicta hoc animo: cogitare debuiſtis me ob ſecretorum cognitionem celebratum eſſe, non modo a Pharaone, ſed etiam per univerſam Ægyptum; ac proinde debueratis eſſe perſuaſi a me furtum veſtrum poſſe deprehendi: ideoque a tanto flagitio perpetrando vobis cavendum erat, cum id facile noſſe potuerim, & ſevere in vos animadvertere. Qui utique ſenſus planus eſt, nec Joſepho contumelioſus.

Neque contrarium inferre licet ea verbo *augurandi*, quo utitur Joſephus; vox enim *augurium*, duplicem habet ſignificationem; propriam unam, metaphoricam alteram. Priori modo, *augurari*, ſignificat divinare ex avium vel volatu, vel cantu, vel paſtu, ea quæ ventura ſunt; quo ſenſu, *augures* dicuntur dæmonum operarii & miniſtri; ideoque pluries in Scriptura, & in Eccleſiaſticis ſanctionibus ſub anathemate damnantur. Metaphorice autem *augurandi* verbum ſignificat tantum futurorum prædictionem: atque hoc ſenſu ſanctiſſimi Prophetæ dici poſſent Augures, id eſt, rerum ſuturarum conjectores & revelatores.

QUÆRITUR II.

Cur toties fratres ſuos ludificavit Joſephus, & tanta expectatione ſuſpendit, priuſquam eis aperiret quis eſſet.

RESpondet S. Auguſtinus: „ Non negligenter conſiderandum puto, tantam miſeriam in hac perturbatione fratrum ſuorum, quomodo Joſeph quandiu voluit, tenuit; & quanta voluit mora produxit: non eos utique faciens calamitoſos, quando tantæ etiam ipſorum futuræ lætitiæ exitum cogitabat; & totum hoc quod agebat, ut eorum gaudium differretur, ad hoc agebat, ut eadem dilatione cumularetur: tamquam non eſſent condignæ paſſiones eorum in toto illo tempore quo turbabantur, ad futuram gloriam exultationis quæ in eis fuerat revelanda, fratre cognito, quem a ſe perditum eſſe arbitrabantur.

Cum itaque coram Joſepho comparuiſſent omnes, etſi fraudis ſibi factæ nonnulla eorum animis ſuberat ſuſpicio, quia tanti facinoris reum eſſe Benjaminum ſibi perſuadere non poterant; attamen factum excuſare non audent: ſed illius cauſam in abſconditum Dei judicium refundunt: *Deus*, inquiunt, *invenit iniquitatem ſervorum tuorum*: ac ſi dicerent, arcano Dei judicio inflictam ſibi eſſe hanc plagam. Quamobrem nihil excuſant. Ne autem capitis ſupplicium de eo ſumatur, qui putabatur reus, ſicut initio pacti fuerant dicentes v. 9. *Apud quemcunque fuerit inventum ſervorum tuorum, quod quæris, moriatur: & nos erimus Domini noſtri omnes ſervi*. Quibus profitentur ſe illius obſequio eſſe mancipatos: non ſolum communi hac ratione qua homines inferiores ſuperiorum ſe ſervos dicunt: ſed etiam peculiari, qua rei ſunt in poteſtate ſui judicis, ut pro ſuo arbitratu poſſit eos captivitati mancipare.

Cum autem Joſephus dixiſſet injuſtum eſſe pro unius crimine omnes plecti, & cum ſonte inſontes pati; unde liberum ipſis faciebat patriam repetere, ea lege, ut qui furti reus deprehenſus fuerat, ſervituti ſubderetur: Judas, qui inter fratres jam aliquod obtinebat imperium, cæteris confidentior factus tentavit Joſephi exacerbatum in ſpeciem animum demulcere, & ad miſericordiam flectere.

Itaque ſupliciter impetrata loquendi venia, initio præfatur ſe non eſſe neſcium quanto honore is cui loquitur excellat in Ægypto, utpote qui a Pharaone eſſet ſecundus; tum re ab ovo repetita, recitat qua ratione juxta illius mandatum obtinuerint Benjaminum a ſuo patre, qui nonniſi ſumma cum difficultate paſſus eſt eum abire, quod unicum illius eſſet mœrentis animi ſolatium. Additque ſe nullatenus poſſe ad patrem reverti ſine Benjamino, duplici de cauſa. I: Quod lethalem triſtitiam afferrent

patri

patri ſuo, ſi reverſi ſuerint abſque Benjamino illius corculo. Deinde quod ipſe reducendi Benjaminum ſponſione privatim ſe patri obſtrinxerit. Unde obteſtatur ut Benjamini loco, ipſe perpetua ſervitute mulctetur, quatenus fidem ſuam apud patrem liberet, nec illius mortis auctor exiſtat.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XLV.

HOc in capite I. Joſepus tandem victus affectu, quis ſit fratribus aperit. II. Annuente Pharaone hortatur eos ut patrem Jacobum ſua cum univerſa familia in Ægyptum adducant. III. Ad patrem reverſi, ei nuntiant Joſephum vivere, & in Ægypto dominari.

Joſephus itaque Judæ oratione & fratrum anguſtiis, præſertim Benjamini lachrymis vehementiſſime commotus, Ægyptiis conclavi diſcedere juſſis, ut ſolus eum ſolis ſuis fratribus liberius ageret, eorumque honori conſuleret, & verecundiæ parceret; non valens ultra ebullientem interius amoris impetum continere, totus in gaudii lachrymas effuſus exclamat: *Ego ſum Joſeph: adhuc pater meus vivit?* Quibus auditis, obſtupeſcentes fratres veluti fulmine perculſos, blanda oratione demulcet, ſingulos amplexatur, omnibus impendit oſcula, & in corde hactenus latentem fraternum amorem, quem verbis exprimere non valet, largo lachrymarum effluvio abunde demonſtrat.

Tria itaque Joſephus in eo cum fratribus alloquio præbuit eximiæ ſuæ erga eos fraternæ charitatis indicia. I. Blande eos alloquendo & amplexando. II. Teſtando ſe acceptarum ab eis injuriarum non ſolum nuſquam fore memorem, ſed & illarum atrocitatem ita minuendo, ut quæ geſta ſunt, in paternam Dei providentiam & ſapientem ordinationem refundenda eſſe pronuntiet; *Pro ſalute veſtra* (inquit, verſ. 5.) *miſit me Deus ante vos in Ægyptum:* Et infra v. 8. *Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum.* III. Eos hortatur ut ad patrem citiſſime reverſi, eum eum univerſa ſua familia in Ægyptum continuo adducant, ſpondens ſe daturum eis in habitationem, pinguiſſimam regionem Geſſen.

QUÆRITUR I.

Cum Joſephus non ignoraret terram Chanaan fuiſſe parenti ſuo divinitus promiſſam in hæreditatem, cur eum inde abduci voluerit.

COnſultius egiſſe videretur Joſephus patri ſuo annis gravato, in Chananitide neceſſaria ſubminiſtrare alimenta, quam eum inde in Ægyptum adducere, ut graſſanti fami occurreret. Periculum enim erat. I. Ne deficeret in via una cum filiorum ſuorum parvulis. II. Ne a Chananæis ejus receſſum ægre ferentibus inſidiæ ſtruerentur, aut armata manu oppugnaretur & retineretur invitus. III. Ne ejus poſteri terram fœcundam in Ægypto incolentes, in repromiſſam ſuis patribus Chananitidem reverti contemnerent, occupata jam commodiori habitatione. IV. Cum illuſtraretur ſpiritu prophetico, prævidere debebat futurum aliquando, poſtquam ipſe vivere deſiiſſet, ut ſui ſuorumque fratrum poſteri diriſſime tractarentur ab Ægyptiis, adeo ut etiam eos vivere tæderet.

Reſpondeo, Iſta quidem omnia perſpecta fuiſſe Joſepho quippe qui morti proximus filios ac nepotes, ſuos eorumque ſucceſſores adjuravit, ut cum Deus illos ex Ægypto revocaret in Chananitidem, illius ſecum oſſa portarent. Sed cum divinitus eſſet edoctus ſuos, fratrumque poſteros, ſicut eorum majores, diutiſſime peregrinaturos eſſe in terra aliena, donec adveniret tempus a Deo præfixum, quo Chananitide ſibi in perpetuam hæreditatem deſtinata potituri erant; merito cenſuit patrem ſuum in Ægyptum advocare, ut per quinquennium quo adhuc graſſari debebat fames, haberet tam ipſe, quam ejus familia, unde vitam ſuam commode foverent: fuiſſet autem difficile, ac periculoſum, per quinquennium annonam continuo pro tanta tamque numeroſa familia tranſmittere. Quod autem ad id a Deo motus & directus fuerit, videtur ex eo quod Jacobo in Ægyptum properanti apparens Deus; ut refertur capite ſequenti, dixit ei: *Noli timere, deſcende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi. Ego deſcendam tecum illuc, & ego inde adducam te revertentem.*

QUÆ-

QUÆRITUR II.

Utrum recte fecerit Joſeph promittendo fratribus ſuis pinguiorem Ægypti regionem, inconſulto Pharaone.

EA eſt Principum vices gerentium plerumque agendi ratio, ut auctoritate ſibi concredita abutentes, ſuis nimium indulgeant, & optima quæque eis, tametſi minus dignis, largiantur. In eundem ſcopulum impegiſſe videtur Joſephus; ſtatim enim atque fratribus ſe manifeſtum fecit, & priuſquam cum Rege contuliſſet, eam Ægypti regionem, quæ feracior & pinguior erat, promiſit in habitationem, nondum explorata Principis voluntate.

Verum hæc promittendo, nihil revera peccavit Joſephus; ſiquidem tacitam habuit ſemper apud ſe hanc conditionem, ſe hæc omnia facturum cum bona Principis venia; nec prius executioni mandaturum id, quod pollicebatur, quam de voluntate Regis ipſi conſtaret. Quod utique implevit; cum enim accepiſſet Pharao veniſſe Joſephi fratres; dixit ad Joſeph v. 17. *Ut imperaret fratribus ſuis dicens: Onerantes jumenta, ite in terram Chanaan; & tollite inde patrem veſtrum, & cognationem, & venite ad me; & ego dabo vobis omnia bona Ægypti, ut comedatis medullam terræ. Præcipe etiam ut tollant plauſtra de terra Ægypti, ad ſubvectionem parvulorum ſuorum, & conjugum, & dicito: Tollite patrem veſtrum, & properate quantocyus venientes, nec dimittatis quicquam de ſupellectili veſtra: quia omnes opes Ægypti veſtræ erunt; feceruntque filii Iſrael ut eis mandatum fuerat.*

Itaque tametſi ea promiſiſſet Joſephus, nihil tamen eaccutus eſt inconſulto Rege, & nonniſi accepto ipſius mandato. In quibus certe eximia illius apparet prudentia, & ſapiens agendi ratio, utpote cum non ſolum habuerit faventem Principem: ſed &, quod rarum eſt, omnes regni Magnates, qui ſolent exteris ſibi in dignitate præpoſitis plurimum invidere. Oportuit ergo Joſephum ſumma æquitate & ſapientia præfulſiſſe, ut omnium ſibi, etiam Magnatum devinciret animos, eoſque ſibi congratulantes & applaudentes haberet.

Ad Jacobum patrem reverſi filii, cum Joſephum vivere, & in Ægypto ſecundum a Rege dominari nuntiaſſent, *quaſi de gravi ſomno evigilans, tamen non credebat eis: cumque vidiſſet plauſtra, & univerſa quæ miſerat,* (Joſeph) *revixit ſpiritus ejus.* Seu, ut ait S. Chryſoſtomus in hunc locum, *reexcitatus eſt.* Quem textum ſic exponit: „ Sicut, „ *inquit*, ignis in lucerna quando deficit olei „ alimonia, & jam extinguitur; ſi parum „ quis olei infuderit, repente quod extingui „ putabatur, clariorem emittit lucem: ita „ & ſenex ille præ triſtitia extingui vide„ batur. Sic enim de eo dicit Scriptura: „ *Noluit conſolationem accipere dicens: de„ ſcendam lugens in infernum.* Ubi autem „ cognovit quod viveret, & quod domina„ retur in tota Ægypto, & vidit plauſtra, „ quaſi reaccenſus eſt, & juvenis ex ſene „ factus eſt. Depoſuit mœroris nebulas, „ diſpulit cogitationum tempeſtatem, & in „ magna tranquillitate conſtitutus eſt. Hæc „ autem omnia eo deſtinabat ac diſpenſabat „ Deus, ut juſtus laborum ſuorum conſola„ tionem acciperet, & particeps fieret feli„ citatis filii ſui.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XLVI.

TRia hoc in capite memorantur. I. Jacobi profectio in Berſabeam ibidemque oblatum ſacrificium, & acceptum a Deo oraculum. II. Ejus in Ægyptum ingreſſus cum tota ſua familia, cujus ſingula capita enumerantur. III. Illius cum filiis ad Pharaonem acceſſus.

Cum Jacobus tandem perſuaſus fuiſſet revera cariſſimum ſuum Joſephum vivere, & in Ægypto dominari, atque ab ipſo, ſicut & a Pharaone ſollicitari ut ad eos accederet; ſtatuit quamprimum illuc migrari. Verum illico multiplex animum ejus ſubiit cogitatio quæ illum a propoſito revocabat. I. Namque, ait Joſephus hiſtoricus, timebat ne filii, poſterique ineſcati Ægypti deliciis, repetere nollent Chananitidem, ſicque exciderent divina promiſſione ſuis majoribus facta. II. Ne forte, nolente Deo hanc migrationem, omne illius genus extingueretur. III. Ne Joſephum mors raperet, priuſquam ad eum ſalvus & incolumis accederet.

His itaque de cauſis dubius & anceps hærens Jacobus, utrum illa profectio foret Deo grata, cenſuit recta pergere Berſabeam, nobilem utique & ſanctiſſimum locum habitatione Abrahami & Iſaaci, qui fœdere inito cum Regibus Geraræ, lucos ibi plantaverant, & altaria conſtruxerant in quibus Deum colerent. Cum autem illuc acceſſiſſet, antequam ulterius pergeret verſus Ægyptum, fecit quod pium virum decebat, ſacrificium of-

offerens, ut ipſi ſuam Deus voluntatem ſignificare dignaretur. Quod utique benigne nocte ſequenti præſtitit. Cum enim obdormiiſſet, Deum ſemel & iterum ipſum vocantem audivit, cui cum reſpondiſſet: *adſum*, quatuor ei pollicitus eſt, quibus totidem timoris cauſas excuſſit. I. Se illi futurum in ea peregrinatione comitem & cuſtodem: *Noli timere*, inquit, *deſcende in Ægyptum; ego deſcendam tecum illuc*. II. Spondet ſe ibi multiplicaturum illius poſteros in Gentem magnam. III. Ipſius progeniem revocaturum in Chananitidem. IV. Joſephum fore illi ſuperſtitem; & oculos ipſius in morte clauſurum.

Jacobus itaque hoc divino oraculo recreatus, & quaſi novo vigore cœlitus accepto, cum ſua familia continuo perrexit in Ægyptum, in diuturnam plurimorum annorum peregrinationem; cujus ut initia lætiſſima, ita extrema moleſtiſſima fuerunt. Ingreſſus quidem paucorum fuit; exitus innumerabilis multitudinis. Initium ſub mitiſſimo, ac liberaliſſimo Rege plenum tranquillitatis, ac benevolentiæ, finis ſub tyranno crudeliſſimo, atque ingratiſſimo, plenus odii, cædium atque turbarum: hic parvuli & uxores Hebræorum deducuntur in curribus & Plauſtris; illic parvuli abiiciuntur in fluctus, & matres fœtibus ſuis orbantur: hic evocantur ultro Iſraelitæ ne fame in Chananitide moriantur; illic exire compelluntur ab Ægyptiis metuentibus mortem ab Angelo exterminatore.

Quot autem Jacobo fuerint ſui in Ægyptum ingreſſus familiæ ſuæ comites, indicat Moſes his verbis v. 26. *Cunctæ animæ quæ ingreſſæ ſunt cum Jacob in Ægyptum, & egreſſæ ſunt de femore illius, abſque uxoribus filiorum ejus, ſexaginta ſex*. Quibus ſi adjunxeris duos filios Joſephi, ipſum Jacobum, & Joſephum, fiunt ſeptuaginta. Unde ſubditur: *Omnes animæ domus Jacob quæ ingreſſæ ſunt in Ægyptum, fuere ſeptuaginta*. Scilicet familiarum capita: neque enim hic numerantur famuli cum filiis & uxoribus eorum; imo nec filiæ ac nepotes Patriarcharum, præter duas.

Ex hac autem recenſione plures emergunt difficultates, in quibus enodandis plurimum laborant interpretes; at quoniam aliquas evolvimus in noſtro Conciliatorio Biblico, atque etiam ubi ſermo fuit de expoſitione ſomniorum Joſephi; ut aliarum explanationem habeat lector, audiat Lyranum noſtrum eas ſic proponentem & diſſolventem: Circa „ illos numeros ſequentes, *inquit*, varii Doctores varie dicunt & multipliciter: accipiam autem duos modos dicendi, qui videntur mihi probabiliores. LXVI. iſte numerus & perſonarum quæ egreſſæ ſunt de Jacob, & cum hoc egreſſæ ſunt Ægyptum cum eo, ut patet in littera. Et ab hoc numero excluduntur Her & Onam, qui non intraverunt Ægyptum; ſed mortui ſunt in terra Chanaan, ut prædictum eſt in iſto capite & ſupra XXXVIII. cap. ſimiliter excluduntur Joſeph & filii ejus, qui erant in Ægypto antequam Jacob ingrederetur; & ſic de numero iſto prædicto remanent LXV. cum quibus ſi ponatur Dina, quæ fuit excluſa e numero triginta trium puerorum Liæ, ut ſupra dictum eſt, & quæ ingreſſa eſt cum Jacob Ægyptum: ſic habemus LXVI. perſonas, hic numeratas: cum quibus ſi addantur Joſeph & duo filii eius & Jocabeth filia Levi, quæ concepta erat ante ingreſſum Jacob in Ægyptum nondum tamen nata, ut dicunt Hebræi, & ſic intravit Ægyptum, licet in utero matris; & ſic habemus ultimum numerum, cum dicitur: *Omnes animæ domus Jacob, quæ ingreſſæ ſunt Ægyptum, fuerunt LXX*. Sed quia Scriptura non exprimit quod Levi aliquam filiam habuerit, quæ vocata ſit Jocabeth, quia illa, de qua fit mentio in Exodo, non fuit eius filia, ut ibi dicetur, id eo hoc dimitti poteſt, & loco eius poni ipſe Jacob, quia cum prole ſua ingreſſus eſt; & ſic ſunt ſeptuaginta. Unde & in hoc numero ultimo non dicitur: *Omnes animæ quæ egreſſæ ſunt de femore Jacob*, quia ipſe non fuit egreſſus a ſe ipſo; ſed dicitur: *Omnes animæ domus Jacob quæ ingreſſæ ſunt Ægyptum, fuere LXX*. & hic modus dicendi videtur convenientior.

„ Tamen ingreſſus ipſius Joſephi fuit ante ingreſſum patris, & ſimiliter ingreſſus filiorum Joſeph, qui dicuntur hic ingreſſi ratione patris ſui, & ſic in eo quodammodo ingreſſi ſunt; unde & de perſonis hic ultimo nominatis non dicitur: *Quæ ingreſſæ ſunt cum Jacob in Ægyptum*; ſed *quæ ingreſſæ ſunt, abſolute*. Translatio vero LXX. hic habet LXXV. ſed ſecundum Hieronymum hic cum prædicto, numeraverunt quinque filios filiorum Joſeph, qui tamen nondum erant nati, & hoc factum eſt per anticipationem propter honorem Joſeph, propter quem alii fuerunt recepti in Ægypto, & hanc translationem ſecutus eſt, S. Lucas, Act. VII.

Cur autem S. Lucas referendo concionem S. Stephani potius ſecutus fuerit Editionem LXX. Interpretum in recenſione familiæ Jacobi, quam teſtum Hebraicum, hanc rationem profert S. Hieronymus: Non debuit S. Lucas, qui ipſius hiſtoriæ Scriptor eſt, in Gentes Actuum Apoſtolorum volumen emittens, contrarium aliquid ſcribere adverſus eam Scripturam, quæ jam fuerat Gentibus divulgata. Et utique majoris opinionis, illo dumtaxat tempore, ſeptuaginta Interpretum habebatur auctoritas, quam Lucæ, qui ignotus & vilis, & non magnæ fidei in nationibus ducebatur. Hoc autem generaliter obſervandum, quod ubicumque SS. Apoſtoli, aut Apoſtolici viri loquuntur ad populos, his plerumque teſtimoniis abutuntur, quæ jam fuerant in Gentibus divulgata.

„ Quod autem aliqui dicunt nullam mulierem hic computari, patet falſum; quia Sara computatur inter filios Zelphæ, aliter non eſſet XVI. ſed XV. tantum, quod eſt contra textum ubi dicitur: *Sexdecim animas &c.*

„ Con-

„ Conſiderandum etiam quod cum dicitur „ hic: Animæ egreſſæ de femore Jacob; „ non eſt per hoc intelligendum, quod anima intellectiva ſit per generationem: ſed „ accipitur hic anima pro homine, eo modo quo totum denominatur a parte principaliori, licet autem hoc generetur, anima tamen intellectiva non generatur, ſed „ creando infunditur. *Ita Liranus*.

QUÆRITUR I.

Qua de cauſa Moſes tanto ſtudio hanc Jacobi familiæ Genealogiam texuerit.

R*Eſpondeo*, id feciſſe triplici de cauſa. I. Ut inde facilius conſtaret quanam ex ſtirpe oriundus eſſet Meſſias, & quinam eſſent illius nativitatis ſecundum carnem majores & anteceſſores.

II. Ut ex illa familiarum diſtinctione & propagatione apparerent diverſæ Tribus, quibus erat aliquando diſtribuenda terra promiſſionis; ne ſcilicet invicem permixtæ familiæ, inducerent permixtionem hæreditatum.

III. Ut inde manifeſta fieret mirabilis illa Iſraeliticæ Gentis multiplicatio, quæ intra 215. circiter annos in tantum excrevit, ut licet cum Jacobo in Ægyptum intrarint tantum ſexaginta familiarum capita; nihilominus duce Moſe, inde egreſſæ ſint ſexies centena armatorum millia, non computatis ſenibus, pueris, mulieribus, & Levitis. In quo certe mirum in modum eluceſcit ſingularis Dei erga ipſos Iſraelitas benedictio; & impleta promiſſio facta Patriarchis Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo, de ipſorum multiplicando ſemine ſicut ſtellas Cœli, & ſicut arenam, quæ eſt in littore maris.

Hinc ſtupendam illam propagationem proponit Moſes Iſraelitis, *Deuteronomii* 10. *v.* 22. tanquam argumento, efficax, ut eos ſtimulet ad continuo celebrandas Dei laudes, religioſumque cultum ipſi perpetuo impendendum: *Ipſe eſt laus tua*, inquit, *& Deus tuus, qui fecit tibi hæc magnalia & terribilia, quæ viderunt oculi tui. In ſeptuaginta animabus deſcenderunt patres tui in Ægyptum, & ecce nunc multiplicavit te Dominus Deus tuus ſicut aſtra Cæli.*

Cum Jacobus vicinus eſſet Ægypto ſua cum tota familia, & univerſis quæ ad eum pertinebant, ne importune, vel in aulam ſe daret, vel in regnum injuſſus irruiſſe videretur, præmiſit ad Joſephum Judam, qui nunciaret ei adeſſe patrem, ut ſibi mutuo, ſub ingreſſum Ægypti occurrerent. Elegit autem Judam, ut virum præ cæteris induſtrium, atque honeſtum, & utrique charum. Futurus autem erat occurſus in terra Geſſen; illic enim habitaturi erant, ut Joſeph fratribus ſuis cum Regis conſenſu promiſerat.

QUÆRITUR II.

Cur Joſephus patri ſuo ejuſque familiæ terram Geſſen, potius quam aliam Ægypti regionem in habitationem conceſſerit.

RESpondet Salianus, ad annum mundi 2329. ex Teſtato & Rabbi Ralbag, id factum eſſe quadruplici de cauſa. I. Quia regio illa pinguior erat cæteris & admodum fertilis, vel Regis ipſius teſtimonio, qui Joſeph dixerat: *Terra Ægypti in conſpectu tuo eſt, in optimo loco fac eos habitare, & trade eis terram Geßen*. Et rurſum: *Ego dabo vobis omnia bona Ægypti*. Sive; ut eſt in Hebræo: *Dabo vobis bonum terræ Ægypti*. Id eſt, optimam partem terræ Ægypti, ac longe fertiliſſimam, & ut apparet, etiam Cœli temperie ſaluberrimam; erat enim eminentior reliqua Ægypti regione, ſtatim enim a Nili oſtiis aſcendebatur in Geſſen inter mare rubrum & mediterraneum ſitam.

II. Ut quamvis Ægypti eſſent incolæ, Ægyptiorum tamen pravis moribus & idololatrico ac ſuperſtitioſo cultu non contaminarentur: ſed ſeorſim ab illis, unum in locum coacti, vero Deo libere ſervirent, ſuamque religionem exercerent: quod imprimis ambiebat Jacobus deſcenſurus in Ægyptum: Nam inquit Philo lib. de Joſepho, *metu ſollicitabatur, ne desererentur mores patriæ: Norat enim juventutis lubricum, & apud exteros peccandi licentiam, præſertim Ægyptiis circa verum Deum cæcutientibus.*

III. Ne Ægyptiis eſſent inſenſi ratione paſtoritiæ ſuæ artis, quam illi deteſtabantur, utpote quibus oves & cætera animalia eſſent pro nominibus: quapropter hujuſmodi animalia non ſolum occidere aut percutere non audebant; ſed inſuper ea venerabantur, odioque habebant alienigenas eorum animalium paſtores, qui ea occidere & occiſorum carnibus veſci ſine ullo ſcrupulo ſolerent.

IV. Cum terra Geſſen vicinior eſſet terræ Chanaan, facilior ipſis Iſraelitis ad Chananitidem aliquando repetendam & occupandam patebat aditus.

Petes, qui fieri potuit ut Ægyptii odio haberent paſtores ovium, cum ipſi etiam haberent oves? Nam ut legimus cap. ſequenti v. 6. Pharao dixit ad Joſeph de ipſius fratribus: *Si noſti in eis eſſe viros induſtrios*, con-

conſtitue illos magiſtros pecorum meorum. Ex v. 17. dicitur a Joſepho data Ægyptiis *alimenta pro equis, & ovibus, & bobus* &c.

Reſpondeo, Ægyptiis quidem fuiſſe oves; verum non ad eſum ipſarum: ſed vel propter lac, & caſeum: vel propter lanam ex eis colligendam; vel forte oblectandi gratia; ſicut habentur canes, & alia animalia quæ hominibus non inſerviunt ad cibum.

Statim atque Joſephus accepit, ſive a Juda, ſive ab illis nuntiis, quos, inquit Philo, in itinere diſpoſuerat, patrem ſuum ſua cum univerſa familia adveniſſe in terram Geſſen, conſcenſo curru, & aſſumpto ampliſſimo comitatu; perrexit illi obviam; quem cum primum contigit, *Irruit ſuper collum eius, & inter amplexus flevit*. Jacobus vero ipſum pariter tenere amplexatus dixit: *Jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam, & ſuperſtitem te relinquo*. „ Paterna „ vox (inquit S. Chryſoſtomus) & plena „ dilectione, atque egregie affectionem eius „ animæ declarans: nimirum ut ſciamus ſanctiſſimos illos viros etſi virtuti, præſertim moderationi ſtudentes, humanos affectus penitus non exuiſſe.

Abſoluto hoc amoris filialis in patrem, & patris amantiſſimi cum dilectiſſimo filio colloquio, cenſuit Joſephus quamprimum de ſui patris adventu monendum eſſe Pharaonem. Quamobrem aſſumpſit quinque fratres, *extremos*, inquit Moſes, hoc eſt, qui minus corporis ſpecie & elegantia præſtabant, eoſque ſecum ad Regem duxit; præmonuitque ut ab eo interrogati, quam artem profiterentur, reſponderent: *Paſtores ovium ſumus, & nos & patres noſtri* &c.

In quibus apparet eximia Joſephi modeſtia cum ſumma prudentia, conjuncta: non enim puduit eum ſortis fratrum ſuorum; ut plerumque faciunt, qui in aulis ad gradus & honores evecti ſunt; quibus nihil, quod magis diſpliceat, accidere poteſt, quam ſi qui vilioris, conditionis, ſe profiteantur fratres vel affines eorum; maxime ſi id ad aulicorum aures perveniat, quos habent æmulos. Sciebat Joſeph ovium paſtores abominationi eſſe Ægyptiis; vult nihilominus id Regi, & aliis innoteſcere.

Prudentiſſime etiam judicavit eos ab aula regia removendos, ne aulicorum moribus corrumperentur, & a ſtatu priſtino recedentes, innocentiam eum ſimplicitate vitæ deperderent. Quæ ſane agendi ratio eo magis celebranda eſt, quod rariſſima ſit in iis qui apud Reges auctoritate & favore cæteris antecellunt. Peccant enim plerumque in extremis; nam vel ſuos dedignantur, & longe reiiciunt quos ſibi obſtare putant, & gloriam ſuam imminuere: Vel toti ſunt in eo, ut ſuos quantumvis ineptos & indignos ad primarias dignitates promoveant.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XLVII.

HOc in capite tria potiſſimum repræſentat Moſes, I. Executionem propoſiti Joſephi circa habitationem familiæ paternæ in regione Geſſen omnium Ægypti partium fertiliſſima. II. Extremam Ægyptiorum penuriam, non ſolum pecora ſua; ſed & agros, & poſſeſſiones ſuas pro annona commutantium. III. Curam Jacobi morituri de transferendo ſuo corpore, dum e vivis exceſſerit, in ſepulchrum patrum ſuorum.

Ingreditur itaque Joſephus ad Regem cum quinque ex ſuis fratribus: qui, ut diximus, minus erant inter alios corporis forma ſpectabiles; ne ſi præſtantiores viſendos præbuiſſet, eos Rex aulicis officiis, vel militiæ adſcriberet, illoſque a cœtu diſtraheret aliorum fratrum. Hi autem a Rege interrogati, quid haberent operis; ipſi, ut a Joſepho præmoniti fuerant, paſtores ovium ſeſe profeſſi ſunt; in Ægyptum autem acceſſiſſe, ut & paſcua pecoribus, & ſibi alimenta procurarent, quod ea in Chananitide exaruiſſent: proptereaque orare ut bona cum ejus venia, illic habitare liceret, ubi ex itinere primum ſubſtitiſſent.

Eorum petitionibus lubens acquievit Rex: tum Joſephus advocatum patrem, introduxit ad Regem: qui grandævum ac venerabilem ſenem contemplatus, requiſivit ab eo, quot eſſet annos natus? Cui Jacobus repoſuit: *Dies peregrinationis meæ centum & triginta annorum ſunt, parvi & mali; & non pervenerunt uſque ad dies patrum meorum quibus peregrinati ſunt*: Significans ſe paucis annis vixiſſe, collatis videlicet cum longiſſima præcedentium Patriarcharum ætate, ſibi proximorum. Cum enim putaret ſe jam morti proximum, meminerat patrem 180. annis vixiſſe, avum 175. & ſciebat proavum ad ducenteſimum quintum perveniſſe. Eoſque ipſos annos ſuos *malos*, id eſt, ærumnoſos fatetur, & merito: tota quippe ejus vita laborum atque ærumnarum plena fuit, ut notavit S. Chryſoſtomus.

Petes, quis fuerit ille Pharao qui tam honorifice & benigne Jacobum excepit?

Reſp. Juxta Syncelli Laterculum pag. 101. & 103. illum fuiſſe *Rameſſem Vaphrem* ordine 24. Regem inferioris Ægypti. Plures autem, teferente ibidem Syncello, nomine *Rameſſes* fuerunt hujuſce regni, præfecti; nimirum, *Rameſces*; *Rameſſes-Meues*, *Rameſſes-Seos*, *Rameſſe-Menos*, *Rameſſe-Tubaete*, & *Rameſſe-Vaphres*; ſic omnes dicti a fertiliſſima Ægypti regione *Rameſſes* nominata, quam Joſephus, annuente Rege, patri & fratribus conceſſit in habitationem, maxime illius inferiorem partem, *terram Geſſen* dictam,

ctam,

Digitized by Google

ctam, Syriæ & Arabiæ finitimam, ut Iſraelitæ faciliorem haberent exitum, & profectionem in Chananitidem.

Joſephus itaque accepta a Pharaone auctoritate & licentia, patri ac fratribus ſuis conceſſit in habitationem terram Geſſen juxta civitatem Rameſſem, vel ſaltem in eo loco ubi ædificata ſuit illa civitas, ſi forte tunc non fuerit condita, ut arbitrantur plurimi, ſed dumtaxat eo tempore, quo Iſraelitæ coacti ſunt latomos agere.

Quamquam autem eam Ægypti regionem incoluerint Iſraelitæ, attamen exiſtimandum non eſt ibi nullos ſtetiſſe Ægyptios. Cum enim terra illa eſſet uberrima, atque paſcuis opportuna, veriſimile non eſt eam fuiſſe incultam & inhabitatam ab Ægyptiis; ſed forte rariores erant incolæ, vel urbaniores. Nam aliquos una cum Iſraelitis habitaſſe Ægyptios, argumentum eſt, quod *Exodi* 12. juſſit Deus ut ſanguine Agni Paſchalis immolati poſtes tingerent januarum ſuarum, ut eo ſigno eorum domus ab Ægyptiorum domibus diſcernerentur; & Angelus primogenitorum Ægyptiorum exterminator, Iſraelitarum domos intactas relinqueret: habitabant igitur aliqui Ægyptii cum Hebræis, & permixtus erat eorum incolatus.

Inſuper cum urgentibus Ægyptiis feſtinanter egreſſi ſunt Iſraelitæ, horum mulieres a vicinis Ægyptiis petierunt vaſa aurea & argentea plurimamque eorum precioſam ſupellectilem: igitur Ægyptii Iſraelitis erant permixti.

Etſi vero Jacobus cum univerſa ſua familia in uberrima & gratiſſima regione collocatus eſt, attamen cum illa non minus, quam cæteræ, aruiſſet, Joſephus patri ac fratribus ex regiis horreis præbebat alimenta neceſſaria; & quidem ut arbitror, gratis: non enim parcior erat, aut minus liberalis quam duobus annis præcedentibus, in quibus alimoniæ pecuniam in ſaccis fratrum ſuorum juſſerat recondi.

At ita non egit cum Ægyptiis; pergit enim Moſes referre qualiter Ægyptii fame premente coacti ſint pro comparanda annona non ſolum pecora ſua, ſed & omnes poſſeſſiones ſuas in Regis dominium transferre. In quibus certe tremendum apparet Dei judicium, quod regiones illæ fertiliſſimæ, quæ jam a tribus annis annonam longinquis Gentibus ſuppeditabant, ad tantam inopiam fuerint redactæ, ut præ fame tabeſcentes, omnibus ſe facultatibus exuerint.

Apparet inſuper ſingularis Dei erga Joſephum protectio, in eo quod numeroſus ille populus in tali anguſtia conſtitutus, non fuerit tumultuatus, cum videret non ſolum pecuniam ſuam exhauſtam a fiſco Regio; ſed & quæcunque poſſidebant, imo & ſeipſos eſſe oppignerandos. Tametſi enim veriſimile ſit a Joſepho horrea regia convenienti præſidio munita fuiſſe; attamen quantumcumque validum illud fuerit, ſufficiens non videbatur ut reſiſteret irruenti univerſo populo, quem fames ad furorem & rabiem pene concitabat. Itaque ſingulari Dei ordinatione factum eſt, ut illi præfixis a Joſepho legibus ſeſe ſponte ſubmitterent, eumque ut vitæ ſuæ propagatorem venerarentur.

QUÆRITUR I.

Utrum Joſephus licite compulerit Ægyptios ad omnes ſuas facultates pro annona commutandas.

INhumanitatis & crudelitatis inſimulandus videtur Joſephus, quod inopibus & pecunia exhauſtis, panem petentibus non erogaverit: imo pecoribus & agris etiam ſpoliare voluerit, ut victum eis famelicis tribueret.

Verum ſiquis rem ſerio expendat, deprehendet hoc in Joſephi facto nihil eſſe quod virum juſtum & prudentem dedeceat. I. Ipſius namque non erat culpa, quod Ægyptii ſeptennio fertilitatis elapſo ſibi non comparaverint annonam quæ, ſequente ſeptennio ſterilitatis, ſufficeret eis ad vitæ ſuſtentationem; de his enim ſatis ſuperque ab eo admoniti; imo ad id ipſius exemplo provocati fuerant, cum ab ipſo per univerſum regnum, frumenta colligi & coacervari in horrea Regia viderunt. Igitur eorum inopia in ipſorum imprudentiam & deſidiam erat refundenda.

II Id licet quolibet pretio, ſive pecuniæ, ſive permutationis pecorum, aut facultatum vendere potuit, quod juſte fuerat comparatum: at frumentum in horreis Regis reconditum, juſte fuerat comparatum; ſiquidem non vi, nec tyrannice, ab invitis; ſed numerata pecunia illud emerat Joſephus: igitur &c.

III. Licitum fuit pretium accipere quod libere & licite offerebatur; nam volenti non fit injuria; porro Ægyptii licite poterant & ſua alienare, & ſe ipſos mancipare, ut vitam ſuam redimerent: igitur ea in re nihil a Joſepho peccatum eſt; maxime cum non ſua; ſed quæ Regis erant diſtribueret; non ut eorum Dominus, ſed ut diſpenſator & œconomus.

At, *inquies*, lege naturali, & charitatis præſcripto tenetur quiſque ſubvenire proximo extrema neceſſitate laboranti: igitur in utrumque peccavit Joſephus non largiendo gratis frumentum Ægyptiis, pecunia exhauſtis, & fame pereuntibus.

Reſpondeo, quod ſi valida foret hæc exceptio, maxima pars emptionum eſſet iniqua; vix enim eſt aliquis emptor, qui re, quam emit, non egeat, maxime iis quæ ad victum ſunt neceſſaria. *Deinde* Ægyptii habebant adhuc unde vitæ conſulerent, nempe pecora & poſſeſſiones, quas pro comparando frumento poterant computare. *Præ-*

terea

Digitized by Google

terea juſtum fuit punire Ægypti populi ſocordiam, qui tempore fertilitatis neglexit ſibi providere de neceſſariis ad paſtum pro tempore ſterilitatis, quam certo futuram ex ſomnii Pharaonis expoſitione, & Joſephi frumenta colligentis vigilantia prævidebat.

His adde eximiam Joſephi æquitatem & charitatem in eo plurimum apparere, quod ſervitutem & neceſſitatem Ægyptiorum plurimum mitigaverit, in eo quod perſonas liberas dimiſerit; ſemen ad ſerendum contulerit, & agros colendos gratis permiſerit, addicta tantum Regi quinta proventus parte; quæ ipſis colonis conditio dura videri non debuit; maxime cum in iſtis ſua culpa nullum amplius jus haberent.

His adde quod Moſes ea referente, nulla cenſura Joſephi factum perſtringit; immo illud cum iis circumſtantiis enarrari, quæ Joſephi commendent æquitatem & ſapientiam; quippe qui eo nomine magnam inivit apud Ægyptios gratiam, qui eum ut vitæ ſuæ conſervatorem, encomiis celebrabant.

Addit Moſes ab ea exactione immunes fuiſſe Sacerdotes Ægyptios, quibus juſſu Regis, *cibaria ex horreis publicis præbebantur.*

QUÆRITUR II.

Utrum nihil peccaverit Joſephus alimenta gratis præbendo inanium Deorum ſacrificulis, qui potius videbantur exterminandi.

R*eſpondeo*, nullum ab eo, in illo negotio admiſſum fuiſſe peccatum, quippe qui non proprio nutu; ſed Regis præcepto id præſtiterit tamquam illius miniſter, cui liberum non erat principis ſui mandatis reluctari.

Accedit quod in Joſephi poteſtate non erat ut vetera inſtituta mutaret; quæque a majoribus religioſe ſancita erant, reſcinderet: porro cum, natura duce, ſingulis hominum animis inſitus ſit pietatis ſenſus, & alicujus ſupremi numinis cultus, ſingulari etiam in veneratione ſemper habiti ſunt, qui ſacris miniſteriis ſuerunt deſtinati. Licet autem pia hæc conſuetudo ſuperſtitione fœdata ſit; non tamen penitus extincta. Unde etſi Pharao alendo ſacrificos illos, qui ſuis impoſturis dementabant populum, ſtultæ ſuperſtitioni ſovendæ nimium indulſit; in hoc tamen laude aliqua dignus fuit, quod divinum cultum, quamvis perverſe impenſum, jacere non eſt paſſus, quod certe brevi futurum erat, ſi fame periiſſent Sacerdotes.

Quo ſane exemplo provocari debent Chriſtiani Principes, ut curent miniſtrari neceſſaria tum ad divinum cultum, tum eis qui ſacris devoventur; maxime vero qui ſua munia religioſe perſolvunt, & cæteros homines verbo & exemplo ad ſanctimoniam ſtimulant. Id dubio procul feciſſent Ægyptii Sacerdotes ſi, quem dæmonibus impendebant cultum, Deo vero exhibuiſſent; quaſque vanitate dementati ſectabantur virtutes, divina fide irradiati, in veri Numinis gloriam excoluiſſent.

Quam enim ſtupenda fuerit eorum præ cæteris continentia, egregie declarat S. Hieronymus, ubi ſcribit: „ Cheremon Stoicus, „ vir eloquentiſſimus, narrat Ægypti antiquos Sacerdotes omnibus mundi negotiis, „ curiſque poſtpoſitis, ſemper in templo „ fuiſſe, & rerum naturas, cauſasque & „ rationes indagaſſe; ſyderum contemplatores eſſe; nunquam ſe mulieribus miſcuiſſe; nunquam cognatos & propinquos, „ ac ne liberos quidem vidiſſe. Ex eo autem „ tempore quo cœpiſſent divino cultui deſervire, carnibus & vino ſemper abſtinebant, propter tenuitatem ſenſus, & vertiginem capitis; maximeque propter appetitum libidinis, qui ex eo cibo & potu „ naſcitur. Raro veſcebantur pane, ne onerarent ſtomachum; etſi quando comedebant tuſum pariter in cibo ſumebant hyſſopum, ut eſcam graviorem illius calore „ decoquerent. Oleum in oleribus duntaxat noverant, idque parum, propter nauſeam & aſperitatem guſtus leniendam. „ Ovum etiam vitabant & lac: quorum „ alterum carnes liquidas, alterum ſanguinem eſſe dicebant, colore mutato. Cubile de foliis palmarum quas Bajas vocant, „ contextum erat: ſcabellum acclive & ex „ una parte obliquum, pro pulvillo in terra, capiti ſupponebant: bidui triduique „ inediam ſuſtinebant. Humores corporis, „ qui naſcuntur ex otio, & ex manſione unius „ loci, nimia victus caſtigatione ſiccabant, „ Hæc de continentia veterum Ægypti Sacerdotum ex Cheremone. *S. Hieronymus*.

Addit Perrerius, erant præterea Sacerdotes Ægyptiorum, inſignes admodum & celebres ſtudio & profeſſione ſapientiæ; ejus maxime quæ ad cæremonias, rituſque colendi Deos pertinebat, & ad ſcientiam Mathematicarum diſciplinarum: imo inventionem earum, Sacerdotibus Ægypti aſſignare videtur Ariſtoteles in princ. Metaphyſicæ, cum ita ſcribit: *Circa Ægyptum Mathematicæ artes inſtitutæ ſunt, illic enim Gens Sacerdotum vacare permiſſa eſt.* Et Strabo lib. 17. ait Gentem Ægyptiorum trifariam eſſe diviſam; & alios quidem eſſe milites, alios agricolas, & alios Sacerdotes: & hos exercuiſſe Philoſophiam & Aſtronomiam, & cum Regibus diverſari ſolitos.

Præſens caput abſolvit Moſes verbis Jacobi; qui decem & ſeptem annis peractis in Ægypto, cum prævideret mortem ſuam imminere, advocavit filium ſuum Joſephum, eumque rogavit; imo & adjuravit, ut non ſepeliret eum in Ægypto: *Sed auferas me ex terra hac*, inquit, *condaſque me in ſepulchro patrum meorum*; Hoc eſt, in Hebron, ubi recondita fuerant Abrahami, Saræ, Iſaaci & Rebeccæ corpora, & ubi Liam conjugem ſuam Jacobus ipſe ſepelierat.

QUÆ-

QUÆRITUR III.

Cur tam anxie Jacobus ſepulturam cum patribus ſuis ambierit.

VAriæ huius deſiderii, & propoſiti rationes proferuntur ab Interpretibus. I. Namque S. Chryſoſtomus dicit id exoptaſſe Jacobum, ut ſpem bonam filiis ſuis eorumque poſteris faceret, eos aliquando in Chanaoitidem redituros. Quam etiam rationem profert Theodoretus, ubi cum inquiſiviſſet quare Jacob ſepeliri mandavit corpus ſuum in Hebron? Reſpondet: „ Non quod „ de ſepultura valde ſollicitus eſſet, ut qui„ dam putarunt: ſed ut familiam ſuam con„ ſolaretur, & doceret Dominum Deum „ traducturum illos omnes ex Ægypto, & „ daturum illis terram promiſſam. Eundem „ autem ſermonem, Joſeph clarius expreſ„ ſit qui moriens ſic ait: *Cum viſitatione vi„ ſitabit vos Deus, auferetis etiam hinc oſſa „ mea vobiſcum.*

II. S. Auguſtinus alteram profert rationem, nempe quod voluit Jacobus ſepeliri in ea terra, quam ſpiritu prophetico prævidebat aliquando per adventum Meſſiæ, ſanctificandam, quippe qui in ea regione naſciturus erat; ſua præſentia eam conſecraturus, mundum ſua morte redempturus, & denique ſua reſurrectione ſpem juſtis fœliciter reſurgendi facturus.

Quoniam autem Joſephus reponere poterat, & conqueri, quod matrem ſuam Rachelem vita functam Jacobus non tranſtuliſſet in Hebron ſepeliendam in ſepulchro Abrahami, & Iſaaci, obi poſtulabat ipſe recondi: hanc filii ſui juſtam querimoniam prævertens Jacobus ait, cap. ſequenti, v. 7. *Mihi enim quando veniebam de Meſopotamia, mortua eſt Rachel in terra Chanaan in ipſo itinere, eratque vernum tempus: & ingrediebar Ephratam, & ſepelivi eam juxtam viam Ephratæ, quæ alio nomine appellatur Bethlehem.* Quibus verbis ſignificat a ſe non potuiſſe transferri Rachelis corpus in ſepulchrum patrum ſuorum, quod eſſet *vernum tempus*; hoc eſt, ingruebant vehementiſſimi calores, quibus defunctorum corpora facile putreſcunt, nec diu poſſunt aſſervari quin ipſorum fœtore inficiantur omnes. Deinde cum in principio veris fœcunda ſint pecora, oovoſque habeant fœtus adhuc teneros, abſque notabili præjudicio non poterat illuc tendere ſuo cum univerſo grege; quam excuſationem jam prætexerat, ne cum Eſau fratre ſuo pergeret in Seir, ut dictum eſt cap. 33.

Petes cur Jacobus voluerit Joſephum juramento adſtringi, ut non ſepeliret eum in Ægypto?

Reſpondeo, id non poſtulaſſe, quod in dubium revocaret Joſephi fidem, & promiſſionem; ſed cum prævideret translationem illam ſui corporis in Chananitidem fieri non poſſe ſine maximo ſumptu & apparatu, quem fortaſſis gratum non haberet Pharao; & aliunde translatio illa exacerbare poſſet Ægyptiorum animos adverſus Joſephum, quaſi deſpectui haberet eorum regionem, eam dignam non exiſtimans, quæ ſepulchrum idoneum præberet corpori patris ſui. Ut ab hac invidia Jacobus levaret filium ſuum, prudenter voluit ipſum ad eam ſui corporis translationem juramento obligari, quo liberius hoc a Rege Joſephus, & petere auderet, & facilius imperrare, dicendo ſe ad id ſacramento obſtrictum.

Quod cum a filio jure-jurandum accepiſſet: *Jacobus* (inquit Moſes) *adoravit Deum Iſrael, converſus ad lectuli caput.* Nimirum. 1. Ut Deo gratias ageret, quod ſui voti compos factus eſſet, Deo beneficium illud adſcribens. 2. Quod eam Joſepho indidiſſet mentem, ut prompto animo id ſibi promitteret &c.

Septuaginta Interpretes præſata Moſis verba ſic reddunt: *Adoravit ſummitatem virgæ ejus*: nempe virgæ quam geſtabat Joſephus velut inſigne ſupremæ ſuæ in Ægypto dignitatis & auctoritaris. Quam expoſitionem approbat etiam S. Paulus ad Hebræos xi. v. 21. *Fide Jacob moriens, ſingulos filiorum Joſeph benedixit: & adoravit faſtigium virgæ ejus.* Quia (inquit Theodoretus) videbat virgam illam velut ſymbolum principatus Chriſti venturi. Diſcrimen autem hoc inter Hebræum textum & Græcum, efficit Hebræa vox [illegible] quæ juxta diverſam prolationem, & punctuationem effert vel *mitta*, lectulus: vel *matte* virga: utroque autem modo eam uſurparunt ſeptuaginta Interpretes, ut obſervat S. Hieronymus; priorem tamen ſignificationem cenſet eſſe magis probandam, ut ſit, inquit, hic ſenſus; quod *poſtquam ei juraverat ejus filius ſecurus de petitione quam rogaverat, adoravit Deum ad caput lectuli ſui. Sanctus quippe & Deo deditus vir oppreſſus ſenectute, ſic habebat lectulum poſitum, ut ipſe jacentis habitus abſque difficultate ulla ad orationem eſſet paratus.*

In eandem ſententiam deſcendit S. Auguſtinus, qui poſtquam recenſuiſſet varias hujus textus expoſitiones juxta codicum diverſitatem, nempe *adoravit ſuper caput virgæ ſuæ*: vel, *in capite virgæ ſuæ*: ſive *in cacumine virgæ ſuæ*, nempe caput ſuum inclinando ſupra baculum quem præ ſenectute ferebat: vel forte quod tenuerit virgam filii ſui dum ille juraret, *Non enim pudebat eum ferre tantiſper inſigne poteſtatis filii ſui, ubi figura magna rei futuræ præſignabatur, antequam autem illam redderet, Deum adoraverit.* Addit: „ Quamvis in Hebræo fa„ cillima hujus quæſtionis reſolutio eſſe di„ catur, ubi ſcriptum perhibent, *adoravit „ Iſrael ad caput Lecti*, in quo utique „ ſenex jacebat, & ſic poſitum habebat, ot „ in eo ſine labore quando vellet, oraret. Adjicit tamen LXX. verſionem non eſſe contemnendam, propter rationes myſterio velatas. Addo, & propter auctoritatem Apoſtoli, qui in illam verſionem digitum intendit, dum ſcripſit a Jacobo adoratum faſtigium virgæ Joſephi.

DISQUI-

Digitized by Google

DISQUISITIONES IN CAPUT XLVIII.

Declarat Moſes in hoc capite. I. Jacobum lethali morbo laborantem, viſitatum eſſe a filio ſuo Joſepho. II. Ab eodem in ſuos, adoptatos eſſe duos Joſephi filios, Ephraim, & Manaſſem, eoſque Patriarchis & Tribuum capitibus accenſitos. III. Horum filiorum natu minorem in conceſſa benedictione prælatum majori. IV. Joſepho legatum agrum quem in Sichimis emerat, & ab aliis injuſte occupatum, armorum vi recuperarat.

Cum Joſephus audiiſſet patrem ſuum Jacobum graviter ægrotare, illumque ſciret eſſe verum Eccleſiæ præſulem, necnon cœleſtis doctrinæ & benedictionis cuſtodem, cui benedictum ſemen erat repromiſſum, ad eum citiſſime acceſſit cum liberis, ut ejus benedictionis fierent participes, ac ſi illa ex Dei ore immediate procederet. Duos itaque, quos habebat filios Joſeph ſcilicet Manaſſem, & Ephraim, ſtatuit in conſpectu patris: at cum præ ſenectute caligaret, requiſivit a Joſepho, quinam eſſent? Cui Joſephus reſpondit: *Filii mei ſunt, quos donavit mihi Deus in hoc loco.*

Ex quibus apparet eos duos tantum tunc temporis genitos fuiſſe Joſepho: ſi enim alios genuiſſet, dubio procul adduxiſſet ad patrem benedicendos. Hos autem duos cum amplexatus & oſculatus fuiſſet Jacobus, illos in filios ſuos adoptavit, Jacobo dicens: *Duo filii tui, qui nati ſunt in terra Ægypti antequam venirem ad te, mei erunt: Ephraim, & Manaſſer, ſicut Ruben & Simeon reputabuntur mihi. Reliquos autem quos genueris poſt eos, tui erunt; & nomine fratrum ſuorum vocabuntur in poſſeſſionibus ſuis.*

Repetit pariter promiſſionem ſibi divinitus factam de multiplicando ſuo ſemine, deque ſuis a poſteris occupanda Chananitide, nimirum ut Joſephus his illectus divinis promiſſionibus, curam & ſtudium non impenderet in procurandis divitiis & dignitatibus filiis ſuis in terra Ægypti, quibus eorum poſteri a ſuorum parentum ſocietate divellerentur; & ita affixi eſſent Ægypto, ut inde in Chananitidem cum aliis ſtatuto tempore procedere contemnerent.

Eadem ratione memorat mortem & ſepulturam Rachelis, quam dixit obiiſſe dum reverteretur e Meſopotamia, & ſepultam eſſe juxta Bethleem; ut duplicem tam Joſepho, quam ejus poſteris ſtimulum adderet repetendi Chananitidem; nempe quod ibi jacebat eorum mater; & quod hæc, relicta patria, in longinquam terram migraverat: ac proinde illius exemplum non leve debebat eſſe incitamentum illius poſteris, ut Ægypto renunciarent, & dum juberet Deus, ad poſſidendam Chananitidem repromiſſam, ſeſe cum aliis Iſraelitis accingerent.

Obſervandum eſt autem, non abſque myſterio Jacobum adoptando Manaſſe & Ephraim in ſuos filios, dixiſſe: *Ephraim & Manaſſer, ſicut Ruben & Simeon reputabuntur mihi.* His enim ſignificabat ſe ipſis elargiri partem juris primogenituræ debitam Rubeno, & ejus defectu Simeoni. Jura enim primogenituræ e patre, ut dictum eſt, hæc erant. I. Ut in genealogia primum locum obtinerent. II. Ut duplicem præ fratribus in hæreditate portionem ſibi vendicarent. III. Ut auctoritate & dignitate ſacerdotali fungerentur. IV. Ut eſſent familiæ duces ac præfecti. Quoniam autem Ruben inceſtu ſuo ſe hoc jure indignum exhibuerat, ideo triplici illius juris parte fraudatus eſt, ſolamque priorem retinuit; nimirum ut primus in Iſraelitarum genealogiis numeraretur.

Simeon vero, quod in Sichemitarum vaſtatione, & venditione Joſephi præcipuus auctor extitit, idcirco in illo primogenituræ jure nullas partes obtinuit; nam jus principatus & præfecturæ conceſſum eſt Judæ: jus Sacerdotii, Levi; duplex vero portio Joſepho ejuſque poſteris.

His itaque duobus filiis Joſephi a Jacobo adoptatis, voluit eis inſuper paternam ſuam benedictionem largiri; non ſolum ut eſſent cum aliis ſuis filiis diverſarum Tribuum capita, eorumque poſteri in diſtributione terræ Chanaan qualem haberent cum aliis portionem: ſed etiam ut eſſent ex Patriarcharum numero, & honorificum primatum tenerent in ſpirituali Dei regno.

Joſephus igitur duos illos filios ſuos hinc & inde, juxta patris lectum ſtatuit: ita ut Ephraim minor natu, collocatus eſſet ad Jacobi ſiniſtram; Manaſſes vero e regione ad dexteram; quatenus hic præ alio ampliorem benedictionem obtineret.

Verum ſecus accidit: nam Jacobus divinitus inſpiratus, & Deo non ſolum eius intellectum illuminante, ſed etiam manum dirigente, decuſſatis manibus, dexteram ſuam extendit ſuper caput majoris. Quod advertens Joſephus, arbitratus id ita fieri propter defectum viſus Jacobi, & indigne ferens Manaſſem, qui jure naturæ prior erat, rejici in ſecundum gradum, *apprehenſam manum patris, conatus eſt levare de capite Ephraim, & transferre ſuper caput Manaſſe*, dixitque ad patrem. *Non ita convenit, pater; quia hic eſt primogenitus, pone dexteram tuam ſuper caput eius.* At Jacobus ait: *Scio fili mi! Scio: & iſte quidem erit in populos, & multiplicabitur; ſed frater eius minor, maior erit illo: & ſemen illius creſcet in Gentes.* Quibus non definit Jacobus uter altero ſit dignior: ſed tantum pronunciat quid Deus apud ſe de utroque decreverit; & quid futurum ſit longo poſt temporis ſucceſſu.

QUÆ-

QUÆRITUR I.

Cur maiori minor frater in ea benedictione fuerit præpoſitus.

R*Eſpondeo*, non aliam huius diſpoſitionis quærendam eſſe rationem, quam Dei voluntatem. Huius tamen divinæ ordinationis quædam proferri poſſunt congruentiæ. I. Ut inde appareat Deum pro ſuo arbitrio, nulloque habito reſp·ctu ad naturales hominum prærogativas, vel moralia merita, eis divina ſua beneficia impendere; & quos vult, pro ſua benignitate ac mera voluntate, non ſolum ſupernaturalibus, ſed etiam naturæ donis cumulare.

II. Ut manifeſtum faceret diverſa eſſe ſua judicia ab hominum ſententiis; perſæpe enim reprobat eos, qui ab hominibus plurimi fiunt; & qui humano judicio videntur ad dignitates minus apti, eos plerumque ad illas promovet; *Neque enim*; (ut dicebat Samueli. 1. Regum cap. 16.) *juxta intuitum hominis ego judico: homo enim videt ea quæ parent; Dominus autem intuetur cor.*

III. Significare voluit Deus per illam commutationem manuum Jacobi ſuper Ephraim & Manaſſe, aliquando per Chriſtum crucifixum, populum Gentilium minorem, prælatum iri populo Judæorum, ut docet S. Auguſtinus: *Secundum hoc enim*, inquit, *ſignificavit aliquid prophetice nimirum quod populus poſterior per Chriſtum futurus, generatione ſpiritali, ſuperaturus erat populum priprem de carnali patrum generatione glorianteṁ.* Idipſum paulo fuſius exponit Rupertus, ubi de Jacobo decuſſante manus ſuas ſcribit: „ Numquid ſic commutando manus, caſu „ figuravit crucem? Nunquid non pote„ rat Manaſſem ponere ad ſiniſtram ſuam, „ Ephraim vero ad dexteram? poterat ſane: „ ſed Propheta erat, & prophetico ſpiritu „ ſciebat quod per crucem componenda eſſet „ benedictio, quam venturus legislator da„ ret; vel qua in ſemine Abrahæ benedice„ rentur omnes Gentes. Nam qui de Chri„ ſto prædixerat: *Lavabit in vino ſtolam* „ *ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum*: „ num poterat neſcire, quali torculari uva „ illa eſſet premenda, & vinum foret expri„ mendum? Ergo tamquam Propheta ſimul „ & Patriarcha, quemadmodum verbis pro„ phetare potuit, Ephraim qui erat junior, „ majorem futurum Manaſſe; ſic & ma„ nuum poſitione, crucem Chriſti præfigu„ rare ſcivit, per quam utique Judaico po„ pulo ſeniori præferendus erat junior po„ pulus Gentilis. *Hæc Rupertus.*

QUÆRITUR II.

Quis ſit formulæ benedictionis conceſſæ genuinus ſenſus.

QUam benedictionem Jacobus Ephraimo & Manaſſe contulit, his verbis declatat Moſes: *Deus, in cujus conſpectu ambulaverunt patres mei Abraham, & Iſaac: Deus qui paſcit me ab adoleſcentia mea uſque in præſentem diem: Angelus, qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris iſtis: & invocetur ſuper eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham & Iſaac, & creſcant multitudinem ſuper terram.*

In quibus verbis. I. Celebrat ſupremam Dei majeſtatem, bonitatem & providentiam. *Majeſtatem*, quidem, cui Abrahamus, Iſaacus, aliique pii homines ab ipſo mundi exordio tanta religione famulati ſunt, ut Deum ſemper quaſi præ oculis habentes, cunctos ſuos corporis & animi ſenſus & affectus in illius obſequium: & gloriam fideliſſime impenderint. *Bonitatem*, vero in eo quod Abrahamum, Iſaacum, eorumque poſteros elegerit in populum ſibi peculiarem, cui ſua patefaceret arcana, leges præſcriberet, documenta præberet, & gratias ac beneficia ubertime conferret. *Providentiam* tandem, cujus divinum favorem a pueritia ad decrepitam, quam agebat, ætatem variis modis aſſidue fuerat expertus. Iſta vero commemorat, ut certos faciat pueros, quibus benedicebat, Deum pariter eis ſemper aſſuturum; potentiſſimum ac benigniſſimum opitulatorem, modo majorum veſtigiis inſiſtentes, ejus divino cultui fideliter intendant.

II. Invocat Angelum, quem habuerat itineris ducem, laborum alleviatorem, & ſalvatorem in periculis, ut pueris iſtis pariter adeſſe & benedicere dignetur. Per hunc vero Angelum, quem in iſtorum puerorum protectorem advocat, ipſum non alium a Jacobo intelligi, quam Chriſtum, qui Angeli titulo plerumque in ſacra Scriptura donatur, plurimi ſunt qui exiſtimant. Maxime cum patrum fides in futuram ejus miſſionem ſemper fuerit intenta; & S. Paulus teſtetur Chriſtum fuiſſe Angelum illum, qui dux & præſes fuerit Iſraelitico populo, ex Ægypto ad terram promiſſionis properanti.

III. Interpellat Abrahamum, & Iſaacum, ut eorum pariter nomina invocentur ſuper pueros iſtos; hoc eſt, ut eorum apud Deum interceſſio divinam eis obtineat benedictionem, & protectionem; ita quod illorum SS. Patriarcharum meriturum & orationum intuitu, Deus in omnibus eis faveat, ſitque potentiſſimus auxiliator.

IV. Rogat ut Deus etiam dignetur attendere ad ſuam pro iſtis pueris interceſſionem, ſive dum vitam aget, ſive dum e vivis exceſſerit: *Et invocetur*, inquit, *ſuper eos nomen meum* &c. Quibus verbis non ſolum exoptat ut duo illi ſuis filiis accenſeantur,

eandemque cum Patriarchis ineant ſocietatem, & ſortem habeant: ſed ut eis ſua etiam prodeſſe poſſit interceſſione, poſſitque invocari a poſteris & ſua obſecratione eis opitulari ſicut interceſſiones Abrahami, & Iſaaci.

Jacob tandem converſus ad filium ſuum Joſeph, ait: *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo*. Quæ verba ex communi Interpretum conſenſu intelliguntur de prædio, quod Jacob juxta urbem Sichem emit, ut ibi tabernaculum ſecure figeret: idque declaratur his verbis Joann. 4. v. 5. *Venit Jeſus in civitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar* (paululum deflexo nomine pro Sichem) *juxta prædium quod dedit Jacob Joſeph filio ſuo*. In hac autem donatione duo veniunt notanda.

Primum, quod illa videatur exigua & indigna quæ tanto principi fieret. Alterum quod prædium illud emptum fuerit centum agnis, non ab Amorrhæis, ſed ab Hemor patre Sichem, ut dictum eſt ſupra cap. 33. Qua igitur ratione dicit Jacob illam terræ partem ſibi comparaviſſe in gladio & arcu?

Reſpondeo ad primum, donationem illam intelligendam eſſe non de ſolo prædio, ſed de toto territorio Sichemitico, quod tandem ceſſit in poſſeſſionem Tribus Manaſſe ex Joſepho oriundæ *Joſue* 17. *v.* 7. ibique oſſa Joſephi condita ſunt, tanquam in dominio proprio.

Ad ſecundum, reſpondet perdoctus Maſius in poſtremum caput Joſue, quod cum illud Sichemiticum territorium vi occupaſſent Amorrhæi, illos armata manu expulerit Jacob, ut illud ſibi, ſuiſque poſteris vendicaret. At cum de hac expeditione bellica ſileat Scriptura ſacra, minus videtur certa; maxime cum ſanctus ille ſenex toto vitæ tempore non bellicoſus, ſed pacificus & patientiſſimus extiterit, & in paſcendis ovibus, ſuaque pie & tranquille regenda familia totus occupatus.

Quamobrem omiſſis aliorum expoſitionibus, mihi parum aptis & certis: cenſeo Jacobum metaphorice hic locutum eſſe Joſepho, quem ſciebat optime noſſe de quibus armis uti ſoleret in periculis & adverſis; nempe ferventi ad Deum deprecatione; quemadmodum hunc textum exponit Chaldæus Paraphraſtes: *Quam tuli*, inquit, *de manu Amorrhæi oratione & deprecatione mea*; hæc enim erant ordinaria Jacobi arma: his Labani patrui, & Eſau fratris furorem & minas repreſſit: his illum virum, ſeu Angelum vicit cum quo tota nocte fuerat luctatus, ut indicat Oſeas cap. 12. v. 4. *In fortitudine ſua directus eſt cum Angelo: & invaluit ad Angelum, & confortatus eſt; flevit & rogavit eum*. His pariter uſus eſt quando ad vaſtatam, a filiis urbem Sichem verebatur ne vicini populi, inter quos Amorrhæi validiores erant, conjunctis armis in illum inſurgerent, ipſumque ſua cum familia delerent. Unde factum eſt, ut immiſſo divinitus terrore, nullus in Jacobum hiare auſus fuerit, nec Sichemiticum territorium invadere: nam *Geneſ.* 37. Et ſi Jacob degeret in Hebron, attamen ejus filii pacifice ſuos greges paſcebant in Sichem, tanquam in territorio adhuc ſibi proprio.

Quod autem Jacobus dicit ſe illud territorium tuliſſe ab Amorrhæis, quod alibi dicitur emptum ab Hemore Hevæorum principe: dico illum Hemorem forte fuiſſe gente Amorrhæum, Imperio autem, Hevæorum principem. Adde quod *Amorrhæorum* nomine deſignabantur omnes illæ peſſimæ nationes: quippe *Geneſ.* 15. *v.* 16. Abrahæ dicitur poſteros ejus non eſſe poſſeſſuros Chananitidem, niſi poſt quartam generationem: *Necdum enim* (ait Deus) *completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum*, ibi nomine Amorrhæi ſignificantur etiam Chananæi.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XLIX.

IN more poſitum erat apud primævos homines, præſertim veri Dei cultui addictos, morte jam impendente, congregare quoſcunque curæ ſuæ commiſſos, & bene illis precari, atque dare ſalutaria monita, & aliquando præſaga mente, nonnulla prædicere, illiſque benedictionem impertiri. Hoc fecit *Moſes* Deuter. 33. & *Joſue* cap. 24. & *Samuel* 1. Reg. cap. 12. & *Tobias* cap. 3. & *Matathias* 1. Machab. cap. 2. & *Chriſtus Dominus* cap. 14. & 15. quamobrem Jacobus Moſis aliorumque Prophetarum anteceſſor, cum videret ſe morti proximum advocavit duodecim filios ſuos, quos prænoverat totidem Tribuum futuros eſſe principes; ut quæ tam illis, quam eorum poſteris ventura eſſent, ſpiritu prophetico prædiceret. Quæ autem eis dixerit, repræſentat Moſes hoc capite, in quo refert Jacobi vaticinia ſingulis filiis annunciata. Hinc præſens caput inſcribi ſolet *de benedictionibus Patriarcharum*. Ita S. Ambroſius in ſingulari hujus Capitis expoſitione: Rufinus Aquileienſis eodem titulo: Theodoretus quæſt. ultim. in Geneſ. Idque confirmare videtur Moſes hoc cap. v. 28. Ubi de his Jacobi filiis ait: *Hæc locutus eſt eis pater ſuus; benedixitque ſingulis benedictionibus propriis*.

Verum cum nulli, præter Judæ & Joſepho proprie benedixerit: Rubeno vero, Simeoni, ac Levi videatur maledixiſſe, cæteris

ris autem ventura prænunciare: convenientius hoc caput inſcriberetur: *Jacobi vaticinium*, quam ejus *benedictio*. Unde etiam Moſes illud auſpicatur his verbis: *Vocavit autem Jacob filios ſuos, & ait eis: Congregamini ut annunciem quæ futura ſunt vobis*. Quamobrem idem S. Ambroſius monuit, rei titulum non convenire, quia Rubeno & duobus aliis filiis ſuis videtur maledixiſſe. *Prophetia* (inquit S. Ambroſius,) *dicenda eſt oratio Jacobi, non benedictio; ſiquidem Prophetia, eſt denunciatio futurorum, benedictio autem, ſanctificationis & gratiarum votiva collatio.*

Accedit quod verbum Hebræum *Berek*, quod ſignificat *Benedicere*, interdum habeat ſenſum prorſus oppoſitum, atque maledictionem denotet: ſic *Job.* 1. v. 5. & 2. v. 11. & 3. *Reg.* 21. Naboth a ſalſis teſtibus accuſatur quod *benedixerit Deum, & Regem*, hoc eſt, utrique maledixerit, ut habent Syrus Interpres, & Arabica verſio.

Ea autem quæ hic filiis ſuis prædicit Jacobus, non eodem tempore contigerunt; ſed quædam paulo poſt ipſius mortem; quædam temporibus Joſue: nonnulla deinceps: aliqua ad Meſſiæ ſeu adorandi Salvatoris noſtri ævum referenda ſunt: quædam etiam ad Antichriſti tempora: Prophetarum enim mos eſt, quod cum alicui fauſta, vel adverſa prænunciant, ea non in eorum perſonis, quas alloquuntur: ſed in ſucceſſoribus impleantur, ut obſervat S. Chryſoſtomus *homil. 8. in Matthæum*. Igitur quæ ſuis ſingulis filiis prænunciat Jacobus, non tam eos ſpectabant, quam eorum ſucceſſores & poſteros. Ut autem quæ in ſingulorum vaticiniorum verbis latent myſteria, quantum nobis datum fuerit, in lucem ordine proferamus, rationi ac ordini conſentaneum eſt, omnia ſigillatim expendere.

DE RUBEN.

JAcobus in hac ad filios allocutione obſervat ordinem generationis & nativitatis quantum ad quatuor priores, & duos ultimos: cæteros vero promiſcue affatur.

Itaque Rubeo majorem natu alloquitur his verbis: *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei: prior in donis, major in imperio. Effuſus es ſicut aqua; non creſcas: quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum ejus.* Quibus verbis tria indicat. I. Prærogativas quas jure nativitatis & primogenituræ adeptus erat Rubeo. II. Amiſſionem & jacturam eorum omnium. III. Cauſam cur dotibus iſtis, quas alioqui poſſeſſurus erat, fuerit orbatus.

I. Itaque eum appellat *primogenitum*: non honoris cauſa, nec ut primogenituræ jura ipſi afferat: ſed ut ei exprobraret, & plus pudoris inureret, quod ſua culpa, a tanta dignitate exciderit; nempe ſacerdotio; duplici portione in hæreditate, familiæ præfectura, aliiſque primogenitorum juribus.

II. Eum dicit *fortitudinem ſuam*. 1. Quod fuiſſet genitus dum pater ejus florenti adhuc erat ætate; agebat enim tunc circiter octogeſimum annum, quæ virilis ac florens æſtimari debebat ætas, per reſpectum ad totam Jacobi vitam, quæ fuit 147. 2. Cum homines in filiis quodammodo reviviſcant, merito vigoris principium dicitur primogenitus. 3. Nominatur patris *fortitudo*, quia vivente patre, debebat præ cæteris fratribus ei eſſe in tutelam & baculum ſenectutis; eo autem mortuo, debebat eſſe familiæ caput & patris vices agere.

III. Dicitur, *principium doloris paterni*; non quod Jacobus ante genitum Ruben nullo fuerit dolore perculſus; plures enim ante paſſus fuerat calamitates & anguſtias, dum e paterna domo exire coactus, ut fratris Eſau declinaret iracundiam exulavit apud Labanum, & duros, diu noctuque in ejus gregis cuſtodia, labores perpeſſus eſt. At in eis omnibus anguſtiis Deum habebat opitulatorem, dumque terrenis angeretur calamitatibus, cœleſtis conſolationis rore perfundebatur.

Verum dum audiit Ruben inceſtuoſo cum noverca Bala congreſſu paternum cubile polluiſſe, tanto iſtius criminis horrore perculſus eſt, quod & Deus graviſſime fuiſſet offenſus, & execrandus ille inceſtus in univerſæ ſuæ familiæ ſcandalum, atque ſuæ propriæ pietatis & gloriæ jacturam & ignominiam redundaret, ut exinde conceptus vehementiſſimus dolor intimis viſceribus ſemper adhæſerit. Adjiciunt alii idcirco Ruben dici principium paterni doloris, quia cum eſſet primogenitus, primus in cauſa fuit laboris & ſollicitudinis, quam Jacobus habuit, ut familiæ ſuæ, maxime vero filiorum educationi proſpiceret: ſolent enim parentes ſtatim atque filios genuerunt, majori cura & ſollicitudine agitari, ut ipſis conſulant, eorumque rebus provideant.

IV. *Dicitur, prior in donis, major in imperio*, (ſupplendum) *eſſe debueras*, jure ſcilicet ſuæ primogenituræ: quia, inquit Chaldæus Paraphraſtes, illo titulo, *decebat ut acciperet tres partes, ſcilicet, ſacerdotium, & Regnum: & ampliorem in bonis paternis portionem*: nam ut diximus, tria præcipua primogenitorum apud Hebræos erant privilegia. 1. Cæteris fratribus debebant præeſſe loco patris tanquam familiarum capita. 2. Illuſtrabantur dignitate ſacerdotali. 3. Duplicem in hæreditate paterna portionem obtinebant; quod etiam Iſraelitis præſcripſit Deus *Deuter.* 21. *v.* 17. Ubi de primogenito ait: *Dabitque ei de his quæ habuerit cuncta duplicia: iſte enim eſt principium liberorum ejus*. At Jacobus imperium & auctoritatem in populum Iſraeliticum Rubenitis debitam, tranſtulit in Tribum Juda, ut apparet in hoc capite, atque *Judicum cap.* 1. Sacerdotium vero, quæque ſpectabant ad miniſterium ſacrum, Levitis attribuit. *Numer. cap.* 18. Denique duplicem hæreditatis paternæ portionem tranſtulit ad filios Joſephi, ut di-

ctum eſt *cap.* 48. habuit præterea id infauſtum Tribus Ruben, quod longe inferior fuerir in numero cæteris Tribubus Iſraeliticis, ur apparet *Num.* 2. & 26. ubi ſingularum Tribuum nnmerus recenſetur.

V. *Effuſus es ſicut aqua*, hoc eſt, non potuiſti cohibere veſanam tuam libidinem; ſed voluptatis effuſus es impetu, ſicut aqua ex vaſe: idcirco *non creſcer*, hoc eſt, ſpoliaberis omnibus dotibus & bonis; ita ut quemadmodum aqua e vaſe effuſa, nullum ſui in eo veſtigium relinquit, non colorem, non odorem, non ſaporem, ſic & tu omnibus exueris bonis: in hoc enim aqua differt ab aliis liquoribus, inquit Lyranus, quod vinum, oleum, arramentum &c. dum ex vaſe in quo conrinenrur, effundunrur, ſemper aliquid ſui relinquunt inhærens vaſi; vel ſubſtantiæ, ut mel; vel ſapotis, ut vinum; vel coloris, ut atramentum; vel odoris & pinguedinis, ut oleum; aqua vero effuſa nihil horum relinquit; non ſaporem, non colorem, non odorem, ſed omnino vacuum relinquitur vas. Putat ergo Lyranus eo ſigniſicari, Ruben ſcelere ſuo excidiſſe omnibus prærogativis primogenitorum. Cujus rationem ſtatim profert Jacobus, nimirum quod Ruben cubile patris ſui aſcenderir, ejuſque ſtratum polluerit per inceſtum cum Bala noverca ſua admiſſum. Idipſum incnlcat auctor lib. 1. Paralip. cap. 5.

Ex quibus ſane apparet quanta fuerit iſtius criminis gravitas, cum exactis licet ad minus quadraginta annis ab ejus perpetratione, expiatum non fuerit; imo quaſi recens exprobratum & vindicatum graviſſima quidem pœna, ſcilicet hac imprecatione: *Non creſcas*; Nempe propagatione familiæ numeroſæ, & mulriplicatæ poſteritatis; cum enim ipſius Tribus omnium eſſet prima, debuiſſet etiam vi paternæ benedictionis aliis eſſe amplior, & numeroſior: attamen plurimæ fuerunt ipſa copioſiores, præſettim Tribus Juda; & in populi recenſione, quæ refertur *Num.* 26. longe Rubeni Tribum exceſſerunt ae ſuperarunt Tribus Juda, Gad, Ephraim, & Levi. Quapropter Moſes *Deuter.* 33. eodem, quo Jacobus, divino Spiritu afflatus, de Tribu Ruben loquens ait: *Vivat Ruben, & non morintur, & ſit parvus in numero.*

DE SIMEONE ET LEVI.

Cum hi duo ſtatres in Sichimotum exterminatione fuerint ejuſdem ſceleris conſortes, in utrumque ſimul propterea commotus & exacerbatus Jacobus, ſic eis imprecatur: *Simeon & Levi fratres, vaſa iniquitatis bellantia: in conſilium eorum non veniat nnima mea, & in cœtu illorum non ſit gloria mea; qnia in furore ſuo occiderunt virum; & in voluntate ſua ſuffoderunt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax; & indignatio eorum, quia dura: dividam eos in Jacob, & diſpergam eos in Iſrael.* Quibus verbis veluti triplici argnmento aperte demonſtrat ſe in admiſſo a Simeone & Levi cruento facinore adverſus Sichimitas, nullam habuiſſe partem.

I. Namque eorum barbatiem & perfidiam averſatut, quod contra datam fidem & juratam confœderationem cum Sichimitis, in eos impotentes, & propter Circumciſionis vulnus, debilitatos, armata manu inſurrexerint, eorumque principes cum ſubditis iniquiſſime trucidaverint; quamobrem indignabundus appellar eos, *Vaſa iniquitatis bellantia*.

II. Ut oſtendat quantum eorum ſibi crudelitas ſit horrori, ait: *In conſilium eorum non veniat anima mea*; ac ſi diceret, abſit ur unquam probaverim ſceleſtum ſcevumque eorum conſilium de proditoria Sichimorum ſtrage, *Et in cætu illornm non ſit gloria mea:* hoc eſt, novit Deus quantum animo alienus fuerim ab eorum vana jactantia, qua de Sichimorum vaſtatione, quaſi de re bene geſta, quod vindicaſſent violatam ſororis ſuæ pudicitiam, gloriabundi ſibi gratulabantur.

III. Eorum eriminis atrocitatem repræſentat & execratur dum ait: *In furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſua ſuffoderunt murum*. Ubi nomine *viri*, per Sinecdochen, Sichimorum Principem ejuſque ſubditos ab eis perverſo & bruto iracundiæ impetu jugulatos intelligit: per *murum* autem ab eis perſoſſum, ſignificat direptionem & everſionem civitatis, quam depopulati ſunt, & uſque ad murorum ſubvetſionem exterminarunt.

Cum ſatis ſuperque declaraſſet Jacobus ſe nullam in illo crudeliſſimo duorum iſtorum filiorum facinore habuiſſe partem, ut confirmet quantum iſtud toto vitæ ſuæ tempore fuerit dereſtatus, duplicem illius pœnam a divina juſtitia repoſitam aperit: quarum *prima* eſt, illorum furoris maledictio, quo ad ſcelus illud perpetrandum fuerant impulſi; quique eo magis videtur execrandus, quod ab initio violentus, ad finem uſque fuit implacabilis: *Maledictus*, inquit, *furor eorum quia pertinax: & indignatio eorum quia dura*.

Ubi prætermittendum non eſt, maledictionem illam non directe in Simeonem & Levi ferri; ſed in iram eorum & furorem; in quibus ſane apparer ſumma Dei æquiras ſimul & miſericordia, ut peccantium quidem ſcelera condemnet; a perſonis vero maledicendis abſtineat ſub ſpe eorum converſionis & pœnitentiæ. Unde S. Paulus *Rom.* 9. *v.* 22. *Deus volens oſtendere Iram, & notam facere potentiam ſuam; ſuſtinuit in multa patientia, vaſa iræ, apta in interitum, ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam.*

Secunda pœna declaratur his verbis: *Dividam eos in Jacob, & diſpergam eos in Iſrael:* hoc eſt, dum terra Chanaan ſingulis Iſraelitarum Tribubus diſtribuetur; Simeonis & Levi poſteri peculiarem non habebunt ſortem, ut in uno loco ſimul conſiſtant, quemadmodum aliorum Patriarcharum filii. De Tribu *Levi* quidem id manifeſtum eſt,

quia

Digitized by Google

quia Levitæ cum reliquis Tribubus regionem non habuerunt propriam: ſed huc illuc diviſi ſunt per univerſas Tribus, ut apparet ex *cap.* 21. lib. Joſue; & *lib.* 1. *Paralip. cap.* 6. Cuius quidem diſperſionis vera cauſa fuit peccatum Levi. Quamvis dum ad executionem ventum eſt, Deus hac ratione diſſimulata, aliam aperuit, quæ ipſis fuit bonorificentiſſima; nempe quod *Deus ipſe ſit ſors eorum*; & quod eos voluerit diſſeminare in populo ſuo, ut ipſi hac occaſione ſuo ex inſtituto Iſraelitas ſibi habitatione conjunctos incitarent ad Dei timorem & verum eius cultum.

De *Simeonis* vero poſteris eadem non fuit eorum diſperſionis ratio. Habuerunt quidem illi habitationem deſignatam intra Tribum Juda, ut legimus *Joſue* 19. quin etiam 1. Paralip. cap. 4. ſcriptum eſt, quod cum multiplicata eſſet Tribus Simeonis, nec haberet habitationis locum ſufficientem; eorum quidam exierunt in deſertum, ut ampliorem ſibi habitationem compararent.

Addunt Hebrtei in Targo Jeroſolymitano, Simeonitas functos eſſe miniſterio Scribarum, & Doctorum legis; atque ea ratione plures eorum in alias Tribus diſperſos ut legem deſcriberent ab aliis legendam, ejuſque expoſitionem traderent. Verum cum Doctores & Scribæ etiam ex aliis Tribubus, maxime ex Levitica fuerint aſſumpti; infirma videtur illa Hebræorum expoſitio. Utut ſit, certum eſt nec Levitis, nec Simeonitis parem cum aliis Tribubus in diſtributione terræ Chanaan facta per Joſue, particularem fuiſſe ſortem: ac proinde in eis effectum obtinuit illa Jacobi in eorum parentes fulminatio.

Nec tamen exiſtimandum eſt Jacobum aliqua vindictæ cupiditate, aut iracundiæ impotentia adductum fuiſſe ad illam adverſus hos duos filios interminationem: paterno namque affectu omnes complectebatur, & dum accepit Simeonem vinculis fuiſſe in Ægypto detentum, ejus caſum deploravit: ſed agebat Vatem & Prophetam, cujus eſt efferre quæ a divino Spiritu ſuggeruntur.

DE JUDA.

CUm Jacobus tribus filiis prioribus natu qui ſuis flagitiis graviſſime Deum offenderant, patriſque exacerbarant animum, infauſta fuiſſet imprecatus, ad Judam converſus, blandioribus verbis eum alloquitur; ait enim: *Juda, te laudabunt fratres tui: manus tua in cervicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filii patris tui. Catulus Leonis Juda: ad prædam fili mi aſcendiſti: requieſcens accubuiſti ut Leo, & quaſi Leæna, quis ſuſcitabit eum? Non auferetur Sceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio Gentium. Ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem, o fili mi, aſinam ſuam. Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum. Pulchriores ſunt oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores.* Quibus encomiis & vaticiniis Judam celebrat & extollit ſuper illius fratres; idque ab his potiſſimum rebus. I. A principatu & magiſtratu, quem præ omnibus fratribus ſuis habiturus eſſet. II. A bellis & victoriis, quibus hoſtibus ſuis ſuperior eſſet futurus. III. A regni duratione, ſecuritate & firmitate; cujus auſpicia, progreſſum, ſecuritatem, firmitatem, nec non & finem pulchre oſtendit *leonum* ſimilitudine, quibus illum aſſimilat. IV. Ab ipſo Meſſia qui ex ejus Tribu oriundus ſit, ad cujus adventum temporale Iſraelitarum regnum finem ſit accepturum, incipiet autem Regnum ſpirituale omnibus cœleſtibus bonis refertum, cujus nullus unquam erit finis.

I. Eum celebrat a principatu quem ſuos in fratres conſecuturus eſt: *Juda, te laudabunt fratres tui... & adorabunt te filii patris tui.* Quibus innuit illius poſteris divinitus deſtinatum eſſe in alios Iſraelitas imperium. Neque enim hujus vaticinii verba ipſius Judæ perſonam ſpectant, cum ipſe quandiu vixit, nullam ſuos in fratres ſupremam auctoritatem obtinuerit; imo cum ad mortem uſque ſteterit in Ægypto, certum eſt eum ſemper ſubiectum fuiſſe Joſepho qui ſecundus erat a Pharaone. Oportet igitur hujus vaticinii eventum ſpectaſſe Judæ poſteros, maxime Davidem, ejuſque ex Tribu Judæ ſucceſſores, qui univerſis Iſraelitis auctoritate regia præfuerunt.

Fuit quidem præpoſtera Iſraelitici populi Regem poſtulantis feſtinatio, ut alium, quam a Tribu Juda primum Regem a Deo in eos irato acceperint. Sed regnum illud inauſpicatum fuit, & ut abortivus partus in perſona Saulis evanuit. At legitimo ordine, & juxta Jacobi vaticinium Regius principatus Judæ repromiſſus exordium habuit in Davide, qui illud ſuos ad poſteros traduxit.

Fuit quidem temporibus Roboam maxima hujus Regni Judaici clades & ſciſſura; quippe cum ab eo decem Tribus defecerint, novumque Regem & Regnum inſtituerint. At hac ſaltem in parte eminentior fuit Judæ principatus, quod a Deo fuerit deſtinatus, & probatus.

II. Eum laudat a fortitudine & bellicis facinoribus: *Manus tua*, inquit, *in cervicibus inimicorum tuorum.* Ac ſi diceret: Manu victrice in fugam vertes & ſubjugabis inimicos tuos. Quod potiſſimum temporibus Davidis impletum eſt; legimus enim 1. & 2. Regum plurimas victorias, quas de Iſraelitici populi hoſtibus glorioſe reportavit. Idque ipſemet egregie explicat *Pſal.* 17. ubi ait: *Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non convertar donec deficiant. Confringam illos, nec poterunt ſtare, cadent ſubtus pedes meos* &c.

Ut autem Heroicam Judæ fortitudinem in poſteris illuſtrem commendet, utitur verbis metaphoricis, adiiciens: *Catulus Leonis Juda* &c. Nimirum ut hac ſimilitudine ſumpta a Leone animalium omnium fortiſſimo,

& ter-

& terribiliſſimo prænuntiet quam formidanda ſit futura Judaica Gens, maxime temporibus Davidis, & Salomonis: nam per Davidem debellati ſunt & expugnati Philiſtæi, Moabitæ, Ammonitæ, Idumæi, & Syri uſque ad Euphrarem. Temporibus vero Salomonis omnes pene Reges & Principes ad Indos uſque Judæis tributa pendebant.

A Leonibus vero (inquit Fagius) ſimilitudinem potiuſquam ab aliis animantibus traxit, quod ea pulchre faciat ad indicandum Judaici principatus incrementa. Tradunt enim Hebræi de Leonis natura, quod per gradus quoſdam ad ſummum roboris apicem perveniat. In primo enim gradu vocatur *Catulus*: In ſecundo *Leunculus*: In tertio *Leo*: In quarto *Leo ſenex*: In quinto *Leo multorum annorum*. Ex his autem quinque nominibus tria ſcilicet Catulus, Leo, & Leo ſenex, Tribui Judæ poſſunt accommodari ut ſignificent quod illa prædis hoſtium potitura ſit, & inſtar Leonum terribilis ſit futura, non ſolum in hoſtibus impetendis & expugnandis: ſed etiam poſt eos expugnatos reportataſque victorias, pacifice ſit quietura; ſicut Leones capta præda, ea ſecure & tranquille veſcuntur: adeo ut ab aliis feris non habeant quod pertimeſcant, & poſt cibum dormientes nullum animal citra diſcrimen eos excitare poſſit. Quamobrem addit Jacobus de Juda: *Ad prædam, fili mi, aſcendiſti; requieſcens accubuiſti ut Leo, & quaſi Leæna: quis ſuſcitabit eum?* Ubi illum aſſimilat Leænæ, quæ catulos lactans omnibus leonibus ſævior eſt; ut ſignificaret neminem impune bello laceſſiturum Judæos, præſertim temporibus Davidis qui contrivit omnes inſurgentes in populum Iſrael.

III. Extollit Judaici populi principatum ab ipſius duratione & firmitate. Tametſi enim aliæ Tribus etiam iſtius dominationis in Iſraeliticum populum temporibus Judicum & Saulis partem obtinuerint; eorum tamen dominatio fuit dumtaxat ad breve tempus.

At non ita futurum erat de Tribu Judaica, quæ ubi principatum obtinuit, illum conſtantiſſime ſervavit ad Meſſiæ adventum. Nam etſi Judæi ſua propter gravia ſcelera plurimis calamitatibus jactati fuerint, & varias in captivitates abducti; ſtetit tamen firmiter principatus penes Tribum Juda ad Chriſti Domini nativitatem, ut fuſiſſime a nobis demonſtratum eſt in Scoto noſtro Academico, diſputatione de adventu Meſſiæ, quo lectorem remittimus: Idque perſpicue declarat Jacobus his ſequentibus verbis: *Non auferetur ſceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt*. Vel ut exponit Chaldæus Paraphraſtes: *Donec veniat Meſſias cujus eſt regnum*.

IV. Prænunciat ipſius Tribus Judæ ſupra cæteras eminentiam, ab ipſo Meſſia, qui ex Tribu Juda oriundus erat, quique non ſolum Iſraelitas, ſed & nationes omnes habiturus eſſet ſubditas; juxta illud Pſalmi 71. *Adorabunt eum omnes Reges terræ; omnes Gentes ſervient ei*. Quamobrem Jacobus adiicit: *Et ipſe erit expectatio Gentium*. Hinc apud Aggæum cap. 2. v. 8. Meſſias appellatur *Deſideratus cunctis Gentibus*, quod nimirum tanto affectu, tantaque animi ſubmiſſione excipiendus erat ejus principatus a Gentibus, atſi diu ab ipſis deſideratus & expectatus fuiſſet.

V. Oraculum ſuum Jacobus claudit his verbis: *Ligans ad vineam pullum ſuum* &c. Quibus litteraliter deſignat eam Cnananitidis partem, quæ Tribui Judæ in ſortem obventura erat, ita fore vini feracem, adeo grandes fore vites, & tantis uvis onuſtas ut ad palmitem unum poſſit quis ex eis aſinum ſuum ligare; hoc eſt, ſtantem detinere, ut unius palmitis fructu eum affatim onerare valeat. Quibus per figuram Metalepſis ſignificat in ea regione tantam eſſe futuram vini copiam, ut Judæ poſteris non modo ſufficiat ad copioſe bibendum: ſed etiam ſuperſit, ut velut in aqua lavare poſſint ſua veſtimenta. Quin & viri Juda tam largiter vinum bibent, ut oculi ipſorum ignis inſtar fulgentes appareant & ſplendide rubeſcant.

Tanta quoque futura erat in ea ſorte lactis abundantia, ut ex ipſius frequenti potu & eſu eius incolarum dentes albicare videantur, ut ad litteram exponit Lyranus noſter, & ex eo Vatablus, Tirinus, aliique benemulti recentiores Interpretes.

Addunt ſacri Doctores ſingulas huius oraculi partes ſenſu myſtico principaliter a Spiritu-Sancto intento, in Chriſtum Dominum quadrare, ut in Scoto Academico ſupra laudato expoſuimus.

DE ZABULONE.

GEnerationis & naturæ ordinem hactenus ſervavit Jacobus prædicendo ſuis filiis quæ eorum poſteris erant ventura: nunc autem inverſo ordine Zabulonem Iſſachari anteponit; Zabulon enim ordine naturæ decimus eſt tantum inter Jacobi filios, & ſextus eorum quos genuit Lia. Cur autem Zabulon Iſſachari præponatur, non indicat Moſes: id tamen abſque ratione factum non exiſtimabit quiſquis perſuaſus erit, a Jacobo, nonniſi ſuggerente divino Spiritu omnia hæc prolata fuiſſe oracula.

Credunt Hebræi Doctores cum Aben-Eſra, idcirco Zabulonem fuiſſe antepoſitum, quod Iſſacharis hæreditas Zabulonem inter & Dan fuerit interjecta.

Exiſtimarem ego idcirco Zabulonem poſt Judam fuiſſe memoratum, quod Jacobus benedicendo Judam, præcipue Meſſiam venturum haberet in animo, quem cum previderet in Tribu Zabulonis annunciandum, concipiendum, diutius habitaturum, frequentiuſque prædicaturum; ideo Zabulonem Judæ ſubnectere voluit. Certum enim eſt civitatem Nazareth intra ſortem tribus Zabulo-

bulo-

bulonicæ conſtitutam, eamque fuiſſe illuſtratam ortu Deiparæ Virginis, conceptione, educatione, & diuturno incolatu Chriſti Domini: maxime vero quod ea in regone cœpit prædicare Evangelium, ut tradit Matth. 4. Quamobrem quaſi lætabundus Iſaias c. 9. exclamat: *Terra Zabulon & terra Nephthali.... Via maris trans Jordanem Galileæ Gentium. Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis.* Quibus verbis prædicit a Chriſto Domino ptimum Zabulonitis Evangelium eſſe prædicandum.

Pauca ſunt autem quæ de Zabulone illiuſque poſteris vaticinantur; ait enim: *Zabulon in littore maris habitabit, & in ſtatione navium pertingens uſque ad Sidonem.*

Etſi vero hic dumtaxat prænuncietur futura Zabulonitarum habitatio, quæ nihil rarum & eximium præ cæteris Iſraelitis continet; hoc tamen ipſis Zabulonitis debebat eſſe maxime ſpectandum, quod Deus dignatus ſit ipſis præſcribere domicilia & inhabitandæ regionis limites figere, quo magis ſtrenue ſeſe accingerent non ſolum ad terram illam occupandam quaſi divinitus ſibi conceſſam; ſed etiam ad eam ſtationem animoſe conſervandam, ne gratia ſibi cœlitus data exciderent.

Hoc inſuper ſpeciale habebat Zabulonica regio, quod non ſolum eſſet maritima; ſed etiam portuoſa; nam eius terminum conjungit Jacob Sidonis & Phæniciæ finibus, in quo tractu commodi & nobiles portus extiterunt; unde excipi poſſet ingens bonorum omnium & divitiarum copia.

DE ISSACHARE.

QUalis futura eſſet Iſſacharis poſteritas, prædicit Jacob his verbis: *Iſſachar aſinus fortis accubans inter terminos. Vidit requiem quod eſſet bona, & terram quod optima, & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum, factuſque eſt tributis ſerviens.* Dicitur autem Iſſachar Hebraice *aſinus oſſis*, id eſt, prædutus, ac fortis, & aptus ad ferendos agriculturæ labores. Vel quod inſtat aſinorum, Iſſachariani ignavi eſſent; non autem bellicoſi ac generoſi, ſicut equi.

Duo autem in hac prophetia continentur. Primum, quod regio aſſignanda Iſſacharianæ Tribui futura eſſet fertiliſſima & amœna, atque vitæ pacificæ & quietæ commoda. Secundum, quod etſi Iſſachariani robore pollerent, quietos tamen, magis quam cordatos fore, & ferendæ ſervituti paratos; non ſecus atque muli & aſini latera ſua clitellis accommodant. Cuius rationem profert Jacobus, quod nimirum illi fertili & amœno ſuo agro contenti ſuis Regibus, imo & hoſtibus vicinis pendere mallent tributa, quam procedere in bellum, & ſua ſervitute pacem & quietem redimere.

DE DAN.

DAn, inquit Jacobus, *judicabit populum ſuum, ſicut & alia tribus in Iſrael. Fiat Dan coluber in via, Ceraſtes in ſemita, mordens ungulas equi, ut cadat aſcenſor ejus retro. Salutare tuum expectabo Domine.* Quibus verbis alluſione facta ad nomen Dan, id eſt *judicans*. Jacobus prædicit inter illius Patriarchæ poſteros, aliquos futuros Iſraelitici populi judices; quod vaticinium impletum eſt in Samſone e Tribu Dan oriundo, qui viginti annis judicavit populum Iſrael, illumque liberavit a ſervitute Philiſtinorum.

Quoniam autem Samſon non ſolum fortitudine, ſed & dolis Philiſtæos expugnavit, dicitur: *Coluber in via, Ceraſtes in ſemita:* Coluber enim viatores incautos mordet: & ceraſtes cum non valeat equitem attingere, equi ungulam ſeu calcaneum venenatæ linguæ ſpiculo percutit, & ſic equum & aſcenſorem dejicit, & dejectos enecat. Quibus ſymbolis ſignificat Patriarcha Samſonem maxime terrificum & formidandum fore hoſtibus; quemadmodum enim nemo audet ingredi per eam viam, & ſemitam quam ſcit a venenatis ſæviſque ſerpentibus obſitam: ita populum Hebræum duce ac propugnatore Samſone, nullus hoſtium audebat infeſtare: aut quia ſicut ſerpentes latent in viis, & inopinato aggreſſi hominem fuerint mortifere; ita Samſon incautos nec opinantes aggreſſus hoſtes, magnas ſæpe eorum ſtrages edidit.

Sunt etiam qui verba illa paſſive accipienda eſſe contendant; nempe quod Philiſtæi videntes a ſe nulla vi expugnari poſſe Samſonem, illum dolis profligare aggreſſi ſunt; artibus ſcilicet Dalilæ quæ colubri & ceraſtis inſtar, ipſius cæſariem, ex qua potiſſimum procedebat inſuperabilis illius fortitudo, dolo abſcidit, ipſumque reddidit imbellem, necnon vinculis conſtrictum tradidit in Philiſtinorum manus, a quibus, oculis orbatus eſt.

Hanc funeſtam Samſonis eladem viſu Prophetico proſpectam habens Jacobus, ſimulque perpendens quam inconſtans & evanida ſit per homines reſtituta libertas & ſalus, ad Meſſiam venturum cujus Samſon erat ſymbolum, converſus, exclamat: *Salutare tuum expectabo Domine!* ac ſi diceret, vana eſt ſalus per hominem procurata: idcirco in eam redemptionem, quam mundo per adventum tuum allaturus es, Domine! totam ſpem meam dirigo. Cui expoſitioni favet Paraphraſtes Chaldæus Hieroſolymitanus qui hunc locum ſic expendit: *Salutare tuum expecto Domine, dicit pater noſter Jacob non expecto ſalutare Gedeon filii Joas, quæ ſalus temporalis; neque ſalutare Samſon, filii Manue, quæ eſt ſalus tranſitoria: ſed expecto redemptionem Chriſti David; qui venturus eſt ad accerſendum ſibi filios Iſrael, cujus redemptionem deſiderat anima mea.*

Tametſi

Digitized by Google

Tametſi vero hujus vaticinii expoſitio textui litterali videatur conſentanea: nihilominus plurimi ſancti Patres & ſacri Interpretes exiſtimant ſenſu a divino Spiritu directe intento prophetiam illam intelligendam eſſe de Antichriſto, quem dicunt e Tribu Dan oriundum. Ita imprimis S. Irenæus dicens Jeremiam non ſolum ſubitaneum Antichriſti adventum, ſed etiam Tribum ex qua veniet, manifeſtaſſe, dicendo cap. 8. v. 6. *A Dan auditus eſt fremitus equorum ejus* &c. Ei ſuffragatur S. Ambroſius, qui improbans ſententiam dicentium hoc in Samſone impletum eſſe vaticinium, ait: *Non hunc prophetia ſignificat: ſed Antichriſtum, qui futurus eſt ex Tribu Dan: Sævus judex, & tyrannus immanis judicabit populum ſuum. Tanquam ſerpens in via, ſedens in ſemita, dejicere tentabit eos, qui viam ambulant veritatis ſupplantare cupiens veritatem. Hoc eſt enim mordere equi calcaneum, ut veneni ſuffuſione equus ſaucius, & vulneratus dente ſerpentis, levet calcaneum ſuum.*

In eamdem ſententiam ivit Theodoretus, qui cum præmiſiſſet aliorum expoſitionem, ait: „ Ego vero arbitror Spiritum divinum, cum per Patriarcham vaticinatus eſſet, quæ ſpectabant ad Salvatorem noſtrum; hac prophetia locutum etiam eſſe, quæ ad Antichriſtum. Nam illi valde conveniunt; quæ ſcriptæ ſunt. *Dan enim*, inquit, *judicabit populum ſuum, ſicut & una Tribus in Iſrael*. Quemadmodum enim ait Salvator & Dominus noſter ortus e Tribu Juda ſalvaturus eſt orbem: ita ſerpens pernicioſus egredietur ex Tribu Dan. Hoc enim dicit: *Fiat Dan ſerpens in via, mordens calcaneum equi. Et cadet eques retrorſum, expectans ſalutem Domini*. Ob id enim quod omnimodis circumventionibus utens *conatur prædari deceptor in exitium*, aſſimilat ipſum ſerpenti cuidam juxta ſemitam latenti, & tranſeuntes inficienti. Puto autem illum vocare corpus *equum*, *ſeſſorem* vero animam, *Retrorſum vero cadere*, hoc eſt ſupinum jacere, denotat mortem. Solet enim eſſe ejuſmodi morientium figura. Per *ungulam* autem dolum innuit. Ex eo enim quod quoſdam decipit, alios vehementer affligit; per equum corpus indicat, quo morſu affecto, & labefactato ſtatim mors ſequitur, quæ ſpei fructum adfert expectantibus: cuius ſpei fructus eſt ſalus.

His adiiciendi ſunt *S. Auguſtinus* quæſt. 22. in Joſue, *S. Proſper* lib. de promiſſionibus & prædictionibus Dei parte 4. *S. Gregorius*, lib 30. Moralium cap. 18. & Recentiores plurimi. Verum expoſitiones illæ ſpectant potius ſenſum myſticum, quam litteralem, cui potiſſimum exponendo inſiſtimus.

DE GAD.

AD filium Gad converſus Jacobus, & alludens ad eius nomen, quod Hebraice ſignificat *accinctum*, ait: *Gad accinctus præliabitur ante eum, & ipſe accingetur retrorſum*. Quibus prænunciat Tribum Gad juxta ſui Patriarchæ nomen, futuram eſſe pugnacem, & ad arma imprimis paratam; quod utique docuit eventus; nam Tribus hæc, ut refertur *Num.* 32. tametſi ſtationem ſuam habuiſſet cis Jordanem; nihilominus omnes illius viri relictis uxoribus, liberis, & gregibus, armis valide accincti tranſierunt Jordanem; & reliquas Tribus, quaſi earum duces præcedendo, totos quatuordecim annos ſtrenue pugnarunt, donec illæ reliquæ Tribus in ſuam ſortem venirent

Quæ quidem cum ſuis in ſedibus fuiſſent collocatæ, Gaditæ rurſus accincti & armati ad ſuam ſortem trans Jordanem glorioſe regreſſi ſunt, ut refertur *Joſue* 22. & multa deinde bella cum Arabibus vicinis feliciter geſſerunt, ut videre eſt. 1. *Paralip. cap.* 5. quod ſignificavit Jacobus dum ait: *Ipſe accingetur retrorſum*, hoc eſt, armatus & iterum pugnaturus revertetur ad propria.

DE ASER.

FIlium Aſer alloquens Jacobus, & alludens pariter ad ejus nomen, quod beatum & fœlicem ſignificat, ait: *Aſer pinguis panis ejus, & præbebit delicias Regibus:* Quibus denotat ipſius ſortis fertilitatem, & terram ab ejus poſteris occupandam optimi frumenti & omnis fructuum generis adeo feracem, ut alieno ſubſidio non indigeat ad victum, qui domi adeo ſuppetet, ut Regibus Iſraelitis, & Tyri in deliciis etiam ſint futuri. In quibus certe apparet eximia Dei erga Aſeritas providentia, quod ipſos locandos eſſe voluerit in regione uberrima, & omni genere fructuum ita abundanti, ut cæteris etiam fuerit in ſubſidium, & Regibus in delicias.

DE NEPHTHALI.

FIlium Nephthali hoc vaticinio celebrat Jacobus: *Nephthali, cervus emiſſus, & dans eloquia pulchritudinis*. Quorum verborum triplex proferri poteſt expoſitio. Prima Hebræorum Doctorum, qui exiſtimant vaticinium iſtud ſpectare ad Barach, unum ex Iſraelitis judicibus, qui collectis decem millibus e ſua Tribu Nephthali, armata manu, & magno impetu, inſtar cervi inſurrexit in Regem Chanaan, ejuſque belli Ducem Siſaram, quem fugavit & interemit. Hoc autem bello feliciter confecto, eum adjuvante & adhortante Debbora prophetiſſa, cecinit egregium canticum ad referendas Deo grates pro reportata victoria.

Secunda expoſitio indicat, hic ſignificari ubertatem & fertilitatem ſortis ipſius Tribus, quæ in hoc cæteris eminebat, quod in ea

fru-

Digitized by Google

fructus prius matureſcerent, aliarumque regionum anticiparent fœcunditsrein; ſicut cervus currendi velocitate cætera antecedit animalia.

Tertiam expoſitionem ſubminiſtrat Maſius, nimirum Nephthalitas conſtituendos eſſe in amœniſſimo ſolo, ubi ſicut cervus emiſſus & liber, nulliſque jam venarorum indaginibus interclusus, in amœnis herboſiſque ſaltibus paſcens, exultim cum aliis ludit: ſic Nephthali Tribus in uberi collocata regione, exultabit ſuavi otio, & grata libertate.

Præterea Nephthalitæ, cum eſſent facundia & verborum ſuavitate prædīti, tunc blandis ſermonibus, cum urbana humanitate, omnium ſibi gratiam conciliabant, ſeſeque potius eloquentia & comitate, quam armorum vi & impetu ab hoſtibus tuebantur. Unde hoc elogio celebrantur quod humanitati, eloquentiæ, & paci fovendæ magis ſtuduerint, quam ut ſe munierint armorum præſidio.

DE JOSEPHO.

UT Joſephum præ cæteris filiis diligebat Jacobus, ita copioſius in ejus laudes & encomia ſeſe effundit. Primo namque alludens ad ejus nomen, quod *incrementum* ſignificat, quia Rachel eum pariens, eique nomen *Joſephi* imponens dixerat: *Addat mihi Dominus filium alterum*, ait hic Jacob: *Filius accreſcens Joſeph, filius accreſcens, & decorus aſpectu*. Qua ſententiæ geminatione ſignificat maximum Joſephi incrementum, non ſolum in eo quod provectus fuerit ad ſupremam Ægypti dignitatem; ſed etiam quod ipſius progenies & poſteritas foret numeroſiſſima: quippe cum duplicem Tribum, Manaſſem & Ephraim, inter Iſraelitas complecteretur. Hæc autem paterna Joſepho collata benedictio quatuor continet. 1. Extollit illius pulchritudinem & fœcunditatem. 2. Victoriam in omnes ejus adverſarios. 3. Charitatem & dilectionem in nutrienda univerſa patris Jacobi familia. 4. Denique apprecationem omnium bonorum cœleſtium & terrenorum.

Itaque celebratur egregia Joſephi pulchritudo his verbis: *Joſeph decorus aſpectu: filiæ diſcurrerunt ſuper murum*. Hoc eſt, tanta eſt Joſephi formæ elegantia, ut Ægyptiæ puellæ ejus pulchritudinem admirantes, non contentæ eum ſemel vidiſſe in varia loca, per quæ erat tranſiturus, excurrerint ut jucundo illius aſpectu fruerentur. Hunc eumdem textum ſic vertunt alii: *Ramus fœcundus Joſeph, ramus fœcundus ad fontem: imo duo rami; procedit uterque ultra murum*. Ubi ducta metaphora ab arbore quæ in duos ramos, ſeu duos palmites extenditur, ſignificatur numeroſa per duas Tribus Joſephi multiplicatio; quam expoſitionem confirmat Paraphraſtes Chaldæus ſcribens: *Quaſi vitis plantata juxta fontem aquarum, duæ Tribus egredientur de filiis ejus*.

Etſi vero Joſephus formæ elegantia & morum candore eſſet amabilis; nihilominus ait Jacobus: *Exaſperaverunt eum, & jurgati ſunt, inviderunt que illi habentes jacula*: nimirum ejus fratres; qui, quod a patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei pacifice loqui: quin etiam propter enarrata ſomnia, quibus futura ejus felicitas & principatus præſignabantur, inviderunt illi, ejuſque mortem machinati ſunt.

Verum, *ſedit in forti arcus ejus*, hoc eſt, licet ipſius fratres ſagittis odii, invidentiæ jaculis, & ſuis perverſis machinationibus cruenta morte ipſum perdere conati ſint, firmiſſimam ſemper ſpem habuit, & ſtetit invictus, confidens in præſidio *fortis*, hoc eſt, Dei de quo Exodi. 15. *Quis ſimilis tui in fortibus Domine?* nec ſane vana fuit ejus ſpes, nam ut adiicit Jacobus, Deo protegente: *Diſſoluta ſunt vincula brachiorum ejus & manuum illius per manus potentis Jacob*: Siquidem e carcere eductus eſt in aulam regiam; & vincula, quibus fuerat conſtrictus, in annulum aureum, torquem precinſam, armillas, aliaque ornamenta, quibus a Pharaone decoratus eſt, commutata ſunt.

III. *Inde paſtor egreſſus eſt*; hoc eſt, nutricius & rector factus eſt Ægyptiaci populi, quem rexit & pavit toto ſterilitatis ſeptennio: factus pariter *lapis Iſrael*, hoc eſt, firmamentum Iſraeliticæ gentis, quam inediæ periculo eripiens, diræ graſſantis famis tempore uberrime pavit. Unde Eccleſiaſticus, cap. 49 v. 17 *Neque ut Joſeph; qui natus eſt homo, princeps fratrum, firmamentum gentis, ſtabilimentum populi*.

IV. Propter tot egregias amantiſſimi filii prærogativas, totque impenſa ab eo patri, & ſuis fratribus beneficia, ipſi fauſta apprecatur: *Deus patris tui*, inquit, *erit adjutor tuus, & omnipotens benedicet tibi benedictionibus Cœli deſuper, benedictionibus abyſſi jacentis deorſum; benedictionibus uberum, & vulvæ*. Hoc eſt, dabit tibi Deus meus clementem Cœlorum aſpectum, beneficos influxus, opportunos imbres, & rores, & flumina e terræ abyſſis erumpentia, copioſe irrigabunt qui in ingentem numerum excreſcent & multiplicabuntur.

Addit inſuper Jacobus: *Benedictiones patris tui confortatæ ſunt benedictionibus patrum ejus*: hoc eſt; benedictiones, quas ego tibi tribuo, ampliores ſunt illis benedictionibus quas ego accepi a patre meo; nam ut legitur *cap.* 27. Iſaac benedixit Jacob tantum *in rore Cœli & pinguedine terræ*; non autem tunc contulit illi benedictionem *uberum* & *vulvæ*, hoc eſt, ad multiplicationem prolis, quam tantum, dum pergeret in Meſopotamiam, illi adprecatus eſt.

Cum autem omnium benedictinnum, quas Jacobus a patribus accepit, maxima fuerit promiſſio venturi Meſſiæ; qui fuit deſiderium Sanctorum omnium ab orbe condito, qui tamquam colles præ cæteris mortalibus pietate & virtutibus eminebant; orat Jacobus ut benedictio, quam Joſepho largitur, derivetur ad illius poſteros, *Donec veniat deſiderium collium æternorum*; hoc eſt, Meſſias,

deſideratus a Juſtis omnibus, qui ſanctitate & ſapientia ſublimati ſunt ſupra cæteros, ſicut montes & colles vallibus eminent.

Tandem bona quæ precatus eſt filio ſuo Joſepho, his verbis claudit Jacobus: *Fiant in capite ejus, & in vertice Nazarei inter fratres ſuos:* hoc eſt, omnes cœli & terræ benedictiones cumulatiſſime profluant in Joſephi caput, qui fuit *Nazaræus*, id eſt, ſeparatus & ſegregatus a ſuis fratribus: vox enim *Nazaræus* ſeparatum ſignificat, quod ipſe Joſephus toto vitæ ſuæ tempore perfectiſſime implevit; fuit enim ſeparatus a ſuis fratribus & ab improbis eorum ſtudiis & moribus averſus: ſeparatus dum venditus eſt in Ægyptum; ſeparatus etiam ab eorum conſortio, quandiu vixit in Ægypto, cum illi conſiſterent in terra Geſſen, ille vero in aula Regia ſeparatus dignitate, potentia, divitiis & paterna benevolentia, aliiſque prærogativis quibus fratres ſuos antecellebat.

DE BENJAMIN.

BEnjaminus, ut fratrum erat natu poſtremus, ſic ad eum ultima ſua verba dirigit Jacobus dicens: *Benjamin Lupus rapax: mane comedet prædam, & veſpere dividet ſpolia.* Qua figurata oratione prædicit Jacobus Benjamini poſteros fore robuſtos & bellicoſos; id enim indicat ſimilitudo deducta a lupo, qui dum fame premitur, prædam inquirit, & inveotam violenter aggreditur & rapit.

Hoc autem vaticinium quantumvis plurimi Interpretes ad ſingularia quædam facta, puta Saulis, & Mardochæi cenſeant eſſe referendum; rectius meo judicio videtur ſpectare univerſam Benjamini Tribum, omneſque illius poſteros, qui imprimis bellicoſi fuerunt, deque ſuis hoſtibus glorioſam perſæpe victoriam reportarunt. Id præſertim manifeſtum fit in *lib. Judic. cap.* 20. ubi legitur; quod cum grande quoddam crimen admiſſum fuiſſet a Gabaonitis intra Tribum Benjamin conſiſtentibus, illudque vindicandi cauſa armatæ eſſent aliæ Tribus ad quadraginta millia; Benjamitæ tantum numero viginti quinque millia ſeptingenti, pariter armati eis occurrerunt; & licet numero eſſent adverſariis longe impares, nihilominus in duobus conflictibus eos ita proſtraverunt, ut ex eis triginta & octo millia fuerint interfecti. Quamvis autem poſtmodum, Deo illos in mala cauſa deſerente, profligati fuerint; id tamen noo in aperto conflictu, ſed aſtu & ex paratis inſidiis contigit.

Chaldæus Paraphraſtes, aliique Doctores Hebræi, hoc vaticinium referunt ad templum Hieroſolymitanum, quod fuit intra ſortem Benjamitarum conſtructum, in quo cum plurimæ immolarentur victimæ, matutino præſertim tempore, recte inquiunt, aſſimilabatur lupo rapaci, & omnia devoranti. Cum autem reliquiæ oblationum, quæ Sacerdotes & Levitas ſpectabant, circa veſperam diſtribuerentur; dicunt id ſignificari per, *veſpere dividet ſpolia*. At jejunum & Rabinicum commentum ſapit hæc expoſitio.

Si autem a ſenſu litterali ad myſticum transferenda ſit hæc prophetia, & cui privato attribuenda, rectius quadrabit in S. Paulum ex Tribu Benajamin oriundum (ut ipſe teſtatur *cap.* 11. *ad Romanos*) qui priuſquam converteretur ad Chriſtum, inſtar lupi rapacis, atrox erat Chriſtianorum inſectator, & ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Domini; reliquo vero vitæ ſuæ tempore, dividit ſpolia, variis Gentibus diſtribuendo gratias & dona Cœleſtia, quibus in ſua converſione fuerat cumulatus.

Tribuum Manaſſis & Ephraim in ſuis benedictionibus diſtincte noo meminit Jacobus; quoniam eorum ſortes deſignaverat in benedictione Joſephi eorum patris.

Poſtquam ſingulis filiis ſuis, quæ eſſent eis, eorumque poſteris eventura, annunciaſſet Jacobus: *Benedixit ſingulis benedictionibus propriis*, inquit Moſes: quæ verba, licet aliqui Interpretes referant ad præcedentes prædictiones; veriſimilius arbitror S. Patriarcham, poſt ea quæ prophetice filiis denunciaverat, voluiſſe unicuique paterno affectu bene precari; ut ſi ex præcedentibus vaticiniis, aliquorum animi fuiſſent exulcerati, ſubjunctis paternis benedictionibus mitigarentur: ſicque Jacobus cum filiis pacificus extremum emitteret Spiritum.

Subiicit enim Moſes: *Finitiſque mandatis quibus filios inſtruebat, collegit pedes ſuos ſuper lectum, & obiit.* Quibus verbis ſignificatur a ſanctiſſ. Patriarcha plurima filiis tradita mandata, quibus eos ad pacem & concordiam exhortaretur, & verum Dei cultum perpetuo conſervandum. Cum autem eum vita deficeret, collegit pedes ſuos ad lectum, quaſi ad ſomnum capiendum ſe componeret, ut ſumma cum tranquillitate in filiorum præſentia expiraret.

Patris vita functi, illius oculos clauſit Joſephus, ut promiſerat *Geneſ.* 46. *v.* 4. Is enim perantiquus erat mos ut morientium oculi manu chariſſima clauderentur, quæ conſuetudo etiam apud Ethnicos invaluit, ut notat Homerus Odyſſ. 24. v. 293. & Ovidius Epiſt. 1. ubi refertur Penelope ad Ulyſſem maritum ſuum de Thelemacho filio ſuo dixiſſe:

Ille meos oculos, comprimet, ille tuos.

Diſtracti enim diſtortique morientium oculi & ora hiantia, anima diſcedente incutiunt horrorem quemdam intuentibus niſi quamprimum comprimantur.

Quantus autem, quamque Deo charus ex multis encomiis celebrandus fuerit ille ſanctiſſimus Patriarcha, infinitis propemodum ſacræ Scripturæ textibus manifeſtum fit, illis maxime quibus Deus illum appellat *ſervum ſuum*, dilectum nempe & obſervantiſſimum: atque etiam illo Malachiæ *cap.* 1. *v.* 2. ubi dicit Deus ſe dilexiſſe Jacob

Digitized by Google

cob præ Eſau. Quem textum egregie exponit & illuſtrat Apoſtolus ad *Rom. cap.* 9. *v.* 12. Confert maxime ad illius viri ſanctiſſimi commendationem, quod *Exod. cap.* 3. *v.* 15. voluerit Deus appellari, *Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob*; dixeritque hoc eſſe ſibi nomen in æternum, & memoriale in generatione & generationem. Inde eſt quod plurimis beneficiis ſanctiſſimum hunc Patriarcham præ cæteris cumulaverit & illuſtraverit Deus, quæ egregie referuntur Sapientiæ cap. 10. v. 10. & *Eccleſiaſt. cap.* 44. *v.* 25.

DISQUISITIONES
IN CAPUT L.

HOC in capite tria breviter narrantur. I. Ea quæ circa Jacobi vita functi mortuum corpus peracta ſunt. II. Quæ Joſephum inter & ejus fratres tranſacta. III. Joſephi extrema verba, mors, & ſepultura deſignata.

Cum Joſephus amantiſſimum ſuum patrem impenſe diligeret; ut vidit illum obiiſſe, duo præſtitit, quæ narrat Moſes his verbis: *Ruit ſuper faciem patris flens; & deoſculans eum: deinde præcepit ſuis ſervis medicis, ut aromatibus condirent patrem.*

Duplicem itaque luctum in Jacobi morte impenſum commemorat Moſes, naturalem unum, cæremonialem alterum. Naturalem quidem & ſerium animæ dolorem, intimorumque viſcerum commotionem teſtatus eſt Joſephus, dum jugi lacrymarum imbre patris faciem rigavit; eique ex intimo corde oſcula dedit. Tametſi enim perſuaſus eſſet dilectum ſuum parentem, in Dei gratia & benedictione diem obiiſſe, animamque ejus in locum quietis & tranquillitatis migraſſe; nihilominus comprimere non potuit ſingulis hominum animis a natura inſitum dolorem in morte & amiſſione charorum. Unde culpandus non venit Joſeph, quod mœrorem ea patris obitu conceptum largo fletu declaraverit: quin potius laudanda videtur ejus pietas, & erga piiſſimum parentem filialis obſervantia. *Nam*, inquit S. Auguſtinus, *quorum nos vita propter amicitiæ ſocialis ſolatia delectabat, unde fieri poteſt, ut eorum mors nobis nullam ingerat mæſtitudinem? Quam qui prohibet prohibeat, ſi poteſt, amica colloquia: interdicat amicabilem ſocietatem, vel intercidat affectum omnium humanarum neceſſitudinum, vincula mentis immiti ſtupore dirumpat: aut ſic eis utendum cenſeat, ut nulla ex eis animum dulcedo perfundat. Quod ſi fieri nullo modo poteſt, etiam hoc quo pacto futurum eſt, ut ejus nobis amara mors non ſit, cujus dulcis eſt victor? Hinc eſt enim & luctus quidam in humano corde quaſi vulnus, aut ulcus, cui ſanando adhibentur officioſæ conſolationes.*

At inquies, viros pios dedecet lugere de executione divinæ voluntatis: porro dum parentes, amici, & benefactores moriuntur, impletur Dei voluntas; ille enim conſtituit terminos vitæ qui præteriri non poſſunt: igitur in eorum morte non eſt lugendum.

Diſtinguo majorem, lugendum non eſt de divinæ voluntatis executione, præciſe ut eſt Dei voluntas, concedo: quatenus adjunctum habet indicium iræ Dei in humanum genus propter peccatum; nego: nam *per peccatum mors*, ait Apoſtolus; & inſuper præ ſe fert imaginem calamitatis & humanæ miſeriæ, atque jacturam bonorum, quæ ex illis viventibus nobis obveniebant.

Naturalis eſt luctus, nec ullo modo culpabilis, dum ex legitimo fonte profluit, modum ſervat, & in rectum finem dirigitur. Fons juſti mœroris & luctus, eſt conſideratio offenſæ Dei per peccatum, & omnium humanæ vitæ calamitatum exinde emergentium. Modus ſervandus, ut non erumpat in voces querulas adverſus Deum, imprecationes, impatientiam &c. Sed ita defunctos lugeamus, ut tamen Dei ordinationi ac voluntati ea animo ſubiiciamur. Finis vero ut luctus ille in teſtimonium ſinceri noſtri erga defunctum amoris erumpat: Nec fictitius ſit & ementitus.

Hunc a natura ſuggeſtum luctum conſecutus eſt cæremonialis, quem cum Iſraelitis impenderunt Ægyptii. *Nam*, inquit Moſes, *flevit eum Ægyptus ſeptuaginta diebus*, ut pro ſua in Joſephum veneratione defuncto Jacobo cum ipſius filiis parentarent.

Qualis autem & quantus Ægyptiorum eſſet in illuſtrium virorum morte ab Ægyptiis impenſus luctus, narrat Herodotus *lib.* 2 his verbis: *Quibuſcumque*, inquit, *aliquis ex domeſticis deceſſit, homo alicujus momenti, ibi omnes fœminæ illius familiæ, caput ſibi, & vultum obliniunt luto. Deinde relicto domi inter cognatos cadavere ipſæ per urbem vagantes, ſe verberant ſuccinctæ, nudatis mammillis, & cum eis cognatæ omnes: altera ex parte viri, & ipſi ſuccincti ſe verberant. His actis iſta demum demortui corpus ad condituram portant.* Utrum vero hunc ritum in Jacobi funere ab Ægyptiis fieri permiſerit Joſephus, aliis definiendum relinquo.

Peractis ſeptuaginta diebus in luctu publico prout moris erat apud Ægyptios erga magnates, & aromatibus condito Jacobi corpore; ut Joſephus liberaret fidem patri datam de transferendo illius corpore in ſepulchrum parentum ſuorum, Abrahami ſcilicet, & Iſaaci in terram Chanaan, ad commeatum ſeſe accinxit. Verum huic executioni duo obſtare videbantur. *Primum*,

res invidia non carebat apud Ægyptios, ut quæ terra viventem Jacobum aluerat, indigna videretur, quæ mortuum conderet. *Deinde*, conveniens non erat ut Joſephus Ægypti Pro-Rex, a Rege ſecundus, quique ſub eodem habenas regebat imperii, extra illius limites exiret inconſulto Rege, & non obtenta ab illo abeundi licentia. Quamobrem ut huic utrique obſtaculo occurreret Joſephus, cenſuit facultatem hanc petendam a Rege; non quidem per ſe, ſed per aulicos; & primarios Regis Miniſtros: ſive ut honoris cauſa illos interceſſores apud Regem haberet: ſive, quod ei in luctu, & circa patris vita functi corpus occupato conveniens non eſſet præſentem ſe Regi ſiſtere. Illos autem ſic affatur: *Si inveni gratiam in conſpectu veſtro, loquimini in auribus Pharaonis: eo quod pater adjuraverit me, dicens: En morior, in ſepulchro meo, quod fodi mibi in terra Chanaan, ſepelies me.* Quibus verbis duo graviſſima momenta proponit, quæ Pharaonem ad petitam facultatem concedendam movere debebant; ſcilicet Religionem jusjurandi, & pietatem patri debitam. Quibus argumentis commotus Pharao, ait: *Aſcende & ſepeli patrem tuum, ſicut adjuratus es.* Quin etiam permiſit Regni proceribus, ut Joſepho adeſſent comites, non tantum ad honorem & funeris decus, ſed etiam ad ſecuritatem: ne ſcilicet eis moleſtia inferretur a Chananæis; aut ſi qua vis accideret, vi repelleretur.

Joſephus itaque comitantibus Ægyptiis, ſuiſque ſingulis fratribus ſplendido cum apparatu Jacobi corpus in Chananitidem tranſtulit: *Veneruntque ad aream Arad, quæ ſita eſt trans Jordanem: ubi celebrantes exequias planctu magno atque vehementi impleverunt ſeptem dies. Quod cum vidiſſent habitatores terræ Chanaan, dixerunt: Planctus magnus eſt iſte Ægyptiis* &c. v. 10. & 11. In quibus verbis, duæ occurrunt difficultates. *Prima*, cur tranſierint Jordanem, cum Hebron, quo transferendum erat corpus, Ægyptiis eſſet cis Jordanem, & Ægypto decem ad minus leucis propinquior; ut deinde iterum tranſmiſſo Jordane accederent ad Hebron? *Secunda*, cur per ſeptem dies ſteterint ad ripam Jordanis ut celebrarent exequias, quæ videbantur convenientiori loco in Hebron & juxta ſepulchra peragendæ?

Ad utramque difficultatem alia, inter plures, ſolidior mihi non apparet ſolutio, quam ita factum eſſe, quod ſi ex Ægypto recta iviſſent in Hebron, tranſeundum fuiſſet per medios Chananæos cis Jordanem, Gentem nequiſſimam & armis potentiſſimam, qui dubio procul videntes numeroſiſſimum commeatum Ægyptiorum, armatis manibus illis obſtitiſſent. Quamobrem conſulto Joſephus cenſuit cum ampliſſimo ſuo comitatu declinandum eſſe ad dexteram per deſerta Idumææ, & per Moabiticam Regionem: trajecto autem Jordane in ipſo Chananitidis aditu, has celebraſſe exequias; quibus expletis, iterum Jordane tranſmiſſo, recta perrexiſſe in Hebron; & inde peracto funere, in Ægyptum. Idque indicare voluit Moſes dum abſoluto per ſeptem dies planctu trans Jordanem, adiicit v. 13. *Et portantes eum* (Jacob) *in terram Chanaan ſepelierunt eum in ſpelunca duplici, quam emerat Abraham.* Ex his namque colligitur illos non prius ingreſſos fuiſſe terram Chanaan, quam peractis alibi illis ſeptem diebus planctus.

Cum autem ad ſedes prius occupatas regreſſi fuiſſent Joſephi fratres, ut admiſſi ſemel flagitii remordet ſemper conſcientia; illi, inquam, veriti ne patre ſublato, Joſephus acceptam ab eis injuriam, quam Jacobi reverentia texerat, tandem ulciſceretur: cenſuerunt ipſum ſuppliciter conveniendum, rogandumque nomine patris, ut hoc crimen eis dimitteret, nec impoſterum meminiſſe dignaretur.

Non ſine lachrymis Joſephus ſupplices excepit, mox ſingulos complexus, ut metum exuerent, hortatur. Ut autem tranquillum eorum redderet animum, adjecit: *Nolite timere: num Dei poſſumus reſiſtere voluntati? Vos cogitaſtis de me malum: ſed Deus vertit illud in bonum, ut exaltaret me, ſicut in præſentiarum cernitis, & ſalvos faceret multos populos. Nolite timere: ego paſcam vos & parvulos veſtros. Conſolatuſque eſt eos, & blande ac leniter eſt locutus.*

Joſephus tandem cum centum & decem annis vixiſſet, Ægyptique regimen per annos 80. tenuiſſet ſub quinque Regibus, *Mephramuthoſi*, qui regnavit ann. 25. menſes 10. *Thomoſi*, ann. 9. menſes 8. *Amenophi* ann. 30. menſ. 10. *Ori* ann. 36. menſ. 5. juxta Manethonem. Ille, inquam, Joſephus mortem ſibi imminere animadvertens, vocavit ad ſe omnes ſuos fratres; atque etiam, ut veriſimile eſt, nepotes, & præcipua familiarum capita, eoſque ſub juramento obſtrinxit, ut cum, Deo ordinante, ex Ægypto in Chananitidem illos reverti contingeret, illius oſſa ibi ſepelienda ſecum aſportarent.

Noluit autem ſepeliri in Ægypto tribus potiſſimum de cauſis: *Prima*, quod terra Ægypti tota eſſet Idolorum cultu contaminata. *Secunda* ne Ægyptii præ cæteris Nationibus Idololatriæ dediti, & memores beneficiorum quibus eos cumulaverat, illum veluti numen aliquod venerarentur. *Tertia*, quia vel a patre ſuo Jacobo; vel a ſpiritu prophetico noverat Meſſiam in terra Chanaan, ſuis patribus repromiſſa, naſciturum, victurum, paſſurum, & poſt mortem reſurrecturum; atque multa corpora Sanctorum cum eo ſurrectura; ſperabat autem ſe futurum unum ex illis reſurgentibus; maxime cum Deum in omnibus habuiſſet propitium, & ingentibus gratiis ac benedictionibus dulcedinis fuiſſet ab illo præventus.

Quamobrem convocatis fratribus ac nepotibus, v. 23. *Poſt mortem meam Deus viſitabit vos, & aſcendere vos faciet de terra iſta ad terram, quam juravit Abraham, Iſaac, & Jacob: cumque adjuraſſet eos, atque dixiſſet, Deus viſitabit vos; aſportate oſſa mea de loco iſto.* Noluit autem hanc translationem fieri ſtatim poſt ejus mortem: tum quod hæc translatio nimis gravis & oneroſa fuiſſet ſuis fratribus, propter ſummas impenſas,

quas

Digitized by Google

quas illi expendere non poterant: tum quod id Ægyptiis, pro ſua in Joſephum reverentia, foret ingratum.

Porro id executioni fuiſſe mandatum, his verbis aſſerit Moſes: *Mortuus eſt*, (Joſeph) *expletis* 110. *vitæ ſuæ annis; & conditus aromatibus poſitus eſt in loculo in Ægypto*. Quibus ſignificatur idem pietatis & humanitatis officium exhibitum eſſe Joſepho vita functo, quod ipſe mortui patris corpori impendere juſſerat; nimirum ut condiretur aromatibus, & diu ſervaretur, priuſquam traderetur ſepulchro.

Condire aromaticis unguentis mortuorum corpora mos fuit apud veteres uſitatiſſimus in ſymbolum & ſpeciem futuræ reſurrectionis & incorruptionis: in quo quidem ſervando ritu, cæteris antecelluerunt Ægyptii, de quibus hæc ſcribit Herodotus lib. 2. „
„ Incurvo ferro, *inquit*, cerebrum per nares
„ educentes, ita locum ejus medicamentis
„ expleant. Deinde acutiſſimo lapide Æthio-
„ pico, circa ilia conſcindunt, atque illuc
„ omnem alvum extrahunt: quam ubi re-
„ purgarunt, ac vino Phœnicio expleve-
„ runt, rurſus odoribus contuſis reficiunt:
„ tum omenta complentes, contuſa myrrha
„ pura, & caſſia, & cæteris, excepto thu-
„ re, odoribus, iterum conſuunt. Ubi hæc
„ fecerunt, ſaliunt intra abditum ſeptuagin-
„ ta dies; nam ſalire diutius non licet exa-
„ ctis ſeptuaginta diebus. Cadaver ubi ab-
„ luerunt, ſindone byſſina, totum inciſis
„ loris involvunt, gummi illinientes, quo &
„ ipſo glutinis loco plerumque utuntur.
„ Eo deinde recepto, propinqui ligneam ho-
„ minis effigiem faciunt, in quam mox in-
„ ferunt mortuum, incluſumque theſauri-
„ zant, id eſt, reponunt. *Sic Herodotus*.

Ei concinit Diodorus Siculus *lib.* 2. ſcribens Ægyptios precioſis unguentis ſolitos ungere mortuorum corpora dies amplius triginta; additque: eorum qui corpus mortuorum curabant, alii erant ſciſſores, qui lapide quodam Æthiopico latus corporis mortui incidebant, quo alvum examinabant & purgabant: Hi non ſolum contempti, verum etiam exoſi, & execrati erant apud Ægyptios: quapropter facta ſciſſura, inde celeri fuga evadebant, valide inſequentibus qui aſtabant, lapideſque cum execratione in eos jacientibus, ſcilicet æſtimantibus amici corpus, vulnere illato, eſſe ab illis violatum. Alii erant corporum curatores, quos appellabant *Salitores*, magna ſane in exiſtimatione & honore.

Hunc autem ritum a Majoribus acceptum, aromatibus condiendi defunctorum corpora, ſectati ſunt Græci atque Romani, ut refert Plinius, *lib.* 12. *cap.* 18. Ubi conqueritur plura expendi aromata in condiendis corporibus, vel in eis concremandis, quam Diis impendantur in ſacrificiis. Eum etiam præ cæteris imitati ſunt Judæi, ut conſtat tum ex eorum Doctorum ſcriptis, tum ex Evangelio, ubi legimus Chriſti Domini corpus, Judæorum more unguentis & aromatibus fuiſſe delibutum, priuſquam tumulo mandaretur; ut ipſe prædixerat: Reſpondens enim Diſcipulis conquerentibus de muliere, quæ unguentum pretioſum effuderat ſuper caput ejus: *Bonum*, inquit, *opus operata eſt in me, mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit*.

Hunc ritum pariter a Chriſtianis frequentatum aſſerit, & egregie deſcribit Prudentius, Hymno in exequias defunctorum; ubi cum protuliſſet rationes cur tumulanda ſint corpora; nimirum quod debeant iterum animabus in Reſurrectione ſociari, addit:

Hinc maxima cura ſepulchris,
Impenditur, hinc reſolutos
Honor ultimus accipit artus,
Et funeris ambitus ornat.
Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos eſt,
Aſperſaque myrrha Sabæo
Corpus medicamine ſervat.
Quidnam ſibi ſaxa cavata?
Quid pulchra volunt monumenta?
Res quod niſi creditur illis
Non mortua, ſed data ſomno?
Hoc provida Chriſticolarum
Pietas ſtudet, utpote credens
Fore protinus omnia viva,
Quæ nunc gelidus ſopor urget.
Qui jacta cadavera paſſim
Miſerans tegit aggere terræ,
Opus exhibet ille benignum
Chriſto pius omnipotenti.

Eandem piam conſuetudinem in Chriſtianis ætate ſua celebrat Tertullianus; ubi conquerentibus Ethnicis, quod Chriſtiani thura non emerent Diis offerenda, reſpondet: *Si Arabiæ queruntur, ſcient Sabæi pluris & charioris ſuas merces Chriſtianis ſepeliendis profligari, quam Diis fumigandis*. Eadem indicat apud Minutium Felicem Ethnicus ille, qui Chriſtianis objiciebat, quod, *Floribus capita non necterent, nec corpora odoribus honeſtarent, ſed unguenta funeribus reſervarent*. Mitto plurimos ejuſdem ritus & praxis aſſertores. Ut inde appareat nihil quidquam peccaſſe Joſephum, dum patris ſui Jacobi corpus aromatibus condi imperavit; nec ejus fratribus ac nepotibus vitio vertendum, quod Joſephi ſui protectoris & benefactoris corpus condierint pretioſiſſimis unguentis, ut illud incorruptum, quantum fieri poſſet, aſſervarent; donec, Deo ita ordinante, migrandum eſſet ex Ægypto, & in Chananitidem properandum.

Mortuus eſt itaque famoſus ille ac ſanctiſſimus Joſeph, Ægypti Pro-Rex, ac Iſraeliticæ familiæ protector & promotor; cujus in morte deſinit *Geneſis liber* res geſtas per annos a mundi exordio 2369. continens. Utrum autem Joſephus prior omnium fratrum obierit, cum fuerit natu minor, non declarat Moſes: certum eſt autem Levi ei ſupervixiſſe 23. annis. Nam hic refertur mortuus annos natus 137. fuit autem annis quinque major natu Joſepho.

DISQUI-

DISQUISITIONES IN EXODUM.

PRÆFATIO.

INter cæteros divinæ Scripturæ libros, hic ordine ſecundus, plurimis titulis celebrandus occurrit.

I. Quod in eo mirum in modum commendetur paterna Dei erga fideles ſuos ſervulos bonitas & providentia; æquiſſima vero in eorum oppreſſores juſtitia & animadverſio, cum Iſraelitas ſub dura Ægyptiorum ſervitute, & Pharaonis tyrannide gementes, tot prodigiis & miraculis liberos & divitiis onuſtos ex Ægypto eduxit; plurimis cladibus contrivit eorum adverſarios, quos tandem & marinis fluctibus abſorptos voluit.

II. Exactiſſima illius in implendis divinis ſuis promiſſis veritas, & fides; cum Abrahamo, Iſaaco & Jacobo repromiſſam Chanaitidem in poſſeſſionem & hæreditatem, Iſraelitis eorum poſteris, præfinito tempore contulit; exterminatis prius earum regionum incolis.

III. Summa æquitas cum ſingulari ſapientia conjuncta in ſtatuendis legibus tum ad divinum cultum, tum ad hominum mores pie ſancteque inſtituendos mire conducentibus; uti ſunt illæ, quæ continentur in Decalogo; necnon & eæ quæ ad Tabernaculi conſtructionem, ac Sacrorum Miniſtrorum inaugurationem, & inſtitutum ſpectabant, quæque res ſpirituales in Novo Teſtamento gerendas mirifice adumbrabant.

IV. Miranda bonitas, & clementia in patienter perferendis, & benigne condonandis toties repetitis Iſraelitarum nedum adverſus Moſem, ſed & in divinam ſuam Majeſtatem & providentiam obmurmurationibus, & quærimoniis; quas etſi vindicavit interdum; ſic tamen iracundiam miſericordia temperavit, ut paucorum ſupplicium numeroſiſſimo populo in terrorem fieret & emendationem.

V. Singularis illius erga Iſraelitas cura & vigilantia, cum eos per quadraginta annos cœleſti pane cibavit, per miraculum dulcoratis, & e rupe duriſſima effluentibus potavit aquis: itinerantibus ducem ac protectorem ſe præbuit per columnam nubis & ignis: quæ interdiu umbraculum eis eſſet ab æſtu, noctu vero luce gratiſſima eorum oculos recrearet.

VI. Denique, eximia illius erga Moſem dilectio, utpote cui vices ſuas commiſit; ſuamque, in homines, belluas, & elementa, divinam auctoritatem & omnipotentiam veluti delegavit, qua ſtupendis prodigiis Pharaonis contumaciam frangeret, eumque variis cladibus contereret. Quinetiam ipſum Moſem eum in honoris gradum evexit, ut illum Prophetarum omnium præſtantiſſimum conſtituerit; frequentiſſime cum eo familiari conſuetudine uſus, ſua illi arcana detexerit; & ad illius voluntatem & beneplacitum Iſraelitico populo ſæpiſſime delinquenti toties indulſerit.

Ex his apparet quanto ſtudio divinus hic liber ſit evolvendus, cum in eo tanta eluceat Dei erga homines benignitas, & munificentia; quibus & juſti ad æmulanda meliora chariſmata provocentur, & peccatores de venia ſecuri, ad agendam pœnitentiam ſtimulentur.

Hoc autem in libro Moſes proſequitur, quod in præcedenti fuerat exorſus; quadruplex ſcilicet ſibi divinitus injunctum munus; Prophetæ, Doctoris, Legiſlatoris, & Hiſtorici: erat enim *Propheta* Dei, mundi *Doctor*, & ſuæ Iſraeliticæ Gentis *Legiſlator* & *Hiſtoricus*. PROPHETAM agit, non ſolum cum Dei juſſu Pharaonem Ægypti Regem conveniens, exprobrat ei quam in Hebræos exercebat tyrannidem, & niſi quamprimum illis exeundi licentiam faciat, divinam minatur iram & ultionem, brevique futuras horribiles plagas denuntiat; ſed & cum ſub rerum tunc geſtarum integumentis & ſymbolis, aliquando futura in nova Lege myſteria prænuntiat & adumbrat.

Quo enim ſpectabat ſtupenda illa Hebræorum medias inter anguſtias & calamitates multiplicatio, niſi ut præfiguraret mirabilem Eccleſiæ filiorum propagationem, repugnantibus licet mundi Poteſtatibus ad ipſam naſcentem Chriſti Domini ſponſam, velut in cunis extinguendam, igne, ferroque armatis? Nonne fœlix Iſraelitarum per medios maris rubri vortices ſicco pede ambulantium e Pharaonis tyrannide liberatio, præludium erat futuræ Chriſtianorum ereptionis e captivitate Dæmonum per ſalutiferas baptiſmatis undas, in quibus peccata, ut in mari rubro Ægyptii, merguntur & pereunt? Unde ſanctus Paulus de Judæorum patribus ait: *Omnes in Moyſe baptizati ſunt, in nube, & in mari.*

Agni Paſchalis immolatio figura erat Sacrificii Chriſti Domini pro ſalute hominum in ara crucis peragendi. *Manna* de cœlo ſuper Iſraelitarum caſtra depluens, adumbra-

brabat inſtituendum Euchariſtiæ Sacramentum, in quo Divinus Pater *dat nobis panem de Cœlo*. Verum, ne longius excurram, de bis potiſſimum, quæ de Hebræorum geſtis & eventibus hoc in libro narrat Moſes, vere ſcripſit Apoſtolus, loco mox laudato, v. 6. *Hæc antem in figura facta ſunt* noſtri cauſa, *ut non ſimus concupiſcentes malorum* &c.

Mundi Doctorem egerat quidem mirandus ille vir, dum hominibus prius ignota rerum omnium primordia, initio Geneſis expoſuit: at in hoc libro, per ſanctiſſimas leges Hebræis præſcriptas, perque terribiles plagas quibus Deus in Ægyptiorum impietatem & ſævitiam animadvertit, omnes ad vitam honeſte probeque inſtituendam ſtimulat, ne ſimiliter Deum ſuorum criminum ultorem & vindicem experiantur.

Eum pariter fideliſſimum Iſraeliticæ ſuæ Gentis *hiſtoricum* fuiſſe, manifeſte patebit ex hujus libri decurſu. Refert enim in eo varios Iſraelitarum eventus, tum in eorum ex Ægypto exitu: tum in diuturna illorum per deſertum peregrinatione.

Nulla apud Hebræos extat hujus libri nomenclatura, quæ illius argumento reſpondeat; illuc enim appellant *Veelle ſchemoth* a primis illius Hebraicis verbis, quæ ſignificant: *Et illa ſunt nomina*. A Græcis vero & Latinis dicitur *Exodus*, quæ vox origine Græca, *Egreſſum* denotat; quod præcipuum hujus libri argumentum ſit ipſius Moſis & Iſraelitici Populi exitus ex Ægypto, ut in terram Chanaan ſuis patribus in hæreditatem & perpetuam repromiſſam pervenirent.

Continet autem hic liber res geſtas per 145. annos, nimirum a morte Joſephi, ad erectum Tabernaculum, ut ex hac enumeratione conſtat.

A morte Joſephi ad nativitatem Moſis ſunt anni	64
A nato Moſe ad exitum ex Ægypto, anni.	80.
Ab exitu ad erectum Tabernaculum anni	1.
ſumma	145.

Quæ ſi addantur annis 2369. in Geneſi comprehenſis, erunt a creatione mundi anni . . . . 2514.

Hic autem liber tres in partes congrue poteſt diſtribui; in quarum *Prima*; referuntur ea, quæ hunc exitum anteceſſerunt: *In ſecunda*, quæ a Moſe geſta ſunt ut Pharaonem cogeret ad libere dimittendos Hebræos: *In tertia*, quæ ex egreſſu de Ægypto ad Tabernaculi fœderis confectionem contigerunt.

Quoniam autem plurima eorum quæ in hoc libro recitantur, hiſtorica ſunt & aperta, in his ſolum diſquirendis, & exponendis immorabimur, quæ vel ad rem Theologicam ſpectant, vel ita reconditum & abſtruſum habent ſenſum, ut egeant interprete.

DISQUISITIONES
IN CAPUT I.

TRia potiſſimum hoc in capite repræſentat Moſes. I. Stupendam Iſraelitarum in Ægypto multiplicationem. II. Ægyptiorum in eos odium & tyrannidem. III. Ægyptiorum obſtetricum in Hebræorum parvulos humanitatem, & acceptam propterea a Deo mercedem.

Orditur autem ab enumeratione eorum qui cum Jacobo intraverunt in Ægyptum: eoſque recenſet non ordine *nativitatis*, ut Geneſ. 29. & 30. nec ordine *benedictionis*, ut Geneſis 49. nec ordine *dignitatis*, qua Judas cæteris fratribus prælatus eſt: Sed eo ordine quo ſingulæ Jacobi uxores ei nupſerunt. Hinc 1. Liæ: 2. Rachelis: 3. Balæ ancillæ Rachelis: 4. Zelphæ ancillæ Liæ, filii, eorumque nepotes referuntur, omnes numero ſeptuaginta, qui cum Jacobo in Ægyptum fuerant ingreſſi, his non accenſitis Joſepho eiuſque filiis, quod ante illum ingreſſum in Ægypto extitiſſent.

Optimo autem conſilio hanc enumerationem præmittit Moſes, ut inde magis ſtupenda appareret Iſraelitarum multiplicatio, qui ex paucis illis familiarum capitibus, in tantam multitudinem ſpatio ducentorum & quindecim annorum excreverant, ut in eorum exitu ſexcenta millia, non computatis mulieribus & pueris, numerentur infra cap. 12.

QUÆRITUR I.

Qua ratione fieri potuerit tanta multiplicatio.

REſpondeo, eam factam duplici virtute; *naturali* ſcilicet, & *divina*. Primo quidem *naturali*, neque enim naturæ vires excedit, ut ſeptuaginta homines ſingulis annis filios procreantes, per ducentos quindecim annos ita multiplicentur, ut tandem immenſus propemodum eorum numerus appareat. Maxime cum tres Noe filii poſt diluvium tanta fœcunditate fuerint donati, ut referente Diodoro Siculo, a Ninus, qui regnare a Lib. 3.
cœpit ſub annum 250. a diluvio, contra Ba- cap. 2.
ctrianos exercitum movens, eduxerit pedi-

tum

tum decies ſepties centenæ millia, & equitum ducentæ millia: mirum ergo videri non debet quod tantopere in Ægypto, ſpatio 215. annorum, Iſraelitæ fuerint propagati.

Siquidem fieri potuit. I. Ut Hebrææ mulieres, cum incolerent pinguiſſimam terram Geſſen, omnium Ægypti regionum fertiliſſimam eſſent admodum fœcundæ, & ſingulis annis parerent. II. Potuerunt illæ mulieres citius nubere, & in ſeram ætatem ſuos partus producere. III. Tradunt Hebræi, referente Toſtato, mulieres illas ſolitas eſſe binas, imo ternas, quin & quaternas proles ſimul parere; quod Ægyptiis mulieribus familiare eſſe docet Ariſtoteles ſcribens quaſdam viſas eſſe *quæ quatuor partubus viginti filios ediderint, ſingulis partubus quinque enixis*. Quinimo & ſeptenos unico partu ab Ægyptiis mulieribus editos filios, aſſerunt Plinius[a], & Solinus[b].

a Lib... cap. 3.
b cap. 2.

Deinde ſtupenda illa propagatio non eſt adſcribenda ſolis naturæ viribus: ſed etiam peculiari Dei beneficio; nimirum ut impleret ſolemnem illam promiſſionem Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo factam, ſe multiplicaturum eorum ſemen ſicut ſtellas Cœli, & ſicut arenam quæ eſt in littore maris. Cum enim eo tempore Iſraelitæ diris vexationibus & laboribus premerentur, vix potuiſſent procreandis filiis incumbere, niſi divinitus fuiſſent fœcundati, ut docet S. Auguſtinus[c] idque ſignificari voluit Moſes, cum addit v. 12. *Quanto opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur, & creſcebant.*

c Lib. 18. de Civitat. cap. 7.

Quo vero tempore cœperit iſta perſecutio, & quandiu duraverit; certo vix definiri poteſt. Euſebius in Chronico, putat eam cœpiſſe ſtatim a morte Joſephi, & duraſſe 144. annis; tot enim numerantur a morte Joſephi ad exitum ex Ægypto. At reclamat Moſes dicens *v. 6.* eam non prius exortam, quam defuncti fuiſſent omnes Joſephi fratres, eorumque cognatio; nempe filii qui cum ſuis Patribus in Ægyptum intraverant; Levi enim vixit annis 137. ut refertur infra[d] ac proinde Joſepho ſupervixit annis 23. Caat autem filius Levi qui unus fuit ex iis qui ingreſſi fuerant in Ægyptum, vixit annis 133. ut patet ibidem v. 18. Unde ſequitur eum ſupervixiſſe patri ſuo annis 16. Jam ergo a morte Joſephi ante excitatam illam oppreſſionem, effluxerant anni 39. quibus ſi adiicias eos qui Levi ætate erant inferiores, ut Phares, & alii pueruli, qui cum ſuis patribus intraverant in Ægyptum, inde conſectarium erit perſecutionem illam cœpiſſe tantum decem circiter annis ante nativitatem Moſis, & conſequenter eam duraſſe tantum annis 90. aut, ut volunt aliqui, annis 100. nam anno vitæ ſuæ 80. Moſes Iſraelitas eduxit ex Ægypto.

d cap. 6. v. 25.

Hujus autem excitandæ perſecutionis cauſa fuit quadruplex. I. Ægyptiorum metus, ne ſcilicet Iſraelitæ peregrina & extera natio mirum in modum multiplicata, tandem in Ægyptios inſurgeret, eiſque expugnatis & expoliatis repeteret terram Chanaan ſuis patribus repromiſſam. Videntur enim Ægyptii hujus promiſſionis famam audiiſſe ut apparet ex v. 10.

II. Fuit invidia, ægre enim ferebant ſe ab exteris Hebræis ſobole numeroſa, robuſta, aliiſque animi & corporis dotibus inſtructa ſuperari.

III. Odium conceptum ex diverſitate morum & ſtudiorum, maxime religionis; Ægyptii enim Apim ſeu Bovem, aliaque animalia veluti numina colebant. Hebræi vero Deum unicum venerantes, boves & oves, ut ſtupida animalia habebant.

IV. Quod, ut refert Fl. Joſephus[e] vates quidam Ægyptius prædixerat brevi quemdam naſciturum ex Hebræis, qui ſi adoleſceret, Ægyptiorum imperium everteret.

e Lib. 2. ant. cap. 5.

Petes, cur Deus populum ſibi dilectum tam acerba, tamque diuturna ſervitute opprimi permiſerit?

Reſpondeo, id factum eſſe multis de cauſis. I. Quia eorum plurimi imbiberant impios mores & Idololatriam Ægyptiorum, ut indicat Joſue *cap. ult* dum Iſraelitas alloquens ait: *Auferte Deos, quibus ſervierunt Patres veſtri in Meſopotamia, & in Ægypto: ac ſervite Domino* &c. Id etiam exprobrat Deus per Ezechielem his verbis: *Fili hominis, duæ mulieres filiæ matris unius fuerunt: & fornicatæ ſunt in Ægypto: in adoleſcentia ſua fornicatæ ſunt*. Duas mulieres dicit, duas regias civitates Iſraelitici populi, nempe Jeruſalem & Samariam, quæ ſedes erant Regum Judæ & Iſraelis. Quod autem Hebræi in Ægypto idololatriæ fuerint dediti, apparet ex eo quod, altero fere ab exitu menſe, vitulum aureum ad inſtar Apis, quem colebant Ægyptii, fabricarunt, & coluerunt.

II. Hanc oppreſſionem permiſit Deus, ut Iſraelitas ab affectu incolendi terram Ægypti revocaret, promptioreſque redderet qui in Chananitidem ſuis Patribus repromiſſam pergerent: Si enim tam dire vexati, nihilominus exoptabant in Ægyptum regredi, quid egiſſent ſi in ea pacifice vixiſſent?

III. Alteram cauſam profert Moſes, nempe ſubortum Regem novum, qui Joſephum non noverat: *Surrexit*, inquit, *interea Rex novus ſuper Ægyptum, qui ignorabat Joſeph* &c.

Vel ut refert Joſephus: *Cum jam Joſephi beneficiorum memoriam tempus obliteraſſet, regnumque Ægypti in aliam familiam demigraſſet, inhumane tractabant Iſraelitas, & variis laboribus atterebant. Nam & flumen in multas foſſas diducere ſunt juſſi, & mœnia exædificare, & aggeres exſtruere, quibus inundationes fluminis arcerentur. Pyramidum etiam inſanis ſubſtructionibus vexabant gentem noſtram, cogendo varias artes ediſcere & laboribus ferendis aſſueſcere: atque in hunc modum per 400. annos fuit laboratum.*

At fallitur Joſephus cum ait Hebræos ab Ægyptiis vexatos eſſe per 400. annos; certum enim eſt Iſraelitas in Ægypto ſtetiſſe duntaxat per 215. annos, ut infra demonſtrabitur. Certum pariter illos ab Ægyptiis non fuiſſe dire acceptos, niſi poſt mortem Joſephi, omniumque illius fratrum; imo & primi ordinis nepotum, ut indicat Moſes hoc in cap. v. 6. oportet ergo aut Joſephum

hic eſſe hallutinatum, dum ait illos ab Ægyptiis vexatos eſſe per 400. annos, cum tandiu ibi non ſteterint; aut nomine *Ægyptiorum*, indicare voluiſſe primam illam vexationem, quam Abrahamus initio paſſus eſt, ſublata uxore, dum ſame cogente deſcendit in Ægyptum; tametſi deinde magnifice fuerit ab illis exceptus.

QUÆRITUR II.

Quis fuerit ille Rex, & quibus modis Iſraelitas vexaverit.

CUm Ægyptiis in more poſitum eſſet omnes Reges ſuos, *Pharaonis* nomine appellare; eorum vero aliqui cognomine proprio ab aliis diſtinguerentur: Cumque Moſes illius Pharaonis Hebræorum perſecutoris cognomen non indicaverit, inde multiplex extat de illo Pharaone Interpretum ſententia. I. Namque Cajetanus, eo quod Moſes Regem illum *novum* appellaverit, putat eum fuiſſe, non Ægyptium, ſed Aſſyrium; idque probare nititur ex illo Iſaiæ 52. v. 4. *In Ægyptum deſcendit populus meus, & Aſſur calumniatus eſt eum.* Verum non ille eſt, quem fingit, Iſaiæ verborum ſenſus: neque enim Propheta idem tempus, eundemque Hebræorum perſecutorem deſignat: ſed duo diſtinguit tempora, duaſque captivitates comparat invicem, ut ſignificet non minori ſævitia Iſraelitas vexatos ab Aſſyriis in captivitate Babylonica, quam vexati fuerant in Ægypto ſub Pharaonis tyrannide.

Putat Joſephus Regem illum propterea *novum* appellatum, quod eſſet ex alia familia quam ſuperiores Reges, qui cum nepotes fuiſſent & poſteri illius Pharaonis, qui Joſephum e carcere eductum ad Ægypti præfecturam evexerat; memoreſque beneficiorum, quæ Joſephus Ægyptiis contulerat, benevolentia & humanitate ferebantur erga Hebræos. Hic autem cum ex diverſa eſſet familia, &, ut ait Joſephus, *Obliterata eſſet apud eum Joſephi beneficiorum memoria*, videns Iſraelitas in copioſiſſimam multitudinem excreviſſe, veritus ne in illum inſurgerent, eos laboribus frangere & exterminare aggreſſus eſt.

Joſephi conjecturam firmare videntur LXX. Interpretes, & S. Lucas Act. 7. v. 18. a quibus ille Rex *novus*, dicitur Βασιλεὺς ἕτερος *Rex alius*, id eſt, *alienus*, quo ſenſu Judic. 5. v. 8. *Dii novi*, ſunt *Dii alieni*.

Quis vero fuerit ille novus Rex, Joſephi neſcius, non ita facile eſt definire propter variantia de rebus Ægyptiacis veterum Scriptorum teſtimonia: illi enim præcipui ſunt ſex, tres Ethnici, totidem Chriſtiani. Ethnici ſunt. I. Auctor anonymus *veteris Chronici*, qui licet maximam antiquitatis ſpeciem præſeferre videatur, non excedit tamen tempora Ptolemaica, circiter quindecim annis ante expeditionem Alexandri magni; narrat enim fugam Nectanebi qui ab Alexandro pulſus eſt ex Ægypto.

II. *Manetho*, qui ait Joſephus, vir erat Ægyptius, Græca diſciplina eruditus, qui ſuum de rebus Ægyptiacis librum Ptolomæo Philadelpho dicavit.

III. *Eratoſthenes*, qui Regum Thebanorum numero 38. geſta litteris conſignavit, & Evergeti, Ptolemæi Philadelphi filio conſignavit. E Chriſtianis ſunt. I. *Julius Africanus*, qui res Ægyptiacas cum Hebraicis conjunxit juxta narrationem Joſephi.

II. *Euſebius Cæſarienſis*, qui Chronicum Canonum a natalitiis Abrahæ exhibet, partim Africanum ſecutus, partim ab eo diverſus.

III. *Gregorius Monachus*, ab officio Sincellus dictus, Tharaſii Patriarchæ conſtans a ſecretis & ſigillis. Qui florebat circa annum D. 800. Is animadvertens priores Scriptores in aſſignandis Ægyptiorum Dynaſtis & Regibus non conſentire, novam eorum ſeriem inſtituit, exorſus ab anno mundi 2776. ad annum 4986. hoc eſt, ad quartum Cambyſis Perſarum Imperatoris, ac Ægypti domitoris annum. Illius præſertim ſcopus Euſebium inſectari; ſed quo fundamento id præſtiterit, anve exactius ſeriem illam texuerit penes eum ſit fides.

Quantum vero ſex illi rerum Ægyptiacarum Scriptores in ordinandis Regibus & Dynaſtis invicem pugnent, agnoſcet Lector ex illorum ad invicem collatione. Apparet inde quam difficile ſit certo ſtatuere quinam fuerint illi Reges qui Ægypto præfuerint temporibus Abrahami, Iſaaci, Jacobi, & Joſephi; quiſque fuerit ille Rex qui collatorum a Joſepho beneficiorum immemor Iſraelitas dire vexaverit.

Contendunt nonnulli ipſum fuiſſe ex Dynaſtia paſtorum. Manetho namque productus a Joſepho: *Erat*, inquit, *nobis Rex Timaiis nomine, ſub hoc (neſcio quomodo) Deus iratus fuit, & inopinato ex partibus orientalibus homines genere ignobiles, ſumpta fiducia, regionem bello aggreſſi; illaque facile potiti ſunt abſque prælio, principibus ejus in poteſtatem redactis: & inſuper urbes crudeliter incenderunt, templa everterunt, incolas trucidantes, filios & uxores in ſervitutem redigentes, tandem etiam unum ex ſeipſis fecerunt Regem, cui nomen Salatis.... Hic cum regnaſſet annis 19. diem obiit: poſt quam alius nomine Beon regnavit annis 44. poſt hunc alius Apachas annis 36. & menſibus ſeptem; deinde Apophis annis 61. & Sanias annis 50. & menſe uno, poſt omnes illos Aſſis ann. 49. & menſibus 2.* Neque tamen ſex illi Reges qui regnarunt annis 259. & menſes decem tota fuit paſtorum Dynaſtia, Joſephus enim ſubdit Reges paſtores regnaſſe DXI. annis Qui vero fuerint illi paſtores, & unde, dicetur ad caput XIV.

Addit Joſephus: *Vocabatur gens iſta Hycſos, id eſt Reges, paſtores.* Hic enim ſacra

lin-

lingua ſignificat Regem; Sos *vero communi dialecta eſt* Pastor. His ultimis verbis putat Joſephus ſignificari progenitorum ſuorum in Ægyptum adventum, quod illi eſſent paſtores; cui ſubſcribens Euſebius in Chron. n. 109. ait: *Reges Ægyptiorum paſtores coniicimus nuncupatos, propter Joſeph & fratres ejus, qui in principio paſtores deſcendiſſe in Ægyptum comprobantur.*

Verum hæc utriuſque conjectura aperte repugnat Moſis narrationi: ſiquidem quando Iſraelitæ deſcenderunt in Ægyptum, erant tantum numero 70. paſtores vero innumera multitudine; & ut ait Manetho 240000. Iſraelitæ pacifici manſerunt in terra Geſſen: at inquit, paſtorum Rex Salaris occupavit *Memphidem & tributariam fecit tam ſuperiorem quam inferiorem Regionem, præſidia relinquens in locis opportunis*: Iſraelitæ ſteterunt tantum in Ægypto annis 215. paſtores vero annis 511. Iſraelitæ dura ſervitute oppreſſi ſunt ſub pluribus Regibus; paſtores autem dominati ſunt per univerſam Ægyptum annis plurimis. Tandem Regum paſtorum nomina prorſus exotica ſunt, nulluſque inter Iſraelitas uſquam inventus eſt qui ſimilibus appellaretur. Igitur illi paſtores de quibus agit Manethn, non erant Iſraelitæ. His adde quod cum paſtores occupaverint Ægyptum, undecim ſupra quingentos annos, oportuit illos diutiſſime ante adventum Joſephi & Iſraelitarum ibi regnaſſe. Unde Syncellus *pag.* 61. diſerte ſcribit: *Convenit inter omnes Joſephum ſub Aphopho poteſtatem exercuiſſe in Ægypto.* Erat autem Aphophus ille unus ex Regibus Dynaſtiæ paſtorum, ut Manetho, Africanus, Euſebius, & Syncellus conveniunt; oportuit ergo Regem illum alium qui Joſephum neſciebat, fuiſſe unum ex Thebanis aut Dioſpolitanis, qui paſtores ex Ægypto ejecerunt diu poſt Joſephi mortem, quique deinde univerſam Ægyptum occupaverunt.

Sed quiſquis ille fuerit, cum haberet in animo Hebræos perdere, non judicavit eos opprimendos uno impetu & manu facta; ſed variis artibus deiiciendos. *Sapienter*, inquit, *opprimamus eum:* ea videlicet ſapientia qua homines huius ſæculi aſtuta ſua & fraudulenta conſilia nomine *ſapientiæ* ſolent oblevare. Unde Chriſtus D. Lucæ 16. v. 8. *Filii huius ſæculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt.*

Quæ vero fuerint artes illæ quibus crudeliſſimus iſte princeps exterminare niſus eſt Hebræos, diſtincte quidem non exponit Moſes; ſed ex iis quæ enarrat, facile eſt colligere. Primo namque laboribus & oneribus eos frangere tentavit. *Nam*, inquit Philo, *cogebat ad opera ſervilia homines non ſolum ingenuos, ſed hoſpites.* Secundo, *imperabat eis graviora quam ferre poſſent, alios ſuper alios labores cumulans.* Tertio, *ſi quis labori ob infirmitatem ſe ſubſtraheret, capitalis noxa judicabatur.* Quarto, *operibus præerat immitiſſimus & crudeliſſimus quiſque, quos proinde exactores vocabant.* Addit ex nimio labore & æſtu plurimos peſte fuiſſe correptos, quos inſepultos proiiciebant Ægyptii.

Addit Vulgatus Interpres v. 11. *Ædificaruntque urbes tabernaculorum Pharaoni Phithom & Rameſſes:* ubi LXX. verterunt πόλεις ὀχυρὰς *civitates munitas.* Vatablus, *civitates theſaurorum*, ſeu repoſitoria, granaria, & thecas frumentarias, quæ cum ſint Regnis perutiles, & maxime conferant ad illorum tranquillitatem & fœlicitatem, dici poſſunt illorum theſauri & Tabernacula, in quibus tuto quiſcere licet. Una autem ex illis civitatibus dicta eſt *Rameſſes*, nomine ſcilicet totius provinciæ, in qua Joſephus patrem & fratres conſtituerat?

Verum hac potiſſimum in occaſione apparuit quam vere ſcripſerit Sapiens: *Non eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum.* Nam, ut addit Moſes, *quanto opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur & creſcebant.*

Hinc aliud longe pejus & crudelius propoſitum init Pharao; imperavit namque obſtetricibus, quæ parturientibus mulieribus Hebræis aderant, ut omnem fœtum maſculum interficerent, fœmininum vero ſervarent. *At*, inquit Moſes, *cum illæ timerent Deum, non fecerunt juxta præceptum Regis Ægypti, ſed conſervarunt mares.*

Hoc cum accepiſſet Pharao, vocatas ad ſe obſtetrices illas graviter increpavit, quod regiis mandatis non paruiſſent. At illæ reſponderunt: *Non ſunt Hebrææ mulieres ſicut Ægyptiæ; illæ enim obſtetricandi habent ſcientiam, & priuſquam veniamus ad eas, pariunt.* Verum ex præcedentibus verbis Moſis apparet eas revera adfuiſſe parturientibus Hebræis, & quod timerent Deum, ab eiſdem mares conſervatos eſſe. Unde

QUÆRITUR III.

Utrum mulieres illæ aliquid hac in occaſione peccaverint.

DUplicis criminis videntur reæ, inobedientiæ nimirum & mendacii. *Inobedientiæ* quidem, quia Regis non paruerunt imperio: *Qui autem poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*, ait S. Paulus, maxime cum id quod præcipitur, conducit ad Regni tranquillitatem & pacem. Eſt autem veriſimile Pharaonem iſta imperantem, ut facti atrocitatem dilueret, oſtendiſſe bonum publicum privato præferendum eſſe; nec Ægyptiacum Regnum fore pacatum & ſecurum, ſi Hebræi in majorem multitudinem excreſcerent. Fortaſſis etiam adjecit licere aliquando principibus derogare communibus legibus, & inſontes perdere, ut ſalva ſit Reſpublica; quemadmodum in humano corpore amputatur unum membrum, ut cætera ſint ſana.

Verum quibus ineſt aliquis Dei timor, aliter ſapiunt; habentque pectori infixum illud dictum Apoſtolicum: *Oportet obedire Deo magis quam hominibus*; *neque facienda ſunt mala ut eveniant bona*. Debent equidem ſubditi Principibus parere in omnibus quæ ſpectant ad reipublicæ tranquillitatem & pacem; dummodo quod imperatur, non repugnet Dei legibus; neque enim Principibus licet a Deo latas leges violare; nec conceſſam habent a Deo poteſtatem, ut ejus divinæ voluntati reluctentur.

Nec in contrarium juvat exemplum petitum ex humano corpore; nam non ſolent integra & ſana membra reſecari, ſed putrida & inſanabilia: Itaque non eſt improbanda earum mulierum inobedientia; quia ſi rem imperatam feciſſent, duplex grande commiſiſſent peccatum, interficiendo innocentes & obſiſtendo Dei diſpoſitiooi, qui volebat Gentem Hebræam multiplicari ſicut ſtellas cœli & ſicut arenam quæ eſt in littore maris.

At ita non eſt de earum mendacio; nam, inquit Sapiens Proverb. 12. v. 22. *Abominatio eſt Domino labia mendacia*: Et cap. 21. v. 28. *Teſtis mendax peribit*. Unde David Deum alloquens ait: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*. Et ſap. 1. *Os quod mentitur, occidit animam*. Mitto cæteros Scripturæ textus ex quibus apparet mendacium omne eſſe peccatum, & Deo ſupremæ veritati valde infenſum.

Non me latet Joannem Caſſianum contendere licitum eſſe aliquando mentiri, vel mali vitandi, vel lucri acquirendi cauſa: cui ſententiæ præluſiſſe videntur Clemens Alexandrinus [a], & Origenes [b], contendentes aliquando permiſſum contra veritatem cognitam verba facere, quod utique hauſiſſe videntur ex doctrina Platonis qui ait: *Mendacio, licet re mala, utendum tamen eſt quandoque, tanquam elleboro & medicamine. Ergo & Principes urbium, & ſi quibus aliis id conceditur, oportet aliquando mentiri, vel quando hoſtes, vel pro patria & civibus; ab aliis vero qui mendacio uti neſciunt, auferendum eſt omne mendacium.*

a lib. 7. ſtrom.
b Lib. 4. cont. Celſum.

At doctrinam iſtam reprobat S. Auguſtinus integro tractatu quem de mendacio ſcripſit, nec non & libro contra mendacium ad Conſentium, in quibus probat mendacium omne eſſe peccatum. I. *Quia*, inquit cap. 15. poſterioris tractatus, *qui dicit aliqua juſta eſſe mendacia, nihil aliud judicandus eſt dicere, niſi aliqua eſſe juſta peccata; ac per hoc aliqua juſta eſſe quæ injuſta ſunt, quo quid abſurdius dici poteſt?*

Secundo, quæcunque contra legem Dei fiunt, juſta eſſe non poſſunt: dictum eſt autem Deo: *Lex tua veritas*: hoc autem, inquit, quod eſt contra veritatem, juſtum eſſe non poteſt; quis autem dubitet contra veritatem eſſe mendacium omne: nullum ergo juſtum poteſt eſſe mendacium. Inde concludit: *Quapropter quando nobis de Scripturis ſanctis mentiendi proponuntur exempla, aut mendacia non ſunt, aut ſi mendacia ſunt, imitanda non ſunt; quia juſta eſſe non poſſunt*. Deinde vero agens de obſtetricum Ægyptiarum mendacio affirmat, illud fuiſſe peccatum.

At, inquies, ſubdit Moſes, quia obſtetrices illæ *timuerunt Deum*, *ædificavit illis domos*: porro Deus non remunerat peccata: igitur earum mendacium peccatum non erat.

Reſpondet ibidem S. Auguſtinus: *Quod ſcriptum eſt, bene Deum feciſſe cum illis obſtetricibus, & cum Raab Jerichuntina meretrice, non ideo factum eſt, quia mentitæ ſunt: ſed quia in homines Dei miſericordes fuerunt. Non eſt itaque in eis remunerata fallacia, ſed benevolentia: benignitas mentis; non iniquitas mentientis*. Subiicit in illo obſtetricum facto, duo eſſe conſideranda; ſcilicet *Factum miſericorditer*: & *Dictum fallaciter*. Primum, bonum; ſecundum, malum: *bonum remuneravit, & propter hoc bonum, malum iſtud ignovit*.

Rem paulo aliter exponit S. Gregorius lib. 18. moralium, cap. 26. ubi refellens eos qui aſſerunt obſtetricum mendacium non fuiſſe peccatum, eo quod ipſis Deus domos ædificarit: *Verum*, inquit, *in ea ipſa recompenſatione cognoſcitur, quid mendacii culpa mereatur. Nam benignitatis earum merces, quæ eis potuit in æterna vita retribui, pro admiſſa culpa mendacii, in terrenam eſt recompenſationem declinata: ut in vita ſua quam mentiendo tueri voluerunt, ea quæ fecerant bona reciperent*.

Petes an obſtetrices illæ fuerint Ægyptiæ, an Hebrææ?

Reſpondeo, S. Auguſtinum videri ſupponere eas fuiſſe Hebræas, atque de divinis præceptis ſufficienter inſtructas, ac proinde mentiendo graviter peccaſſe. At Joſephus affirmat illas fuiſſe natione Ægyptias: favet etiam ratio; neque enim opportune ſibi conſuluiſſet Pharao, ſi tam acerbum mandatum dediſſet mulieribus Hebræis, quæ iſtud apud ſuos populares evulgaſſent.

Neque his obſtabat quod illæ dicantur *obſtetrices Hebræorum* v. 15. ſic enim appellantur, non quod eſſent oriundæ ex Hebraica gente; ſed quod propter ſingularem illius artis peritiam vocari ſolerent ab Hebræis mulieribus, habitarentque cum eis in terra Geſſen.

Idque confirmatur ex eo quod Pharao illis obſtetricibus facile acquieverit, dum ſeſe excuſantes apud eum de non impleto ipſius Regio mandato, dixerunt: *Non ſunt Hebrææ ſicut Ægyptiæ mulieres, ipſæ enim obſtetricandi habent ſcientiam* &c. ſi enim illæ fuiſſent Hebrææ, Rex potuiſſet illas mendacii arguere, & dicere: ſi hoc ita ſit, quid ergo hanc artem apud veſtrates inutilem profitemini?

Hinc apparet putidum Hebræorum commentum quod refert & reiicit Toſtatus quæſt. 9. ſuper 1. Paralip. cap. 1. nempe duas illas obſtetrices fuiſſe *Jocabet* Moſis matrem, & *Mariam* Moſis ſororem: atque Deum illis ædificaſſe duas domos, regiam & ſacerdotalem; hanc Jocabetæ in filio ſuo Aarone; illam Mariæ quæ nupſerit Calebo ex Tribu Juda. Hujus enim commenti falſitas apparet, tum ex eo quod illarum obſtetricum una dicitur *Sephora*, altera *Phua*; quibus nominibus Jo-

cabet

Digitized by Google

cabet, & Maria nuſquam leguntur appellatæ: tum ex eo quod Maria neque Calebo filio Heſron, neque Calebo filio Jephone potuerit nubere: nam Caleb filius Heſron erat natus 89. dum nata eſt Maria, habebat 90. annos. Adde quod Maria ſoror Moſis ab eo non referatur alicui nupſiſſe.

Quid de illis obſtetricibus ſtatuerit Pharao, non expreſſit Moſes: Ex dictis tamen colligere licet, eas dimiſſas eſſe liberas, atque in ampliſſimas ſamilias excreviſſe; id enim ſignificare videntur verba illa: *Deus ædificavit illis domos*: hoc eſt, ſecit eas capita numeroſarum ſamiliarum, eiſque conceſſit progeniem ampliſſimam & diuturnam.

Cum autem Pharao animadvertiſſet ſibi nihil proſuiſſe, ut vulgo dicitur, pellem vulpis; leonis pellem induit, aperte & diriſſime ſæviendo. Unde ejus crudelitas quibuſdam veluti gradibus ad ſummum impietatis faſtigium aſſurgere viſa eſt. Primo namque aggreſſus eſt Iſraelitas laboribus frangere, & premere oneribus: ſed cum res ex animi ſententia non ſuccederet, deinde meditatus eſt inſanticidia, occulto tamen conſilio: At videns vota ſua fruſtrari: Tandem, inquit Moſes, *præcepit omni populo ſuo, dicens: quidquid maſculini ſexus natum fuerit* (ex Hebræis) *in flumen proiicite: quidquid fœminini, reſervate*. Tyrannicum prorſus crudele edictum quod tamen ad finem uſque captivitatis non viguit; nam plurimi parvuli infra vigeſimum annum ex Ægypto exierunt, ut infra patebit.

DISQUISITIONES
IN CAPUT II.

TRia hoc in capite referuntur. I. Quidem Moſis nativitas, conſervatio, & a filia Pharaonis adoptatio. II. Ejuſdem ex aula regia, in qua nutritus & educatus fuerat, voluntarius abſceſſus, & coacta poſtmodum ſuga extra Ægyptum, quod Ægyptium occidiſſet. III. Vehementiſſima Iſraelitarum calamitas, eorumque ad Deum preces & clamores.

Popularium ſuorum originem, varios eventus, & res ab eis geſtas hactenus recenſuit Moſes; nunc vero ſuam hiſtoriam, quæque Deus per ipſum patravit prodigia enarrare aggreditur.

Unde hoc caput orditur ab his verbis: *Egreſſus eſt poſt hæc vir de domo Levi, & accepit uxorem ſtirpis ſuæ, quæ concepit & peperit filium*. Quæ verba non ſic veniunt intelligenda, quaſi Moſis pater tunc primum nupſiſſet; jam enim ab aliquot annis uxorem duxerat, genueratque non ſolum Aaronem, ſed etiam Mariam; Aaron enim erat Moſe tribus annis antiquior, & Maria ad minus octo: ſiquidem hæc a matre juſſa eſt ut ſtaret in ripa fluminis, obſervaretque quid eveniret de Moſe ad ripam fluminis in fiſtella ſcirpea expoſito; apparetque ex illius colloquio cum filia Pharaonis, illam fuiſſe jam perfectæ rationis compotem. Itaque prædicta verba indicant Moſis patrem aliquot annis abſtinuiſſe a generatione, propter novum mandatum Pharaonis de mergendis & extinguendis Hebræorum pueris maſculis; ſed demum contemto Regis mandato, acceſſiſſe ad uxorem, & ex ea genuiſſe filium.

Quis autem fuerit ille *vir de domo Levi*, hic non indicat Moſes: ſed *cap. 6. v. 20.* diſtincte aperit his verbis: *Accepit autem Amram uxorem Jochabed patruelem ſuam; quæ peperit ei Aaron & Moiſen*; Amram autem erat filius Caath filii Levi.

Quæ autem fuerit Jocabed, an immediata filia Levi, aut illius neptis, non levis eſt apud interpretes difficultas: cum enim Amram filius eſſet Caath ſecundi filii Levi, ſi Jocabeda fuiſſet immediata filia Levi, inde ſequeretur Amram duxiſſe ſororem patris ſui, qui gradus eſt inter prohibitos, *Levitici* 18. Difficultatem hanc efficit Hebræa vox דדה *Dodah* fœminina quæ amitam, & patruelem ſignificat: veriſimile autem non eſt Jochabedam fuiſſe amitam Amrami; conjugium enim nepotis cum amita repugnat honeſtati naturali, & locum habet inter ſecundarias naturæ leges; unde Jochabeda potius Amrami patruelis dicenda eſt, quam amita. Quamobrem LXX. Interpretes illam vocant *patrui Amrami filiam*: Quibus ſuffragatur Chaldæus Paraphraſtes, illam appellans *filiam amitæ Amrami*; quod confirmat Alexander Polyhiſtor productus ab Euſebio dicens: *Amram duxiſſe uxorem Jochabedam filiam avunculi ſui*.

Neque his obſtabat quod *Numerorum cap. 26. v. 59.* Jochabeda vocetur *filia Levi*: inde enim inferendum non eſt illam fuiſſe proxime genitam a Levi: ſed quod eſſet oriunda ex ſtirpe Levitica; frequenter enim nomen patris, & filii, nepotibus & pronepotibus tribuitur, quod ex eodem ſanguine orti ſint & propagati. Inſuper dicta eſt filia Levi ut inde conſtaret Moſem tam ex materno, quam ex paterno ſanguine e Tribu Levitica eſſe ortum.

Genuit autem Jochabeda Moſem eo tempore, quo ex ſæviſſimo Pharaonis decreto Hebræorum maſculi infantes in Nilum proiiciebantur. At cum hæc natum ex ſe filium vidiſſet eſſe formæ elegantis, apud ſe celatum trimeſtri ſpatio educavit. Fuit etiam ad eum ſervandum & ſecreto nutriendum inducta alia de cauſa, quam prodit Joſephus ſcribens, Amram patrem Moſis anxium de eventu illius ſœtus quem uxor utero geſtabat, ob Pharaonis infanticidæ edictum, Deum inſtanter oraſſe pro illius ſœtus ſalute, Deum

vero

vero illi dormienti adſtitiſſe, eique dixiſſe: *Scito mihi eſſe cordi & publicam veſtram incolumitatem, & privatam tuam gloriam; puer enim iſte, cujus nativitatis metu Ægyptii veſtros fœtus ad necem damnaverunt, tibi naſcetur, qui gentem ſuam ex Ægyptiaca ſervitute liberabit. Mox fidem oraculo fecit mulieris partus, quæ præter morem puerperarum, tam facile eſt enixa, ut obſervatores fefellerit.* At hujus oraculi fides ſit penes auctorem.

Licet enim Joſephus non incelebris, nec indiligens ſit hiſtoricus; attamen cum ſuæ Judaicæ Gentis hiſtoriam Græce ſcriberet, nedum ſuis popularibus, ſed etiam exteris communicandam; ut majorem ſuis ſcriptis fidem & auctoritatem conciliaret, nonnulla attexuit quæ in Scriptura ſacra non comparent: forte quia illa ex majorum Traditione acceperat; vel proprio genio excogitavit, ut quæ narrabat, credibiliora redderet.

Cum autem creſcentem puerum, propter vehementiores illius vagitus, amplius celare non poſſet Jochabeda; verita pœnam mortis in Hebræos, quæ filios abſcondebant, arcæ e papyro contextæ, ac pice, ne aquam hauriret, illitæ, incluſum filium ad ripam fluminis Nili in cartecto ſeu junceto expoſuit, eo tempore, quo noverat Thermutem Pharaonis filiam ad fluvium abluendo corpori cum ancillis accedere: filiam autem ſuam, nomine Mariam, cuſtodem appoſuit, ut exploraret quid puero accideret; quod argomento eſt, illam non omnem de ſalute filii ſpem abjeciſſe. Quin potius hoc ſervandi filii medium tentavit, ex ſpeciali quodam divini Spiritus inſtinctu, ut ſignificat S. Paulus a his verbis: *Fide Moyſes natus, occultatus eſt menſibus tribus &c.* Thermutis igitur, (hoc enim nomine eam appellat Joſephus, & eum ſecutus S. Epiphanius b: Hebræi vero *Bitthiam:* Euſebius ex c Artapano vocat eam *Merrim*) hæc, inquam, capſulam junceto implexam conſpicata, ad ſe adduci jubet. Videns autem in ea recluſum puerum formæ elegantis, eam moverunt infantis fletus, miſericordiam excitarunt lachrymæ, & ne immaniter mergatur impetrarunt.

a *Hebr. cap.* 11. *v.* 23.

b *Hæreſ.* 77.

c *Lib.* 9. *de præp. Evang. cap.* 27.

Cum autem illa, etſi jamdudum conjugata, liberis careret, hunc puerulum ſibi in filium adoptandum cenſuit: quamobrem advocatæ non procul exiſtenti Mariæ juſſit, ut aliquam mulierem Hebræam accerſeret, quæ puerum hunc ſuo nomine lactaret, poſt ablactationem ipſi reddendum.

Adducta vero Jochabeda proprium ſuſcipit filium; poſt paucos autem annos ablactatum Thermuti reddidit, quæ curavit illum diſciplinis & artibus Ægyptiis erudiri, eumque appellari voluit Moyſem e re nata, hoc eſt, extractum, ſeu eductum ex aquis. Quod nomen, qualiter in Scriptura legitur, origine Hebræum eſt; *Moſcheb* enim derivatur a verbo *Meſchitibu*, id eſt, *extraxi eum:* quamquam nonnulli Joſephum ſequuti, velint hoc nomen eſſe Ægyptium, dicantque *Mo* Ægyptiis aquam ſignificare, & *Yſes*, ſervatum. At fieri potuit, ut nomen Ægyptium ſibi a Pharaonis filia impoſitum, voce Hebræa expoſuerit Moſes, eaque a ſuis popularibus appellari voluerit.

Gregorius Abul-pharaius d ſcribit Moſi præceptores conſignatos fuiſſe Jannem & Mambrem ſapientes Ægyptios, quorum meminit S. Paulus e: ſed cum Apoſtolus dicat eos fuiſſe ex Magis, qui Moſi coram Pharaone reſtiterunt; veriſimilis non eſt hæc iſtius auctoris relatio. Cum enim Moſes jam eſſet natus annos 80. quando ſtetit coram Pharaone, credibile non eſt eos Magos fuiſſe ſat provectæ ætatis, ut ipſi puerulo in pædagogos & præceptores aſſignarentur.

d *In hiſtor. Dynaſt. pag.* 17.

e 2. *Ad Tim.* 3. *v.* 8.

Philo dicit inſtruendo Moſi quæſitos fuiſſe præceptores *Ægyptios* qui eum Geometriam, Arithmeticam, & Hieroglyphica docerent: *Aſſyrios*, qui ſuis litteris eum imbuerent: *Chaldæos* qui ſyderali ſcientia & modum præноſcendi futura erudirent: & *Græcos*, qui liberalibus ſuis artibus eum inſtruerent.

Verum ipſum hac in re graviter hallucinatum apparet, ex eo quod, ut probatum eſt in præcedenti parte, Moſes fuit omnium Scriptorum antiquiſſimus, præceſſitque Græcos omnes ſapientes; quippe cum Cadmum, qui primus Græcos litteras docuit, undecim generationibus anteceſſerit, ut docet Euſebius.

At quidquid ſit: certum eſt ipſum eruditum fuiſſe omni ſapientia Ægyptiorum, & potentem in verbis & in operibus, ut ait S. Stephanus Act. 7. v. 22. Voluit autem Deus Moſem futurum populi ſui ducem in aula Pharaonis educari, ut regium animum indueret, regiiſque virtutibus & dotibus ab infantia ornaretur; præſertim urbanitate, morum elegantia, animique fortitudine, ſibi in Iſraelitici populi futuro regimine maxime neceſſariis.

Refert Joſephus Thermutim Moſis matrem adoptivam illum obtuliſſe Pharaoni patri ſuo & dixiſſe: „ Hunc puerum ego educavi non minus indole, quam pulchritudine divina excellentem, quem Nilus ipſe in ſinum meum tradidiſſe videri poteſt: hunc decrevi adoptare mihi filium, tibi vero in principatu ac imperio ſucceſſorem; & dicto patri infantem in manus impoſuit. At ille poſtquam acceptum ad pectus appreſſiſſet, filiæ gratificaturus, comiter ſuum diadema ejus capiti impoſuit, Moyſes vero capiti pueriliter detractum, prolabi in humum paſſus, pedibus etiam calcavit; id quod mox ominoſum eſt viſum, & regno nihil boni portendere. Moxque ille ſacrorum ſcriba, qui nativitatem ejus Ægypto cladem allaturam prædixerat, occidere puerum volebat, vociferans: O Rex, puer iſte per cujus necem nobis ſecuritatem Deus pollicetur, vaticinium jam confirmavit, inſultando tuo regno & diadema calcando. Hoc interempto tam Ægyptiis metum, quam Hebræis ſpem & fiduciam adime! Thermutis vero confeſtim eum eripit, Rege quoque non invito, cui Deus talem animum indiderat, Moyſis ſaluti providens. Itaque educabatur quam accuratiſſime. Quamobrem Hebræi quidem fœlicitatem ſuo generi ſperabant, Ægyptiis vero ſuſpecta erat hæc educatio. Sed cum nemo extaret, vel e cognatis regis,

„ vel ex aliis optimatibus, qui etiamſi Moy-
„ ſes ſublatus, magnopere videretur procu-
„ raturus Ægyptiorum commoda, abſtinue-
„ runt ab ejus cæde. *Ita Joſephus.*

Crevit itaque Moſes, & vixit in euria Pharaonis ad virilem uſque ætatem. Quid autem interea egerit, Scriptura ſacra non memorat, niſi quod ait S. Stephanus: *Erat poteus in verbis, & in operibus ſuis*. At Joſephus, & Philo plurima ab eo præclara geſta referunt; Joſephus quidem refert bellum a Moſe ſuſceptum adverſus Æthiopes, qui armata manu Ægyptum populabantur & devaſtabant; quos Moſes collectis copiis, non ſolum ex Ægypto pepulit, ſed etiam in Æthiopiam penetrans per viam deſertam, horrendis & noxiis ſerpentibus refertam, quos per immiſſas volucres Ibes ſerpentibus infenſiſſimas fugavit, Æthiopes in ſuam Regionem ad eam protegendam redire compulit: plurimis autem commiſſis fœlieiter cum ipſis prœliis, illos has in anguſtias redegit; ut Tharbis Æthiopum Regina ab eo pacem exoravetit ea conditione, ut illa ipſius Moſis fieret uxor. *Hæc Joſephus.*

Philo vero cum declaraſſet præclaras Moſis in ætate juvenili animi dotes, egregiaque illius exercitia, addit illum potiſſimum incubuiſſe in conciliandis Ægyptiorum & Hebræorum animis, & reddenda cuique juſtitia: „ Hic, *inquit*, evectus in ſummum re-
„ rum faſtigium, nepos tanti Regis habi-
„ tus, ſpe omnium deſtinatus ſucceſſor aviti
„ Solii, nec aliud quam Rex junior appel-
„ latus, ſecutus eſt majorum ſuorum inſti-
„ tuta gentilia, adoptivorum parentum bo-
„ na, etſi ſplendida, tamen adulterina ju-
„ dicans: e diverſo naturalium parentum
„ etſi ad tempus viliora, vera tamen & pro-
„ pria. Itaque utriuſque partis judex in-
„ corruptiſſimus, tum ejus ex qua natus,
„ tum ejus in quam adoptatus fuerat; alteri
„ benevolentiam præſtabat, alteri gratitudi-
„ nem &c. *Ita Philo*. Verum cum de his
„ Scriptura ſacra ſileat, vereor ne iſta re-
„ doleant Rabbinica commenta.

Certum eſt autem Moſem in Pharaonis curia non otioſam & delieatam vitam egiſſe; quippe eum, ut dictum eſt, S. Stephanus afferat illum fuiſſe potentem in verbis & operibus, additque: *Cum autem impleretur quadraginta annorum tempus, aſcendit in cor ejus ut viſitaret fratres ſuos filios Iſrael*. Quæ verba non ſic intelligenda ſunt, quaſi Moſes tunc primum viſitaverit, vel parentes ſuos, vel populares Iſraelitas; ſed quod hactenus ita eum ipſis egerat, ut tamen Regiam Curiam non desereret. At jam quadragenarius factus, eum ingraveſcentem Ægyptiorum adverſus Hebræos perſecutionem & tyrannidem reprimere non poſſet, tunc animo vere heroico cenſuit ſeſe Iſraelitis ad eorum defenſionem adjungere, non ſimplici aliquo humano ductus affectu, ſed afflatu divini Spiritus, ut ſignificat S. Paulus his verbis: *Fide Moyſes grandis factus, negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis; magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem; majores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum, improperium Chriſti; aſpiciebat enim in remunerationem.*

In his autem Apoſtoli verbis nonnulla ſunt advertenda. I. Quidem quod etſi Moſes educatus fuerit in aula Regis Idololatræ, atque inter inanium Numinum cultores adoleverit; nihilominus noverat ſe origine eſſe Hebræum, & natum e parentibus unius veri Dei cultoribus; quod dubio procul ei inſinuarat Jochabeda illius mater & nutrix, priuſquam illum adultum filiæ Pharaoni redderet.

II. Cum diu vixiſſet medias inter dignitates, divitias ac delicias, ut eas contemneret, declinaretque ad miſerum ſtatum Hebræorum ſuorum popularium dura ſervitute & tyrannide oppreſſorum; opus fuit vehementi S. Spiritus illuſtratione & impulſu. Duo quippe ſimul objiciebantur illius animo, nempe ex una parte regia Ægypti majeſtas &c. ex altera malis opprimi cum popularibus. Ex utraque vero divitiæ ac deliciæ offerebantur; ex priori temporales & periturae; ex poſteriori ſpirituales & in æternum permanſuræ. At divina fide illuſtratus Moſes, illas contempſit; ut autem has obtineret, *magis elegit affligi cum populo Dei* &c.

III. *Negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis*; non tam verbo, quam facto; dum aula relicta, ſuis popularibus adhæſit; ratus divinam adoptionem humanæ, tametſi Regiæ, eſſe anteponendam.

At, inquies, inconſulto prorſus, & nonniſi cum inſignis ingratitudinis labe id egiſſe videtur Moſes. Etenim Thermutis Pharaonis filia ei vitam ſervaverat, ſollicite eum educari curaverat, adoptarat in filium, deſtinabat in Regis ſucceſſorem, & per annos quadraginta bonis omnibus cumulaverat: iſta autem omnia beneficia ſpernere, nonne ingrati animi indicium eſt manifeſtum?

Eſſet equidem, niſi *obedire oporteret Deo magis quam hominibus*; & terrena cœleſtibus eſſent poſtponenda. Nullus dubitat quin Moſes ſemper obſervantiſſimus fuerit erga matrem ſuam adoptivam, eique omnia ſuæ filialis gratitudinis obſequia impenderit, quandiu hæc ſubſiſtere potuerunt eum veri Dei cultu, & vera Religione. At ubi vidit Moſes neutrum a ſe obſervari poſſe quandiu conſiſteret in aula Regia; prudentiſſime illam deſeruit, ut ſuæ ſaluti conſuleret, nimirum id ſeria mente jam tum perpendens, quod poſtmodum Chriſtus D. in Evangelio docuit: *Quid prodeſt homini ſi univerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?*

. Adde quod fieri potuit ut Thermutis tunc fuerit e vivis ſublata, qua defuncta Pharao non ita fuerit, ac erat antea, erga Moſem affectus.

Acceſſit ad irritandum adverſus eum Regis animum, quod cum Moſes inviſeret Iſraelitas ſuos populares, animadvertit *Virum Ægyptium percutientem quemdam de Hebræis fratribus ſuis. Cumque circumſpexiſſet huc atque illuc, & nullum adeſſe vidiſſet, percuſſum Ægyptium abſcondit ſabulo.*

QUÆ-

QUÆRITUR I.

Utrum Moſes Ægyptium juſte ac legitime occiderit.

AFfirmo I. Quia ad id movebatur ex affectu & debito fraternæ charitatis, quo quiſque tenetur ad proximum innocentem ab injuria defendere, ut docet S. Ambroſius: *Qui ſocium*, inquit, *non defendit ab injuria, cum poteſt; tam eſt in vitio quam ille, qui facit: hinc tentamenta ſuæ fortitudinis bellicæ orſus eſt Moſes*. Et in lib. 1. Hexaemeron: *Moſes*, inquit, *priuſquam ad munus liberandi populum vocaretur, naturali æquitatis ſtudio provocatus, quemdam de ſuis popularibus accipientem injuriam ultus eſt*. Idem quoque præcipit divina Scriptura: *Erue*, inquit, *eos qui ducuntur ad mortem; & qui trahuntur ad interitum, liberare ne ceſſes. Si dixeris: Vires non ſuppetunt; qui inſpector eſt cordis, ipſe intelligit, & ſervatorem animæ tuæ nihil fallit; reddetque homini juxta opera ſua.*

II. Veriſimile eſt illum Ægyptium, qui Hebræum percutiebat, unum fuiſſe ex illis præpoſitis operum, quos Pharao præfecerat ad vexandos & affligendos Iſraelitas; illi autem cum iniquiſſime ac crudeliſſime in eos agerent, debebant haberi tanquam publici eorum hoſtes & oppreſſores: at publicum hoſtem, & injuſtum oppreſſorem modis omnibus reprimere licet, & ab injuſta vexatione corripere. Igitur &c.

III. Id non eſt aggreſſus proprio genio; neque tantum naturali erga ſuos populares benevolentia: ſed divina motus inſpiratione, ut colligere licet ex verbis S. Stephani *Actorum* 7. ubi referens hoc Moſis factum, & digitum intendens in eum Hebræum cum altero rixantem, qui Moſi eum arguenti dixerat: *Quis te conſtituit Principem & Judicem ſuper nos? num occidere me tu vis Ægyptium ſicut heri occidiſti?* Addit a Moſe idcirco illum obiurgatum, quod exiſtimaret illos Hebræos intelligere, *quoniam Deus per manum ipſius daret ſalutem illis: at illi non intellexerunt*. Cenſet ergo S. Stephanus Moſem, iſtius Ægyptii interfectorem, jam fuiſſe perſuaſum ſe deſtinatum eſſe a Deo, ut Iſraelitas eriperet ex tyrannica Ægyptiorum oppreſſione.

At, inquies, hominis privati & nullam ordinariam poteſtatem habentis, non eſt alteri vitam eripere: ſed tunc temporis vitam privatam agebat Moſes, nullamque authenticam adhuc habebat delegationem. Igitur injuſta prorſus & iniqua fuit illa occiſio.

Confirmat hæc S. Auguſtinus, qui comparans actum Moſis cum facto S. Petri, qui Malcho auriculam abſcidit, nec non & cum perſecutione Sauli ſeu S. Pauli qui præpoſtero zelo in Eccleſiam ſæviebat Act. 9. ait: *Conſulta æterna lege, reperio non debuiſſe hominem a Moſe, qui nullam ordinatam poteſtatem gerebat, quamvis injurioſum & improbum, occidi. Verumtamen animæ virtutis capaces ac fertiles, præmittunt ſæpe vitia quædam, quibus indicent, cui virtuti ſint potiſſimum accommodatæ, ſi fuerint præceptis excultæ*. Hoc ut inſinuet, utitur exemplo agricolarum, qui quam terram vident, licet inutiles, tamen ingentes herbas proferentem, frumentis aptam eſſe judicant. Unde colligit Moſem, hoc facto rerum a ſe poſtmodum gerendarum præludium facere voluiſſe. Inde S. Petrum cum Moſe comparans, addit: *Uterque non deteſtabili immanitate; ſed emendabili animoſitate juſtitiæ regulam exceſſit: uterque odio improbitatis alienæ: ſed ille fraterno, ille dominico; licet adhuc carnali, tamen amore peccavit.*

Reſpondeo, quod etſi Moſi nondum facta fuiſſet ſolemnis illa ad Pharaonem delegatio, quam Deus in rubo ardente poſtmodum declaravit; attamen ex verbis S. Stephani colligere licet ipſum ad id opus peculiari divina inſpiratione fuiſſe incitatum, ſicut & poſtea fuit Samſon, dum concuſſis & everſis columnis, quibus domus fulciebatur, Philiſtæos ſecum oppreſſit.

Ad S. Auguſtinum dico illum in ea non hæſiſſe ſententia; nam hoc ipſum Moſis factum alibi expendens, cum dixiſſet a ſe illud improbatum in ſcriptis adverſus Fauſtum, addit: *Attamen ſicut Stephanus dixit in Actibus Apoſtolorum, putavit tum Moyſes intelligere fratres ſuos, quod per ipſum Deus daret illis ſalutem. Videtur itaque per hoc teſtimonium Moſes jam divinitus admonitus, quod ſcriptura eo loco tacet, juſte facinus illud audere potuiſſe.*

Inſtabis. Moſem iſtud factum non ex divino inſtinctu, ſed affectu & motu humano fuiſſe aggreſſum, argumento eſt, quod interfecto Ægyptio *circumſpexit huc atque illuc, cumque nullum adeſſe vidiſſet, percuſſum Ægyptium abſcondit ſabulo*. Igitur timebat ne factum illud innoteſceret, ac proinde non exiſtimabat ille hoc facinus eſſe legitime perpetratum.

Reſpondeo, illam Moſis circumſpectionem non eſſe indicium operis male facti, ſed hominis prudenter agentis: cum enim videret tempus nondum eſſe opportunum ut fieret publica in Ægyptios Hebræorum tyrannos animadverſio; quod licite facere potuit, caute voluit, ne Ægyptii hoc factum audientes, crudelius in Hebræos ſævirent; neve ipſe periculum capitis incurreret. Egit itaque Moſes quod facere ſolent legitimi judices; qui dum verentur ne rei per vim majorem ex eorum manibus eripiantur, privatim & clam de illis judicium ſumunt. Igitur inferendum eſt Moſem hoc in facto non peccaſſe. Fateor tamen illius actum non eſſe trahendum ab hominibus privatis in exemplum. Etenim ſub obtentu religionis aut oppreſſionis proximi, teterrima quæque a ſceleratis & fanaticis patrati poſſent homicidia, & crimina.

Etſi

Digitized by Google

Etſi vero Moſes exiſtimaret hoc a ſe patratum homicidium omnes omnino latere; attamen paulo poſt reſcivit illud inootuiſſe, maxime ſuis popularibus. Cum enim rurſum ad eos declinaſſet, *conſpexit duos Hebræos rixantes, dixitque ei qui faciebat injuriam: quare percutis proximum tuum? Qui reſpondit: quis te conſtituit Principem & Judicem ſuper nos? num occidere me tu vis, ſicut heri occidiſti Ægyptium?*

Quin etiam iſta res innotuit Aulicis Moſis invidis, qui hanc eum perdendi occaſionem nacti; convenerunt Pharaonem, inquit Philo, eique factum hoc narrantes; illius animum adverſus Moſem exacerbarunt dicentes: „ Te ipſum aggredietur; nihil medio„ cre ſapit; ſemper molitur aliquid; ante „ tempus ad regnum aſpirat; aliis pollice„ tur; alios territat: indemnatos interficit: „ quo quiſque eſt tui amantior, eo magis „ eum perſequitur; quid cunctaris? an ut „ quæ conatur, efficiat? proderit inſidiatori „ hæc dilatio, &c. Quibus auditis Pharao *quærebat occidere Moyſem: qui fugiens de conſpectu ejus, moratus eſt in terra Madian.*

QUÆRITUR II.

Utrum citra culpam fugerit Moſes.

PEccaſſe videtur, quod Iſraelitas ſuos populares reliquerit abſque præſidio; cum enim a Deo deſtinatus eſſet & conſtitutus eorum Dux & paſtor, qui illos erueret e dira tyrannide ſub qua gemebant; citra culpam non debuit illos ſuo fraudare præſidio: *bonus* enim *paſtor* debet *animam ſuam ponere pro ovibus ſuis*; & Princeps pro ſibi commiſſis populis ad mortem uſque generoſe decertare.

Verum hac in re nil peccaſſe Moſem, ut appareat, advertendum eſt, licitum eſſe piis hominibus & paſtoribus aliquando fugere: ut conſtat exemplo ſanctiſſimorum & illuſtrium virorum, maxime *Jacobi* fugientis e domo paterna, ut declinaret iram fratris ſui Eſau: *Davidis* fugientis e conſpectu Saulis Regis. *Eliæ* declinantis a conſpectu Regis Achabi & Jezabelis. Quin etiam *Chriſti D.* qui licet bonus paſtor veniſſet quærere & ſalvum facere quod perierat; nihilominus perſæpe fugit, ut inimicorum inſidias declinaret *Matth.* 2. v. 13. & 12. v. 15. *Joan.* 8. v. 59. & *Lucæ* 4. v. 31. Qui etiam diſcipulos ſuos admonet, Matth. 10. v. 23. *Cum autem perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam*, & Matth. 24. v. 16. *Qui in Judæa ſunt, fugiant ad montes.*

Confirmantur iſta, exemplo SS. Epiſcoporum, qui licet pro ſuis tuendis ovibus eſſent zelantiſſimi, plerumque tamen ſeſe illis ad tempus ſubſtraxerunt, dum a perſecutoribus quærerentur ad necem. Ita *S. Polycarpus* referente Euſebio: *S. Athanaſius* qui plerumque ſuam reliquit Eccleſiam, ut Arianorum furorem evitaret. *S. Cyprianus* qui lib. de lapſis monet, *fugam ipſam opportune ſuſceptam, eſſe ſpeciem confeſſionis*, &c.

Itaque licitum eſt paſtoribus aliquando fugere. 1. Quando eorum præſentia magis irritaret perſecutores adverſus fidelium cætum. 2. Quando ſoli ipſi in cauſa ſunt cur moveatur perſecutio; expedit enim tum paſtorem fugere, non ſolum ut ſe poſſit Eccleſiæ ſuæ ad meliora tempora ſervare: ſed etiam ut fideles jactari deſinant. 3. Quando id paſtoribus ſuadent fideles, nullumque ex illorum fuga Eccleſiæ accedere poteſt ſcandalum & præjudicium. Secus autem eſt dum perſecutio adverſus Eccleſiam accenditur: his enim in occaſionibus bonus paſtor debet pro ovibus ſuis animam ſuam ponere, ut egregie docet S. Auguſtinus: *Cum*, inquit, *non Prælatorum, ſed totius Eccleſiæ ſtatus quæritur, fides impugnatur, neceſſe eſt ut ex adverſo accedant, & in die belli ſe ipſos ut murum opponant pro domo Domini, & animas ſuas ponant pro ovibus ſuis; ut exemplo ſuæ paſſionis accendant, quos ſermone doctrinæ diutius conſervare non valent.*

His ita prælibatis, facile colligitur Moſem citra peccatum fugiſſe a conſpectu Pharaonis; quippe ſolus quærebatur ad mortem: nam, ut conſtat Exod. 2. v. 15. *Audivitque Pharao ſermonem hunc, & quærebat occidere Moyſem.* Deinde ſi ſtetiſſet in Ægypto, mortem non evaſiſſet; illiuſque præſentia plurimum irritaſſet Ægyptiorum animos adverſus Hebræos; fuiſſetque in cauſa, cur aggravaretur eorum ſervitus. Inſuper noverat ſe aliquando utilem fore ſuis popularibus; quippe qui a Deo eſſet ad id deſtinatus. Igitur ſe ſubducendo a conſpectu Pharaonis, non tam ſibi quam populo ſuo conſuluit, donec, Deo ordinante & imperante, deſtinatum ſibi miniſterium ſuſciperet & conſtanter aggrederetur.

Fugit itaque Moſes & declinavit in terram Madian ad ſacerdotem, nomine Raguelem, & principem illius Regionis; cujus unam ex ſeptem illius filiabus uxorem duxit: qua autem ratione ad illum acceſſerit, conſtat ex textu a verſu 16. ad 20. quæ Philo præclare his verbis enarrat: „ Arabes „ exercent pecuariam, paſcuntque greges „ promiſcue viri, mulieres, juvenes, vir„ gineſque; non plebeii ſolum, ſed & no„ biles. Septem puellæ unius ſacerdotis fi„ liæ gregem ad quemdam fontem adduxe„ rant, demiſſiſque per funem urnis, per „ vices certatim hauriebant, fundebantque „ aquam in proximos alveos donec imple„ rentur. Supervenerunt alii paſtores, qui „ contempta debilitate virginum, conati „ ſunt eas ſubmovere una cum ſuis gregi„ bus: ad paratum potum agentes ſua pe„ cora, fruituri alienis laboribus. Id Mo„ ſes, qui non longe aberat, conſpicatus „ confeſtim accurrit, clamitans: Non deſi„ ſtetis ab injuriis in ſolitudine, qua ad

„ ſraudem abutimini? non pudet vos cir-
„ cumſerre ignava brachia, inerteſque hu-
„ meros? capillos, barbas, carneſque viriles
„ video; non viros video. Puellæ juvenili-
„ ter tractant quæ tractanda ſunt: vos ju-
„ venes eſtis puellis delicatiores, non abitis?
„ non ceditis his qui priores venerunt, quæ
„ jus aquæ habent hauſtæ ipſarum opera,
„ quo uberior eſſet copia? itane paratam
„ auſeretis? Non ſacietis per cœleſtem ocu-
„ lum juſtitiæ, qui videt quidquid ſit etiam
„ locis deſertiſſimis, non auſeretis impune!
„ Is me, præter opinionem, miſit in auxi-
„ lium; nec enim deero injuriam patienti-
„ bus, ſretus illa magna manu, quam vos
„ excæcari cupiditate non cernitis: nec ſas
„ eſt vos cernere! Sentietis tamen eam ex
„ occulto ſerientem, niſi reſipiſcitis.
„ His verbis territi, quæ videbantur ho-
„ minis afflati divino ſurore, veritique ne
„ vera caneret, paruerunt: admiſſiſque vir-
„ ginum gregibus ad alveos, paſſi ſunt ea-
„ rum pecora prius bibere. Illæ domum læ-
„ tæ reverſæ, inſperatum caſum patri de-
„ narraverunt, ita ut caperetur magno de-
„ ſiderio videndi ejus hoſpitis; Objurgabat
„ igitur earum ingratitudinem; cur dimiſi-
„ ſtis hominem? quin adduxiſtis; & ſi ſorte
„ recuſabat, exoraſtis etiam? Eſtiſne mihi
„ alicuius inhumanitatis conſciæ? Aut non
„ timetis ne iterum incidatis in violentos
„ & injuſtos alios? neceſſe eſt ut auxilio de-
„ ſtituamini tam oblivioſe erga benemeritos.
„ Recurrite unde veniſtis, donec erratum po-
„ teſt corrigi. Ite propere, vocate non tam
„ ad hoſpitium, quam ad recipiendam gra-
„ tiam. Debetur enim. Reverſæ ad ſontem,
„ in propinquo eum (*Moſem*) inveniunt, &
„ patris verbis perſuaſum, domum dedu-
„ cunt. Qui primum ſpeciem, mox & men-
„ tem ejus admiratus (nec enim opus ha-
„ bet fœlix ingenium longa experientia) dat
„ ei uxorem filiarum ſormoſiſſimam, hoc
„ uno ſacto virtutem eius approbans, per
„ ſeipſam amabilem, ut externa commen-
„ datione non egeat, modo innoteſcere.
Ita Philo, longiuſcule quidem ſed perbelle.

QUÆRITUR III.

Utrum Raguel ille, cujus filiam duxit Moſes, fuerit veri Dei cultor & Sacerdos.

DIfficultatem facit Hebræa vox *Coben*, quæ, ut notat Fagius, aliquando Sacerdotem tam veri Dei quam Idolorum, alias populi caput & principem ſignificat: nimirum ut vocis ſignificatio utriſque accommodetur, eo quod utrumque officium tam ſacerdotale, quam politicum penes eoſdem olim ſuerit, ut conſtat de Noe, Abrahamo, aliiſque Patriarchis, qui ſimul ſuerunt Dei miniſtri, & ſuarum ſamiliarum capita. Unde Artapanus apud Euſebium hunc Raguelem appellat *τῶν τόπων ἄρχοντα in illis locis principem*; & Chaldæus Paraphraſtes *principem Madian*; quod videlicet utroque munere ſungeretur, regendo populum, & numini hoſtias immolando.

Quod autem ſuerit numen ab eo cultum? utrum verus Deus? an aliquod idolum quod Madianitæ colerent? non una eſt Interpretum ſententia. Ipſum idolorum ſacerdotem ſuiſſe contendunt aliqui Hebræi Doctores, inter quos eſt David Kimchius. Alii autem ipſum ſuiſſe veri Dei cultorem cum Aben-Ezra docent; quorum ſententia mihi videtur veriſimilior. Neque enim credibile eſt Moſem, qui divino zelo accenſus Pharaonis aulam regiam, & dignitates ac delicias ſpreverat, *Magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem*; inquit S. Paulus: credibile, inquam, non eſt talem tamque pium virum voluiſſe per quadraginta annos converſari cum homine idolorum ſacrificulo, & illius filiam in uxorem ducere.

Neque his obſtat quod ipſius Raguelis filius, aut nepos nomine *Jetro*, ejuſdem haud dubie cum patre, aut avo religionis, Moſem in deſerto, conveniens & audiens prodigia quæ Deus per ipſum ſuerat operatus, videnſque ingentem Hebræorum multitudinem, cui Moſes præerat, & quam Deus cibo cœleſti paſcebat, exclamarit Exodi. 18. v. 11. *Nunc cognovi quia magnus Dominus ſuper omnes Deos:* hæc enim verba non indicant ab ipſo Jetrone, tum primum agnitum eſſe verum Deum. Quis enim exiſtimet ipſum eum Moſe zelantiſſimo Dei cultore per quadraginta annos converſantem nunquam ad unius veri Dei ſupremam poteſtatem & majeſtatem attendiſſe?

Sed in hæc verba erupit, quod experientia cumpertum haberet extraordinariam eſſe Dei erga Hebræos benevolentiam & curam. Sic David pſalm. 19. v. 7. etſi pluries expertus ſingularem Dei erga ſe protectionem; nihilominus cum ab imminenti periculo ſuiſſet liberatus, ait: *Nunc cognovi quoniam ſalvum fecit Dominus Chriſtum ſuum.* Sic & vidua Sareptana, quæ Eliam verum Dei Prophetam jamdudum agnoverat, unde ei hoc titulo cænaculum in ſua domo commodarat; attamen videns ab ipſo ſuſcitatum ſuum filium, exclamavit: *Nunc in iſto cognovi quoniam vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum eſt.* Itaque hæ, & ſimiles expreſſiones, non ſunt intelligendæ de recenti cognitione, ſed de illius notitiæ confirmatione ab aliquo notabili eventu.

Accedit quod eodem *Exodi capite* 18. v. 12. ſubiicitur: *Obtulit ergo Jetro cognatus Moyſi holocauſta & hoſtias Deo; veneruntque Aaron & omnes ſeniores Iſrael ut comederent panem cum eo coram Domino.* At ſi jam tum primum veri Dei notitiam habuiſſet, ad eumque tunc recens ſuiſſet converſus, Hebræi gratum non habuiſſent ſacrificium illius hominis,

minis, qui pauco antea tempore idolis immolaſſet, nec voluiſſent cum eo menſis accumbere.

Petes, qua ratione Sephora Moſis uxor fuerit Madianitis, cum *Numer. cap.* 12. appelletur *Æthiopiſſa*: ibi enim ſcriptum eſt: *Locuta eſt Maria & Aaron contra Moyſem, propter uxorem ejus Æthiopiſſam*; Æthiopes enim a Madianitis erant diſtincti.

Reſpondet Pererius, a quibuſdam exiſtimari illam ſic appellatam eſſe per ludibrium & contemptum, propter deformitatem & turpitudinem morum, quemadmodum hodieque vocari aliquis ſolet per contemptum *Maurus*, vel *Turca*, vel *Æthiops*: atque id uſitatum eſſe in Scriptura, poſſe colligi ex illis verbis Amos: *Numquid non ut filii Æthiopum vos eſtis mihi, filii Iſrael?*

Alii exiſtimarunt fuiſſe nominatam Æthiopiſſam, per antiphraſim, quod eſſet corpore & animo, moribuſque pulcherrima & amabiliſſima. Ad hanc certe ſententiam Paraphraſis Chaldaica in illo loco Numerorum pro (*Æthiopiſſa*) habet (*pulchram*) & auctor Paraphraſis Hieroſolymitanæ, ſic expreſſit illum locum: *Quemadmodum Æthiops differt cute & colore ab omnibus aliis hominibus; ita etiam Zippora uxor Moſis, formæ pulchritudine, & bonis operibus, mirabiliter ſuperabat reliquas omnes mulieres*. Ita Pererius.

Aliam tamen init ipſe ſententiam, quam excepit a S. Auguſtino, nimirum Madianitas etiam dictos eſſe Æthiopes; quod Æthiopia orientalis vicina eſſet terræ Madianitarum. Idque manifeſtum fit ex verbis Prophetæ Habacuc, cap. 3. ubi ait: *Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ: turbabuntur pelles terræ Madian*: eamdem rem videlicet diverſis vocabulis exponens. Illam autem Orientalem Æthiopiam incoluerunt antiquitus variæ Gentes; nimirum Iſmaelitæ, Madianitæ, & Amalechitæ, quæ tum propter eamdem generis originem ex Abrahamo; tum propter vicinitatem habitationis & regionis, promiſcue nonnunquam aliæ pro aliis in Scriptura nominantur.

Moſes itaque humaniſſime a Raguele hoſpitio exceptus, & cum eo habitare conſentiens, illius ovium præcipuus paſtor deſtinatus eſt, ſuiſque fideliſſimis obſequiis tantum apud illum promeruit, ut hic ſuis unam ex filiabus nomine Sephoram ipſi in uxorem conceſſerit: non quidem ſtarim ab illius acceſſu, ut nonnulli exiſtimant; ſed poſt plures tranſactos in illius obſequio & ſervitio annos. Egit enim apud illum annos 40. ſiquidem quadragenarius erat dum fugit ex Ægypto; octogenarius vero dum in Ægyptum reverſus, Iſraelitas inde deduxit.

Suſcepit autem ex Sephora uxore ſua duos filios, quorum primum appellavit *Gerſonem*, dicens: *Advena fui in terra aliena*; vox enim *Ger*, a verbo Hebræo *Gur*, peregrinum ſignificat. Alterum vero *Eliezerum* nominavit, dicens: *Deus patris mei, adjutor meus eripuit me de manu Pharaonis*. Quod vero pueros illos non genuerit Moſes niſi diutiſſime poſt ſuum ad Raguelem acceſſum, colligitur ex cap. 4. v. 20. ubi legitur, quod Moſes accepta a ſuo ſocero revertendi in Ægyptum licentia, *Tulit uxorem ſuam, & filios ſuos, & impoſuit eos ſuper aſinum, reverſuſque eſt in Ægyptum*. Quibus verbis indicatur filios illos adhuc eſſe pueros, ac proinde non ita pridem genitos: ſi autem paulo poſt Moſis ad Raguelem acceſſum fuiſſent nati, uterque eorum pene quadragenarius eſſet, nec proinde cum ſua matre per unum aſinum potuiſſent deportari.

Itaque Moſes per annos quadraginta apud Raguelem paſtoris ovium fideliſſime munus exercuit. De hoc autem Moſis paſtorali munere ſic ſcribit Philo: „ Poſt eas nuptias,
„ præfuit gregibus, ad principatum ſe præ-
„ parans: nam paſtoralis ars ad regnum eſt
„ præludium, hoc eſt ad regimen hominum
„ gregis manſuetiſſimi: quemadmodum bel-
„ licoſa ingenia præexercent ſe in venatio-
„ nibus; in feris enim experiuntur futuri
„ præfecti militiæ, brutis præbentibus ma-
„ teriam exercitii, tam belli quam pacis
„ tempore: nam præfectura manſueti pe-
„ coris habet quiddam ſimile cum regno in
„ ſubditos. Ideo Reges cognominantur pa-
„ ſtores populorum, non contumeliæ, ſed
„ honoris gratia. Imo quantum ego intel-
„ ligo, non juxta vulgarem opinionem, ſed
„ rei veritatem veſtigans (rideat qui volet)
„ ſolus poteſt eſſe Rex undequaque perfe-
„ ctus, qui bene callet artem paſtoriciam,
„ & curando minora animalia, didicit quo-
„ modo debeat præeſſe præſtantioribus: im-
„ poſſibile eſt enim ut magna, priuſquam
„ parva perficiantur: *Hæc Philo*.

Sic Davidem ex arte paſtoritia ad Iſraeliticum regnum evexit Deus, ut qui in regendis & protegendis ovibus vigilantiæ & animi fortitudinis præludium fecerat, in gubernandis & tuendis hominibus miniſterium impleret; quam utique divinæ Sapientiæ agendi rationem celebrat ipſe his verbis: *Elegit David ſervum ſuum, & ſuſtulit eum; de gregibus ovium: de poſt fœtantes accepit eum; paſcere Jacob ſervum ſuum, & Iſrael hæreditatem ſuam &c.*

His addere juvat quæ habet Philo de Joſepho Jacobi filio paſtoritiam vitam exercente: „ Quæ diſciplina, *inquit*, cum civili
„ convenit. Et hoc eſt opinor, cur Poetæ
„ reges vocant paſtores populi. Nam qui
„ ſummus eſt in arte pecuaria, facile bonus
„ Rex evadet, pulcherrimo gregi hominum
„ præpoſitus, approbata induſtria in minore
„ negorio. Siquidem quemadmodum futu-
„ ro Imperatori neceſſaria ſunt exercitia
„ venatoria; ſic admovendis ad curam rei-
„ publicæ proprie paſtoralis ars congruit,
„ velut præludium quoddam magiſtratuum.

DISQUISITIONES IN CAPUT III.

QUatuor ſunt potiſſimum hoc in capite notanda. *Primo*, mirabilis Dei in ardente rubo apparitio. *Secundo*, Moſis vocatio & delegatio ad Pharaonem. *Tertio*, proprii nominis Dei declaratio. *Quarto*, inſtructio Moſi data de rebus in illa delegatione peragendis, deque illius eventu. Jam pene quadraginta annos egerat Moſes in paſcendis ovibus Raguelis ſoceri ſui dum certa quadam die, *ſive* ut ab aliis paſtoribus ſeceſſum faceret, liberiuſque rerum divinarum contemplationi vacaret: *ſive* ut pinguiora ſuis ovibus paſcua quæreret, *cum minaſſet gregem ad interiora deſerti, venit ad montem Dei Horeb*: qui dictus eſt etiam *Sinai*, ut conſtat ex S. Stephano, *apparuit illi in deſerto montis Sina*; adeo ut unus idemque mons duas habuerit appellationes, ratione duplicis illius collis, & verticis; quorum altior dictus eſt *Sinai*: demiſſior vero, *Horeb*. Uterque autem illuſtrabatur nomine *Dei*, non ſolum hic, ſed etiam 3. Reg. c. 9. ubi de Elia dicitur, *ambulavit..... uſque ad montem Dei Horeb*. Sive, inquit Joſephus, *quod vulgato rumore Numen illic habitaret, paſtoribus hactenus inacceſſum ob religionem loci*. Quod etiam confirmatur ex hujus capitis *verſu* 5. ubi Deus Moſem ad montem aſcendentem compellat his verbis: *Ne appropies huc: ſolve calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt*. Sive propter utriuſque celſitudinem; ſolet enim Scriptura res præcellentes inſignire nomine Dei; *ſic cedri Dei, viri Dei, montes Dei &c. ſive*, ut veriſimilius arbitror, quod in illo monte Deus perſæpe apparuerit, Moſi legem dederit, ſuamque divinam majeſtatem, & gloriam illi manifeſtaverit.

Cum autem ad hujus montis radices conſiſteret Moſes, *apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi*: & (Moſes) *videbat quod rubus arderet, & non combureretur*. Quam hiſtoriam ſic deſcribit Philo, *Rubus*, inquit, *ibi erat frutex, ſpinoſus & invalidus, is nemine ignem admoneate, ſubito incenſus eſt, correptuſque totus a radicibus, uſque ad cacumen, flamma in morem fontis ſcatente; manebatque integer & illæſus, quaſi non eſſet incendii materia; ſed ipſe ab igne aleretur*.

QUÆRITUR I.

Cur Deus potius voluerit apparere in rubo, quam in præcelſa arbore, aut altero in loco.

REſpondeo, quod etſi alia congruentior non poteſt proferri ratio, quam ſuprema Dei voluntas, id nobis deberet eſſe ſatis: nihilominus Hebræorum doctiſſimus Philo hanc profert, quod *portendebat non perituros, qui affligebantur, inimicorum violentia: ſed conatum horum fore irritum; illos vero evaſuros incolumes* &c. Eadem his verbis complectitur Theodoretus, qui quærens quid ſibi vult, *ardere rubum*, & *non exuri?* ait, ſignificari *Hebræorum populum Ægyptiorum injuriis appetitum, non fore ſubjugandum: ſed adverſariis ſuperiorem futurum*.

Poſſunt & plures aliæ iſtius apparitionis in medio rubi ardentis proferri myſticæ & ſymbolicæ expoſitiones. I. Quod figura fuerit Chriſti D. qui propter nimiam charitatem qua dilexit nos, & vere divino erga humanum genus amoris igne totus inardeſcens, ſpinis coronari voluit, ut nos e Dæmonum captivitate redimeret

II. Fuit ſymbolum Eccleſiæ, quæ ut ſcribit S. Hieronymus. *Flammis perſecutionum non conficitur, nec deficit, ſed viget magis, ac viret*.

Tertiam addit S. Gregorius: quod rubus ardens & non abſumptus, præfigurabat legem Moſaicam, quæ demonſtrabat quidem peccata: peccatorum vero ſpinas non conſumebat: *Per ſuccenſum rubum*, inquit, *Moſem alloquens Deus, quid aliud oſtendit, niſi quod eius populi ductor fieret, qui & legis flammam conſpiceret, & tamen peccati ſpinam nequaquam vitaret?* Mitto plurimas alias morales eiuſmodi expoſitiones, quæ paſſim apud Patres & ſacros Interpretes occurrunt.

Huius rubi ſine conſumptione ardentis prodigium ſic deſcribit Sedulius.

Ignibus innocuis flagrans apparuit olim
Non ardens ardere rubus, nec juncta calori
Materies alimenta dabat, nec torrida vivens
Senſit damna frutex: ſed amici fomitis æſtu
Frondea blanditæ lambebant robora flammæ.

QUÆRITUR II.

Quis fuerit, qui ex rubo Moſem alloquutus eſt: an Deus an Angelus.

TRiplex potiſſimum occurrit hac de re Interpretum ſententia: ſunt enim qui Angelum creatum fuiſſe putant hac ratione, quod ubi Vulgatus Interpres habet: *apparuit ei Dominus*, Hebræus textus fert: *apparuit ei Angelus Jehovæ*. Quod confirmat S. Stephanus Act. 7. v. 30. ubi de Moſe ſermonem faciens ait: *Apparuit illi in deſerto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi*: quod repetit v. 38.

Plurimi vero ſunt e veteribus Eccleſiæ Doctoribus, qui putant eum, qui apparuit, fuiſſe filium Dei, qui (ut diximus) ſæpiſſime Patriarchis apparuit, ut futuræ ſuæ Incarnationis, & cum hominibus converſationis præludium faceret. Ita *S. Juſtinus* a, S. *Hilarius* b, *S. Baſilius* c, *S. Athanaſius* d, S. *Chryſoſtomus* e, *S. Ambroſius* f, & S. *Auguſtinus* g: *In hoc loco Exodi*, inquit, *ille*, *qui apparuit Moſi primo Angelus Domini dictus eſt, deinde appellatur Deus: numquid ergo Angelus eſt Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob ut ibi dicitur? Poteſt ergo recte intelligi & ipſe Salvator.*

a *In Apol.* 2.
b *lib.* 4. & 5. *de Trinitate.*
c *lib.* 2. & 4. *contra Eunomium.*
d *Orat.* 4. *cont. Arianos.*
e *In cap.* 67.
f *Lib.* 1. *de fide.*
g *Lib.* 2. *de Trin. cap.* 12

Sed præ cæteris audiendus eſt Theodoretus, qui *quæſt.* 5. *in Exodum*, ex profeſſo docet, eum, qui Moſi apparuit, fuiſſe non Angelum creatum, ſed Dei Filium; idque probat ex eo quod ille Moſi dixerit: *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob*. Et iterum: *Ego ſum qui ſum*: vocavit autem illum *Angelum*, ut cognoſcamus, quod is qui viſus eſt, non eſt Deus Pater: cujus enim Angelus eſſet pater? ſed quod fuerit unigenitus Filius, qui *magni conſilii eſt Angelus*: quippe qui diſcipulis ſuis dixit: *Omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis*. „ Quemadmodum autem, *inquit*, Angelum vocavit, non quidem miniſtrorum quempiam, ſed perſonam Unigeniti demonſtrare volens: ſic iterum ipſius tum naturam, tum potentiam prædicat, narrans dixiſſe ipſum. *Ego ſum qui ſum: & ego Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob: hoc mihi nomen æternum*, & monimentum generationum. Hæc vero & ſubſtantiam divinam prædicant, & æternitatem demonſtrant. *Sic Theodoretus.*

Sunt tandem, qui docent illum qui apparuit, non fuiſſe quidem Angelum creatum, neque unicam duntaxat divinam Perſonam: ſed ipſam adorandam Trinitatem, ſeu Deum ipſum, qui idcirco Angelus appellatus fuit, quia futura prænunciavit, & quia ſe in ſigno viſibili manifeſtavit, quomodo ſolebant Angeli hominibus apparere.

Hæ autem tres diverſæ ſententiæ poſſunt, meo judicio, ad unitatem revocari, dicendo illas apparitiones factas quidem fuiſſe per Angelos; nec tamen inde ſequi, illos Dei nomen & auctoritatem ſibi vindicaſſe, quaſi Dei vices agerent: ſed Deum ipſum in eis fuiſſe locutum.

Neque mirum videri debet quod Deus loquutus fuerit in Angelis, & per Angelos, cum & ipſi Angeli in hominibus exiſtentes, alios alloquantur Angelos, ut teſtatur Zacharias Propheta. Hanc etiam ſententiam approbaſſe videtur S. Athanaſius in laudata Oratione quarta, ubi vult Deum in Angelo locutum fuiſſe, quemadmodum in columna nubis verba ad Moſem in tabernaculo faciebat; ita quod Angeli ſenſibili quadam ſpecie hominibus apparuerint, Deus autem in eis & per eos fuerit locutus. Inde mirum non eſt quod qui hic apparuit, dixerit ſe Deum Abrahami, Iſaaci & Jacobi, quodque Sacro-Sanctum *Jehovæ* nomen nulli unquam puræ creaturæ conceſſum, ſibi vindicaverit, cum revera Deus eſſet qui per Angelum loquebatur.

Cum itaque Moſes procul conſpexiſſet rubum illum flagrantem, igne tamen innocuo, qui fruticem urendo non conſumebat; prodigio attonitus, novitatis cauſam explorandi cupidine ſtimulatus, propius rem intueri decrevit. At ſtatim Deus e rubo exclamans, eum proprio Moſis nomine ſemel & iterum compellans, jubet ut calceamenta deponat, quod terra, quam calcabat, eſſet ſancta; additque ejus patrum Abrahami, Iſaaci, & Jacobi ſe Deum eſſe; atque Iſraelitici ſui populi ſub dura ſervitute gementis miſertum, eos in terram lacte & melle manantem, toties eorum patribus repromiſſam, deducere velle teſtatur. Quamobrem eum in Ægyptum continuo proficiſci jubet, divinum ex paſtore ad Pharaonem legatum, ut Hebræi populi dimiſſionem impetret. Cum autem ad id minus idoneum dixiſſet ſeſe Moſes, ſpondet Deus ſe illi ad tantum munus obeundum potentia ſua adfuturum; ut Iſraelitarum a tyrannide liberationem miraculis ac prodigiis extorqueat.

Moſes vero, ut inſtructior eſſet in obeundo ſibi injuncto munere, cum delegantis nomine agere & loqui oporteret, requirit ab eo quod eſſet nomen ejus? ut inquirentibus Iſraelitis quis eum delegaſſet, ejus nomen exprimeret; Deus vero ait: *Ego ſum qui ſum: ſic dices filiis Iſrael: qui eſt, miſit me ad vos.*

QUÆ-

QUÆRITUR III.

Cur iſto nomine potiuſquam alio, Deus ſe appellari voluit.

R*Eſpondeo*, quod etſi plurimis nominibus appelletur Deus, quod infinitis dotibus ac præcellentiis illuſtretur; nullum tamen divinæ illius majeſtati congruentius nomen convenit, quam ipſum *Eſſe*: quod, inquit S. Damaſcenus, *ipſi ſit infinitum eſſendi pelagus*, a quo cætera entia velut a fonte rivuli, & a Sole radii emanant. Quamobrem ipſe ſolus vere dicitur *eſſe*: quia a nullo ſuum eſſe mutuatur, ſed a ſe ipſo ab æterno extitit, in æternumque ſtabit, abſque ulla prorſus mutatione & varietate; ut egregie declarat S. Hieronymus in cap. 3. Epiſt. ad Epheſios: „ Loquitur, *inquit*, in Exodo Dominus: *Ego ſum qui ſum*; Et: *Hac dices Filiis Iſrael: Qui eſt, miſit me ad vos*. Nunquid ſolus Deus erat, & cætera non erant? „ Utique Angeli, Cœlum, terra, vel maria, & ipſe Moſes, cui Dominus loquebatur, & Iſrael, & Ægyptii, ad quos „ & contra quos princeps & adverſarius „ mittebatur, erant. Et quomodo nomen „ commune ſubſtantiæ, ſibi proprium vendicat Deus? Illa ut diximus cauſa, quia „ cætera ut ſint, Dei ſumpſere beneficio: „ Deus vero, qui ſemper eſt, nec habet „ aliunde principium, & ipſe ſui origo eſt, „ ſuæque cauſa ſubſtantiæ, non poteſt intelligi aliunde habere quod ſubſiſtit.

Ipſi concinit S. Auguſtinus, vel quiſquis eſt auctor opuſculi in iſta verba: *Ego ſum qui ſum*: „ Ecce, *inquit*, nomen incommutabilitatis; omnia enim quæ mutantur, „ deſinunt eſſe quod erant, & incipiunt eſſe „ quod non erant. Eſſe verum, eſſe ſincerum, eſſe germanum, non habet, niſi qui „ non mutatur. Ille habet eſſe cui dicitur: „ *Mutabis ea, & mutabuntur, tu autem idem ipſe es*. Quid eſt *Ego ſum qui ſum*, niſi „ æternus ſum: niſi mutari non poſſum? „ Nulla creatura, non Cœlum, non terra, „ non Angelus, non virtus, non ſedes, non „ dominationes, non poteſtates, &c.

Unde S. Bernardus: „ Si bonum, ſi magnum, ſi beatum, ſi ſapientem; vel quidquid de Deo tale dixeris, in hoc verbo inſtauratur quod *eſt*, (ſeu ipſum *eſſe*) „ nam hoc eſt ei *eſſe*, quod eſt hæc omnia „ eſſe. Etſi centum talia addas, non receſſiſti ab eſſe; ſi ea dixeris, nihil addidiſti: „ ſi non dixeris, nihil minuiſti. *Hac ille*. At de his plura egimus in noſtro Scoto Academico, ubi probatum eſt genuinum divinitatis caracterem in eo potiſſimum conſiſtere, quod ſit *Ens omnimode infinitum*.

Ut vero convenienti ordine delegationem ſuam obeat Moſes, præſcribit ei Deus ut in Ægyptum reverſus, priuſquam Pharaonem adeat, congreget ſeniores Iſrael, ſuamque delegationem cum delegantis nomine exponat. Ubi *ſeniorum* nomine, non veniunt intelligendi omnes Hebræi ætate provectiores; operoſum namque fuiſſet, atque periculoſum eos omnes in cœtum convocare; ſed intelliguntur Tribuum, & præcipuarum familiarum capita. Quamvis enim dura tyrannide vexarentur Hebræi, nihilominus cum peculiarem locum ſimul incolerent, & religione, ac politia ab Ægyptiis eſſent diſcreti; veriſimile eſt eos aliquod inter ſe a patribus inſtitutum regimen ſervaſſe, quoſdamque habuiſſe Tribuum ac præcipuarum familiarum præfectos, qui ſuborientes lites & contentiones componerent, & jus unicuique dicerent, ut apparebit ex *cap.* 5. *v.* 14. hos ergo convenire jubetur Moſes, ut commiſſum ſibi divinitus negotium exponat, quatenus per eos hoc aliis Iſraelitis manifeſtum fieret. Qua autem ratione hoc executus fuerit Moſes, quæque a Deo certa ſuæ delegationis habuerit indicia, exponit capite ſequenti.

DISQUISITIONES IN CAPUT IV.

RΕcitat hoc capite Moſes quantum ejus animus varias in partes fuerit diſtractus, cum implendæ ſibi divinitus demandatæ legationis diſcrimina cerneret, quibus ſuperandis ſe prorſus imparem exiſtimabat.

Unde modis omnibus onus illud impoſitum excutere niſus eſt; non quidem reluctantis voluntatis pervicacia; ſed mentis ſibi in re difficili conſulentis timiditate & prudentia. Ex parte quidem voluntarius erat ac propenſus ad obſequium: ſed cum arduæ difficultates contra obſiſterent, cenſuit prius non eſſe plane acquieſcendum, quam omnia tentaſſet effugia; & non ſolum verbis, ſed etiam miraculis de futuro ſuſcipiendi miniſterii proſpero eventu fuiſſet confirmatus.

Itaque caput hoc tribus maxime partibus conſtat; in quarum *prima* variæ referuntur Moſis tergiverſationes, & excuſationes ut demandatum officium declinaret. In *ſecunda*, ipſius ad ſocerum ſuum Raguelem ſeu Jethronem reditus. In *tertia* vero illius in Ægyptum profectio, & quæ in via ei contigerint.

QUÆ-

QUÆRITUR I.

Utrum Moſes citra omnem culpam Deo toties fuerit reluctatus.

PEccaſſe videtur. I. Infidelitate, cum aſſenſum non præbuerit Deo in præcedenti capite promittenti Iſraelitas eum benevole & benigne audituros; ait enim Moſes initio hujus capitis: *Non credent mihi, neque audient vocem meam*. II. *Diffidentia*: videtur enim hæſiſſe dubius de veritate & ſinceritate illius apparitionis, an vere divina eſſet, an illuſoria, quippe cum præter verba, quibus Deus obteſtatus fuerat ſe Deum Abrahami &c. Tribus ſignis & miraculis opus fuerit ad id perſuadendum. III. *Maneſeſta inobedientia* & pertinaci reluctantia; etſi enim triplici miraculo perſuaſus eſſet ſe vere a Deo delegatum, nec defuturum ſibi divinum auxilium ut debite munus impoſitum impleret; nihilominus Deo obſtrepens, ait v. 13. *Obſecro Domine, mitte quem miſſurus es*. Quapropter ſubditur *iratus Dominus in Moyſem &c.* Igitur ipſum pertinaciæ & inobedientiæ reum eſſe cenſuit; neque enim iraſcitur Deus, niſi adverſus peccatores, & divinis ſuis mandatis obluctantes.

Reſpondeo, quod etſi quidam Hebræi Doctores aſſeverare fuerint auſi cum Rabbi Salomone, his in tergiverſationibus Moſem graviter peccaſſe; ac propterea interdictum fuiſſe ei ingreſſum in terram promiſſionis, atque etiam privatum dignitate ac poteſtate ſacerdotali ac pontificali, quæ ab eo ad fratrem eius Aaronem translata eſt.

Nihilominus ipſum aut nihil animo, aut leviſſime duntaxat peccaſſe argumento eſt, quod munere ſibi demandato non fuerit orbatus, ſed in eo prodigiis ac miraculis confirmatus: Tametſi enim omnes tergiverſandi modos captaverit, ut onus ſibi impoſitum averteret; attamen non habuit in animo imperium detrectare; ſed impoſiti oneris gravitatem reformidans, viriumque ſuarum imbecillitatem attendens, ſe tanto muneri obeundo prorſus imparem & indignum ex profundiſſima humilitate exſtimavit: quod utique vitioſum non erat; imo laudabile. Nemo enim culpandum cenſuerit Jeremiam, quod Deo illum ad arguenda ſui populi ſcelera deleganti dixerit, cap. 1. *A, a, a, Domine Deus, ecce neſcio loqui quia puer ego ſum*.

. Ad rationes autem in oppoſitum productas facilis eſt reſponſio. *Ad primam* quidem, & *ſecundam*, quia dum ait Moſes: *Non audient &c.* non attendebat ad id quod dixerat Deus: *Audient &c.* locutus enim fuerat Deus de ſenioribus, ſeu præfectis Iſraelitarum, quos cum Moſes ſciret eſſe egregios Dei cultores, atque memores eorum quæ Deus prædixerat Abrahamo; ſemen ejus ſerviturum & afflictum iri in terra aliena, ſed tandem ex ſervitute liberandum, & reverſurum in terram promiſſionis, dubius non erat, quin ipſi lubenti animo audirent jam adeſſe tempus illud tamdiu deſideratum, ut a dira Pharaonis tyrannide liberati, iſtius divinæ promiſſionis tandem fierent compotes. Sed loquebatur Moſes de Hebræorum Vulgo, quod cum noverat ignavum eſſe, incredulum, & duræ cervicis, non temere judicavit hujuſmodi homines fidem verbis ſuis non facturos, niſi multis & admirandis prodigiis ad id moverentur.

Unde ſigna illa non expectabat ex diffidentia & incertitudine divinæ revelationis: ſed ex prudentia ac præcautione; nimirum ut ſignis demonſtrare poſſet miſſionem ſuam vere divinam eſſe. Sciebat enim non eſſe credendum cuilibet venditanti ſe miſſum a Deo, niſi miſſionis ſuæ extraordinariæ argumentum præbeat per ſigna & prodigia, quæ ſunt veluti diplomata, & ſigilla divinæ miſſionis: conſulto dixit, ſolis ipſius verbis Iſraelitas fidem non eſſe habituros, niſi prodigiis ad id moverentur.

Neque id improbavit Deus, quippe qui exemplo triplex miraculum ediderit, vertendo Moſis virgam in ſerpentem, & rurſus ſerpentem in virgam; deinde manum ipſius in ſinum appoſitam lepra inficiendo, & iterum in ſinum reductam priorem in ſtatum reſtituendo; quod utique non præſtitiſſet Deus, ſi revera Moſis excuſationem ingratam habuiſſet.

Ad tertiam vero objectionem, dico duplicem in Deo diſtinguendam eſſe iram; unam qua adverſus peccatores movetur, ut eos puniat officio judicis: alteram paterno affectu juſtos increpat, ſicut pater filios, ut illos ad officium provocet. Prior, indignationem habet adjunctam, eſtque prævaricationis indicium: poſterior vero amicitiam non ſolvit, ſed confirmat, utpore quæ proveniat ex affectu patris: & magiſtri erudientis filios ac diſcipulos, quatenus majori cum alacritate & vigilantia injuncto ſibi munere fungantur.

Quod autem Moſes in iſtis Deo pertinaciter non fuerit obluctatus, ſed tantum ut diſcipulis & fidelis ſervus de rebus gerendis apprime informari voluerit; apparet primo ex eo quod nullam ipſi pœnam inflixerit, nec delegationem injunctam revocaverit, imo confirmaverit, adjuncto ei in coadjutorem & comitem fratre Aarone. Secundo ex eo quod Deo jubenti ut ſerpentis ex virga facti, ad cujus conſpectum metu conſternatus nuper fugerat, caudam manu premeret confeſtim obtemperaverit; quod utique ſignum fuit fidelis ſuæ in Deum obſervantiæ; ac proinde ejus tergiverſationes & excuſationes non alteri quam ejus humilitati ſunt adſcribendæ: quod nempe ſe tanto muneri debite exequendo ſufficientem non eſſe judicaret.

Petes, quid indicare voluerit Moſes, cum, ut delegationem declinaret, dixit v. 10. *Non ſum eloquens ab heri & nudius tertius: &*

ex

ex quo locutus es ad ſervum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ ſum.

Vulgo reſpondent Interpretes his ſignificari Moſem laboraſſe defectu linguæ & ſermonis; ſive quod a natura non eſſet comparatus ad ſermonis elegantiam; ſive quod balbus eſſet, & tardus ad loquendum; quod utique ingenitum impedimentum, cum ex colloquio & ſermone cum Deo, qui linguas infantium facit diſertas, non eſſet ſublatum nec imminutum; imo auctum & aggravatum, merito ait: *Ex quo locutus es ad ſervum tuum, impeditioris & tardioris linguæ ſum:* ac ſi Moſes hac divina viſione perterritus majorem contraxiſſet loquendi difficultatem.

Sunt enim plurima ſanctorum exempla, quibus manifeſtum fit, ex divinis apparitionibus & colloquiis homines tanto terrore corripi, ut in eis deficiant corporis vires, & penitus concidant. Sic Daniel cap. 10. v. 8. cum retuliſſet viſionem ſibi divinitus factam, ait: *Non remanſit in me fortitudo, ſed & ſpecies mea immutata eſt in me, & emarcui; nec habui quidquam virium.* Septuaginta Interpretes, pro *impeditioris linguæ*, vertunt, *gracili voce*, id eſt, valde exili, ac tenui, quæ audiri non poſſet a numeroſiſſimo populo.

Cenſerem ego Moſem iſtis verbis ſignificari voluiſſe aptum ſe non eſſe ad iſtam legationem debite implendam, quod facundus non eſſet & eloquens, qualem illum oportebat eſſe, qui in aula regia coram principe, ejuſque magnaribus divina juſſa ſignificaret: hanc enim expoſitionem confirmare videtur Deus, cum ait v. 14. *Aaron frater tuus Levites, ſcio quod eloquens ſit.... ipſe loquetur pro te ad populum: & ipſe erit os tuum: tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent:* quibus verbis inquit S. Auguſtinus, *ſatis indicat in Moyſe principatum, in Aarone miniſterium:* adeo ut Aaron ſequeſter eſſet, & veluti medius Moſem inter & populum; Moſes vero Deum inter & Aaronem; ita quod Moſes a Deo, quæ agenda eſſent acciperet; Aaron vero divina iſta oracula a Moſe audiret, populo proponenda. Sicque Moſes erat velut os Dei erga Aaronem: Aaron vero os Moſis erga populum: Ille ut princeps imperabat; hic ut miniſter exequebatur.

Cur autem Deus voluerit hominem rudiodioris ſermonis in ſuum legatum aſſumere, divino id ſactum eſſe conſilio docet Theodoretus; nimirum, ut admiranda Hebræorum liberatio non Moſis eloquentiæ, ſed Dei omnipotentiæ tribueretur: *Cum Deus*, inquit, *miniſterio eſſet uſurus Moſis, cur eum exilis vocis, & tardioris linguæ fecit? Quoniam iſtud potentiam Dei magis illuſtrabat. Quemadmodum enim piſcatores, publicanos, & cerdones, veritatis prædicatores, & doctores pietatis creavit: ſic per vocem infirmam, & linguam tardam confundit ſapientes Ægypti,*

QUÆRITUR II.

Quid indicent ſigna, quæ coram Moſe edidit Deus.

Reſpondeo; iſtorum duplicem eſſe ſenſum, litteralem, & myſticum: virga ſeu baculus paſtoralis in ſerpentem converſus ſignificabat Moſem, quamvis ſimplicem ovium cuſtodem, ſoloque armatum paſtorali pedo; licet deſtitutum opibus & potentia, fore tamen terribilem Pharaoni; adeo ut non eſſet opus numeroſo militum agmine Iſraelitici populi ab Ægyptiaca ſervitute liberationem meditanti, cum ad conſpectum ſolius baculi expaveſcere deberet Pharao: neque opus eſſet baculum iſtum agitari & valde concuti, quia ſimplici ſua in terram jactatione, vel erectione in cœlum, ſtupenda prodigia erat patraturus. Reſtitutio autem baculi ex ſerpente priorem formam, indicium erat Moſi, hoſtibus ſuis ipſum infeſtum fore ac damnoſum; ipſis vero præſidio & utilitati eſſe futurum.

Manus autem primum leproſa, deinde ſana repræſentabat ſtatum Hebræorum diris & cruentis laboribus vexatorum brevi in libertatem reſtituendum.

Aquæ autem fluminis in ſanguinem convertendæ præſignabant Deum vindicem fore ſanguinis infantium Hebræorum, qui ab Ægyptiis in iſtius fluminis aquis crudeliſſime fuerant ſuffocati.

Myſtice autem virga crucis myſterium præferebat, ait S. Auguſtinus: „ Sicut enim „ *inquit*, per virgam Ægyptus decem pla„ gis percutitur; ita per crucem Domini „ totus mundus humiliatur, & vincitur. „ Et ſicut Pharao & Populus ejus per vir„ gæ ſacramentum affligitur, ut ad ſerviendum Deo dimittat populum Hebræum; „ ita & Diabolus & Angeli ejus per cru„ cis myſterium conſtringuntur & premun„ tur, ut a Dei ſervitio revocare non poſ„ ſint populum Chriſtianorum.

Cum autem ſerpentes ſymbola ſint prudentiæ, dicente Chriſto Domino Matth. 10. *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes*, virga in terram conjecta, & in ſerpentem converſa figurabat Chriſti crucem & paſſionem primum quidem fore Judæis in ſcandalum, Gentibus autem in ſtultitiam; deinde vero ſtultitiam hanc illuſtriorem fore omni mundana ſapientia, utpote cum Chriſti D. crux ab omnibus eſſet adoranda.

Manus autem primum ſana, deinde leproſa. & rurſus in integrum reſtituta, inquit Theodoretus, repræſentabat ſtatum familiæ Jacobi, quæ in Ægypto exiſtens pietatem quam a ſuis majoribus hauſerat, quæque illibata perſeveravit quandiu in vivis fuere Joſephus, ejuſque fratres; ſed quæ, illis vita functis, cœperat infici pravis moribus Ægyptiorum; quorum vero a ſervitute liberata priſtinam religionem, & verum Dei cultum erat reſumptura.

Duo

Duo priora ſigna exhibuit Deus in monte Horeb; tertium autem, ſcilicet converſionem aquæ fluminis in ſanguinem, peragendum commiſit Moſi in Iſraelitarum & Pharaonis præſentia, una cum aliis portentis & miraculis quæ erat in Ægypto patraturus.

His itaque prodigiis, & Dei verbis confirmatus Moſes, reverſus eſt ad ſocerum ſuum, qui prius dictus *Raguel*, hic apellatur *Jetro;* erat enim binominis. Eum autem conveniens rogavit ut ſibi licentiam faceret revertendi in Ægyptum: *Vadam*, inquit, *& revertar ad fratres meos in Ægyptum, ut videam ſi adhuc vivant*. Noluit autem ei indicare divinam ſibi factam viſionem, neque injunctum ſibi a Deo præceptum revertendi in Ægyptum, ut populares ſuos Iſraelitas inde deduceret; forte quia id non crederet Jetro, putaretque Moſem velle ipſi imponere, & uxorem ſuam ac filios, non reverſurus, abducere.

Deus autem ſic Jetronis animum inflexit, ut Moſis poſtulationi acquieſceret; ait namque: *Vade in pace*. v. 20. Accepta autem hac eundi licentia: *Tulit Moyſes uxorem ſuam, & filios ſuos, & impoſuit eos ſuper aſinum, reverſuſque eſt in Ægyptum, portans virgam Dei in manu ſua*. Pedum ſuum paſtorale, ſeu baculum appellat Moſes *Virgam Domini* quæ prius ipſius Moſis erat, dum ei ad communes uſus inſerviret; cum autem deinceps inſervire deberet ad uſus divinos, plurimaque patranda prodigia, idcirco appellatur *Virga Domini*.

Pergit itaque Moſes cum ſua familia, & tendit verſus Ægyptum. Cum autem eſſet in diverſorio, *Occurit ei Dominus, &c. volebat eum occidere*.

QUÆRITUR III.

Qua de cauſa, & cui mors iſta fuerit intentata.

EX orationis contextu apparet maniſeſte Deum, non alium quam Moſem interficere voluiſſe; cum enim antea de nullo alio, præterquam de Moſe actum fuerit, qui itineri ex Dei mandato ſe commiſerat, non poſſunt de alio hæc verba, *Cumque eſſet in diverſorio &c.* quam de Moſe intelligi; relativum enim ſequens, non alium, quam de quo factus fuerat ſermo, ſpectare poteſt. Unde minus textui convenit expoſitio Tertulliani, S. Auguſtini, & aliorum exiſtimantium mortem illam intentatam fuiſſe Moſis filio, quod eſſet incircumciſus; de hoc enim filio nullus antea fuit ſermo.

Quam autem ob cauſam Deus Moſem voluerit occidere, etſi textus non exprimit, tamen ex conſequentibus judicium facere licet. Cur enim accepto acuto lapide filium circumcidit Sephora, niſi quod ſciebat Deum præputio eſſe offenſum?

Divinant quidem Rabbini Moſem idcirco hanc in ſe divinam vindictam provocaſſe, quod uxorem & filios ſecum duceret, inutilem ſarcinam, & quæ implendo divinæ ſibi commiſſæ legationis muneri futura eſſet impedimento.

Ita quoque opinati ſunt uterque Euſebius Emiſſenus & Cæſarienſis, necnon S. Auguſtinus qui expendens præfata Exodi verba, ait: „ Diſplicuiſſe Deo quod Moſes tanta facturus mirabilia, uxoris impedimentum ſecum ducere voluerit in Ægyptum. „ Unde datur intelligi, quod ex illo loco „ remiſerit uxorem ad ſocerum, quam tamen ille poſtea ad Moſen in deſerto verſantem reduxit. *Sic ibi.* Et in quæſt. 12. „ in Exodum: Quomodo, *inquit*, dicitur hic „ Moſen uxorem & filios duxiſſe in Ægyptum, cum infra ſcriptum ſit, Jethro ſocerum ejus cum jam Moſes populum „ eduxiſſet ex Ægypto, duxiſſe ad eum „ uxorem, & filios ejus? Sed intelligendum „ eſt, poſt illam quæ ab Angelo futura erat, „ interfectionem Moſis vel infantis, reverſam fuiſſe uxorem cum filiis. Nam quidam putaverunt ob id Angelum terruiſſe, „ ne ad id impedimentum miniſterii, quod „ divinitus impoſitum Moſes gerebat, fœmineus ſexus comitaretur. *Hæc S. Auguſtinus*.

Verum ſi fuiſſet hæc declinandæ mortis cauſa, cur ad eam avertendam opus erat tanta feſtinantia filium circumcidere? Nonne præſtabat uxorem cum liberis extemplo ad ſocerum remittere, donec abſolutum fuiſſet legationis miniſterium?

Refert Origenes Judæos exiſtimare Circumciſionem nullam habere vim contra Angelum exterminatorem incirconciſorum, niſi facta fuerit octavo die a nativitate. Ideoque Moſem in vitæ periculum veniſſe, quod neglexiſſet filium ſuum circumcidere octavo die, quemadmodum lege ſancitum fuerat ab Abrahami temporibus in Iſraelitico populo.

Cur autem tempore præfixo Eliezerem ſecundum filium non circumciderit; putant aliqui cauſam fuiſſe, quod ille adhuc eſſet recens natus, dum iter fuit ineundum; ac propterea periculum erat, ne ob inflictum Circumciſionis vulnus, in via deficeret. At veriſimile non eſt Moſem voluiſſe uxorem ſuam viæ committere octavum a partu diem agentem. Si autem expectandum fuit donec illa vires reſumpſiſſet, potuiſſet interea infans circumcidi, & convaleſcere. Quidquid ſit, oportuit Moſem eſſe in culpa, & aliam ob cauſam, minus Deo probatam dilatam fuiſſe Eliezeris Circumciſionem.

Quæ vero fuerit illa cauſa illius procraſtinationis, alia mihi non occurrit probabilior, quam nimia Moſis erga uxorem complacentia. Forte enim accidit, quod circumciſus primus filius graves exinde paſſus ſit dolores; & propterea in vitæ periculum venerit. Unde mater Sephora timens ne idem ſecundo natu filio contingeret, conſentire no-

noluit ut alius circumcideretur: Moſes vero, cum eſſet miriſſimus, noluerit uxorem contriſtari: maxime cum illa apud ſuos ageret; cenſuitque expectandum donec vel illam permovere poſſet: vel poſtquam rediiſſet ad Iſraelitas, quibus erat familiaris, infantium recens-natorum Circumciſio, ut id commodius exequeretur. At cum Deus diutius procraſtinandum non judicaſſet, intentata Moſi morte, Sephoram excitare voluit ad continuo circumcidendum filium, ut imminentem conjugi mortem averteret. In eo ergo videtur Moſes divinam in ſe vindictam provocaſſe, quod ut domeſticæ paci & tranquillitati conſuleret, paulo negligentius ſe geſſerit in exequendo divino mandato.

Utut ſit, Sephora ſciens maritum ſuum in vitæ periculo verſari, quod puer eſſet incircumciſus; *Tulit illico acutiſſimam petram, & circumcidit præputium filii ſui.* verſ. 25. Cur autem non cultrum aliquem ex ferro, aut chalybe confectum, ſed acutum lapidem ad hanc expeditionem aſſumpſerit; alia mihi non occurrit ratio, quam quod ſciret hoc in more apud Hebræos eſſe poſitum, vidiſſetque a Moſe in Circumciſione primi filii idipſum factum.

Quod autem ea fuerit apud Hebræos conſuetudo, apparet ex eo quod Deus imperans Joſue ut curaret omiſſam per 40. annos ab Iſraelitis Circumciſionem propter continuas illorum migrationes, in introitu terræ promiſſionis fieri; ait, *Fac tibi cultros lapideos, & circumcide filios Iſrael.* Inde eſt quod Dæmon ſuis cultoribus ſimilem ritum inſtillavit: qui enim Cibele inanium Deorum fictitiæ parenti miniſtrabant Sacerdotes, non alii quam teſta abſciſſi admittebantur, ut refert Juvenalis.

Bellonæ, matriſque Deum chorus intrat, & ingens
Semivir, obcœno facies reverenda minori,
Mollia qui rupta ſecuit genitalia teſta.

Cur autem teſta, ſeu acuta petra potiusquam inſtrumento ferreo in iſta abſciſſione uterentur, hanc rationem addit Plinius, quod vulnus facilius curaretur; *Samia teſta*, inquit, *matris Deorum Sacerdotes, qui Galli vocantur, virilitatem amputant; nec aliter citra perniciem*. At aliam hujuſce ritus ſignificationem ſacri proferunt Interpretes, nempe idcirco factum fuiſſe Circumciſionem a Judæis per acutam petram, quod præfiguraretur Chriſtus D. vera *petra*; cujus beneficio & gratia fit ſpiritalis hominis Circumciſio, & per quem impletur id quod prædixerat Moſes: *Circumcidet Dominus Deus cor tuum, & cor ſeminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua.*

Petes I. Cur Sephora hoc Circumciſionis officium ſolis viris demandatum uſurpaverit?

Reſpondeo, non aliam mihi hujus facti rationem apparere, quam quia videbat maritum ſuum in vitæ periculo verſari, ſciretque non alia de cauſa mortem ipſi intentari, quam ob neglectam filii Circumciſionem, cui ipſa obſtiterat.

At quidquid ſit, certum eſt a Deo factum iſtud non fuiſſe improbatum, quippe cum Moſes ſalvus evaſerit; & interim præceperit Deus Aaroni in Ægypto exiſtenti, ut fratri ſuo Moſi iret obviam, eique occurreret in monte Horeb: quatenus ſimul irent in Ægyptum, convenirentque Iſraelitarum ſeniores & præfectos, quibus tam verbis quam ſignis ſuaderent jam adeſſe tempus proximæ eorum liberationis. Quod executioni mandarunt, ut videre eſt circa finem præſentis capitis.

Petes II. Ad quem dirigantur hæc Sephoræ, poſtquam ſuum filium circumcidit, verba v. 25. *Sponſus ſanguinum tu mihi es.*

Reſpondent RR. Aben-Eſra *hic*, & Kimchi *lib. radic.* illa dirigi ad filium recens circumciſum, quem Hebrææ mulieres *ſponſi* nomine appellare ſolebant. Communior tamen ſententia eſt illis verbis Sephoram compellaſſe Moſem: at quo animo? iratone, an gratulanti? primum affirmant nonnulli *hic*, dicentes Sephoram iratam Moſi ſuccenſuiſſe, quod in cauſa eſſet, cur illa puerulum ejulantem vulneraſſet. Verum ea verba non fuiſſe prolata a Sephora irata & indignante; ſed amica & gratulante, apparet ex textu in quo refertur Moſem exinde a periculo eſſe liberatum, & reconciliatum Deo. Unde hæc verba, *tetigitque pedes ejus, & ait: ſponſus ſanguinum* &c. hunc videntur habere ſenſum, quod Sephora præputium abſciſſum projiciens ad Moſis pedes, dixerit: En Arrha qua te denuo ſponſum & maritum acquiro, tibique iterum ſanguine filii mei ob divinum fœdus effuſo, & qui tibi vitam aſſeruit, ferventiori amore conjugali devincior. *Seu*, ſanguis filii mei in ſua circumciſione factus eſt ſalus patris ſui, & ſponſi quem mihi dedit Deus. *Vel* jam te ſponſum meum eram amiſſura, niſi te ſanguine filii mei redemiſſem.

Paraphraſtes Chaldæus præfata verba ſic exponit: „ Tulitque Sephora petram, & cir-
„ cumcidit præputium filii ſui, & obtulit
„ coram Angelo, & dixit, propter ſangui-
„ nem circumciſionis hujus, detur ſponſus
„ mihi. Et cum quieviſſet ab eo, tunc di-
„ xit: niſi ſanguis Circumciſionis hujus
„ (fuſus fuiſſet) condemnatus erat ſponſus
„ ad mortem.

Additur v. 26. *Et dimiſit eum poſtquam dixerat, ſponſus ſanguinum, ob Circumciſionem.* Quibus verbis ſignificatur tunc Sephoram cum duobus filiis reverſam eſſe ad patrem ſuum Raguelem, apud quem remanſit donec Jethro illam cum duobus filiis ſuis deduxit ad Moſem in deſerto Sinai cum univerſo populo Iſraelitico degentem, ut docet S. Auguſtinus; *Intelligendum eſt*, inquit, *poſt illam, quæ ab Angelo futura, interfectionem Moyſis vel infantis* (Sephoram) *reverſam fuiſſe cum parvulis. Nam quidam putaverunt propter hoc Angelum terruiſſe; ne ad impedimentum miniſterii, quod divinitus impoſitum Moyſes gerebat, fœmineus ſexus comitaretur.*

In-

Interea Deus præcepit Aaroni conſiſtenri in Ægypto, ut iret obviam fratri ſuo Moſi, eumque conveniret in deſerto montis Sinai: *Qui perrexit obviam ei in montem Dei, & oſculatus eſt eum*. Montem Dei appellat montem Horeb ſeu Sinai, qui, ut dictum eſt, appellatus eſt mons Dei, propter vatias Dei ibidem apparitiones.

Cum itaque hoc in monte Aaron occurriſſet Moſi proficiſcenti in Ægyptum, ſimul illuc perrexerunr, & congregatis cunctis ſenioribus Iſrael, ipſis denuntiarunt quæ Deus Moſi mandaverat. Ut autem ea confirmaret Moſes: *Fecit ſigna coram populo; & credidit populus. Audieruntque quod viſitaſſet Dominus filios Iſrael, & quod reſpexiſſet afflictionem eorum: & proni adoraverunt.*

DISQUISITIONES IN CAPUT V.

HOC in capite incipit Moſes exponere ſuæ ad Pharaonem legationis exurdium & eventum; triaque potiſſimum memorat. I. Pharaonis indomabilem obſtinationem & ſuperbiam, illiuſque horrendum Dei contemptum. Cum enim audiiſſet Moſem & Aarnnem eum adhortantes ex parte Dei Iſrael, ut dimitteret populum Hebræorum ipſi ſacrificaturum in deſerto, impiiſſime toſpondit: *Quis eſt Dominus, ut audiam vocem ejus, & dimittam Iſrael? neſcio Dominum, & Iſrael non dimittam*. II. Crudele ipſius Pharaonis conſilium, de aggravando Iſraelitarum jugo, quod & opere complevit. III. Hebræorum præfectorum adverſus Moſem & Aaronem querimoniam, quod eſſent in cauſa cur eorum oppreſſio ingraveſceret.

QUÆRITUR I.

Cur tot inſtantiis, ac prodigiis Hebræorum libertatem a Pharaone Deus voluerit ſollicitare, & obtinere.

POterant quidem Iſraelitæ dimiſſionem ſuam abſolute a Pharaone poſtulare, cum jure hoſpitii rantum ſe ad tempus Ægypti principibus ſubjeciſſent; habitaſſentque in Ægypto, non ut municipes, ſed ut peregtini: nec, ſi hoc abſolute petiiſſenr, juſtam habuiſſet Pharao denegandi cauſam. Sed quia jam a longo tempore mancipati eranr Ægyptiis, ea petitio fuiſſet obnoxia multis exceptionibus, & conveniens fuit facultatem exeundi in perpetuum non poſtulare, ſed duntaxat ad tempus, idque religionis & pietaris prætextu, ut Pharaonis animum tenrarent. Si enim exitum duntaxat ad modicum rempus (Deo ſacrificandi cauſa) non permitteret, inde facile conjiceretur illum plenariam libertatem non eſſe conceſſurum. Inde pariter appareret major ipſius Pharaonis iniquitas, & inexcuſabilis tyrannis, quod ne tantillum quidem otii permittere vellet hoſpitibus inique mancipatis, ut cultui Dei vacarent.

Inſuper voluit Deus cum obſtinato Rege tot modis agere, ut ſpendidior eſſet de illius pertinacia & malignitare victoria: quandoquidem ſi ſponte, & ad primam inſtantiam ceſſiſſet Pharao, non tam illuſtris fuiſſet divinæ virtutis manifeſtatio.

Voluit præterea extare hoc celebre divini ſui erga electum populum amoris argumentum; quia tam ſæpe, tamque valide cum potentiſſimi Regis pertinacia certando, quanri cultores ſuos faceret, non obſcure probavir.

Voluit pariter oſtendere contra omnes Satanæ & impiorum conatus manum ſuam ſemper fore victricem, omneſque juſtorum perſecutiones tandem expugnandas.

Poſtremo voluit Pharaonem & Ægyptios convincere, eorum exterminium non in aliam cauſam, quam in eorum pertinacem tyrannidem & impietatem eſſe refundendam.

At, *inquies*, cum Moſes & Aaron a Deo in mandatis haberent non ſolum ad modicum tempus, ſed in perpetuum educere Hebræos ex Ægypto, eoſque deducere in terram Chanaan; non potuerunt ſine dolo & aliqua fraude commeatum petere duntaxat ad tres dies, ſacrificandi cauſa. *Reſpondet* S. Auguſtinus, Deum voluiſſe a Pharaone poſtulari rantum triduanam profectionem in deſertum, quam ſciebat ipſum nequaquam conceſſurum; quo clarius videlicet appareret inhumanitas & obſtinata malitia Regis, tam facili & juſtæ petitioni ſuperbe tepugnantis.

Non ſunt autem reprehendendi Moſes & Aaron, quod Pharaoni conſilium ſuum de educendo abſolute populo oon expoſuerint; quia ad hoc jure non tenebantur, præeunte præſertim inſtructione divina, qua juſſi ſunt dicere Pharaoni populum iturum viam trium dierum in ſolitudine ad ſacrificandum: juſſi vero non erant dicere, populum illum non eſſe reverſurum: Cumque de eo dubitaret Pharao, ut refertur infra *cap.* 10. *v.* 27. nihil ad ejus interrogationem reſpondit Moſes, quod nec mentiri vellet, nec æquivocarionibus eum ludere: ſed potius cenſuit tacendum, quam contra mentem loquendum.

QUÆRITUR II.

Cum ſingulis hominibus ingenita ſit exiſtentiæ Dei notitia, qua ratione Pharao dixerit ſe Deum neſcire.

SUnt qui affirmant Pharaonem illum tanta impietate fuiſſe dementatum, ut, nullum numen agnoverit. Verum cum Moſes & Aaron ipſum Pharaonem conveniſſent non tantum nomine Dei, ſed nomine *Domini Dei Iſrael* imperantis ut Hebræos dimitteret; cum hunc verum Deum non venetatetur Pharao, ſed cum aliis Ægyptiis infinita coleret idola, impie reſpondit, ſe non agnoſcere illum Iſraelitarum Deum; non quod de eo nihil unquam audiiſſet, ſciebat enim Joſephum Ægypti Salvatorem ſemper illi vero Deo fuiſſe devotum, omneſque, aut ſaltem plurimos Iſraelitas, quos vexabat, illius eſſe cultores. Sed ait ſe neſcire Dominum, quod nec debitum ei cultum & honorem impenderet; nec ejus mandato, quo jubebat dimittendos Hebræos, parere vellet.

In quo certe apparet ſumma Dei benignitas & patientia, qui quamvis uno momento potuiſſet blaſphemum & ſuperbum illum principem perdere; tamen id noluit, niſi decurſu temporis exequi, & poſt varias conſultationes, ut inde manifeſtior fieret ejus juſtitia,

Interim hic obſervandum eſt, quantum Moſes fuerit muratus ab ſeipſo, cum vocationem & legationem ſuam detrectaret; tunc enim in ſuas infirmitates nimium intentus, divinum mandatum refugiebat; nunc autem, omnibus poſthabitis, conſtanter Pharaonem tyrannum adit, maximo cum fidei robore, eique proponere non reformidat, quæ non ſolum ſpectabant ad detrimentum & imminutionem regiorum vectigalium; ſed etiam ad arguendam ipſius Regis tyrannidem, & damnandam Ægyptiorum ſuperſtitionem, eorumque cæremoniarum & ſacrorum contemptum. *Idcirco enim exitum in ſolitudinem petit* (inquit Philo) *ne profanarentur, exterorum oculis parum faventibus ſacrificia Hebræorum vero Deo facienda.*

At tantum abeſt ut eorum votis reſpondeat Pharao, quinimo acerbius in Hebræos excandeſcit, jubetque eorum aggravari onera. Unde Hebræorum præfecti & familiarum principes, ac capita, adverſus Moſem & Aaronem inſurgentes, conqueruntur quod eſſent in cauſa cur vehementius affligerentur ab Ægyptiis. *Videat*, inquiunt, *Dominus, & judicet, quoniam fœtere feciſtis odorem noſtrum coram Pharaone & ſervis ejus, & præbuiſtis eis gladium ut occiderent nos.*

Ubi certe obſervanda venit mira Dei agendi conſuetudo: ſolet enim permittere ut quibus magnifica promittit beneficia, ad breve tempus quædam eis omnino contraria datis promiſſis eveniant; quo videlicet fidei eorum ſinceritatem & fiduciæ conſtantiam magis probet & exerceat. Cum enim Iſraelitis pollicitus eſſet ſe eos brevi in libertatem reſtituturum, ſinit ad ſolitas exactiones imperari, ut colligerent paleas, & nihilominus parem laterum numerum expenderent. Quo certe docemur, inquit S. Bernardus, [a] eos qui converti ad Deum deliberant, tentari acrius a concupiſcentia carnis; & urgeri gravius in operibus luti & laterum, qui ex Ægypto egredi & Pharaonis imperium effugere moliuntur.

[a] *Sermone 18. de Converſ. ad Clericos.*

DISQUISITIONES
IN CAPUT VI.

MOſes itaque Hebræorum querimoniis exagitatus Dominum interpellat: *Cur*, inquit, *afflixiſti populum iſtum? quare miſiſti me? ex quo enim ingreſſus ſum ad Pharaonem, ut loquerer in nomine tuo, afflixit populum tuum, & non liberaſti eum.* Deus autem jubet eum bono eſſe animo. Hebræorumque diffidentiam arguit, quod non eſſent memores illius pacti & fœderis initi cum eorum patribus Abrahamo, Iſaaco & Jacobo, qui in promiſſione ſibi data perſeveranter quieverunt; hi vero, qui gloriabantur ſe ex ſancto illo ſemine progenitos, verbis illius fidem non faciant, quia non ſtatim apparebat effectus. Atque ut eorum Iſraelitarum crimen amplificet, ratiocinatur a minori ad majus; quod nempe eorum Patriarchis non manifeſtaverit ſacroſanctum nomen *Jehova*, quemadmodum illud ipſis per Moſem manifeſtum fecerat. *Ego Dominus qui apparui Abraham, Iſaac & Jacob, in Deo omnipotente: & nomen meum* יהוה *Jehova non indicavi eis.*

Petes, utrum revera nomen *Jehova* fuerit ignotum Patriarchis, & nonniſi per Moſem revelatum?

Reſpondeo, illud ante Moſem fuiſſe notum; nam in Geneſi aliquoties Jehova dicitur allocutus Patriarchas, & viciſſim Patriarchæ Jehovam. Sic Geneſ. 4. v. 26. de Eonſo in Hebraico textu dicitur: *Ipſe cœpit invocare nomen Jehova*. Et Geneſ. 14. Melchiſedech ait v. 22. *Levo manum meam ad Jehovam Deum excelſum poſſeſſorem cœli & terræ*. Et cap. 15. v. 7. Deus Abrahamo dicit: *Ego Jehova qui eduxi te de Ur Chaldæorum*; Igitur

tur hoc ſacrum & auguſtum nomen erat antea hominibus revelatum.

At nomen quidem noverant; ſed quid præciſe ſignificaret non percipiebant; nec intelligebant illo denotari ipſam Dei eſſentiam, ſeu infinitum eſſendi pelagus, a quo omnes divinæ perfectiones, velut ab oceano rivuli, & radii a ſole, derivantur. Formatur enim hoc nomen a verbo & radice הוה *Chavah* quæ ſignificat *eſt*, *fuit*, Unde Jehova proprie denotat *ens exiſtens ab æterno & in æternum*; ac proinde omnipotentis virtutis, quam brevi demonſtraturus erat in ſtupendis prodigiis quæ liberandotum Iſraelitarum cauſa erat patraturus, qualia nec fecerat, nec tantam virtutem & protectionem oſtenderat in gratiam illorum veterum Patriarcharum.

Unde ſequitur omni excuſatione carere ſocordiam eorum Iſraelitarum, quos Moſes alloquebatur, qui Deum ita familiariter ac benigne ſe illis inſinuantem non audiebant.

Jubet itaque rurſum Deus Moſi ut iterum Pharaonem adeat, ſollicitetque dimiſſionem populi Hebraici. Excuſat quidem ſe Moſes ab illo obeundo munere: idque duplici ratione: Prima quidem: *Ecce filii Iſrael non audiunt me: & quomodo audiet Pharao?* quibus verbis argumentatur a Minori ad Majus, ac ſi diceret, ſi populus Iſraelis, cuius res agitur, de cuiuſque ſalute deliberatur, reiiciunt verba mea; quid expectandum erit a Pharaone qui Deum non agnoſcit? II. Dicit *ſe incircumciſum eſſe labiis*, hoc eſt laborare vitio & defectu linguæ; metaphora a Circumciſione deſumpta quæ Hebræis familiaris erat, ut opus aliquod injunctum declinarent. Sicut enim iis Circumciſio primum erat ſacramentum, quo qui deſtituebantur, habebantur profani: inde incircumciſum eſſe dicere ſolebant eum qui ad rem aliquam exequendam minus videbatur idoneus ob infirmitatem & defectum. Verum hanc excuſationem non admiſit Deus; quinimo rurſus utrique fratri imperavit, ut denuo Pharaonem convenirent.

Petes II Cur Moſes circa huius capitis finem recenſuerit Genealogiam Rubeni, Simeonis & Levi?

Reſpondeo, id factum triplici de cauſa. *Primo* quidem, cum ejus ſcopus fuiſſet aperire quanam ex tribu ipſe illiuſque frater eſſent oriundi, ut inde appareret per quos procuranda eſſet Iſraelitarum libertas. Cumque Levi tertius eſſet Jacobi ex Lia filius, modeſtiæ cauſa duorum, qui illum præcedebant, meminiſſe voluit, ne ſuam Tribum aliis anteponere videretur. *Secundo*, ut oſtenderet peculiarem Dei erga Leviticam Tribum benignitatem & clementiam; quod cum hæc tantum eſſet ordine tertia, ex ea tamen Deus eligere voluit primarios populi ſui duces, & in ea conſtituere Sacerdorium, prorogandum ad Meſſiæ adventum. Unde Moſes in texendo Levitarum Catalogo, rationem potius habuit Aaronis ſucceſſionis, quam ſuæ: quia nullus ex filiis eius in aſſumpto munere ei ſuccedere debebat. *Tertio*, Idcirco tantum Rubeni, Simeonis, & Levi hac in genealogia meminit, ne forte tres iſtæ Tribus viderentur a Deo reiectæ, quod Jacobus moriens *Geneſ. 49.* fuiſſet eiſdem male precatus.

DISQUISITIONES
IN CAPUT VII.

QUoniam in præcedenti capite duas rationes obtenderat Moſes, ut excuſaret iteratum ſuum ad Pharaonem acceſſum; nimirum imbecillitatem ſuam, & linguæ defectum: ut illas excuſationes elevaret Deus, hoc in capite duo reponit, videlicet: *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis: & Aaron frater tuus erit Propheta tuus:* ac ſi diceret: non eſt quod reformides Pharaonis pertinaciam, & crudelitatem; jam enim tibi tantam confero divinæ meæ poteſtatis participationem, ut per ſtupenda prodigia, quæ editurus es coram illo, perque terribiles plagas quibus percuſſurus es Ægyprios, ipſe te quaſi Deum revereatur & pertimeſcat.

Non eſt etiam quod excuſes linguæ tarditatem, quoniam Aaron frater tuus tibi loco Prophetæ aderit, qui mea tibi commiſſa mandata Phraraoni explicet.

Hic enim *Prophetæ* vox non ſolum ſignificat eum qui futura prædicit; ſed & illum, qui Dei verbum annunciat: quo ſenſu prophetiam pro prædicatione uſurpavit S. Paulus [a]. Unde S. Auguſtinus [b] dicit: *Nihil aliud eſſe prophetam Dei, niſi annunciatorem Dei hominibus, qui Deum vel non poſſunt, vel non merentur audire.* a Ad 1. cor. cap. 14. b Quæſt. 17. in Exodum.

Talis fuit Pharao; nam tantum abeſt ut prodigiis attonitus, & plagis confractus ſeſe emendaverit: quinimo deterior ac obſtinatior factus eſt, uti prænuntiaverat Deus, ſubiiciens verſ. 3. *Ego indurabo cor ejus, & multiplicabo ſigna & oſtenta mea in terra Ægypti, & non audiet vos.*

Petes, quo ſenſu Deus hic, & pluries infra, dicatur *obdurare cor* Pharaonis?

Reſpondeo, Deum non efficaciter & impulſive concurriſſe ad hanc indurationem & pervicaciam, ut vult Calvinus cum ſuis aſſeclis: cujus enim Deus oſor eſt & ultor, ejus auctor perperam aſſeritur: ſed tantum negative & permiſſive; ſeu non infundendo malitiam qua pejor fieret; ſed non conferendo gratiam qua melior evaderet; quod eam ſæpius oblatam pertinaciter reſpuiſſet.

Eo

Digitized by Google

Eo fere modo, quo quis diceretur *obtenebrare cubiculum*, non inducendo tenebras, ſed non inferendo lucernam.

Aliam expoſitionem tradit S. Auguſtinus. *Ego indurabo*, inquit, tamquam diceret, *quam durum ſit demonſtrabo*.

Cum Moſes & Aaron ejecti fuiſſent de conſpectu Pharaonis, iterum mandante Deo, illius præſentiam adierunt, ut Iſraelitici populi dimiſſionem peterent. Præmonuit autem illos Deus, *Cum dixerit vobis Pharao, oſtendite ſigna*: dices ad Aaron: *tolle virgam tuam, & proiice eum coram Pharaone, ac vertetur in Colubrum*, verſ. 9. Quærit autem hic S. Auguſtinus cur virga illa dicatur Aaronis, cum eſſet Moſis baculus? Reſpondet virgam illam mirificam utrique fratri fuiſſe communem; dictam autem virgam Aaronis, quod ut dictum eſt, Moſes vice Dei facienda prodigia imperaret, Aaron vero exequeretur.

Cum itaque ſtetiſſent coram Pharaone, illeque ſignum eorum legationis petiiſſet; Aaron, ut præmonuerat Deus, virgam ſuam projecit in terram, quæ extemplo converſa eſt in ingentem ſerpentem, qui tortuoſis flexibus & ſibilo ſpectantes appetiit, Regique minas intentavit: ſed cum ad hoc prodigium parum commotus & attonitus fuiſſet Pharao, quod pleraque ab Ægyptiis ſapientibus ſolito fieri didiciſſet, duos eorum præcipuos advocari juſſit ut ſimilia patrarent.

Horum vero duorum nomina, ſive revelatione, ſive traditione accepta ſcriptis mandavit S. Paulus, eoſque vocat *Jannem & Mambrem*: loquens enim de Pſeudo-Prophetis qui habent quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem ejus abnegant, ait: *Quemadmodum autem Jannes & Mambres reſtiterunt Moyſi: ita & hi veritati &c.* Hanc autem traditionem invaluiſſe apud Judæos, apparet ex Numenio Philoſopho Pytagorico, qui libro tertio, quem inſcripſit *de Bono*, agens de Moſe Judæorum duce ac legislatore, quem Muſæum appellat, inter cætera ſcribit.
„ Jannes & Mambres, ſcribæ rerum Sacra-
„ rum Ægyptii; quo tempore Ægypti fini-
„ bus ejecti Judæi ſunt, claruere viri omnium
„ judicio rerum magicarum ſcientia nemini
„ concedentes. Quippe ambo quidem com-
„ muni Ægyptiorum conſenſu delecti ſunt,
„ qui Muſæo Duci Judæorum, cujus apud
„ Deum potentiſſimæ preces erant, ſeſe op-
„ ponerent; adeoque graviſſimas quaſque ca-
„ lamitates a Muſæo in Ægyptum invectas
„ omnium in oculis diſſolvere ac diſſipare
„ potuerunt. Eorum pariter Magorum no-
„ mina expreſſit Jonatas paraphraſtes Chal-
„ dæus ex Majorum traditione.

Fallitur autem Numenius in eo quod ait, ab illis Magis diſſolutas calamitates quas Moſes in Ægyptios invexerat: nonnulla quidem fecerunt portenta ſimilia iis quæ Moſes patrarat, ut refertur in hoc cap. v. 11. & 12. *Projeceruntque ſinguli virgas ſuas quæ per incantationes Ægyptiacas*, & *arcana quædam* quæ ſimiliter verſæ ſunt in dracones: At *devoravit virga Aaron virgas eorum*.

Vocantur autem incantationes illæ ÆGYPTIACÆ, ſive qood apud Ægyptios eſſent uſitatæ: ſive quod earum auctor eſſet Cham Noe filius, qui cum ſuis filiis Ægyptum occupavit. Unde quidam putant illum fuiſſe Zoroaſtrem, cui, ut refert S. Auguſtinus, inventio Magiæ tribuitur. Dicuntur pariter *arcana*, quia non omnibus nota ſunt verba quæ ſecreto & ſubmiſſe a Magis inſuſurrari & proferri ſolent ad ſuas patrandas præſtigias. Stupendum hoc virgæ Moſis in ſerpentem converſæ, & Magorum virgas ſerpentinas devorantis, prodigium ſic egregie deſcribit Sedulius:

Mitis in immitem virga eſt animata draconem,
Per flexos ſinuata globos, linguiſque triſulcis,
Squammea colla tumens, inimicos ore Chelydros
Sorbuit, & proprii redit in virgulta rigoris.

Ei concinit Alcianus Avitus Viennenſis Archiep. ſcribens:

Virgam forte manu geſtabat legifer heros,
Quo baculo nitens greſſum dum dextra regebat,
Excutit hanc valido projectam cominus ictu.
Tum (mirum dictu) commotum ſerpere lignum....
Fluxit enim reptans mutari & corporis uſu
Senſum animumque gerens cœpit decurrere virga
Mox anguem formata refert....

Deinde adiicit qualiter Pharao ad hoc prodigium attonitus, nec tamen illud divinæ virtuti, ſed arti magicæ tribuendum exiſtimans, Magos ſuos ad idem præſtigium patrandum excitavit.

Diſſimulat peragi cœleſti numine factum,
Nec divina volens, hominum ſed geſta putari.
Tunc mandat quoſcumque Magos, & carmine ductos
Illicitam diris tentent ut fraudibus artem.
Undique tunc juſſi concurrunt, & medicatas
Armant quiſque ſuas noto phantaſmate virgas.
Dum jactæ vanas ſpecies, angueſque putati,
Illuſos terrent oculos, fallente figura.
Nec longum tumuere Magi, conſumitur omne
Quod feciſſe rati, fictos namque arte dracones
Primus adhuc mordax abſorbuit ore ceraſta.

Digitized by Google

QUÆRITUR I.

Utrum revera Magorum illorum virgæ converſæ fuerint in dracones.

R*Eſpondeo*, plurimos eſſe, qui exiſtimant, Magos illos, veros non exhibuiſſe dracones, ſed per præſtigias ſuas illuſiſſe oculis ſpectantium: vel eis objeciſſe tantum larvas & ſimilitudines draconum; quomodo ludiones & Agyrtæ mira populo exhibent ſimulachra rerum quas repræſentare contendunt. Ita Joſephus [a]. & Auctor quæſtionum ad Orthodoxos inter opera S. Juſtini S. Gregorius Nyſſenus in vita Moſis. Et alii quibus concinit Tertullianus [b], qui de re quæ agitur, ait: *Solent Dæmones Phantaſmata præſtare; ſed Moſis veritas mendacium eorum devoravit.*

a *Lib. 2. Ant.*

b *De anima.*

Verum probabilius dicendum arbitror cum S. Auguſtino [c], & Theodoreto [d], dracones illos fuiſſe veros. *Primo*, quia Aaronis virga, in ſerpentem converſa, Magorum ſerpentes devoravit: hæc autem devoratio vera fuit; neque enim exiſtimandum eſt in portentis a Moſe & Aarone patratis, aliquam fuiſſe illuſionem: ſic enim vanis ſpectris Deus luſiſſet Ægyptios, quod exiſtimare blaſphemum eſt.

c *Lib. 3. de Trinit. ca. 7.*

d *Quæſt. 18 in Exod.*

Secundo, ſi ſolam ſerpentum larvam exhibuiſſent illi Magi, facili negotio potuiſſent idem præſtare in aliis ſignis, nec defeciſſent in tertio ſigno, nempe in productione cyniphum, quorum ſpeciem pari ratione potuiſſent exhibere.

Tertio, ſi non fuiſſent veri ſerpentes, dubio procul Moſes & Aaron aperuiſſent eorum fallaciam, ut planius divini operis veritas cognoſceretur.

An autem Magorum virgæ, ſicut & Aaronis virga, in veros ſerpentes fuerint converſæ, non una eſt Interpretum ſententia. Sunt enim qui cum Cajetano exiſtimant revera virgas illas Dæmonum opera converſas fuiſſe in veros ſerpentes, applicando videlicet illis virgis certa quædam agentia naturalia nobis quidem ignota, Dæmonibus vero probatiſſima, & ad generandos ſerpentes potentiſſima.

Verum hanc ſententiam non eſſe probabilem exinde conſtat, quod Dæmones ex ſe non poſſint aliquod animal producere, ſed tantum mediate, adhibendo nimirum naturales cauſas eorum productivas. Certum pariter, a nullo Agente naturali poſſe ſubito induci formam aliquam in materiam, niſi hæc ſit apte præparata; porro materia aliqua prædita forma vitæ experte, non poteſt apta fieri ad ſuſcipiendam formam animalis viventis niſi per varias tranſmutationes, quæ in inſtanti fieri nequeunt: igitur Magorum virgæ illæ ſuæ in terram projectionis inſtanti, in veros ſerpentes commutari non potuerunt.

Reponit Cajetanus, quod cum Dæmones prævidiſſent futuram illam Aaronis virgæ in ſerpentem mutationem, varias diſpoſitiones in Magorum virgis induxerunt; adeo ut earum materia idonea eſſet, ut dum in terram virgæ proiicerentur, ſerpentinam formam inducrent.

Ejuſdem ſententiæ videtur fuiſſe S. Auguſtinus, qui cum dixiſſet Magorum virgas revera converſas fuiſſe in veros dracones, nam inquit, Aaronis virga in draconem converſa phantaſtica figmenta non potuiſſet abſorbere; de Magorum virgis addit, „ De-
„ monſtrare difficile eſt, quomodo etiam ſi
„ veri dracones facti ſunt e virgis Mago-
„ rum, non fuerint tamen creatores draco-
„ num, nec Magi, nec angeli mali, quibus
„ miniſtris illa operabantur. Inſunt enim
„ corporis rebus per omnia elementa mun-
„ di quædam occultæ ſeminariæ rationes,
„ quibus cum data fuerit opportunitas tem-
„ poralis atque cauſalis, prorumpunt in ſpe-
„ cies debitas ſuis modis & finibus. Et ſic
„ non dicuntur angeli, qui iſta faciunt,
„ animalium creatores, ſicut nec agricolæ
„ ſegetum, vel arborum, vel quorumcum-
„ que in terra gignentium creatores dicendi
„ ſunt: quamvis noverint præbere quaſdam
„ viſibiles opportunitates & cauſas, ut illa
„ naſcantur. Quod autem iſti faciunt viſi-
„ biliter, hoc angeli inviſibiliter: Deus ve-
„ ro ſolus verus creator eſt, qui cauſas ip-
„ ſas & rationes ſeminarias rebus ipſis in-
„ ſeruit.

Verum cum ultima diſpoſitio ad formam alicuius animalis inducendam conſiſtere non poſſit cum re mutanda quæ in ſuo naturali ſtatu permanet ſed variæ prius ea in re fieri debeant tranſmutationes; non potuerunt illæ virgæ figuram ſuam & formam ſervantes, ultimam habere diſpoſitionem dum magorum manibus premerentur, & eo inſtanti quo proiiciebantur in terram, ſerpentinam formam induere.

Itaque veriſimilius dicendum arbitror; a Dæmonibus inſenſibiliter & ſubito ſubductas Magorum virgas, earumque loco ſubſtitutos veros dracones momento aliunde adductos: ita ut quicumque eos conſpiceret, Magiæ & fraudis ignarus, putaret a Magis æque ac ab Aarone virgas illas in ſerpentes converſas fuiſſe.

Petes, cur Deus paſſus ſit Magorum præſtigiis fidem detrahi veris Moſis & Aaronis miraculis?

Reſpondeo, id permiſiſſe multis de cauſis. I. Ad majorem Moſis commendationem: *Permiſit Dominus*, inquit S. Chryſoſtomus, *aliquid Magis contra Moſem, ne Magus putaretur Moſes. Permiſit Magorum exemplo diſcere omnes, quantum ars magica imponat ſenſibus: ſed non permiſit ultra eos progredi, ne ab illis deciperentur homines; ſed ipſimet ſe victos eſſe a Moſe confeſſi ſunt. Nihil nobis nocent impoſtores: ſed meliores potius reddunt, ſi quis recte conſideret.*

II. Ut demonſtraret impios juſtis ſemper hominibus adverſari: Ita Cainus Abelo, Iſmael

Digitized by Google

mael Iſaaco, Jacobo Eſau, Joſepho fratres, Moſi Dathan & Abiron, S. Petro Simon Magus, Apoſtolis Genriles Philoſophi, Magi, & Hæretici. Hanc cauſam indicavit S. Paulus: *Quemadmodum*, inquit, *Jannes & Mambres reſtiterunt Moyſi: ita etiam & hi reſiſtunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem.*

III. Ut magis probaret fidem & conſtantiam Moſis & Iſraelitarum, an videlicet videndo ſigna quæ dixerat proſutura ad eorum liberationem, nondum habere ſuum effectum; attamen animo conſtanti divinis eius promiſſis adhærerent.

IV. Denique ad majorem excæcationem & punitionem Pharaonis, qui quæſitis Dæmonum artibus Deo illum ad pœnitentiam vocanti, obſiſtere auſus eſt. Unde continuo ſubditur: *Induratum eſt cor Pharaonis, & non audivit eos.*

Facili tamen negotio potuit Pharao deprehendere Magorum ſuorum ſigna, veras eſſe Dæmonum præſtigias, triplici ratione quas ſic exponit Theodoretus: Mutabant, *inquit*,
„ illi quidem virgas in ſerpentes, ſed virga
„ Moſis virgas illorum devoravit: mutabant
„ aquam in ſanguinem, ſed ſanguinem in
„ priorem naturam reducere non poterant:
„ produxerunt illi ranas; ſed moleſtias &
„ incommoda ranarum Ægyptii auferre non
„ poterant, ſicut fecit Muſes. Conceſſit
„ itaque Deus Magis talia facere, ut etiam
„ per ipſos caſtigaret Ægyptios; non ta-
„ men conceſſit ut illatam plagam auferre
„ poſſent. Non ergo fuit contentus Deus
„ plagis a Moſe illatis; ſed illas per Ma-
„ gos adauxit; ac ſi diceret Regi; quia pu-
„ niri te delectat, tuorum etiam ſervorum
„ opera, te caſtigabo & gravius plectam.
„ Secundo, dum videt Regem ob id ma-
„ gis indurari, Magorum facultatem cohi-
„ buit, ut qui majora animalia, puta ranas
„ produxerant, parvos ciniphes produce-
„ re non poſſent, coegitque eos confiteri
„ ſuam imbecillitatem, ac dicere *digitus Dei*
„ *eſt hic* c. 8. v. 19.
„ Tertio, Magorum corpora puſtulis affli-
„ xit; ut tum illi, tum fatuus eorum Rex
„ evidenter cognoſcerent, quod non ſolum
„ plagas a Deo immiſſas auferre non poſ-
„ ſent, ſed etiam ipſi cum reliquis plecte-
„ rentur. *Ita Theodoretus.*

Cum Itaque Pharao Magorum ſuorum præſtigiis dementatus magis obfirmatus eſſet ad retinendos Iſraelitas, præcedenti ſigno aliud adhibendum cenſuit Deus, quod ſimul eſſet pœna. Quamobrem Moſi & Aaroni juſſit ut die ſequenti ſummo mane ſtarent ad ripam fluminis Nili, ut Pharaoni ad flumen properanti occurrerent, rurſumque populi Hebræi dimiſſionem urgerent: quam ſi concedere nollet, minitarentur ſe converſuros aquam fluminis, aliaſque per Ægyptum aquas in ſanguinem. At cum eorum minas ſperneret Pharao, *Aaron elevans virgam percuſſit aquam fluminis coram Pharaone & ſervis ejus: quæ verſa eſt in ſanguinem. Et piſces, qui erant in flumine, mortui ſunt* &c.

QUÆRITUR II.

Cur infligendas Ægyptiis plagas auſpicari voluerit Deus ab aquarum Nili in ſanguinem converſione.

R*Eſpondeo*, id factum eſſe plurimis juſtiſſimiſque de cauſis. *Primo*, namque cum inter alia tyrannidis & crudelitatis facta, quibus miſeros Iſraelitas vexarunt Ægyptii, illud graviſſimum fuerit, quod eorum maſculos filios recens natos in aquis ſuffocari voluerint, juſto Dei judicio factum eſt, ut ipſi in aquis ſanguine infectis punirentur. Hanc rationem profert Auctor libri Sapientiæ cap. 11. v. 7. & 8. ubi Deum alloquens, ait: *Pro fonte quidem ſempiterni fluminis, humanum ſanguinem dediſti injuſtis. Qui cum minuerentur in traductione infantium occiſorum, dediſti illis abundantem aquam inſperate oſtendens per ſitim, quæ tunc fuit, quemadmodum tuos exaltares, & adverſarios illorum necares.* Quibus verbis indicat Hebræis fuiſſe aquam limpidam, qua ſatiarentur; dum Ægyptii propter infantium Iſraelitarum ſubmerſionem, mutatis in ſanguinem aquis, ſiti violenta necarentur. Hæc eleganter exponit Auctor quiſquis eſt libri de Mirabilibus Scripturæ ſacræ inter opera S. Auguſtini: *Vindicta*, inquit, *Ægyptiis cum Rege ſuo convenienter evenit, ut qui populi infantes in flumen jactare præceperat, ejuſdem fluminis Aqua in ſanguinem verſa, excidium bibentibus inferret, & non bibentibus pœnam præſtaret.*

Secundo, quia aquis, maxime Nili fluminis, egebant Ægyptii propter ingentem aeris æſtum, & terræ ſiccitatem: unde illa aquarum penuria fuit illis graviſſima.

Tertio, Ægyptii, inquit Philo, præ cæteris honorabant aquam, tanquam rerum omnium primam; idcirco ea in ſanguinem verſa primo uti voluit Deus ad eos plectendos.

Quarto, cum Nilo propter ingentes quas eis commoditates præbebat, divinos impenderent honores; idcirco ad eorum dementiam & idololatriam caſtigandam, illius aquas in cruorem vertere voluit Deus, ut inde diſcerent illi miſeri quam eis timendum eſſet ab illius ira & vindicta.

Has rationes prubat Theodoretus: „ Cur,
„ *inquit*, primam aquæ plagam intulit Deus?
„ Quia valde gloriabantur Ægyptii de flu-
„ mine ſuo, & hunc pro Deo habebant:
„ ut qui parem uſum illis præberet, atque
„ nubes Cœli. Deinde propter pueros Ju-
„ dæorum in illum demerſos: fluvius enim
„ ille mutatus in ſanguinem, velut conque-
„ rebatur de cæde puerorum per Ægyptios
„ commiſſa.

Neque vero putandum eſt Nili, aliaſque per univerſam Ægyptum aquas ſolum induiſſe

Digitized by Google

duiſſe colotem & ſpeciem ſanguinis; revera enim in ſanguinem erant converſæ, ut manifeſte apparet ex textu, ubi 1. Aqua dicitur *verſa in ſanguinem*. 2. *Piſces, qui erant in flumine, mortui ſunt*; quod non ſolum aggravabat Ægyptiorum pœnam, qui vivere & outriti ſolebant ex piſcibus fluminis; ſed inſuper miraculi veritatem confirmabat: potuiſſent enim piſces in aquis vivere, ſi vera non fuiſſet aquarum in ſanguinem converſio. 3. *Computruit fluvius*, igitur illius aquæ priorem ſuum ſtatum non ſervarunt.

Petes I. Cum v. 21. refetatur, *Fuit ſanguis in tota terra Ægypti*, idque, *per ſeptem dies* ut dicitur v. 25. Quomodo Ægyptii omnes cum ſuis animalibus ſiti oon fuerint extincti?

Huic quæſtioni occurtit Moſes dicendo v. 24. *Foderunt autem omnes Ægyptii per circuitum fluminis aquam ut biberent: non enim poterant bibere de aqua fluminis*. Quibus verbis ſignificatur Ægyptios vehementiſſima ſiti vexatos, puteos fodiſſe juxta flumen, ut inde paululum aquæ potabilis haurirent, qua ſitis ardotem niſi extinguere, ſaltem modicum temperate poſſent. Ita ſcribit Auctor reſponſionum ad quæſtionem 26. Otthodoxorum inter opeta S. Juſtini.

Cum adiiciat Moſes v. 22. a maleficis Ægyptiis aquas pariter verſas in ſanguinem.

Petes II. Unde hanc habuerunt aquam in ſanguinem vertendam, cum antea dictum ſit: *Fuit ſanguis in tota terra Ægypti?*

Reſpondent aliqui aquam illam adductam fuiſſe ex mari, alii ex terra Geſſen quam incolebant Hebræi.

Verum cum iſta prodigia patrata fuerint in Urbe Tanis, quæ erat Regia, quamque incolebat Pharao, ejuſque Principes & Sapientes, ut ex cap. 19. & 30. Iſaiæ cognoſci poteſt: vel in locis iſti civitati vicinis, ut indicat David: *Coram patribus eorum*, inquit, *fecit mirabilia in terra Ægypti, in campo Taneos*. Et infra: *Sicut poſuit in Ægypto ſigna ſua, & prodigia ſua in campo Taneos*. Cum, inquam, hæc acciderint in urbe regia, vel locis adjacentibus, veriſimile non eſt expectaſſe Pharonem donec aqua afferretur ex partibus maritimis, vel ex Iſraelitarum habitatione ab urbe regia longe diſſitis.

Hinc nonnulli cenſent Magos ſuis illuſionibus effeciſſe ut aqua prius mutata in verum ſaoguinem, ad modicum tempus apparuerit pura & nitida; deinde vero ſolutis præſtigiis, verus, ut erat antea ſanguis fuerit conſpectus. At probabilior mihi videtur reſponſio Auctoris quæſtionum ad Orthodoxos, dicentis aquam illam deſumptam fuiſſe ex puteis quos foderunt Ægyptii. An autem vere mutarint aquas illas in ſanguinem?

Reſpondet idem Auctot ad quæſtionem 26. non fuiſſe veram illam a Magis patratam converſionem, ſed præſtigioſam ac fallacem; quod videlicet Dæmonum opera per ſuas præſtigias ſpectantium oculis illuſerant. At reclamat textus, ubi legimus: *Fecerunt ſimiliter malefici &c.* Quibus ſignificatur ab illis exhibitum verum ſanguinem, ſicut exhibuerat Aaron. Unde *fecerunt ſimiliter*, quantum ad exhibitionem veri ſanguinis, non quantum ad realem aquæ converſionem in ſanguinem; potuerunt enim Dæmones aliunde acceptum ſanguinem ſubiicere in locum illius aquæ inviſibiliter ſubductæ, ut nimirum adſtantium oculis appareret vera aquæ in ſanguinem mutatio.

Petes III. Utrum Nilus omni ex parte converſus fuerit in ſanguinem?

Reſpondet Philo fluvium, quam longus eſt Æthiopia uſque ad mare, totum converſum eſſe in ſanguinem.

Verum ut recte advertit Peretius, cum magna pars Nili ſupra Syenem, & introitum ejus in Ægyptum, alias Gentes, ut Æthiopes, præterfluat; ſi totus eſſet in ſanguinem verſus, ea plaga non ſolum Ægyptiis, propter quorum peccata infligebatur, verum etiam aliis Gentibus quæ talium peccatorum adverſus Hebræos participes non fuerant, indiſcriminatim contigiſſet, quod credibile non eſt. *Deinde* Scriptura aperte dicit ſanguinem fuiſſe *in omni Ægypto*, non autem extra Ægyptum: meminitque afflictionis Ægyptiorum tantum, ex penuria aquæ, non aliarum Gentium.

Addimus etiam quod cum Deus voluerit miraculum exhibere in eum finem, ut Ægyptii ſentirent quis eſſet Iſraelitarum Deus: non conveniebat miraculum illud propagari apud Gentes remotiſſimas, negotii illius, quod peragebatur ignaras. Deus enim non ſolet miracula exhibere, ubi nulla eſt cauſa. *Denique* cum paulo poſt aquis in priorem naturam redeuntibus, Nilus ut ante piſcibus etiam fuerit fœcundatus; non dubitandum eſt quin aqua nova ex aliis partibus defluente, ſimul cum ea ſequuta ſit piſcium multitudo: alioqui creandi fuiſſent novi piſces, quibus iterum fluvius fœcundaretur: de quo nihil habetur in ſacra Hiſtoria.

Petes IV. utrum illa aquarum in ſanguinem converſio etiam facta ſit in terra Geſſen quam incolebant Iſraelitæ.

Reſpondeo, regionem illam a plagis Ægyptiacis prorſus fuiſſe immunem, ut colligere licet ex capitibus ſequentibus. Nam *cap.* 8. Moſes inducit Deum dicentem: *Faciam mirabilem in die illa terram Geſſen, in qua populus meus eſt, ut non ſint ibi muſcæ: & ſcias quoniam ego Dominus in medio terræ. Ponamque diviſionem inter populum meum & populum tuum*. Et in *cap.* 9. narrans quintam plagam: *Mortua ſunt*, inquit, *omnia animantia Ægyptiorum; de animalibus vero filiorum Iſrael, nihil omnino periit. Et miſit Pharao ad videndum: nec erat quidquam mortuum de his, quæ poſſidebat Iſrael*. Et in eodem capite, exponendo ſeptimam plagam quæ fuit grandinis, ſic ait: *Tantum in terra Geſſen, ubi erant filii Iſrael, grando non cecidit*. Et in cap. 10. memorans nonam plagam, quæ fuit tenebrarum: *Factæ ſunt*, inquit, *tenebræ horribiles in univerſa terra Ægypti tribus diebus. Ubicumque autem habitabant filii Iſrael, lux erat*. Denique in capite 12. exponens plagam decimam, id eſt, cæ-

cædem primogenitorum: *Et tranſibo*, ait Dominus, *per terram Ægypti nocte illa, percutiamque omne primogenitum ab homine uſque ad pecus. Erit autem ſanguis vobis in ſignum in ædibus in quibus eritis: & videbo ſanguinem, & tranſibo vos: nec erit in vobis plaga diſperſionis, quando percuſſero terram Ægypti.*

Quod autem in his plagis expreſſum eſt, idem quoque intelligi oportet eſſe factum in aliis, ubi eſt tacitum.

Cur autem Scriptura id primum exponere voluerit in quarta plaga, & in tribus prioribus tacuerit; rationem quandam reddit S. Auguſtinus ita ſcribens: „ Quod hic aperuit
„ Scriptura, ne ubique diceret, intelligere
„ nos voluit idem & in poſterioribus, &
„ in prioribus ſignis factum eſſe, ut terra,
„ quam habitabant Hebræi, nullis plagis
„ talibus vexaretur. Opportunum autem
„ fuit, ut ibi hoc primum aperte poneretur,
„ unde cœperunt ſigna, quibus Magi
„ nec ſimilia fecerunt, nec facere conati
„ ſunt. Quouſque ergo deficerent Magi,
„ nihil de diſtinctione habitationis Hebræorum
„ & Ægyptiorum dictum eſt: ſed ex
„ quo cœperunt ea fieri ſigna, in quibus
„ Magi ſimilia facere, nec conari quidem
„ auſi ſunt. *Sic S. Auguſtinus.*

Peter V. Utrum Ægyptii habitantes in terra Geſſen cum Hebræis, ab illis plagis fuerint immunes?

Reſpondet S. Auguſtinus ipſos immunes fuiſſe ab illis plagis, præter ultimam: „ Ab
„ hac decima plaga, *inquit*, non ſunt putandi
„ immunes fuiſſe Ægyptii, qui habitabant
„ in terra Geſſen: hominum quippe erat,
„ vel animalium iſta plaga, non terræ; id
„ eſt, homines & animalia primogenita moriebantur
„ occulto, & angelico percuſſu:
„ non autem aliquid in terra vel in Cœlo
„ factum erat, ſicut rana vel locuſta, vel
„ tenebræ. Unde, qui habitabant terram,
„ affligerentur. A talibus enim plagis cum
„ terra Geſſen fuiſſet aliena, proculdubio
„ perveniebat beneficium ad eos Ægyptios
„ qui in eadem terra cum Hebræis morabantur.
Hæc S. Auguſtinus. Cujus tamen ſententia non eſt plane certa, imo probabilius videtur Toſtato, Ægyptios qui habitabant in terra Geſſen, fuiſſe plagis illis percuſſos: tum quod, inquit, omnes Ægyptii gentilitio quodam odio & malignitate inſectarentur Hebræos: tum quod ea re putarent illi maximam ſe inire gratiam a Pharaone, & quod perniciem Hebræorum ſibi proſuturam ſperarent,

DISQUISITIONES
IN CAPUT VIII.

TRes alias plagas, quas Deus Ægyptiis inflixit, ut Pharaonis contumaciam edomaret, hoc in capite recenſet Moſes. I. *Ranarum*; quæ terram undique operientes, & in triclinia etiam irrepentes, hominibus fiunt infeſtiſſimæ. II. *Sciniphum*, ſuis venenoſis aculeis homines & animalia graviſſime pungentium. III. Omnis generis *muſcarum & inſectorum*, quæ agmine facto, domos, cellas & panarias conſpurcant.

Cum itaque Pharao ſuorum Magorum præſtigiis deluſus, quæ a Moſe geſta fuerant, non Dei potentiæ, ſed magicis artibus patrata exiſtimans, divinis mandatis parere abnuiſſet: Aaron manum & virgam extendit ſuper aquas Ægypti, juſſitque ut ranæ in eis conſiſtentes emergerent, & univerſam terram operirent. Ægyptum, quod regio plana ſit & declivis, lacubus & paludibus refertam eſſe, & ex inundante Nilo plerumque ſtagnantem luto, ac interdum univerſi infici, tradunt omnes Geographi. Quamobrem præ cæteris regionibus ranis abundat; ſolent enim ejuſmodi animalia ex humido limo & craſſiore materia naſci. Unde Ibis apud Ægyptios peculiari honore culta fuit; non modo quia ſerpentes tolleret, ſed etiam quia ranis veſceretur.

His autem ranis uti voluit Deus ad Ægyptiorum vexationem, ſuamque potentiam & juſtitiam per eas his argumentis demonſtravit. I. Quod momento ex aquis maxima copia, & velut agmine facto prodierint. II. Quod contra naturæ ſuæ propenſionem, ex aquis & locis humidis emergentes, per terram eo tempore Solis ardoribus exſiccatam & aduſtam irrepſerint. III. Quod ſuperiora ædium tabulata conſcenderint; ita ut nullus locus eis eſſet impervius & occluſus. IV. Quod per ſedes, cubilia, menſas, & vaſa reptantes, aquas potabiles & cibos omnes ſpurcitia ſua infecerint.

Hæc egregie explicat Philo ſcribens: *Moſis frater juſſus ad foſſas, & ſtagna, paludeſque virgam porrexit: vix manum extenderat, cum ranarum tanta vis prorepſit, ut non tantum fora compleret ac loca ſubdivalia, verum etiam domos villaſque, & cuncta ædificia, tam ſacra quam profana, tam privata quam publica, haud ſecus ac ſi hoc genus aquatilium miſſum eſſet in diverſi elementi coloniam, natura mutante rerum viciſſitudines; nam terra eſt aquæ contraria. Itaque cum nec foras progredi poſſent homines viis oppletis; nec intus manere, refertis etiam intimis penetralibus, & ad ſummas quoque contignationes ranis obrepentibus, ad extremam deſperationem redacti ſunt.*

Etſi enim fœdum illud animal nec morſu lædat, nec venenum ejaculetur, nec in homines inſiliat: attamen illæ ranæ ſua coaxatione aures gravabant: ſuper eſculenta

& po-

& pocula ſuum fluorem eructantes, omnia reddebant guſtui ingratiſſima. Extinctæ vero, & in cumulum coacervatæ, tetrum ſpirabant odorem; cumque implerent omnia, vix aliquid tangebatur, quod ab illis non eſſet conſpurcatum; ſicque ſenſus omnes graviſſime lædebant. *Fecerunt autem & maleſici per incantationes ſuas ſimiliter; eduxeruntque ranas ſuper terram Ægypti*, v. 7.

Utrum autem ſuis præſtigiis tantum oculis illuſerint, ut ſpectantibus ranæ ab eis eductæ apparerent, tametſi veræ nullæ extitiſſent; an vero Dæmon ex putri materia ad illorum incantationes ranas produxerit; prorſus incertum eſt. Dæmonem autem id efficere potuiſſe, citra dubium eſt; cum experientia conſtet aquam pluvialem in terram decidentem, radio Solis interveniente modico tempore in plurimas ranas minutas concreſcere: imo & interdum ranas pluere, dum ex putri materia vapores in aerem ſublati Solis ardore coaleſcentes, in ranas figurantur & animantur. Utut ſit, in hoc apparuit Magorum impotentia, quod ranas vel a ſe, vel a Moſe, productas ſubducere non potuerint. Quamobrem Pharao coactus eſt Moſen & Aaron advocare, quibus dixit: *Orate Dominum, ut auferat ranas a me & a populo meo: & dimittam populum ut ſacrificet Domino.... Fecitque Dominus juxta verbum Moyſis, & mortuæ ſunt ranæ de domibus, & de villis, & de agris.*

Verum cum perfidus Pharao hac plaga liberatus, magis obduruiſſet: *Aquis ceſſare juſſis*, ait Philo, *terreſtrem pœnam induxit Deus eodem uſus caſtigatore*; nempe Aarone, qui Deo imperante, *extendit manum, virgam tenens: percuſſitque pulverem terræ, & facti ſunt ſciniphes in hominibus & in jumentis: omnis pulvis terræ verſus eſt in ſciniphes per totam terram Ægypti.* Id animal, ait Philo, eſt moleſtiſſimum, quamvis minutum admodum: nam non ſolam ſuperficiem cutis lædit pruritu noxio, verum etiam interiora per aures nareſque penetrat, involat & in oculos, niſi quis caveat &c.

Vocem Hebræam *Cinnim*, quam hic habet textus originalis, plurimi cum Cajetano, & Oleaſtro *pediculos* interpretantur: quibus ſuffragatur Joſephus ſcribens: „ Rurſum
„ Deos alia clade in hominem fraudulentum
„ vindicat: pediculorum enim magna vis e
„ corporibus Ægyptiorum ſcatebat; a quibus
„ mali male perdebantur, & neque lavacris,
„ neque medicamentorum unctionibus ex-
„ tinguere eos valebant. Qua nova peſte
„ turbatus Rex, nec magis ipſo periculo,
„ quam ejus fœditate ac turpitudine terri-
„ tus, nequam cum eſſet, ægre dimidiata
„ ex parte reſipuit. *Sic Joſephus.*

Verum hallucinatur ille & a Moſis narratione turpiter abludit; Moſes enim non dicit ex humanis corporibus, ſed ex pulvere terræ animalcula illa fuiſſe procreata. Neque his obſtat, quod ſequens plaga facta dicatur, per *omne genus muſcarum*; ſciniphes enim, ut notat Albertus magnus, ſimpliciter non ſunt muſcæ; ſed corpore vermes, capite autem & alis muſcas referunt, habentes in ore aculeum, quo pungunt, & animalium ſanguinem ſugunt. Quidquid ſit, certum eſt importuniſſimum fuiſſe illud animalculi genus, quod plagam induxit maximam.

Magi quidem Pharaonis eniſi ſunt ſimilia efficere: *Fecerunt* (inquit Moſes) *ſimiliter maleſici incantationibus ſuis, ut educerent ſciniphes, & non potuerunt, erantque ſciniphes tam in hominibus quam in jumentis.*

Fecerunt, inquam, non quoad effectum; ſed tantum quoad conatum: id eſt, incantationes ſuas adhibuerunt, ut fecerant antea, quibus poſſent elevare hujus miraculi fidem, ſuaderentque iſta, non vi divina, ſed magicis artibus fieri: At vani fuerunt eorum conatus; dixerunt enim Pharaoni, *digitus Dei eſt hic*, hoc eſt, jam irritæ ſunt artes noſtræ, & vani adverſus Deum noſtri conatus.

Cur autem, qui majora viſi ſunt feciſſe, aut ſaltem ſunt imitati, minora hæc animalcula producere non potuerint, vel ſaltem illudere ſpectatoribus? merito quæſitum fuit. Varii varias cauſas commenti ſunt; nonnulli etiam ridiculas. Talis eſt illa quam Rabbini & alii ex Hebræorum commentariis referunt, a Dæmone non poſſe produci animal minus grano hordei; cum autem animalia, de quibus dictum eſt, minora fuerint, ideo non potuiſſe illa produci. At hæc ſunt otioſorum hominum ſomnia. Unica ſaltem ratio eaque legitima, petenda eſt a voluntate Dei, qui noluit ultra permittere ut maleſici illi ſuis incantationibus homines luderent. Ut tandem impotentiæ arguerentur mendaces Dæmones, eorumque miniſtri, & notum fieret nihil illos poſſe ſine divina permiſſione; ita ut ne in parvis quidem nocere poſſint, niſi quantum Deus illis habenas laxari vult.

His plagis attritus, necdum de ſua pertinacia contritus Pharao Deum provocavit, ut graviori pœna eum, eiuſque populum plecteret. Eo namque jubente, inquit Moſes: *Venit muſca graviſſima in domos Pharaonis & ſervorum ejus, & in omnem terram Ægypti: corruptaque eſt terra ab hujuſcemodi muſcis.* Hunc textum varie reddunt Interpretes: nam David Kimkius in libro radicum Hebraicæ linguæ, vocem Hebræam ערב *Hadob*, exponit de multis ſpeciebus animalium: Rabbi Salomon intelligit etiam ſerpentes, ſcorpiones & alia venenata animalia: Rab. Sepharadi dicit fuiſſe incurſionem leonum, pardorum, luporum, ſerpentum, & ſimilium beſtiarum, cui concinit Aben-Eſra.

Verum communior ſententia eſt, fuiſſe examen inſectorum, ſeu diverſi generis muſcarum, quæ per domos, vicos, plateas, agros, Ægyptumque univerſam effuſæ, hominibus, animalibus ac fructibus terræ fuerint infeſtæ. Unde Joſephus ita ſcribit: „ Varias
„ & multiformes beſtiolarum ſpecies immi-
„ ſit, quales nemo ante eam diem unquam
„ viderat; tanta copia, ut tota regio reple-
„ retur hoc malo: præ quarum item frequen-
„ tia, & homines plurimi extinguebantur,
„ & terra coli nullo pacto poterat: & qui

„ præſentaneum exitium evadebant, infecti „ tamen eorum veneno, a morbis corripie- „ bantur.

Petes, cur Deus tam vilibus animalculis uti maluerit ad vindictam, quam urſis, pardis, leonibus, cæteriſque feris carnivoris?

Reſpondet Philo, „ Deum voluiſſe incolas „ caſtigare, non tollere. Nam ſi eos omni- „ no delere voluiſſet, non opus erat ani- „ malium opera, ſed divinitus immiſſa fame „ ac peſtilentia. Præterea diſcat & illud in „ omni vita profuturum. Quidnam? Ho- „ mines quando bella gerunt, auxilia ſibi „ aſciſcere potentiſſima, quibus ſuam infir- „ mitatem ſuppleant. Deum vero omnipo- „ tentem, & nullius egentem opera, ſi quan- „ do vult tanquam inſtrumentis quibuſdam „ uti ad exigenda ſupplicia, non valida eli- „ gere, quorum robur curat minime; ſed „ vilia parvaque inſtruere invictis viribus, „ atque ita noxios plectere, quod nunc quo- „ que accidit. *Sic ille*.

Iis adde nihil tam minutum eſſe, quod non poſſit, jubente Deo, nobis perniciem afferre: nihil tam contemptum quod, eo opetante & inſtigante, noſtram non poſſit retundere ſuperbiam, & graviſſimam pœnam infligere; ſuperbo namque maxima crux eſt, a minimo vinci.

Unde Pharao horum animalculorum aculeis & infeſtatione victus, Iſraelitis conceſſit quidem facultatem Deo ſacrificandi, ſed in Ægypto. Verum reſpoſuit Moſes: *Non poteſt ita fieri: abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo noſtro. Quod ſi mactaverimus ea quæ colunt Ægyptii coram eis lapidibus nos obruent. Viam trium dierum pergemus in ſolitudinem: & ſacrificabimus Domino Deo noſtro, ſicut præcepit nobis*.

Quibus verbis declarat Moſes fieri non poſſe ut ſolemne illud ſacrificium, quod poſtulabat Deus, offerretur in Ægypto, idque probat tribus rationibus. 1. Quia offerrent abominationem Ægyptiorum, quod eſſet indecens. 2. Quia hac ratione immineret eis periculum ne lapidarentur ab Ægyptiis. 3. Quia obediendum erat Deo, qui volebat illud ſacrificium fieri in deſerto.

Immolationes autem ovium & boum, *abominationes Ægyptiorum* appellat Moſes, *vel* quia Ægyptii his animalibus abutebantur ad horrendam idololatriam, divinoſque eis honores impendebant: mactatio abominationi erat Ægyptiis, qui ab eorum eſu abſtinebant. Unde Juvenalis Satyra 15.

.... Lanatis animalibus abſtinet omnis
Menſa; nefas illis fœtum jugulare Capellæ.

Et Anaxandrides productus ab Athenæo *lib.* 8. *Deinoſop. cap.* 13. Ægyptium ſubſannans, rationemque proferens cur nullam cum eo ſocietatem inire poſſit, ait:

Tu bovem adoras; ego illum diis ſacrifico:
Maximum eſſe numen anguillam putas;
Obſonium vero nos multo lautiſſimum:
A ſuilla tu abſtines; ego vero præcipue
illam appeto:
Canem veneraris, ego verbero
Sicubi offendam vorantem obſonium.

Quæ cum ita ſint, neceſſum erat extra Ægyptum ſacrificium a Deo poſtulatum offerri, ne Iſraelitæ Ægyptiorum animos acrius in ſe concitarent & exacerbarent.

Pharao videns ſe nihil proficere ſuis cavillis & ambagibus, præſentium malorum ſenſu dejectus, perfectum obſequium ſimulat, ſpondetque ſe permiſſurum ut Iſraelitæ egrederentur ad ſacrificandum, ea lege ut ſe non ſubducerent ipſius dominationi, nec ultra limites petitos proficiſcerentur: oratque ut infeſtorum examen ambigeretur. Hoc ultimum ſe facturum promittit Moſes; ad conditionem autem propoſitam de non ulterius quam itinere trium dierum pergendo, ſilet, quia mentiri noluit, nec tempus erat ut Dei conſilium revelaret. Interea monet Pharaonem: *Verumtamen noli ultra fallere, ut non dimittas populum ſacrificare Domino*. Quibus egregiam ſuæ virtutis & animi fortitudinis ſpecimen exhibuit, palam & in faciem Tyranno exprobrans ſua mendacia, irritaſque promiſſiones; & ſimul minitans graviores pœnas, niſi a malis artibus & dolis deſiſteret.

DISQUISITIONES
IN CAPUT IX.

HOC in capite tres alias plagas refert Moſes, quibus Deus induratum cor Pharaonis emollire tentavit, ſcilicet peſtem, ulcera & grandinem.

Moſes itaque Pharaonem iterum conveniens, ei nomine Dei denuntiat: *Dimitte populum meum ut ſacrificet mihi. Quod ſi adhuc renuis, & retines eos: Ecce manus mea ſuper agros tuos: & ſuper equos, & aſinos, & camelos, & boves, & oves, peſtis valde gravis*. Hanc plagam ſic deſcribit Philo; „ Poſt hanc pœnam (quartam ſcilicet plagam) ſucceſſit alia, nemine tunc quoque „ miniſtro irati Numinis, videlicet interi- „ tus pecorum. Namque armenta & greges „ ovium caprarumque, præterea jumenta „ omnis generis, una die, tamquam ex com- „ poſito, gregatim moriebantur, portendentia, paulo poſt ſecuturam peſtem homi- „ num: quemadmodum aiunt publicas peſtilentias ſolere primum in bruta ſævire „ animalia, & inde mox in homines. *Sic ille*. pag. 482.

Quam-

Quamvis autem hanc plagam denuntiaverit Moſes, non videtur tamen per eum, aut per Aaronis virgæ extenſionem inflicta, ſicut præcedéntes plagæ, ne quis ſuſpicaretur virgæ illi ineſſe vim aliquam magicam quæ iſta miranda patraret; ſed immiſſa fuit vel occulto & inviſibili Angeli exterminatoris miniſterio; vel potius immediate ab ipſo Deo; unde ait: *Ecce manus mea* &c. Peſtis enim appoſite dicitur *manus Dei*; quia ab ipſius juſto valdeque tremendo judicio provenit: quaſi dixiſſet Moſes Dei iracundiam manifeſtandam eſſe in peſte graviſſima, ut ſentiat Pharao divinum numen ſibi maxime inſenſum.

Licet autem hæc plaga homines in ſuis perſonis non attigerit; ſed tantum animalia humanis uſibus utilia; nihilominus Ægyptiis fuit graviſſima multis de cauſis. I. Quia illis moleſtiſſimum erat eis orbari animalibus quæ precipuæ eorum erant divitiæ, & terræ colendæ plurimum inſerviebant. II. Non poterat peſtis illa ſævire in beſtias, quin tandem periculum eſſet contagionis ipſis hominibus. III. Accedebat ad eorum calamitatem & miſeriam; quod non ſolum deſtituebantur præſidiis & uſibus animalium ſibi maxime neceſſariis, ſed videbant miſerandis ſuppliciis in ipſorum animalium fœda morte, ſua exterminari idola, & ſibi proximam cladem ſimilem imminere metuebant.

Quanta vero fuerit illa animalium exterminatio, declarat Moſes, cum addit: *Mortuaque ſunt omnia animantia Ægyptiorum.* Quæ tamen verba, ſimpliciter, ut ſonant, non ſunt intelligenda; nam ex ſequentibus patebit plurima fuiſſe reſidua, quæ vel grandine deinde fuerunt extincta, vel per Angelum exterminatorem trucidata, unde vox illa *omnia*, intelligenda eſt per ſynecdochen; nempe pro *maxima parte*; ita quod lues illa non pauca tantum animalia, nec unius aut alterius loci, ut fieri ſolet, corripuerit; ſed longe lateque populata, ingentem ex pecoribus & gregibus numerum extinxerit, Ægyptumque redegerit ad penuriam.

Cum, Moſe denuntiante, audiiſſet Pharao terram Geſſen, quam incolebant Iſraelitæ intactam fore ab illa graviſſima lue; & id accidiſſe ab aliis fortaſſe fuiſſet relatum, miſit exploratum an ita eſſet. Quod cum verum eſſe certo accepiſſet, nempe regionem illam pecoribus & armentis abundantem fuiſſe a peſte liberam, in ſua pertinacia & in Deum perduellione magis induruit: eo fortaſſe nomine, quod amiſſis ſuis & ſuorum pecoribus, exiſtimabat ſe poſſe in uſum ſuum Iſraelitarum greges convertere.

Quamobrem magis in eum iratus Deus, abſque ulla denunciatione ſextam infligit plagam, nempe ulcera & veſicas turgentes, quibus tam Ægyptii, quam eorum pecora cruciabantur. Quod ut fieret, Deus Moſi & Araoni juſſit, ut plenas manus cineris de camino tollerent & ſpargerent in Cœlum, hoc eſt in aerem, ut ſicut priores pœnas intulerat ex aliis elementis, præcipue Aqua & Terra, ita hanc ex aere immitteret. Plagam autem illam fuiſſe maxime acerbam, ex eo patet, quod Magi, qui Pharaoni adſtabant præ dolore ulcerum, non potuerint amplius cum eo conſiſtere. Patet & ex eo quod Deuteronomii 28. verſ. 17. inter alias maledictiones quas populo tranſgredienti legem ſe immiſſurum minatur Deus: *Percutiet*, inquit, *te ulcere Ægypti.*

Scabies illa, eaque ulcera quæ univerſos Ægyptios diriſſime vexarunt, anſam præbuerunt nonnullis Interpretibus exiſtimandi inde ortam eſſe calumniam quorumdam Ægyptiorum Scriptorum, aſſerentium Judæos, quod ſcabie & lepra inficerentur, ejectos fuiſſe ex Ægypto. Ita Manetho, Liſymachus, & Appio Grammaticus, adverſus quem ſcripſit Joſephus, eamque calumniam confutavit. Eamdem nihilominus ſuis ſcriptis inſperſerunt Trogus Pompejus, Diodorus Siculus, & Cornelius Tacitus qui Ægyptiorum ſcabiem, divinitus immiſſam ob eorum Tyrannidem, Iſraelitis attribuerunt, eis imponentes quæ Ægyptii fuerant paſſi.

Septimam plagam ſubjungit Moſes: nimirum horrendam grandinem, quæ homines & pecora ruri conſiſtentia interficeret. Cum enim ad præfatas plagas, Pharaonis cor nec compunctione ſcinderetur, nec pietate molliretur, miniſque non cederet, ſeverioribus plagis eum caſtigare voluit Deus, ut ſuperbiam ejus frangeret, & cor obduratum emolliret. *Extendit itaque Moyſes virgam in cœlum, & Dominus dedit tonitrua, & grandinem, ac diſcurrentia fulgura ſuper terram: pluitque Dominus grandinem ſuper terram Ægypti. Et grando & ignis miſta pariter ferebantur: tantæque fuit magnitudinis, quanta ante nunquam apparuit in univerſa terra Ægypti, ex quo gens illa condita eſt. Et percuſſit grando in omni terra Ægypti cuncta quæ fuerunt in agris, ab homine uſque ad jumenta: cunctamque herbam agri percuſſit grando, & omne lignum regionis confregit.*

Quos itaque præcipuos hujus plagæ, effectus adnotat Moſes. *Primus* fuit hominum animaliumque cædes, quos illa tempeſtas in agris, plateis, & extra domos invaſit. *Secundus*, omnium herbarum agri tam ſponte natarum, quam hominum opera ſatarum contritio & oppreſſio, quarum alias clades illa protrivit, ut lignum & hordeum quæ in culmum jam aſſurrexerant; alias obruit, ut triticum & far; ita ut tamen ea non corruperit; quia, ait Moſes, *ſerotina erant.*

Hac horrenda clade perterritus Pharao, videnſque præcipuas orbis partes adverſum ſe armatas & deſævientes, nimirum aerem per tonitrua, aquam per grandinem, & ignem per fulgura; tandem, licet invitus, ad Deum converſus, ait Moſi & Aaroni: *Peccavi etiam nunc: Dominus juſtus: ego & populus meus, impii: orate Dominum ut deficiant tonitrua Dei, & grando: ut dimittam vos, & nequaquam hic ultra maneatis.* Cum autem ad Moſis & Aaronis preces plagam iſtam ſubmoviſſet Deus; iterum ſuo more Pharao ad priorem audaciam reverſus, promiſſis non ſtetit: quamobrem illius pertinaciam & obdurationem novis plagis plectere voluit Deus, quas enarrat Moſes in capite ſequenti.

DISQUI-

DISQUISITIONES IN CAPUT X.

DUas alias ſequentes plagas in hoc capite recenſet Moſes, nempe *locuſtarum, & tenebrarum*, quibus perfidiam impii Pharaonis & obſtinationem ultus eſt Deus. Priuſquam vero eas immittat, Pharaonem per Moſem admonet, niſi reſipiſcat, & Iſraelitas ſacrificaturos egredi libere permittat: *Ecce*, inquit, *ego inducam cras locuſtam in fines tuos: quæ operiat ſuperficiem terræ, ne quidquam ejus appareat, ſed comedat quod reſiduum fuerit grandini. Corrodet enim omnia ligna quæ germinant in agris. Et implebunt domos tuas, & ſervorum tuorum, & omnium Ægyptiorum: quantam non viderunt patres tui, & avi, ex quo orti ſunt ſuper terram, uſque in præſentem diem*. In quibus verbis tria maxime veniunt notanda. I. Admiranda Dei erga peccatores obduratos patientia, quos modis omnibus ad pœnitentiam provocat; quorum tamen indurationem & pertinaciam permittit, ut gloriam ſuam magis illuſtret. Nam, inquit S. Paulus: *Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia, vaſa iræ apta in interitum, ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ* &c. Itaque Pharao ſua obſtinatione Deum laceſſendo, occaſionem præbuit plura prodigia patrandi, quæ non fuerunt edita ut gravaretur ejus cor; ſed potius aggravatum fuit, ut inde occaſio daretur ſignorum multiplicandorum; ſi enim ſtatim obtemperaſſet, nullo fuiſſet opus certamine.

II. Quod vilibus animalculis uti voluerit Deus, ut contumelioſius indomabilem Tyrannum cum ſuis copiis & innumeris ſobditis ſibi rebellibus profligaret.

III. Apparet ex præfatis verbis plagam hanc Ægyptiis viſam fuiſſe præcedentibus graviorem & intolerabiliorem. Communis quidem antea fuerat eorum cum ſuo Rege in retinendis Iſraelitis pertinacia; & veriſimile eſt eos ſerviliter adulando Regi, ipſum in ſua contumacia confirmaſſe. At vero jam perceptis incommodis victi, & deteriorum metu, Pharaonis animum in Iſraelitas exacerbatum mitigare tentant, dicuntque: *Uſquequo patiemur hoc ſcandalum? dimitte homines ut ſacrificent Domino Deo ſuo. Nonne vides quod perierit Ægyptus?* Eorum precibus acquieſcens Pharao, & ipſe tot plagis territus, advocatis Moſe & Aarone permittit quidem ut ſoli viri Iſraelitæ ſacrificatum eant; mulieres vero & parvuli cum pecoribus remaneant. Sic hypocritis mos eſt cum Deo ita tranſigere, ut dimidiam ſui juris partem dimittere eis cogatur.

At cum Pharao accepiſſet lugendam ſtragem quam locuſtæ fecerant per univerſam Ægyptum, adeo ut graminibus & arboribus nihil vividum & viride appareret, feſtinus vocavit Moſem & Aaronem, aitque: *Peccavi in Dominum Deum veſtrum, & in vos. Sed nunc dimittite peccatum mihi etiam hac vice, & rogate Dominum Deum veſtrum, ut auferat a me mortem iſtam*. Quod utique ad Moſis preces conceſſit Deus: fecit enim *flare ventum ab occidente vehementiſſimum, & arreptam locuſtam projecit in mare rubrum: non remanſit ne una quidem in cunctis finibus Ægypti*.

Verum iterum indurato corde Pharaonis, novam plagam ordine nonam, ſcilicet *tenebrarum* inflixit Deus, quam Auctor libri Sapientiæ cap. 17 egregie deſcribit dicens: Primo, Ægyptios ſtupore & horrore tenebrarum perſtitiſſe immobiles, quaſi eſſent vinculis & catenis conſtricti, & tanquam in carcere vel ſpelunca quapiam reclusi: *Una*, inquit, *catena tenebrarum omnes erant colligati: & longæ noctis vinculis compediti tenebantur in carcere, ſine ferro recluſi*. Deinde cum reliquus terrarum orbis, clariſſimis cœli luminibus frueretur, ſolos Ægyptios cœleſti luce fuiſſe prorſus orbatos. *Omnis*, inquit, *orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, & non impeditis operibus continebatur: ſolis autem illis ſuperpoſita erat gravis nox, imago tenebrarum, quæ ſuperventura illis erat. Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec ſiderum limpidæ flammæ illuminare poterant noctem illam horrendam.*

Præterea, in illis tenebris poſiti Ægyptii, audiebant horribiles ſonitus: & viſa monſtrifica ac terrifica illos præ timore exanimabant. *Sonitus*, inquit, *deſcendens perturbabat illos, & perſonæ triſtes illis apparentes pavorem illis præſtabant; & tranſitu animalium, & ſerpentium ſibilatione commoti, tremebundi peribant.*

Sed dicet quiſpiam, quomodo in tam denſis tenebris Ægyptii poterant iſtiuſmodi horrifica monſtra cernere?

Reſpondet ibidem Sapiens: *Apparebat illis ſubitaneus ignis, timore plenus: & metu perculſi illius, quæ non videbatur, faciei, exiſtimabant deteriora eſſe, quæ videbantur.* Ad extremum, partim ob tenebrarum horrorem, partim etiam propter conſcientiæ morſum (ſemper enim præſumit ſæva, pertubata conſcientia) omnia pavebant & horrebant. *Sive*, inquit, *ſpiritus ſibilans, aut ſpiſſos arborum ramos, aut avium ſonitus ſuavis, aut vis aquæ decurrentis nimium, aut ſonus validus præcipitatarum petrarum, aut ludentium animalium curſus inviſus, aut mugientium valida beſtiarum vox, aut reſonans de altiſſimis montibus Echo; deficientes faciebant illos præ timore.*

Audiendus eſt etiam Philo, qui hanc plagam ſic deſcribit: „ Quia rex manebat ut

„ ante

„ ante difficilis, ſupervenit calamitas major
„ quam ulla hactenus. Sereno enim die re-
„ pente offuſæ ſunt tenebræ, ſive ob defe-
„ ctum Solis majorem ſolito: ſive continuis
„ denſiſque nubibus cœlum ſubtexentibus,
„ & nimia conſtipatione interclusis radiis,
„ ut dies nihil differret a nocturna caligine:
„ qua per triduum continuata, videbatur
„ una perpetua non longiſſima. Tunc, aiunt,
„ eos aut non auſos e cubili ſurgere: aut
„ ſi neceſſitates naturales urgerent, more
„ cæcorum palpando parietes, & ſi quid
„ erat præ manibus, ægre potuiſſe progre-
„ di. Nam ignis, quo utimur quotidie, vel
„ aere turbato extinguebatur, vel vincebatur
„ a craſſiſſimis tenebris, ita ut ſalvis oculis
„ ſumme neceſſarium videndi ſenſum, ceu
„ eaoculati, requirerent: quo adempto cæ-
„ terorum nullus uſus erat. Nam nec loqui,
„ nec audire, nec cibis frui licebat; ſed per
„ ſilentium fame cruciabantur; nulli vacan-
„ tes ſenſui, præſenti malo prægravante,
„ donec Moſes miſeratione motus Deum eao-
„ ravit. Tunc demum ſucceſſit lux tenebris,
„ & nocti dies ſereniſſima. *Hæc Philo.*

At, *inquies*, ſi nemo per triduum potuiſſet ſe movere, nec ſurgere e loco ſuo, qui fieri potuit, ut Pharao Moſem & Aaronem arceſſerit? ſubditur enim: *Vocavitque Moſem & Aaronem* &c.

Hanc difficultatem ut elevent Interpretes; *Reſpondent* aliqui, id quod dicitur, neminem per triduum ſe moviſſe e loco ſuo, intelligi de publicis actionibus quæ luce egent; ac ſi dictum eſſet, Ægyptios per illud triduum ceſſaſſe ab omnibus officiis publicis & domeſticis quæ lucem requirunt; id autem non obſtitiſſe quominus, jubente Rege, aliqui per medias tenebras Moſem quæſierint. Verum hanc conjecturam refellunt ſupra producta libri Sapientiæ & Philonis verba, quibus conſtat Ægyptios denſiſſimis illis tenebris velnti repagulis & catenis conſtrictos, hoc eſt, impeditos ne longius pergerent.

Reſpondent alii, tenebras illas jam fuiſſe diſſipatas cum Pharao Moſem & Aaronem advocavit; idque probari putant ea ipſius Pharaonis ſilentio, qui præſentes Moſem & Aaronem non rogavit, ſicut fecerat antea, ut plaga ceſſaret; ſed, inquiunt, timens ne duriora acciderent, illos accerſivit, ut eis aliquid concederet, præter ea, quæ antea ſpoponderat; nempe, ut nedum viri, ſed & mulieres cum ſuis parvulis poſſent ſacrificasum abire, dummodo remanerent pecora. Verum, cum ceſſantibus aliis plagis Pharao ſtatim magis induruerit, nec ſteterit promiſſis: veriſimile non eſt, quod ſi diſſipatis tenebris plena lux affulſiſſet, illum adeo clementem & indulgentem fuiſſe erga Iſraelitas.

Quamobrem cenſerem tenebras illas nondum fuiſſe penitus ſubductas, ſed duntaxat ex parte, quando Pharao Moſem accerſivit; & aerem quidem fuiſſe adhuc obnubilatum, ſed aliqua luce circumfuſum, qualis eſt in crepuſculo. Potuit enim Deus per gradus lucem reſtituere; ſed cum hæc ea celeritate non redderetur, ut optabat Pharao, advocavit Moſem ut ſuis precibus plenariam lucem reſtitueret.

Hanc autem gratiam ut facilius conſequeretur, liberum facit Iſraelitis ut ad ſacrificandum progrediantur cum ſuis uxoribus & parvulis, dummodo armenta remaneant. Arbitratus eos facile revocari poſſe amore pecudum ſuorum in Ægypto relictorum, aut ſaltem leviorem fore jacturam, ſi amiſſis hominibus, eorum peculium & bona retineret.

At Moſes has exceptiones repudiat: *Cuncti*, inquit, *greges pergent nobiſcum: non remanebit ex eis ungula, quæ neceſſaria ſunt in cultum Domini Dei noſtri: præſertim cum ignoremus quid debeat immolari, donec ad ipſum locum perveniamus.* Prætexit quidem opus eſſe victimis, ut majorem invidiam declinaret; ſed interea pactiones omnes excludit, vultque ut liberum ſit Iſraelitis cum omnibus ſuis bonis egredi. Quibus auditis Pharao, non ferens libertatem dicendi, neque imminentem jacturam tot bonorum & divitiarum quibus abundabant Iſraelitæ, & quas ipſe ſpe devoraverat, ira abreptus Moſi dixit: *Recede a me, & cave ne ultra videas faciem meam: quocumque die apparueris mihi, morieris.* Cui repoſuit Moſes, *ita fiat ut locutus es, non videbo ultra faciem tuam.* Prædicens videlicet ſpiritu prophetico quod futurum erat, a ſe nuſquam Pharaonem ultra videndum, brevi ſcilicet abſorbendum aquis maris rubri.

Non eſt tamen exiſtimandum ſeſe continuo a Pharaonis conſpectu ſubduxiſſe; apparet enim ex ſequenti capite, illum ei denuntiaſſe ultimam cladem, qua Deus illius perfidiam & contumaciam erat ulturus; nimirum imminentem omnium Ægypti primogenitorum interfectionem, eique dixiſſe: *Deſcendent omnes ſervi tui iſti ad me, & adorabunt me dicentes: Egredere tu, & omnis populus qui ſubjectus eſt tibi: poſt hæc egrediemur.* Ac ſi dixiſſet, non vis ut amplius videam faciem tuam, nec ulterius appaream in conſpectu tuo, quoniam petitionibus meis tibi ſum moleſtus: ita fiet, ut ſtatuis, quia Deus talem plagam parat adverſus Ægyptum, & ut cum eam fueris expertus, mittes ad me ſervos tuos, qui me tuo nomine rogaturi ſint, ut cum toto populo Iſraelitico e regno tuo egrediar.

Has autem minas cum etiam ſpreviſſet Pharao, Moſes divini Spiritus impulſu ita efferbuit, ut exierit a Pharaone *iratus nimis*. Non ex vitioſa animi perturbatione, ſed ex zelo juſtitiæ: & gloriæ Dei, quem a Pharaone adeo perfracte & irreligioſe contemni videbat. Hac autem animi commotione ſignificabat Moſes Deum ſummopere adverſus Pharaonem exacerbatum, nihilque deinceps ab illo expectandum quam extremum flagellum. Hactenus Moſes facilem ſe præbuerat, ut ad Pharaonis preces, peteret a Deo immiſſarum plagarum ceſſationem & ablationem: at iratus diſcedens a Pharaone, indicabat ſe non amplius pro illo interceſſurum.

DISQUISITIONES IN CAPUT XI.

TRes diſtingui poſſunt hujus Capitis partes, in quarum *prima* Deus Moſi denunciat imminentem ultimam plagam, quam in Pharaonem, ejuſque ſubditos erat immiſſurus. In *ſecunda* legitur mandarum Dei quo jubet ut Iſraelitæ comparent ſe ad exitum, mutuenrurque ab Ægyptiis vicinis ſuis vaſa argentea & aurea, nec non, ut addunt LXX. Interpretes, pretioſas veſtes. *Tertia* continet epilogum, ſeu brevem repetitionem eorum prodigiorum, quæ coram Pharaone Moſes & Aaron ediderant.

Deus itaque Pharaonis perduellione & impia reluctantia ſumme tandem exacerbatus, Moſi denunciat: *Media nocte egrediar in Ægyptum, & morietur omue primogenitum in terra Ægyptiorum, a primogenito Pharaonis, qui ſedet in ſolio ejus, uſque ad primogenitum ancillæ, quæ eſt ad molam, & omnia primogenita jumentorum. Eritque clamor magnus in univerſa terra Ægypti, qualis nec ante fuit, nec poſtea futurus eſt.*

Utitur autem Deus verbo *egrediendi*, non quod locum ſit murarurus; quippe qui cœlum & terram impleat: & ubique ſit præſentiſſimus: ſed metaphora ſumpta a principibus, qui e regionibus ſuis egredientes, hoſtiles ingrediuntur, earumque Reges ae ſubditus ſibi adverſantes adoriuntur & expugnant. Hac etiam voce ſortaſſis uſus eſt, ut ſignificaret ſe brevi egreſſurum de terra Geſſen, in qua cum Iſraelitis ſuis cultoribus habitabar ſingulari ſua protectione, & diſcurſutum per univetſam Ægyprum, ut ſingularum familiarum primogenitos trucidet.

In ſecunda hujus capitis parte mandat Deus Mnſi ut ſuo nomine jubeat Iſraelitis, ut ab Ægypriis, qui in eadem cum illis regione Geſſen degebant, mutuo peterent vaſa aurea & argentea, nec non & pretioſas veſtes, ſub eo pretexru, quaſi his indigerent ad ſolemne illud ſacrificium quod Deus ſibi in deſerto offerti poſtulabat. Cum autem vix ulla ſpes eſſer obtinendæ petitionis ab Ægypriis, quos Iſraelitæ antea iniquiſſimos ſuerant experri, niſi aliqua mutario in eorum cordibus fieret, promittit Deus ſe effecturum ut Ægyprii perita liberaliter concederent. Quod & factum eſt: nam io capite ſequenri *verſ. 36.* legimus: *Dominus autem dedit gratiam populo coram Ægyptiis, ut commodarent eis: & ſpoliaverunt Ægyptios.*

QUÆRITUR AUTEM.

Utrum Iſraelitæ citra omnem culpam id fecerint.

VIdentur enim peccaſſe mendacio, & ſurro. *Mendacio* quidem, cum ea petierint mutuo, animo tamen non reddendi; *furto* vero cum aliena invitis dominis abſtulerint. Hoc unum erat ex argumenris quæ obtrudebant Manichæi & Marcionitæ, ut Deo auctori Veteris Teſtamenti detraherent, tamquam mendaciorum, fraudum, & ſurtorum fautori.

Ar Fauſto hoc telum torquenti reſponder S. Auguſtinus Moſem hæc Iſraeliris imperando, *Uſque adeo non peccaſſe, ut non faciendo peccaret; Deus enim juſſerat; qui utique novit non ſolum ſecundum facta, verum etiam ſecundum cor hominis quid unuſquiſque, vel per quem perpeti debeat.* Prima itaque ratio quæ rum Moſem imperantem, tum Iſraelitas exequentes excuſat, perenda eſt ab ipſa Dei voluntare; cum enim ſit infinite iuſtus, bonus & verus; quidquid jubet, æquiſſimum eſt; quod facir, optimum; quod dicir, veriſſimum: unde licet alia ratio hujus ſacti non occurreret, quam ipſa Dei jubentis voluntas; deberet eſſe ſufficiens ad reſellendas infidelium, & impiorum cavillationes; non modo quia ſupra omnes leges eſt ejus imperium, ſed quia ipſius voluntas perfectiſſima eſt legum omnium norma.

His accedit quod cum Deus ſit rerum omnium conditor, earum etiam ſupremus eſt Dominus; unde merito David Pſal. 23. *Domini eſt terra, & plenitudo ejus; orbis terrarum, & univerſi qui habitant in eo.* Quod urique ſupremum jus in alium nec tranſtulit umquam, nec transferre poteſt. Unde ſolus ipſe liberrimam habet bonorum omnium diſpenſationem, & cui vult, ea pro libiro concedir, & conceſſa revocat, abſque eo quod aliquis juſte poſſit conqueri. Quamobrem Job omoibus divitiis & bonis, quibus abundabar, quaſi una hora ſpoliatus, in Dei diſpenſarione acquievit dicens cap. 1. *Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt; ſit nomen Domini benedictum.* Quod ſi viro pio potuir Deus conceſſa booa eripere abſque omni injuſtiria, quia jure ſuo utebatur; quid ſentiendum eſt de impiis, qui in Dei contumeliam & offenſam iſtis conceſſis bonis abutuntur?

Hanc ſecundam rationem, pro adſtruenda illa Dei maxima æquitate in exportandis Ægyptiorum bonis, producit S. Auguſtiuus

ſtiuus

ſtinus mox laudatus: *Carnalis*, inquit, *adhuc ille populus erat, & rerum terrenarum cupiditate occupatus: Ægytii vero ſacrilegi & iniqui; nam & auro illo, hoc eſt, Dei creatura, male utentes ad Creatoris injuriam, ſuis idolis ſerviebant, & homines peregrinos labore gratuito injuſte ac vehementer afflixerant. Digni ergo erant, & iſti quibus talia juberentur, & illi qui talia paterentur: & forte ſecundum ſuas voluntates & cogitationes Hebræi magis permiſſi ſunt facere iſta, quam juſſi, ſed eis Deus permiſſionem ſuam per famulum ſuum Moyſem innoteſcere voluit, quando mandavit ut diceret &c.*

Tertiam hujus divinæ æquitatis in tranſferendis Ægyptiorum bonis ad Iſraelitas rationem proferunt SS. Patres & veteres Interpretes, nempe quod duriſſimos labores per centum pluſquam annos ab Iſraelitis tyrannice exegerant Ægyptii, eoſque bonis ſuis maxima ex parte ſpoliaverant: erat igitur divinæ æquitati conſonum, ut tot improbe exantlatorum laborum mercedem reciperent, & ablata ſibi injuſte bona recuperarent. Hanc rationem ſic expendit S. Irenæus: *Populus*, inquit, *peſſimam ſervitutem ſerviebat Ægyptiis, quemadmodum Scriptura ait: & cum ei poteſtatem exercebant in filios Iſrael, & in odium eis adducebant vitam, in operibus duris, luto & latere, & omnibus operibus quæ fiebant in campis, per omnia opera quibus eos deprimebant cum vi. Et ædificarunt eis civitates munitas, multum laborantes &c. Quid igitur injuſte factum eſt, ſi ex multis, pauca ſumpſerunt, & qui potuerunt multas ſubſtantias habere, ſi non ſerviſſent eis, & divites abire, pauciſſimam mercedem, pro magna ſervitute habentes, inopes abierunt?* Mitto cæteros patres idem aſſerentes.

Addit Tertullianus lib. 2. contra Marcionem, cap. 20. traditionem eſſe ab Ægyptiis legatos miſſos eſſe ad repetenda ſua, quibus cum Judæi operas ſuas, & debitam pro eis mercedem oppoſuiſſent, Ægyptios tandem æquæ rationi ceſſiſſe, & juri ſuo renuntiaſſe. *Ajunt*, inquit, *ita actum per legatos utrinque: Ægyptiorum quidem repetentium vaſa; Judæorum vero repoſcentium operas ſuas: & tandem vaſis iſtis renuntiaverunt Ægyptii, &c.*

Audiendus etiam Philo, qui hanc eamdem rationem egregie explicat: „ Auſi
„ ſunt, *inquit*, facinus quo injurias acceptas
„ rependerent. Multum enim prædæ nacti,
„ ſarcinas partim ſuis humeris, partim ju-
„ mentis impoſuerunt, non præ avaritia (ut
„ obtrectatores dicerent) aut alienarum for-
„ tunarum concupiſcentia (quæ enim eſſe
„ poterat?) ſed primum ut diuturni laboris
„ neceſſariam mercedem reciperent: dein-
„ de, ut pro acceptis tempore quo ſervie-
„ rant injuriis, ſi non pro merito, aliquid
„ tamen damni reponerent. Nec enim eſt
„ par jactura libertatis & pecuniæ, cum
„ nemo ſanus non malit vitæ quam libertatis
„ adire periculum. Itaque utrumque factum
„ jure tueri poſſunt: ſive ut in pace mer-
„ cedem receperunt, qua tandiu fraudati
„ fuerant: ſive ut bello victores victos bo-
„ nis ſpoliaverunt. Ab illis enim orta fue-
„ rat injuria, qui hoſpites ſupplicesſque ſuos
„ (ut ante dixi) quaſi captivos in ſervi-
„ tem redegerant. Tandem ubi ſe obtulit
„ occaſio meliorum temporum, populus
„ inermis illatam ſibi vim ultus eſt, pro-
„ tegente ipſa juſtitia.

Claudam hanc diſſertationem verbis S. Auguſtini loco ſupra laudato: *Fieri autem poteſt*, inquit, *ut ſint aliæ cauſæ occultiſſimæ, cur hoc illi populo divinitus dictum ſit: ſed divinis imperiis cedendum obtemperando, non reſiſtendum eſt diſputando. Apoſtolus dixit: Quis enim cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit? ſive ergo iſta ſit cauſa, quam dixi, ſive alia qualibet, in ſecreta & abdita diſpoſitione Dei lateat, cur hoc per Moyſen illi populo dixerit, ut ab Ægyptiis ſibi commodanda peterent quæ auferrent: hoc tamen confirmo, nec fruſtra nec inique dictum eſſe, nec licuiſſe Moyſen aliter quam Deus dixerat facere, ut penes Dominum eſſet conſilium jubendi, penes famulum autem obſequium peragendi.*

Petes quonam tempore Iſraelitæ vaſa iſta aurea & argentea, veſteſque ab Ægyptiis fuerint mutuati?

Reſpondet, S. Auguſtinus: *Jam*, inquit, *hoc factum fuerat ante mortes primogenitorum Ægyptiorum, ſed nunc per recapitulationem repetitur. Nam narratum eſt quod factum eſt. Modo enim fieri quomodo poſſet ut in tanto luctu, ex mortibus ſuorum, ut acommodarent iſta filiis Iſrael; niſi forte quis dicat iſta plaga non fuiſſe percuſſos Ægyptios, qui cum Hebræis habitabant in terra Geſſen.* At poſtrema hæc S. Auguſtini conjectura probanda non eſt; ſi enim Deus parcere voluiſſet Ægyptiis habitantibus cum Iſraelitis, non fuiſſet opus Iſraeliticarum domorum poſtes aſpergi ſanguine Agni Paſchalis. Communis autem Interpretum eſt ſententia, Iſraelitas iſta ab Ægyptiis mutuo accepiſſe, medio illo tempore inter immiſſas denſiſſimas tenebras & cædem primogenitorum. Cum enim Moſes, Deo revelante, ſciret Pharaonem brevi conceſſurum Iſraelitis facultatem exeundi, videreſque Primates Ægyptios ad id Pharaonem urgere, ſignificavit Iſraelitis ut ſe compararent ad egreſſum, ſimulque convenirent in regione Rameſſes, & vaſa ac veſtes ab Ægyptiis poſtularent. Quod ut poſſent conſequi, Deus Ægyptiorum animos ad id concedendum inflexit, illo ſcilicet, ut diximus intermedio tempore inter plagam tenebrarum & cædem primogenitorum.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XII.

QUatuor potiſſimum occurrunt hoc in Capite notanda. I. Tempus & ritus in immolatione & manducatione Agni Paſchalis ſervandus. II. Executio prius denuntiatæ interfectionis primogenitorum Ægypti. III. Iſraelitarum ex Ægypto exitus. IV. Quandiu ibidem extiterint.

Primo itaque inducitur Deus Moſi & Aaroni præcipiens ut Agni Paſchalis præparatio, immolatio, & comeſtio fieret in primo menſe anni. Duplex autem apud Iſraelitas erat annus, *Civilis* unus *ſacer* alius; primus ordiebatur a menſe *Tiſri*, qui ut diximus antea, noſtro Septembri reſpondet, & proximus erat equinoctio Autumnali, qui partem Martii & Aprilis noſtri occupat. Alter vero a menſe Niſan, initiumque ducebat ab equinoctio verno. Primus dicebatur *civilis*, quod nempe res forenſes, civiles & domeſticæ juxta ejus decurſum conficerentur & ſcriberentur. Alius vero dictus eſt *ſacer*, quod exordium duceret ab eo menſe in quo Paſcha, præcipua Iſraelitarum ſolemnitas, celebrandum erat, & aliæ deinde per annum agendæ feſtivæ celebritates. *Ad priorem annum nempe quo ad nundinationes rerum venalium, reliquam diſpenſationem attinet, nihil de priſtino ritu innovavit Moſes*, inquit Joſephus lib. 1. Antiquitatum cap. 4. At ait ibidem, *Niſan, qui Græcis eſt Xanticus, menſem primum in ſuis feſtis ordinavit, quod in eo Hebræos ex Ægypto eduxiſſet: eumdem etiam omnium quæ ad rem divinam pertinent, initium fecit.*

Quæritur autem primo utrum revera menſis, in quo celebrandum erat Paſcha tum primum fuerit conſtitutus primus menſis anni, cum Deus Muſi & Aaroni initio huius capitis dixit: *Menſis iſte, vobis principium menſium, primus erit in menſibus anni.*

Reſpondeo, Hebræorum Doctores recentiores maxime Aben-Eſra, Ramban, Bechai, Chaskuni, Abarbanel &c. aſſerere majores ſuos ante exitum ex Ægypto, & deinceps conſtanter initium anni fixiſſe & habuiſſe in Autumno, menſe quem vocant *Tiſri*: Deum autem aliud anni exordium conſtituiſſe in ipſo ex Ægypto egreſſu. Eis ſubſcribunt nonnulli Catholici Interpretes, in primis vero Abulenſis præſul, qui exponens præfata huius capitis verba ſcribit: „ *Primus erit in menſibus anni*; id eſt, ante non „ erat primos in menſibus anni: ſed nunc „ mando, quod ſit primus in menſibus anni, „ hoc enim ex ſuperiori bene infertur, ſcil. „ Martius eſt principium menſium, ergo & „ principium anni: menſes enim primitatem aut poſteritatem habent ſecundum „ id, in quo ordinantur. Ordo autem finis „ eſt in anno: licet ergo ante menſis primus eſſet September, nunc incipit Martius vocari primus. Ex eventu notabili, „ qui ipſis fuit, ſc. quod in illo menſe de „ captivitate Ægyptiaca liberati ſunt. Et „ hoc faciebat valde ad memoriam beneficii „ divini; cum viderent menſem primum mutatum recordarentur facilius beneficii, „ propter quod iſta mutatio facta eſt. Sic „ enim Hebræi mutantes menſes, mutaverunt & computationem annorum: quia „ non computaverunt ab orbe condito, ut „ conſueverant, ſed ab exitu de Ægypto „ annos computare cœperunt.

Etſi vero hæc ſententia non eſt improbabilis, attamen oppoſita mihi videtur probabilior, cum veriſimilius ſit mundum fuiſſe conditum verno tempore, ut abunde probatum eſt initio, & in noſtra Academica Theologia tomo nunc tertio. Ac proinde anni exordium ab ea ætate a Patriarchis Iſraelitarum majoribus fuiſſe computatum, & ad nepotes traductum.

At cum Iſraelitæ diutiſſime verſati fuiſſent in Ægypto, & more ejus incolarum dies, menſes, & annos computare fuiſſent aſſueti; ut ſervatam ab eorum majoribus annos numerandi conſuetudinem revocaret & innovaret Deus, juſſit ut menſis, quo exituri erant ex Ægypto, ipſis eſſet anni exordium, uti fuerat jam ab ipſa mundi creatione.

At, inquies, idcirco Deus voluit ut menſis iſte Iſraelitis deinceps eſſet anni exordium, quia in eo liberandi erant a duriſſima & diuturna ſervitute Ægyptiaca; nempe, ut perpetuum haberent huius liberationis memoriale: Igitur antea ſimilis non fuerat annum ordiendi ratio.

Nego hanc conſequentiam, & ad antecedens dico, non eſſe inſolitum ut multiplex ob motivum res aliqua ſtatuatur, aut prohibeatur, tametſi unicum eorum dumtaxat diſtincte exprimatur, ut conſtat ex præſcriptione legum tam divinarum quam humanarum. Potuit ergo Deus præcipere ut in poſterum Iſraelitæ annum ordirentur ab illo menſe in quo ex Ægyptiorum tyrannide erant eximendi; tum ut reſtitueretur prior ille annos ordiendi a mundi initio uſitatus modus: tum ut eis eſſet perenne iſtius mirandæ liberationis memoriale. Quod autem hæc liberatio præcipua non fuerit huius annorum novi exordii ſtatuendi cauſa; inde fit manifeſtum, quod egreſſus ille contigerit, non prima die iſtius menſis, ſed tantum decima quinta, die ſcilicet immediate ſequente interfectionem primogenitorum Ægypti, & eſum Agni Paſchalis; ac proinde ſi hæc liberatio unicum fuiſſet ſtatuendi huius annorum exordii motivum, potius exordium illud refundendum eſſet in plenilunium, quo illa facta eſt, quam in novilunium quod præceſſerat.

Jubet

Jubet autem Deus, ab unaquaque Iſraelitarum familia decima die iſtius menſis aſſumi agnum, aut eo deficiente, hœdum immaculatum anniculum, hoc eſt, annum circiter a ſua nativitate agentem, illumque ab omnibus præparari & ſervari die decima quarta ſerotinis horis immolandum. Cur autem per quatuor dies illum ſervari mandavit Deos, quatuor rationes profert Paulus Fagius deſumptas a Doctoribus Hebræis. I. Inquit, ne forte negotiorum turba, quibus ſe ad profectionem præparabant, mandatum oblivioni traderenr. II. Ut eo melius obſervarent ſi forte defectus aliquis in agno eſſet, qui integer & immaculatus eſſe debebat. III. Ut ex aſpectu agni occaſionem haberent inter ſe colloquendi de redemptione ſua ex Ægypro: unde ex traditionibus Hebræorum refertur, iſtum agnum productum, interea temporis donec mactaretur decimo quarto die, in hypocauſto ad fulcrum ſpondæ alligatum fuiſſe, ut omnium aſpectui pateret, atque ita ipſis de redemptione ſua, adeoque miſericordia Dei, qui illi tam clementer reſpexerat, inter ſe conſerendi occaſionem daret. IV. Ut iſta ratione ſeſe ad bonum opus perficiendum accingerent ac præpararent. Dicunt enim Sapientes Hebræorum non minus gratum eſſe Deo, ſi quis in tempore ſeſe bono operi agendo accingat, adeoque animum, voluntatem, ſtudiumque oſtendat, quam ipſum opus. Unde eſt apud illos hæc trita ſententia: *Qui ſtreuue parat ſe ad præceptum, ſeu bouum opus, periude eſt atque cum facit*.

Peter II. Utrum ritus ille præparationis victimæ per quatuor dies, fuerit etiam ſervandus ab aliis Iſraelitis in ſequentibus Paſchalibus ſolemnitatibus, quas Hebræi *Paſchata generatiouum appellant?*

Reſpondeo, hac de re triplicem eſſe ſententiam, affirmantem unam, negantem alteram, terciam inter uttamque mediam. *Affirmantem* propugnant *S. Epiphanius* hæreſi 50. ubi addit, Judæos ſua adhuc ætate per quatuor illos præparationis dies jejunare ſolitos. S. Chryſoſtomus laudatus in catena. *Rupertus* in cap. 10. & 11. *S. Anſelmus* in 21. Matth. *Beda* homilia in Dominica palmarum. Unde Chriſtus hoc agno figuratus, ingreſſus eſt Jeruſalem cum ramis Palmarum, immolandus poſt quartum diem, puta die veneris, ut Toletus in cap. 12. Joannis & alii obſervarunt.

Negautem vero partem tuentur plerique recentiores Hebræi Ductores, imprimis vero Rabbi Salomo in hunc Textum, ubi dicit hanc præparationem victimæ per quatuor dies pertinere ad paſcha Ægyptiacum, non autem ad paſcha generationum. Ei ſubſcribit R. Abarbanel, qui cum dixiſſet in inſtitutione paſchatis quædam pertinuiſſe ad paſcha Ægyptiacum, ſicut & ad paſcha generatiooum, putà quod aſſumendus eſſet agnus aut maſculus integer, filius unius anni, quodque immolandus eſſet inter duas veſperas &c. *Addit*: „ Verum acceptio pecudis in „ decimo menſis, quatuor dies ante mactationem ejus, & datio ſanguinis ſuper ſu„ perliminari, & ſuper duobus poſtibus, & „ præceptum; lumbi veſtri cincti erunt, & „ calcei veſtri in pedibus veſtris, & baculi „ veſtri in manibus veſtris: tres (inquam) „ iſtæ res erant neceſſariæ in paſchate Ægy„ pti, non autem in paſchate generationum. „ Ecce enim, omnis res, quæ eſt de ſubſtantia „ paſchatis, pertinuit etiam ad generationes: „ ſed res, quæ dependent ab individuis (id „ eſt accidentalia) oon pertinent ad gene„ rationes.

Favet etiam huic ſententiæ Jonathan in verſione ſua Chaldaica, ait enim: *In decimo menſis bujus, teupus ejus fixum in boc tempore ſeu bac vice, & nou in generationes*. Eis etiam ex noſtris interpretibus patrocinantur Abulenſis in hunc textum & Cornelius a lapide: in quam etiam inclinat Lyranus noſter.

Confirmatur hæc ſententia. *Primo*, exemplo Chriſti D. qui Moſaicam legem exacte ſervavit ipſo dicente Matth. 5. verſ. 17 & 18. *Non veni ſolvere legem, aut Prophetas, ſed adimplere: jota unum, aut uuus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant*. Ipſe tamen non miſit diſcipulos ſuos Jeroſolymam quatuor dies ante celebrationem paſchæ, ut pararent Agnum paſchalem, ſed illo ipſo die quo agnum illum cum diſcipulis in cæna legali comeſturus erat, ait S. Marcus cap. 11. v. 22. *Secundo*, infra cap. 12. & Deuteronomi 16. ubi de Agno Paſchali immolando & comedendo fit mentio, nihil præſcribitur de illa præparatione per quatuor dies. *Tertio*, cum agnus ille immolandus & comedendus eſſet tantum in loco quem ſpecialiter ad ſuum cultum elegerat Dominus, nempe Jeroſolymis, nimis dura & oneroſa fuiſſet Iſraelitis advenis & a Jeroſolyma longe diſtantibus hujuſmodi Agni Paſcalis præparatio per quatuor dies.

Unde probabilior mihi videtur media ſententia, quæ utramque pugnantem in concordiam revocat; dicendo nempe ritum illum Agnum Paſchalem præparandi per quatuor dies, obſervatum quidem fuiſſe a Judæis Jeroſolymitanis, quibus per tempus licebat huic cæremoniæ incumbere: ſed ab eo exemptos fuiſſe advenas & longe ab Jeroſolymis conſiſtentes: quamobrem Chriſtus Dominus necnon & ejus diſcipuli, cum inter peregrinos cenſerentur, eodem privilegio uſi ſunt, omiſſa illa cæremoniali præparatione quæ huic ſolemnitati & myſterio erat duntaxat accidentalis.

Præ cæteris autem animantibus Agnus eligitur multis de cauſis, quas exponit Cornelius a lapide. *Primo*, quia parvi erat pretii, & a qualibet etiam paupere familia emi poterat. *Secundo*, quia agnus eſt animal mundum & ſimplex. Hinc Feſtus Pompeius: *Agnus*, inquit, *dicitur a græco* ἀγνὸ, *quod ſignificat caſtum; eo quod agnus ſit boſtia pura & immolationi apta*. Unde S. Cyprian. tract. de livore: *Chriſtus*, inquit, *plebem ſuam agnos vocat, ut agnorum uaturam ſimplicem, ſimplicitas mentis imitetur*. *Tertio*, quia agnus expreſſus erat typus Chriſti, qui in paſchate quaſi agnus manſuetus, innocens & puriſſi-

tiſſimus immolatus eſt pro nobis *Iſaiæ* 53. 7. & *Jeremiæ* 11. 19. Unde & S. Joannes Baptiſta de illo ait: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*. Denique appoſite immolarunt agnum in Niſan; cum Sol eſt in Ariete.

Cum præcepto de immolando agno adiiciat Deus: *Juxta quem ritum tolletis & hædum*.

Quæritur 3. Utrum hædus debuerit cum agno immolari? Sunt qui aſſerant id ita fuiſſe præceptum, duaſque fieri debuiſſe immolationes, unam ex agno a qualibet ſamilia, alteram ex hædo ab univerſa Iſraelitarum multitudine.

Verum, inquit Abulenſis Antiſtes, refellitur hæc ſententia ex ipſo Hebraico textu, ubi legitur; *De arietibus, aut capris tolletis eum:* ac ſi diceret, immolanda illa victima poterit eſſe agnus, vel hædus, quemadmodum etiam exponit R. Salomo in hunc locum: *De agnis & hædis*, inquit, *aut de his, aut de illis quandoquidem etiam capra vocatur pecus parva*. Eſt quidem in Hebræo textu conjunctio copulativa *tolletis & hædum*; ſicut & in Vulgata noſtra. Verum, ut notant Hebraicæ linguæ peritiſſimi, vocula, *vau*, *&*, hic non conjunctivum, ſed disjunctivum habet ſenſum; nimirum ut ſignificet, unum aut alterum, quod hœdus tam eſſet pecus parva, ac agnus, & minoris pretii.

His de victima præſcriptis, declarat Deus qui & quales eſſe deberent illam immolaturi & comeſturi, dicens primo verſ. 3. *Tollat unuſquiſque agnum per familias & domos ſuas*. Cum enim in eadem domo poterant eſſe plures familiæ, vult ut earum quælibet ſuum haberet agnum, majorem vel minorem juxta numerum perſonarum, quæ in ea reſidebant. Addit verſ. 6. *Immolabitque eum univerſa multitudo filiorum Iſraël*. Quibus ſignificat agnum illum, ſeu hædum, veram fuiſſe victimam, ejuſque immolationem verum ſacrificium.

Hæc tamen immolatio facta non fuit miniſterio Sacerdotum, ut exiſtimat Abulenſis in cap. 16. Exodi; quippe cum Sacerdotes nondum eſſent inſtituti, ſed per quemque patrem-familias, nomine totius familiæ ſuæ, ut expreſſe docent Philo & Joſephus, quibus concinit Abarbanel, in hunc locum, ubi cum plures protuliſſet hujus loci expoſitiones, ſubdit: *Omnium optimum mihi videtur, quod præceperit hic, ut unuſquiſque Paſcha ſuum mactaret*. Unde familiarum capita in hoc ritu antiquum ſuum munus Sacerdotii retinuerunt.

At inquies, lib. 1. Eſdræ, cap. verſ. 20. refertur Sacerdotes & Levitas purificatos fuiſſe, *Ad immolandum Paſcha univerſis filiis tranſmigrationis, & fratribus ſuis Sacerdotibus, & ſibi*.

Reſpondeo, nomine *paſchatis* hic non intelligi immolationem agni: ſed aliarum victimarum, quas ſoli Sacerdotes & Levitæ poterant offerre,

Secundo, præcipitur ut occiſa victima aſſaretur; & ſi quid poſt eſum reſiduum fuiſſet, igne combureretur. Addit vero Deus ut eam comederent cum panibus azymis & lactucis agreſtibus: ut hæc amaritudo refricaret memoriam calamitatum, quas ab Ægyptiis fuerant perpeſſi.

Tertio, ut ſtantes, renibus accincti, calceati & baculos præ manibus habentes feſtinanter comederent; nimirum ut ſic eſſent comparati & prompti ad exitum.

Quarto, ab illius victimæ eſu & participatione arcebantur, advenæ, mercenarii, necnon & ſervi emptitii, niſi fuiſſent circumciſi.

Quinto, præcipitur ut ſanguine occiſæ victimæ linirent poſtes & ſuperliminare domus in qua illam occiderant & comederant, quatenus a clade per Angelum vaſtatorem infligenda fierent immunes. Fieri autem debebat hæc unctio cum faſciculo hyſſopi eo ſanguine intincto.

Quærunt Interpretes, utrum hic ritus ab aliis Iſraelitis in perpetuum ſervari debuerit? communior ſententia, eaque probabilior eſt, illum non fuiſſe ſervandum. I. Quia id communiter docent Hebræorum Magiſtri, dicentes ritum illum accidentalem fuiſſe ad immolationem Agni Paſchalis, ac propterea mutari potuiſſe ſine ullo ſacramenti præjudicio. II. Quia id fuerat præſcriptum, ut hoc ſigno conſpecto percuſſor Angelus Iſraelitarum domos præteriret & relinqueret intactas; nihil autem ab aliis Iſraelitis ſimile quid erat timendum. III. Quia cum Agni paſchalis immolatio fieri deberet in loco quem peculiariter ad ſuum cultum elegerat Deus, *Deuterom. 16. verſ.* 2. ubi innumera Judæorum multitudo conveniebat, pluresque familiæ in eadem domo conductiva paſcha celebrarent, inconveniens valde fuiſſet ſi ejuſdem domus oſtium plurium paſchatum ſanguine fuiſſet illitum.

At, inquies, panis azymus perpetuo fuit ab eis uſurpatus, quidni & illa ſanguinis ſuper oſtiis effuſio?

Reſpondeo, diſparem eſſe rationem, nempe quod panis azymus non fuerat præſcriptus tantum in recordationem primi paſchatis; ſed etiam ut eſſet ſymbolum illius veri Panis cœleſtis, quem Chriſtus Dominus nobis in Euchariſtiæ ſacramento daturus erat, nempe Corpus & Sanguinem ſuum, vere panem azymum, expertem omnis omnino fermenti malitiæ. Præſignabat inſuper vitam infermentatam & immaculatam Fidelium novæ Legis.

Tandem, præcipitur ut illa victima immolaretur die decima quarta ad veſperam, hoc eſt *ad ſolis occaſum*, ut habetur *Deuterom. 16.* Hebræus autem Textus fert: *ben Baarbajim* inter *duas veſperas*; ſeu, ut Chaldæus vertit *inter duos ſoles*. Quo autem ſenſu debeat duplex hæc veſpera intelligi, non conveniunt Interpretes. Sunt enim qui putant hic ſignificari veſperas dierum decimæ tertiæ & decimæ quartæ; ita quod immolatio illa fieri debuerit initio diei decimæ quartæ. At falluntur; nam initium diei decimæ quartæ, non erat dies azymorum, ſed initium diei decimæ quintæ, ut patet ex *Levit. cap. 23. verſ.* 5. ubi quinta decima Luna dicitur *primus dies*

azy-

azymorum. Cum autem eodem capite *Levitici verſ.* 32. ſtatuatur ut Judæi ſuos dies feſtos agerent a veſpera in veſperam, id eſt, a ſole ad occaſum declinante unius diei, ad ſolem occidentem diei ſequentis, illa azymorum ſolemnitas non incipiebat niſi die decima quarta poſt meridiem; ac proinde agnus, cum azymis comedendus, antea non poterat immolari.

Communior itaque & verior eſt eorum ſententia, qui duas in qualibet die veſperas diſtinguunt; quarum prima incipiebat poſt meridiem, dum ſol declinat ad occaſum; ſicut enim *mane* dicitur prima pars diei, etiam poſt ortum ſolis; ita *veſpera* vocatur pars poſtrema, etiam ante ſolis occaſum. Cum ergo ſol, decurſa magna diei parte, ad occaſum vergit, verbi gratia, ſub horam tertiam a meridie, quæ nona Hebræis dicebatur, veſpera vulgo dici ſolet; quæ prior veſpera in Scriptura intelligitur. Poſterior autem veſpera ſequitur occaſum ſolis, ſicut aurora illius ortum antecedit. Ergo inter has duas veſperas, nempe ſolem ad occaſum vergentem, & ſolem occiduum, debuit agnus immolari.

Hanc expoſitionem approbant etiam Hebræorum Magiſtri, imprimis R. Salomo: *Inter veſperas*, inquit, *hoc eſt ab hora ſexta & deinceps; nam ſol tum declinat verſus occaſum ſuum ad occidendum. Cæterum τὸ* INTER VESPERAS, *videtur mihi notare illas horas, quæ interſunt inter veſperam diei & veſperam noctis. Veſpera diei incipit ab horæ ſeptimæ principio, ex quo ſcil inclinantur umbræ veſperæ; ſed veſpera noctis a principio noctis.* Eidem ſententiæ ſubſcribit Ramban dicens, quod *ab hora ſexta & deinceps*, tempus *vocetur inter veſperas*. Hoc eſt, ut exponit Abarbanel in hunc textum, inter veſperam diei, & veſperam noctis: ſiquidem nox appellatur veſpera; quia dicitur, *in veſpera comedetis azyma*, id eſt, noctis; quandoquidem (iterum) dicatur, & *comedent carnem nocte hac*. Item; & *fuit veſpera, & fuit mane*, ubi veſpera fit principium noctis. Itaque illa victimæ Paſchalis immolatio fiebat die decima quarta poſt meridiem, hora circiter quarta. Immolatione autem facta, parabatur ut aſſaretur circa Solis occaſum, ut nocte proxime imminente, manducaretur: unde immolatio illa die quidem naturali 14. ſed eis horis quæ erant exordium ſolemnitatis diei 15. fiebat.

Quod autem Judæi ſoliti eſſent in unoquoque die duas diſtinguere veſperas, apparet ex *Matth.* 14. *v.* 15. ubi refertur miraculum multiplicationis quinque panum, & duorum piſcium. Cum enim maximam diei partem Chriſtus impendiſſet in docendis turbis, & curandis infirmis: *Veſpere facto acceſſerunt ad eum Diſcipuli ejus, dicentes: deſertus eſt locus, & hora jam præteriit* &c. Deinde peracto miraculo additur v. 22. *Et ſtatim compulit Jeſus Diſcipulos aſcendere in naviculam... & dimiſſa turba aſcendit in montem ſolus orare. Veſpere autem facto ſolus erat ibi.* Ubi vides in eodem die duas diſtingui veſperas, unam quidem ante miraculum cum Sol adhuc illuceret, vel inquit S. Lucas cap. 9. v. 12. *Dies autem cœperat declinare*: alteram vero poſt abſolutam miraculoſam illam refectionem nempe poſt Solis occaſum.

Voluit autem Deus, ut ritus ille ſacer appellaretur *Phaſe*, id eſt, *tranſitus Domini*, verſ. 11. non ut diſignaret exitum Iſraelitarum ex Ægypto; ſed tranſitum Angeli percuſſoris ſuper domos Hebræorum, quas præteribat intactas, dum Ægyptiorum domos invadens, eorum primogenitos trucidaret. Vox enim Hebræa *peſach*, quam hic habet originalis textus, non tam *tranſitum*, quam *tranſultum*, ſignificat: quod percuſſor Angelus Iſraelitarum domos immunes præterit, & tranſilit, dum primogenita occideret in univerſa Ægypto; uti ſignificaverat Deus verſ. 13. *In ædibus in quibus eritis: & videbo ſanguinem, & tranſibo vos: nec erit in vobis plaga diſperdens quando percuſſero terram Ægypti.* Hinc verſ. 27. monet Hebræos ut dum requirent eorum nepotes, quis ſit ille ritus immolandi Agni, Reſpondeant: *Victima tranſitus Domini eſt, quando tranſivit ſuper domos filiorum Iſrael in Ægypto, percutiens Ægyptios, & domos noſtras liberans.*

Interim vero dum Hebræi jucunde epulantur, & ſeſe comparant ad exitum: *In noctis medio, percuſſit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, a primogenito Pharaonis, qui in ſolio ejus ſedebat, uſque ad primogenitum captivæ quæ erat in carcere, & omne primogenitum jumentorum* &c. Quibus verbis etſi dicatur Deus percuſſiſſe primogenita; non tamen exiſtimandum eſt id ab ipſo fuiſſe patratum, ſed opera & miniſterio percuſſoris illius, de quo dixerat verſ. 23. quod *Dominus non ſineret eum ingredi domos Hebræorum*.

Quæritur 4. Quis fuerit ille percuſſor, an bonus, an malus Angelus? Plurimi quidem cum Ruperto arbitrantur cædem illam primogenitorum Ægypti factam eſſe per Angelos malos, duplici conjectura ex ſacris litteris ducta: in Pſalm. enim 77. commemoratis prioribus novem plagis, narraturus David plagam decimam, præmiſit illa verba, quæ ſunt in verſu 49. *Miſit in eos iram indignationis ſuæ, indignationem, & iram, & tribulationem, immiſſiones per Angelos malos.* Et poſt hæc, ſubdit decimam plagam in verſ. 51. *Percuſſit omne primogenitum in terra Ægypti:* Ubi aperte David vocat *Angelos malos*, per quos facta eſt cædes primogenitorum. Deinde in *cap.* 12. *Exodi*, *verſ.* 23. ait Dominus, ſe non permiſſurum ut primogenitorum percuſſor intret domos Hebræorum: quo ſignificatur, Angelum illum ſponte ſua nociturum fuiſſe Hebræis, niſi Deus prohibuiſſet; at veriſimile non eſt bonos Angelos voluiſſe nocere populo juſto quem diligebat Deus. Igitur &c.

Verum duplex hæc ratio facile poteſt refelli. Prima quidem; Angeli enim illi percuſſores primogenitorum, dicuntur *mali*, non affectu, ſed effectu; non a malitia morali, ſed a malo pœnali quod inferebant:

Nec

Nec majoris momenti eſt altera conjectura; cum enim percuſſor ille nihil ſua voluntate arbitrioque faceret, ſed omnia ex Dei imperio exequeretur; non debuit illos aggredi, quos Deus volebat immunes ab illa clade. Porro bonos Angelos interdum etiam criminum eſſe vindices, manifeſtum fit exemplo Sodomorum, necnon 4. Reg. cap. 19. Daniel cap. 10. & in Apocalypſi.

Quam vero terribilis, quamque lugenda fuerit hæc clades, apparet ex eo, quod ſpatio tam brevi, omnia primogenita in tota Ægypto trucidata ſint, in jumentis & hominibus, ab infimo ad ſummum uſque, nulla nobilitatis, aut cuiuſquam dignitatis habita ratione, eadem pœna ſervum corripuit, & Dominum; plebeius paria cum Rege paſſus eſt, ut notat Auctor libri Sapientiæ, cap. 18. v. 11. *Simili*, inquit, *pœna ſervus cum Domino afflictus eſt, popularis homo Regi ſimilia paſſus. Similiter ergo omnes, uno nomine mortis, mortuos habebant innumerabiles. Nec enim ad ſepeliendum vivi ſufficiebant* &c. Addit terrifica ſomnia Ægyptiis in illa mortifera percuſſione ſuiſſe immiſſa, & Angelos exterminatores aſpectu terribili ſe illis videndos præbuiſſe, ſtricto gladio mortem minitantes ſingulis, dum primogenitos necarent; morientes autem cum acerbo & triſti ejulatu clamaſſe, ob Iſraelitarum injuſtam ſervitutem, & detentionem ſe hæc triſtia & dira pati. Hanc autem lugendam cladem ſic deſcribit Moſes verſ. 30. *Surrexitque Pharao nocte, & omnes ſervi ejus, cunctaque Ægyptus: & ortus eſt clamor magnus in Ægypto: neque enim erat domus in qua non jaceret mortuus.*

Quæritur 5. Quo ſenſu hæc poſtrema verba ſint intelligenda? Neque enim veriſimile videtur, in qualibet Ægyptiorum domo fuiſſe aliquem primogenitum. Hunc nodum ut ſolvat S. Auguſtinus, dicit præſcientia Dei fuiſſe procuratum, *ut in omnibus omnino eſſent domibus primogeniti, in quibus percuterentur Ægyptii*. Putant aliqui cum Cajetano nomine *primogeniti*, non intelligi eum ſolum qui primus erat natus: ſed etiam eum qui primo nato mortuo ſuccederet in juribus primogeniti.

Abulenſis exiſtimat voce *primogeniti*, hic intelligi omnes qui fuerant primogeniti ex parentibus ſuis, mares vel fœminæ; ſive viverent parentes, ſive non. Unde ſequitur in eius mente, ut in una domo complures eſſent primogeniti, ſcilicet pater-familias reſpectu ſuorum parentum; & ejus uxor, quæ pariter a ſuis parentibus prima fuiſſet in lucem edita, atque etiam filius ex utroque prior natu.

At veriſimilior mihi videtur Hugonis a S. Victore ſententia, cui plures Hebræorum magiſtri, præſertim Rabbi Abraham, & Aben-Eſra ſubſcribunt, exiſtimantque propoſitionem hanc: *non erat domus in qua non jaceret mortuus*, non accipiendam eſſe univerſaliter, ſed communiter, hoc eſt, pro maxima parte: ut ſit ſenſus, pauciſſimas fuiſſe domos Ægyptiorum in quibus non jaceret aliquis primogenitus occiſus. Licet enim forte quædam fuerint familiæ ſine liberis, quia illæ pauciſſimæ erant, idcirco earum non habetur ratio; receptiſſima namque eſt regula apud ſacros Interpretes, quod ubi plurimi & majori ex parte aliquid egerunt, vel paſſi ſunt, id omnes feciſſe vel paſſos eſſe dicantur. Sic Pſalmo 53. v. 4. cum dicitur de civitate Jeroſolymitana: *Non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum*; non debet intelligi ſine ulla exceptione; vix enim credibile eſt in ampliſſima illa civitate, in qua numeroſiſſimus erat populus, nullum extitiſſe Iſraelitam qui Dei legem impleret.

Triplex autem fuit huius ſtupendæ & lugendæ cladis effectus; *Primus* quidem, cædes omnium primogenitorum Ægyptiorum, quorum forte plurimi erant unigeniti: unde eorum mors erat acerbiſſima parentibus, ut fieri ſolet in morte primogenitorum, maxime ſi ſint unigeniti; hinc Zacharias cap. 12. *Plangent eum planctu quaſi ſuper unigenitum, & dolebunt ſuper eum, ut doleri ſolet in morte primogeniti.*

Secundus fuit interfectio omnium primogenitorum animalium, quorum poſſeſſio eo charior erat Ægyptiis, quod pecudes, maxime robuſtæ, ut erant primogenitæ, eſſent potiſſimæ eorum divitiæ.

Tertius tandem effectus fuit, percuſſio Idolorum Ægyptiorum, ut prænuntiaverat Deus his verbis verſ. 12. *In cunctis diis Ægypti faciam judicia ego Dominus*. Quod autem, & qualiter peractum fuerit illud judicium, non exponit Moſes: at S. Hieronymus Epiſtola ad Fabiolam de quadraginta duabus manſionibus Iſraelitarum, aſſerit ex traditione Hebræorum, omnia Ægyptiorum ſimulachra, ipſa eadem nocte, qua occidebantur primogenita, terræ motu dejecta fuiſſe, vel fulminibus contrita. Idem docet Artapanus apud Euſebium lib. 9. de præparatione Evangelica cap. ultimo. Chaldæus Paraphraſtes quatuor enarrat judicia, ut idola *fuſilia* liquefacta ſint; *lapidea* confracta, *lignea* in cinerem redacta. Similem plagam Ægyptiis minatur Iſaias cap. 19. verſ. 1. *Ecce* inquit, *Dominus aſcendet ſuper nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur ſimulacbra Ægypti a facie ejus*. Sed oraculum hoc de Chriſti fuga in Ægyptum cenſerem intelligendum.

Hac acerbiſſima clade animo dejectus Pharao, ſubditorum ſuorumque gemitibus & ſuſpiriis ſtimulatus, Moſem & Aaronem advocavit, eiſque dixit: *Surgite & egredimini a populo meo, vos & filii Iſrael* &c.

Quæritur 6. Qua ratione cohærere poſſit illa Moſis a Pharaone advocatio, cum verbis illis quæ Moſes in præcedenti capite 10. verſ. 28. ipſi Pharaoni eum ex aula regia eiicienti, & prohibenti ne ultra ad illum accederet nec videret ejus faciem, reſponderat: *Ita fiet ut locutus es, non videbo ultra faciem tuam.*

Reſpondent aliqui hæc Moſis verba in capite 10. non eſſe dicta abſolute, quaſi non eſſet amplius Pharaonis conſpectum aditurus: ſed tantum ea ſub conditione, quod amplius ipſi non fieret importunus, ut Iſraelitici populi dimiſſionem requireret.

At

At veriſimilius dicendum arbitror revera Moſem amplius coram Pharaone non ſtetiſſe; & illa verba cap. 12. verſ. 31. *Vocatiſque Pharao Moſe & Aaron nocte*, ait: *Surgite &c.* ſic eſſe intelligenda, ut Pharao miſſis ad Moſem aulicis & regni proceribus, eis non ſolum plenariam facultatem fecerit exeundi cum ſuis omnibus peculiis; ſed & ad promptiſſimum exitum provocaverit, quemadmodum ei prædixerat Moſes cap. 11. verſ. 8. *Deſcendent omnes ſervi tui iſti ad me, & adorabunt me, dicentes Egredere tu, & omnis populus qui ſubjectus eſt tibi*; adeo ut Pharao cenſeatur dixiſſe & feciſſe, quod ſuos per miniſtros impletum fuerat.

His enarratis quæ ſpectant ad immolationem Agni Paſchalis, & conceſſam libertatem Iſraelitis exeundi ex Ægypto, recenſet Moſes quæ contigerunt in illo exitu; indicans primo locum unde fuerint egreſſi, nimirum de *Rameſſe*: quo nomine appellabatur tota regio, a præcipua illius civitate; tametſi antiquo nomine vulgo diceretur terra Geſſen.

Recitat deinde numerum egredientium verſ. 37. nimirum *ſexcenta fere millia peditum virorum abſque parvulis, ſed & vulgus promiſcuum innumerabile*. Quibus ſignificat cum ipſis Iſraelitis plures exiiſſe Ægyptios, qui forte eorum erant famuli aut cum eis amicitia conjuncti. Potuit etiam miſera Ægypti facies poſt tot acerbas clades movere quoſdam ut ſe Iſraelitis conjungerent ſpe melioris fortunæ, & quod viderent Deum illis maxime propitium. Fieri etiam potuit, ut plures Ægyptii videntes prodigia quæ Deus per Moſem & Aaronem in gratiam Iſraelitarum fuerat operatus, ſuorumque numinum imbecillitatem & impotentiam, ut ſimilia per magos eorum nequitiæ & fallaciæ miniſtros ederent, ad unius veri Dei cultum & religionem converſi, eamdem cum Iſraelitis religionem fuerint profeſſi, quam ne desererent, cum eis ſolum vertendum eſſe cenſuerunt.

Neque vero duntaxat Iſraelitis conceſſa eſt exeundi facultas, ſed urgentibus Ægyptiis, tanta cum feſtinatione coacti ſunt egredi, ut, inquit Moſes verſ. 39. in prima ſua ſtatione *coxerint farinam quam dudum de Ægypto conſperſam tulerant: & fecerunt ſubcinericios panes azymos: neque enim poterant fermentari, cogentibus exire Ægyptiis, & nullam facere ſinentibus moram*. Ad tempus egreſſionis quod ſpectat, declarat Moſes his verbis: *Habitatio autem filiorum Iſrael qua manſerunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum. Quibus expletis, eadem die egreſſus eſt omnis exercitus Domini.*

Non eſt tamen exiſtimandum totos hos quadringentos & triginta annos tranſactos fuiſſe in Ægypto; ſed eorum exordium ſtatuendum eſſe in prima Abrahami vocatione ex Chaldæa, uſque ad Legem promulgatam; nam ab ipſa vocatione ad deſcenſum Jacobi ſua cum univerſa familia in Ægyptum effluxerunt 215. anni, qui totidem juncti annis tranſactis ab ipſo deſcenſu uſque ad Legem promulgatam, efficiunt ſummam 430. ut obſervat Apoſtolus ad Galatas cap. 3. verſ. 17. ubi, a promiſſione Abrahamo facta numerat illos 430. annos. Cum enim dixiſſet: *Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones*, addit: *Poſt quadringentos & triginta annos facta eſt lex*. Unde LXX. Interpretes præfata Moſis verba ſic expreſſerunt: *Habitatio filiorum Iſrael quam habitaverunt in terra Ægypti & in terra Chanaan, anni quadringenti triginta*; qui quidem eventus reſpondet prædictioni quam Deus fecerat Abrahamo, Geneſis 15. v. 13. *Scito prænoſcens quod peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua; & ſubiicient eos ſervituti, & affligent quadringentis annis*; qui anni 400. numerandi ſunt a nato Iſaaco; triginta autem anni revocandi ſunt ad tempus vocationis Abrahami uſque ad ipſius Iſaaci nativitatem. Hoc enim numero comprehenditur univerſum tempus peregrinationis Abrahami & poſteritatis ejus.

Quoniam autem hi potiorem partem in Ægypto fixa habitatione peregerunt, ubi & diriſſima ſunt paſſi; ideo prænunciata illa peregrinatio hic a Moſe exponitur per incolatum in Ægypto; quemadmodum poſtea tempus quadraginta annorum, quo fuerunt in deſerto, annumeratur per ſynecdochen, cum tempore poſſeſſionis terræ Chanaan ad quam pergebant.

Qua autem hora fuerint egreſſi, non omnino liquet: Moſes quidem adiiciens appendicem ad paſchalis ſolemnitatis inſtitutionem, addit verſ. 42. *Nox iſta eſt obſervabilis Domini, quando eduxit eos de terra Ægypti: Hanc obſervare debent omnes filii Iſraël in generationibus ſuis*. Quibus innuere videtur, Iſraelitas ex Ægypto exiiſſe nocturno tempore. Verum cum primogenitorum Ægyptiorum interfectio facta fuerit tantum media nocte, ut ipſemet Moſes refert hoc cap. 12. verſ. 29. *Factum eſt*, inquit, *in noctis medio, percuſſit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti*; cumque ad clamorem morientium, & eorum parentum plangentium excitatus Pharao, juſſerit Proceribus ſuis ut convenirent Moſem, eique ſuo nomine ſignificarent liberum eſſe Iſraelitis ab Ægypto recedere: Inſuper cum neceſſum fuerit hanc regiam conceſſionem aliis Ægyptiis notam fieri; neque enim citra Regis imperium auſi fuiſſent Iſraelitas ad exitum compellere: ac præterea neceſſum fuerit, ut Hebræi ſeſe compararent ad exitum, & ſua convaſarent, oportuit ut altera noctis pars in his motibus inſumeretur: ac proinde Iſraelitæ non potuerunt ſeſe viæ committere, niſi illuceſcente ſole.

Unde Moſes cap. 33. libri Numerorum verſ. 4. dicit eos egreſſos eſſe, *Videntibus cunctis Ægyptiis & ſepelientibus mortuos, quos percuſſerat Dominus*; quæ certe fieri non poterant medias inter noctis tenebras, in quibus liberum non fuiſſet Ægyptiis Iſraelitas abeuntes intueri.

Neque his obſtant hæc Deuteronomii, cap. 16. verſ. 16. verba: *Immolabis Phaſe ad veſperam, ad ſolis occaſum, quando egreſſus es de Ægypto*; voces enim illæ *ad ſolis occaſum*, non debent intelligi de exitu pro-

prie

Digitized by Google

prie dicto, ſed de ipſa præparatione ad exitum: ſtatim enim atque Iſraelitæ manducatunt agnum paſchalem, omnia bona ſua convaſarunt, & in iis alteram noctis partem inſumpſerunt, ut autora illuceſcente poſſent abire; id enim neceſſario requirit rerum in ea nocte geſtarum ſeries: maxime ſi verum ſit, quod narrat Joſephus a Moſe præceptum, ut Hebræi per ſodalitia diſtincta convenirent, diverſoſque inſtituerent ordines, ne tumultuarie itineri ſe committerent. Quæ ut exacte fierent, opus erat ut dies illuceſceret: hocque indicaſſe videtur Moſes poſtremis verbis huius capitis: *Et eadem die eduxit Dominus filios Iſrael per turmas.*

Itaque annus erat a Diluvio 875. a ſuſcepta Abrahami peregrinatione 430. ab ingreſſu Jacobi in Ægyptum 215. a Joſephi morte 143. a nato Moſe 80. poſtquam Iſraelitæ 77. annis dira tyrannide fuiſſent oppreſſi, tandem convaſatis rebus, Ægyptiorumque ſpoliis onuſti, ad ſexcenta millia virorum, præter mulieres & parvulos, convenirent in Rameſſe, & inde militari ordine profecti ſunt in *Socoth*, locum ſic dictum, a fixis in illa ſtatione tentoriis, ut patebit in ſequentibus.

Tantæ vero multitudinis Ductorem & Rectorem Deus Moſen conſtituit: Nam, „ *inquit Philo*, quia regnum Ægypti dereliquerat, cum eſſet nepos regius, & offenſus incolarum ſuperbia violentiaque adoptatores ſuos abdicaverat, ſimulque ſpes illas abjecerat præ generoſa magnanimitate & amore juſtitiæ. Viſum eſt omnipotenti rerum Gubernatori, frequentioris melioriſque gentis regnum ei reponere, quæ una omnium erat functura Sacerdotio, & vota factura pro univerſo humano genere, quibus & mala averterentur, & impetrarentur proſpera. Aſſumpto autem principatu non hoc egit, ſicut nonnulli ſolent, ut augeret ſuam familiam, & filios, quos duos habebat, extolleret, ſocios ac mox ſucceſſores habiturus: ſed ubique incorrupte ſe gerens in rebus minimis æque ac maximis, ſuperavit naturalem affectum erga liberos, malens rationis obtemperare judicio. Unicum enim habebat propoſitum neceſſarium, juvare ſubditos, & dictis, factiſque utilitati eorum conſulere, nullam occaſionem prætermittendo in promovendis eorum negotiis &c. *Ita Philo*.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XIII.

MOſes in hoc capite quatuor enarrat. I. Dei mandatum, quo jubet ſibi offerri primogenita tam hominum, quam pecorum; atque exacte ſervari ritum veſcendi azymis per ſeptem dies, & ſolemnitas immolationis agni paſchalis, in perpetuam recordationem mirandæ liberationis a ſervitute Ægyptiaca. II. Qualiter Deus ſe præbuerit ducem itineris Iſraelitis per nubem & columnam ignis; indicaturque cauſa cur eos non duxerit recta & breviori via in terram Chananæorum, ſed per deſertum, ubi plura acerbiſſima paſſi ſunt. III. Refertur quam ob cauſam oſſa Joſephi ſecum tranſtulerint in ſepulchro majorum ſuorum ſepelienda. IV. Deſcribitur columna ignis, & nubis qua Deus viam in deſerto ſequendam Iſraelitis præmonſtrabat.

Ad primum quod ſpectat, quæritur I. Cur Deus primogenita ſibi offerri juſſerit? *Reſpondeo*, id factum multis de cauſis. I. Ut hac oblatione aperte conſtaret eum eſſe unicum fœcunditatis auctorem; ille enim eſt qui vulvam parientium aperit aut claudit, pro ſuo arbitrio: unde Oſeas, cap. 9. verſ. 14. Ephraimitis idololatris, & in multitudine filiorum gloriantibus, imprecatur: *Da eis, Domine, vulvam ſine liberis, & ubera arentia*. II. Voluit primogenita offerri in teſtimonium ſupremæ ſuæ in omnes creaturas auctoritatis & dominationis; *mea ſunt enim omnia*, inquit verſ. 2. III. Hoc ritu repræſentari voluit in perpetuum ſpecialem ſuam erga Iſraelitas benignitatem & protectionem, qua ſublatis & extinctis omnibus primogenitis Ægyptiorum, qui Iſraelitarum erant, intactos ſervaverit; ait v. 2.

Ad ſecundum quod attinet, nempe cur Deus Iſraelitas in terram Chanaan non deduxerit breviori & faciliori via, ſcilicet per terram Philiſtinorum, quæ proxima erat Ægypto; Plures proferri poſſunt cauſæ. I. Quia Deus noverat populum Iſraeliticum meticuloſum eſſe, & levitati ac mutationi obnoxium, quales ſunt animi ſerviles, & oneribus aſſueti; apparebit enim ex ſequentibus, quanta levitate a Dei imperio deſciverint, quoties plus oneris & laboris ſubire tenerentur: perſæpe enim eos pœnituit quod Deum ſecuti eſſent ducem; pluries parati fuerunt & optarunt redire in Ægyptum, ut facilius genio ſuo indulgerent.

II. Cum aliunde etiam noſſet Philiſtæos, inter reliquos Chananæos, admodum feroces eſſe ac bellicoſos, noluit Iſraelitas per eorum regionem tranſire, quia cum illis ſtatim confligendum fuiſſet, & grave bellum ineundum, quod dubio procul inire detrectaſſent Iſraelitæ, cum bellis gerendis non eſſent aſſueti: & ſic præcipiti pede in Ægyptum rediiſſent. Etenim ſi ducti per alteram viam, magnis terrarum intervallis, vaſtiſque interiectis ſolitudinibus ab Ægypto diſtantes, tentarunt tamen reverti in Ægyptum,

&

& ducem eligere ſibi voluerunt, qui eos illuc reduceret, ur narratur in Libro *Numerorum cap.* 14. quanto magis id feciſſent, ſi graviſſima bella ſtatim in exiru fuiſſent ſubeunda; maxime cum nulla occurrerent incommoda quæ a regreſſu in Ægyptum deterrerent; ſed facilis & brevis ad id invitaret via? Hanc rationem potiſſimum exponit Moſes verſ. 17. ſcribens: *Cum emiſiſſet Pharao populum, non eos duxit Deus per viam terræ Philiſthiim quæ vicinu eſt: reputans ne forte pœniteret eum, ſi vidiſſet adverſum ſe bella conſurgere, & reverteretur in Ægyptum.*

At, inquies, poterat Deus pavorem immittere in Philiſtæos, eoſque cohibere ne Iſraelitico populo tranſeunti adverſarentur; poterat etiam illos ſuis ſedibus deturbare, & fugare formidine correptos ad tam numeroſi Iſraelitici populi acceſſum.

Reſpondeo, equidem id potuiſſe Deum, ſed noluit uti plenario ſuo jure; convenientiuſque duxit aſſumere ea media quæ divinæ ſuæ ſapientiæ magis videbantur congrua & opportuna. Voluit autem Philiſtæos ronſervari. 1. Ut eſſent, qui populum Iſraeliticum bello exercereot, poſtquam potiti eſſent terra Chanaan, ne mollitie & ignavia frangerentur.

Addit Rupertus Deum noluiſſe debellari & exterminari Philiſtæos, ut eſſent quaſi flagellum quo Hebræos a Dei cultu & obſervantia legis diſcedentes, ſevere caſtigaret, ut ſæpius feciſſe legitur in Libris Judicum & Regum. Voluit pariter Deus ut Philiſtæi illi eſſent quaſi murus & ſepimentum Iſraelitis, ne cum Ægyptiis communicarent: Philiſtæi namque medii veluti ſtabant inter alios Chananæos & Ægyptios. Gerara enim, quæ erat urbs Philiſtinorum, ut apparet ex *cap. 6. libri primi Regum*, vicina erat Ægypto. Unde Iſaac volens proficiſci in Ægyptum propter exortam famem in Palæſtina, ivit Geraram, quod illinc via brevior & directior eſſet in Ægyptum.

Poſſunt & aliæ proferri rationes huius divinæ diſpoſitionis, nempe quod rationi conſentaneum erat, ut Hebræi longo itinere valentiores & robuſtiores fierent, antequam ſubeundi eſſent hoſtium impetus. Utile etiam erat populo adhuc in fide debili, ut confirmaretur in deſerto plurimis ſtupendiſque illis miraculis, quæ Deus in eorum gratiam operatus eſt, ur peculiarem ſuam erga eos benevolentiam manifeſtam faceret.

Accedit quod Amorrhæis & reliquis Chananæis concedendum erat ſpatium, ut vel pœnirerent, vel complerent menſuram iniquitatum ſuarum, ut prædictum erat *Geneſis* 15. *verſ.* 16. Adde tandem, quod ipſi Hebræi laboribus & looga itinerum fatigatione tentandi erant, atque exercendi, ut hoc pacto digniores eſſent, qui Chananitide fruerentur. Hanc rationem inſinuat Moſes Deuteronomi 8. v. 2. *Recordaberis*, inquit, *cuncti itineris, per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per deſertum, ut affligeret te, atque tentaret, & nota fierent quæ in tuo animo verſabantur, utrum cuſtodires mandata illius, an non.*

Petes quo ſenſu Moſes ſcripſerit v. 18. *Et armati aſcenderunt filii Iſrael de terra Ægypti?* Unde enim illis arma? Itane Pharao paſſus eſſet eos armis inſtructos e ſuo regno abſcedere? Inſuper Joſephus ſcribit illos exiiſſe *inermes*: Et Philo dicit illos valde perterritos, dum viderent Pharaonem eos inſequentem cum exercitu, quod *nec arma illis ad defenſionem ſuppeterent.*

Reſpondeo, vocem Hebræam חמשים *vachamuſchim*, quam Aquila & Symmachus verterunt ἐνωπλισμένοι *armati*, eſſe ambiguæ ſignificationis, & communiter ſignificare *quinque*: Unde LXX. Interpretes eam retulerunt ad quintam generationem, ut ſit ſenſus Iſraelitas exiiſſe quinta generatione a ſuo ingreſſu in Ægyptum. Nam Jacob genuit Levi, hic Caath, ille Amram, hic Moſem & Aaronem. At Theodotio ad verbum vertit πεμπάζοντες *numero quinario incedentes*, more militum qui per quincurias gradiuntur: nimirum, ut ſignificaret Moſes illos non confuſe & tumultuarie more fugitivorum, ſed ordinate ut incedere ſolent milites, eos proceſſiſſe ac ſi fuiſſent armis inſtructi. Adde ipſos poſtera die ab Ægyptiis ſubmerſis habuiſſe arma maris æſtu & vento in littus expulſa, ut refert Joſephus, lib. 2.

Ad tertium, dico ab Iſraelitis idcirco Joſephi oſſa ſecum in Chananitidem tranſlata, ur Majorum ſuorum fidem liberarent. Legitur enim *Geneſis c.* 50. *v.* 24. Joſephum morti proximum adjuraſſe fratres ſuos, dicendo: *Deus viſitabit vos: aſportate oſſa mea vobiſcum de loco iſto.* Id autem rogavit ut cum ſuis Majoribus quieſceret, & inter ſuos poſteros honorem obtineret ſepulchri benedicti. Vide quæ ad hunc textum diximus. Veriſimile eſt etiam aliorum Patriarcharum oſſa fuiſſe tranſlata; nam S. Lucas *Act.* 7. *verſ.* 16. dicit eos ſepultos eſſe in Sichem. Non apparet autem quo alio tempore id fuerit factum.

Fieri etiam potuit ut ſancti illi Patriarchæ exemplo fratris ſui inducti, pia æmulatione eamdem quam ille, ſuis a poſteris gratiam exoraverint: idque factum arbitror, ut illi viri ſanctiſſimi, in ſuis reliquiis quaſi totidem eſſent vexilliferi qui ſingulis Tribubus quæ ex eis prognatæ erant, conſequendæ Chananitidis fiduciam ingererent, & ſpem firmarent. Unde eo deteſtabilior fuit illius populi ſocordia, quem toties ſuſcepti itineris turpiſſime pœnituit, cum ante oculos haberent pios Majorum ſuorum cineres, inſignem fiduciæ fovendæ materiam.

Da Nuba et Columna ignis.

Quæritur I. Utrum eadem fuerit nubes obumbrans, quæ columna ignis, an res diverſæ? *Reſpondeo*, plurimos arbitrari rem in entitate fuiſſe eamdem, ſed officio diverſam, ita ut interdiu fuerit inſtar nubis operiens caſtra, eaque protegens & eximens a Solis ardoribus; noctu vero inſtar flammæ, quæ tenebras arceret, & viam monſtraret. Cujus ſententiæ fundamentum eſt, quod utraque vocetur *columna* Exod. cap. 13. 14

& 40. necnon Numer. 14. Deuteron. 5. Eſdræ 2. cap. 9. &c.

Verum duas fuiſſe res omnino diverſas apparet ex ipſis Scripturæ verbis; nam in hoc cap. 13. verſ. 13. legimus: *Dominus præcedebat eos ad oſtendendam viam, per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis: ut dux eſſet itineris utroque tempore. Nunquam defuit columna nubis per diem, & columna ignis per noctem, coram populo.* Ubi vides non unicam, ſed duas fuiſſe columnas; alteram *nubis* quæ per diem obumbraret, alteram *ignis* quæ per noctem fulgeret. Similiter, *cap.* 40. nubes illa ab igne diſtinguitur his verbis: *Si quando nubes Tabernaculum deſerebat, proficiſcebantur filii Iſrael per turmas ſuas; ſi pendebat deſuper, manebant in eodem loco. Nubes quippe Domini incubabat per diem, Tabernaculo, & ignis in nocte, videntibus cunctis populis Iſrael per cunctas manſiones ſuas.*

Idipſum videre eſt Numer. cap. 9. *die qua erectum eſt Tabernaculum, operuit illud nubes. A veſpere autem ſuper tentorium erat quaſi ſpecies ignis uſque mane. Sic fiebat jugiter: per diem operiebat illud nubes, & per noctem quaſi ſpecies ignis. Cumque ablata fuiſſet nubes, quæ Tabernaculum protegebat, tunc proficiſcebantur filii Iſrael: & ubi ſtetiſſet nubes, ibi caſtrametabantur, ad imperium Domini proficiſcebantur, & ad imperium illius figebant tabernaculum.*

Quin etiam ex his poſtremis verbis imaginari licet duplicem fuiſſe nubem interdiu, unam inſtar lucidæ columnæ cujus baſis incumberet Tabernaculo; quæ, qua per diem eundum, & ubi conſiſtendum eſſet, demonſtraret: ut præfato *cap. 9. Numeror.* legitur; alteram, quæ inſtar operimenti obumbraret caſtris, eaque eximeret a Solis ardoribus; Non quod eſſet quaſi velamentum omnibus caſtris ſuperne oppanſum, hoc enim Iſraelitis moleſtum fuiſſet & acerbum; nam, ait Eccleſiaſtes, cap. 11. *dulce eſt lumen, & delectabile eſt oculis videre ſolem*; ſed arbitrari licet eam fuiſſe denſam nubem in ſublimiori aeris regione Soli oppoſitam, quæ ejus motus inſequeretur, ejuſque radios & ardores ita reflecteret, ut ad loca, in quibus erant Iſraelitæ, pertingere non poſſent. Unde David de illo Iſraelitico populo canebat: *Dominus protectio tua: per diem Sol non uret te, neque Luna per noctem.*

At, inquies, infra *cap.* 14. *verſ.* 20. legimus: *Erat nubes tenebroſa, & illuminans noctem:* Igitur una eademque erat columna nubis & ignis, quæ ſecundum partem anteriorem lucida erat, & illuminabat Iſraelitarum caſtra: ſecundum vero poſteriorem, obſcura ut Hebræos tegeret, ne ab Ægyptiorum exercitu videri poſſent & apprehendi.

Reſpondeo, quod etſi hic una duntaxat nubes in ſingulari numero ſcribitur; nihilominus cum in aliis Scripturæ textibus ſupra productis numerentur duæ columnæ, ignis & nubis; dicendum eſt, idcirco unam hic commemorari nubem; quod utraque columna fuerit ex nubibus formata; una quidem ſplendidior, ignis ſpeciem & lucem referens, altera vero minus lucida, quæ inſtar velamenti Iſraelitarum caſtra a Solis ardoribus, & ubi opus erat, ab inimicorum aſpectu tegeret.

Quæritur II. Quis fuerit utriuſque columnæ motus, & motor?

Reſpondeo, neutrius motum fuiſſe naturalem. I. Quia ignis ex natura ſua directe fertur ſurſum; & ſi interdum huc, illuc, diſcurrat, cito evaneſcit; nec ordinatum & compoſitum habet motum, ſed ex impetu erumpit quocumque fertur: nubes vero huc aut illuc circumferuntur prout a ventis impelluntur. Motus autem utriuſque columnæ regulatus erat, lentus, & accommodatus ad Iſraelitarum vires & progreſſum, qui cum plures haberent mulieres, parvulos, ſenes, & pecudes quarum plurimæ nunniſi lento pede gradiuntur, ut oves & agni; neceſſum fuit eis remiſſo motu procedere. II. Utriuſque columnæ motus & quies deſignabat quo gradiendum erat, & ubi quieſcendum: quod ſolo naturæ ductu fieri non poterat. III. Utriuſque figura conſtans erat & perpetua; ignis autem & nubes, diutiſſime eamdem figuram naturalem non ſervant. Oportuit ergo motum illum impreſſum fuiſſe & regulatum a cauſa ſupernaturali.

Hæc vero non alia fuit quam Deus, qui, ut refertur cap. ſequenti *verſ.* 19. motum hunc regebat & moderabatur. Diximus enim ſupra ex lib. *Numer. cap. 9.* Iſraelitarum nuſquam caſtra mota vel fixa, niſi ad *imperium Domini*, hoc eſt, ad motum & quietem columnarum. Unde plerumque in Scriptura Deus dicitur in deſerto præceſſiſſe Hebræos, iter illis oſtendendo per columnam nubis & ignis; quod ideo verum eſt, quia columna illa non ab aliqua cauſa naturali, ſed Dei voluntate, poteſtate atque imperio per Angelum movebatur. Hoc ipſum ſenſit & ſcripſit Philo his verbis: *Fertur, illo tempore accidiſſe ingens naturæ miraculum, quale nunquam auditum fuerat poſt hominum memoriam. Præcedebat populum nubes in magnæ columnæ ſpeciem; ſolari ſplendore lucens interdiu, noctu autem flammeo: ut ejus ductu abſque periculo erroris incederent. Credi tamen poteſt aliquem e ſummi Regis præfectis Angelum nube involutum eos duxiſſe, quem nefas ſit aſpici mortalibus oculis.*

Quæritur III. Quis fuerit columnarum uſus, & effectus?

Reſpondeo, illos fuiſſe multiplices. I. Quod fuerint itineris duces: cum enim Iſraelitis eundem eſſet per loca deſerta, in quibus propter arenas levi ventorum flabro mobiles, nulla extabant viarum veſtigia; opus eis erat aliquo ductore qui viam monſtraret, & viatorum gradus dirigeret. II. Columna nubis præſervabat Iſraelitas ab æſtu Solis, eoſque operiebat, ne retro viderentur ab inimicis. III. Deſignabant quando gradiendum eſſet, aut quieſcendum. IV. Perpetua fuit earum viciſſitudo; per diem quippe ſemper apparebat columna nubis; adveniente autem nocte, recedebat illa, atque in ejus locum ſuccedebat columna ignis. V. Plerumque in

co-

columnis illis appatebat Deus, oracula edebat, & conſultus reſpondebat Moſi & populo.

Quæritur IV. Quid opus fuerit columna ignis per noctem, cum eo tempore quieſcendum eſſet, non vero ambulandum?

Reſpondeo 1. Illam plurimum inſerviſſe ad ea omnia exequenda quæ veſpertinis horis facienda erant; nempe figenda tentoria, parandi cibi; animalia curanda, &c. in quibus perficiendis opus erat luce.

Reſpondeo 2. Etiam interdum opus fuiſſe Iſraelitis pro opportunitate aliquantulum nocte ambulare, ut colligitur ex hoc capite v. 21. *Dominus autem præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis; ut dux eſſet itineris utroque tempore*; igitur etiam nocturno tempore interdum ambulabant Iſraelitæ: quod confirmatur ex 2. lib. Eſdræ cap. 9. v. 12. *In columna nubis ductor eorum fuiſti per diem: & in columna ignis per noctem; ut appareret eis via, per quam ingrediebantur.*

Quæritur V. Utrum columna ignis fuerit ignis elementaris, an vero nubes lucida inſtar facis?

Reſpondeo, columnam illam non fuiſſe naturalem ignem, vi calefaciendi & urendi pollentem: quodnam enim fuiſſet iſtius ignis tanto tempore alimentum? continuum autem fuiſſet aliud miraculum, ſi abſque fomite tandiu perduraſſet; ſicque citra neceſſitatem multiplicata fuiſſent miracula. Cenſerem itaque columnam illam fuiſſe nubem lucidam & rutilantem inſtar pyramidis alte protenſam, cujus baſis inſidebat Tabernaculo, non autem verum ignem elementarem; quod utique colligitur ex cap. 9. Numer. v. 15. *Igitur die, qua erectum eſt Tabernaculum, operuit illud nubes. A veſpere autem ſuper tentorium erat quaſi ſpecies ignis, uſque mane. Sic fiebat jugiter per diem, operiebat illud nubes, & per noctem quaſi ſpecies ignis.* Ubi vides columnam illam appellari *nubem & ſpeciem ignis*, hoc eſt, ignis inſtar reſplendentem & rutilantem: ſi autem fuiſſet verus ignis, Scriptura non aſſereret columnam illam fuiſſe igni aſſimilatam.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XIV.

TRia potiſſimum hoc in capite repræſentat Moſes. I. Quartam Iſraelitarum ſtationem verſus mare rubrum. Primus enim eorum conventus fuit in *Rameſſe*: Secundus in *Socbot* verſus mare rubrum: vox autem *Socbot* ſignificat Tabernacula, quod ibi Iſraelitæ fixerint tentoria. Tertia ſtatio fuerit *Etham* II. Refert Moſes propoſitum Pharaonis, Hebræos inſequendi, ut illos in Ægyptum revocaret. III. Admirandam maris rubri duas in partes diviſionem, & Hebræorum per medios illius vortices ſicco pede tranſitum; Pharaonis autem cum univerſo numeroſo ſuo exercitu in eis aquis revolventibus ſubmerſionem & extinctionem.

Cum propoſuiſſet Deus illuſtrandæ ſuæ gloriæ & manifeſtandæ juſtitiæ cauſa, ultimam de impiiſſimo Pharaone ſumere vindictam, voluit ut Iſraeliticus populus quartam ſtationem poneret e regione Phihahiroth quæ eſt inter Magdalum & mare rubrum contra Beelſephon, ubi e regione habebant horreoda deſerta, a ſiniſtris vallati erant mari rubro, a dextris vero præruptis montibus & vallibus profundiſſimis, ut in hac ſtatione Hebræi viderentur undique irretiti. Nam *Phihahiroth* ſignificat ſpeluncam rupibus incluſam: *Magdalum* vero turrim ſeu caſtellum vel munitionem quæ fortaſſis monti proximo erat impoſita; *Beelſephon* autem dominum ſpeculæ, quod illic in præcelſa rupe ædificata fuerit ſpecula ad Ægypti tutelam. Rabbi Salomo, aliique fabulantur Beelſephon fuiſſe canem æneum, ſeu idolum arte magorum Ægyptiorum comparatum, ibique collocatum ut ex Ægypto fugitivos obſervaret & retineret.

Pharao autem audiens Iſraelitas fugere & in arcto poſitos, conceſſæ facultatis exeundi pœnitens, atque ægre ferens tot hominum millia cum ſuis opibus, & Ægyptiorum ſpoliis ſuo ſubducta eſſe imperio; confeſtim juſſit expediri ſexcentos currus militares, numeroſumque eduxit exercitum, ut fugientes revocaret. Etſi enim ſciebat longe numeroſiores eſſe Hebræos ſuis copiis, utpote cum eſſent ſexcenta hominum millia, omnes viribus potentes; attamen cum noſſet certamen eſſe cum imbelli turba, & armorum tractandorum rudi, ſperavit nullo negotio peſſumdatum iri ingentem illum numerum, qui & prudentiæ & artis bellicæ inſcius erat.

Nec certe ſpes euo ſallebat, niſi obviam iviſſet Deus, & Iſraelitis ad Pharaonis exercitus conſpectum trepidantibus animos addidiſſet, aſſerendo per Moſem nihil eis a Pharaone timendum; quod etiam eventus probavit: Moſes enim juſſu Dei virga ſuper mare obvium porrecta, duas illud in partes diviſit, aquis hinc & inde in montes ſtatuminatis. Nam utrinque erectæ murorum ſpeciem præſeferebant, ſiccumque medium præbebaot iter tamquam in continenti pervio.

Ne autem Iſraelitas iter illud ingredientes cernerent Ægyptii; ab Angelo columoæ oubis ductore, ipſis præeunte & retro abeunte, denſa caligine ſunt obtecti, ne ab Ægyptiis videri poſſent & impugnari. Cum autem dies illuxiſſet, Pharaoque vidiſſet Hebræos medias intra aquas ambulantes; continuo idem iter ingreſſus, fugientes ioſecutus eſt. At cum Iſraelitæ in oppoſitum littus evaſiſſent; Moſes, Dei juſſu, præcepit

Digitized by Google

aquis ut refluerent, & in unum coirent; quod momento factum, Pharao cum univerſo ſuo exercitu abſorptus miſere periit; ne uno quidem nuntio cladis ſuperſtite.

Quæritur autem 1. Utrum revera Iſraelitæ medias inter aquas tranſierint?

Reſpondeo, Nonnullos fuiſſe qui, ut hoc miraculum elevarent, finxerunt Moſem in rebus naturalibus ſcientiſſimum noviſſe quo tempore mare rubrum extra ſua ſepta flueret, ſuoque fluxu ingentia terrarum loca, quæ prius occupabat, aquis nudata relinqueret: hoc vero temporis intermedio uſum Moſem, Iſraelitas per illa patentia & aquis deſtituta ſpatia tranſmiſiſſe; Pharaonem vero cæteroſque Ægyptios hujus fluxus & refluxus neſcios, & eamdem viam ingreſſos, aquis revolventibus obrutos periiſſe.

Verum tametſi, fluente mari, littus & planities, quam occupabat, aquis deſtituantur; licet etiam aliquando flante vehementiſſimo vento, mare ulterius fluat quam ordinarie aſſolet; numquam tamen viſum fuit illo refluxu ita dividi mare, ut aquis hinc inde conſiſtentibus, ſiccum in medio præbuerit iter, ſicut Iſraelitis contigit, ut manifeſtum ſit ex huius capitis verſibus 21. & 22. ubi legitur quod cum Moſes extendiſſet virgam ſuper mare, *Diviſa eſt aqua & ingreſſi ſunt filii Iſrael per medium ſicci maris: erat enim aqua quaſi murus a dextra eorum & læva.* Unde Pſalm. 135. verſ. 13. & 14. *Qui diviſit mare rubrum in diviſiones... & eduxit Iſrael per medium ejus.* Et Sapientiæ cap. 10. *Tranſtulit illos per mare rubrum, & tranſvexit illos per aquam nimiam* &c. Adde quod credibile non ſit Ægyptios, quorum imperium ad illius maris littus protendebatur, ipſius fluxum & refluxum ignoraſſe, id autem ſoli Moſi fuiſſe cognitum.

His accedit teſtimonium Ethnicorum, maxime Artapani laudati ab Euſebio; qui ſcribens de Judæis, cum dixiſſet illos corrogatis Ægyptiorum poculis ac veſtibus, aliaque multiplici gaza onuſtos, ad mare rubrum tertio die perveniſſe; addit *Ægyptiorum Regem abeuntes Judæos, quæque ab Ægyptiis mutuo acceperunt ſecum auferentes, ingenti exercitu cum animantibus conſecratis perſequutum eſſe. At Moyſem uti Mare Virga percuteret divinitus admonitum, aquam Virga tetigiſſe, ac diſcedentibus illico fluctibus, copias ſicco tramite deduxiſſe. Eamdem porro viam tentantibus, ac fugientium terga prementibus Ægyptiis, cum adverſum repente ignem coruſcuſſe, tum ipſum quoque mare patentem ſemitam refluentibus undis obruiſſe: itaque partim igni, partim æſtu maritimo Ægyptios ad unum omnes periiſſe. Judæos vero ab imminenti periculo liberatos, per ſolitudinem annos triginta continenter vagatos eſſe* &c.

Idem Euſebius producit Ezechielum tragicum Judæorum poetam, qui in eo dramate, quod *Eductionem* inſcripſit, refert Nuntium Ægyptium Scriptorem, qui cum varias clades a Moſe ſuis popularibus illatas recenſuiſſet, adjeciſſetque Pharaonem eum ingenti exercitu Iſraelitas ab Ægypto recedentes inſequentem, de Moſe Hebræorum duce addit.

.... Ductor hic Virgam arripit,
Qua tot gementem merſit Ægyptum malis,
Noſtrumque fregit mille portentis genus;
Arripit, & alti verberat dorſum Maris.
Diſcedit ictu pontus, & ſulcas gradu
Subit incitato populus liquidum plagas.
At nos fugaces voce ſublata ſequi,
Mediaque nocte quam præit Moſes viam,
Hanc ultro premere, gravior at ſubito rota
Victoſque currus pondus in ſolitum tenet.
Igneus repente fulgor e cælo micat,
Ardetque flamma ſimilis. Auxilium Deus,
Deus ipſe miſeris dexter auxilium tulit,
Iſacia ripis ſteterat adverſis phalanx,
Immane pharios unda jam circum latrat,
Fugiamus eheu, Miles exclamat, Deus
Suos potente dextera Hebræos tegit,
Ferale nobis ultor exitium creat.
Dum loquitur, alto clauditur fluctu via,
Totaſque Rubrum copias haurit Mare.

Egregie confirmat iſta Philo Judæus lib. 1. de vita Moſis pag 488 *Moſes*, inquit, *juſſus virga mare percutit. Quo facto aquæ ſcinduntur, & altera pars in altum tollitur ſtans more parietis ſolida, altera ceu fræno impoſito vi occulta retrahitur: media ſciſſura ſiccata patentem latamque viam præbente ad populi tranſitum.*

His addere licet quæ de hujus miraculi veſtigiis adhuc permanentibus refert Paulus Oroſius lib. 1 Hiſtoriæ cap. x. „. Extant, „ *inquit*, etiam nunc certiſſima horum monu„ menta geſtorum. Nam tractus curruum, „ rotarumque orbitæ, non ſolum in littore, „ ſed etiam in profundo, quouſque viſus „ admittitur, pervidentur: & ſi forte ad tem„ pus, vel caſu, vel curioſitate turbantur, „ continuo divinitus in priſtinam faciem „ ventis fluctibuſque reparantur, ut quiſquis „ non docetur timorem Dei propalatæ Reli„ gionis ſtudio, iræ ejus tranſactæ ultionis „ terreatur exemplo.

At inquies, ſi hæc ita conſtarent, Joſephus rerum Judaicarum Scriptor, dubius non fuiſſet utrum ille ſuorum majorum per mare tranſitus evenerit ſponte naturæ, an ſingulari Dei voluntate: *Nemo autem* (inquit lib. 11. Antiq. cap. 7.) *mirari debet tamquam incredibilia, ſi priſcis hominibus, & ad malitiam rudibus, de ſalute periclitantibus, via per mare patuit ſive Dei voluntate, ſive ſponte naturæ.* Quod autem cenſuerit id potius naturali rerum ordini, quam Deo ſupra naturæ leges operanti eſſe tribuendum addit: *Quando quidem Alexandri ductu Macedonibus Pamphilium Mare ceſſit, & alium viam non habentibus illac iter aperuit, cum Deus ejus opera ad deſtruendum Perſarum imperium uti decreviſſet: id quod omnes teſtantur, qui res geſtas illius Regis ſcripto prodiderunt.*

Reſpondeo, hæc a Joſepho ſcripta, ut temeritatis & imprudentiæ argueret Ethnicos illos qui divinis Scripturis fidem detrahebant,

quod

quod in eis incredibilia narrarentur; cum tamen aſſentirentur ſuis Scriptoribus ſimilia referentibus.

Quod autem Joſephus revera fuerit perſuaſus ſuis majoribus nonniſi divina virtute viam per mare patuiſſe, apparet ex iis quæ ibidem præmiſerat; Cum enim dixiſſet Moſem videntem Hebræos vehementi terrore perculſos propter inſtantem formidandum Ægyptiorum exercitum, nec patere viam fugæ, Deum exoraſſe ut periclitantibus ſuccurreret, *addit*: „ Hæc precatus, mare virga percutit: Quo ictu repente ſciſſum, & retrorſum ſe recipiens, nudum ſolum Hebræis ad fugam capeſſendam relinquit. Moyſes autem videns adeſſe Deum, & Mare de ſuo ſolo ceſſiſſe, primus progreditur; hortatur Hebræos ut alacriter ſequantur per viam divinitus datam, & læti, præterito periculo, gratias agant ob tam incredibilem ſalutis rationem tam ſubito exortam. Illis vero impigre ſubſequentibus, nimirum divina ope fretis, Ægyptii primum inſanire eos putabant, in manifeſtam perniciem ruentes. Poſtquam vero viderunt eos longe proceſſiſſe, & impune abſque omni impedimento iter facere, impetu facto perſequi eos cœperunt, quaſi & ipſi tutum per mare iter habituri: & præmiſſis Equitibus a littore deſcendebant. Jamque in adverſum littus evaſerant Hebræi, hoſtibus a tergo relictis, quos armis graves ipſa etiam miraculi novitas nonnihil eſt remorata: ſed cum incolumes illos terram tenere viderent, ſibi quoque eumdem eventum pollicebantur. Verum feſellit eos hæc opinio, neſcientes non quorumvis talem viam eſſe, ſed Hebræorum tantum.... Ergo cum jam univerſus exercitus introgreſſus eſſet, refunditur iterum Mare, & Ægyptios fluctibus involvit. „ *Ita Joſephus*: quibus præmiſſis, addit neminem Ethnicorum hæc mirari debere tamquam incredibilia, cum eorum Scriptores ſimile quid Alexandro magno contigiſſe enarrent.

Quamquam revera non dixerit Alexandrum per maris medium exercitum duxiſſe, ſed tantum quod expeditionem in Pamphyliam parans, Traces breviorem viam oſtenderint per radices montis Climacis, quæ Pamphylio mari ſolebant operiri; flantibus autem Borealibus ventis, aquæ recedentes liberum iter pandebant: earum vero receſſus occaſionem nactus Alexander hac via exercitum traduxit. Ita *Strabo* lib. 14. Geographiæ: *Plutarchus* in Alexandri vita: *Quintus Curtius* lib. 5. hiſt. *Arianus* lib. 1. de expeditionibus Alexandri; qui duo poſtremi peculiari quidem alicujus Numinis favori deputant, quod tunc vehementer Boreales venti maris undas verberantes longius a monte propulſaverint. Eis vero contradicit Strabo dicens: *Contigit ut totum diem milites per aquam iter facerent uſque ad umbilicum in eam demerſi*. Quæ certe longe abludunt ab iis quæ de mirabili Hebræorum maris tranſitu refert Moſes.

Quæritur II. Utrum revera Hebræi a littore Ægypti ad oppoſitum littus Arabicum medias inter maris rubri aquas pertranſierint?

Negant plurimi Hebræorum Doctores, præſertim Aben-Ezra & Hiskuni, quorum verba refert Paulus Pagius, contenduntque Hebræos ab Ægypti littore profectos, via circulari in mari facta, ad idem littus rediiſſe. Eadem ſentiunt Abulenſis, Burgenſis &c.

Verum iſti ſententiæ adverſatur Sacer Textus, qui ubique diſtincte pronuntiat Hebræos per medium maris tranſiiſſe: præſertim Numer. 33. verſ. 8. *Profectique de Phihahiroth tranſierunt per medium mare in ſolitudinem*. At is progreſſus quem Auctores iſti volunt, non fuiſſet tranſitus, ſed circuitus. II. Si tantum aliquem in mari circuitum feciſſent, eum non minus indicaſſet Moſes quam Deuteron. 2. verſ. 1. *Venimus in ſolitudinem quæ ducit ad mare rubrum, & circumivimus montem Seir longo tempore*. III. Ex Geographia conſtat neceſſum fuiſſe ut ab uno littore ad aliud oppoſitum fieret ille tranſitus: ut enim ex Ægypto, & mari rubro quis perveniat in montem Sinai, cum inter montem illum & Ægyptum interjaceat mare rubrum, neceſſario tranſiri debuit; nam licet ex Rameſſes in Sinai, pedeſtris ſit via directa quæ relinquit ad latus mare rubrum; eſt tamen illa rupibus undique ita obſepta, atque prærupta, ut apta non fuerit itineri tanti populi, qui propterea duce Deo flexit iter per mare rubrum, quod in eum finem fuit pervadendum: neque plurimum ponderis habent adverſariorum argumenta.

Opponunt enim 1. Iſraelitæ priuſquam intrarent in mare, verſabantur in deſerto *Ethan*, Exod. 13. verſ. 20. & Numer. 33. verſ. 6. At poſt ipſum tranſitum maris inventi ſunt in eodem deſerto, Numerorum 33. verſ. 8. ubi legitur: *Tranſierunt per medium mare in ſolitudinem, & ambulantes tribus diebus per deſertum Ethan caſtrametati ſunt in mare*. Igitur non perrexerunt in oppoſitum littus, ſed circulari confecto itinere in idem littus & deſertum redierunt.

Reſpondeo, deſertum Ethan vaſtiſſimum eſſe, totamque occupare ſolitudinem, quæ extremam partem ſinus Arabici utrimque ambiebat; ita ut eandem pars ſolitudinis Ægyptiis dicta fuerit, deſertum Ethan, Hebræis vero deſertum Sur; nam quod Numer. 33. vocatur *deſertum Ethan* Exodi 35. appellatur *deſertum Sur*. Unde S. Hieronymus Epiſt. ad Fabiolam idem deſertum appellat Sur, & Ethan: *Egreſſis*, inquit *de mari rubro occurrit eremus Sur, quæ & ſolitudo Ethan dicitur*.

Opponunt II. Cum Iſraelitæ exiiſſent e mari rubro, viderunt Ægyptiorum ſuffocatorum corpora circa littus, in quo illi ſtabant ejecta: at littus hoc illud erat per quod Ægyptii mare intraverant ut Hebræos fuerant inſecuti: ſolet enim mare ſubmerſorum corpora ejicere ad littus proximius: porro cum ſtatim atque Ægyptii in mare ſunt ingreſſi, aquis refluentibus fuerint abſorpti; neceſſum eſt illorum cadavera in littus Ægypto-

Digitized by Google

ptn proximius foiſſe ejecta; igitur in idem littus redierant Hebræi, neque enim ex adverſo littore nimium diſtante potuiſſent iſta cadavera conſpicere.

Reſpondeo 1. ab Adverſariis ſupponi, quod erat probandum, nempe Ægyptios ipſo in mare ingreſſu ſuiſſe ſuffocatos; id enim nullibi Scriptura indicat; quioimo declarat hic verſ. 23. Eos coneitato greſſu fuiſſe Iſraelitas in medio maris inſecutos; unde inſerri lieet eos ſuiſſe aquis revolventibus oppreſſos, nnn procul a littore, in quod Iſraelitæ emerſerant. Deinde cum aquas refluere viderunt Ægyptii, dixerunt verſ. 25. *Fugiamus Iſraelem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos*. Quæ certe non dixiſſent, ſi in Ægyptiaeum littus, quod ille repetere nitebantur, tendiſſent Iſraelitæ; hoc eoim noo ſuiſſet eos ſugere, ſed inſequi.

Opponunt III. Veriſimile non eſt quinque horarum ſpatio Iſraelitas ſuis cum armentis, mulieribus, & parvulis tantum ſpatium conficere potuiſſe, ut ab uno maris littore, aliud longius diſſitum pertingerent. Igitur &c.

Reſpondeo, ſinum Arabicum ſeu mare rubrum in ſua extremitate eſſe peraoguſtum, atque ea parte, qua ab Hebræis trajectus eſt, continere duntaxat novem millia paſſuum, ut reſert Joannes de Baros in ſuis de Aſia hiſtoriis decade 2. lib. 8. cap. 1. Adrichomius vero ſpatium illud non facit latios trium leucarum horariarum: adeoque multo tempore opus non fuit ad illud traiieiendum præſertim cum Hebræis vires adjieeret Deus, nulluſque in eorum Tribubus eſſet infirmus, atque hoſtium perſequentium metus alas adderet, compelleretque gradum maturare.

Quæritur III. Qoa ratione fieri potuit, ut Iſraelitæ, qoi ad Pnaraonis exercitus eonſpectum tanto timore fuerant correpti, ut adverſus Moſem inſurgentes dixerint verſ. 11. *Forſitan non erant ſepulchra in Ægypto; ideo tuliſti nos ut moreremur in ſolitudine; quid hoc facere voluiſti ut educeres nos ex Ægypto?* Illi nihilominus homines metieuloſi non exhorruerint ingredi tam ſtupeodum, tamque periculoſum iter?

Dicunt Hebræi Doctores Tribum Juda, cæteris paratam viam ingredi recuſantibus conſtanter doce Aminadabo ſuo præfecto, iter illud aggreſſam aliis intrandi fiduciam feciſſe, ac propterea in cæteras Tribus ohtinuiſſe principatum. At veriſimilius dicendum arbitror Moſeoi primum huie itineri ſe commiſiſſe, ut aliis animum adderet. Idque declarat Joſephus: *Moſes*, inquit, *videns adeſſe Deum, & mare de ſuo loco ceſſiſſe, primus progreditur, hortatus Hebræos, ut alacriter ſequantur per viam divinitus datam, & læti, præterito periculo, gratias agant, ob tam incredibilem ſalutis rationem, tam ſubito exortam. Illis vero divina ope freti, impigre ſubſequuntur*. Cum enim a Deo Moſes conſtitutus eſſet totius populi dux, adeſſetque proximus mari quod virga ſua duas diviſerat in partes, parum profuiſset Iſraelitas hortari, ut huic periculoſo itineri ſe committerent, niſi ſuo eis præiviſſet exemplo.

Cum Iſraelitæ omnes ſicco & veloei pede mare fuiſſent emenſi, ſtarentque in littore tremuli, quod Pnaraonis exercitum eom ingenti boatu & curruum ac armorum fragore proxime eadem via inſequentem audirent; ſummo tripudiarunt gaudio, dom viderunt univerſum hune formidandum exercitum aquis revolventibus obrutum. Aceeſſit ad lætitiæ eumulum, quod præter ſubmerſorum tribus ſaltem diebus ſub aquis latentium, conſuetudinem, Ægyptiorum cadavera cum ſois opibus & armis ad littus, in quo ſtabant Hebræi, Deo ita volente, paucis poſt eorum ſuffocationem horis fuerint ejecta, ot hoſtium ſuorum divitiis ditarentur; quique maxima ex parte fuerant inermes, armis adverſum ſe deſtinatis inſtruerentur, quibus parati & inſtructi forent adverſus alios hoſtes pugnatori.

Quærunt IV. Hie interpretes, quis ſuerit ille Pharao Ægyptiorum exercitus ductor?

Reſpondeo, multiplicem ac omnino dubiam eſſe hac in re Auctorum ſententiam. Joſephus enim libro 1. adverſus Appionem reſert hunc aſſerere, Regem, a quo ex Ægypto pulſi Hebræi, ſuiſſe *Themoſim*. At refert alibi Chæremonem aſſerere id factum per *Amenophim*. Lyſimachus vero & Cornelius Tacitus id attribuunt *Bocchori*. Euſebius in ſuo Chronico dicit illum ſuiſſe *Cheremen*. Syncellus vero pag. 69. & 71. dicit exitum Iſraelitarum ex Ægypto contigiſſe ſob Rege *Miſphragmuſthoſe*, quem Joſephus lib. 1. contra Appionem *Aliſphragmuthoſim* appellat, littera M, in duas diſtributa nempe λ; idque ſignificare videtur Manetho a Joſepho ibidem productus, dum ait ſub Rege Aliſphragmuthoſi victos & expulſos ſuiſſe paſtores, & univerſam Ægyptum profligatam: nempe tum per decem plagas quibus Deus Ægyptios flagellavit, ut illius impiiſſimi Regis frangeret contumaciam, tum per illius, eum numeroſiſſimo ſuo exercitu in mari rubro, ſubmerſionem. Ita eum in finem Joſephus Manethonis verba producit.

Verum, aut Manethonis mentem non eſt aſſecutus Joſephus, dom per paſtores ejectos, Iſraelitas intelligendos eſſe voluit: aut Manetho Ethnieorum more veram hiſtoriam inanibus commentis & fabulis inſperſit, dum ait paſtores diutiſſime per univerſam Ægyptum ſuiſſe dominatos, & ab Aliſphragmutoſi victos & ejectos in Syriam, Hieruſalem ædificaſſe: neque enim Iſraelitæ in Ægypto, niſi vivente Joſepho, aliquod habuerunt imperium; neqoe Hieroſolymam ædificarunt: imo nec ea, niſi regnante Davide, potiti ſunt. Ex quibus manifeſtum fit eerto non conſtare quis fuerit ille Pharao Iſraelitarum perſecutor cum exereitu ſuo in mari rubro demerſus.

Quæritur V. Utrum ille Pharao una eum ſuo exereito revera in coeuntibus maris rubri fluctibus fuerit extinctus?

Id negabat Appio, aſſerens Regem illum, qui Iſraelitas expulit, poſt eorum ejectionem regnaſſe annis 25. & menſibus 4 ot

vide-

videre eſt in 1. lib. quem Joſephus adverſus eum ſcripſit. Verum, commentum hoc eſſe falſiſſimum, apparet ea hoc capite, ubi poſtremam Pharaoois & Ægyptiorum cladem Moſi denuntians Deus, ait verſ. 17. *Ego autem indurnbo cor Ægyptiorum ut perſequantur vos: glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu ejus, & in curribus & in equitibus illius. Et ſcient Ægyptii quia ego Dominus, cum glorificatus fuero in Pharaone, & in curribus atque equitibus ejus.* In quibus verbis apertiſſime apparet, ipſum Pharaonem ab exercitu ſuo diſtingui, & eamdem, eum ſuis militibus Iſraelitas inſequentibus ad divinæ juſtitiæ commendationem, pœnam luiſſe. Cum enim ille Auctor fuiſſet acerbioris Tyrannidis Ægyptiorum in Iſraelitas, atque etiam impetus in eos faciendi per exercitum, ſi apprehendi potuiſſent, æquiſſimum erat ut una cum nequitiæ ſuæ miniſtris periret. Idque factum manifeſte declarat Moſes in Cantico, quod, ut refertur cap. ſequenti poſt ſubmerſionem Ægyptiorum, cum univerſis Iſraelitis cecinit; ait enim verſ. 19. *Ingreſſus eſt eques Pharao cum curribus & equitibus ejus in mare; & reduxit ſuper eos Dominus aquas maris.* Idipſum confirmat David Pſalm. 135. dicens: *Excuſſit Pharaonem, & virtutem ejus in mari rubro.* Claudam hoc caput verſibus Cœlii Sedulii lib. 1. ita canentis.

Pervia diviſi patuerunt cærula ponti,
In gemiuum revoluta latus, uudatnque tellus
Cognatis ſpoliatur aquis, ac turba pedeſtris
Intrat in abſentis pelagi mare, perque profundum
Sicca peregrinas ſtupuerunt marmora plantas.
Mutavit uatura viam, mediumque per æquor
Ingrediens populus, rude jam baptiſma gerebat.
Cui dux Chriſtus erat: &c.

Hanc baptiſmi figuram egregie exponit Theodoretus: „ Cum igitur, *inquit*, Ægyptii
„ perſequerentur Hebræos; hi mare rubrum
„ tranſeuntes, ab Ægyptiorum prægravi
„ Dominio vindicati ſunt. Mare præ ſe fert
„ ritum lavacri Baptiſmi; nubes autem ty-
„ pum Spiritus-Sancti; Moſes Chriſti Sal-
„ vatoris; virga ejus, Crucis Chriſti; Pha-
„ rao diaboli typum geſſit. Similiter Ægy-
„ ptii Dæmonum, vel peccatorum figuram
„ præſeſerunt; Manna figuram cibi cœ-
„ leſtis geſſit; & aqua quæ de petra efflu-
„ xit, typum Sanguinis Chriſti. Quemad-
„ modum enim Hebræi poſtquam mare ru-
„ brum tranſierunt, cibo peregrino & aqua
„ inopinata fruebantur; ita nos, poſt ſalu-
„ tarem Baptiſmum, participes ſumus divi-
„ norum myſteriorum. *Petra* autem vocata
„ eſt Chriſtus, quia typus erat Chriſti; ſic
„ & mare dictum eſt *Baptiſma*, quamvis nul-
„ lus in eo ſit baptizatus: nam populus He-
„ bræus, pulvere potiusquam aqua aſper-
„ ſus, illud pertranſiit. Manna item, Da-
„ vid in Pſal. 77. vocavit *panem Angelorum*:
„ non quod incorporea natura Angelorum,
„ corporali cibo utatur: ſed quod Angelorum
„ miniſterio datum fuerit Hebræis. Sicut ap-
„ pellatur etiam *Panis cœli*, quod deſurſum
„ veniebat; non quidem ex ipſo cœlo; ſed
„ ex aere, qui cœli nomine frequenter appel-
„ latur. Dicuntur etiam *volucres cœli*, quæ
„ per aera volitant. *Hæc Theodoretus.*

DISQUISITIONES
IN CAPUT XV.

Cum Iſraelitæ viderent ſe mirabili Dei virtute & beneficio liberatos; *Vix ſui compotes præ gaudio* (inquit Joſephus) *ex tam inopinata ſalute concepto, accedente huc etiam hoſtium interitu, qua major eſſet libertatis ſecuritas, nemine ſuperſtite, qui eos in ſervitutem vindicare cuperet. . . . Quapropter tum de ſua ſalute, tum de inimicorum ſupplicio læti, magis quam ulli ante hæc homines, in hymnis & hilaritate totam illam noctem exegerunt.* Hymnum autem quem cecinerunt hic refertur a 1. verſ. ad 21. Unde tria hoc in capite referuntur. I. Canticum a Moſe concinnatum, & ab univerſo Iſraelitarum cœtu decantatum. II. Quinta Iſraelitarum ſtatio in Mara. III. Sexta ſtatio in Elim, & quid in utraque contigerit.

Ad Canticum quod ſpectat, quamvis Moſes dicatur illius Auctor, certum tamen eſt a Spiritu-Sancto illud fuiſſe dictatum, non ſolum in gratiarum actionem acceptæ ſalutis & libertatis, & in vaticinium conſequendæ terræ promiſſionis, ſed etiam in confirmationem hiſtoriæ, cujus veritatis tot fuerunt teſtes, quot Hebræi illum hymnum decantantes. Unde Moſes non in ſua perſona dicit, *cantabo*, ſed omnium nomine ait: *Cantemus Domino &c.* Quo autem ordine decantatum fuerit hoc canticum his verbis egregie declarat Philo: „ Ob tantam victoriam,
„ *inquit*, Prophera celebravit auctorem tan-
„ ti beneficii: diſtributa enim omni Gente in
„ duos choros, alterum virorum, & al-
„ terum mulierum, ipſe viris carmen præi-
„ vit; ſororem autem dedit præcentricem
„ fœminis, ut illud in parentem omnium
„ conditorem Deum alternis canerent ver-
„ ſibus, non diſcrepante a moribus car-
„ mine, dum certatim canunt ſuis vici-
„ bus, & carmen miſcetur ex ſonis acutis
„ atque gravibus: virorum enim voces gra-
„ ves ſunt, acutæ mulierum: unde tempe-

ramen-

Digitized by Google

„ ramentum ſit commenſuratæ, ſuaviterque
„ coaptatæ melodiæ. Ut autem tot homi-
„ num millia hymnum eumdem ore conci-
„ nerent, in cauſa fuerunt illa prodigioſa
„ miracula de quibus diximus: propter quæ
„ Propheta gaudens una cum gaudente po-
„ pulo, & lætitiam intra ſe non continens,
„ exorſus eſt canticum: id vero audiens po-
„ pulus in duos choros ſeceſſit, & canen-
„ tem imitatus eſt. *Sic Philo.*

Hinc factum putat clariſſ. Perrerius in hoc cap. diſput. 1. morem invaluiſſe apud Judæos, ut non ſolum viri, ſed etiam fœminæ, Dei laudes, & pro beneficiis ab eo acceptis, dignas gratiarum actiones & voce, & inſtrumentis muſicis cantarent atque celebrarent. Huc ſpectare videtur quod dixit David in Pſal. 67. *Convenerunt principes conjuncti pſallentibus, in medio juvencularum tympaniſtriarum.* Quæ verba explanans Genebrardus ita ſcribit: Convenerunt cantores, & tibicines utriuſque ſexus ad perſonandas Dei victorias, ita ut alii cantu præirent, & alii ſequerentur.

Moris enim erat, ut etiam mulieres canerent Epinicia tam voce quam inſtrumentis muſicis: & alludit hoc loco David ad locum Exodi, capite decimo quinto, ubi viri in uno choro eum Moſe, & fœminæ in altero cum Maria celebrabant victoriam de Pharaone partam. Apud Eſdram quoque legitur, inter Hebræos, qui de captivitate Babylonica redierunt in Judæam, fuiſſe ducentos cantores & cantatrices; ad itinerum videlicet levandam moleſtiam, & reducum animos conſolandos atque recreandos.

Salomon qunque in libro Eccleſiaſte, cap. 2. inter multa quæ feciſſe ſe commemorat, ad magnificentiam regiam & ad varia oblectamenta & delicias pertinentia, & hoc dixit: *Feci mihi cantores, & cantatrices, & delicias filiorum hominum.*

Scribit Joſephus mox laudatus canticum hoc hexametro verſu a Moſe fuiſſe compoſitum: Quod ſi cui videtur *Incredulum* (inquit S. Hieronymus in præfatione Commentarii quod ſcripſit in librum Job) *metra ſcilicet eſſe apud Hebræos, & in morem noſtri Flacci, Græcique Pindari, & Alcæi, & Sapphu vel Pſalterium, vel Lamentationes Hieremiæ, vel omnia ferme Scripturarum cantica comprehendi, legat Philonem, Joſephum, Origenem, & Cæſarienſem Euſebium & eorum teſtimonio, me verum dicere, comprobabit.*

Hoc porro Canticum omnium eſſe antiquiſſimum docet Origenes in homilia ſuper hunc locum: Multa, *inquit*, cantica eſſe an-
„ tiquitus ſacta legimus in ſacris litteris;
„ omnium tamen primum eſt hoc canticum
„ Moſis, quod, Ægyptiis Pharaone & ſub-
„ merſis, populus Dei poſt victoriam ceci-
„ nit. Moris quippe ſanctorum fuit, ubi
„ hoſtes cæſi eſſent, quod ſcirent non ſua
„ virtute, ſed Dei gratia partam eſſe victo-
„ riam, hymnum Deo gratulationis offerre.

S. Hilarius autem in Prologo in Pſalmos, de nomine *cantici* loquens: *Eſt*, inquit, *canticum, cum canentium chorus, libertate ſua utens, neque in conſonum organi obſtrictus obſequium, hymno tantum canoræ vocis exultat.*

Hic autem obſervandum eſt cum S. Bernardo in ſententiis, quatuor eſſe genera Canticorum a fidelibus uſurpata: unum *victoriæ*, quod ſubmerſo Pharaone cantarunt Hebræi: alterum *exhortationis*, quod iidem, terram promiſſionis concinunt intraturi: Tertium *lætitiæ*, quod de ſuſceptione filii cantavit Anna: Quartum *fortitudinis*, quod David cantavit de manu Saulis ereptus.

Cantico finito, profectionem indixit Moſes per deſertum *Sur*: cujus mentio fit Geneſis 16. verſ. 8. ubi legitur Angelum inventum ab Agara ancilla Saræ, in deſerto *ſupra fontem in via Sur*, qua ſcilicet tendebat in Ægyptum, unde erat oriunda. Hoc itaque deſertum ingreſſi Hebræi, confectoque tridui itinere, præ aquarum inopia ſiti urgentur.

Invenerunt quidem aquas in *Mara*; ſed inveniſſe nihil profuit; aquis enim illis tanta inerat amaritudo, ut ineptæ prorſus eſſent ad potum; quamobrem ab ipſa amaritudine illis aquis *Mara* nomen inditum eſt, Strabo lib. 17. p. 804. dicit In illis Arabiæ partibus: *Erant lacus quidam amari vocati quos Seſoſtris deducto ex Nilo rivulo dulces reddidit.* Fuit quidem Iſraelitis hæc non levis tentatio, ſitim tribus pati in terra arida, nec ullum occurere remedium. Unde populus impotens animi, qui preces ad Deum in tanta neceſſitate dirigere debuerat, neglecto precandi ſtudio, tumultuoſe Moſi obſtrepit, & aquam petulanter ab eo expoſtular, quam ſciebant non niſi a Deo dari poſſe. Moſes autem ad Deum converſus & fuſis ad ipſum precibus *ligno quodam* (ait Syncellus pag. 128.) *in vivifici ligni crucis figuram cœlitus oſtenſo, & in aquas miſſo, amaritudinem ex eis ſuſtulit.*

Quæritur autem utrum lignum iſtud vim innatam habuerit corrigendi aquarum amaritudinem?

Reſpondet Theodoretus quæſtione 26. in Exod. *Abſurdum eſſe & ſupervacaneum, quod a Scriptura reticetur, velle inquirere. Satis eſt didiciſſe per lignum depoſuiſſe aquas omnem amaritudinem quæ res Salvatorem noſtrum præfigurabat; nam & ſaluberrimo ligno crucis amarum gentium pelagus dulcedinem cum triſtitia commutavit.*

Scribit Fagius ſapientes Hebræorum referre hoc lignum natura amarum fuiſſe, & projectum in aquas illas, amariores reddidiſſe; quo magis in effectu contrario, Dei virtus appareret; ſolet enim Deus ita procedere, ut daturus effectum vel ſanitatem ſupra naturam, id faciat per media, natura ſua non ſolum inidonea, verum etiam contraria, ſic 4. *Reg. cap.* 2. *verſ.* 20. inſpiravit Elizæo ut ſalem injiceret in aquas amariſſimas quo redderentur potabiles, cum tamen ſalſugo potui ſit ingratiſſima. Sic *Joannis* 9. Chriſtus Dominus luto linivit oculos cæci nati, ut viſum ei conferret.

Verum, etſi Deus contrariis interdum remediis utitur ad ſuos edendos effectus; nihilominus aliquando ea adhibet media, quæ natura ſua vim quamdam habent, ad id efficiendum, quod intendit. Sic 4. *Reg. cap.* 2.

verſ. 7.

verſ. 7. Iſaiæ juſſit ut maſſam ficorum applicaret tumori Ezechiæ regis, qua applicatione curatus eſt; licet enim ficis naturalis inſit virtus tumores levandi; nihilominus ſanatio illa vere fuit miraculoſa, quia præter naturam facta fuit breviſſimo tempore. Unde licet vis quædam innata fuiſſet iſti ligno ſecernendi aduſtas terræ partes, quarum admixtione fit amarus aquæ ſapor, vel certe attrahendi & alliciendi ad ſeſe, imbibendique amaritudinem aquæ; attamen illa aquæ ex amara in ſuavem mutatio vere cenſenda fuit miraculoſa: neque enim lignum exiguum modico temporis ſpatio tantam aquæ copiam potuiſſet ſanare, quanta neceſſaria fuit tot hominum ac pecudum millionibus potandis.

Poſtquam autem Deus aquæ penuria examinavit populum ſuum, eique miraculoſum potum ſubminiſtravit, verbo quoque ipſum per Moſem admonuit, ut impoſterum majori docilitate & obedientia ſe ſubiiceret illius imperio; ibi namque *conſtituit præcepta atque judicia;* quænam fuerint illa præcepta? Scriptura non exprimit. Putant Hebræi tunc latam fuiſſe legem de *Sabbato ſervando*, atque etiam præſcriptas eſſe quaſdam legales cæremonias, ut de virula rufa comburenda, quatenus ex ejus cinere fieret aqua luſtralis, qua expiarentur immundi, de qua fit mentio *Numerorum* 19. Verum commentum illud erroneum eſſe demonſtrat Abulenſis præſul. Cenſerem ego hic tantum ſignificari admonitionem, ut Iſraelitæ impoſterum majorem in Deo fiduciam haberent; cui ſi fuerint obſequentes, illum viciſſim in omnibus haberent beneficum. Forte etiam ibi novam quandam politiæ formam conſtituit Moſes, legeſque præſcripſit Iſraelitis, quibus pacifice & religioſe erga Deum & ſe invicem agerent; quatenus leges illæ rudimenta quædam eſſent præparatoria ad mandata deinde præſcribenda.

Mara fonte relicto, ſextam ſtationem præcedentibus amœniorem conſtituunt apud *Elim*, locum irriguum ſeptuaginta palmarum arboribus conſitum, & duodecim fontibus ſcaturientem. Quod utique „ tuti Iſraelitarum
„ genti bonum omen fuit, ait Philo; a nam — a *Lib. de vita Moſis. p.* 489.
„ ea dividitur in duodecim tribus, ſingulas
„ fonti ſimiles, ut quæ pietatis fluentis ſcateant, unde indeſinenter proficiſcuntur
„ præclara facinora. Principes autem familiarum totius gentis fuerunt ſeptuaginta,
„ merito aſſimilari palmæ: arborum præſtantiſſimæ, quæ aſpectu pulcherrima, fructum
„ quoque fert optimum, & vitalem vim habet, non in radicibus defoſſam, ut cæteræ, ſed in ſummo, quaſi cor, ſitam in
„ ramorum medio a quibus circumquaque
„ ſtipatur, ceu princeps a ſuis ſatellitibus.

Verum magis placet alluſio, quam poſt Tertullianum b producit ſanctus Hieronymus c dicens duodecim illis fontibus præfigurati duodecim Chriſti Domini Apoſtolos, *de quorum fontibus*, inquit, *derivatæ aquæ totius mundi ſiccitatem rigant. Juxta has aquas ſeptuaginta creverunt palmæ, quos & ipſos ſecundi ordinis intelligimus præceptores, Luca Evangeliſta teſtante, duodecim fuiſſe Apoſtolos & LXX. Diſcipulos, minoris gradus quos & binos ante ſe Dominus præmittebat.* — b *Lib.* 4. *contra Marc. cap.* 13. c *Epiſt. ad Fabiolam de* 4. *manſionibus.*

DISQUISITIONES
IN CAPUT XVI.

TRia potiſſimum hoc in capite memorantur. I. Octava Iſraelitarum ſtatio, ſeptima prætermiſſa, ut apparet ex cap. 33. verſ. 10. lib. Numer. quod forte nihil peculiare in ea acciderit. II. Eorum adverſus Moſem impetus & querimoniæ propter ciborum penuriam. III. Cibus cœlitus datus, nimirum ingens coturnicum numerus nocte ſuper caſtra immiſſus, atque etiam Manna e nubibus depluens.

Hebræi caſtra moventes e fontibus Elim, ad mare rubrum reflexo itinere die trigeſima a ſuo ex Ægypto egreſſu, Tabernacula fixerunt in deſerto *Sin*, diverſo loco ejuſdem vaſtiſſimi deſerti ab eo in quo Maria Moſis & Aaronis ſoror e vivis exceſſit, & ubi percuſſa petra aquas dedit uberrimas: ibi enim fuit 33. ſtatio, hic vero octava. Cum autem non recta perrexerint ad montem Sinai quo tendebant, cum Scriptura ſileat, temerarium eſſet cauſam ſtatuere. Quod enim quidam augurantur id factum, ut caverentur Amalecitarum inſidiæ, figmentum eſt, nulla ſolida conjectura firmatum.

Cum igitur ibi conſiſterent Hebræi, & conſumptis omnibus cibis, quos ſecum ex Ægypro aſportaverant, vehementi fame premerentur, conſpiratione facta inſurrexerunt adverſus Moſem & Aaronem ſuos duces, eoſque objurgarunt quod populum eduxerint ex Ægypto ubi cibis abundabat, ut illum fame interficerent in ſolitudine. In quo certe longe gravior fuit eorum culpa, quam dum ob aquæ penuriam adverſus eoſdem petulanter obſtrepuerunt. I. Quod Dei benignitatem in converſione amaritudinis aquæ paucis ab hinc diebus experti, omnem ſuam ad eum fiduciam dirigere, eumque ut beneficum proviſorem interpellare debuerant, non autem prnterve in eum ejuſque miniſtros inſurgere. II. Quod non aliquorum tantum, ut in Mara, ſed omnium pene fuit conſpiratio; nam *verſ.* 2. legitur: *Murmuravit omnis congregatio filiorum Iſrael* &c. Hoc eſt, turmatim collecti, vel ut erant in centurias & Chiliadas diſtributi, uno conſenſu obmurmurarunt.

Nec tamen putandum eſt omnes ad unum in hanc impiam & ſceleſtam factionem ruiſſe: Credibile enim eſt plures viros pios & fideles, quales erant Joſue, Caleb, Eleazar &c. Dei beneficiorum memores omnem ſuam in eum ſpem collocaſſe: ſed *cœtus omnis* hic fit mentio, quia murmur illud non fuit paucorum, ſed in apertam ſeditionem erupit. III. Eo uſque proceſſit eorum furor, ut illos pœniteret ex Ægypto exiiſſe, quia, inquiunt verſ. 3. Ibi *ſedebamus ſuper ollas carnium,*[1] *& comedebamus panem in ſaturitate. Cur eduxiſtis nos in deſertum iſtud ut occideretis omnem multitudinem fame?* Ecce Moſem & Aaronem, quorum opera liberati fuerant, ſuos vocant interſectores.

Etſi vero ſtupenda hæc Iſraelitarum petulantia & ingratitudo divinam animadverſionem provocare debebat: nihilominus Deus, qui ſingulari indulgentia ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos & malos, & cibum tam improbis quam juſtis hominibus ſubminiſtrat, indigno licet populo cibum ſapidiſſimum ex tempore procuravit. Nam, ut prædixerat Moſes *verſ.* 12. veſpere, ingens coturnicum turba ſuper caſtra advolavit, ibique reſedit tanto numero, ut quiſque quantum vellet capere poſſet, in plures etiam dies aſſervandas. *Mane quoque ros jacuit per circuitum caſtrorum: cumque operuiſſet ſuperficiem terræ, apparuit in ſolitudine minutum & quaſi pilo tuſum, in ſimilitudinem pruinæ ſuper terram: quod cum vidiſſent filii Iſrael, dixerunt ad invicem* MANHU? *quod ſignificat, quid eſt hoc?* v. 14. &c. Illud autem novum Dei beneficium ſic refert Joſephus: „ Interim „ dum Moſes precabundus palmas attollit, „ ros de Cœlo delabitur: qui cum manibus „ ejus hærens concreviſſet, ſuſpicatus ille „ hanc quoque alimoniam a Deo demitti, „ deguſtat: lætuſque re comperta, turbam „ ignaram & putantem hyberna tempeſtate „ ningere, monet opinione falli, nec vulgarem rorem de Cœlo deſcendere, ſed alimoniam, quæ ope alia deſtitutos periculo „ famis eximeret: ac mox prægustatum offert, ut experto crederent. Illi vero ad „ ejus exemplum novo cibo læti fruebantur, qui ſuavitate ad mellis dulcedinem „ accedebat, aſpectu vero ad aromatis ſimilitudinem quod bdellium dicitur, magnitudine coriandri ſemine ſimilis: eumque „ pro ſe quiſque certatim colligebat.

Rem paulo aliter narrat Philo: „ Poſtridie, *inquit*, diluculo multum roris circum „ caſtra decidit paulatim nivis in morem diſſimilis huic vulgari & pene quotidiano, „ quippe qui nec aqua erat, nec grando, „ nec nix, nec glacies, quod genus nubes „ invehunt hybernis tempeſtatibus, ſed in „ milii ſpeciem minutus candidiſſimus, ut „ acervari extra tabernacula jaceret mirando ſpectaculo.

Addit Moſes: *Appellavitque domus Iſrael nomen ejus* MAN: *quod erat quaſi ſemen coriandri album, guſtuſque ejus quaſi ſimilæ cum melle*, verſ. 31. Quibus verbis Moſes de hoc divino beneficio quatuor annotat. 1. Nomen. 2. Figuram. 3. Colorem, 4. Saporem. Ad *nomen* quod attinet, dicit illud ab Iſraelitis dictum fuiſſe *Man*, ab interrogatione hæſitantium quid hoc eſſet? Nam, inquit Joſephus loco mox laudato: *Hæc vox* MAN *in noſtra vernacula, eſt percunctativa, quid hoc eſt interrogans?* Illius figura erat rotunda, utpote ſimilis ſemini coriandri: quæ enim ex aere depluunt & in illo concreſcunt, ſolent eſſe rotundæ figuræ ut pluvia, grando &c. *Color* illius, ut hic dicitur, erat albus, ut aſpectu jucundior oculos magis recrearet. *Sapor* autem naturalis erat mellitus, & guſtui ſuaviſſimus. At de ſapore plenius dicetur infra.

Mirantes autem Iſraelitas & ad rei novitatem ſtupentes, docuit Moſes cibum eſſe vice panis a Deo tranſmiſſum; juſſitque ut ex eo, amphoris ad id deputatis, tantum quotidie colligeretur, quantum pro numero ſingulis ſufficeret, ne fruſto quidem in diem craſtinum relicto. Sexto tamen die duplum uſurparent, Sabbato nonniſi ſacris operam daturi. Verum ut modum populus neſcit, & in vetitum propendet, quidam ſeu deſides, ſeu nimium de futuro anxii, ex repoſitis in diem poſterum conſulebant. Sed Manna ita collecta fœtore gravis, in vermes tumeſcebat, cum ſexto die recondita, & fœtoris & vermium expers maneret.

Hoc cœleſti cibo diebus ſingulis ad auroram depluente per annos quadraginta nutriti ſunt Iſraelitæ, nec illis unquam deſuit, donec tranſmiſſo Jordane potiti ſunt fructibus terræ Chanaan; legitur enim Joſue 5. v. 12. *Defecit manna poſtquam comederunt de frugibus terræ; nec uſi ſunt ultra cibo illo filii Iſrael*. Quoniam autem nedum panem, ſed & carnes optaverant Iſraelitæ, ut eorum votis ſatisfaceret Deus, *Factum eſt veſpere, & aſcendens coturnix, cooperuit caſtra*.

Quærit hic S. Auguſtinus, qui fieri potuit ut Iſraelitæ carnes optaverint, cum ab Ægypto recedentes ſecum duxerint numeroſa pecorum agmina, ovibuſque, capris, & agnis abundarent?

Reſpondet, magnam eſſe hanc quæſtionem, & ſolutu difficilem, „ Niſi forte dicatur „ (*inquit*,) cum per eremum paſcua tanta „ non eſſent, & ex eo minor futura videretur fœcunditas pecorum, peperciſſe illos pecoribus, ne omnibus deficientibus, „ etiam ſacrificiis neceſſaria defuiſſent. Vel „ ſi quid aliud dici poteſt, unde quæſtio iſta „ ſolvatur. Congruentius tamen creditur, „ non eos carnes deſideraſſe quas de pecoribus habere poterant: ſed eas quæ deerant, „ ex aquis videlicet. Ipſas quippe in illa „ eremo non inveniebant: unde & illis *ortygometra* data eſt, id eſt, aves, quas coturnices, multi Latini interpretati ſunt; „ cum ſit aliud genus avium *ortygometra*, „ quamvis coturnicibus non uſquequaque „ diſſimile. Noverat enim Deus quid deſiderarent, & deſiderium eorum quo carnis „ genere ſatiaret. Sed quia Scriptura concupiviſſe illos carnes dixerat, nec expreſſerat cujuſmodi carnes, ideo quæſtio facta „ eſt. *Hæc S. Auguſtinus*.

Etſi

Etſi vero coturnices cum manna eſurienti populo dederit Deus; non tamen eadem fuit altum. quæ mannæ protogatio: uno ſiquidem tantum die conceſſit coturnices, mannam vero ſingulis noctibus per quadraginta annos. Legitur quidem *Numer.* 11. *verſ.* 33. per menſem murmuranti adhuc populo, vento flante advolaſſe coturnices ſuper Iſraelitarum caſtra: At quidquid nonnulli reclament, quæ in hoc capite refertur conceſſa gratia, diverſa eſt omnino ab ea quæ facta eſt in loco, ab eventu, *ſepulchra concupiſcentiæ* dicto. I. Namque ibi datæ ſunt alites populo faſtidienti mannam: hic vero prius acceſſerunt quam manna deplueret. II. Ibi ſingulis diebus per menſem conceſſæ ſunt, hic vero tantum uno veſpere leguntur advolaſſe. III. Hic Deus non animadvertit in ingratum populum: ibi vero in illum iratus, *percuſſit eum plaga magna nimis, vocatusque eſt ille locus, ſepulchra concupiſcentiæ; ibi enim ſepelierunt populum qui deſideraverat carnes.* Unde David Pſalm. 77. verſ. 26. & ſequentibus: *Transtulit auſtrum de Cælo: & induxit in virtute ſua Africum.. Et pluit ſuper eos ſicut pulverem carnes: & ſicut arenam maris volatilia pennata.. Et ceciderunt in medio caſtrorum eorum, circa tabernacula eorum.. Et manducaverunt, & ſaturati ſunt nimis, & deſiderium eorum attulit eis; non ſunt fraudati a deſiderio ſuo.. Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum; & ira Dei aſcendit ſuper eos.. Et occidit pingues eorum &c.*

His adde quod ſi diebus ſingulis advolaſſent coturnices ſuper Iſraelitarum caſtra, perperam illi exoptaſſent carnes, cum eas ſuaviſſimas præ manibus haberent.

At, inquies, ſi jam conceſſæ fuiſſent coturnices populo murmuranti, non erat cur Deo promittente carnes præfato Numerorum loco Moſes hæſitabundus diceret: *ſexcenta millia peditum hujus populi ſunt, & tu dicis; dabo eis eſum carnium menſe integro? Nunquid ovium & boum multitudo cædetur, ut poſſit ſufficere ad cibum? vel omnes piſces maris in unum congregabuntur, ut eos ſatient?*

Reſpondeo, quod quamvis Moſes de omnipotenti Dei virtute eſſet perſuaſus, nec ex illius animo & memoria excidiſſet coturnicum in deſerto conceſſio; attamen cum ob oculos haberet ſtupendam illam populi ingratitudinem, dubius hæſit utrum Deus eamdem, quam antea erga ingratos illos haberet benignitatem & providentiam. Accedit quod licet in deſerto datæ fuerint coturnices, non tamen in ea quantitate, quæ per menſem ſufficeret ad eſcam tam prodigioſæ multitudini populi, quemadmodum illo *Numerorum* loco ſe daturum ſpondebat Deus.

Petes, utrum ingens illa coturnicum turba ſupra Iſraelitarum caſtra advolaverit caſu, an ſingulari aliqua Dei virtute & providentia?

Reſpondeo, quoſdam eſſe, qui, ut hoc miraculum elevent, aſſerunt id naturaliter contigiſſe: experientia namque, ajunt, conſtat coturnices eſſe ex eis avibus, quæ certis temporibus locum mutant, pro ratione tempeſtatum, & regionum temperamento, turmatimque ex una regione remota, in alias migrant, etiam maria aliquando volando ſuperant, & tanto numero in naves impingunt, ut ſi Plinio fides, in mergendi periculum eas ducant.

Verum tametſi hæc ita ſint, certum eſt nihilominus coturnices illas non niſi ſingulari Dei voluntate & providentia in Iſraelitarum caſtra advolaſſe, ut manifeſtum fit. I. Ex divina promiſſione; Deus enim per Moſen ante prædixerat veſpere ſequenti ſe daturum Iſraelitis carnes, quod utique deſtinato illo tempore per advenientem coturnicum turbam implevit. II. Etſi aves illæ gregatim ex una regione in aliam tranſvolant; non tamen tanta eſt earum multitudo, ut ſexcentis hominum millibus ad arma comparatis cum innumerabili populi cœtu ad eſcam ſufficiant, non ſolum unica nocte, ſed etiam per aliquos ſequentes dies. III. Quinetiam ſi agmine facto aves illæ volare conſueſcant; attamen cum ſint frugilegæ, amentque exculta loca, in quibus reperire poſſunt ad paſtum neceſſaria; deſertum non ſolent petere, nec intra numeroſam hominum congregationem quieſcere; neque ita venire ad manum, ut ab hominibus capiantur ſine ullo labore. Fuerunt ergo coturnices illæ, peculiari Dei providentia & imperio, in Iſraelitarum caſtra divinitus immiſſæ.

Sunt & alii viri profani, qui ut ingenii ſui acumen venditent, Moſem arguant, quod mannam rem nihili, aut parvi momenti, magnifice extollat; ajunt enim plurimis in locis Orientalibus & Auſtralibus colligi grana alba, quibus nomen *Man* vulgo imponitur.

Narrant etiam Scriptores Polonici, in ſua regione menſibus Junio & Julio, manna noctu depluere, herbiſque inſtar roris incumbere, quod Incolæ ante ſolis ortum cribro colligunt, excutiunt, tundunt, aqua miſcent, pulteſque conficiunt, ejuſdem ſaporis ac pultis, quæ ex farina tritici fieri ſolet. Irradiante autem ſole ſolliculum diſſolvitur, & granum in eo incluſum in terram lapſum deperditur.

Verum ab illis in eo differt manna Iſraelitica, quod pleraque medicamenta ſint, non vero cibi. Etſi vero Polonica cibo inſerviat, in plurimis tamen ab illa diſcrepat. 1. Quod ſit alterius coloris & figuræ; eſt enim inſtar milii, ſed longior & rubicundior: Iſraelitica autem *erat quaſi ſemen Coriandri album, guſtuſque ejus quaſi ſimilæ cum melle;* ait hic Moſes verſ. 31. II. Iſraelitica pluit per 40. annos ſingulis noctibus: non ita manna Polonica, & aliarum regionum. III. Nulla aeris mutatio obſtitit quominus æquabili tenore manna ſtillaret: non gelu, non pluvia, non æſtus, non hyems, non æſtas curſum hujus diſtillationis abrupit. IV. Copia, quæ immenſæ multitudini ſufficeret, ſingulis diebus reperta eſt, quum gomor unum acciperent in ſingula capita. Ad hæc, die ſexto duplicata fuit copia, ut alterum gomor in cibum Sabbati reponerent. V. Si quid ſervabant præter juſtum demenſum, putredini obno-

obnoxium fuit, cum die Sabbathi integra maneret altera portio. VI. Quocumque profecti ſunt, ſemper eos comitata eſt hæc Dei benedictio: cum vicinæ Gentes frumento veſcerentur, & tantum in caſtris illis Man eſſet cognitum. VII. Simulatque ingreſſi ſunt terram fructuoſam ac tritici feracem, Man ceſſavit. VIII. Quod juſſus eſt Aaron in vaſe recondere, non computruit. His probe expenſis, ſatis ſuperque illuſtre erit miraculum, ſuoque fulgore nebulas omnes cavillationum diſcutiet, apparebitque Iſraeliticam mannam ab illis rebus, quæ vulgo eodem nomine appellantur, longe fuiſſe diverſam.

Hoc autem Dei beneficium his verſibus exponit Sedulius:

Quid referam innumeras cœleſti pane catervas
Angelicos ſumpſiſſe cibos, nimbiſque ſuperni
Nectaris, aerea populum dulcedine paſtum
In pluviis habuiſſe dapes, & in imbribus eſcas?

Nonnulli ſunt qui vulgatum Interpretem hic arguunt. Quod vocem *Mannam* interrogative reddiderit per *Manhu?* id eſt, *quid eſt hoc?* cum, inquiunt, Hebræa vox *Man*, proprie ſignificet *præparatum*, a radice מנה *manach*, quæ in *Piel* efficit *minnah*, id eſt, *præparare*, *conſtituere*, *deſtinare*, unde *Manah*, idem eſt. ac deſtinata portio. Hinc Iſraelitæ conceſſum ſibi divinitus munus intelligentes, eſſe datum ad eſcam, neque diſtincte ſcirent quidnam eſſet, generali nomine *Man* dixerunt. Quod etiam nomen permanſit poſtquam cibi iſtius natura fuiſſet declarata: quo ſpectare videtur illud Sapientiæ cap. 16. v. 20. *Angelorum eſca nutriviſti populum tuum & paratum Panem de cœlo præſtitiſti illis ſine labore.*

Nihilominus Vulgati Interpretis verſionem probant LXX. Interpretes, Paraphraſtes Chaldæus, Philo, Joſephus, Origenes, Theodoretus, aliique bene multi dicentes interrogationem *Manhu?* converſam eſſe in nomen *Manna*: quod etſi vulgo cenſetur indeclinabile, ac propterea neutrius generis: attamen ad faciliorem intelligentiam illo utor tamquam declinabili, & fœminini generis, cum plurimis probatis Auctoribus, maxime Buxtorfio, qui ſpecialem tractatum edidit inſcriptum *de Hiſtoria Mannæ*.

Ad guſtum autem & ſaporem Mannæ quod attinet: Moſes quidem dicit *verſu* 31 illius guſtum fuiſſe *quaſi ſimilæ cum melle*: quibus ſignificat illius ſaporem naturalem mellitum fuiſſe & guſtui valde gratum. Auctor vero libri Sapientiæ addit, Mannam omne delectamentum in ſe habuiſſe, & omnis ſaporis ſuavitatem: *Subſtantia enim tua* (inquit Deum alloquens) *dulcedinem tuam, quam in filios habes, oſtendebat: & deſerviens uniuſcujuſque voluntati, ad quod volebat, convertebatur*: ita ſcilicet, ut talem cuique ſaporem redderet, qualem optaret comedens, abſque tamen cibi mutatione ſubſtantiali. Eadem fuit conſtans Hebræorum Doctorum a majoribus accepta ſententia, ut colligere eſt ex Thalmude, ubi legitur: *Rabbi Aſba dixit; quemadmodum lactens in mamma varios guſtat guſtus* (pro varietate ciborum ſcilicet, quibus mater veſcitur:) *ita quamdiu Iſraelitæ comederunt manna, reperiebant in eo varios guſtus. Quidam ita explicarunt: quemadmodum mamma convertitur in varias ſpecies ſeu colores, ita manna converſum fuit in varios guſtus.*

Similiter in antiquo libro nomine *Zohar*, de manna ſcribitur: *Appoſitum alicui ad edendum guſtabat in eo ſaporem quemcumque volebat*: unde Rabbi Abarbanel inter mannæ miracula refert: *quod in manna mutati fuerint ſapores, tum reſpectu ſabbati, & reliquorum dierum: tum ratione comedentium, ſicut Rabbini noſtri dicunt* &c.

Hanc eamdem ſententiam de varietate ſaporis mannæ ad voluntatem comedentium tuentur quidam ex Patribus, & inde allegorias eliciunt: in primis vero S. Chryſoſtomus: *Hæc fuit*, inquit, *natura mannæ, cibus quotidie novus, & ſaporem deſiderio veſcentium ſubminiſtrans*. Cui conſonans S. Hieronymus ad hæc verba, ADIPE FRUMENTI SATIAT TE, ſcribit: *Pinguiſſimus ſermo Domini eſt. Omnes habet in ſe delicias. Quidquid volueris ex ſermone divino naſcitur: ſicut tradunt Judæi, quod manna, quod comedebant, ſecundum voluntatem uniuſcujuſque ſic ſapiebat in ore: ac ſi dixiſſet: qui manna comedebat, ſi deſiderabat mala, ſi pyrum, ſi uvam, ſi panem, ſi carnes, ſecundum qualitatem, & voluntatem comedentis; ita ſapor & in manna erat*, &c.

At hanc eamdem ſententiam plenius explicat & confirmat Auctor homiliæ de Corpore & Sanguine Chriſti: *Quod ſi*, inquit, *illius veteris legis manna*. *de quo legitur*: PLUIT EIS MANNA UT EDERENT; *hoc unicuique ſapiebat quod deſiderio concupierat, aliudque erat quod ſumebatur, aliud quod videbatur, inviſibiliterque ſapor ille in ſingulorum ſenſibus formabatur. Si ergo illud veteris legis manna, cœlitus elapſum, per multimodas ſuavitates naturæ ſuæ meritum, & generis ſui excedebat intuitum, & ſi creaturam ſuam diſpenſatio largitoris multiplici diverſitate condiderat, ut præberet guſtus, quod ignorabat aſpectus, quia juxta recipientis deſiderium, eſcæ illius novitas & dignitas naſcebatur... Quæ cum ita ſint, quod illic aviditas faciebat, hic fides faciat: & ſicut in corpore cibus ſapiebat, in pectore Deus credulitate proficiat.*

Quærunt Interpretes utrum hoc privilegium piis & impiis fuerit conceſſum?

Affirmant plurimi tam veteres quam recentiores, idque probant ex eo quod cætera Dei beneficia, puta columna, coturnices, aqua ex petra in deſerto tam impiis quam piis erant communia; & quia per hunc ſaporem Deus volebat tam impios quam pios avocare ab ollis Ægypti.

At veriſimilior mihi videtur ſententia S. Auguſtini qui dicit gratiam illam *ſolis ex fide petentibus, non autem illis adverſus Deum murmuratoribus* fuiſſe conceſſam; quia, inquit,

quit, *non alias eſcas deſiderarent, ſi hoc ſuperet iis manna quod vellent.* Idque non obſcure confirmat Sapiens eodem cap. *verſ.* 25. ubi ſcribit: *Propter hoc & tunc in omnia transfigurata, omnium nutrici gratiæ tuæ deſerviebat, ad voluntatem eorum, qui a te deſiderabant: ut ſcirent filii tui, quos dilexiſti Domine, quoniam non nativitatis fructus paſcunt homines, ſed ſermo tuus hos, qui in te crediderint, conſervat.* Huic pariter ſententiæ adſtipulantur Origenes in hunc locum, & S. Gregorius magnus, neque contradicunt veteres illi in contrarium, laudati præſertim SS. Chryſoſtomus & Nazianzenus qui generaliter tantum cum Scriptura loquuntur.

Clauditur hoc caput his verbis: *Filii autem Iſrael comederunt Man quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem, hoc cibo aliti ſunt uſquequo tangerent fines terræ Chanaan.* Comederunt, inquam, tanquam cibum ordinarium, cui tamen non eſſet vetitum carnes, aliosve cibos adjungere, ſi quos vel venatu, vel emptione a vicinis Gentibus conſequebantur, ut indicatur clare Deuteronomii *cap.* 2. *v.* 6.

In hoc autem diutino cibo maximum fuit divinæ potentiæ miraculum, tot annorum ſpatiis tantum hominum numerum cibare, cui certe nihil unquam ſimile contigit, ſive illius cibi originem, ſive copiam, ſive ſufficientiam, ſive ſaporem ſpectes.

At inquies, cum Moſes per quadraginta illos annos cum Iſraelitis non ſteterit, nec attigerit Chananitidem, in qua deſiit pluere manna, non potuerunt hæc ab illo ſcribi quæ poſt ejus obitum contigerunt.

Reſpondent plurimi Interpretes, id a Moſe ſcriptum ex ſpeciali revelatione Spiritus Sancti cui præſentiſſima ſunt, non ſolum extantia, ſed etiam præterita & futura. Addunt alii, & quidem rectius, hæc a Joſue, aut alio Propheta adjecta eſſe poſt rei eventum, quemadmodum & illud *Deuter.* 34. *verſ.* 5. de morte Moſis, ejuſque abſcondito ſepulchro; cum enim hæc connectantur cum hiſtorica narratione, potius ſcripta videntur ab homine eodem divino Spiritu afflato; qui quod factum fuerit recitat, quam ab eo qui prædiceret quod erat venturum.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XVII.

TRia præcipue hoc in cap. recitantur I. Nova Iſraelitici populi adverſus Moſem ſeditio excitata propter aquarum penuriam, & ſitim urgentem. II. Aquarum effluvium ex duriſſima petra, Moſis virga percuſſa. III. Iſraelitarum adverſus Amalecitas pugna, victoria & gratiarum actio. Vix enim ſedata fuerat propter cibi penuriam Iſraelitarum adverſus Moſen & Aaronem ſeditio; cum aqua ad potum deficiente rurſum tumultuantur. Quod Moſes his verbis exponit: *Igitur profecta omnis multitudo filiorum Iſrael de deſerto Sin per manſiones ſuas, juxta ſermonem Domini, caſtrametati ſunt in Raphidim, ubi non erat aqua ad bibendum populo. Qui jurgatus contra Moyſen, ait: Da nobis aquam, ut bibamus. Quibus reſpondit Moyſes: quid jurgamini contra me? cur tentatis Dominum? Sitivit ergo ibi populus præ aquæ penuria, & murmuravit contra Moyſen, dicens: Cur feciſti nos exire de Ægypto, ut occideres nos, & liberos noſtros, ac jumenta ſiti?* In quibus verbis nonnulla occurrunt obſervanda.

Primo, quidem mirandum venit, quod Moſes hujus capitis initio dixerit, Iſraelitas de deſerto *Sin* veniſſe in *Raphidim*, omiſſis duabus manſionibus, quas fecerant in *Daphca* & in *Alus*, ut refertur *Num. cap.* 33. Inſuper quomodo dicuntur profecti ex deſerto Sin, in Raphidim, qui locus in eodem deſerto conſiſtebat.

Ad primum, reſpondet Rabbi Abarbanel a Moſe in Exodo recenſeri tantum profectiones illas, in quibus aliquid novi & notabile contigit: reliquas autem profectiones, in quibus nihil tale factum eſt, deſcribi in libro Numerorum. Unde conſulto Moſes addit: *per manſiones ſuas*, ut ſignificaret plures profectiones factas fuiſſe in deſerto *Sin*, priuſquam perveniretur in Raphidim.

Ad ſecundum, reſpondet S. Hieronymus ad octavam manſionem: „ Sciendum eſt, *inquit*, quod omnis uſque ad montem Sinai
„ eremus *Sin* vocetur; & ex tota provincia,
„ etiam locus, nomen unius manſionis acceperit: ſicut *Moab*, tam urbis quam provinciæ nomen eſt. In hac ſolitudine
„ quinque manſiones ſunt. Jam *Suph*, &
„ eremus *Sin*, & *Daphca*, & *Alus*, & *Raphidim*. Itaque in deſerto *Sin* fuerunt quinque Iſraelitarum manſiones; primæ manſionis locus deſignatur a maris rubri dicti
„ *Suph* propinquitate. Altera *totius deſerti Sin* nomine indigitatur; tres ſequentes
„ propriis nominibus Daphca, Alus, &
„ Raphidim ſunt notatæ.

In hunc autem poſtremum locum, Deo imperante, & columna viam monſtrante, cum perveniſſent Iſraelitæ, nec occurrerent aquæ quibus tam homines, quam animalia ſitim reſtinguerent, adverſus Moſem inſurgentes dixerunt verſ. 3. *Cur feciſti nos exire de Ægypto, ut occideres nos, & liberos noſtros, ac jumenta ſiti?* In quibus certe apparet ſtupenda illius populi ingratitudo & pervicacia; ex continuo enim Mannæ depluvio perſuaſum habere debuerant quod quoties eos premeret neceſſitas, Deus paratus erat indigentibus & ſupplicantibus opem ferre; quamobrem decebat, ut eum pre-

cibus

cibus convenirent, quatenus ſiti laborantibus ſuppetias ferret.

At pro ſuo ingenio deſperatione feruntur ad cæcos ſtrepitus, & impetuoſas objurgationes adverſus Moſem ſuum liberatorem & ducem, eumque crudelitatis accuſant, quod eos traxiſſet ex Ægypto, cum liberis & pecoribus in deſerto interficiendos: quin etiam eo impietatis progreſſa eſt eorum petulantia, ut dubitaverint eſſetne Deus in medio ipſorum, an non? Sicut refertur verſ. 7.

Moſes autem ad Deum converſus: *Quid faciam* (inquit verſ. 4.) *populo huic? Adhuc modicum, & lapidabit me?* Quibus verbis querebatur ſe regiminis onere gravari, quod libenter excuteret, ſi veniam & manumiſſionem poſſet impetrare. At Dei juſſu e caſtris egreſſus, una cum ſenioribus populi, ubi Horebi montis petram attigit, eandem virga ſua percutiens, ac veluti emolliens, aquas ubertimas eduxit; unde David: *Interrupit petram in Eremo, & adaquavit eos velut in abyſſo multa; & eduxit aquam de petra: & deduxit tanquam flumina aquas.* Quod utique manifeſtum fuit miraculum; quippe cum antea ibi non apparuerint aquæ, & ſine ullo humano labore ad levem ictus baculi percuſſionem e petra duriſſima uberrimæ effluxerint, ſive interim ibi latuerint in canalibus ſubterraneis & occultis meatibus; ſive miraculo aliunde momento adductæ; ſive in inſtanti a Deo creatæ.

Novum hoc Dei erga ingratos Iſraelitas beneficium ſic deſcribit Sedulius:

Rurſus in exuſtis ſitiens exercitus arvis,
Qua nimium loca ſicca diu, qua terra negatis
Ægra jacebat aquis, qua ſpes ablata bibendi
Vivendique fuit, ſubitas urente metallo
Hauſit aquas, ſterilique latex de rupe cucurrit,
Et jejuna novum vomuerunt marmora potum:
His igitur jam ſacra tribus dans munera rebus,
Chriſtus erat panis, Chriſtus petra, Chriſtus in undis.

Ut autem ſignum aliquod perpetuum eſſet hujus ingratiſſimæ Iſralitarum perfidiæ, & Dei erga contumaces & ingratos beneficentiæ & miſericordiæ, ſtationem illam appellavit Moſes locum *tentationis*, & *contentionis*: hujus quidem, quia adverſus Moſem contenderant calumniis & jurgiis: illius vero, quia acceptorum beneficiorum oblivione & incredulitate, Deum tentaverant & exacerbaverant.

Deus autem utrumque crimen impunitum non ſuſtinens, hoſtium ſævitia ulciſci paravit. Primi autem, quos eis objecit, fuerunt Amalecitæ, quibus nomen fecit *Amalec* Eſau filius ex concubina filii ſui Eliphazi *Geneſ.* 36. *verſ.* 16. qui licet cum Idumæis eumdem haberent parentem Eſau, ab eis tamen regione & incolatu erant diſtincti. Veriſimile enim eſt quod ſicut Abrahamus concubinarum filios emiſerat e paterna domo cum donis, ut alias regiones incolerent; ſic feciſſe Eſau erga Amalecum ejuſque familiam.

Cur autem Amalecitæ non fuerint excepti a nationibus per Iſraelitas expugnandis, ſicut excepti fuerunt Idumæi, quod eſſent fratres, & ex eodem Abrahami ſanguine prognati? cauſa forte fuit, quod injuſte Iſraelitas fuerint aggreſſi. Cum enim non procul abeſſent a deſerto, in quo Hebræi verſabantur, audirentque ab his caſtra moveri, a tergo inſidiati poſtremum exercitus agmen aggreſſi ſunt, & trucidarunt aut captivos abduxerunt quotquot tardiori greſſu, aut itinere defeſſi, priores aſſequi non poterant.

Licet autem nulla juſta fuerit hujus impugnationis cauſa; non tamen putandum eſt illos ſine prætextu id ſuſcepiſſe: quiſnam autem ille fuerit, variæ ſunt Auctorum ſententiæ. I. Eorum qui putant illos hoc conſilio ad arma fuiſſe impulſos, ut vindicarent injuriam factam ſuo parenti Eſau, cujus benedictionem ab Iſaaco patre largiendam præripuerat Jacob Iſraelitarum Auctor; utque impedirent, ne illi Jacobi poſteri fruerentur effectu illius benedictionis, & hæreditatis a qua dejectus fuerat Eſau. *Verum* ſi quos hæc cura tetigiſſet, plus interfuiſſet Idumæorum in montibus Seir habitantium hanc vindictam repetere, utpote cum legitimi eſſent Eſau hæredes: neque veriſimile eſt tunc temporis utriuſque Gentis homines poſt trecentos & amplius annos de eo cogitaſſe, aut fuiſſe ſollicitos.

II. Sunt qui exiſtimant id eos fuiſſe aggreſſos, quod vererentur ne Hebræi in ſuam regionem irrumpentes, multitudine ſua illos obruerent; quod periculum ut præverterent, nec auderent tam numeroſum exercitum palam aggredi, dolo & arte id tentarunt: ita Philo: *Regionis Rex*, inquit, *populationem agrorum metuens, excitata oppidatim juventute, oppoſuit ſe, ut arceret eos a tranſitu; quod ſi armis viam ſibi aperire conarentur, aggrederetur integris viribus, & recenti milite feſſos itineribus, & commeatuum inopia, aquarumque penuria, quibus illi neceſſitatibus laborabant, alternantibus.* Verum cum juſtum ſit hoſtibus invaſoribus repugnare, ſi hanc Hebræos aggrediendi ſolam cauſam habuiſſent Amalecitæ, non erat cur eorum crimen toties in Scriptura exaggeraretur, præſertim *Deuteron.* 25. verſ. 18. & 1. *Reg.* 15. 6. 2. & 27. verſ. 18. &c. Neque cur Moſes in fine hujus capitis ſcriberet: *Manus ſolii Domini, & bellum Domini erit contra Amalec, a generatione in generationem.*

Veriſimilius dicendum arbitror Amalecitas furto & rapinis deditos ut ex pluribus Scripturæ textibus apparet, ſpe prædæ inductos, voluiſſe Iſraelitas furtive adoriri, quod intellexiſſent eos ex Ægypto egredientes onuſtos eſſe Ægyptiorum ſpoliis; ac proinde eſſe prædivites.

Petes, cur Deus Iſraelitarum protector & defenſor permiſerit eos ab Amalecitis impugnari, & primo congreſſu vinci? *Reſ-*

Reſpondeo, quod tametſi non alia nobis occurreret ratio quam ipſa Dei voluntas, exiſtimandum eſſet id non niſi gravi de cauſa fuiſſe permiſſum. Adiicere tamen licet id multis de cauſis accidiſſe. I. Ut de recenti Iſraelitarum ſcelere. & rebellione Deus pœnam exigeret. II. Ut eis excuteret ſervilem animum, bellicoſumque & fortem indueret, ut paulatim bellis gerendis aſſueſacti, comparati eſſent ad impugnandos validiores adverſarios. III Ut emendaret eorum deſidiam, ne forte otio torpentes, peccandi haberent illecebram, & ab hoſtibus externis ſecuri, inter ſe conrenderenr.

Cum hunc Amalecitarum in Iſraelitas impetum accepiſſet Moſes, ad propulſandam illam injuriam, continuo imperavit Joſue, ut ex toto populo colligeret delectos milites qui ad pugnam parari eſſent in diem ſequenrem. Noluit aurem ipſe pugnantibus adeſſe ductor; forte quia totus populus non deberet opponi Amalecitis; ſed tantum ex eis delecta juventus, neceſſariumque eſſet ut proſpiceret tam pugnantibus, quam remanentibus in caſtris: voluir eriam ut Joſue filius Numi e Tribu Ephraim oriundus: *Vir*, inquir Joſephus, *fortis manu*, *ac conſilio promptus*, *& pietate inſignis*, a Deo deſignatus qui Iſraelitas in Chananitidem introduceret; qualis & quantus eſſet, populo innoreſceret, aſſueſceretque bellis gerendis, & ſui animi fortitudinis in hoc prælio ſpecimen exhiberet.

Neque tamen illi certamini ſe ſubduxit Moſes; ut enim promiſerat, vicinum collem aſcendit cum virga mirifica, qua veluti ſigno milites pugnantes confirmaret. Ubi concurſum fuit, vicerunt Hebræi quandiu Moſes manus in cœlum erigebat; vincebantur autem, dum præ laſſitudine demittebat: quod animadvertentes Aaron, & Hur ex tribu Juda princeps: *Sumentes lapidem*, *poſuerunt ſubter eum*, *in quo ſedit: Aaron autem & Hur ſuſtentabant manus ejus ex utraque parte. Et factum eſt ut manus illius non laſſarentur uſque ad occaſum Solis*, *fugavitque Joſue Amalec*, *& populum ejus in ore gladii*. Hoc eſt, ad internecionem uſque: Gallice: *paſſer au fil de l'épée*. Non eſt tamen exiſtimandum tunc omnino deletos eſſe Amalecitas; eos enim ad Samuelis & Saulis tempora ſuos habuiſſe Reges aperte conſtat primo Reg. cap. 15. ſed hic dicuntur percuſſi *in ore gladii*, illi nimirum, qui ad pugnam contra Iſraelitas convenerant.

Quod autem addit Deus verſ. 14. *Delebo memoriam Amalec ſub cœlo;* non ſic debet intelligi, quaſi nulla unquam ſupereſſe debuerit Amalecitarum recordario, cum ea adhuc perduret, perſeverabitque quandiu Hiſtoria ſacra, & Eccleſia permanebit, hoc eſt, ad finem uſque mundi: ſed verbis iſtis prænuntiari voluit Deus, futurum aliquando tempus, in quo Amalecitarum gens & regnum exterminari debeant, ut non amplius connumerentur inter populos qui ſpeciales regiones incolunt.

Hac aurem victoria, ait Joſephus, non alia vel magnificentior, vel magis opportuna majoribus noſtris contigit. „ Nam & oc-
„ currentem exercitum fuderunr ac fuga-
„ verunt, & omnibus circumquaque degen-
„ tibus magnum terrorem incuſſerunt, &
„ laboris præmium prædam opimam repor-
„ raverunr: namque caſtris etiam hoſtilibus
„ expugnatis, publice & privatim ſunt di-
„ tati, qui ad eam diem vix quotidianum
„ victum ſibi parare poterant. Nec in præ-
„ ſens tanrum ea victoria profuit, ſed in
„ futurum etiam: non ſolum enim corpora
„ adverſariorum, ſed animi quoque eo præ-
„ lio ſunt fracti, & omnibus circumquaque
„ gentibus ex illo tempore facti ſunr for-
„ midoloſi. Ipſis vero opulentiæ non me-
„ diocris acceſſio eſt facta. Multum enim
„ auri & argenti in caſtris fuit repertum,
„ multa æramenta, vel eſcaria, vel coqui-
„ naria, magnus etiam pecuniæ ſignatæ nu-
„ merus: ad hæc textilia, & armorum or-
„ natus, aliaque ſupellex caſtrenſis, & va-
„ ria præda jumentorum & impedimento-
„ rum quæ exercitum ſequi ſolent: quin &
„ audaciores multo ſucceſſus hic Hebræos
„ reddidit, & fortitudinis ac induſtriæ ma-
„ gis ſtudioſos nihil non ſibi pollicentes ſi
„ virtutem ſtrenue colerenr. Et hoc quidem
„ prælium talem exitum eſt ſortitum. Se-
„ quenti vero die Moyſes cæſorum cadavera
„ ſpoliavit, arma quæ fugientes abjecerant,
„ collegit, & illis quorum opera inſignioe
„ fuerat, præmia diſtribuit; Jeſumque du-
„ cem pro concione collaudavit, milite per
„ acclamationes laudem viri comprobante.

Reportata itaque inſigni victoria, voluit Moſes non ſolum ſuo, ſed & totius Iſraelitici populi nomine erga Deum gratitudinem teſtari; quamobrem erexit altare, non tantum ut in eo victimas in Dei gloriam, & gratiarum actionem immolaret, ſed etiam ut monumentum eſſet poſteris reportatæ, Dei adjutorio, inſignis victoriæ adverſus Amelecitas.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XVIII.

DUæ ſunt hujus capitis partes: in quarum *prima* narratur adventus Jethronis cognati Moſis in caſtra, ejuſque gratulatio ob res fœliciter a Moſe geſtas Dei favente auxilio, cui in gratiarum actionem laudes & ſacrificia perſolvuntur: In *ſecunda* vero, conſilium a Jethrone Moſi datum pro populi regimine, quo factum eſt ut eligerentur Tribuni, Chiliarchæ, Centuriones, Decutiones & alii Præfecti, qui rebus minori-

noribus cognoſcendis deputati, lites & controverſias leviores dirimerent, Moſes autem graviores & majoris momenti cauſas expediret.

Cum inſignem victoriam ab Iſraelitis in Amalecitas reportatam, & ſtupenda prodigia, quæ Deus Hebræorum gratia in Ægypto fuerat operatus, audiiſſet Jethro; atque Moſem cum numeroſa multitudine a regione, quam incolebat, non procul abeſſe, cenſuit ipſum eſſe conveniendum; tum ut affinem ſuum inviſeret; eique gratularetur; tum ut ad illum reduceret Sephoram uxorem ejus, duoſque illius filios quos in Ægyptum rediens cum Pharaone decertaturus, in Madian ad Jethronem uxoris patrem remiſerat, quo liberior & expeditior fieret ad pugnam.

Quis fuerit ille Jethro, non conveniunt Interpretes. Volunt aliqui eum eſſe ſocerum Moſis, & Sephoræ patrem, qui fuerit trinomius, & dictus Raguel, Jether, & Jethro; his enim nominibus interdum appellatur in Scriptura. At cum Hebræa vox *choſen*, quæ hic ſcribitur, tam *affinem*, quam *ſocerum* ſignificet; Vulgatus Interpres illum non *ſocerum*, ſed *cognatum* Moſis hoc in capite nominat; ut ſignificet illum qui Moſem in deſerto convenit, non fuiſſe Moſis ſocerum, ſed hujus ex filio nepotem, qui avo ſuo in principatu Madian ſucceſſerat. Neque enim veriſimile eſt Jethronem Moſis ſocerum, ætate grandævum, voluiſſe committere ſe laborioſo & multum periculoſo itineri inter aſpera deſerta, ut cum gravi mulieris, ejuſque puerorum ſarcina generum ſuum inviſeret.

Moſes autem cum eos adventantes a nuntio accepiſſet, perrexit eis obviam, in quo certe præclarum exhibuit ſuæ humilitatis & urbanitatis ſpecimen; quod vir talis & tantus, tamque numeroſi populi dux, non dedignatus fuerit obviam ire cognato ſuo longe ſibi inferiori; quod inſuper apertius declaravit, dum eum aſſecutus *adoravit*, id eſt, inclinato corpore ſalutavit & oſculatus eſt, illumque cum honore in Tabernaculum ſuum deduxit.

Cum autem ei Moſes diſtincte narraſſet omnia prodigia quæ Deus in Iſraelitarum gratiam operatus fuerat in Ægypto; quæque deinde illis beneficia contulit: ad hæc attonitus Jethro exclamavit: *Benedictus Dominus, qui liberavit vos de manu Ægyptiorum, & de manu Pharaonis. Nunc cognovi, quia magnus Dominus ſuper omnes Deos.* Quæ verba non protulit, quaſi tunc cœpiſſet agnoſcere, & colere verum Deum; adoleverat enim apud Jethronem avum ſuum, veri Dei cultorem & Sacerdotem, uti diximus ad caput ſecundum: Cumque Moſes etiam veri Dei cultor, in illa familia vixiſſet quadraginta annis, credibile non eſt Jethronem nihil unquam de veri Dei majeſtate & poteſtate antea audiviſſe.

Quæ vero adiicit verba: *Eo quod ſuperbe egerint contra illos*, non levem ingerunt difficultatem. Incertum enim eſt ad quos referendum ſit pronomen *illos*: an ad Ægyptios? an ad ipſos Deos de quibus proxime dixerat? an ad ipſos Iſraelitas? Cenſerem ego Jethronem his verbis reſpexiſſe Deos Ægyptiorum, ſeu Angelos malos, qui per Magorum incantationes obſtiterant veris miraculis, quæ Deus per Moſem & Aaronem operabatur; quique gloriabantur & ſuperbiebant in præſtigiis ſuis, quibus divinitatis opinionem apud ſuos cultores ſibi conciliabant, hos autem Deus ſuperavit & vicit, cum Magi, illorum miniſtri, non valentes ciniphes educere, dixerunt: *Digitus Dei eſt hic.* Itaque verbis iſtis, Jethro ſupremam veri Dei majeſtatem & poteſtatem profeſſus eſt.

Ut vero ſuam circa illum fidem & religionem teſtaretur, *obtulit holocauſta & hoſtias Deo*, in conſpectu nedum Moſis, & Aaronis; ſed etiam totius populi Iſraelitici. Quibus peractis, *venerunt Aaron & omnes ſeniores Iſrael, ut comederent panem cum eo coram Domino*; hoc eſt, ut convivium inſtruerent, tam in ſignum communionis & amicitiæ; quam participationis in ſacris, pars enim oblatarum victimarum cedebat in uſum offerentium. Igitur illi perſuaſum habebant Jethronem, tametſi alienigenam, eſſe virum pium, verique Dei cultorem; nam ſi fuiſſet Idololatra, ut perperam exiſtimant aliqui cum Toſtato ad hunc locum, nec Aaron, nec alii Seniores populi principes voluiſſent intereſſe illius ſacrificio & convivio, ne contaminarentur; ut ſupra dictum eſt.

Die poſtero cum Jethro Moſem negotiorum multitudine pene obrutum cerneret, & implicitum in componendis populi controverſiis: *Non bonam*, inquit, *rem facis: ſtulto labore conſumeris, & tu, & populus iſte qui tecum eſt*, &c. Hoc eſt: facis quod minus eſt conveniens, ut ſingulas lites velis ſtatuere: hoc enim tibi nimis moleſtum eſt, & populo minus utile; quippe cum præſtoletur a mane uſque ad veſperam, ut judicium excipiat: quamobrem ſanum dedit ei conſilium, ut ſibi reſervatis, quæ ad Dei cultum ſpectant, quæque majoris momenti eſſent negotia; in aliis ſtatuendis conſtitueret judices, qui leviores controverſias dirimerent: *Provide*, inquit, *de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint avaritiam, & conſtitue ex eis Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos.* Quibus verbis tres præſcribit conditiones in Judicibus maxime deſiderandas. I. Ut ſint *potentes*, id eſt, animi conſtantia & magnanimitate præditi, quatenus nec minis, nec terrore Magnatum a recto juſtitiæ tramite deflectant. Quo ſpectat illud Eccleſiaſtici: *Noli quærere fieri Judex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne forte extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tua.* II. Quod ſint *timentes Deum*, id eſt, ſemper Deum habeant præ oculis velut inſpectorem judiciorum, de illis rationem expoſtulaturum; nam, inquit Pſalmiſta, *Deus ſtat in Synagoga Deorum: in medio autem Deos dijudicat.* Hinc Sapiens, Judices compellans, ait: *Data eſt a Domino poteſtas vobis, & virtus ab*

Al-

Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur: quoniam cum eſſetis miniſtri regni illius, non recte judicaſtis, nec cuſtodiſtis legem juſtitiæ, nec ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis. Horrende & cito apparebit vobis: quoniam judicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet. III. Quod ſint *veritatis* amantes & inquiſitores; nec ſententiam intempeſtive & præpropere ferant; ſed prius de cauſa diligenter inquirant, ne te nimus perſpecta, cuique non reddant quod ſuum eſt. IV. *Ut oderint avaritiam*; perſæpe enim fit ut Judices divitiarum cupidi, fordida ſpe lucri abrepti, iniquiſſime judicent. Quamobrem Judicem ſapienter admonet Moſes: *Non accipies perſonam, nec munera; quia munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba juſtorum*. Unde David Judicem æterna beatitudine donandum aſſerit, qui *munera ſuper innocentem non accepit*.

Ex his manifeſtum fit Jethronem hunc virum fuiſſe prudentiſſimum, eximium Dei cultorem, & in dandis ſaluberrimis conſiliis verſatiſſimum. Unde his auditis, Moſes nihil cunctatus, *fecit omnia quæ ille ſuggeſſerat*, ratus illa fuiſſe Deo inſpirante præſcripta; adjecerat enim Jethro: *Si hoc feceris, adimplebis imperium Dei, & præcepta ejus poteris ſuſtentare*. verſ. 23. Hoc eſt, tibi Deus gratias & vires adjiciet, quibus injunctum tibi miniſterium debite, & animo conſtanti impleas.

Petes, cur Deus, qui ſervum ſuum Moſem perſæpe alloquebatur, eumque de rebus agendis informabat, voluerit eum a Jethrone edoceri modum adminiſtrandæ juſtitiæ?

Reſpondet, S. Auguſtinus a Deo id permiſſum multis de cauſis. I. Ut nos edoceret *per quemlibet hominem detur, conſilium veritatis non debere contemni*. Deinde voluit Deus ab alienigena admoneri Moſem, ne ipſum tentaret ſuperbia, dum videret ſibi ſubjectam & ſtantem judicandorum multitudinem, cum ſederet ipſe ſolus in judiciario throno: unde Jethro eos deſignavit eligendos populi judices, *qui odiſſent ſuperbiam*. Denique verba Jethronis dantis conſilium Moſi conſideranda ſunt, inquit S. Auguſtinus, „ Dicit enim, nunc itaque, *Audi me*, „ *& conſilium dabo tibi, & erit Deus tecum:* „ Ubi mihi videtur ſignificari, nimis intentum humanis actionibus animum, Deo „ quodammodo vacuari, quo fit tanto pleniot, quanta in ſuperna æterna liberius „ extenditur. *Ita S. Auguſtinus*.

His peractis, Moſes *dimiſit cognatum ſuum: qui reverſus abiit in terram ſuam*. Ipſe vero cum univerſo Iſraelitarum cœtu pertexit ad montem Sinai.

DISQUISITIONES IN CAPUT XIX.

Hujus capitis ſumma duo complectitur. I. Tempus acceſſus Iſraelitarum ad montem Sinai. II. Præſcriptas iſti populo præparationes, ut leges a Deo ferendas debite & religioſe exciperet.

Jam Iſraeliticus populus undecim poſuerat ſtationes a ſuo ex Ægypto exitu, cum monente Deo, duodecimam ſtatuit ad radices montis Sinai. Quo vero tempore illuc acceſſerint, declarat Moſes his verbis: verſ. 1. *Menſe tertio egreſſionis Iſrael de terra Ægypti, in die hac venerunt &c.* Quæ poſtrema verba crucem faciunt Interpretibus; quidam enim volunt, per ea ſignificari primum tertii menſis diem, ſeu novilunium. At cum certum ſit legem datam eſſe quinquageſimo die ab exitu de Ægypto, in cujus rei memoriam, feſtum *Pentecoſtes*, hoc eſt quinquageſimi diei, inſtitutum eſt; nec totidem reperiri poſſint in illo calculo, ideo Abulenſis exiſtimat legem eſſe datam die 48. ab exitu. S. vero Auguſtinus, ut hos 50. dies inveniat, incipit eos numerare a veſpera Paſchatis, & ſingulos menſes triginta diebus conſtare aſſerit. At excludenda eſt illa Paſchatis veſpera, quæ diem exitus anteceſſit, ut videre eſt *Levitici* 23. *verſ.* 11. & 15. Et inſuper Judæorum menſes alterni fuerunt 29. & 30. dierum, unde alii opinantur per *diem hanc*, intelligendam diem tertiam, tertii menſis, qui prius memoratur.

Poſſent tamen hæ duæ pugnantes ſententiæ ad unitatem revocari, dicendo Iſraelitas, primo quidem die tertii illius menſis acceſſiſſe circa montem Sinai. Secundo autem die Moſem aſcendiſſe montem ut Dei mandata ad populum deferenda acciperet, ſicut refertur verſ. 3. Tertio die ad caſtra reverſum, congregaſſe ſeniores & præfectos Tribuum, quibus divina mandata expoſuit, quique cum pro univerſo populo reſpondiſſent ſe impleturos, quæ præceperat Dominus; ac id Moſes ad Deum retuliſſet: *die quarta*, præcepit ei Deus verſ. 11. *Vade ad populum, & ſanctifica illos hodie, & cras, laventque veſtimenta ſua. Et ſint parati in diem tertium: in die enim tertia deſcendet Dominus &c.* Inde conficitur legem cœpiſſe dari ſexto tantum die acceſſus ad montem Sinai; tametſi primo die menſis tertii ibi fuerint caſtrametati.

Præparationes, quas a populo requirebat Deus, hæ potiſſimum erant. I. Ut lota, & munda eſſent veſtimenta, & corpora. II. Ut conjugati abſtinerent a maritali congreſſu. III. Ne ullus, ſub mortis intermınatione, monti approximaret, neque illum tangeret. IV. Ut eſſent omnes animo comparati ad ea opera complenda, quæ divinitus præſcriberentur.

Ut autem ad id exequendum eſſent promptiores, advocato in montem Moſi mandat Deus

Deus ut Iſraelitis in memoriam revocet. I. Majorum ſuorum pietatem, & parentis Jacobi fidelem erga Deum obſervantiam. Quamobtem eos appellat: *Domum Jacob, & filios Iſrael*; ne videlicet a paterna pietate ſint degeneres. II. Ea omnia prodigia quæ in eorum gratiam in Ægypto fuerat operatus: *Vos*, inquit, *ipſi vidiſtis quæ fecerim Ægyptiis, & quomodo portaverim vos ſuper alas, & aſſumpſerim mihi.* verſ. 4. III. Spondet quod, ſi fideliter exequantur, quæ præcepturus erat: *eritis mihi in peculium de cunctis populis*; hoc eſt, vos præ cæteris nationibus, ut portionem meam & hæreditatem, ac inſtar pretioſi theſauri habebo.

Unde Deuteron. Iſraeliticum populum Moſes alloquens, ait: *Te elegit Deus, ut ſis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui ſunt ſuper terram*. Et cap. 32. verſ. 9. *Pars autem Domini populus ejus, Jacob funiculus hæreditatis ejus*. Neque hoc tantum: ſed inſuper *eritis mihi in regnum ſacerdotale*; ita ut, quemadmodum apud omnes populos, Reges & Sacerdotes maximo ſunt in honore; ſic ego vos præ cæteris Gentibus habebo magis in pretio, efficiamque ut ſitis honoratiores.

Ad hunc textum alluſiſſe videtur S. Petrus ſcribens de Chriſtianis e dæmonis captivitate ereptis; *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis*. Chriſtianos autem omnes *Sacerdotes* dicit; eo ſenſu, quo *verſ.* 5. dixerat eos eſſe *domum ſpiritualem*, ad offerendas *ſpirituales hoſtias*. Reges etiam eos appellat, vel quatenus ſunt Deo ſubditi, cui ſervire, regnare eſt; vel quia ſuorum affectuum Domini ſunt & Reges, mente ſuum in eis obtinente principatum; vel ideo maxime quia prædeſtinatione & vocatione reges ſunt, utpote filii, & hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti, cum quo & in æternum regnaturi. Lucæ 22. *Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus, regnum*. Poſſunt etiam alio modo fideles omnes dici *Sacerdotes* & *Reges*, quatenus omnes membra ſunt Chriſti Sacerdotis & Regis, cum quo unum corpus conſtituunt, ut exponit S. Gregorius.

His ita inſtitutis, adjecit Deus verſ. 12. *Conſtituesque terminos populo per circuitum, & dices ad eos: cavete, ne aſcendatis in montem, nec tangatis fines illius: omnis qui tetigerit montem, morte morietur*. Quæ verba pugnare videntur cum iis quæ ſubiciuntur verſ. 13. *Cum cœperit clangere tuba, tunc aſcendant in montem*.

Verum hæc conciliari poſſunt dicendo prohibitum quidem fuiſſe populo, ne egrederentur e caſtris, cauſa curioſe inquirendi quod ageretur in monte Deum inter & Moſem, dum illi leges populo denuntiandas præſcriberet Deus: At his peractis, & audito clangore tubæ quo populus advocaeabatur ut ſcriptas leges a Moſe eminus conſiſtente audiret, tunc acceſſerunt, & *ſteterunt ad radices montis*, verſ. 17. non quidem in planitie; quia montes excelſi ſpatioſas habent radices; initio quidem parum elatas, ad quas tamen ſine aſcenſu perveniri non poteſt. Ad has itaque montis Sinai radices acceſſerunt Iſraelitæ, extra tamen terminos in clivo montis poſitos. Unde dici poſſunt aſcendiſſe in montem, quia illius radices ſubierunt: & non aſcendiſſe, quia nec ad illius cacumen; imo nec ad clivum pervenerunt.

Tertius itaque dies advenerat quo populus juxta Dei monitum ſeſe paraverat ad divina illius per Moſem excipienda præcepta: *Et ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes denſiſſima operire montem, clangorque buccinæ vehementius perſtrepebat &c. verſ. 16. totus autem mons Sinai fumabat: eo quod deſcendiſſet Dominus ſuper eum in igne... Eratque omnis mons terribilis verſ.* 18. maxime propter terræ motum; nam, ut ait Pſalmiſta: *terra mota eſt; etenim Cœli diſtillaverunt a facie Dei Sinai, a facie Dei Iſrael*.

Cum autem Moſes aſcendiſſet ad montis cacumen, Deus illi præcepit ut deſcenderet, moneretque populum ne terminos ſibi præfixos transgrederentur, ne perirent. Addit v. 22. *Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur, ne percutiat eos*. Ubi nomine *Sacerdotum*, non alios intelligit quam cujuſque familiæ primogenitos: hi enim adminiſtrabant Sacra, donec eorum in ordinem ſuccederent Levitæ.

Advocato autem rurſus ad montis cacumen Moſi, Deus decem præcepta populo declaranda præſcribit, quæ ſequenti capite enarrantur.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XX.

HOc in capite continentur decem Dei Mandata, quibus comprehenduntur ea omnia quæ Deo, proximo, & ſibi impendere debeat homo, ut ſit Deo gratus & acceptus. Hæc autem, ratione objectorum diſtribuuntur in duas tabulas; quarum prima continet illa quæ Dei cultum reſpiciunt, eaque ſunt quatuor. I. Unicum Deum eſſe colendum. II. Cavendam omnem idololatriam, & inanium numinum venerationem. III. Habendum divino nomini honorem, nec in vanum & inutile juramentum aſſumendum. IV. Sabbato feriandum ab omni opere ſervili, ut ſolius Dei cultui dies ille impendatur.

Qualiter autem ſacrificia ſibi fieri velit, declarat verſibus 24. 25. & 26. Nempe *Altare de terra facietis mihi &c*. Cur autem id ſan-

ſanxerit, plurimæ proferuntur cauſæ quas exhibet Serrarius in cap. 8. Joſue quæſt. 16. *Primo*, ut ſignificaret Veteris Teſtamenti ſacrificia & victimas rudes ac informes fuiſſe: typos nimirum & figuras unici Chriſti Jeſu ſacrificii, quod in crucis ara ſemel cruente factum, incruente quotidie repeti ſolet. *Secundo*, ut oſtenderet, quam rudis ac impolita, & dura futura eſſet ejuſdem Chriſti Domini ara, ipſa inquam crux, ut indicat Procopius. *Tertio*, ut veterum altarium nullum fore perpetuum innueret; ſed ſicut ex terra & ſcabris lapidibus facile conſtruerentur, ita & facile deſtructum iri. *Quarto*, ut ſubito & ubique, cum voluiſſet Deus, occaſio eſſet altaris ipſi erigendi, cum minime operoſum, artificioſumve poſtularet. *Quinto*, ut ſe, victimas, & offerentes, potiuſquam altaria intueri, magiſque illorum puritate ac ſanctitate, quam horum pretio & arte oblectari monſtraret Dominus.

In ſecunda tabula continentur ea quæ proximi perſonam & bona ſpectant; docetur que mandato quinto quid debeamus parentibus, & eis, qui vel *natura ut pater & mater*; vel *dignitate* ut Principes, Magiſtratus & Superiores io nos principatum & imperium obtinent: deinde quid univerſim omnibus nobis æqualibus, aut inferioribus debeamus; nimirum conſulendum eorum vitæ, homicidiumque cavendum; non inſidiandum eorum thoro: nec temerandæ uxores: non ſurripienda arte aut furto, eorum bona: famæ & honori non detrahendum: falſum teſtimonium non proferendum. Quæ omnia cum in tractatu de lege divina abunde expenderim, ne actum videar agere, illuc lectorem remitto.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XXI.

CUm Iſraeliticus populus tubæ cœleſtis clangore, horridoque fragore tonitrui, atque monte undique flammis ardente, ingenti pavore eſſet perterritus, Moſem obſecravit ut impoſterum ipſe Legiſlatoris munere functus, leges præſcribendas Dei voce exciperet, eiſque imperata ſignificaret, ut refertur *Deuter. 5. v. 26.* Illorum petitioni annueos Moſes, quæ Deus ſibi imperanda Iſraelitis commiſerat, ſequentibus in capitulis comprehenſa ad eos retulit.

In hoc vero referuntur leges ſpectantes ad conſervanda bona corporis, tam in hominibus, quam in pecudibus. Statuitur autem I. Qualiter Iſraelitæ ſeſe gerere debeant erga ſervos, vel ex popularibus, vel ab exteris comparatos: quandiu ſcilicet retinendi ſint, & quando manumittendi.

I. Namque jubet ut ſervus, aut ancillæ, ex Hebræis aſſumpti poſtquam ſuam per ſex anoos integros ſuis Dominis operam locaverint, io ſeptimo dimittantur liberi, cum his circumſtantiis. Ut donentur veſte ſimili illi qua induti ad obſequium acceſſerant, hoc eſt, æque bona. 2. Si vir conjugatus una cum uxore fuerit obſequio mancipatus, ambo ſimul dimittentur. 3. Sin autem herus dederit illi uxorem ex ancillis ſuis, *& ipſa peperit filios & filias: mulier & liberi ejus erunt Domini ſui; ipſe vero exibit cum veſtitu ſuo.*

In quibus duo maxime veniunt notanda: primum duriſſimam fuiſſe ſervorum conjugatorum apud Hebræos ſervilem conditionem; quippe cum ſervitutis vinculum aliter ſolvi non potuerit, quam divortio, & cojugii violatione: iſta ſane ſeparatio dura quidem videtur, dum vir ab uxore, dimidia ſui parte, & pater a ſuis liberis, quaſi propriis viſceribus divelli debuit: Nulla tamen in illa occaſione intervenit injuſtitia: ſi enim uxor cum liberis una cum ſervo conjuge fuiſſet manumiſſa, herus non modo ancilla, quæ erat in ejus mancipio, ſed etiam liberis, in quorum educationem ſumptus fecerat, tamquam proprio dominio fuiſſet ſpoliatus: quaptopter juri privato hac io parte ceſſit conjugii vinculum.

Alterum quod notandum hic occurrit, illud eſt; quod apud Hebræos non ſolo libello repudii, ſed etiam hac ſervi manumiſſione ſolveretur matrimonii vinculum: fuiſſet enim nimis grave ſi viro libertati reſtituto, & alio abeunti, vinculum iſtud adhuc perſeveraſſet, nec mulier, nec vir aliis potuiſſent nubere. Hoc tamen ſervi manumiſſi habebant ſolatium, quod illis liberum erat in priori ſtatu manumiſſionem acceptare; tunc, ut fertur *verſ. 6.* herus debebat eum adducere ad judices, qui hic *Dii* appellantur, ut ille coram ipſis teſtaretur ſe libentime in obſequio manere velle: quo facto, herus ſubula ad fores domus ſuæ ipſius perforabat aurem in ſignum acceptæ perpetuæ ſervitutis. Illa autem confeſſio coram judicibus neceſſaria fuit ad coercendam Dominorum tyrannidem; nam ſi privatus quiſque iſtius rei fuiſſet arbiter, divites vi miſeros ſervos perpetuis obſequiis mancipaſſent.

II. *Verſ. 7.* Præſcribit leges ſervandas erga filiam Iſraeliticam, quam paupertate cogente, aut alia de cauſa, pater vendiderat. I. Illa *non egredietur ſicut ancillæ egredi conſueverunt*. Nam ſervis ante ſeptimum anoum e domo Dominorum ſuorum exire non licebat: in ſeptimo autem anno, ſi ſervus exire nolebat, eo quod diligeret Dominum ſuum, perpetuo deinceps uſque ad annum Jubilæi, apud illum conſiſtere tenebatur: puellæ vero a patre venditæ ſemper erat locus redimendi. II. *Si diſplicuerit oculis Domini ſui, cui tradita fuerat, dimittet eam: populo autem alieno vendendi non habebit poteſtatem, ſi ſpreverit eam*. Secus autem erat de aliis ſer-

vis, qui a ſuis Dominis poterant exteris veodi: puellas vero Iſraëlitas liberum non erat vendere *alteri populo*, hoc eſt, qui non eſſet de ſamilia emptoris: nam aliis Gentibus, ſeu Ethnicis, ne ſervus quidem Hebræus vendi poterat, ut notat Joſephus.

III. *Siu autem filio ſuo deſponderit eam, juxta morem filiarum faciet ei.* Dum pater vendebat filiam ſuam nubilem in ſervam, qui illam emebat, tenebatur eam in uxorem ducere, ut docent Hebræi Doctores, teſtibus elariſſ. Vatablo & Paulo Fagio: ſi vero illam deſponſarit filio, debebat ei dorem cooſtituere, ut fieri ſolebat in nuptiis aliarum Iſraelıricarum, nihil eauſans quod illa eſſet empta ad obſequium. IV. *Quod ſi alteram ei aceeperit; providebit puellæ nuptias, & veſtimenta, & pretium pudicitiæ nou negabit. Si tria iſta nou fecerit, egredietur gratis abſque argeuto pro ſua redemptione.* Hoc eſt, ſi alteram ipſe quam ejus uxorem filius duxerit, non proprerea illa prius ducta debebat eſſe vilioris æſtimationis; ſi vero illam dimittere voluerit, tenebirur ei veſtimenta nuptialia, & convenientem dotem tradere, ur poſſet nubere alteri.

Referuntur pœnæ eapitales infligendæ iis qui patrem vel matrem percuſſerint, aut illıs contumeliam ſecerint: atque etiam iis qui voluntarie hominem occiderint. Additur antem *verſ. 14. Si quis per induſtriam occiderit proximum ſuum; & per iuſidias: ab altari meo evelles eum, ut moriatur.* Addit R. Salomo, *Si fuerit Sacerdos, & velit ſacrifificare, rapies eum ad mortem.* Paraphraſtes Joroſolymitanus adiicit: *Licet ipſe Sacerdos magnus fuerit, qui ſtet & miniſtret coram me, inde rapient eum & occident eum.* Apparet inde quantum Deus averſatus fuerit homicidium, utpote qui nemioem, quantæ fuerit dignitatis, hujus eriminis reum voluerit immunem eſſe ab hac eapitali pœna.

IV. Verſu 22. *Si rixati fuerint viri, & percuſſerit quis mulierem prægnantem, & abortum quidem fecerit, ſed ipſa vixerit: ſubjacebit damno quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri judieaverint. Siu autem mors ejus fuerit ſubſecuta, reddet animam pro anima, oculum pro oculo, deutem pro dente, manum pro manu* &c. Quæ verba etſi tantum de matre intelligenda velint Rabbini; attamen etiam de infante quem in utero geſtat, aecipienda eſſe docent Interpretes Chriſtiani; nam, inquit Tertullianus, *feſtiuatio homicidii eſt, impedire naſci: nec refert natam quis eripiat animam, an naſceutem diſturbet. Homo eſt, & qui futurus eſt: etiam fructus omuis jam in ſemine eſt.* Quibus verbis Tertullianus exiſtimat omnem abortum ſive jam animati, ſive animandi, ſeu vivificandi corporis verum eſſe homicidium. At S. Auguſtinus ſententiam reſtringit ad ſœtum animatum, *Si illud informe puerperium*, inquit, *jam quidem fuerit, ſed adbuc quodammodo informiter animatum... lex uoluit ad homicidium pertinere; quia noudum dici poteſt auima viveus iu eo corpore quod ſenſu caret; ſi talis eſt in carne nondum formata, & ideo noudum ſenſibus prædita.*

V. Neque tantum homines alios occidentes morte puniendos eſſe vult Deus, ſed etiam belluas domeſticas hominum interfectrices; ſtatuit enim verſ. 28. *Si bos cornu percuſſerit virum, aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruetur: & non comedentur carnes ejus.* Addit S. Auguſtinus *quod de tauro poſitum eſt, a parte totum intelligendum eſt, quidquid de pecoribus uſui humano ſubditum, infeſtum eſt hominibus.*

DISQUISITIONES
IN CAPUT XXII.

IN præcedenti capite Moſes expreſſit leges ſpectantes ad conſervandam vitam & ſocietatem humanam; in hoc autem præſcribit eas quæ conducunt ad juſtitiam io bonis externis tuto poſſidendis exercendam. Quamobrem docet qualiter animadvertendum ſit in illorum bonorum raprores, ſive per violentiam, & ſurtivam ablationem; ſive per fraudulentam ereptionem. Earum autem legum præcipuæ, quæque illoſtratione indigere videntur, hie exponendæ ſunt.

I. Statuitur itaque verſ. 1. *Si quis furatus fuerit bovem, aut ovem, & occiderit, vel vendiderit: quinque boves pro uno bove reſtituet: & quatuor oves pro una ove.* Quæ verba crucem non levem inferunt Interpretibus. S. Auguſtinus quærens cur non tot oves, quot boves, pro ſurtive ablatis, reſtitui debeant.

Reſpondet aliquid hie ſignificari: quid autem illud ſit, non aperit. S. Thomas ſcribit ideirco reſtituendos quinque boves loco unius ſurrepti, quia ſunt quinque beneficia hominibus a bobus exhibita, nam inſerviunt ad victimam, præbent carnem ad eſum, lae ad potum, corpus ad aratrum & currum, & corium ad pedum operimentum. Ovis autem habet tantum quatuor utilitates, immolatur, nutrit ſua earne, lanam præbet, lae profert. Verum etiam pellis ovium plurimis uſibus apta eſt; poſſent & aliæ illius utilitates proferri. Igitur omiſſis aliis levioribus his ſimilibus expoſitionibus.

Cenſeo dicendum eum Theodoreto hanc legem ideo juſte conſtitutam; *Quia*, inquit, *graviora delicta graviori ſupplicio ſunt punienda*; furtum antem bovis gravius eſt furto ovis, quia ille majoris utiliratis eſt & pretii.

His accedit quod cum in pœnis infligendis leges ad tria potiſſimum attendant. 1. Ad præſtantiam & bonitatem rerum illarum quæ per delictum peſſundantur. 2. Ad nocu-

cumentum & præjudicium illatum alteri. 3. Ad improbitatem & temeritatem delinquentis: qui bovem furatur, hoc triplici reatu inficitur; abripit enim rem ove multo præſtantiorem, eoque majori temeritate & audacia, quod bos difficilius, quam ovis poſſit abſcondi: majus etiam infert damnum bovis poſſeſſori; ſiquidem illum privat illis fructibus quibus bos inſerviebat arando agros, vehendo onera, currum trahendo &c. igitur cum gravius peccet, merito graviori pœna mulctandus eſt; maxime ſi bovem ablatum occiderit, aut diſſipaverit. Si enim res ablata reperta fuerit illæſa & integra apud furem; *verſ.* 4. ſtatuitur ut tantum *duplum* reſtituat. Et hæc quidem præſcribuntur adverſus furem in actuali furto non deprehenſum.

At contra illum qui in furto deprehenderetur, ſtatuitur verſ. 2. & 3. *Si effringens fur domum ſive ſuffodiens fuerit inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit: percuſſor non erit reus ſanguinis. Quod ſi orto ſole hoc fecerit, homicidium perpetravit, & ipſe morietur.* Quibus verbis non præcipitur ut talis occidatur; imo ſive in nocte, ſive interdiu fur ille deprehendatur; conandum erit potius ut capiatur vivus, & ad judices deferatur: ſed illius legis mens eſt, ut ſi paterfamilias excitato ſtrepitu furem nocturnum vim facientem deprehendat, neſciatque quo fine accedat, an ad ſurripienda illius bona, aut mortem illi inferendam; nec habeat auxilium quo vivum furem nocturnum poſſit capere, citra culpam poteſt illum occidere.

Secus autem eſt de diurno fure, poterat quippe diſcerni, inquit S. Auguſt. *Quod ad furandum, non ad occidendum veniſſet; & ideo non deberet occidi*; niſi forte fur ille diurnus armata manu in patremfamilias inſurgeret. Ratio autem diſcriminis inter furem nocturnum, & diurnum eſt, quod Sole illuceſcente & per diem paterfamilias poteſt habere teſtes, & domeſticorum, ſeu vicinorum auxilium implorare ad furem vivum capiendum. Porro hanc ſanctionem imitatæ ſunt etiam leges civiles, ut ibidem obſervat S. Auguſtinus, *Hoc*, inquit, *in legibus antiquis ſæcularibus, quibus tamen eſt iſta antiquior, invenitur: impune occidi nocturnum furem quoquomodo: diurnum autem, ſi ſeſe cum terrore defenderit jam enim plus eſt quam fur.*

Cæteræ, quæ in hoc capite præſcribuntur leges, exponentur in Levitico una cum aliis ipſis correſpondentibus. At hic prætermittenda non eſt quæ hic exprimitur *verſ.* 8. de depoſito furtim ablato. *Si latet fur, Dominus domus applicabitur ad Deos, & jurabit quod non extendit manum in rem proximi ſui.* Ubi vides Deorum nomine, non alios intelligi quam cauſarum auditores & judices; eo videlicet ſenſu quo Pſalmiſta ait: *Deus ſtetit in Synagoga Deorum: in medio autem Deos dijudicat.* Hinc additur *verſ.* 9. de litigantibus circa furtum, *ad Deos utriuſque cauſa perveniet*, nimirum, ut de illa ſententiam ferant. Quo etiam ſenſu intelligenda ſunt hæc verſ 28. *Diis non detrahes, & principi populi tui non maledices.* Quibus verbis non interdicitur irriſio & contemptus inanium Numinum a Gentilibus cultorum, ut perperam exiſtimavit Joſephus ſcribens: *Neque ridere, neque blaſphemare debemus eos, qui apud alios putantur Dii: id enim Legiſlator interdixit, propter ipſum appellationem.* Quod quam falſum ſit, apparet ex innumeris Scripturæ locis, præſertim ex *Pſalm.* 113. ubi Gentium Diis & ſimulachris dicitur, quod *os habent & non loquuntur* &c. & Iſaiæ 41. *verſ.* 24. ubi Propheta Deos Gentium ſic ſuggillat: *Ecce vos eſtis ex nihilo, & opus veſtrum ex eo quod non eſt: abominatio eſt qui elegit vos* &c.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XXIII.

IN hoc capite pergit Moſes præſcribere leges Iſraelitis neceſſarias ad ſervandam juſtitiam, tam erga populares, quam erga extraneos.

In tribus autem prioribus verſibus, Judices informat quomodo ſeſe gerere debeant in adminiſtranda juſtitia. I. Ut ſerio examinent teſtes, an eorum teſtimonia vera ſint. *Non ſuſcipies vocem mendacii: nec junges manum tuam, ut pro impio dicas falſum teſtimonium.* Quibus verbis docet facile non eſſe acquieſcendum teſtibus, nec eos eſſe audiendos niſi præmiſſo juramento. Hinc in more poſitum erat apud Hebræos, (ut refert perdoctus Fagius) ut nullum admitteretur teſtimonium, niſi præmiſſo juramento a teſte tangente Librum legis, aut aliquid quod eſſet ſacrum; alioqui juramentum cenſebant eſſe nullum. Unde nihili ducunt ea teſtimonia quæ proferunt coram Judicibus Chriſtianis, etiamſi ſciant ſe falſum jurare: quoniam, inquiunt, hoc illis Deus non imputavit: ad quæ ſummopere attendere debent Chriſtiani Judices, dum agitur de Judæorum teſtimonio, ne ab illis illudantur.

II. *Non ſequeris turbam ad faciendum malum: nec in judicio acquieſces plurimorum ſententiæ, ut a vero devies.* Quibus verbis admonentur judices non eſſe ſequendam ſententiam plurium quos in conſcientia perſuaſi fuerint inique judicare: ita quod ſi unus aut alter tantum ibi videantur juſte ſentire, eis potius adhæreas, quam plurimis; tametſi noveris tuam ſententiam juſtæ cauſæ nihil profuturam.

III. *Pauperis non miſereberis in judicio.* Pſalmiſta monet quidem Judices, *judicate egeno, & pupillo; humilem, & pauperem ju-*

ſti-

Digitized by Google

ſtificate: dummodo id fieri poſſit ſine læſione juſtitiæ: ſi enim juſte ſit divitis cauſa, illi jus dicere debet Judex abſque ulla erga pauperem compaſſione: *Ne forte* (inquit S. Auguſtinus) *cum judicamus... recte facere videamur, ſi contra juſtitiam pauperi faveamus cauſa miſericordiæ: Bona eſt ergo miſericordia, ſed non debet eſſe contra judicium.*

His erga Magiſtratus & Judices præſcriptis, docet deinde Moſes qualiter quiſque erga proximum, etiam inimicum ſeſe gerere debeat: Addit enim verſ. 4. & 5. *Si occurreris bovi inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum. Si videris aſinum odientis te jacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſublevabis cum eo:* hoc eſt, manus auxiliatrices dabis inimico tuo, ut ſublato onere e clitellis, ſurgere poſſit aſinus, & onus illi iterum imponi. Similia habentur *Deuteron.* 22. *v.* 4. Ex quibus manifeſtum fit a Judæis hanc corruptam legem, dum aſſerebant ſibi licitum eſſe odiſſe inimicos. Quod eis exprobrat Chriſtus D. Diſcipulos admonens: *Audiſtis*, inquit, *quia dictum eſt antiquis, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum:* ubi conſulto dicit *dictum eſt*, non vero *ſcriptum eſt*; ut oſtendat hanc exiſtimationem non ex lege, ſed ex prava legis interpretatione eſſe ortum: Quamobrem illam emendat dicendo, *Ego autem dico vobis. diligite inimicos veſtros* &c.

Quod autem odium inimicorum per Moſem prohibuerit Deus, apparet nedum ex præfato textu, ſed etiam ex Levitici cap. 19. v. 18. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo.. non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum:* & continuo additur; *Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Ego Dominus.* Unde Sapiens: *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitiverit, da illi aquam bibere.* Ex quibus efficitur, dilectionem inimicorum, non ſolum Chriſtianis; ſed etiam Judæis fuiſſe præceptam.

Verſ. 6. Moſes admonet Judices, *Non declinabis in judicium pauperis*; hoc eſt, non favebis diviti in præjudicium pauperis; cum enim Judices Dei nomine præſint juſtitiæ decernendæ, illum pariter debent imitari, qui ut ait Job: *Non accipit perſonas Principum: nec cognovit tyrannum, cum diſceptaret contra pauperem: opus enim manuum ejus ſunt univerſi.* Quamobrem idem Moſes admonet Deuter. cap. 1. v. 17. *Nulla erit diſtantia perſonarum; ita parvum audietis ut magnum: nec accipietis cujuſquam perſonam, quia judicium Dei eſt.*

Addit verſ. 7. & 8. *Mendacium fugies: inſontem & juſtum non occides: quia averſor impium.* Quibus verbis admonentur Judices, ut alieni ſint ab omni falſo judicio, quale eſt cum innocens damnatur, & reus abſolvitur; nam ut fertur Proverb. 17. v. 15. *Qui juſtificat impium, & qui condemnat juſtum, abominabilis eſt uterque apud Deum.*

Inde eſt quod *verſ.* 8. ſequente, Judicem alloquens Moſes ait: *Nec accipies munera, verba juſtorum.* Quibus verbis non prohi- *quæ etiam excæcant prudentes, & ſubvertunt* betur munerum acceptio extra judicium; Abraham enim & Abimelech ſibi invicem munera obtulerunt: ſimiliter ſervus Abrahami, ſui heri nomine munera dedit fratri, & matri Rebeccæ, ut eos haberet ſibi faventes: quin etiam 3. Reg. cap. 10. v. 25. ſinguli Reges deferebant Salomoni munera, vaſa argentea, & aurea &c. At diſtincte prohibetur Judicibus ne accipiant munera a partibus litigantibus, ne judicium pervertant; Nam Iſaias cap. 5. v. 23. Dei nomine imprecatur in Judices qui juſtificant impium pro muneribus, & juſtitiam juſti auferunt ab eo; *Propter hoc*, inquit *ſicut devorat ſtipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit: ſic radix eorum quaſi favilla erit, & germen eorum ut pulvis aſcendet.*

Verſ. 9. hortatur omnes Iſraelitas, ut peregrinis opitulentur; *Peregrino*, inquit, *moleſtus non eris, ſcitis enim advenarum ærumnas, quia & ipſi peregrini fuiſtis in terra Ægypti*; Nimirum ut memores ærumnarum & afflictionum quas eorum deceſſores paſſi fuerant in Ægypto, benignos & miſericordes ſeſe præberent peregrinis tum inter illos commorantibus, quam ad illos accedentibus.

Verſ. 10. & 11. Nomine Dei præcipit Moſes, *Sex annis ſeminabis terram tuam, & congregabis fruges ejus. Anno autem ſeptimo dimittes eam, ut comedant pauperes populi tui: & quidquid reliquum fuerit, edant beſtiæ agri: ita facies in vinea, & oliveto tuo.* Ne autem anxii eſſent Iſraelitæ de opportunis alimentis anno ſeptimo, ait Deus Levit. cap. 25. v. 21. *Quod ſi dixeritis, quid comedemus anno ſeptimo, ſi non ſeverimus, neque collegerimus fruges noſtras?* Reſpondet Deus, *Dabo benedictionem meam vobis anno ſexto, & faciet fructus trium annorum: ſeretiſque anno octavo, & comedetis veteres fruges uſque ad nonum annum: donec nova naſcantur, edetis vetera.*

Putat S. Auguſtinus etiam ſerendum fuiſſe ſeptimo, ſed non metendum; *Quid enim* inquit, *colligent pauperes, ſi ſeptimo anno ita parcit terræ, ut nec ſeminetur quidem... quia de terra non ſeminata nihil poſſunt ſumere, ubi ſegetes naſci non poſſunt.* Verum hæc difficultas facile elevatur, ſi cogitemus non ſolum hic agi de agris, ſed etiam de vineis & olivetis, qui ſi anno uno dimittantur nec amputentur, ampliores emittunt palmites, & fructus uberiores proferunt: Quin etiam agri ex deciſis granis tempore meſſis, ſufficienter germinant anno ſequenti, ut inde naſcantur ſegetes ad uſum pauperum.

At inquies, ſi anno ſeptimo non fereretur, nec meteretur, igitur illo anno non poterant offerri primitiæ, nec decimæ perſolvi? Reſpondeo quod cum anno ſexto duplicarentur fruges, etiam duplicandæ erant primitiæ, ac decimæ; quamobrem ſatis habebant Sacerdotes, unde anno ſeptimo nutrirentur.

Pergit Moſes præſcribere qualiter ſervanvandum ſit Sabbatum, & celebrandæ ſint ſingulis annis tres ſolemnitates; ſcilicet azymorum, Meſſis primitivorum, ſeu Pentecoſtis, & Tabernaculorum in memoriam & gratiarum actionem divinæ protectionis, qua

Deus

Deus Hebræos duxerat & protexerat in deſerto peregrinantes, & habitantes in Tabernaculis per quadraginta annos.

Admonet inſuper, ut ter in anno nimirum in mox dictis ſolemnitatibus (puta in Paſchate, Pentecoſte, & feſto Tabernaculorum, ſicut diſtincte exprimitur Deuteronomii *cap.* 16. verſ. 16.) familiarum capita præſentes ſe ſiſtant *coram Domino*; hoc eſt, conveniant ad Tabernaculum Domini, eum adoraturi, eique pro beneficiis omnibus acceptis gratiarum actiones repenſuri.

Scribunt Hebræi Doctores (referente clariſſ. Paulo Fagio) plurima interveniſſe miracula quandiu tria hæc feſta celebrata ſunt: maxime tempore Templi Salomonici. Præcipue autem decem miracula commemorant. I. Tametſi tot millia hominum confluxerint ad iſta feſta; tamen omnes potuerunt habere hoſpitia; neque unquam auditum eſt, ut quis conquereretur ſibi non eſſe locum hoſpitandi. II. Cum in templo ſtarent, ſe mutuo præ anguſtia compreſſiſſe; cum vero in terram procumberent, adoraturi, & confeſſionem peccatorum ſuorum, ut moris erat, facturi, omnes ſatis ſpatii habebant, ne alius alium ſua delicta Domino confitentem audiret; quatuor autem cubitorum ſpatium cuique eſſe oportebat. III. Ignis ille jugis qui erat in altari in quo ſacrificia concremabantur, quod ſub dio erat, a pluviis nunquam extinctus fuit. IV. Fumum qui ex holocauſtomatis aſcendebat, nulli venti utcumque vehementes unquam movere, vel impedire potuerunt, quo non ſemper recta cœlum verſus tenderet &c.

Ut panis Deo offerendus ſit fermentatus; utque adeps immolatæ victimæ ſtatim adoleatur, & comburatur.

Ut hœdus in lacte matris ſuæ non coquatur, hoc eſt, ut exponunt S. Chryſoſtomus [a] & S. Auguſtinus, [b] quos ſequuntur Vatablus, & Oleaſter, hœdus adhuc ſugens lac matris ſuæ, comedendus non occidatur. Quibus prohibet Deus occidi agnos & hœdos teneros; nimirum ut Hebræos doceret humanitatem & benignitatem erga homines, quippe cum ea etiam eſſet ſervanda erga pecudes. Quam etiam ob cauſam, jubet Deus *Levitici* 22. *v.* 27. *Bos*, *ovis*, *& capra*, *cum genita fuerint*, *ſeptem diebus erunt ſub ubere matris ſuæ: die autem octavo & deinceps offerri poterunt Domino*, *ſive illa bos*, *ſive ovis*, *non immolabuntur una die cum fœtibus ſuis*. Quibus verbis nos ad humanitatem erga proximum ſervandam admonere & adhortari voluit: Etenim ſi prohibuit animal tenellum ſubſtrahi matri adhuc partus dolores ſentienti, & matrem cum ſuo fœtu ſimul offerri in ſacrificium, quia hæc quamdam crudelitatis ſpeciem redolerent: multo magis tenemur ab iis abſtinere, quæ proximum læderent & cruciarent.

[a] *Homil. de innoc.*
[b] *Qu.* 90. *in Exod.*

Poteſt etiam adjici: ænigmatica hac prohibitione Deum conſuluiſſe hominum ſanitati: quandiu enim tenellus hœdus, aut agnus lac ſugit, illius ſubſtantia magis eſt lactea, quam carnea, adeoque hominum nutritioni minus apta: neque his obſtat quod illam in eo ſtatu ſacrificio idoneam judicaverit Deus; quia oblata illa victima in holocauſto tota cremabatur; nec illius aliqua pars cedebat in uſum ſacrificantium. Unde agnus Paſchalis oblatus, qui debebat comedi ab offerentibus, erat ad minus anniculus, hoc eſt, unum annum a ſua nativitate agebat.

S. Auguſtinus dubitat an hujus præcepti, *Non coques agnum in lacte matris ſuæ*; ſit aliquis ſenſus litteralis, *quomodo intelligatur*, inquit, *ad verborum proprietatem*, *neſcio utrum poſſit reperiri?* Unde ſubdit „ intellectum tamen de Chriſto approbo, quod hac prophetia prædictus eſt non occidendus a Judæis infans, quando Herodes quærens eum ut occideret, non invenit; ut *coques* quod dictum eſt, pertineat ad ignem paſſionis, hoc eſt, tribulationem. Unde dicitur: *Vaſa figuli probat fornax*, *& homines juſtos tentatio tribulationis*. Quia ergo non eſt tunc infans paſſus, cum quærente Herode hujuſmodi periculum imminere videretur, prædictum eſt his verbis: *Non coques agnum in lacte matris ſuæ*. At de his iterum ſermo erit in Levitico, ubi ſermo erit de cibis vetitis.

Ut autem ad exactam horum præceptorum obſervantiam Iſraelitas alliciat Deus; ſpondet, ſi obſequentes ſint, ſe miſſurum Angelum qui ſecure eos introducat in Terram promiſſam. Quis autem fuerit ille Angelus, diſceptant Interpretes: quidam volunt ſignificari Moſem, aut Joſue. Verum Moſes non introduxit populum in Chananitidem; nec Joſue punivit rebelles & inobedientes Hebræos, ut in eos animadvertere debebat Angelus ille: *Nec contemnendum putes*, ait Deus verſ. 21. *quia non dimittet*, *cum peccaverit*.

S. Athanaſius, [c] cui ſubſcribunt Rupertus, Heſychius &c. putat hic ſignificari Filium Dei, *Angelum* ideo vocatum quod divini Patris mandata hominibus perferret; qui, ut alibi dictum eſt, frequenti apparitione viſibili, præludia quædam futuræ ſuæ in carne manifeſtationis præmittebat. Quam expoſitionem approbat etiam R. Moſes Gerundenſis, cujus verba refert Andreas Maſius; ſcribit enim ille: „ Iſte Angelus (ſi rem ipſam dicamus) eſt Angelus Redemptor, de quo ſcriptum eſt: *Quoniam nomen meum in ipſo eſt*. Ille, inquam, Angelus qui ad Jacob dicebat: *Ego Deus Bethel*; ille de quo dictum eſt: *Et vocabat Moſem Deus de rubo*. Vocatur autem Angelus, quia mundum gubernat; ſcriptum eſt enim: *Eduxit nos Jehova ex Ægypto*. Et alibi: *Miſit Angelum ſuum*, *& eduxit nos ex Ægypto*. Præterea ſcriptum eſt: Et *Angelus faciei ejus*, *ſalvos fecit ipſos*. Nimirum ille Angelus, qui eſt Dei facies, de quo dictum eſt: *Facies mea præibit*, *& efficiam ut quieſcas*. Denique ille Angelus eſt, de quo Vates: *Et ſubito veniet ad templum ſuum Dominus quem vos quæritis*, *& Angelus fœderis quem cupitis*. Hæc Gerundenſis, quæ poſtrema verba nullus dubitat, de Meſſia & Chriſto eſſe intelligenda.

[c] *Lib. de communi eſſentia Patris & Filii & Spiritus S.*

Spon-

Spondet inſuper Deus, ſe*laturum eis panis & aquæ abundanriam, perpetuam ſanitatem, vitæ diuturnitatem, uxoribus fœcunditatem &c. ad quæ verba S. Auguſtinus air: „ Quamvis iſtæ promiſſiones poſſint & ſpiritaliter intelligi; tamen cum ſecundum temporalem hominum fœlicitatem inrelligunrur, ad Verus Teſtamenrum pertinent; ubi quamquam præcepta, exceptis his quæ in ſacramento aliquid ſignificanr, eadem ad mores bonos pertinentia reperianrur, promiſſiones tamen carnales atque terrenæ ſunr. Unde in Pſalmo LXXII. pene lapſos & effuſos greſſus ſuos homo Dei dicit, cum zelarer in peccatoribus, pacem peccatorum intuens. Ea quippe cernebar abundare impiis, quæ ipſe ſecundum Teſtamenrum Verus expectabat a Domino Deo, cui hac mercede ſerviebat. Et cum hinc ei ſubrepere cœpiſſet ſenſus impius, quod Deum non curare exiſtimaret humana, correptum ſe dicit, dum auctoritarem ſanctorum non eſt auſus improbare, & incœpit cognoſcere, & ait: Hoc *labor eſt ante me, donec introeam in ſanctuarium Dei, & intelligam in noviſſima*. Ibi enim præmia dabuntur ad Novum pertinentia Teſtamenrum, quæ impii non accipient: & pœnæ tunc futuræ ſunt impiorum, quas nullus piorum ſenſurus eſt. *Ita S. Auguſtinus*.

Addit Moſes, Deum inter alias protectiones quas ſpondet Hebræis adiicere, ſe miſſurum *crabrones ante eos, qui fugabunt Hevæum, & Chananæum, & Hethæum, antequam introeas* &c. Quæ Sapiens his verbis exprimit, *miſiſti anteceſſores exercitus tui veſpas, ut illos paulatim exterminarent*. Ad quæ verba S. Auguſtinus: „ Quæritur, *inquit*, de iſtis beſtiis quid inrelligendum ſit? nam & promittit hoc Deus, & liber Sapienriæ dicit impletum, ubi ait, *Et miſit anteceſſores exercitus ſui veſpas*. Non autem legimus factum, neque Moyſi temporibus, neque ſub Jeſu Nave, neque ſub Judicibus, neque ſuh Regibus: Ac per hoc veſpæ iſtæ aculei timoris inrelligendæ ſunt fortaſſe, quibus agitabantur memoratæ Gentes, ut cederent filiis Iſrael: Deus enim loquitur, in cuius ſermone ſi figurate aliquid dicatur, quod ad proprietatem non ſit impletum; non impedit hiſtoriæ fidem, in qua perſpicitur veritas narrationis. Sicur nec Evangeliſtarum narratio ſecundum proprietatem impeditur, ſi aliquid a Chriſto dicitur figurare. *Hæc ille*. Sponder inſuper Deus ſe victoriam illis daturum de Chananitidis incolis, nimirum Amorrhæis, Hethæis, Phereſæis, Hevæis, aliiſque quos hic non commemorat; nam eo rempore quo Abrahamus acceſſit in Chananitidem, undecim Nationes a totidem Chananis filiis prognatæ, regionem illam incolebant, nimirum *Sidonii* a Sidone, qui Sidonem, Tigrum, Jechonam, & Acron deinde dictam Ptolemaidem, *Hethæi* ab Hethæo quorum præcipua urbs erat Dor; *Jebuſæi*, a Jebus, poſtmodum dicti Philiſtini, quorum præcipuæ civitates erant Lachis, Geth, Accaron, Azor, Aſſalon, Gaza, Gerara, & Dabir.

Amorrhæi, ab Amore, qui occupabant urbes Rabba, Heſebon, Boſor, Ramoth, Galaad, Rabba.

Gergeſæi a Gerge, quorum civitates erant Damas, Machati, Geſſur, Soba, Theman, Aſtharath, Adra.

Hevæi ab Heve qui incolebant Jeruſalem, Jericho, Hai, Bethel, Gabaa, Lebna, Macedo, Bezer.

Aracei ab Arace, quorum præcipuæ urbes erant Eſebon, Madian, Petra, & Arac.

Sinæi a Sine quorum civitates erant Sodoma, Gomorrha, Seboin, Segor, & Adama.

Arades ab Arade qui habebant civitates Arad, Herimoth, Hebron, Odolla, & Eglon.

Samarræi a Samare in quorum poſſeſſione ædificatæ ſunt civitates Taphua, & Tanai.

Amathei, ab Amathe qui habebant civitates Semmeron, Celes, Aſor, & Amath. Quibus adiiciuntur Phereſæi qui incolebant Boſtra, &c. Iſti omnes manufacta ejectis Semi poſteris has regiones occupabanr tempore Abrahami: ar totidem non erant ætate Moſis & Joſue ut conſtat ex Nationibus Iſraelitis expugnatis. Victoriam in impugnantes adverſarios, eos tamen e ſua regione paulatim tantum ſubmovendos, ne terra incolis vacua fieret & infrugifera. Monet tandem ut ab idololatrarum contubernio abſtineant, ne in eorum errorem impingant.

DISQUISITIONES IN CAPUT XXIV.

CUm omnia præfata Dei mandata in monte excepiſſet Moſes, juſſus eſt ad populum deſcendere, illa ei declaraturus, reſciturusque utrum ad eorum obſervantiam prompto eſſent animo, ut colligitur ex verſu 3. *Venit ergo Moſes, & narravit plebi omnia verba Domini*. Tria itaque in hoc capite Moſes exequitur. I. Exponit populo Dei mandata, quæ in monte audierat & ſcripſerat; requiritque utrum populus ea ſit obſervaturus: nimirum ut fœdus ineatur Deum inter & populum. II. Cum reſpondiſſet populus ſe ea impleturum: in fœderis initi teſtimonium, & confirmationem, ſacrificium fieri mandavit. III. Ut juſſus fuerat, Moſes, iterum montem aſcendit, aſſumptis ſecum Aarone, cum duobus ejus filiis Nadab & Abiu, & ſeptuaginta ſenioribus.

Quæritur autem I. Quinam fuerint illi LXX. ſeniores.

Roſ-

Reſpondeo, Ex communi quidem Interpretum ſententia, illos fuiſſe ſelectos ex Decurionibus & Chiliarchis, quos Jethronis contilio Moſes inſtituerat Judices, ut leviores populi controverſias & lites dirimerent. At cenſerem ego eoſdem fuiſſe, quos *Num.* 2. *v.* 56. Moſi adjunxit Deus ut in ejus muneris & oneris partes venirent. Moſi namque ibi dicit Deos: *Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenioribus Iſrael, quos tu noſti* &c. Noverat igitur illos antea Moſes, quia nempe illos in montem ſecum duxerat, ut præſcribendorum a Deo præceptorum cum ipſo fierent auditores & teſtes; quibus deinde voluit Deus partem genii, ſeu ſapientiæ Moſis indere, ut cum eo populi regimini & divinorum præceptorum obſervantiæ incumberent.

Petes II. Quem ritum ſervaverit Moſes in ſtatuendo illo fœdere Deum inter & Iſraeliticum populum?

Reſpondeo, Ab illo I. Ædificatum altare ad radices montis Sinai ſuffultum duodecim columnis deſignantibus totidem Iſtaeliticas Tribus, & quibus nonnulli volunt inſcripta cujuſque Tribus nomina verſ. 4.

II. Præcepit Juvenibus de filiis Iſrael, ut offerteut holocauſta & victimas pacificas Domino, *verſ.* 5. Quinam autem fuerint illi Juvenes: & utrum revera ipſi victimas immolaverint, non conveniunt Interpretes. Quidam cum S. Auguſtino, exiſtimant illos fuiſſe Aaronis filios; putant alii fuiſſe familiarum primogenitos & capita, ad quos, cum nondum inſtitutus eſſet ſacer Levitarum ordo, ſpectabat jure naturali victimas immolare, & offerre ſacrificia; ut etiam conſtat, *Exodi* 13. Unde Paraphraſtes Chaldæus hic vertit: *Miſit primogenitos filiorum Iſrael* &c. Dicerem ego Juvenes illos delectos quidem ut compararent & aptarent victimas per Moſem & Aaronem immolandas; ſi enim ſacrificium illud fieri debuiſſet per primogenitos & familiarum capita; convenientius erat, ut fieret per ſeniores, qui ætate & imperio magis erant venerandi.

III. Moſes jugulatarum victimarum ſanguinem partim fudit circa altare, partim excepit in cratere, quo populum aſpergeret, hoc ritu ſignificans ſancitum ac confirmatum eſſe ſactum fœdus Deum inter & Iſraelitas; altare enim ſanguine tinctum ſignificabat Deum ſpondentem ſe futurum populi defenſorem & protectorem: populus vero ſanguine aſperſus teſtabatur ſe animo promptum ad ea exequenda quæ ſibi divinitus fuerant præſcripta; in quibus ſi deficeret, conſentiebat ſanguinem ſuum, ut victimarum, effundi.

Hic autem ritus præſignificabat Chriſti Domini ſanguine fœdus novum aliquando confirmandum, ut egregie exponit Apoſtolus ad Hebræos; qui cum dixiſſet Teſtamentum non eſſe ratum, niſi intercedat mors teſtatoris, addit: *Unde nec primum quidem ſine ſanguine dedicatum eſt: lecto enim omni mandato legis a Moyſe univerſo populo, accipiens ſanguinem vitulorum & hircorum, cum aqua & lana coccinea, & hyſſopo, ipſum quoque librum, & omnem populum aſperſit, dicens: hic ſanguis Teſtamenti, quod mandavit ad vos Deus.* In quibus verbis quatuor adjicit Apoſtolus quæ Moſes hic non exponit. I. Hircos cum vitulis fuiſſe immolatos. II. Sanguinem aqua fuiſſe admixtum. III. Lana coccinea & hyſſopo ſanguinis aſperſionem factam. IV. Librum divinis mandatis inſcriptum, fuiſſe pariter ſanguine aſperſum.

Petes III. Unde hæc poſtrema verba ſumpſerit Apoſtolus, cum illa in Moſis narratione non habeantur?

Reſpondent aliqui, id accepiſſe ex Hebræorum Doctorum commentariis, in quibus erat verſatiſſimus. Addunt alii, id habuiſſe ex Majorum traditione, qua etiam factum eſt, ut 2. ad Thimotheum 3. cap. verſ. 8. indicarit nomina duorum magorum Pharaonis Janne & Mambre, de quibus ſiluerat Moſes.

At veriſimilior mihi videtur eorum ſententia, qui dicunt ab Apoſtolo in Legis diſciplina enutrito iſta collecta ex *Numerorum* 19. *verſ.* 6. & *Levitici* 14. *verſ.* 6. aliiſque Scripturæ locis, in quibus fit mentio mixtionis aquæ cum ſanguine, & eorum aſperſionis cum hyſſopo, & lana coccinea.

His ita matutino tempore peractis, populoque in tabernacula ſua dimiſſo, executus eſt Moſes quæ imperaverat Deus, ut iterum montem conſcenderet, duceretque ſecum Aaronem cum duobus ejus filiis, & 70. Senioribus, quos Deus volebat aliquatenus fieri ſpectatores divinæ ſuæ majeſtatis & gloriæ; ut illorum relatione, populus qui ab eorum auctoritate pendebat, in divinum cultum eſſet promptior & ferventior.

Aſcenderunt itaque Moſes, & Aaron, Nadab, & Abiu cum 70. Senioribus circiter ad medium montis, ut narrat Moſes. Quo cum perveniſſent, *Viderunt Deum Iſrael & ſub pedibus ejus quaſi opus lapidis Sapphirini, & quaſi cœlum, cum ſerenum eſt*, ut addit ibidem Moſes verſ. 10.

Petes IV. In qua forma Deus majeſtatem ſuam illis oſtenderit?

Reſpondet, Abulenſis præſul, Deum apparuiſſe illis in forma nubis lucidæ, intra quam majeſtas ejus latere videbatur; ita ut putarent illi in hujus nubis infima parte conſiſtere pedes Dei: cum enim illi adhuc rudes eſſent, & Deum ſibi imaginarentur corporeum; putarunt reliquum corpus eſſe in ſuperiore nubis parte, cœlum verſus. At rectius cenſent alii Deum in forma humana illis apparuiſſe, & in ſpeciem magnifici Principis, & Legiſlatoris, qui viſus ſit habere pedes, & ſub eis Sapphirinum ſcabellum. Ita Lyranus noſter, quem ſequuntur Cajetanus, aliique Recentiores.

Nec obſtat quod Deuteronomii quarto verſ. 15. Moſes Iſraelitas alloquens dicat: *Non vidiſtis aliquam ſimilitudinem, in die qua locutus eſt vobis Dominus de Horeb in medio ignis: ne forte decepti faciatis vobis ſculptam ſimilitudinem*; hæc enim verba non ad illos 70. Seniores dirigebat Moſes, ſed ad univerſum populum, cujus infirmitati & imbecillitati conſulere illa ratione voluit Deus; quia cum eſſet ad idololatriam pro-

nus, ſi vidiſſet in illa nube aliquam ſimilitudinem hominis, aut animalis, illius formaſſet Idolum; quod periculum non erat in Aarone, ejuſque filiis, ac ſeptuaginta Senioribus, utpote viris ſapientibus & unius veri Dei cultui imprimis addictis.

Quod autem illi revera divinam majeſtatem conſpexerint ſub aliqua ſenſibili forma, confirmatur ex eo quod adjicit Moſes *verſ.* 11. nihil damni contigiſſe illis ſpectatoribus Dei majeſtatis; quamvis enim paulo poſt Dominus Moſi dixerit: *Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo, & vivet*; unde olim communis fuit ſenſus, eum qui Deum videret, ſtatim morte percutiendum eſſe, ut legitur *Judicum* 13. *verſ.* 22. & alibi. Impune tamen id iſtis fuit, quia juſſa Dei de non appropinquando ad montem, altius impleverant; unde cum dixiſſet Moſes: *Nec ſuper eos qui procul receſſerant de filiis Iſrael*; addit: *Comederunt ac biberunt*, ſuis ſcilicet locis atque temporibus, ſicut cæteri, quibus nihil mali acciderat; neque enim eos in monte comediſſe, aut bibiſſe, ſignificat Moſes, cum paulo antea fuiſſent pranſi. Nec eſt quod dicas hæc eſſe intelligenda de cæteris Iſraelitis, non vero de ſenioribus; nam ex narrationis contextu, manifeſtum fit hæc eſſe dicta de iis, qui cum Moſe in montem aſcenderant; unde Paraphraſtes Chaldæus vertit: *Principibus autem filiorum Iſrael nullum fuit incommodum*.

Abſoluta autem hac divina manifeſtatione, Moſes cum comitibus ad populum deſcendit; cujus argumentum eſt; quod, ut refertur verſ. 12. & ſequentibus hujus capitis, juſſus ſit Moſes iterum in montem aſcendere cum Joſue ejus miniſtro, quodque ſenioribus dixerit: *Expectate hic donec revertamur ad vos* (nempe Joſue & ego) *habetis Aaron & Hur vobiſcum, ſi quid natum fuerit quæſtionis, referetis ad eos*.

Ea his enim apparet Moſem & Seniores tunc ſtetiſſe cum Iſraelitis, circa radices montis Sinai, dum hæc diceret, nimirum ut Aaronem & Hur conſtitueret ſupremos Iſraelitarum Judices, qui ejus abſentis vices implerent in componendis majoribus populi litibus & controverſiis; cum enim totis quadraginta diebus abeſſe deberet a populo, neceſſum erat ut interea omnia pacifice componerentur.

Moſes itaque una cum Joſue in montis medium aſcendit, ſtatimque *operuit nubes montem, & habitavit gloria Domini ſuper Sinai, tegens illum nube ſex diebus: erat autem ſpecies gloriæ Domini, quaſi ignis ardens ſuper verticem montis*.

Quærit Abulenſis præſul quid egerit Moſes illis ſex diebus quibus in monte cum Joſue hæſit, & unde paſtus fuerit?

Reſpondet illum cum ſocio deditum fuiſſe divinæ contemplationi, ac ſeſe præparaſſe ad ineundum cum Deo colloquium: paſtum vero eſſe manna circa montem depluente, & potatum aquis e monte ſcaturientibus, atque in torrentem ad montis radices defluentibus. Verum cenſeo quidem ſex illis diebus Moſem totum quidem deditum fuiſſe divinæ contemplationi, ſed omnino jejunum, qualis ſtetit per quadraginta dies, quibus Dei colloquio fruebatur; ait enim, Deuteronomii nono capite v. 9. *Perſeverans in monte quadraginta diebus & noctibus panem non comedens, & aquam non bibens*. Idem de Joſue dicendum; illos videlicet protegente, & fovente Deo.

Cum igitur Moſes ſex diebus ſic hæſiſſet in medio montis nube circundatus, ſeptimo die vocavit eum Deus *de medio caliginis* in cacumen montis; ubi, relicto Joſue in montis medio, ſtetit quadraginta diebus; comprehenſis, nimirum illis ſex, quibus hæſerat in medio montis, ut colligitur ex Deuter. cap. 9.

Cum itaque Moſes in montis vertice conſtitutus, admiſſus eſſet ad familiare cum Deo, ſeu cum Angelo, Dei vices agente, colloquium; poſt exceptas morales, & judiciales leges, quibus Iſraelitæ ad vitam probe & pacifice inſtituendam informarentur: excepit eas, quæ ad Dei cultum debite & religioſe perſolvendum conducerent: illæ autem referuntur in capite ſequenti.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XXV.

Cum cunctis hominibus inſitum ſit a natura numen aliquod eſſe colendum, illiſque ab ipſo mundi exordio ſacrum fuerit, non ſolum ſolemnes aliquos dies feſtos, ſed & particularia loca illi divino cultui deſtinare, in quibus una convenientes, debitum Deo honorem laudibus, & ſacrificiis perſolverent; ut hoc divino ſolamine ſuas inter diuturnæ & laborioſæ peregrinationis conflictationes, recreari poſſent Iſraelitæ, atque ad divinum cultum religioſius exequendum ſtimulari; voluit Deus ut conderetur Tabernaculum inſtar mobilis templi, in quo ipſe velut in palatio reſideret, ſupplicantium exaudiret vota, ſibique debitum honorem per victimarum immolationem exciperet. Qualis autem deberet eſſe hujus Tabernaculi conficiendi materia & forma, quæque in eo deberent recondi; hoc in capite, & duobus ſequentibus declarat Deus.

Itaque Moſi jubet. I. Ut Iſraelitas hortetur ad ea voluntarie & libere offerenda, ex quibus confici poſſent tam Tabernaculum ipſum, quam Arca fœderis, & vaſa omnia, quibus opus erat ad ſacra facienda. II. Præſcribit iſtius Tabernaculi conſtruendi formam juxta ſimilitudinem illius, quod erat ipſi monſtratutus. III. Mandat fieri arcam de

lignis Setim auro circumductis, aurea corona ornatam, & ſuperrectam propiriatorio, duobus Cherubinis ſuffulto. IV. Mandat fieri menſam auream, vaſa ſacra, & Candelabrum aureum ſeptem lucernis diſtinctum; quæ omnia paucis diſcutienda ſunt.

Primo itaque, Moſi jubet Deus ut ab Iſraelitis excipiat ea quæ prompto & religioſo animo offerrent tam ad Tabernaculi, quam ad ſacrorum vaſorum confectionem, ex iis quæ vel ex Ægypto ſecum aſportaverant; vel quæ tulerant ex profligatorum Amalecitarum ſpoliis. Licet autem hæc jure & auctoritate exigere poſſet, maluit tamen liberaliter & voluntarie offerri; ut rebus oblatis offerentium voluntas, quam ipſemet inſpirabat, pretium & meritum adderet, Deus enim nihil requirit ex triſtitia & neceſſitate: ſed hilarem datorem diligit, inquit Apoſtolus.

Illa vero tanta largitate & profuſione populus largitus eſt, ut neceſſum fuerit præconis voce prohiberi ne ultra conferrent, ſicut apparet infra *cap.* 36. Hæc autem offerenda vocat Deus *primitias*, vel, quod prima eſſent quæ Iſraelitæ ad ejus cultum conſerebant: vel quod res illæ eſſent pretioſiſſimæ, utpote aurum, argentum &c. vel, quod in gratiarum actinnem pro tot acceptis beneficiis primitiarum inſtar, in ſacros uſus conſignsrentur. Bona autem quæ ad id offerri præcipit Deus, ſunt,

I. *Aurum*, & *argentum*, & *æs* quæ metallorum omnium ſunt pretioſiſſima; æs enim Ægyptiacum ad auri fulgurem & pretium proxime accedit.

II. *Hyacinthus* quo nomine tria ſignificantur. 1. Flos qui violæ colorem refert. 2. Gemmam ejuſdem coloris & ſplendoris. 3. Lanam violaceo, ſeu cæruleo colore tinctam, quo ſenſu hic accipitur; velum enim ex lana & filis ſericis hoc colore tinctis fieri debuiſſe apparet ex cap. 35. verſ. 25. Idque confirmatur ex Numer. 15. ubi Iſraelitis imperat Deus, ut vittam Hyacinthinam inſererent fimbriis veſtimentorum ſuorum, quatenus per illum cæruleum colorem eſſent memores mandatorum ſibi cœlitus & divinitus præſcriptorum.

III. *Purpura*, id eſt pannus purpurei coloris. Eſt autem purpura concha marina cujus in faucibus, teſte Plinio, continetur liquor, qui ad nigricantis roſæ ſimilitudinem ſplendore ſublucet, tingendiſque veſtibus aptiſſimus & gratiſſimus eſt; unde antiquitus, & etiamnum ex panois illo colore tinctis fiunt Regiæ veſtes.

IV. *Coccus bis tinctus*. Coccus vero, referente Dioſcoride, eſt frutex ſimilis ilici, granum proferens in quo generantur vermiculi rubri coloris, qui contuſi ſanguinem emittunt valde rubicundum; qui idcirco Latine vocatur *Vermiculus*, gallice *vermillon*. Unde Deus Iſaiæ 1. verſ. 18. *Si fuerint peccata veſtra rubra quaſi vermiculus &c.* In eo autem ſanguine bis tinguntur lanæ ut magis rubeant; diutiuſque colorem acceptum ſervent.

V. *Byſſus*, hoc eſt, linum candidum & tenuiſſimum, vel goſſypium, Gallice *coton*, quod naſcitur in nuce ejuſdem nominis arbuſculæ valde frequentis in Ægypto & Palæſtina ex qua lanugine fiunt telæ ſicut ex lino. At hic, byſſum, telam ex lino, non ex goſſypio confectam ſignificari ſpparet ex ſequenti *cap.* 39. *v.* 28. ubi in Hebræo textu *Byſſus* vocatur linum. Voluit autem Deus ex his quatuor Tabernaculum confici; quia, inquiunt S. Hieronymus, Joſephus, Philo, Theodoretus & alii, cum Tabernaculum ſpeciem mundi referret, quatuor prædicta repræſentabant quatuor elementa. Ex aqua enim purpura; byſſus e terra naſcitur; Hyacinthus, qui ſubobſcuro colore ſplendet, aerem; coccus autem ignem referebat; nimirum ut ſicut mundus ex quatuor elementis, ſic Tabernaculum quatuor coloribus elementa referentibus conſtaret.

VI. *Pilos caprarum*, e quibus fiebant telæ, imbribus ferendis accommodatæ, quia non tam cito aquam imbibunt. *Cilicinæ* autem dicebantur, quia ex pilis erant confectæ, exterius tamen pulchræ erant & concinnæ, unde mulieres peritæ hos pilos oeviſſe dicuntur, cap. 35. verſ. 25.

VII. *Pelles arietum rubricatas*; hoc eſt, pelles rubro colore tinctas: pelleſque *Ianthinas*, id eſt, violacei coloris: viola enim, Græce dicitur ἴον ἄνθος autem florem ſignificat. Hebræus autem Textus loco *Ianthinas* habet *Thehaſchim*. Cujus autem animalis fuerint illæ pelles, diſquirunt Interpretes. Rabbi Salomon ſcribit, *Beſtia eſt quæ ſolum ea tempeſtate inveniebatur, quæ plurimas habebat maculas; ideo Chaldaice vocatur Saſgona, quaſi gaudens in coloribus*. R. David Kimki, *Dicunt RR. Tachaſech animal tantum in diebus Moſis fuiſſe, & mundum, habuiſſeque multos colores: unde & Onkelus vertit Saſgona, id eſt, lætans & gaudens in multis coloribus ſuis*: & in alio commentario, *Saſgona vocatur a ſex coloribus quos habet*.

Sententia autem receptiſſima eſt, animal illud fuiſſe *Taxum*, ſeu *Melim*, quod eſt valde aſperum, mordax & mellis avidum; atque propterea alvearibus infeſtum; ac ideirco *mellim* dictum, magnitudine vulpis; pelles enim mellinæ inſerviunt ad involvendum & obtegendum. Unde referente Gernero, hoc etiam tempore ex Taxi, Melliſque pelle conficiuntur ſacci, eiſque Paſtores perſæpe utuntur, ut a ſeipſis pluvias arceant.

Opportunæ autem erant hujuſmodi pelles ad Tabernaculum, omniaque ſacra vaſa operienda, ſicut & ad tegendam Hyacinthinam veſtem Sacerdotalem, ut patet *Numer.* 4. *verſ.* 6. & 9. Scribit Joſephus Ianthinas pelles, ſicut & rubricatas, fuiſſe ex ovibus ſolo colore diſtinctas; ita ut Ianthinæ, in hoc cum Hyacinthinis in colore convenirent, utriuſque enim color aereus erat & cæruleus: ſed cum hoc diſcrimine, ut ſcribit S. Hieronymus, quod Hyacinthinus color magis temperatus ſit albo, Ianthinus vero nigro.

VIII. *Ligna Setim*; cujus autem Arboris fuerit lignum iſtud, non conveniunt Hebræi Doctores; ſunt enim qui cum Dioſcoride Cedrum, alii piceam, alii buxum dicant; Aben-Ezra exiſtimat lignum iſtud erevisse circa montem Sinai ex quo Iſraelitæ tabernacula ibi fixa fabricarint: Eis ſubſcribunt Fagius & Vatablus. At S. Hieronymus in *verſ.* 18. *cap.* 3. *Joel* ſcribit: „ *Setim* eſſe genus arboris in eremo, ſpinæ albæ ſimile „ colore & foliis, non magnitudine. Sunt „ enim tam grandes arbores ſetim, ut latiſ- „ ſima ex illis tabulata cædantur; lignum- „ que fortiſſimum eſt & incredibilis levita- „ tatis ac pulchritudinis, ita ut ex his etiam „ vaſa torcularia ditiſſimi quique ac ſtudio- „ ſiſſimi faciant. *Ita S. Hieronymus*, qui ſimilia habet in verſ. 19. cap. 41. Iſaiæ.

Sunt tamen qui exiſtimant ligna ſetim intelligenda eſſe de ſpina Ægyptia, quæ ſicut & Indica, nigra eſt, & ita ebenum imitatur, ut ad eam proxime accedat, eſtque duriſſima, imputribilis, & in aquis incorruptibilis. Quidquid ſit, certum eſt lignum ſetim fuiſſe alicujus pretii, & non ubique obvium. Nam ſi facile potuiſſet comparari, non erat cura populo illud exquireret Deus; Moſes enim ad iſtud exſcindendum & aſportandum potuiſſet fabros lignarios deſtinare.

Itaque facile in eorum ſententiam deſcendo, qui ligna illa ex Ægypto fuiſſe ab Iſraelitis allata, ſeu in uſum ſuorum Tabernaculorum, ſeu ob ligni raritatem; quod cum paratum eſſet & ſiccum, aptius erat ligno viridi, aut recens exſecto, ad Tabernaculi & Arcæ fœderis conſtructionem. Quemadmodum enim hoc tempore aſſervantur ligna quæ ſunt alicujus pretii, quæque inſerviunt ad conficiendam pretioſiorem ſupellectilem, qualia ſunt ligna Indica variarum ſpecierum; ita veriſimile eſt ab Iſraelitis ligni illius exquiſiti partes quaſdam aſſervatas ſuos in uſus, quas tamen ad Tabernaculi, atque in eo contentorum conſtructionem lubenti animo contulerint.

IX. *Oleum ad luminaria concinnanda*; *aromata in unguentum, & thymiamata boni odoris*. Oleum quidem ad uſum luminarium ſeu lychnuchorum, aut lampadarum manu periti artificis concinnatarum; quæ ut arderent & lucerent, oleo implebantur. *Aromata* vero in unguentum, & in thymiamata; hoc eſt, ex quibus fieret compoſitio thymiamatis, ſeu ſuffimenti boni odoris.

X. *Lapides Onychinos*; ſeu, ut vertunt LXX. Interpretes, *Sardios* qui cum Onychibus ſpecie conveniunt; & ex utriuſque coitu putant Gemmarii Sardonychem fieri. Addit Deus: *Et gemmas ad ornandum Ephod, ac Rationale*. LXX. autem Interpretes vertunt *lapides in ſculpturam*; ſic enim vocantur gemmæ quæ auro vel argento includi ſolent, ut apparet in annulis qui pretioſis lapidibus ornantur.

Voluit itaque Deus hæc ab Iſraelitis liberrima voluntate offerri ad conſtructionem Tabernaculi, in quo ſpeciali præſentia habitaret ipſe, & coleretur a populo. Tot autem providit ſpecies rerum quæ ad hujuſmodi confectionem eſſent utiles, ut quiſque ad id poſſet aliquid conferre, nec eſſet qui prætexeret inopiam & egeſtatem; cum non ſolum pretioſa, ut aurum & argentum; ſed etiam vilia, ut pelles arietum & caprarum, acceptare vellet Deus, non tam rationem habiturus doni, quam dantis animi & devotionis.

Neque tantum Deus cenſuit deſignandam & parandam materiam, ex qua tam Tabernaculum quam in eo continenda conficerentur; ſed inſuper formam præſcribere & determinare voluit. Etſi enim res illæ eſſent corporeæ, & humano artificio fabricandæ, noluit tamen earum conſtructionem Moſis arbitrio relinqui: & licet ille Dei voce edoctus potuiſſet omnia, ut præſcripta erant, exequi; attamen quia illa rerum cœleſtium & in nova lege futurorum myſteriorum imagines & figuræ eſſe deberent; idcirco Deus, qui ſolus poteſt efficacem ſignificationem rebus corporeis indere reſpectu cœleſtium & ſpiritualium, oculis Moſis voluit objicere archetypum ad quod totum opus debuit exigi; quamobrem ait verſ. 9. *Juxta omnem ſimilitudinem Tabernaculi, quod oſtendam tibi, & omnium vaſorum, in cultum ejus: ſicque facietis illud.*

Ex quibus apparet a Deo Moſi oſtenſum exemplar earum omnium rerum quas ad ſui cultum fabricari volebat; nempe, inquit S. Stephanus Act. 7. verſ. 44. *Ut faceret Moſes ſecundum formam quam viderat*. Quod etiam indicat Apoſtolus qui de divino hoc mandato Moſi dato ait: Deum illi dixiſſe: *Omnia facito ſecundum exemplar, quod tibi oſtenſum eſt in monte*. Hinc eſt quod artifices illorum operum implevit Deus ſuo Spiritu, ut refertur infra *cap.* 31. ne tantillum ab exemplari aberrarent.

His univerſim de Tabernaculo præſcriptis, cujus figura & partes delineantur capite ſequenti, proſequitur in hoc Moſes deſcriptionem præcipuarum rerum, quæ ad divinum cultum in illo debebant contineri. Orditurque ab *Arca fœderis*, cujus deſcribit. I. *Materiam*, nempe ut fieret de lignis Setim, de quibus dictum eſt ſupra. II. *Menſuram*, nimirum, ut ſit longa duobus cubitis cum ſemi: lata & alta uno cubito cum dimidio. In more namque poſitum fuit apud veteres, ut rerum menſuras inſtituerent ad proportionem corporis humani, juxta quam etiam uſi ſunt iiſdem vocibus; ut, quæ eſt proportio digiti ad palmum, palmi ad pedem, pedis ad cubitum humanum, eadem ſit proportio menſurarum quæ iiſdem nominibus appellantur; ita ut palmus contineat quatuor digitos, pes quatuor palmos, cubitus pedem cum dimidio, id eſt digitos viginti quatuor.

III. Juſſit Deus ut Arcæ lignum intus, & extra obduceretur lamina aurea, ita ut nihil ligni appareret, ſed tota videretur aurum puriſſimum.

IV. Ut ornaretur in circuitu corona aurea, quæ inſtar limbi Arcam ambiret, & aliquantulum ſuper eam aſſurgeret, ita ut operculum Arcæ, ſeu propitiatorium corona illa etiam concluderetur.

V. Juſ-

V. Juſſit ut in iſtius Arcæ quatuor angulis adiicerentur annuli aurei, quibus vectes duo ex lignis ſetim, ſed laminis aureis obducti ita infererentur, ut inde extrahi non poſſent, quatenus illa Arca facilius aſportaretur a Sacerdotibus; oeque enim decebat eam plauſtro trahi aut vectari.

Quoniam autem Arca illa capax erat quæ aliquid contineret, noluit Deus illam eſſe vacuam; quamobrem verſ. 16. addit: *Poneſque in Arca teſtificationem quam dabo tibi*; hoc eſt legem ſeu decalogum duabus tabulis lapideis inſcriptum; Les enim ſæpiſſime *Teſtimoniam* dicitur, quia per eam teſtatur Deus id quod vult ab hominibus fieri; unde hæc Arca in Scriptura ſæpiſſime dicitur, *Arca teſtimonii*; Appellatur pariter *Arca fœderis*, quia continebat eam Legem quæ data fuerat ut medium initi fœderis Deum inter & Iſraelitas.

Hæc egregie esponit Joſephus: „ Ex utro-
„ que, *inquit*, longiore latere inerant annu-
„ li aurei duo, totum lignum penetrantes,
„ & per eos vectes aurati utrimque trajecti,
„ ut quoties opus eſſet, quocumque tranſ-
„ portari poſſet; neque enim a jumentis
„ vehebatur, ſed Sacerdotum humeris trans-
„ ferebatur. Facta eſt hæc Arca, ut in ea
„ ſervarentut duæ tabulæ Legis, quas Do-
„ minus dedit Moſi, & inde dicta eſt *Arca*
„ *fœderis*, quod in ea eſſet Lex, per quam
„ Dominus ſœdus percuſſerat cum Hebræis,
„ ſe ſore eorum Deum, & beneſacturum
„ eis, ſi Legem ſervarent, Exod. 24. *Scribe*
„ *tibi hæc verba, quibus & tecum, & cum*
„ *Iſrael pepigi fœdus &c.*

VI. Præſcribit Deus ut fiat *Propitiatorium* de auro puriſſimo, quod LXX. Interpretes vocant *Superpoſitum*, nempe ſupra Arcam ſeu Arcæ operculum, ejuſdem cum Arca longitudinis & latitudinis, & ei cardinibus connesum, *Nalla ex parte ei prominens*, inquit Joſephus mox laudatus.

Unde falluntur Interpretes illi qui volunt propitiatorium fuiſſe promiuens & elevatum ſuper Arcam, atque manibus vel alis Cherubim ſuſtentatum; quod utique prorſus abſurdum videtur; nam inde eſſet conſequens vel Arcam illam patuiſſe ſuperne; vel certe duplex babuiſſe operculum. Primum affirmari nequit, alioqui Arca, ſicut & Lex in ea recluſa pulveri, aliiſque ſordibus fuiſſent obnoxiæ. Multo minus ſecundum, cum Scriptura ſacra unius duntaxar operculi meminerit: Et hujus cap. verſ. 20. nec non Levit. 16. verſ. 2. Arca dicitur tecta, ſeu cooperta propitiatorio; idque indicat hebræa vos *Capporet* quæ proprie ſignificat opertorium, quam Vulgatus Interpres *propitiatorium* appellat, quod Deus ibi reſidens & loquens propitium ſe exhibebat in condonandis pœnitentis populi peccatis; quia dum peccata condonantur, quaſi obteguntur & obliterantur; unde David Pſalm. 131. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.*

At, inquies, dicitur Deus ſediſſe ſuper Cherubim, & Arcam ſuiſſe ſcabellum pedum ejus, 1. Paralipp. cap. 28. verſ. 2. unde Pſalmo 98. *Adorate ſcabellum pedum ejus*, id eſt, procidite coram Arca; ſupra quam reponuntur pedes Dei, qui in Cherubinorum alis velut in Throno ſedet. Oportuit ergo propitiatorium ſuiſſe altius Arca; quia ſi Arcæ duntaxat ſuiſſet operculum, non potuiſſet eſſe ſedes Dei, & Arca ſcabellum pedem ejus.

Verum ſacilis eſt ad hæc reſponſio; cum enim ſuas Cherubini haberent alas expanſas & invicem conjunctas ſupra propitiatorium, Deus in illis, velut in throno reſidebat; unde David de Deo dicit: *Qui ſedes ſuper Cherubim*; pedes autem ejus in Arca ut in throni ſcabelln quieſcebant.

Propitiatorium illud dicebatur etiam *Oraculum*, quod ibi Deus ad conſulentium petita reſpooderet, ſuaſque inde voluntates hominibus indicaret, ut refertur hic verſ. 22. ubi Deus Moſi ait: *Loquar ad te ſupra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim*. Nec Numerorum 7. his verbis: *Cumque ingrederetur Moſes Tabernaculum fœderis ut conſuleret oraculum, audiebat vocem loquentis ad ſe de propitiatorio, quod erat ſuper Arcam teſtimonii inter duos Cherubim.*

VII. Addit Deus eſſe duos Cherubim aureos & productiles conficiendos, & conſtituendos eſſe in utraque patte oraculi, qui ſe mutuo reſpicientes, alas ſuas ſuper oraculum expanderent, illudque operirent. An autem affixi eſſent propitiatorio; vel an ſteterint in pavimento, ſeu inſeriori parte Arcæ, unde aſſurgentes alis ſuis propitiatorium tegerent & cooperirent, difficile eſt ſtatuere. Probabilior tamen mihi videtur eorum ſententia qui cenſent Cherubinos illos affiſos ſuiſſe propitiatorio, & inſtitiſſe ut expanſis ſuis alis, partim illud tegerent, partim veluti thronum Deo præberent.

Quæ autem ſuerit illorum Cherubinorum figura, cum non expreſſerit Moſes, inde Interpretes diverſas eunt in ſententias. Philo Judæus, ait illa ſuiſſe ſymbola ſtellatæ cœlorum Sphere, quam ultimam putat, ac propterea Dei thronum & ſanctuarium; ſed quæ fuerit eorum ſpecies, non exprimit. Joſephus ait: *Animantia ſunt volucria, nova ſpecie, nec unquam cuiquam hominum viſa, quæ Moſes in Dei ſolio viderat figurata.* E Chriſtianis plurimi ſunt, qui putant Cherubinos illos ſimiles ſuiſſe iis, quos poſtmodum vidit Ezechiel, varias referentes formas, ſcilicet faciem Hominis, Aquilæ, Leonis & Vituli; nimirum ut eſſent ſymbola divinitatis eis inſidentis, ſignificarentque Deum eſſe celerem ad beneſaciendum & parcendum, tardum vero ad pœnam & vindictam; homo namque bonitatis eſt ſymbolum; aquila celeritatis, Leo vindictæ; bovini pedes, tarditatis.

At probabilior mihi videtur illorum ſententia, qui Cherubinos illos effigiatos dicunt ad formam & figuram pueri; vox enim *Cherub*, ſecundum Hebræos, eſt nomen compoſitum ex littera ſervili כ *caph*, & *rub*, quæ ſimul junctæ ſignificant ſicut puer, ut exponit R. Kimki.

Adde

Adde qnod Deos & Angeli bominibus ſemper appatuerint forma humana, non brutorum: ac proinde veriſimile eſt Moſem Cherubinos propitiatorii potius ad formam humanam figuraſſe, quam ad aliam.

At, inquies, Cherubini quos vidit Ezechiel, diverſas habebant facies. *Reſpondeo*, Cherubinos propitiatorii non omuino ſimiles ſuiſſe propheticis ſeu hieroglyphicis: hi mentales etant, illi materiales: Moſaici duas habebaut alas, Ezechielis, quatuor: illi unicam faciem; hi quatuor diverſas: Illi ſolum faciem & alas; hi alias corporis partes; nam planta pedis erat quaſi planta pedis vituli. Cherubini autem propitiatorii ſola facie humana præditi, caruerunt cæteris corporis partibus, quod illæ ad Dei thronum conſtituendum, & propitiatorii operimentum eſſent inutiles. Addit Rabbi Salomon, duos illos Cherubinos diverſi ſexus habuiſſe faciem; unum maris, alterum feminæ; cui ſubſcribit Arias Montanus Libro de Noe, ubi agit de propitiatorio; at veritas illa ſit penes Auctores.

His itaque omnibus inſtructa & ornata illa fœderis Arca, apud Iſraelitas permanſit uſque ad captivitatem Babylonicam: quo tempore, ſicut refertur lib. 2. Machabæorum *cap.* 2. *verſ.* 4. Jeremias Tabernaculum & Arcam juſſit ſecum deportari in montem Nebo; ubi inveniens ſpeluncam, in eam illa depoſuit, & oſtium obſtruxit. Cum autem quidam acceſſiſſent ut locum notarent, invenire non potuerunt; quamobrem eorum curioſitatem & audaciam culpans Jeremias, ait: *Ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat; & tunc Dominus oſtendet hæc.*

Unde quæritur utrum Arca illa poſt captivitatem Babylonicam innotuerit, extiteritque in Templo ſecundo, quod Nehemias, Zorobabel, aliique e captivitate Babylonica reduces conſtrui, aut ea veteri reſtaurari curarunt. Rabbi Jarki in primum caput Aggæi Prophetæ dicit quinque in illo ſecundo Templo defuiſſe: ſcilicet Urim & Thummim, ignem ſacrum, Spiritum-Sanctum & *bechina*; quo poſtremo nomine ſignificat Dei præſentiam, qui maxime reſidebat in propitiatorio, ex quo divina fundebat Oracula. Addit Rabbi Abarbanel, in eundem Aggæi reatum, non ſolum quinque illas res defuiſſe in Templo ſecundo: „ Nam &
„ candelabrum & menſa, & omnia vaſa
„ Tabernaculi, & aulæa, & ejus aſſeres,
„ cum reliquis, quæ Moſes fecit in deſerto; Urnula item Mannæ, Virga Aaro-
„ nis, & Oleum unctionis; hæc, inquam,
„ omnia abſcondita fuerunt, neque redie-
„ runt in Templo ſecundo. Hoc vero ideo
„ factum eſt, quia non conveniebat, ut illis
„ Tabernaculi vaſis, quæ Moſes pro Iſrae-
„ litis fecerat, uterentur in captivitate, ſed
„ quando Iſraelitæ omnes eſſent in terra ſua.
„ Ideo cum major pars Tribuum erant in
„ captivitate, neque reverſæ fuerant, par
„ non fuit, ut paucæ Tribus reverſæ iis
„ uterentur. Sic quia Oleum unctionis ſa-
„ cræ proprium fuit Regum de domo
„ Davidis, abſconditum manet, donec
„ Regnum revertatur ad domum ſuam.
„ Quinque autem rerum deficientium dum-
„ taxat mentionem faciunt Sapientes noſtri,
„ quia illæ erant univerſales, populo neceſ-
„ ſariæ, & fundamenta totius ſanctitatis
„ Templi, divinitatiſque ejus. *Hæc ille.*

Dices I. Auctor Libri 4. Eſdræ cap. 10. verſ. 21. & 22. ſcribit: *Vides quoniam ſanctificatio noſtra deſerta effecta eſt, & altare noſtrum demolitum eſt, & templum noſtrum deſtructum eſt, & pſalterium noſtrum humiliatum eſt, & hymnus conticuit, & exultatio noſtra diſſoluta eſt, & lumen candelabri noſtri extinctum eſt, & Arca Teſtamenti noſtri direpta eſt, & Sancta noſtra contaminata ſunt, & nomen quod invocatum eſt ſuper nos, pene profanatum eſt.* Igitur Arca illa ſimul cum aliis Salomonici templi vaſis & ornamentis aſportata fuit a Babyloniis.

At ea Lib. 1. Eſdræ cap. 1. Cyrus Rex Hebræos e captivitate ſolvens, eoſque remittens in patriam, eis reddidit *omnia vaſa Templi Domini quæ tulerat Nabuchodonoſor de Jeruſalem, & poſuerat in Templo Dei ſui:* Igitur pariter Arcam reddidit.

Reſpondeo I. Libros tertium & quartum Eſdræ jam ab omnibus haberi ut apocryphos, ac proinde nullius eſſe auctoritatis. II. Quæ reſtituta ſunt Cyri mandato vaſa ſacra, ibidem recenſentur *verſ.* 9. & ſequentibus. Porro in eis nulla fit mentio Arcæ fœderis, menſæ ſacræ, altaris incenſi, & Tabernaculi; igitur exinde colligi non poteſt hæc cum aliis ſacris vaſis fuiſſe deportata in Babyloniam, & inde Jeroſolymam reportata, & in Templo ſecundo repoſita.

Dices II. In Templo ſecundo offerebantur ſacrificia præſcripta ſecundum diverſas feſtorum ſolemnitates; ex iis autem unum erat, ut in feſto capratıonu.o, ſanguine Juvenci aſpergeretur propitiatorium ſeu operculum Arcæ; igitur neceſſum fuit ut in illo ſecundo Templo propitiatorium una cum Arca extiterit. *Deinde:* ea Hiſtoria Evangelica, in illo Templo ſecundo extabat velum, partem Templi ſanctam a Sancto-Sanctorum diſtinguens, hocque abſcondens, ut conſtat præſertim Matthæi 27. verſ. 51. ubi legitur quod moriente Chriſto: *Velum templi ſciſſum eſt in duas partes a ſummo uſque deorſum.* Igitur neceſſe eſt etiam in illo Sancto Sanctorum fuiſſe Arcam; hoc enim nomen locus ille ratione Arcæ & propitiatorii ſibi vindicabat.

Reſpondeo I. Communem Hebræorum traditionem eſſe, quod licet in Templo ſecundo non extiterit Arca; nihilominus cum adhuc ex priori Templo permanſerit lapis ingens, in quo repoſita fuerat, eam Summi Pontifices, ſanguine Juvenci & Hirci in die expiationis aſpergebant, quemadmodum fieri ſolebat coram propitiatorio, dum ibi extabat, ut docet Rabbi Levi Ben Gerſon, in caput 16. Levitici verſ. 3. cui ſubſcribit Rabbi Aaron, Ben Chaiin in ſuo commentario, ad eumdem Textum Levitici.

Reſpondeo II. Nonnullos Hebræorum Doctores exiſtimare cum Auctore Libri *Coſri*, a vi-

Digitized by Google

a viris domus ſecundæ, ſeu ſecundi Templi, aliquid in ea parte Sancti Sanctorum repoſitum, quod vicem Arcæ ſuppleret: *Conſtituerunt*, inquit, *in loco Arcæ ſtructuram quamdam, coram qua ſuſpenderunt velum, ut ſcirent ibi repoſitam fuiſſe Arcam.* Nimirum, inquit Rabbi Judaa muſcarus, *ut Sacerdos verſus illud faciem ſuam dirigeret in peragendo cultu.* Fieri etiam potuit ut nova Arca inſtar prioris ibidem reponeretur; quatenus ſacra coram Arca fœderis fieri ſolita, eodem ritu quem Deus per Moſem præſcripſerat, celebrarentur. Utut ſit, conveniunt omnes Hebræi Doctores arcam illam Moſia cura confectam, non extitiſſe in ſecundo Templo, ſed illam, vel a Rege Joſia in crypta ſub eodem loco fuiſſe ſepultam, inſtante Babyloniorum vaſtatione, ut ſcribunt Rabbini, *David Kimki* [a], *Abarbanel* [b], *Bechai* [c], & *Talmud Hieroſolymitanum*: Vel quod verius eſt, a Jeremia abſconditam in monte Nebo, ut teſtatur Auctor libri Machabæorum, & Joſephus Bengorion lib. 1. cap. 17. unde Sebaſtianus Munſterus ſcribit in primo templo fuiſſe iſta quinque, Arcam cum propitiatorio, Cherubim, ignem cœlitus miſſum, Spiritum-Sanctum, Urim & Thummim, quæ non fuerunt in templo ſecundo, quia expectabatur tunc Dominus templi, & verus ille propitiator ſolus hominibus remittit peccata eorum.

[a] *In comment. ſuper cap. 35. lib. 2. Paralip.*
[b] *In cap. 9. Danielis.*
[c] *In legem folio 199.*

Ad ſecundum dico, duplex in templo fuiſſe velum; unum quidem in anteriori templi parte, ubi Sacerdotes ſacra facere ſolebant; aliud vero quod ſanctum a Sancto Sanctorum ſejungebat; ut apparet ex deſcriptione Tabernaculi. Utrumque vero in templo ſecundo conſtituere potuerunt Judæi, ut Tabernaculi & prioris templi majeſtatem & ſanctitatem adumbrarent. Quodnam vero eorum, moriente Chriſto Domino, ſciſſum fuerit, cum Evangeliſta non exprimat, curioſius non eſt inquirendum.

Dices III. Arcam illam fœderis adhuc in templo ſtetiſſe, dum oppugnata & expugnata fuit Jeroſolyma a Veſpaſiano & Tito Romanis Principibus, apparet ex arcu triumphali, in honorem eorumdem Principum poſt debellatos Judæos erecto Romæ, in quo inter cætera templi Hieroſolymitani ſpolia, Arca fœderis etiam repræſentatur, qua de re ſic ſcribit Chriſtianus Adrichomius in deſcriptione Hieroſolymæ, n. 77. „ Porro, inquit, poſt excidium Jeruſalem „ Titus & Veſpaſianus Arcam fœderis, & „ duas Tabulas Legis, cum virga Moſis, „ & virga Aaron, item Menſam auream, „ & panes aliquot propoſitionis, candelabrum quoque aureum, ac quatuor co„ lumnas, e Hieroſolymorum templo Ro„ mam traducta, in celeberrimo, quem inſi„ gni pompa de Judæis egerunt, triumpho, „ tota urbe ſpectante, inter alia ſpolia a „ Judæis portari fecerunt; Simone Gioræ „ filio ſeditioſorum duce, ac ſeptingentis „ Judæis captivis, ſeminudis, manibuſque „ vinctis, triumphatorem & ſpolia præce„ dentibus. Cujus Triumphi uſque hodie „ perenne Romæ, via ſacra juxta pacis tem„ plum, extat monumentum in triumpha„ li arcu: qui eſt ſupra Eccleſiam S. Ma„ riæ novæ, cujus fronti hæc inſcripta ſunt „ verba; *Senatus Populuſque Romanus Divo* „ *Tito Divi Veſpaſiani F. Veſpaſiano Auguſto,* „ *& ob victoriam & perpetuum*... Reliqua ob „ vetuſtatem non poſſunt legi. In quo etiam „ Arca, ex uno quidem latere, ipſum Ti„ tum triumphantem in curru, duobus equis, „ totidemque monocerotibus ducto, conſpi„ cere licet; ex altero vero latere, Arcam „ fœderis, & candelabrum illud ditiſſimum „ ſeptem ramorum, & vaſa Templi, quæ „ ante currum Titi portarentur, inſculpta; „ Triumpho autem peracto, Veſpaſianus „ univerſa Templi Hieroſolymitani vaſa & „ donaria, Romæ in pacis templo, magni„ fice ſplendideque a ſe ædificato, repoſuit: „ Legem vero Judæorum, & propitiato„ rium vaſa purpurea, in palatio condita „ ſervari præcepit: quæ quidem omnia, „ Arca videlicet, auro tamen nudata, Ta„ bulæ Legis, virga Moſis & Aaronis, pa„ nes quoque propoſitionis, ac quatuor co„ lumnæ, Romæ in Eccleſia S. Joannis La„ teranenſia adhuc ſervantur. *Hæc ille.*

Verum quod illuc ante currum Titi portari videtur, non Arcam fœderis, ut dicit Adrichomius, ſed menſam auream in qua reponebantur panes propoſitionis, ſentiunt Vilalpandus tomo 7. in Ezechielem, Abulenſis in hoc 25. Exodi caput, & alii bene multi. Idque confirmatur teſtimonio Joſephi, qui iſtius triumphi Titi fuit ſpectator, ille enim referens ſolemnem illius pompam ſcribit: „ Eminebant quæ apud Hiero„ ſolymam in templo reperta ſunt: pri„ mo loco menſa aurea ponderis talenti „ magni; ſecundo loco erat candelabrum „ ſimiliter auro quidem factum, ſed ope„ re commutato ab uſu noſtri conſuetu„ dine, &c. tertio denique loco poſt hæc „ portabatur Lex Judæorum, noviſſima „ ſpoliorum; deinde tranſibant plurimi, „ victoriæ ſimulachra portantes omnia ex „ auro & ebore facta. *Ita Joſephus.* In cujus orbis nulla fit Arcæ fœderis mentio; ab eo certe non prætermittenda, ſi revera in illo triumpho deportata fuiſſet; maxime cum inter cætera ſacra primarium locum ratione dignitatis, ſanctitatis, & pretii obtineret.

Nec reponere juvat, Joſephum de ea ſiluiſſe, ne tantum dedecus Genti ſuæ inferret; aliorum namque meminit quæ non minus ad ſuæ nationis opprobrium & contumeliam conducebant. His adde, quod ſi ſiluiſſet ipſe, de iis non tacuiſſent Romani Scriptores; quamobrem dicendum arbitror, ea quæ viſuntur Romæ, non tam eſſe Arcæ fœderis partes & fragmenta, quam menſæ ſacræ in qua reponebantur panes propoſitionis: quod etiam ego ipſe judicavi, dum trophæum illud inſpicerem.

VIII. Præceperat Deus conſtruì menſam ex lignis Setim, auro puriſſimo obductam: ejuſdem menſuræ cum Arca, dempto ſemi cubito ſecundum longitudinem, quæ duplici aureo limbo in coronæ modum promi-

nente

uente ornaretur, ne in terram facile deciderent quæ ei debebant ſuperimponi; nimirum panes, qui Hebraice dicuntur *Lechem panim*, hoc eſt, *panis facierum*, quod ſemper eſſent in facie & conſpectu Domini, nempe poſiti juxta Arcam fœderis, ubi Deus oracula promebat. Quamobrem additur v. 30. *Pones ſuper menſam panes propoſitionis in conſpectu meo ſemper*. Huc reſpexerunt & LXX. qui vertunt ἄρτους ἐνωπίους id eſt, *panes præſentes & expoſitos*. Dicunt autem Hebræi *panem facierum*, appellatos, quod quatuor angulis eſſent expreſſi, quos illi *facies* vocant. Sed prior ratio verior eſt.

Panes autem illi non fermentati, erant numero duodecim, juxta totidem tribus Iſraeliticas: nimirum ut eſſent continuæ illorum oblationes: tum ut inde illæ docerentur debere ſe Levitis & Sacerdotibus de neceſſariis ad victum providere. Proponebantur autem ſingulis ſabbatis; & qui ſubmovebantur, cedebant in uſum Levitarum.

Ad hos autem panes continendos, parata erant acetabula, id eſt, ſcutellæ ſeu crateres; erant & phialæ, ſeu vaſcula parva concava quibus panes tegebantur, de quibus audiendus eſt Joſephus, qui cum delineaſſet menſam auream, addit: „ Hæc ſolebat deponi in fano verſus ſeptemptrionalem parietem non longe ab adyto, & in ea diſponebantur duodecim panes non fermentati, ſeni e regione ſibi duobus ordinibus oppoſiti, mundiſſimi, confecti e farina duorum aſſaronum, quæ menſura Hebræorum ſeptem cotylas Atticas continet. Super panes autem ponebantur duæ phialæ aureæ, thure plenæ; poſt ſeptem vero dies alii panes inſerebantur, feſto quod nos vocamus Sabbatum. *Ita Joſephus*.

Menſura autem illa quam *aſſaronem* appellat, fuit Hebræorum Gomor, quo excipiebatur ſingulis diebus manna ſufficiens ad victum cujuſque hominis per illum diem. *Gomor enim* (inquit S. Epiphanius) *erat pars decima menſuræ magnæ, hoc eſt, artabæ, quæ continet ſeptem ſextarios, & quintam ſextarii partem*. Sextarius autem Romanus, novem pendebat libras Romanas, unde colligitur panes illos non fuiſſe modicos.

IX. Juſſit Deus fieri candelabrum ex auro puriſſimo, non *fuſile*, ut vult Joſephus; ſed *ductile*, ut habet ſacer Textus: partibus quinque diſtinctum, plurimis decoratum figuris, & ſeptem lucernis ſplendidum: nam præter baſim habebat ſtipitem, ex cujus medio hinc & inde oriebantur ſex rami, ſeu calami ita artificioſe compoſiti, ut unuſquiſque calamus tres haberet ſcyphos, ſeu calices Amygdalis figuræ, quorum unicuique adjuncta erat ſphærula, cum plurimis lilii floribus. Unicuique calamo addita erat lampas, ſeu lucerna, quæ una cum illa ſtipiti impoſita, ſeptem efficiebant lucernas: quæ (ait Joſephus mox laudatus) totidem repræſentabat planetas cœleſtes; ſicut & tabernaculum ipſum ſpeciem exhibebat totius mundi.

Petes, Cur Deus, qui homines vult humilia ſapere, omnemque faſtum ac ambitioſum apparatum in eis averſatur, tam pretioſum ac magnificum Tabernaculum, ac Templum ſibi conſtrui poſtulaverit?

Reſpondeo, id factum eſſe multis de cauſis. I. Ut homines majorem inde, erga divinam ejus majeſtatem, exiſtimationem & venerationem haberent. II. Ut ſignificaret ſe totius orbis Rectorem ac Dominum, cujus ſunt omnia quæque quantumvis pretioſa. III. Ut populum Iſraeliticum a cogitatione, & recordatione templorum, & ſimulachrorum Ægyptiorum revocaret; nam inquit S. Chryſoſtomus, *Deus videns illos* (Hebræos) *impietatis* (Ægyptiorum) *reliquias ſecum habere, rebuſque omnibus ſub ſenſum cadentibus ad inſaniam uſque addictos, templorumque magnitudinis & pulchritudinis admiratione duci; Templum ab ipſis fieri præcepit, quod materiæ magnificentia, artis elegantia, & ſtructuræ forma cætera omnia per orbem terrarum facile ſuperavit*.

DISQUISITIONES IN CAPUT XXVI.

IN hoc capite & ſequenti refert Moſes delineationem Tabernaculi, cujus tres conſtituit partes; ſcilicet Atrium Sanctum, & Sanctum Sanctorum. Ad *atrium* conveniebant laici, quibus fas non erat ſanctuarium ingredi. Hoc autem erat longum quinquaginta cubitis, & totidem latum, quod ſuis tabulis veluti parietibus, & cortinis ad latera cingebantur; ſuperne vero parebat, ad evaporationem fumi qui e crematis victimis erumpebat.

Duæ autem in eo erant partes; altera *Exterior* pro laicis, qui ibi victimas offerebant, & de iis immolatis epulabantur; *Interior* altera pro Sacerdotibus, & Levitis immolantibus. Extabat enim in hac interiori parte *altare holocauſtorum*, non auro, ſed ære contextum. Erat & *labrum æneum* ubi manus ſuas pedeſque lavabant Sacerdotes & Levitæ rem divinam facturi; nefas enim erat ad ſacra facienda manibus, pedibuſve illotis accedere.

Sanctum viginti cubitos in longitudine habebat, latum vero erat decem cubitis. In eo reconditum erat *Altare thymiamatis* quod Deo adolebatur; ad hujus autem altaris dextrum latus conſtitutum erat candelabrum, ad ſiniſtrum Menſa panum propoſitionis.

Sanctum Sanctorum vero latum & longum erat decem cubitis, unde perfecte erat quadratum. In eo vero repoſita erat *Arca fœderis*

deris continens duas tabulas Legis digito Dei exaratas; ad cujus latus erat Urna repleta manna, quæ per quadraginta annos ſuper Iſraelitarum caſtra pluerat, necnon & Virga Aaronis cum qua tot patrata fuerant prodigia. Diſtinguebatur vero a Sancto per velum ex hyacintho, purpura, coccoque bis tincto, & byſſo retorta opere plumario, hoc eſt diverſi coloris avium plumarum inſtar confecto.

Totum autem Tabernaculum ſeptum erat viginti inauratis tabulis lignorum ſetim in longum porrectis ad Meridiem, & totidem ad Septentrionem, ad Occidentem vero octo habebat tabulas connectentes eas quæ conſtitutæ erant in parte Meridionali & Septentrionali. Patebat autem verſus Orientem, claudebaturque duntaxat velo quinque columnis ex lignis Setim inauratis ſuſtentato; hac enim parte ingreſſus erat in tabernaculum velo elevato.

Illa parietum latera, ſicut & totum tabernaculum exquiſitis aulæis prope terram pendentibus cooperiebantur. His vero adjunctum erat tegumentum ad pluvias arcendas, effictum partim e caprina lana, partim e rubefactis arietum & mellium pellibus.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XXVII.

Vigeſimum ſeptimum caput ſic orditur Moſes: *Facies & altare de lignis Setim, quod habebit quinque cubitos in longitudine, & totidem in latitudine, id eſt quadrum, & tres cubitos in altitudine. Cornua autem per quatuor angulos ex ipſo erunt: & operies illud ære.* In quibus verbis nonnulla ſunt obſervanda.

I. Duo fuiſſe altaria in tabernaculo, unum *aureum* in Sancto-S. in quo Thimiamata offerebantur: aliud *æneum* in atrio collocatum, in quo ſacrificia ordinaria fiebant. Poſterius hoc deſcribit hic Moſes, cujus materiam deſignat, nempe lignum *Setim*, ex quo pariter alia fuerunt in Tabernaculo conſtructa: ne autem lignum hoc abſumeretur igne, jubet Deus illud æneis laminis omni ex parte obduci. Menſuram autem illius altaris diſtincte declarat; nimirum ut tribus cubitis a terra aſſurgeret; longum vero & latum eſſet quinque cubitis, quatenus capax fieret excipiendis victimis.

II. Jubet Deus illius altaris eſſe quatuor cornua per quatuor angulos, de quibus non una eſt Interpretum ſententia; ſiquidem nonnulli exiſtimant cornua illa, non alia fuiſſe, quam quatuor illius altaris angulos; vox enim Hebræa *Keren* tam pro cuſpide, radio, & angulo, quam pro cornu accipitur; ita ut cornua altaris dici poſſint acuminati illius anguli. Verum communior ſententia eſt, cornua illa ab angulis fuiſſe diſtincta, idque colligitur ex verbis textus: *Cornua autem per quatuor angulos in ipſo erunt.* Ubi cornua ab angulis videntur eſſe diverſa, illaque fuiſſe inſtar cornuum tauri e quatuor altaris angulis erecta, quaſi e taurino capite naſcentia. Quod confirmare videtur Amos de altari Bethel constructi ad formam Moſaici ſcribens: *Amputabuntur cornua altaris, & cadent in terram.* Quibus ſignificat, non ipſum evertendum altare nec proinde amputandos illius angulos, ſed aliquid de eo prominens, quod abſciſſum rueret.

Idipſum pariter colligitur ex iis qui ad altare velut ad azylum confugientes; dicuntur apprehendiſſe altaris cornua, Sic 3. Reg. 1. v. 50. *Adonias autem timens Salomonem, ſurrexit & abiit, tenuitque cornu altaris*, & cap. 2. verſ. 28. *Fugit ergo Joab in tabernaculum Domini, & apprehendit cornu altaris* &c. Lippomanus autem mediam ſententiam tenens ſcribit, cornua in quatuor angulis non intelligenda fuiſſe ad ſimilitudinem cornuum bovis aut hirci, ſed Hebraico more radios quoſdam elegantes erectos fuiſſe ſurſum, cum ornamento aliquo pomelli aut lilii: ſicut Moſes non erat cornutus, ſed apparuit radios effundens e facie, ex Dei conſpectu & cum eo colloquio. Utut ſit, certum eſt altare illud fuiſſe magnificum, atque in hoc a Salomonico diverſum, quod hoc longe altius eſſet, habueritque decem cubitos latitudinis, nempe cum ſuis vaſibus.

Ad finem autem hujus capitis præcipit Deus, ut Iſraelitæ Aaroni ejuſque filiis conferrent *oleum de arboribus olivarum puriſſimum, piloque contuſum, ut ardeat lucerna ſemper.* Quibus verbis quatuor de lucernis præcipit Deus. 1. Quo oleo ſint fovendæ, 2. Quo tempore; 3. Ubi collocandæ: 4. A quibus aptandæ. *Oleum*, non quodlibet ad eum uſum imperatur, ſed olivarum, omni abamurca purificatum. *Tempus* erat nocturnum, quo lucernis opus eſt. *Locus* fuit ſecunda pars Tabernaculi extra velum, ubi candelabrum poſitum erat. *Perſonæ* fuerunt Sacerdotes tantum, quia non licebat aliis locum illum ingredi. Veſpere ergo accendebant Sacerdotes lucernas ut tota nocte arderent. Mane vero eas extinguebant ſicut nonnulli colligunt ex his verbis: *Ut uſque mane luceat coram Domino.* Dicit tamen Joſephus ex ſeptem illis lucernis quatuor duntaxat debuiſſe a Sacerdotibus illuceſcente Aurora extingui; tres vero reliquas per integrum diem luxiſſe, quod Tabernaculum tam diu quam noctu undique obvelatum eſſet, nullaſque haberet feneſtras per quas lumen admitteret; quamobrem opus erat ut per diem aliqua lucerna locus ille ſacer illuminaretur. Sed de his plenius in Levitic. ubi ſermo erit de officiis Sacerdotum.

DISQUISITIONES IN CAPUT XXVIII.

CUm in præcedentibus abunde deſcripſiſſet Moſes Tabernaculi, ſacrorumque vaſorum ad Dei cultum deſervientium partes, & ornamenta; rationi conſentaneum erat ut etiam de ſacris Miniſtris ageret. Quamobrem hoc in capite refert ſibi mandatum a Deo, ut ſacris peragendis conſtitueret Sacerdotes; ſcilicet Nadabum, Abiu, Eleazarum & Ithamarem Aaronis filios, ſed patri ſubditos, quibus velut Pontifex Summus præficiebatur.

Unde hujus capitis tres præcipuæ ſunt partes; in quarum *prima* ab initio uſque ad verſum ſextum, deſcribitur quales eſſe debeant ſacerdotalis indumenti materia, forma, & cauſa efficiens. *Materia*, inquam, ſcilicet aurum, hyacinthus, purpura, coccus bis tinctus, & byſſus. *Artifices* fuerunt Beſeleel & Ooliab, eorumque adminiſtri quos, inquit Moſes infra, Deus *erudivit ſapientia, ut faciant opera abietarii, polymitarii, ac plumarii, de hyacintho ac purpura, coccoque bis tincto, & byſſo, & texant omnia, ac nova quæque reperiant*. Quibus verbis ſignificat Deus quod ubi agitur de divino ſuo cultu, nihil humanum ſit admiſcendum; quamobrem voluit opifices tam Tabernaculi, quam ſacerdotalium veſtium cœleſti lumine perfundi, ut apti eſſent ad ea opera quæ ſummum artificium requirebant.

Conditio enim populi in Ægypto ſub dura ſervitute, vix permittebat ut iis artibus operam darent, quæ ad ornatum & magnificentiam faciebant; niſi qui fortaſſe fuerint ab ipſis Ægyptiorum Magnatibus ad id applicati. Præterea locus in quo peregrinabantur, parum commodus videbatur ad opera illa delicata & ſubtilia: oportuit ergo extraordinario aliquo motu & induſtria donari eos, quibus hoc munus incubuit.

Ad *formam* vero, ſicut & ad ſingulas ſacerdotalis, & pontificalis indumenti partes quod attinet, eas in hoc ſicut & in ſequenti capite refert Moſes inverſo tantillum ordine. Siquidem orditur ab *Ephod*, ſive *ſuperhumerale*; deinde deſcribit tunicas hyacinthinas & lineas, balteos, & femoralia. Primum autem induenda erant femoralia; deinde tunica, ſeu ſubucula linea quæ balteo, ſeu zona, aſtringebatur. Accedebat alia tunica hyacinthina, tum ſuperhumerale cui ab anteriori parte annexum erat *Rationale judicii*, ut pars una ſuperhumeralis a tergo, altera a pectore dependeret, & utraque zona erat accingenda. Poſtremo cidaris in capite, & aurea lamina in fronte ſtatuebatur, ut ex capite octavo Levitici perſpicue intelligitur.

Pontificalium, veſtium deſcriptionem orditur Moſes ab *Ephod*, ſeu ſuperhumerali, confecto ex auro ductili, hyacintho, purpura, cocco bis tincto, & byſſo retorta, opere polymito, hoc eſt, varii coloris. Quod his verbis explicat S. Hieronymus; *Auri*, inquit, *laminæ, id eſt, bracteæ mira tenuitate tenduntur: ex quibus ſecta fila torquentur cum ſubtegmine trium colorum, hyacinthi, cocci, purpuræ, & cum ſtamine byſſino, & efficitur palliolum miræ pulchritudinis perſtringens fulgore oculos. Itaque Ephod confectum erat ex filis aureis, & ſericis trium colorum, ex quibus flores, aliæque figuræ mira varietate erant efficta.*

Ad *formam* quod attinet; Veſtis extima erat breviſſima inſtar pallioli, quam Joſephus ſic deſcribit: „ Tertiam veſtem induitur dictam „ Ephodem, Græcanicæ Epomidi perſimi„ lem; fit enim hunc in modum. Conte„ xitur deorſum cubitali menſura, auro va„ riis coloribus intermixto, medium pecto„ ris circumplicatum relinquit, manicisque „ ornata eſt, omninoque ad tunicæ formam „ confecta. *Sic ille:* Optime quidem quantum ad menſuram; at de manicis non omnes conveniunt.

Conſtabat itaque Ephod tribus præcipue partibus, nimirum. I. Ipſo amiculo, pectus & tergus tegente ab axillis uſque ad dimidias nates. II. Humeralibus, ſcilicet partibus, illiſque humeros tegunt ad axillas uſque. III. Cingulo quo duæ Ephodi plagulæ invicem nectebantur. Habebat Ephod, inquit Maimonides in Kele Hammikd cap. 8. quaſi duas manicas egredientes ex eo, per texturam ex utroque latere quibus eum cingebant; & has (manicas) vocat cingulum Ephodi. Habuit igitur Summus Pontifex duo ſuccinctoria. 1. Balteum quo interior tunica ſtringeretur. 2. Ephodi cingulum, quo duæ illæ plagulæ, inſtar duorum ſuccinctoriorum, ad pectus & tergum corpori jungerentur.

Humeralia ſive ſuperiores Ephodi partes invicem nectebantur per duas fibulas aureas, duabus gemmis pretioſiſſimis ornatas, quibus inſcripta erant nomina duodecim Tribuum Iſraeliticarum, ſex nomina in lapide uno, & ſex reliqua in altero: *Juxta ordinem nativitatis eorum*, inquit hic Moſes verſ. 10. Audiendus eſt hac de re S. Hieronymus. *In utroque humero habet ſingulos lapides clauſos & aſtrictos auro, qui Hebraice dicuntur Soom; ab Aquila, & Symmacho, & Theodotione Onychini; a ſeptuaginta Smaragdi transferuntur; Joſephus Sardonicas vocat, cum Hebræo Aquilaque conſentiens, ut vel colorem lapidum (ex rubro ſcilicet alboque temperatum) vel patriam demonſtraret. Et in ſingulis lapidibus ſena Patriarcharum nomina ſunt, quibus Iſraeliticus populus dividitur. In dextro humero majores filii Jacob, in lævo minores ſcripti ſunt, ut Pontifex ingrediens Sancta Sanctorum, nomina populi, pro quo rogaturus eſt Dominum, portet in humeris.* Montanus ait lapides illos

fuiſſe

fuiſſe *Beryllos:* Philo lib. 2. de Monarchia ſcribit: *Duo Smaragdi pretioſiſſimi eminent in ſummis humeris orbiculares, in ſingulis ſinguli, qui hemiſphæria duo nobis innuunt.*

Quadruplicis autem generis Ephod, juxta diverſitatem perſonarum illud portandum, in Scriptura ſacra diſtinguuntur: ſcilicet Pontificale, Sacerdotale, Leviticum, & Laicum. Primum hoc in capite deſcribit Moſes; SACERDOTALIS plerumque Scriptura meminit; præſertim 1. Regum cap. 22. verſ. 18. ubi Doeg Idumæus juſſu Saulis regis *irruit in Sacerdotes, & trucidavit in die illa octoginta quinque viros veſtitos Ephod lineo;* LEVITICUM, ſeu, quo Levitæ induebantur, erat pariter lineum, ut apparet ex eodem lib. 1. Reg. cap. 2. verſ. 18. ubi legitur: *Samuel autem miniſtrabat ante faciem Domini, puer accinctus Ephod lineo.* Samuel vero tunc non agebat perſonam Sacerdotis, ſed Levitæ.

Laicum Ephod appello illud quo laici, præſertim Reges induebantur, quoties vel conſulerent Dominum, vel coram Arca fœderis apparerent: ſic 1. Reg. cap. 30. verſ. 7. *David* inquiſiturus a Deo utrum perſequeretur Amalecitas, qui eo abſente expugnaverant urbem Siceleg, & duas ejus uxores captivas abduxerant; dixit ad Abiathar ſacerdotem: *Applica ad me Ephod. Et applicavit Abiathar Ephod ad David, & conſuluit David Dominum, dicens: perſequar latrunculos hos, & comprehendam eos, an non? Dixitque ei Dominus: perſequere, abſque dubio enim comprehendes eos.* Similiter 2. Reg. cap. 6. cum David juſſiſſet deportari Arcam fœderis e domo Obededom in Jeruſalem, curavit per vias immolari boves & arietes, ipſe vero, ut refertur verſ. 14. *Saltabat totis viribus ante Dominum; porro David erat accinctus Ephod lineo.* David autem non erat Sacerdos, nec Levita; igitur etiam laicis, maxime principibus, liberum erat interdum Ephod portare. Utrum vero inter triplex hoc poſtremum Ephodi genus, diſcrimen aliquod fuerit, difficile eſt ex Scriptura colligere; dicit quidem illa fuiſſe ex lino confecta, ſed utrum aliquo ſuperaddito ornamento Sacerdotalia diſtincta fuerint a Leviticis, & hæc a Laicis, nullibi (quod ſciam) indicat.

Pontificali Ephodo adjectum erat *rationale judicii*, quod Hebræi *Choſen*, Græci λογεῖον Latini *Rationale* appellant; quod populum & Sacerdotem admoneret, ut ſumma ratione, prudentia, & religione ſacris faciendis incumberent: vel quod ex eo divina promerentur Oracula de rerum eventibus; quaſi mente aut ratione prophetica præditum eſſet.

Appellabatur autem *Rationale judicii.* 1. Quod per illud ad interrogata & quæſita Deus judicium ferret, & ſententiam diceret. 2. Quod Summus Pontifex Pectorali indutus, Dei judicium tam ſibi quam populo propitium exoraret, averteretque ſupplicium pro iniquitatibus admiſſis inferendum. 3. Cum Hebræa vox *Miſchpat* non judicium tantum, ſed etiam jus, & ſtatutum ſignificet, cumque in hoc pectorali nomina duodecim Tribuum totidem gemmis eſſent inſculpta, ſignificabatur ſingulas Tribus Iſrael habere jus in hæreditate ſuis patribus repromiſſa, unde verſ. 29. dicitur: *Portabit Aaron nomina filiorum Iſrael in rationali Judicii ſuper pectus ſuum, quando ingredietur ſanctuarium &c.* Ut ſignificetur Pontificem, cauſam totius populi agere coram Domino, quatenus repromiſſa hæreditate fruatur.

Hujus Rationalis judicii *Materia* eadem erat quæ Ephodi, eratque confectum ex filis aureis & hyacinthinis, purpura, cocco, & byſſo retorta, ut apparet ex verſ. 15. *Forma* vero erat quadrata longitudine & latitudine palmæ, ut apparet ex verſ. 16. Dicebatur autem *pectorale* quod pectori adjaceret. Ornatum erat duodecim lapidibus pretioſis, quatuor ordinibus diſtinctis: in quorum primo erant lapides ſardius, topazius, & ſmaragdus, in quibus ſculpta erant nomina Rubenis, Simeonis & Levi: In ſecundo Carbunculus, Sapphirus, & Jaſpis, quibus cælata erant nomina Judæ, Dan, & Nephtali: In tertio Ligurius, Achates, & Amethyſtus, in quibus legebantur nomina Gad, Aſer, & Iſſachar.

Quis vero fuerit *Ligurius*, invicem diſceptant Interpretes. S. Hieronymus putat fuiſſe hyacinthum; cum enim ille ſit lapis pretioſiſſimus, veriſimile non eſt illum ſolum hic fuiſſe prætermiſſum. Adde quod Apocalypſis 21. verſ. 20. ubi 12. illi lapides ordine referuntur, pro Ligurio, ſcribitur hyacinthus: qui teſte Plinio lib. 37. cap. 9. fulgore ſuo violaceo jucunde paſcit oculos.

In quartu tandem ordine erant Chryſolitus, Onychinus, & Beryllus, in quibus ſcripta erant Zabulon, Joſeph, & Benjamin.

Addit Moſes *verſ.* 30. ſibi imperatum a Deo, ut poneret in rationali Judicii *doctrinam & veritatem*, Hebraice *Urim & Thummim:* quarum vocum prima derivatur a radice אור *ur*, id eſt, ignis & lux; ſecunda vero a verbo תמם *Themam* perfectus fuit; unde LXX. Interpretes has voces expoſuerunt per *illuminationes & perfectiones*; vulgatus autem Interpres & S. Hieronymus vertunt *doctrinam & veritatem:* quod nimirum per rationale Deus voluntatem ſuam, rerumque eventus manifeſtaret.

Quid vero fuerint *Urim & Thummim*, vix certo definiri poteſt; nam, ut dixi initio prioris Tomi, tot ſunt ea de re Interpretum tam Hebræorum, quam Chriſtianorum ſententiæ, quot pene capita. *Primo* namque plurimi ſunt qui vocibus iſtis nihil aliud ſignificari volunt, quam duodecim iſtos lapides pretioſos quibus inſculpta erant Iſraeliticarum Tribuum nomina: his potiſſimum nixi rationibus.

I. Quod *cap.* 39. hujus libri, cum Moſes recenſuiſſet nomina & ordinem harum gemmarum, totiuſque pontificalis rationalis ſtructuram expoſuiſſet, ne verbulum quidem facit de Urim & Thummim; ea ſane non prætermiſſurus, ſi aliud quam duodecim illæ gemmæ fuiſſent, præſertim cum alia longe minora & abjectiora exacte recenſeat.

II. Cum Moſes magna religione in deſcribenda ſacrarum veſtium materia & forma verſetur; quo ſingula perſpicue exponat, dubio procul ſi Urim & Thummim aliud quam duodecim illi lapides fuiſſent, eorum pariter materiam & formam expoſuiſſet, deſignaſſetque locum quem obtinuiſſent in rationali.

III. Proferunt teſtimonium Hebræorum Scriptorum; imprimis vero Joſephi, qui cum dixiſſet de Sardonice, ſeu lapide ſardio, in primo duodecim lapidum ordine conſtituto, quod *quoties litatum eſſet, tantum fulgorem emittebat, at procul etiam ab intuentibus conſpiceretur*; ſubdit: *Sed mirabilius eſt quod nunc dicturus ſum: per duodecim gemmas, quas in pectore Pontifex inſutas eſſeni geſtat in bello victoriam prænunciare Deus ſolebat; nam priuſquam exercitus ſe moveret, tantus ex eis fulgor emicabat, at toti populo facile innoteſceret adeſſe Deum, opemque & auxilium ſuum invocantibus eſſe allaturum. Quapropter Græci, quotquot a religione noſtra non abhorreant, cum hoc miraculum pro compertiſſimo habeant, ita at negari non poſſit*, Essana logion *vocant, quaſi ratione præditum. Deſiit tam Eſſen, quam Sardonix fulgorem emittere annis ducentis antequam hæc commentaremur, irato Deo propter legum ſuarum prævaricationem*. Quibus ſignificat divinum Oraculum de rerum eventu non aliunde petitum, quam ab ipſorum lapidum varii fulgoris aſpectu.

Idem ſentiunt Auctores utriuſque Gemaræ, & Babylonicæ, & Hieroſolymitanæ in Maſſeket Ioma cap. 7. Quibus ſubſcribunt Maimonides Halak, Kele Hammikd, Abarbanel in cap. 28. Exodi & alii bene multi. Quam in ſententiam pariter deſcendiſſe videtur S. Chryſoſtomus, orat. 4. contra Judæos, ubi ſcribit: *Rurſus e lapidibus qui erant in pectore Summi Sacerdotis, quod vocabant declarationem, relucebat fulgor quidam futura ſignificans.* Mitto plures recentiores, ut Jacobum Salianum ad annum mundi 1544. Joannem Braunium de veſtibus & ſacerdotio Hebræorum, lib. 2. cap. 20. &c. qui eamdem ſententiam propugnant.

Verum his adverſari videtur ipſe textus; nam enumeratis illis duodecim gemmis, earumque in pectorali inſertione, addit Moſes Deum dixiſſe: *Pones autem in Rationali Judicii doctrinam & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron quando ingredietur coram Domino* &c. Quæ ſane verba, ut ex narrationis ſerie apparet, indicant *Urim & Thummim* aliud fuiſſe præter illas duodecim gemmas, ut merito contendunt alii Interpretes.

Reponunt prioris ſententiæ aſſertores, iſtis verbis nihil aliud ſignificari, quam anacephalæoſim, ſeu recapitulationem & inculcationem eorum quæ de gemmis iſtis fuerant imperata; nimirum non ſat fuiſſe iſtos nominatos lapides in pectorali inſerere, ſed præterea ſeligendos, qui eſſent lucidiſſimi & perfectiſſimi: nam, inquiunt, eodem modo repetitur præceptum de annulis, & vectibus, Exod. 25. verſ. 14. & 15.

At verba iſta: *Pones autem in rationali judicii* &c. indicant aliquid fuiſſe adiiciendum præter ea quæ prius mandata fuerant; eumdem enim habent ſenſum, ac illa quæ verſ. 17. referuntur: *Poneſque in eo quatuor ordines lapidum &c.* Quibus certe ſignificatur, quatuor illos lapidum ordines fuiſſe quid diſtinctum ab ipſo rationali, cuius materia & forma immediate antea fuerat præſcripta. Idem igitur ſentiendum eſt de Urim & Thummim; quæ poſt enumeratos lapides præcipit Deus, in rationali apponi. Nec juvat exemplum de inculcatione annulorum; aperte namque apparet ex textu, non iterum inculcari ut fiant annuli; ſed ut in eis ita inſerantur vectes, ut ab eis nuſquam poſſint extrahi.

Quamobrem, non immerito cæteri Interpretes, exiſtimant *Urim & Thummim* aliud omnino fuiſſe diſtinctum a duodecim illis gemmis: quid vero iſtud fuerit, non invicem conveniunt; nam. I. Chryſtophorus a Caſtro probare conatur Urim, idem eſſe ac Theraphim; nempe certas quaſdam imagunculas ſeu idolula, quæ ad interrogata reſpondebant voce manifeſta; ita quod Deus has imagunculas Iſraelitis ſubſtituere voluerit loco Theraphim, quibus ope dæmonum Ethnici futura audiebant; quam ſententiam tueri conatur Joannes Spencerus in diſſertatione quam ſcripſit de Urim & Thummim; ubi vult utroque nomine ſignificari imagunculas diverſas ſub duplicatione pectoralis inditas, quibus Deus, aut Angelus reſponſa daret. Quæ confirmare videtur Origenes: *Gentibus*, inquit, *futurorum cognitionem petentibus, ex oraculis, auſpiciis, auguriis, ventriloquis, aruſpicibus, Chaldæis, Genethliacis, quæ artes omnes apud Judæos ſunt vetitæ; ſi ipſi nullum ſolatium habuiſſent e futurorum præſcientia, certe impulſi humana quadam futura cognoſcendi libidine, contempſiſſent res ſuas, at nihil divinum in ſe habentes. Nec alium poſt Moſem, Prophetam recepiſſent, nec ſermones eorum mandaſſent litteris, transfugiſſentque ad oracula Gentium aut ipſi conati fuiſſent apud ſe ſimile aliquid inſtituere.*

Nec abs re eſt, quod notavit Genebrardus in ſæculo Moſis: „ Uti Deus, *inquit*, „ parturiebat hac tempeſtate Eccleſiam in „ Abrahæ familia; ita Satanas ſuam Synagogam in Gentibus. Nam circa hos dies „ monſtrata videntur a duabus columbis ex „ Ægypto provolantibus duo oracula Hammonis in Libya, & Dodonæi in Græcia, „ quæ proinde vetuſtiſſima omnium eſſe ſcribit Herodotus: idque ut duobus Hebraicorum oraculorum generibus reſponderent, quorum unum Urim & Thummim „ in Ephod erat mutum, perinde ac Hammonium; alterum æque ac Dodonæum „ vocale e viva vel Dei, vel vatis voce. *Hæc ille.*

Verum qua facilitate, & abſque fundamento id proferunt Auctores illi: eadem ab aliis negatur; maxime cum ſummopere præcaverit Deus, ut ab Iſraelitarum animis omnem idololatrandi occaſionem ſubmoveret, diſtricteque vetuerit ne prophanis Ethnicorum ritibus polluerentur. Cen-

Cenſent aliqui voces illas *Urim & Thummim* fuiſſe inſcriptas in rationali, ſicut thiaræ Pontificis fuerunt inſcripta duo nomina, *Sanctitas Domino*, ut habetur verſ. 36. In hanc ſententiam propendet S. Auguſtinus, qui cum dixiſſet difficile prorſus eſſe definire quid illæ duæ voces indicent, addit: *Quamquam poſſit intelligi* DEMONSTRATIONEM & VERITATEM *litteris impoſitam ſuper alam*. Eandem pro viribus tuetur Cornelius a lapide, qui ſuas in partes advocat Philonem, Rupertum, Hugonem Cardinalem &c. Verum *cap.* 39. ubi fit eorum exacta recenſio, quæ erant in Rationali, nullius Scripturæ fit mentio; non tamen prætermittenda, ſi per has voces ſcriptas Deus oracula promere fuerit ſolitus.

S. Epiphanius libro de duodecim gemmis in Rationali inſertis, ſcribit *Urim & Thummim*, nihil aliud fuiſſe, quam poſitum adamantem in medio lapidum illorum; qui quoties Summus Sacerdos in Sanctuarium ingrediebatur, inſolitum fulgorem emittebat, diverſoſque eventus vario ſuo colore prænuntiabat; nam, inquit, ſi Iſraelitæ fuiſſent divinorum mandatorum prævaricatores, mutabatur, ut ferunt, color lapidis, & fiebat niger. Hinc agnoſcebant quod Dominus mortem miſſurus eſſet. Cum vero eos gladio perdere vellet, efficiebatur ſanguinei coloris, ut per Jeremiam (cap. XV.) loquitur: *Emitte populum iſtum & egrediantur: quicumque ad mortem, ad mortem: quicumque ad gladium, ad gladium: quicumque ad famem, ad famem: quicumque ad captivitatem, ad captivitatem*: ſi vero ut nix ſplendebat, agnoſcebant Deum eſſe ſibi propitium, & tunc feſtum celebrabant; quemadmodum Propheta, ait: *Celebra feſta tua, Juda: redde vota tua: Abſtulit Dominus tuas iniquitates: redemit te e manibus hoſtium tuorum: regnabit Dominus in medio tui. Non videbis ulterius mala.*

Idem cum S. Epiphanio ſentit Anaſtaſius Nyſſenus, qui ſignificat Urim & Thummim fuiſſe adamantem, qui Sacerdote Deum ſciſcitante fulgurabat, & ſi Deus eſſet propitius, lucem ejaculans emittebat radios; ſi vero res propoſita non placebat, manebat lapis in ſuo naturali ſtatu; ſi autem bellum adverſus Iſraelitas inſtaret, fiebat ſanguinolentus; ſin autem mortiferum quid & funeſtum erat eventurum, nigreſcebat.

S. Cyrillus in expoſitione Symboli Niceni ait, *Urim & Thummim* fuiſſe duos lapides in medio aliorum duodecim qui Chriſtum repræſentarent in medio duodecim Apoſtolorum. Simile quid habet in cap. 38. Deuteron. Verum quinam illi fuerint lapides, non explicat. His accedit quod ſi duobus iſtis verbis expreſſi fuiſſent alii duo lapides pretioſi præter duodecim aſſignatos, dubio procul eorum ſpeciem, formam, & locum quem obtinuiſſent in pectorali, deſignaſſet Moſes; nec eos tacuiſſet cap. 39. Exodi, cum quæ in Ephod extabant, recenſet.

Ex hac opinionum diverſitate apparet adhuc ignotum & incertum eſſe, quid iſtis verbis *Urim & Thummim* ſignificare voluerit Moſes; quamobrem cenſeo ea de re nihil temere definiendum & affirmandum, donec cœleſte lumen hæc indicaverit. Tametſi pro certo tenendum arbitrer, quod licet nulla vis naturalis inſita fuerit Pectorali ad rerum eventus prænunciandos; nihilominus illud erat tanquam cauſa moralis cur Deus Pontifici Rationale geſtanti, & Oraculum exoranti reſponderet, vel per vocem aliquam articulatam emiſſam e propitiatorio; vel per interiorem illuſtrationem & perſuaſionem inditam menti conſulentis, ut quæ futura eſſent perſpecte cognoſceret, & aliis declararet.

Pergit Moſes in deſcribendis aliis pontificalibus ornamentis, nimirum *Tunica*, ſeu ſubucula talari; cujus *materia* fuit ſericum, vel lana hyacinthini coloris, id eſt violacei ſubrubeſcentis. *Forma* vero ſimilis veſti talari paulo ultra genua deſcendenti, opere integro & inconſutili, relinquente foramen in ſuperiori parte, quo Sacerdotis caput erat traducendum. In inferiori vero parte inſerta erant ſeptuaginta duo tintinnabula, & totidem mala punica, inquit S. Hieronymus [a]; at S. Clemens Alexandrinus [b] dicit illa tintinnabula fuiſſe 376. ſed forte hoc numero etiam malogranata afferit S. Proſper [c]. Erant autem illa malogranata ex filis aureis & hyacinthinis confecta; tintinnabula vero ex auro ſolido; nimirum, inquit Moſes verſ. 35. *Ut audiatur ſonitus* (Summi Sacerdotis) *quando ingreditur, & egreditur ſanctuarium in conſpectu Domini, & non moriatur*; ſcilicet ut ſonus ingredientis & egredientis audiretur a populo, eoque admoneretur, ut cor & animum præpararet ad excipienda divina beneficia, & monita, quæ Sacerdos ad Deum accedens, poſtulaturus erat, & ab eo recedens, populo denunciaturus.

[a] *Epiſt. ad Fabiolam.*
[b] *Lib. ſtromatum.*
[c] *Parte 3. cap. 3. lib. de prædict.*

Addit deſcriptionem *Thiaræ* pontificiæ, quam *Mitram*, *Cidarim*, vel *pileum ſacerdotalem* appellant: cujus in fronte inſerta erat lamina aurea, his inſcripta verbis *ſanctum Domino*. Hujus formam ſic deſcribit Joſephus: *Porro pileo quaſi cæteri Sacerdotes, utebatur ſuper quem extabat alius conſutilis ex hyacintho variatus: hunc aurea corona triplici circundabat, in qua ſpectabantur calyculi aurei, quales videmus in herba, quæ apud nos vocatur saccharus, apud Græcorum herbarios hyoſciamus.* Et paulo poſt: *Ejuſmodi corona ab occipitio circum tempora utraque procedebat, nam frontem illi calyculi non ambiebant, ſed cælatum quoddam latum auream, quod ſacris Caracteribus Dei nomen inciſum habebat.* Audiendus eſt etiam hac de re Philo ſcribens: *Cidaris autem pro diademate imponitur capiti, quia quantiſper Sacerdos honore ſuo fungitur & miniſterio, non ſolum privatis hominibus eſt eminentior, verum etiam cunctis Regibus. Huic præfigitur aurea lamina inſignita quatuor litteris, per quas Entis nomen aiunt indicari, quandoquidem nihil poteſt abſque invocatione Dei ſubſiſtere; nam hujus bonitate favente, integritate ſua fruuntur omnia.*

His

Digitized by Google

His adjuncta erat *Tunica interior* byſſina, ex tela duplicata contexta, quæ non ſolum Pontifici, ſed & aliis Sacerdotibus communis fuit; nam, ut apparet ex *verſ.* 40. hujus capitis, hi quatuor habebant veſtes. 1. Femoralia linea, ſeu bracchas: quæ, ait S. Hieronymus mox laudatus, uſque ad genua & poplites veniunt, teguntque verenda, ne Sacerdotes ſacra facientes cadendo, aut vento perflante & veſtes ſubmovente apparerent. 2. Tunicam lineam. 3. Zonam. 4. Thiaram, ſed diverſam a pontificali. Carebant ergo tunica hyacinthina, rationali, & lamina aurea cui ſacroſanctum Dei nomen erat inſcriptum.

Quo autem ordine Pontifex ſacras illas veſtes indueret, recenſet Maimonides Halacha Kele Hammikd. cap. x. „ Quo ordi-
„ ne, inquit, veſtiuntur veſtimenta? primo
„ induit bracchas, quas ſtringit ſupra um-
„ bilicum circa lumbos; & poſtea induit tu-
„ nicam; poſtea ſtringit balteum circa axil-
„ las, pluribus involucris; poſtea circum-
„ volvit thiaram inſtar caſſidis. Summus
„ Pontifex, balteo conſtricto, induit pal-
„ lium; pallio ſuperinduit Ephodum, & pe-
„ ctorale, ſtringitque Ephodum pretioſo cin-
„ gulo Ephodi ſupra pallium, infra pecto-
„ rale. Ideo vocatur pallium Ephodi, quod
„ Ephodo cingatur. Poſtea involvit (caput)
„ thiara, & ſtringit eam, & laminam ſu-
„ pra thiaram. Capilli autem ejus appare-
„ bant inter laminam & thiaram, in quo
„ loco ponebant phylacteria, ſcilicet inter
„ laminam, & thiaram.

Eodem ordine veſtes ſacræ deſcribuntur a Joſepho.

Erant igitur Summi Sacerdotis veſtes, numero octo, pectorale, Ephod, pallium, tunica ſtricta, vel ocellata, cidaris, balteus, lamina, & ſublicacula. Inferiorum autem Sacerdotum quatuor, tunica, balteus, thiara & ſubligacula, ſeu femoralia. Diſtinguuntur autem ita, ut aliæ ad ornatum ſpectarent, aliæ autem ad neceſſitatem, & turpitudinem tegendam, ut hactenus oſtendimus. His autem induebantur, non ſemper & ubique; ſed tantum in Tabernaculo, vel in Templo; quotieſcumque miniſtrabant coram Deo: quod fieri non debuit, niſi ab iis qui ad id fuerant ſanctificati & conſecrati, ut capite ſequenti dicetur.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XXIX.

IN præcedenti capite verſ. 41. Moſi præceperat Deus ut Aaronem ejuſque filios conſecraret ſanctificaretque, ut Sacerdotio fungerentur: in hoc autem I. Præſcribit ritum quo eſſent conſecrandi & inaugurandi. II. Quas Victimas ſingulis diebus Sacerdotes illi debeant immolare.

Ad factam inaugurationem quod attinet, jubet Deus ut Moſes, quaſi Hierarcha, Aaronem ſuum fratrem conſecret in Summum Pontificem, ejus autem filios in Sacerdotes, hoc ritu. I. Lavet eos in introitu Tabernaculi. II. Veſtibus ſacris eos induat, ungatque oleo ſancto. III. Vitulum offerat pro expiandis eorum peccatis, & duos arietes, unum in holocauſtum, alterum in hoſtiam pacificam, cum panibus azymis. IV. Ut per dies ſeptem ungat tam ipſos, quam altare verſ. 35. & 37.

Ex quibus apparet Moſem hactenus, non ſolum ſupremi Ducis populi munere functum eſſe, ſed etiam Summi Pontificis: unde S. Gregorius Nazianz. [a] & S. Auguſtinus [b] eum appellant *Sacerdotem Sacerdotum*. At poſtquam Deus Aaronem & filios, eorumque poſteros in Pontifices & Sacerdotes, aſſumpſiſſet, Moſis poſteri, non inter Sacerdotes, ſed duntaxat inter Levitas annumerati ſunt, ut patet 1. Paralip. verſ. 13.

[a] *Orat.* 22.
[b] *Qu.* 20. *in Levit.*

Quoniam vero ſatis non erat ritum præſcripſiſſe quo initiandi eſſent Sacerdotes, & conſecrandum altare, niſi pariter ſtatueretur quænam eſſet immolanda victima, & quale celebrandum ſacrificium; idcirco Deus Moſi jubet *verſ.* 38. ut in illo altari conſecrato per ſingulos dies immolarentur duo agni anniculi, unus mane ante omnia ſacrificia, alter vero veſpere poſt ablata cætera ſacrificia, Hebraice *inter duas veſperas*, hoc eſt, eo tempore quo Agnus Paſchalis debebat immolari, ut præſcribitur *Exodi* 12. quatenus ad initium & finem diei fieret Deo oblatio; auxilium divinum poſtulando matutinis horis; veſpertinis vero gratias agendo pro acceptis per diem divinis beneficiis.

Neque vero duntaxat Deus voluit immolandos eſſe illos agniculos; ſed inſuper adiecit ut cum illis offerretur ſimila oleo permixta, atque etiam vinum ad libandum; nimirum ut ſacrificium illud præſtantiſſima eſſet figura Chriſti Domini aliquando jugiter in Eccleſia immolandi, tanquam Agni immaculati.

Ut autem propenſiori animo ad id exequendum, tam Sacerdotes, quam populus eſſent comparati, ſpondet Deus in illo altari ad oſtium Tabernaculi conſtituto, in quo fieri debebat illud juge ſacrificium, ſe peculiari præſentia adfuturum, ibique ad quæſita reſponſurum. Duobus ergo locis Deus ſpondebat ſe reſponſa daturum: primo quidem ex Propitiatorio, ſeu in Sancto Sanctorum; ſecundo ad oſtium Tabernaculi.

Digitized by Google

DISQUISITIONES IN CAPUT XXX.

QUatuor hoc in cap. præſcribit Deus. I. Quidem conſtruendum eſſe altare in quo adoleretur thymiama, id eſt, ſuffitus incenſi ſeu aromatum odoratorum, cujus confectionem hic docet;. non quaſi thymiamatum odoratu oblectaretur, ſed ut puras fervidaſque offerentium preces & orationes exquireret. II. Traditur ritus conficiendi olei, quo Sacerdotes Tabernaculum, & illius vaſa erant conſecranda. III. Præſcribitur ut fieret labrum æneum pro lotione Sacerdotum. IV. Ut pro comparandis omnibus ad Dei cultum & ſacrificium neceſſariis impenſis, viginti annis natu majores tributum penderent.

Altaris thymiamatum deſignatur. 1. *Materia* ex qua erat conficiendum, nempe ex lignis Setim. 2. *Forma*, ut eſſet quadratum, longitudine & latitudine unius cubiti, altitudine vero duorum cubitorum. 3. *Ornatus*, nam limbo aureo, annulis aureis, & vectibus auro contextis, ſicut Arca, decorandum erat. 4. *Locus*, non in Sancto Sanctorum, ut exiſtimarunt Origenes, S. Auguſtinus & alii; ſed juxta velum, quo diſtinguebatur Sanctum a Sancto Sanctorum, ut manifeſtum fit ex ultimo capite Exodi a verſu 22. uſque ad 28. Cujus etiam argumentum eſt, quod Sacerdotes inferioris gradus, quibus fas non erat Sanctum Sanctorum ingredi, in illo altari adolebant thymiamata, ut conſtat exemplo Zachariæ patris S. Joannis Baptiſtæ, qui erat oriundus ex ſtirpe Abiæ, octava inter Sacerdotales, & tamen incenſum adolebat ſuper illo altari. Licet vero hoc altare non eſſet intra propitiatorium, ipſi tamen erat proximum, velo tantum interpoſito. Fiebat autem hæc thymiamatis oblatio ſingulis diebus mane & veſpere, nullo prorſus dempto.

Thymiama vero confici debebat. I. Ex *ſtacte*, quæ teſte Dioſcoride, eſt recentis myrrhæ inciſæ gutta ſeu pinguedo. II. *Onycha*, quam Dioſcorides lib. 2. cap. 8. *Unguem odoratum* vocat, dicitque eſſe conchilii tegumentum in nardiferis Indiæ paludibus; ideoque ſuavem ſpirare odorem, eo quod conchilia ibi nardi pabulo veſcantur. III. *Galbano*, quod, inquit idem Dioſcorides lib. 3. cap. 97. *eſt ſuccus naſcentis in Syria ferulæ, quod nonnulli metopium vocant. Maxime laudatur cartilaginoſum merum, thuris effigiem præbens, pingue, minime lignoſum, retinens non nihil adiecti ſeminis, & færulæ, gravi odore, nec valde humidum, neque nimis aridum.* IV. Thure puriſſimo & lucidiſſimo, hoc eſt, albo; nam thus probatum, album eſt, gratiſſimique odoris: hoc autem nunc rarum eſt, quod Arabes, ex quorum regione aſportatur, pini reſina, aliiſque gummis illud adulterent. A thure autem maxime nomen ſumpſit thymiama, ſive incenſum; unde Sanctus Joannes poſtquam dixiſſet, *Datas eſſe phialas plenas odoramentorum quæ ſunt orationes Sanctorum;* addit: *Data ſunt illi incenſa multa &c.*

Ex unoquoque horum odoramentorum par quantitas erat deſumenda ab experto pigmentario, qui ea commiſceret. Quanta vero debuerit eſſe quantitas illa: non declarat Moſes. Aſſerunt quidem Hebræorum Doctores ex quolibet debuiſſe accipi 70. libras; at cum id non determinarit Moſes, rem ut dubiam relinquo.

Prohibetur autem ne quis huiuſmodi thymiamatis in alterum, quam in ſolius Dei cultum & uſum uſurpet; idque ſub pœna exterminationis a populo Dei, id eſt, ſub pœna capitali, ut videre eſt *verſ.* 38. Inſuper interdicitur *verſ.* 9. ne quis in illo altari thymiamatis, alterius compoſitionis thymiama offerret.

Cum imperaſſet, Deus ungendos eſſe Sacerdotes, atque ſacra vaſa; in hoc cap. a *verſ.* 22. uſque ad 30. præſcribit ex quibus fieri deberet ſacra illa unctio; nimirum ex *Myrrha* quæ ſponte ſudat ex arbore, ſine ulla inciſione: *cinnamo* odorifero: *caſſia*, non quidem purgativa, quæ ſiliqua eſt Ægyptiaca nullius odoris; ſed altera, quæ eſt aromatica. Sub quibus verbis, nonnulli *balſamum* intelligendum eſſe contendunt; cum enim unguentorum ſit pretioſiſſimum & fragrantiſſimum, veriſimile non eſt hic fuiſſe prætermiſſum.

Voluit itaque Deus ex illis aromaticis liquoribus, qui maximo in pretio erant apud Orientales, unctionem illam confici, qua inungendi erant Sacerdotes, Tabernaculum, Arca fœderis, Menſa, Candelabrum, Altaria thymiamatum & holocauſtorum, omniaque ſacra vaſa, cum hac cautione, ut illo unguento nullus alius tingeretur; alioqui exterminandus de populo, hoc eſt, capitali pœna plectendus.

Ad labrum æneum quod ſpectat conflatum dicitur cap. 38. verſ. 8. *ex ſpeculis mulierum:* Quæ, ait Philo: „ Mira animi ala-
„ critate certatim benigneque contulerant,
„ ne viris hac parte viderentur cedere:
„ æmulatione longe honeſtiſſima, qua da-
„ bant operam ne illis inferiores judicaren-
„ tur in pietatis ſanctitatiſque ſtudio. Spe-
„ cula enim, ad quæ ſuam formam curare
„ ſolitæ fuerant, ſponte & nemine juben-
„ te, Deo dicaverant, ceu primitias con-
„ jugalis pudicitiæ pulchritudiniſque animæ
„ decentiſſimas. Hæc ad ſe delata opifex
„ in unam maſſam confudit, ratus nihil inde
„ aptius poſſe fieri, quam Labrum ex quo
„ ſe luſtrarent Sacerdotes templum ingreſ-
„ ſuri ad obeunda ſua miniſteria, præſertim
„ pedes manuſque lavando in ſignum vitæ
„ inculpatæ.

Maximè autem hic laudanda venit illarum mulierum pietas, quòd rem aliunde ſibi chariſſimam, nullo ſollicitante, ſed ex ſola in Deum obſervantia, in ejus cultum conſecrare voluerint. Erant autem ſpecula iſta ærea: cum enim tunc temporis vitrum nondum eſſet in uſu, ſpecula fiebant antiquitus ex ære, ſtanno, argento, & auro. De æreia conſtat ex hoc capite: de ſtanneis Plinius dicit illa fuiſſe *Laudatiſſima*; donec argenteis uti cœperunt etiam ancillæ: de argenteis & aureis Seneca, dicens: *Potiente jam rerum Luxuria ſpecula totis paria corporibus auro argentoque cælata ſunt*. Unde Euripides:

Ego autem comam revinctis
Vittis apte componebam,
Intuens in aureos
Rotundi ſpeculi orbes.

Conſtitutum autem erat hoc Labrum in atrio inter aram holocauſti, & ipſius atrii aream circa partem meridionalem. Effundebat autem aquas per 12. fiſtulas ſeu canales, ut totidem Sacerdotes ex aquis ſuperne deſfluentibus ſimul poſſent manus, & pedes abluere, priuſquam ad ſacra ſua miniſteria ſeſe accingerent.

Tandem in hoc capite jubet Deus ut univerſus populus Hebræus cum viginti annos vitæ egerit, tributum perſolveret, quo comparentur neceſſaria ad divinum cultum; nimirum ut ſicut cæteri populi, certi penſitatione tributi, ſe Principibus ſuis obnoxios profitentur, eoſque pro legitimis Dominis agnoſcunt; ita Hebræi, certa pecunia perſoluta, Deum ut legitimum ſuum Regem ac Principem agnoſcerent, ſuamque vitam quaſi Deo debitam redimerent.

Quoties autem id perſolvendum eſſet, non definit Deus; ſed inquit *verſ.* 12. Moſem alloquens: *Quando tuleris ſummam filiorum Iſrael juxta numerum;* ac ſi diceret: quoties, vel me jubente, vel publicæ neceſſitatis cauſa, vel aliquo urgente bello, recenſebis numerum Iſraelitarum: toties eorum ſinguli ſolvent dimidium ſicli, juxta menſuram Templi.

Siclus apud Hebræos moneta fuit uſitatiſſima, quæ etiam *ſtater* dicebatur; appendebat autem quatuor dragmas Atticas, id eſt, ſemiunciam, ſive eſſet æreus, ſive argenteus, ſive aureus; ſed in pretio erat differentia auri ad argentum decupla vel duodecupla. Unde cum ſiclus argenteus dimidiæ unciæ pondus haberet, uncia vero argenti nunc valeat quatuor libras, inde fit conſequens dimidium ſicli, qui eſt quadrans unciæ, tunc tantum valuiſſe, quantum nunc valent 20. aſſes. In quibus ſane mira Dei apparet erga ſuos fideles benignitas & indulgentia, quod tanta bona eis conferens, tam pauca repoſcat.

DISQUISITIONES IN CAPUT XXXI.

CUm præſcripſiſſet Deus omnia quæ ad Sanctuarium ejuſque Miniſtros, & ſacra Vaſa pertinerent; necnon & quæ requirebantur ad ſumptus neceſſarios in eis conficiendis, declarat in hoc capite quinam debeant eſſe horum omnium operum artifices, nimirum Beſeleelem nepotem Hur de Tribu Juda, cui ſocium adjungit Ooliabum filium Achiſamech de Tribu Dan, quem Joſephus Eliabum vocat. Quibus tanquam operum præfectis adjunxit alios inferiores artifices, quos omnes cœleſti ſapientia imbuit; nimirum ut non humanæ ſagacitati tribueretur Tabernaculi, & omnium in eo contentorum fabrica, ſed illuſtrationi divini Spiritus, qui etiamſi humanis digitis & rebus materialibus uti voluerit, eorum tamen conſtructio, Deo potiuſquam hominibus eſſet adſcribenda.

At ne forte exiſtimarent Iſraelitæ opera illa ad Dei cultum deſtinata, quovis tempore executioni poſſe mandari, nec ullo die ab opere ceſſandum, quin perfectum eſſet & abſolutum; expreſſe mandat Deus ab eo opere, ſicut & a quovis alio feriandum eſſe die Sabbati, cujus exactam obſervantiam & ſanctificationem iterum commendat: his potiſſimum rationibus. 1. Quod Sabbatum ſignum eſſet & ſymbolum initi fœderis Deum inter & Iſraelitas, quos in populum ſuum ſpecialem præ cæteris nationibus elegerat. 2. Quod hunc diem ſuo divino cultui peculiariter addixerat, eſſetque æquiſſimum, ut qui ſex alios hebdomadis dies noſtris laboribus conceſſerat, cum tamen omnia vitæ noſtræ momenta ſibi potuiſſet vendicare, hunc unum ſuo divino cultui adjudicari voluerit. Tertiam rationem deſumit a ſuo proprio exemplo; cum enim ſex dierum ſpatio mundi creationis opus abſolviſſet, ſeptimum diem quiete ſua ſanctum reddidit.

Abſolutis & exceptis omnibus hujuſmodi divinis præceptis, per quadraginta dies in monte, Moſi dedit Dominus duas tabulas teſtimonii in quibus ſcripta erant decem ipſius divina mandata, proprio illius digito exarata; quibus acceptis Moſes deſcenſum e monte parabat ut divina juſſa populo ſignificaret; cum in ipſo montis cacumine clamores audiit e caſtris: quorum cauſam cum ignoraret, eam indicavit Deus, ut refertur in ſequenti capite.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XXXII.

CUm per quadraginta dies ab Iſraelitarum caſtris abfuiſſet Moſes, nullumque amplius in Sinai montis vertice appareret ex illis indiciis, vel tonitru boantis, vel fulgurantis ignis, aut operientis caliginoſæ nubis, quibus ibi peculiari præſentia ſe adeſſe teſtatus fuerat Deus: illi Ductorem ſuum aut igne abſumptum, aut a Deo raptum exiſtimantes, & tantæ moræ in ſolitudine protractæ impatientes, conſpiratione facta, Aaronem Moſis Vices gerentem adeunt, urgentque ut ipſis efficiat Deos, qui ſint itinerum duces & protectores. Unde tria hoc in capite memorantur. I. Enormia hoc in facto Iſraelitarum crimina. II. Juſtiſſima Dei in eos expoſtulatio, & iracundia. III. Ferventiſſimus Moſis erga Dei cultum & gloriam, Iſraelitarumque ſalutem zelus.

Apparet, inquam, Iſraelitas plurima hoc in facto graviter peccaſſe, I. Quidem horrenda in Deum ſuum liberatorem, benefactorem & protectorem impietate & ingratitudine, cum aliud præter eum numen exoptant, ut divinos illi honores impendant. An non habebant Deum ſenſibiliter diu noctuque ſibi præſentem in columna nubis & ignis? An non cernebant in manna ſingulis diebus ſuper eorum caſtra depluente conſpicuam Dei erga eos ſolicitudinem? An non propinquus eis aderat innumeris modis? cur igitur contemptis tot claris præſentiæ Dei teſtimoniis, inanis divinitatis figuram appetunt in mortuo ſimulachro? Hoc autem grande crimen eis obiicit Pſaltes 106. v. 20. *Fecerunt vitulum in Horeb, & adoraverunt ſculptile: & mutaverunt gloriam ſuam* (nempe Dei) *in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum.*

II. Inſigni infidelitate & perjurio, dum immemores recens initi cum Deo fœderis, quo una voce fuerant proteſtati ſe conſtantiſſime divinis illius mandatis obſecuturos; quod capitale erat, nimirum unicum Deum eſſe colendum, audaciſſime contemnunt & conculcant.

III. Manifeſta cœcitate & inſipientia, cum poſtulant ab Aarone *fac nobis Deos qui nos præcedant* &c. quaſi divinitas penderet ab hominum virtute & arbitrio. Quam ſtupiditatem inſectatur his verbis S. Chryſoſtomus: *Si Dii, quare dicis fac? quomodo enim Dii, qui fiunt? ſic malitia obcæcans, ſibi ipſi repugnat, & ſemetipſam extinguit.*

IV. Contumelia in Moſem: de illo namque contemptim quaſi de homine plebeio & vulgari loquuntur, dicentes Aaroni, *Moyſi enim huic viro* &c.

V. Seditione & violentia in Aaronem; nam conſpiratione facta in eum inſurgunt, armatas afferunt preces, eumque in ſui criminis ſocietatem & participationem impellunt. Hæc autem licet ita ſint; nihilominus non deſunt, qui tam Iſraelitas quam Aaronem, non quidem ab imprudentia, ſed ab idololatria, & in Deum contemptu & prævaricatione excuſare nituntur; inter quos eminet Franciſcus Moncæus Attrebatenſis in libello quem inſcripſit *Aaron purgatus*, ubi contendit vitulum ab Aarone fabricatum, non aliud fuiſſe, quam effigiem Cherubinorum quos Iſraeliticus populus conſpexerat circa Thronum Dei majeſtatis in vertice montis Sinai, & quorum figuræ poſtmodum ſuper Arcam erant conſtituendæ: cumque audiiſſent antea ex Moſis relatione *Exodi* 23. *verſ.* 20. Deum non ſemel promiſiſſe ſe miſſurum Angelum qui filios Iſrael in via præcederet in aliquo ſigno viſibili, eoſque in terram Chanaan introduceret; putarunt ſignum illius Angeli ductoris fuiſſe Cherubinorum figuram, quorum, inquit, forma erat vitulina. Cum ergo populus peteret ſignum illud Dei, quo deduceretur in Chananæam abſente Moſe, nihil aliud egiſſe videtur Aaron, quam quod Moſes facturus erat, erigendo Cherubinos forma vitulina ſuper Arcam fœderis, tanquam ſignum divinæ præſentiæ. *Ita ille.*

Ut autem hanc ſententiam aſtruat, plures Scripturæ ſacræ textus alienum in ſenſum detorquet, ut egregie demonſtrat R. Viſorius Theologus Sorbonicus & Canonicus Eccleſiæ Ambianenſis in libello cui nomen fecit *Aaronis Purgati, ſeu Pſeudocherubi ex aureo vitulo recens conflati deſtructio:* Probatque inane prorſus hoc eſſe commentum.

I. Quod falſum ſit Iſraelitas vidiſſe Cherubinorum ſpecies Dei Thronum ambientes in monte Sinai: nam Moſes Deuteron. 4. teſtatur illos *non vidiſſe aliquam ſimilitudinem in die qua Dominus eis locutus eſt in Oreb de medio ignis.*

II. Divinare non potuit populus ille Cherubinos ſuper Arca fœderis eſſe collocandos, cum nihil adhuc de Arca fœderis, illiuſque fabrica audiiſſet. Certiſſimum enim eſt Tabernaculi, eorumque omnium quæ in ipſo continebantur, delineationem duntaxat accepiſſe Moſem, dum Dei contubernio per quadraginta dies frueretur in monte; de his autem ſicut antea nihil audierat Moſes, ita neque potuit de illis cum populo diſſerere.

III. Veriſimile non eſt Cherubinos in Arca conſtitutos formam habuiſſe potius vituli quam hominis; vitulina ſiquidem figura longe minus decebat cœleſtium ſpirituum puritatem & intelligentiam quam humana. Adde quod, ipſo Moncæo fatente, Cherubini aurei quos Salomon 3. *Reg. cap.* 8. juſſit fabricari in ornamentum & decorem Sancti Sanctorum, non belluinam & vitulinam, ſed humanam referebant formam; pro-

probabiliſſimum autem eſt Salomonem in iſtis Cherubinis effingendis fuiſſe Moſem imitatum, & illos ad ſimilitudinem eorum, qui ſuperpoſiti erant Arcæ, efformaſſe.

Quod autem tam Aaron, quam populus in facto graviſſime peccarint, argumentum eſt ipſa Dei tam in populum quam in Aaronem exacerbatio, & expoſtulatio. Adverſus quidem populum, ut conſtat ex verſibus 9. & 10. ubi Deus cum Moſi ſenunciaſſet quæ Aaron & Iſraelitæ fecerant, ait; *Cerno quod populus iſte duræ cervicis ſit: dimitte me ut iraſcatur furor meus adverſus eos, & deleam eos, faciamque te in Gentem magnam*. Similiter Deum fuiſſe Aaroni vehementiſſime iratum teſtatur Moſes Deuteron. 9. verſ. 20. ubi ait: *Adverſus Aaron quoque vehementer iratus Dominus, voluit eum conterere; & pro illo ſimiliter deprecatus ſum:* Patet etiam ex eo quod in hoc capite *verſ.* 21. Moſes Aaronem increpans ait; *Quid tibi fecit hic populus, ut induceres ſuper eum peccatum maximum?* Cenſuit ergo Moſes Aaronem reum eſſe, & præcipuum auctorem admiſſi criminis.

Venit tamen aliqua ex parte excuſandus; quod, quam potuit, adhibuit operam ut piaculum averteret. Nam I. non æs aut argentum in Idoli materiam poſtulavit, ſed aurum; nec aurum quodvis, ſed inaures in uxorum & liberorum auribus dependentes; exiſtimans videlicet id nuſquam impetratum iri ſine domeſtica diſſenſione, cum aliunde noviſſet mulieres his ornamentis potiſſimum delectari.

II. Cum ejus expectationem viciſſet Iſraelitarum Deos poſtulantium improbitas, eaſque inaures aureas ingenti numero & pondere continuo ad eum detuliſſent, hoc præſidio dejectus, aliud occupavit in operis ipſius atque artificum procraſtinatione; arbitratus tandem venturum Moſem qui nefarium conſilium diſſiparet.

At ejus ſagacitatem vicit tumltuantis populi impietas, illo ſiquidem urgente, ſtatim quæruntur artifices, paratur fornax, typus ex argilloſa terra, media æſtate brevi exſiccanda, conficitur, liquefit aurum, & in typum infunditur; refrigerato autem metallo, vitulus apparuit ad imitationem Apis ſeu bovis quem colere ſolebant Ægyptii: productum autem vitulum in hominum conſpectu, exultantes clamarunt Iſraelitæ; *Hi ſunt Dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti!* Nimirum ut Ægyptiorum Idololatriam imitarentur, ſicut ſcribit Philo: *Cum Moſes*, inquit, *aſcendiſſet in montem proximum, ibique aliquot diebus ſine arbitris colloqueretur cum Deo; quidam inconſtantes, tanquam orbati principe, abſentiam ejus verterunt in impietatis occaſionem, oblitique Dei veri, cœperunt figmenta Ægyptiaca æmulari, facto juvenco aureo ad imitationem animalis ejus regionis ſacratiſſimi; cui profana ſacra faciebant* &c.

Duo enim genera boum colebantur olim ab Ægyptiis, nempe *Mnevis*, & *Apis*, Mnevim honorabant Hieropolytani: Apim Memphitæ, ut refert Strabo. Mnevim Soli, Apim Lunæ ſacrabant, teſte Ammoniano Marcellino, Addit Macrobius Apim præcipue fuiſſe ab illis cultum, quod Pytagorica Metempſicoſi dementati, Oſiridis maximi apud illos Dei animam in Apim migraſſe ſomniarunt.

Interea dum Iſraelitæ huius vitulinæ pſeudodivinitatis encomia celebrant ſacrificiis, cantibus, ludis, choræis, & epulis, Moſes in caſtra revertitur, & hos idololatras intuitus, indignatione commotus, lapideas legum tabulas digito Dei exaratas abjecit, & confregit, indignam gentem teſtatus cum qua Deus paciſceretur, aut cui præcepta traderet: Dein zelo accenſus vitulum aureum deturbat, & in pulverem comminutum ſive malleis tundendo, ſive limando, Idololatris illis propinandum porrigit, ut intimis medullis conderent, quem in Dei contemptum appetierant; & graviſſime objurgato Aarone, accerſitis Levitis imperat, ut armata manu in Idololatras illos indiſcriminatim irruant. Hi vero Moſis mandato obſecuti, viginti tria reorum millia, nullo reſiſtente, trucidarunt.

Hebræus textus habet duntaxat *quaſi tria millia*, forte quod ſcriba aliquis litteram *Caph*, quæ ut numeralis, denotat viginti, accepit pro nota ſimilitudinis, *quaſi*, ut interdum uſurpatur. At S. Paulus 1. ad Corinth. 10. habet etiam 23. millia, niſi forte de alia populi internecione loquatur. His ita narratis,

Quæritur 2. Utrum Moſes citra culpam fregerit legis tabulas digito Dei ſcriptas: peccaſſe namque videtur. I. Contra manſuetudinem & lenitatem, quam in ipſo Spiritus Sanctus commendat *Numer.* 12. *verſ.* 3. his verbis, *erat Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines qui morabantur in terra*. Cum tamen illam Iſraelitarum abominationem intuitus, tanta iracundia fuerit abreptus, ut ſacras illas tabulas confregerit. Nec reponere juvat inopinato ira fuiſſe correptum; Hæc inquam exceptio nulla eſt; impium enim hoc facinus priuſquam e monte deſcenderet, Deo revelante noverat, Deumque fuerat enixe deprecatus ut iram ſuam ab illis prævaricatoribus averteret; poterat ergo hos iracundiæ motus & effectus cohibere.

II. Videtur peccaſſe irreverentia erga Deum, dum ſacras Decalogi tabulas a Deo recens acceptas, ipſiuſque digito exaratas, in terram projecerit; cum non niſi in ſacro & pretioſo loco illæ eſſent reponendæ; quemadmodum in Arca fœderis collocatæ ſunt illæ, quæ dein fuerunt elaboratæ.

Reſpondeo, ne leviter quidem Moſem in eo facto videri peccaſſe; imo ſummam ſibi comparaſſe laudem & gloriam, quod ardentiſſimo erga Dei honorem zelo accenſus, juſte excanduerit in Idololatras illos initi cum Deo fœderis immemores & fœdifragos, quos cenſebat indignos, qui legem a Deo præſcriptam & conſcriptam in divini ſui erga illos amoris teſſeram ſuſciperent. Unde ſacras illas tabellas inſpectante toto populo frangere voluit, ut hoc facto oſtenderet illos non eſſe dignos tanto Dei beneficio; quippe qui

qui primum illius legis præceptum de unico colendo vero Numine, turpiſſime violaſſent.

Addit Theodoretus a Moſe id merito & juſte factum, quod exiſtimaverit hunc populum non eſſe dignum Legiſlatione divina. *Cum* enim, inquit, *tabulæ ejuſmodi dotalium inſtrumentorum formam haberent; ſponſa vero ante ingreſſum thalami nuptialis in adulterium declinaverit, jure profecto dotales litteras effregit.*

Ad id etiam divino movente Spiritu videtur provocatus, ut populi criminis oſtenderet enormitatem; alioquin ſi conſueta ſua lenitate & manſuetudine in reprehendendis illis prævaricatoribus fuiſſet uſus, eiſque ſacrum illud depoſitum conſignaſſet, exiſtimaſſent illi leve fuiſſe ab eis admiſſum peccatum, nec Deum multum in eos eſſe iratum; ut pote qui, licet fabricatum & cultum ab eis vitulum aureum noſſet, nihilominus divinam iſtam legem tanquam benevolentiæ ſuæ pignus illis conſignaſſet.

His accedit quod Moſes, qui alios ſuos defectus non tacet: nullibi innuat ſe ob iſtud factum divinam indignationem ſibi accerſiſſe: unde colligere licet, factum iſtud nullatenus Deo diſplicuiſſe. Cuius inſuper argumentum eſt, quod novas, imo etiam & prioribus perſimiles ei dederit tabulas; id dubio procul non facturus, ſi priorum tabularum confractionem habuiſſet exoſam.

Quæritur II. Quomodo & quare Moſes vitulum in pulverem redegerit, & pulverem hunc in aquam ſparſum Iſraelitis potandum præbuerit? ut refertur *verſ.* 20.

Reſpondeo, Veriſimile eſſe, quod cum Moſes vitulum deturbaſſet, variaſque diviſiſſet in partes, curaſſe ut mola vel lima tenuiſſimum in pulverem redigeretur, quem projecit in torrentem ex monte Sinai per Iſraelitarum caſtra profluentem, ex quo bibere ſolebant; nimirum ut ſuam inde ſtupiditatem exhorreſcerent, quod pro numine coluiſſent, id quod in viſcera ſua traducebant per ſeceſſum cum fimo emittendum, ut ipſemet Moſes teſtatur Deuteron. 9. verſ. 21. *Peccatum autem veſtrum quod feceratis, id eſt, vitulum arripiens igne combuſſi; & in fruſta comminuens omninoque in pulverem redigens projeci in torrentem qui de monte deſcendit.*

Quæritur III. Utrum licite Moſes Levitis præceperit ut eorum quiſque, nulla habita ratione ſanguinis, affinitatis, aut amicitiæ, omnes ſibi occurrentes interficerent?

Reſpondeo, id a Moſe legitime imperatum. I. Quia iſtius populi Princeps erat & Rector; Principis autem eſt animadvertere in graviſſimorum criminum reos, maxime cum illa crimina in manifeſtam Dei contumeliam redundant; nam, inquit S. Paulus, Princeps *non ſine cauſa gladium portat, Dei enim miniſter eſt, vindex in iram ei qui malum agit.*

II. Id juſſit, ut averteret ſeveram Dei in univerſum Iſraeliticum populum animadverſionem; dixerat enim Deus Moſi *verſ.* 9. populum iſtum eſſe duræ cervicis, ac propterea velle eum exterminare: quod ut præcaveret Moſes, præ tanta multitudine, paucos extingui voluit, ut eorum morte placatus Deus, reliquo populo parceret.

III. Conveniens erat ut horrendum illud crimen non remaneret inultum, ne nimia erga reos indulgentia, gravius peccandi libidinem faceret; quapropter neceſſum fuit ut paucorum ſupplicium, in immenſæ multitudinis terrorem & emendationem cederet.

IV. Veriſimile eſt Moſem id non imperaſſe ſine prævia Dei ſuggeſtione aut revelatione, unde verſ. 27. ait: *Hæc dicit Dominus Deus Iſrael, ponat vir gladium ſuper femur ſuum &c.* quibus verbis conſtat hanc interfectionem fuiſſe a Deo per Moſem præceptam.

Certum autem eſt id a Moſe non imperatum affectu & motu intempeſtivæ iracundiæ, aut propriæ injuriæ vindicandæ; neque ex defectu humanitatis & charitatis erga Hebræos; nam, inquit S. Auguſtinus in Pſalm. 138. *Quomodo oderat peccantes cum pro eis orabat? & quomodo non oderat, cum eos occidebat, niſi quia perfecto odio oderat illos? ea namque perfectione ſic oderat iniquitatem, quam puniebat, ut diligeret humanitatem pro qua orabat.* Quod autem in ea percuſſione nullum peccatum fuerit, apparet ex *verſ.* 29. ubi Levitis illis, poſt peractam ſtragem dicit Moſes, *Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino ut detur vobis benedictio.* Hoc eſt, reorum ſanguine quaſi oleo ſancto propter zelum veſtrum & obedientiam conſecratæ ſunt manus veſtræ, & a Deo deſignati eſtis qui ſacris miniſteriis inſerviatis.

Quæritur IV. Cur Levitæ juſſi ut in idololatras, præſertim ſuæ Tribus irruerent, ſine ullo diſcrimine, intactum reliquerint Aaronem ejuſque filios; cum tamen ille totius mali fuiſſet præcipuus auctor; Ipſe namque vitulum conflavit, ipſe idolo altare erexit, illius encœnia & feſtum indicavit, eique ſacrificia obtulit, ut refertur verſibus 4. 5. & 6. unde verſu 35. *Percuſſit ergo Dominus populum pro reatu vituli quem fecerat Aaron.*

Reſpondet S. Auguſtinus hujus difficultatis ſolutionem refundendam eſſe in inſcrutabile Dei judicium, *Ita*, inquit, *novit ille cui parcat uſque ad commutationem in melius; & cui parcat ad tempus, quamvis eum præſcierit in melius non mutari; & cui non parcat ut mutetur in melius; & cui non parcat, ita ut nec mutationem ejus exſpectet: & totum hoc ad id redit, quod Apoſtolus* Rom. 11. 33. *dicit exclamans, quam inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus.*

Nihilominus proferri poſſunt quædam hujus indulgentiæ cauſæ. I. Quod Deus Aaronem, ejus filios, eorumque poſteros jam in Sacerdotes elegerat, quapropter noluit illos exterminari. II. Quod Aaron ſupremus tunc, abſente Moſe, fuiſſet populi Princeps & Judex; ſolet autem Deus dum animadvertit in populum, temperare a percutiendis principibus, tametſi criminum auctoribus, reſervans eos gravioribus ſuppliciis puniendos, ut conſtat exemplo Saulis, Davidis &c. III. Quod Aaron frater eſſet Mo-

ſit cujus ob reverentiam noluerunt Levitæ mittere in eum manus.

Quæritur V. Utrum Moſes pro populo Deum orans, conſulto dixerit, verſ. 31. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo.*

Reſpondent S. Hieronymus epiſt. ad Algaſiam, & S. Gregorius lib. moral. cap. 7. Moſem iſtis verbis nihil aliud petiiſſe, quam ut Deus aut populo parceret, aut eum e vivis eriperet; nimirum ut bonus paſtor animam ſuam, hoc eſt vitam temporalem exponens pro ſalute ſuarum ovium. At liber ille Dei, qui Daniel 12. verſ. 1. Apocal. 13. verſ. 8. & alibi dicitur *liber vitæ*, non ſolet in Scripturis ſacris ſignificare vitam mortalem; ſed illud Dei decretum quo homines pii deſtinantur ad vitam æternam. Unde omiſſis tam eorum SS. Patrum, quam aliorum reſponſis,

Reſpondeo, cum S. Auguſtino Moſem hoc dixiſſe ſecurum de ſingulari Dei erga ipſum benevolentia, & quod propterea non eſſet e prædeſtinatorum numero exſcindendus. *Securus* (inquit S. Auguſt) *hoc dixit, ut a conſequentibus ratiocinatio concludatur; id eſt, ut quia Deus Moyſem non deleret de libro ſuo, populo peccatum illud remitteret.*

Quæritur VI. Quo ſenſu Deus Moſi ipſum pro populo exoranti dixerit verſ. 10. *Dimitte me, ut iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos faciamque te in gentem magnam*; nam ait S. Auguſtinus hæc verba *dimitte me*, aut jubentis ſunt, aut petentis. *Utrumque autem videtur abſurdum: nam ſi jubebat Deus, inobedienter famulus non parebat: & Deum hoc a ſervo pro beneficio petere non decebat, cum præſertim poſſet eos etiam illo nolente conterere.*

Reſpondet ibidem S. Auguſtinus, Deum hæc dixiſſe, non imperando nec petendo; ſed declarando quid ab infligenda prævaricatori populo plaga eum avocaret, nempe Moſis preces & dilectio erga populum: *ut eo modo admoneremur, cum merita noſtra nos gravant, ne diligamur a Deo, relevari nos apud eum illorum meritis poſſe, quos diligit... ita ergo dictum* Sine me, *ac ſi diceretur, noli eos diligere, & conteram eos; quia ne id faciam, dilectio tua in illos intercedit mihi.* Audit Moſem Dei voluntati propterea non obſtitiſſe, quia inquit, *Deus illos occultius diligebat, qui manifeſte voce terrebat*; nempe ut reſipiſcerent.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XXXIII.

Deus tandem ferventiſſimis Moſis precibus ex parte placatus, in hoc capite renovat promiſſionem toties factam de danda Iſraelitis terra fluente lacte & melle; ſpondetque miſſurum ſe Angelum, qui iſtarum regionum incolas exterminet; unum tamen in pœnam adjicit, ſe non proceſſurum cum eis, quod eſſent populus duræ cervicis; ne forte in eos exacerbatus, iter faciendo, illos diſperderet: ſi tamen reſipiſcant, promittit ſe continuo eis adfuturum. II. Refertur iſtius populi ad has Dei minas perterriti pœnitentia. III. Quod Moſes Tabernaculum extra caſtra conſtituerit, ubi litiganti populo jus dicebat. IV. Familiare Moſis cum Deo colloquium, ejuſque petitio ut Deus illi faciem ſuam dignaretur oſtendere.

Quæritur autem I. Qua ratione Deus comminatus fuerit ſe cum Iſraelitis non proceſſurum, ne eos exterminaret: miſſurum tamen Angelum, qui eis eſſet ductor?

Reſpondet S. Auguſtinus iſtis verbis ineſſe *magnam ſacramenti rationem, & miram profunditatem; tanquam miſericordiam majorem Angelus poſſet habere, quam Deus, qui populo duræ cervicis parceret, cui Deus, ſi cum illis eſſet, ipſe non parceret.* Addit ibidem S. Auguſt.

„ Quid ergo ſignificat? niſi forte ideo ſe
„ non eſſe cum eis, quia dura cervice ſunt,
„ quia non eum propitium & ſalubrem niſi
„ humilitas & pietas capit; eſſe autem Deum
„ cum duræ cervicis hominibus, nihil eſt aliud
„ quam vindicando adeſſe atque puniendo,
„ unde cum eo modo malis non adeſt, parcendo facit, quo pertinet illud quod dici-
„ tur, *Averte faciem tuam a peccatis meis*,
„ quia ſi avertit, evertit. *Sicut enim fluit*
„ *cera a facie ignis, ſic pereunt peccatores a*
„ *facie Dei.*

His addere licet Deum iſta dixiſſe, ut reum iſtum populum ad pœnitentiam provocaret; quod ut obtineat, ita ſe gerit ac ſi revocare videretur ſolemnem illam promiſſionem qua ſpoponderat ſe continuo habitaturum inter Hebræos, nempe in Tabernaculo illo, quod in caſtrorum medio collocabatur, & cui columna nubis, atque Angelus ductor in ea reſidens, dum quieſcendum eſſet, incumbebat. Promittit quidem Deus Tabernaculum hoc eis, quantumvis immerentibus ſe relicturum; at dicit non expedire ut conficiatur celebre illud Tabernaculum, cujus delineationem Moſi dederat in monte: cum enim promiſiſſet ſe perpetuo in eo præſentem adfuturum, timendum erat ne in ingratos illos exardeſcens, eos in via diſperderet. Hæc tamen non niſi comminatorie, & ſub conditione dicta fuiſſe, argumentum eſt, quod cum populus pœnitentiam egiſſet, Moſi dicenti verſ. 16. *In quo ſcire poterimus, Ego & populus nos inveniſſe gratiam in conſpectu tuo, niſi ambulaveris nobiſcum?* Reſpondit verſ. 17. *Verbum iſtud, quod locutus es, faciam.* Id eſt, vobis adero ſemper.

Nihilominus non omnino tunc ab ira quievit; nam eo haud dubie ſuadente, Moſes

Ta-

Tabernaculum, in quo Deus promiſerat ſe habitaturum in medio populi, cap. 25. & 29. & ſupra quod ſolebat recumbere columna nubis & ignis, tranſtulit *procul extra caſtra, vocavitque nomen ejus* TABERNACULUM FOEDERIS.

Quæritur II. Quodnam fuerit illud Taberculum? & cur Moſes illud extra caſtra detulerit?

Reſpondeo, illud non eſſe, cujus formam & delineationem in monte ſuſceperat Moſes; quæcumque enim hoc capite habentur, geſta ſunt ante plenariam populi reconciliationem, & fœderis renovationem, aliaſque tabulas Moſi traditas, quæ præceſſerunt hujus Tabernaculi confectionem, quod prima vice erectum dicitur infra *cap.* 40. menſe primo anni ſecundi ab exitu ex Ægypto.

Non erat etiam domeſticum ac particulare ipſius Moſis Tabernaculum; illud enim non erat publicum Deo ſacrum, ſed Moſaicæ familiæ habitationi deputatum; neque iſti columna nubis & ignis incumbere ſolebat.

Probabilius itaque cenſeo, Tabernaculum, de quo hic eſt ſermo, fuiſſe ſacrum eum locum inſtar ædiculæ ſacræ, ad quod populus devotionis cauſa conveniebat, in quo Aaron Manna reſervandum poſuit coram Domino *Exod.* 16. *verſ.* 33. in quo Jetro obtulit holocauſta *cap.* 18. in quo Dei Leges ac præcepta populo declarabat Moſes; quod Joſue miniſter Moſis, quaſi æditus obſervabat, in quod Moſes intrabat Deum conſulturus, & cui nubes incubabat, ut hic dicitur *verſ.* 9. Quando autem Tabernaculum hoc conſtructum fuerit? incertum eſt, cum de illius fabrica ſcriptura ſileat: Veriſimile tamen videtur tunc fuiſſe confectum, cum primum columna nubis Iſraelitis apparuit *cap.* 13. *verſ.* 21. ex tunc enim hæc columna dicitur ſuper Tabernaculo reſediſſe,

Hoc autem extra caſtra tranſtulit Moſes, ad majorem recentis prævaricationis deteſtationem, & ut ſignificaret, propter idololatriam admiſſam, populum eſſe prorſus indignum in cujus medio Deus conſiſteret, atque caſtra eſſe polluta; ac propterea Deum & Angelum ductorem, & columnam nubis ab eis receſſiſſe, quatenus hoc divino receſſu, ad ſeveriorem agendam pœnitentiam ſtimularentur.

Etſi vero Moſes proprium domicilium ſemper haberet in illis caſtris, ut apparet ex verſ. 8. *Cum egrederetur Moſes ad Tabernaculum*, hoc eſt, dum exiret e caſtris ut Tabernaculum verſus tenderet, *ſurgebat univerſa plebs, & ſtabat unuſquiſque in oſtio papilionis ſui, aſpiciebatque tergum Moyſi, donec ingrederetur tentorium*: Nihilominus frequentiſſime in eo verſabatur, ibique cum Deo colloquebatur, *Facie ad faciem, ſicut loqui ſolet homo ad amicum ſuum*, verſ. 11. id eſt, ſumma familiaritate: unde plures exiſtimant Deum, vel Angelum Dei vices agentem, Moſi apparuiſſe ſpecie & forma humana; ſciens tamen eum non eſſe hominem; ſed vel Angelum Dei vices agentem, vel Deum ipſum, rogavit eum ut oſtenderet ipſi *faciem & gloriam ſuam* verſ. 13. & 18. quatenus de ejus majeſtate poſſet plenius & diſtinctius populum informare.

Quæritur III. Quam faciem & gloriam ſibi manifeſtari hic rogaverit Moſes?

Reſpondeo, multiplicem eſſe interpretum hac de re ſententiam. 1. Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 22. exiſtimat Moſem exoraſſe viſionem gloriæ humanitatis Chriſti, quam ſpiritu prophetico futuram prævidebat in monte Thabor. *Cum enim*, inquit, *deſideraſſet conſpectum Domini Moyſes dicens, ſi ergo inveni gratiam coram te, manifeſta te mihi; ut cognoſcenter videam te; eum conſpectum deſiderans, in quo hominem eſſet acturus, quod Propheta ſciebat. Cæterum, (jam audierat) Dei faciem nullus homo videbit, & vivet. Et hunc*, inquit, *ſermonem quem dixiſti, faciam tibi; & rurſus Moyſes*, OSTENDE MIHI GLORIAM TUAM. *Et Dominus ſimiliter de futuro*, EGO PRÆCEDAM IN GLORIA MEA. *Et reliqua. Et in noviſſimo*, & TUNC VIDEBIS POSTERIORA *mea. Non lumbos, nec ſuras; ſed quam deſideraverat gloriam in poſterioribus temporibus revelandam.* Verum cum Deus votis ipſius Moſis ea parte annuens, non quidem faciem, ſed poſteriora oſtenderit; inde manifeſtum fit Moſem non exoraſſe futuram divinæ gloriæ manifeſtationem, ſed præſentem.

II. Exiſtimant plurimi nomine *gloriæ*, Moſem fuiſſe deprecatum viſionem claram divinæ eſſentiæ, quæ beatis mentibus in cœlo conceditur, ita S. Irenæus lib. 4. cap. 37. S. Hilarius in Pſalmum 118. maxime vero S. Auguſtinus lib. 2. de Trinitate cap. 16. & lib. 12. de Geneſi ad litteram cap. 27. & quæſt. 154. in Exodum, quod utique confirmat ex his ad Moſem verbis verſ. 19. *Ego oſtendam omne bonum tibi.* At cum Deus Moſi deinde dixerit verſ. 20. *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & vivet.* Inde ſequitur Moſem aut petita non fuiſſe conſecutum, aut divinæ eſſentiæ contemplationem iſtis verbis non poſtulaſſe.

Itaque potius dicendum arbitror, petiiſſe Moſem aſpectabilem quamdam Domini manifeſtationem; eum enim qui cum eo loquebatur, ſive Angelus Domini perſonam ſuſtinens, ſive Deus ipſe, cum eſſet nube tectus, & amictus caligine ſicut veſtimento, rogavit Moſes ut amoto hoc velamine, faciem ſuam lumine perfuſam quam in aſſumpto corpore habebat, ei manifeſtam faceret, nimirum ut non tantum ejus voces audire, ſed etiam præſentem intueri liceret. At cum aſſumptum illud corpus, ſive ab Angelo, ſive a Deo tanta majeſtate tantoque fulgore coruſcaret, ut ejus intuitum humanus oculus in mortali corpore ferre non poſſet; vehemens enim ſenſibile organum ac facultatem peſſundat, ac perdit, ideo merito repoſuit Deus, *non videbit me homo, & vivet.*

Neque his obſtat illa Dei ad Moſem promiſſio, *Ego oſtendam omne bonum tibi*, quæ verba indicare videntur intuitum ipſius divinæ eſſentiæ, cui ſoli competit ratio *omnis boni*; inde namque non fuit conſequens, quod Deus

pro-

promiſerit Moſi intuitivam ſui viſionem in hac mortali vita, quam beatis concedit in cœlis: ſed tantum inde ſequitur *quod illi eum conceſſit aſpectum, qui fit per altiſſimam divinitatis contemplationem*, ut exponit Origenes. *Hoc ergo* inquit, *modo Moyſes etiam Deum vidiſſe putandus eſt, non carnalibus oculis eum intuens: ſed viſu cordis ac ſenſu mentis intelligens, & hoc ex parte aliqua*. Sed de his plura in noſtro Scoto Academico diſputatione de viſione beatifica.

Noluit tamen Deus Moſis vota omnino fruſtrare: quamobrem juſſit ut montem Sinai conſcenderet, latitaretque in antro *quod*, inquit Deus, *protegam dextera mea, donec tranſeam, tollamque manum meam, & videbis poſteriora mea: faciem autem meam videre non poteris*, hoc eſt dextera mea obtegam ingreſſum ſpeluncæ, ne tu faciem tranſeuntis contempleris; ubi autem modice prætergreſſus fuero, amovebo manum meam, & præbebo me tibi a parte poſteriore contuendum. Ubi nomine *manus*, nubem aliquam denſam intelligit, qua ſpeluncæ ingreſſum tegeret, quamque tranſiens amoveret, ut aſſumpti humani corporis, cœleſti lumine corruſcantis poſteriora ſine periculo Moſes intueri valeret; quod videlicet tantus non eſſet in poſteriori parte fulgor, qui oculi aciem hebetaret, quantus in anteriori emicabat.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XXXIV.

MOſis precibus & populi pœnitentia omnino placatus Deus, novum cum Iſraelitis fœdus ſtatuere voluit: jubet itaque Moſi, ut novas aptet tabulas, quibus eadem inſcriberet, quæ proprio digito in confractis tabulis exararat, nonnullis aliis adjectis quibus deinceps populus ſuo in officio contineretur. Tria itaque in hoc capite referuntur. I. Iteratus Moſis in montem aſcenſus cum paratis duabus tabulis, quibus ipſe Decalogum inſcripſit. II. Moſis cum Deo colloquium, & preces pro populo. III. Peculiares leges quas a Moſe conſcribi & a populo ſervari jubet Deus, ut reparatum fœdus inviolabile perſeveret.

Præcipit itaque Deus Moſi ut paret ſibi duas Tabulas, lapideas inſtar priorum, quas fregerat: cujus mandato ut paret Moſes, *de nocte conſurgens aſcendit in montem Synai, ſicut præceperat ei Dominus, portans ſecum Tabulas*. v. 4. *Dixitque Deus ad Moyſem: ſcribe tibi verba hæc, quibus & tecum, & cum Iſrael pepigi fœdus*, v. 27. Ex quibus manifeſtum fit ſecundas has tabulas Moſis manibus confectas, fuiſſe pariter & ab eo in illis deſcriptas Dei leges. Diſcrepabant igitur hæ duæ Tabulæ a prioribus, quod priores ipſo a Deo confectæ fuerant & deſcriptæ, ut conſtat ex cap. 31. v. 18. *Deditque Dominus Moyſi... duas Tabulas teſtimonii lapideas ſcriptas digito Dei*. Quod confirmatur ex Deuteron. *cap. 9. v.* 10.

Quærit autem S. Auguſtinus cur priores Tabulæ brevi confringendæ, confectæ fuerint a Deo, & deſcriptæ illius digito: poſteriores vero perpetuo ſervandæ, ac in Tabernaculo & Templo Dei reponendæ, tam ab homine excisæ fuerint, quam ab homine ſcriptæ? *Quomodo igitur*, inquit, *hic ſolvitur quæſtio, quare illæ opus Dei, iſtæ opus hominis?*

Reſpondet autem, illis prioribus Tabulis ſignificatum eſſe vetus Teſtamentum, quia Deus ibi præcepit, ſed homo non fecit; Lex enim poſita eſt in Veteri Teſtamento quæ convinceret tranſgreſſores, ut abundaret delictum: non enim implebatur timore, quæ non impletur niſi charitate; & ideo dicitur opus Dei, quia Deus legem conſtituit, Deus conſcripſit; nullum opus hominis, quia homo Deo non obtemperavit, & eum potius reum lex fecit. In ſecundis autem Tabulis, homo per adjutorium Dei tabulas fecit, atque conſcripſit: quia novi Teſtamenti charitas legem fecit... Dicit enim Apoſtolus, *Plenitudo legis charitas*; [a] Et *fides, quæ per dilectionem operatur* [b] *&c.* ita S. Auguſtinus.

[a] Rom. 13. v. 10.
[b] Gal. 5. v. 6.

Quibus poteſt adjici, quod cum priores tabulas manu & digito Dei paratas fregiſſet Moſes, quod primum & præcipuum illarum mandatum de unico numine colendo violaſſent Iſraelitæ, fabricando & colendo vitulum aureum; voluit Deus ut per hominem novæ tabulæ apararentur & ſcriberentur, quatenus impoſterum homines obſervantiores eſſent Legum illarum, quas ipſi deſcripſiſſent.

Acceptis igitur his duabus tabulis, ſummo mane, & albeſcente vix cœlo Moſes aſcendit in montem. Quo cum perveniſſet ſtatim in nube deſcendit Dominus, quem Moſes compellans ait, *Dominator Domine Deus* &c. quæ verba Hebræus Textus videtur ad ipſum Deum referre, habet enim, *deſcendit Dominus, & ſtetit cum eo, & invocavit in nomine Domini, & tranſivit & clamavit* &c. nimirum ut impleret quod promiſerat capite præcedenti verſ. 19. ubi dixerat *vocabo in nomine Domini coram te*, &c. id eſt proferam Sacro-Sanctum nomen *Jehova*, & Dei miſericordiam prædicabo, quod etiam confirmatur ex *Numerorum* 14. ubi hæc eadem commemorans Moſes, Deum rurſus in Iſraelitas iratum placaturus ait, *Magnificetur ergo fortitudo Domini ſicut juraſti, dicens: Dominus patiens & multæ miſericordiæ* &c. quæ ipſiſſima ſunt verba hic prolata; igitur ab ipſo Deo dicta videntur: his adde quod expreſſis illis Dei elogiis, continuo additur, *feſtinuſque Moſes, curvatus eſt pronus in terram, & adorans ait; ſi inveni gratiam in conſpectu tuo Domine* &c.

At-

Attamen ut Vulgati Interpretis ſtet auctoritas & Verſio, cogitare licet, a Moſe hæc, quæ audierat Dei epitheta, recitata, Deumque ſtatim compellatum eſſe iiſdem magnificis titulis, quibus ſuam erga homines clementiam & bonitatem celebraverat; quatenus petita facilius obtineret: nimirum. I. Ut Deus ſe continuum in via populi ducem & protectorem præberet. II. Ut initum prius & a populo temeratum fœdus inſtaurare dignaretur. III. Ut præteritas iniquitates obliterans, eos rurſus ut ſuum populum adoptaret, priuſquam conſcriptas leges in paratis tabulis iterum exararet.

Tria hæc conceſſit Dominus, plures leges jam præſcriptas innovavit, aliaſque adjecit. I. De non ineundo cum alienigenis fœdere & matrimonio. II. De unico numine colendo, exterminandiſque omnibus Idolis. III. De celebranda per ſeptem dies azymorum ſolemnitate. IV. De primogenitorum oblatione, & redemptione. V. De ſervandis ſolemnitatibus hebdomadarum, ideſt Pentecoſtes, Scenopegiæ ſeu Tabernaculorum, & die Sabbati. VI. Ut ter in anno maſculi convenirent ad Tabernaculum Domini. VII. De non miſcendo fermento cum ſanguine hoſtiæ, neque ſervanda aliqua victimæ Paſchalis parte in diem craſtinum. VIII. De primitiis frugum Deo offerendis. Juſſit autem Deus ut has ad Decalogum appendices ſcriberet ipſe Moſes, populo deinde legendas.

Cum ergo iterum quadraginta diebus jejunus cum Domino in monte ſtetiſſet, atcepiſſetque duas tabulas Decalogo inſcriptas, deſcendit ad populum, *Ignorans quod cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini*, verſ. 21. ubi vox *cornuta*, ſumitur metaphorice, nempe pro radiante ſeu fulgorem ejaculante, ut exponit S. Paulus 2. ad Corinthios 3. verſ. 7. ubi ait: *Quod ſi miniſtratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria, ita ut non poſſent intendere filii Iſrael in faciem Moyſi propter gloriam vultus ejus, quæ evacuatur: quomodo non magis miniſtratio ſpiritus erit in gloria? Nam ſi miniſtratio damnationis gloria eſt: multo magis abundat miniſterium juſtitiæ in gloria.* Moſes itaque tanto ſplendore radiabat, ut non ſolum populus, ſed ne Aaron quidem ipſe, & alii populi principes tantum fulgorem ferre non valentes, ejus aſpectum & conſortium perterriti refugerent, donec Moſes impoſito ſupra ſuum caput velamine, eos revocavit, illiſque & toti populo mandata divina expoſuit.

Petes, qui fieri potuit, ut Moſes tanto lumine radians, non deprehenderit ipſe fulgentem iſtam lucem ab ejus capite in aerem diffuſam.

Reſpondeo, id Moſi accidiſſe, quod evenir iis, qui ex majori lumine in minus incidunt; putant enim ſe in tenebris verſari; cum itaque Moſes circumfuſus fuiſſet ſplendore gloriæ Domini, vix ſentiebat ſcintillam lucis iſtius in ſuo vultu permanentem quo aliorum oculos ita perſtringebat, ut nullatenus in faciem ejus poſſent intendere. Voluit autem Deus divinæ ſuæ lucis quædam veſtigia tranſmittere in Moſis vultum, ut non dubitaret populus Moſem iniiſſe conſortium familiare cum eo qui *habitat lucem inacceſſibilem*.

Cum autem divinus ille ſplendor e Moſis capite radios inſtar cornuum, emitteret; inde illius facies dicta eſt *cornuta*; Hebræa enim vox *Karan*, quæ hic ſcribitur, ſignificat, ſplendere & radios acutos effundere ad ſimilitudinem cornuum. Inde factum eſt ut Moſes a pictoribus, & ſculptoribus cum facie cornuta, ſeu capillis cornuum inſtar erectis repræſentetur.

Etſi vero jam per alios quadraginta dies Moſes divino conſpectu & colloquio potitus fuerat, eodem tamen ſplendore facies illius non fuit irradiata; quod Deus in tanta majeſtate & gloria illi prima vice non apparuiſſet. Cum autem Moſes ipſum fuiſſet deprecatus, ut oſtenderet illi faciem ſuam; licet illius votis omni ex parte non reſponderit Deus, quippe non faciem, ſed ſua poſteriora conſpicienda illi præbuit; attamen tanto ſplendore circumdatus ſeſe illi videndum obtulit, ut ipſius Moſis facies divina claritate refulgens appareret.

Quandiu autem fulgor ille Moſi adhæſerit, prorſus incertum eſt; ſunt qui cum Abulenſi antiſtite exiſtimant ſplendorem illum tota Moſis vita perſeveraſſe, ac proinde quoties populo loqueretur, faciem velaſſe. Verum fulgor ille ordinariæ Moſis erga populum functioni plurimum obſtitiſſet, quia nonniſi magna cum difficultate cum populo converſari, nec Iſraelitæ commode ad eum accedere potuiſſent. Utilis quidem fuit ille fulgor in promulganda divina Lege, quatenus auditores perſuaſum haberent legem illam, etiamſi per Moſem promulgatam, fuiſſe tamen revera a Deo præſcripram: at non eadem videtur iſtius luminis poſt legem acceptam & promulgatam.

DISQUISITIONES
IN CAPITA XXXV. XXXVI. XXXVII.

CUm enarraſſet Moſes mirabilem illam Dei erga populum Iſraeliticum indulgentiam & miſericordiam (qua illos fœdifragos & prævaricatores paternum veluti in ſinum ſuum benigne excepit, priſtinum cum eis initum fœdus innovavit, promiſit ſe futurum eorum in itinere ducem & comitem, eis ſuaſque divinas Leges lapideis tabulis inſcriptas iterum conſignavit) his in capitibus reſumit Moſes, quæ prius edixerat

de

Digitized by Google

de publico Dei cultu inſtituendo, tum in confectione novi Tabernaculi; tum in conſecratione Sacerdotum & Miniſtrorum; tum in ſanctificatione vaſorum, & omnium quæ ad divinum cultum ſolemniter peragendum conducerent.

Quoniam autem Deus maxime colendus erat die Sabbati, illius exactam obſervantiam iterum commendat Moſes *cap.* 35. deinde hortatur tam viros quam mulieres ut prompto & religioſo animo conferant neceſſaria ad confectionem Tabernaculi & ornamentorum Sacerdotalium; quæ cum ultro fuiſſent oblata, declarat poſtremo artifices electos a Domino ad ſacrum illud opus perficiendum, ſcilicet Bezeleelem & Ooliabum, quos divina ſua ſapientia illuſtraverat.

Capite autem 36. cum populus ſumma liberalitate pretioſa quæque ad Tabernaculi & Arcæ fœderis confectionem plus conferret, quam eſſet neceſſarium; juſſit Moſes præconis voce, prohiberi ne vir, nec mulier quidquam offerret ultra in opere Sanctuarii. Refert deinde artifices illos ad id ſelectos egregiam navaſſe operam in iis omnibus conficiendis, quæ indicaverat, quemadmodum ipſe a Deo fuerat edoctus: quæ, cum ſuperius fuerint explanata, non ſunt hic denuo exponenda.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XXXVIII.

CUm in præcedentibus capitulis expoſuiſſet Moſes Tabernaculi ſacrorumque Vaſorum in eo deſervientium fabricam, deſcribit in hoc I. Confectionem altaris holocauſti. II. Labri ænei ex ſpeculis mulierum quæ excubabant ad oſtium Tabernaculi. III. Viginti columnarum ænearum cum capitellis & baſibus cælatura argentea ornatis. IV. Recenſet quantum auri & argenti impenſum fuerit in his conficiendis & a quibus oblatum, nimirum tam a ſexcentis tribus millibus quingentis & quinquaginta hominibus comparatis ad pugnam, & qui viginti annos exceſſerant, eorum unoquoque dimidium ſicli, ut præceptum fuerat, in tributum præbente; quam ab aliorum Hebræorum voluntaria oblatione.

Quæritur autem I. Quænam fuerint illæ mulieres ad oſtium Tabernaculi excubantes?

Reſpondeo, Communiorem SS. Patrum, Sacrorumque Interpretum ſententiam eſſe; has mulieres eas fuiſſe, quæ ſpreta mundi vanitate, ſoli Deo placere ſtudentes, ornamenta ſua, maxime ſpecula, divino cultui conſecrarunt, quæque diebus ſingulis ad Tabernaculum confluebant, partim orandi, jejunia celebrandi, aliaque pia exercendi cauſa, partim legis expoſitionis audiendæ & exequendæ gratia; vel etiam ut ſuam in Tabernaculi ornatum operam impenderent, nendo, texendo, lavando, & verrendo, cæteraque præſtando quæ ad operariorum levandum laborem, & ſacrum miniſterium promovendum conducerent.

Hæc vero non perpetuo conſiſtebant circa Tabernaculum, dum incerto adhuc loco conſiſteret: ubi vero cœpit determinatum & fixum habere locum, ut in Silo & in Templo Salomonico, paratas habuerunt ædiculas juxta Tabernaculum, ubi orationi, jejuniis aliiſque piis operibus incumbebant; ut legitur 1. *Reg.* 2. v. 22 2. *Machab.* 3. verſ. 20. *Lucæ* 2. verſ. 37. Erant autem piæ illæ mulieres, quaſi typus Sacrarum Monialium novæ Legis, quæ ſe animo & corpore, divino cultui & obſequio per totam vitam devovent, & mancipant.

Quæritur II. Quænam fuerit eorum ſpeculorum materia?

Reſpondeo, hanc non obſcure Moſem indicare cum ait, labrum illud æneum confectum fuiſſe ex ſpeculis mulierum; inde namque fit manifeſtum, ſpecula iſta ex ære fuiſſe compoſita; docet enim Plinius lib. 33. cap. 9. & 34. cap. 17. olim ſpecula ex ſtanno, & ære terſo & polito concinnata. Itaque ſomniant, qui cenſent labrum illud æneum fuiſſe confectum ex integumentis æneis illorum vitreorum ſpeculorum, cum vitrum eo tempore nondum eſſet in uſu, & ſpecula tunc fierent ex calibe aut ære, aut argento politiſſimo, ut refert Vitruvius lib. 7. cap. 3. ſupra laudatus.

Quæritur III. Unde Hebræi, qui ſub dura Ægyptiorum captivitate viliſſimis & laborioſiſſimis operibus erant addicti, tot pretioſiſſimas gemmas, tantamque auri, argenti, & ſupellectilis copiam ſibi comparare potuerint, & ad Tabernaculi ornatum conferre?

Reſpondeo, Id habuiſſe I. ex propriis bonis ſive hæreditate a majoribus, ſive ſua induſtria comparatis. Etſi enim diriſſime in eos egerint Ægyptii, nullibi tamen legitur, ab his fuiſſe ſuis facultatibus ſpoliatos. II. ex Ægyptiorum ſpoliis, quæ, vel mutuo ante exitum acceperant, vel a ſuffocatis in mari rubro cadaveribus cum eorum veſtimentis & armis ad littus, in quo ſtabant Iſraelitæ, refluentibus. III. A devictorum Amalecitarum ſpoliis, ut ſupra diximus.

Quæritur IV. Cur Vulgatus Interpres poſt explicatam ſummam auri, quæ refertur verſ. 24. omittit longam periodum, quam habet Hebræus textus, quamque Junius & Tremellius ſic vertunt verſ. 25. *Item argentum numeratorum a cœtu centum talenta cum mille ſeptingentis ſeptuaginta quinque ſiclis, prout eſt ſiclus ſacer, verſ.* 26. *Didragma in ſingula capita dimidium ſicli prout eſt ſiclus ſacer cujuſque tranſeuntis ad numeratos a nato* 20. *annos & deinceps, nimirum ſexcentorum*

rum trium millium quingentorum quinquaginta. Ex quibus apparet ſummam illam argenti ſolutam fuiſſe in tributum ab iis qui nati erant 20. annos, ut a Deo præſcriptum fuerat, nempe ut eorum quiſque ſolveret dimidium ſicli.

Vulgatus autem Interpres cum dixiſſet verſ. 24. *Omne aurum quod expenſum eſt in opere ſanctuarii, & quod oblatum eſt in donariis, viginti novem talentorum*, &c. addit verſ. 25. *Oblatum eſt autem ab his qui tranſierunt ad numerum*, hoc eſt qui numerati ſunt *a viginti annis, & ſupra, de ſexcentis tribus millibus, & quingentis quinquaginta armatorum* Ubi illud *oblatum* videtur referendum ad aurum prius enarratum; quod verum non eſt: nam numerati illi, non aurum, ſed didragma ſeu dimidium ſicli argenteum ſolvere tenebantur, ut videre eſt ſupra cap. 30. verſ. 13.

Reſpondeo, illa verba *oblatum eſt autem* &c. non debere referri ad aurum prius memoratum; ſed novam eſſe ſententiam referendam ad oblationem argenti, quæ ſtatim verſ. 26. adjicitur *fuerunt præterea centum talenta argenti* &c. quibus addi debent mille ſeptingenti ſeptuaginta quinque, ſupple *ſicli*, qui exprimuntur *verſ.* 28. quam totam argenti ſummam Hebræus textus ſimul exprimit. Noſter autem Interpres in hac ſecunda recenſione ſummæ expenſæ in fabrica Tabernaculi, prolixas repetitiones, ab Hebræis frequentatas, ſæpe contrahit, ubi videt eas ex textu facile poſſe colligi. Hinc verba illa *fuerunt præterea* &c. Sic debent accipi, ac ſi diceretur; *unde fuerunt præterea*, id eſt præter aurum, oblata fuerunt centum talenta argenti, quibus adjiciendi ſunt mille ſeptingenti ſeptuaginta quinque ſicli verſ. 28. memorati.

Arguitur inſuper Vulgatus Interpres, quod verſ. 29. ſcripſerit: *Æris quoque oblata ſunt talenta ſeptuaginta duo millia, & quadringenti ſupra ſicli*, ubi videtur illa duo millia ad ſiclos, & non ad talenta referre, quod falſum eſt; nam inde ſequeretur minorem fuiſſe oblatam copiam æris, quam argenti. Deinde 70. talenta æris non fuiſſent ſufficientia ad conficiendas 60. columnas.

Reſpondeo, textum Vulgati noſtri Interpretis ſic eſſe legendum, ut poſt *ſeptuaginta*, adjiciatur coma ab amanuenſibus prætermiſſum, ſitque hic ſenſus: oblata fuiſſe talenta ſeptuaginta, & præterea duo millia talentorum, ſcilicet numerum minorem majori præponendo more Hebræorum, ſic enim hic habet Hebræus textus. *Oblata ſunt ſeptuaginta talenta & duo millia*, id eſt 72000.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XXXIX.

REferuntur hoc in capite confectæ omnes Sacræ Veſtes, quæ Aaroni, ejuſque ſucceſſoribus ſummis Pontificibus in ſacris peragendis debebant inſervire; quæ cum ſupra delineatæ fuerint, & ſatis ſuperque diſcuſſæ, nihil hic adjiciendum occurrit, niſi quod, ut diximus, in Rationalis confecti recenſione, nulla fiat mentio, *Urim & Thummim*. Unde multi colligunt hæc nil aliud fuiſſe præter fulgorem & ornatum duodecim exquiſitiſſimarum gemmarum in illo pectorali inſertarum. Verum Levit. cap. 8. verſ. 8. expreſſe dicitur in Rationali fuiſſe *Doctrinam & Veritatem* hoc eſt *Urim & Thummim*: ſed de his ſupra.

Advertendum pariter a Vulgato Interprete, nonnulla hic contrahi, & prætermitti aliqua, ne inutilis & ingrata prius dictorum fieret repetitio, quæ Hebræis familiaris eſt, ſed aliis minus accepta.

Non eſt etiam prætermittendum quod tametſi ad Tabernaculi, aliorumque in eo contentorum confectionem, ſpeciales artifices elegiſſet & deſtinaſſet Deus, nihilominus eorum fabrica tribuitur omnibus Iſraelitis, quod neceſſariam & convenientem ad id materiam miniſtraverint. Unde cum iſta numeris omnibus fuiſſent abſoluta, Tribuum præfecti ea detulerunt ad Moſem, qui cum opus probaſſet, Dei nomine eis benedixit, ut refertur verſ. ultimo.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XL.

QUamvis Tabernaculum, & omnia quæ in eo erant recondenda, juxta Dei ordinationem exacte fuiſſent peracta; illud tamen abſque ſpeciali mandato noluit Moſes erigere. Præcepit autem ei Deus, I. Ut Tabernaculum elevaret primo die recurrentis anni ab exitu de Ægypto, & omnia ſacra vaſa in eo recondcret. II. Ut ſancta unctione ea omnia conſecraret. III. Ut Aaronem, ejuſque filios aqua lotis ſacris veſtibus indueret, adduceretque ad fores Tabernaculi, quatenus eſſent comparati ad exercendum ſuum miniſterium.

Quæ cum omnia, ut præſcriptum fuerat, eſſent peracta; Deus ſenſibili teſtimonio probare voluit ſe illa habere gratiſſima. Etenim columna nubis, quæ incubabat illi Taberna-

culo, quod extra caſtra conſtituerat Moſes, in odium admiſſæ idololatriæ, hoc relicto, tranſiit ad novum illud, tantaque caligine illud opplevit, ut *nec potuerit Moſes ingredi tectum fœderis, nube operiente omnia, & majeſtate Domini coruſcante*, verſ. 33. nempe quandiu divina majeſtas fulgorem ſuum in hoc Tabernaculo emittebat.

Quæres, cur Moſes non potuerit in Tabernaculum ingredi propter nubem operientem, & Dei majeſtatem in Tabernaculo reſidentem; cum in nubem operientem montem Sinai, fuerit ingreſſus, & Dei viſione ac colloquio potitus?

Reſpondet S. Auguſtinus quæſt. 173. Moſem in monte Sinai geſſiſſe perſonam eorum qui participes fiunt intimæ veritatis Dei, id eſt altiſſimæ ejus contemplationis, nempe Chriſtianorum: in Tabernaculo vero repræſentaſſe Judæos, quibus gloria Domini, quæ eſt in tabernaculo, id eſt gratia Chriſti in Eccleſia, tamquam nubes opponitur, quod eam non intelligant, & ideo non intrant in novum hoc Tabernaculum. Adjici poteſt hoc ideo factum, ut homines intelligerent quanta reverentia debeant accedere ad ſacra loca, quibus Deus ſingulari ſua præſentia adeſt. Si enim vir tantus tamque benigne Deo acceptus, ut erat Moſes, dum Tabernaculo adeſſet Dei majeſtas, illud ingredi ipſi non fuit liberum; quanto magis a ſacris noſtris templis arceri debent homines minus religioſi.

Similia contigerunt in dedicatione Templi Salomonici; legitur enim 3. Regum cap. 8 v. 10. quod cum Sacerdotes exiiſſent de Sanctuario in quo repoſuerunt Arcam fœderis, *Nebula implevit domum Domini, & non poterant Sacerdotes ſtare & miniſtrare propter nebulam: impleverat enim gloria Domini domum Domini; tunc ait Salomon: Dominus dixit, ut habitaret in nebula.*

DISQUI-

DISQUISITIONES
IN LEVITICUM.

Divinus hic Liber a prima illius voce ab Hebræis dicitur *Vaikra* id eſt, *& vocavit*: a Græcis autem & Latinis appellatur *Leviticus* quod in illo ea recenſeantur quæ ſpectabant ad ſacra miniſteria exercenda ab hominibus e Levitica tribu oriundis, quos Deus in peculiarem & publicum ſuum cultum ſelegerat & deſtinarat. Unde tres diſtingui poſſunt hujus Libri partes, quarum in *Prima* ritus præſcribuntur offerendorum Sacrificiorum, & ex quibus Victimis, idque a primo capite uſque ad octavum. In *Secunda* vero uſque ad caput 23. traditur qui & quales eſſe deberent offerentes, ut ſua munia debite perſolverent. In *Tertia* denique declaratur tempus quo potiſſimum offerenda eſſent illa ſacrificia, & qualiter vota eſſent facienda & implenda. Inſuper deſcribuntur variæ immunditiæ, & ab eis purificationes: traduntur pariter multa præcepta moralia, & judicialia. Quoniam autem ex ſimplici lectione pleraque facilem & obvium ingerunt ſenſum, idcirco a ſigillatim expendendis capitibus abſtinendum, & in eis duntaxat textibus diſcutiendis inſiſtendum, quæ aliquam Lectoribus difficultatem poſſent ingerere.

QUÆRITUR AUTEM

A quo, ubi, & quando conſcriptus fuerit hic Liber.

Reſpondeo, illum fuiſſe dictatum a Deo, & a Moſe conſcriptum dum Iſraelitæ adhuc conſiſterent ad radices montis Sinai: ut apparet ex hujus Libri fine, ubi legitur: *Hæc ſunt judicia, atque præcepta, & leges, quas dedit Dominus inter ſe & filios Iſrael in monte Sinai per manum Moyſi.* Nec tamen exiſtimandum has Leges dictatas fuiſſe Moſi dum verſaretur cum Deo in monte Sinai, uti Leges judiciales & Decalogus; manifeſtum enim fit ex primo hujus Libri verſu, hæc Moſi fuiſſe præſcripta in Tabernaculo, *Vocavit autem Moyſem, & locutus eſt ei Dominus de Tabernaculo teſtimonii.* Ubi ſcilicet Moſi Deus apparere, eique ſua arcana detegere ſolebat.

Cum autem magnum Tabernaculum univerſim diſtributum eſſet in tres partes, nimirum in atrium, in Sanctum, & in Sanctum Sanctorum: cumque Deus ſolitus eſſet Moſem alloqui, vel in atrio parvi Tabernaculi, ut obſervatum eſt, vel in Sanctuario, dum magnum Tabernaculum fuit erectum, quærunt Interpretes in quonam his ex locis Moſi Leges illas præſcripſerit? omiſſis vero aliorum ſententiis exiſtimo hæc Moſi a Deo præſcripta in Sanctuario, ſeu in Sancto Sanctorum ubi repoſitum erat propitiatorium, ſicuti promiſerat: *Inde præcipiam & loquar ad te ſupra propitiatorium* &c. Unde apparet Moſem ſæpius ingreſſum eſſe in Sancta Sanctorum, ut a Deo, vel mandata, vel reſponſa exciperet.

Neque his obſtat quod ex hujus *Levitici cap. 16. verſ. 2. 29. & 33.* & diſtinctius ex epiſt. *ad Hebræos cap. 9. v. 7.* colligatur ſoli ſummo Sacerdoti liberum fuiſſe ſemel tantum in anno, ſcilicet decima die menſis ſeptimi, dum ageretur feſtum & ſacrificium expiationis, ingredi in Sanctuarium: cum enim Moſes eſſet populi dux & princeps, neceſſum erat, ut frequentius ad Sanctuarium accederet, Dei juſſa & oracula excepturus.

Ad tempus vero quo ſcriptus fuit hic Liber, certum eſt eum fuiſſe ſcriptum intra primum diem anni ſecundi egreſſus ex Ægypto, in quo die erectum eſt Tabernaculum, & diem vigeſimum ſecundi illius menſis, quo Iſaelitæ diſceſſerunt ex monte Sinai, ut refertur *Numer. cap.* 10. *verſ.* 11. & 12. quot autem dies in eo conſcribendo fuerint inſumpti, certo definiri non poteſt, cum ea de re Moſes omnino ſileat. Veriſimile tamen eſt, non unicum, ſed plures in eo opere dies fuiſſe inſumptos; neque enim brevi unius diei decurſu tot potuiſſent conſcribi divina mandata.

Cum autem omnia quæ hoc divino Libro comprehenduntur ad quinque potiſſimum capita revocentur, nimirum. I. Ad ſacrorum Miniſtrorum, nempe Levitarum electionem & functionem. II. Ad ſacrificiorum & oblationum diverſa genera. III. Ad immundiciarum, & ab illis purgationum diſtinctos ordines. IV. Ad ciborum delectum, ſeu quibus veſci liceat aut prohibitum ſit. V. Ad multiplices leges, variaque præcepta mandata, moralia & judicialia: ut de iis omnibus informari poſſit lector, ſingula capita ſigillatim expendemus.

PARS PRIMA.

DE SACRIS MINISTRIS.

TAmetſi cujuſvis ordinis, ſexus, & ætatis homines, dummodo rationis compotes, totius vitæ ſuæ tempore Deo famulari teneantur, eique continuo, propter accepta ſingulis momentis beneficia, debitas gratiarum actiones & laudes perſolvere debeant: quoniam tamen plerique ita implicantur rerum mundialium curis, ut ab eis nonniſi ægre interdum abducantur. Inde, ipſa naturali ratione dictante, apud quaſque excultas nationes ſancitum eſt, ut aliqui deſignarentur qui ab omnibus publicis negotiis immunes, uni divino cultui, tam ſuo quam cæterorum nomine, vacarent. Quam piam conſuetudinem exemplo ſuo firmare voluit Deus, ſeligendo Leviticæ Tribus homines qui ſactis miniſteriis juxta præſcriptos titus intenderent.

QUÆRITUR AUTEM I.

Quinam fuerint Levitæ quorum nomine hic Liber inſcribitur.

LEvitæ dicti ſunt omnes propagati a Levi tertio ex Lia Jacobi filio; hic vero tres habuit filios Gerſonem, Caathum, & Mararim *Geneſ. 46. verſ.* 1. & 1. *Paralip. 6. verſ.* 1. Caathus autem genuit Amramum, Iſaarum, Hebronem, & Ozielem. Amramus habuit Aaronem, Moyſem & Mariam. Filii autem Aaronis Nadab, Abiu, Eleazar, & Ithamar, qui omnes Aaronitæ, eorumque poſteri electi ſunt & aſſumpti a Deo in Sacerdotes, qui nimirum offerrent ſacrificia, preceſque pro populo ſunderent; cæteri vero à Levi oriundi inferiora ſacra miniſteria obirent, ut refertur 1. *Paralip. 6. verſ.* 48. & 49. ubi recenſitis filiis Levi, adiicitur: *Fratres quoque eorum Levitæ, qui ordinati ſunt in cunctum miniſterium Tabernaculi domus Domini. Aaron vero & filii ejus adolebant incenſum ſuper altare holocauſti, & ſuper altare thymiamatis, in omne opus Sancti Sanctorum, & ut precarentur pro Iſrael, juxta omnia quæ præceperat Moyſes ſervus Dei.*

Leviticam autem Tribum in divinum ſuum cultum aſſumpſit Deus loco primogenitorum, quorum a mundi primordio, præcipuum hæreditarium jus erat ſacris præeſſe, & ſacrificia offerre, ut refertur *Num.* 3. ubi cum dixiſſet Moſes Deum juſſiſſe ut ſibi conſecrarentur omnia primogenita tam ex hominibus quam ex pecoribus; ea tamen lege ut ex hominibus primogeniti redimi poſſent quinque ſiclis argenteis, ut eorum vitæ parceretur, fierentque liberi a perpetua in divinum cultum mancipatione, ut habetur *verſ.* 13. addit verſ. 44. & ſequentibus, *Locutus eſt Dominus ad Moyſem, dicens: * tolle Levitas pro primogenitis filiorum Iſrael & pecora Levitarum pro pecoribus eorum, eruntque Levitæ mei. Ego ſum Dominus. * In pretio autem ducentorum ſeptuaginta trium, qui excedunt numerum Levitarum de primogenitis filiorum Iſrael, * accipies quinque ſiclos per ſingula capita ad menſuram ſanctuarii. Siclus habet viginti obolos. * Dabiſque pecuniam Aaron & filiis ejus, pretium eorum qui ſupra ſunt.*

In hoc autem ingenti Levitarum numero comprehenduntur non ſolum Levitæ inferioris, ſed etiam ſuperioris ordinis, nempe Sacerdotalis, qui omnes dicebantur Levitæ, quod a Levi eſſent orti. Quoniam vero in hoc libro deſcribuntur ea ſacra miniſteria circa quæ obeunda Levitæ occupabantur; idcirco ab eis nomen ſortitur; tametſi in eo potiſſimum agatur de ritu offerendorum ſacrificiorum quæ ſpectabant ad Aaronis filios; qui nomine ſuæ Tribus, etiam Levitæ dicebantur, ſicut & eorum pater Aaron dictus eſt *Levites* a Deo.

Cur autem Deus Tribum Levi, potiuſquam alteram, ex undecim aliis divino ſuo cultui adſciverit, præcipua ratio fuit ejus divina voluntas; operatur enim omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ. Poteſt tamen dici Levitas ad id aliis fuiſſe prælatos, quod in procuranda Dei gloria, ejuſque vindicanda cauſa cæteris eſſent promptiores & ferventiores, ut apparuit cum animadvertendum fuit in vituli aurei cultores & idololatras; cum enim Moſes divino zelo ſuccenſus in caſtrorum portis clamaſſet, *Si quis eſt Domini, jungatur mihi!* hac audita voce, congregati ſunt ad eum omnes Levitæ ad arma comparati, qui accincti gladiis per caſtra excurrentes, obvios quoſque, nullo affinitatis & ſanguinis habito reſpectu trucidarunt ad viginti tria millia: qua expeditione peracta dixit eis Moſes *Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino*. Hoc eſt, ut bene exponit Abulenſis, ex hac die conſecratæ ſunt manus veſtræ in ſanguine propinquorum veſtrorum, quos pro Dei honore occidiſtis, ut exinde redditæ ſint aptæ ad miniſtrandum Domino, & *ut detur nobis benedictio*, id eſt, ut ſitis pars benedicta a Domino, & electa in ſortem ejus. Quanquam hæc Levitarum ſeparatio, non continuo per Moſem facta fuit, ſed multo poſt, nimirum menſe primo anni ſubſequentis; oportuit enim prius conſici Tabernaculum & omnia quæ ad ipſum ſpectabant, quam deputare miniſtros, qui in eo ſacris inſervirent.

QUÆ-

QUÆRITUR II.

Quæ fuerint Leviticæ Tribus immunitates & privilegia.

RESpondeo, hæc potiſſimum in Scriptura ſacra memorari. I. Quod a rerum mundialium cura & ſollicitudine abducti, uni divino cultui manciparentur, rebuſque ſacris peragendis & cuſtodiendis toti incumberent. Unde præ cæteris Iſraelitis gloriari poterant ſe eſſe populum Dei, & oves paſcuæ ejus, quod uni Deo inſervirent & ejus providentia paſcerentur. Nam prædiis & poſſeſſionibus terrenis orbati, Deum ipſum habebant in hæreditatem, erantque participes eorum quæ in Dei cultum & honorem ab aliis Tribubus offerebantur, uti Aaroni eorum principi declaravit Deus, *In terra eorum* (Iſraelitarum) *nihil poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos: Ego pars & hæreditas tua, in medio filiorum Iſrael. Filiis autem Levi dedi omnes decimas Iſraelis in poſſeſſionem pro miniſterio quo ſerviunt mihi in Tabernaculo fœderis*; Et verſ. 24. *Nihil aliud poſſidebunt, decimarum oblatione contenti, quas in uſus eorum & neceſſaria ſeparavi* Et Deuter. 10 verſ. 9. *Non habuit Levi partem, neque poſſeſſionem cum fratribus ſuis: quia ipſe Dominus poſſeſſio ejus eſt*; & cap. 18. v. 1. *Non habebunt Sacerdotes & Levitæ, & omnes qui de eadem Tribu ſunt, partem & hæreditatem cum reliquo Iſrael, quia ſacrificia Domini, & oblationes ejus comedent, & nihil accipient de poſſeſſione fratrum ſuorum: Dominus enim ipſe eſt hæreditas eorum.* Unde Joſue 13. verſ. 14. cum diſtribuiſſet terram Chanaam ſingulis Tribubus Iſraeliticis, *Tribui Levi non dedit poſſeſſionem ſed ſacrificia & victimæ Domini Dei Iſrael, ipſa eſt ejus hæreditas, ſicut locutus eſt illi.*

Habebant nihilominus intra ſortem cujuſque Tribus domos, & civitates cum earum ſuburbanis & villis in quibus alebant ſua pecora, uti ſtatuerat Deus Moſi dicens. *Præcipe filiis Iſrael ut dent Levitis de poſſeſſionibus ſuis urbes ad habitandum, & ſuburbana eorum per circuitum: ut ipſi in oppidis maneant, & ſuburbana ſint pecoribus ac jumentis, quæ a muris civitatum foriuſecus, per circuitum, mille paſſuum ſpatio tendentur* &c. quod utique divinum præceptum executioni mandavit Joſue, ut videre eſt in cap 21. illius libri. Unde verſ. 39. legitur: *Itaque civitates univerſæ Levitarum in medio poſſeſſionum filiorum Iſrael, fuerunt quadraginta octo cum ſuburbanis ſuis, ſingulæ per familias diſtributæ.*

At, inquies, rationi non videtur conſentaneum tot aſſignatas eſſe civitates Levitis qui in ultima recenſione Num. 26. verſ. 62. erant tantum maſculorum 23. millia pueris etiam ac infantulis unius menſis computatis, unde vix 400. Singulas civitates ex illis 48. poterant incolere: ſicque longe melior erat eorum ſors quam aliarum Tribuum quæ has civitates illis conceſſerant.

Reſpondeo, convenientiſſimum fuiſſe ut viris divino cultui mancipatis liberaliſſime de neceſſariis ad vitam commode fovendam provideretur, quatenus curis terrenis minus intenti, ſacris officiis ſibi præſcriptis ferventius intenderent.

Etſi vero haberent determinatas civitates, quas incolebant, poterant nihilominus extra illas habitationem ſibi comparare, ut conſtat ex libro Judicum cap. 17. *Fuit puer de Bethlehem Juda, ex cognatione populi Juda & Levites, & habitabat ibi. Egreſſuſque de civitate Bethlehem, peregrinari voluit ubicumque ſibi commodum repeRiſſet. Cum veniſſet in montem Ephraim* &c.

Poterant etiam propria pecunia domos & agros ſibi comparare non ſolum in qualibet Tribu Iſraelitica, ſed etiam in exteris regionibus quas incolebant, ut conſtat exemplo S. Barnabæ qui licet Levites, Cyprius erat genere, habebatque agrum quem vendidit, ejuſque pretium attulit, & poſuit ante pedes Apoſtolorum.

Utrum vero earum domorum & civitatum dominium haberent, an duntaxat Uſumfructum, dominio penes Tribus quæ eas conceſſerant, perſeverante, adhuc ſub judice lis eſt apud Interpretes. Propenderem ego in eorum ſententiam, qui aſſerunt Levitas earum fuiſſe dominos, a quibus proprio ac hæreditario jure ad ſuos poſteros tranſmiſſæ fuerint: id enim indicant hæc Levitici 25. verſ. 34. & 35. verba; *Domus urbium Levitarum pro poſſeſſionibus ſunt inter filios Iſrael, ſuburbana autem eorum non veneant, quia poſſeſſio ſempiterna eſt.* Si poſſeſſio ſempiterna; igitur non erat reverſibilis ad eas Tribus, quæ eas conceſſerant.

II. Eorum privilegium erat, quod licet domus, ſive prædium emptum ab aliquo ex aliis Tribubus, non poſſet exacto ab emptione anno, ne quidem in jubileo, a venditore redimi, ut ſtatuitur Levit. 25. verſ. 29. & 30. attamen domus vel poſſeſſiones a Levitis vel emptæ, vel dono acceptæ, ubi ab eis venditæ fuerant, poterant ſemper redimi, ut ibidem præſcribitur verſ. 32. *Ædes Levitarum quæ in Urbibus ſunt, ſemper poſſunt redimi: & ſi redemptæ non fuerint, in Jubileo revertentur ad dominos, quia domus Levitarum pro poſſeſſionibus ſunt* &c. Hinc apparet Eccleſiaſtica bona nonniſi graviſſima de cauſa poſſe in perpetuum divendi.

III. Immunes erant ab omnibus officiis & oneribus publicis, puta tributis, militia &c. ut ſoli divino cultui, rebuſque ſacris inſervirent. Unde cum *Num.* 1. Deus præcepiſſet Aaroni & Moſi, ut recenſerent Iraelitas, qui apti & comparati eſſent ad prælium, addit verſ. 49. *Tribum Levi noli numerare neque pones ſummam eorum cum filiis Iſrael: ſed conſtitue eos ſuper Tabernaculum teſtimonii & cuncta vaſa ejus; & quidquid ad cæremonias pertinet.*

IV.

IV. Cæteri Iſraelitæ nubere non poterant niſi uxoribus a ſua Tribu, maxime ubi periculum erat translationis hæreditatum & poſſeſſionum ex una Tribu in aliam, ut ſtatuitur *Numer. 36. verſ.* 7. Levitæ autem aſſumere poterant uxores ex qualiber Tribu, unde 2. *Paralip.* 22. *verſ.* 11. Jojada ſummus Pontifex uxorem habuit Joſabeth filiam Regis Joram, & Judic. 19. *Vir Levites habitans in monte Ephraim accepit uxorem de Bethleem Juda.* Eorum pariter filiæ duci poterant in uxores a viris aliarum Tribuum. Quo factum, ut S. Eliſabeth mater S. Joannis Baptiſtæ quæ erat ex filiabus Aaron, reſte S. Luca, cognata fuerit Deiparæ Virginis quæ oriunda erat ex Tribu Juda, quidquid in contrarium reclament nonnulli cum SS. Auguſtino & Gregorio Nazianzeno; alioqui Chriſtus Dominus cenſendus non eſſet ex Tribu Juda, quod adverſatur Apoſtolo ſcribenti ad Hebræos 7. verſ. 14. *Manifeſtum eſt quod ex Juda ortus ſit Dominus noſter.* Unde neceſſum eſt aliquem ex Avonculis Beatæ Virginis unam ex Tribu Levi uxorem duxiſſe.

V. Quod ſolis ex Tribu Levitics viris licitum erat ſacra Vaſa ſaltem mediate & velamine tangere cooperta, & Sanctuarium ingredi: cæteris vero id ſub mortis pœna interdictum. *Num.* 1. & 3. unde cap. 8. *Hac eſt lex Levitarum, a viginti quinque annis, & ſupra ingredientur ut miniſtrent in Tabernaculo fœderis* &c.

Hæc autem privilegia omnibus Levitis cujuſque gradus & ſtatus erant communia. Diximus enim eos duplicem in ordinem fuiſſe diſtributos, ſacerdotalem ſcilicet & miniſterialem. Ille ſpectabat ſolos Aaronis filios, hic reliquos a Levi origionem ducentes, ut pluribi decreverat Deus, præſertim cap. 3. Num. verſ. 6. *Applica Tribum Levi & fac ſtare in conſpectu Aaron Sacerdotis ut miniſtrent ei, & obſervent quidquid ad cultum pertinet multitudinis coram Tabernaculo teſtimonii, & cuſtodiant vaſa Tabernaculi, ſervientes in miniſterio ejus; dabiſque dono Levitas Aaron & filiis ejus &c. Aaron autem & filios ejus conſtitues ſuper cultum Sacerdotii.* In quibus verbis obſervandum 1. Aaronem ejuſque filios ſolos in Sacerdotes fuiſſe electos; Levitas vero reliquos in eorum obſequium eſſe deſtinatos, qui eiſdem in ſacris faciendis inſervirent. 2. Ut gratis & ſine ullo pretio ad id miniſterium aſſumerentur. 3. Ut id munus obirent in cuſtodiendo & deportando Tabernaculo, quod exequi debuiſſent Iſraelitæ. His ita præmiſſis.

QUÆRITUR III.

Quænam fuerint horum Levitarum Miniſtrantium officia.

RESpondeo, eorum partes varias fuiſſe pro diverſa temporum ratione. Etenim priuſquam Arca fœderis, ſeu propitiatorium, certam, fixamque haberet ſedem, eorum officium erat. 1. Dum ex una ſtatione in aliam procedendum eſſet, Tabernaculum, quæque in eo continebantur deportare, quemadmodum fuerit præſcriptum a Deo *Numer.* 4. ubi ſingulæ Tabernaculi partes deportandæ diſtribuuntur diverſis Levitarom familiis. Erant autem illæ tres juxta totidem filios quos Levi genuit, ſcilicet Gerſon, Caath, & Merari.

Ex Caatho oriundi ferre debebant Arcam fœderis, menſam propoſitionis cum panibus ſemper in ea exſtantibus, candelabrum, altare aureum in quo adolebantur thimiamata, & altare holocauſtorum, cum omnibus vaſis in eis ſingulis deſervientibus, poſtquam ea omnia convaſaſſent & ita cooperuiſſent Sacerdores, ut nec tangi nec videri poſſent a Levitis, multo minus ab aliis: prohibitum enim erat ſub mortis interminatione ne quis ea, quæ erant in Sancto Sanctorum, præter Sacerdores, aſpiceret aut tangeret. Ut habetur Numer. 4. verſ. 15. & 20. *Gerſonitæ* deferre tenebantur cortinas Tabernaculi & illius tectum; nec non & cortinas atrii cum velo in introitu Tabernaculi expanſo: filiis vero ſeu nepotibus *Merari*, deferendæ aſſignabantur tabulæ, columnæ, & earum vaſa una cum funibus, paxillis, & aliis Taberoaculi ambitum deſervientibus.

Ut autem hæc omnia debite exequerentur, ſingulis familiis aſſignati erant Sacerdotes præfecti, qui gerenda imperarent; nam *Eleazar* præerat Caathitis, v. 16. *Ithamar* Gerſonitis verſ. 28 & Meraritis verſ. 33. Juſſerat inſuper Deus, ut ad id munus obeundum ſeligerentur, qui annum agerent trigeſimum ad quinquageſimum verſ. 47. cum enim hæc ſarcinarum bajulatio ætatem firmam ac robuſtam depoſceret, firma autem ætas & plene robuſta vix adſit ante annum trigeſimum; idcirco factum, ut hic ætas annorum triginta exigatur. Quod utique non adverſatur his quæ ſtatuuntur Exod. 8 verſ. 24. *Hæc eſt Lex Levitarum, a viginti quinque annis & ſupra, ingredientur ut miniſtrent in Tabernaculo fæderis:* Nam his verbis deſignatur ætas requirenda in Levitis, qui ad conſueta in Tabernaculo conſiſtente miniſteria implenda admittebantur: ſupra vero agitur de Levitis ad deportandas omnes Tabernaculi partes ſelecti, qui recenſiti ſunt *octo millia quingenti octoginta* verſ. 48.

Etſi vero tantus eſſet ad hanc Tabernaculi bajulationem ſelectus Levitarum numerus: nihilominus quoniam graviſſima erant horum omnium onera, maxime vero quæ ferre debebant filii Gerſonis & Merari; idcirco Moſi juſſit Deus ut ex ſex plauſtris & duodecim bobus oblatis a principibus in uſum Tabernaculi, Gerſonitis darentur duo plauſtra & quatuor boves; Meraritis autem quatuor plauſtra & octo boves: *Filiis autem Caath non dedit plauſtra & boves, quia in*

San-

Sanctuario inſerviunt, & onera portant humeris. verſ. 9. quia quæ gerebant, erant maxime ſacra, potiſſimum Arca fœderis quæ nonniſi humeris Sacerdotum aut Levitarum erat deportanda.

Hinc cum David Tabernaculum, ad inſtar Moſaicum, ædificaſſet in Jeruſalem, ut ibi arca Domini reponeretur 1. Paralip. cap. 15. v. 2. ait: *Illicitum eſt ut a quocumque portetur arca Dei niſi a Levitis, quos elegit Dominus ad portandam eam.* Et verſ. 14. & 15. *Sanctificati ſunt ergo Sacerdotes & Levitæ ut portarent arcam Domini Dei Iſrael. Et tulerunt filii Levi arcam Dei, ſicut præceperat Moyſes juxta verbum Domini, humeris ſuis.* Similia habes 2. Reg. cap. 14. verſ. 24. unde plurimi Interpretes non abs re exiſtimant, non alia ratione Ozam Sacerdotem morte divinitus percuſſum quod arcam tetigiſſet veritus ne calcitrantibus bobus e plauſtro caderet, ut refertur *ibidem cap. 6.* quam quia cum aliis conſenſerat, ut arca plauſtro imponeretur vehenda a bobus, cum potius ille ſuis humeris eam deferre debuiſſet.

II. Levitarum munus erat cuſtodire Tabernaculum, & circa illud, cum fixam ſedem nondum haberet, diu noctuque accumbere. Omnes quidem Iſraeliticæ Tribus in Tabernaculi circuitu debebant caſtrametari eo ordine qui præſcribitur; ſed paulo remotius a Tabernaculo ſua figebant tentoria. Levitæ autem omnes caſtrametabantur *ante Tabernaculum fœderis ad orientalem plagam habentes cuſtodiam ſanctuarii*, ut præſcribitur ibidem cap. 3. verſ. 38. nimirum, ut excubias agerent ea parte, qua patebat ingreſſus in atrium.

Neque vero ab iſtis excubiis agendis deſierunt dum Arca repoſita fuit in Templo Salomonico: etenim Hebræi Doctores ſcribunt, *Tribus in locis Sacerdotes excubias agunt in Templo, nempe in Beth Abtenes, Beth Nitſots, & Beth Mokad; Levitæ quoque in viginti.* Horum vero cuſtodum viginti quatuor diſtinctæ erant catervæ, quibus totidem aderant præfecti, qui excubitoribus invigilarent, ut ſuo non deeſſent muneri. His autem unus præerat qui idcirco dicebatur montis templi præfectus de quo Middoth cap. 2. *Montis templi præfectus perambulabat per ſingulas excubias: facesque ardentes ante eum. Sique aliquem de cuſtodia, qui pedibus inſiſteret, comperiret, dixit ei,* PAX TIBI. *Si autem adverteret eum dormire, baculo percuſſit, atque ei permiſſum eſt veſtimenta ejus comburere. Et cum diceretur ab aliis, quiſnam iſte ſtrepitus in atrio? Reſponſum eſt, Clamor Levitæ vapulantis, & cujus veſtimenta ſunt combuſta, ideo quod in excubiis dormiret. Dixit R. Eliezer ben Jacob, ſemel invenerunt fratrem matris meæ dormientem, & veſtimentum ejus combuſſerunt.* Illud ſpectare videntur hæc Apocalypſis verba cap. 16. verſ. 15. *Beatus qui vigilat, & cuſtodit veſtimenta ſua,* &c.

Hos pariter cuſtodes indicaſſe videtur Pilatus cum Judæis rogantibus, ut ejus juſſu cuſtodiretur ſepulchrum Chriſti Domini uſque ad diem tertium, reſpondit, *Habetis cuſtodiam, ite, cuſtodite ſicut ſcitis*; neque enim Judæis tunc ſub Romanorum poteſtate conſtitutis, nec agnoſcentibus alium Regem niſi Cæſarem, liberum erat alium habere militum delectum, niſi ad Templi, rerumque ſacrarum cuſtodiam.

Agebant autem has excubias per vices, noctemque in quatuor vigilias partiebantur, ut quo tempore vigilabant aliqui, cæteri quieſcerent.

Vigiles autem nedum incumbebant Tabernaculi, aut templi cuſtodiæ, ſed etiam Dei laudibus decantandis; illos enim ſpectabat David, cum ait: *Ecce nunc benedicite Dominum, omnes ſervi Domini: qui ſtatis in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri. In noctibus extollite manus veſtras in Sancta, & benedicite Dominum.* Neque vero divinum hoc officium noctu ſolum, ſed & interdiu ab eis perſolutum credibile eſt; hinc referente Genebrardo in Pſalm. 89. qui inſcribitur *Oratio Moſis hominis Dei*, plures Hebræi Doctores exiſtimant Pſalmum iſtum alioſque decem ſequentes fuiſſe compoſitos vel a Moſe, vel a Levitis, ut eos tempore ſuæ cuſtodiæ coram Domino decantarent.

III. Eorum capitale munus erat inſervire Sacerdotibus *in cultum Domini, in veſtibulis, & in exedris, & in loco purificationis, & in ſanctuario, & in univerſis operibus miniſterii Templi.* His verbis comprehenduntur præcipua Levitarum officia, ab eo tempore quo Arca fœderis fixam ſedem habuit in Templo Salomonico. Nimirum ut: 1. Templi veſtibulis cuſtodes adeſſent. 2. Ut populum docerent, & Dei laudes canerent in exedris; ex eis enim aſſumebantur Cantores & Scribæ, ut dicemus infra. 3. Ut aptarent lavacra quibus tam ipſi, quam Sacerdotes debebant ablui, priuſquam ad obeunda ſua munera accederent. 4. Tenebantur miniſtrare Sacerdotibus in Sanctuario: non quidem in *Sancto Sanctorum*, in quod ſoli ſummo Pontifici liberum erat tantum ſemel in anno ingredi: neque in *Sancto* ſolis Sacerdotibus patente; ſed in *atrio*, ubi Sacerdotes ſacras ſuas induebant veſtes, victimas immolabant, & populi preces & vota, coram Domino in interiori Sanctuario exponenda ſuſcipiebant.

Neque enim aſſentiri poſſum præſuli Abulenſi dicenti Levitas, dum arca conſiſteret, nihil muneris exercuiſſe, nec eis fuiſſe liberum ingredi in atrium Sanctuarii magis quam reliquo populo, niſi ad offerendas victimas: hanc enim ſententiam refellunt ipſa Dei verba præfato *cap.* 18. ubi Aaronem ejuſque filios Sacerdotes alloquens ait verſ. 3. *Excubabunt Levitæ ad præcepta tua, & ad cuncta opera Tabernaculi: ita duntaxat, ut ad vaſa Sanctuarii, & ad altare non accedant, ne & illi moriantur, & vos pereatis ſimul.* Et verſ. 8. *Ego dedi vobis fratres veſtros Levitas de medio filiorum Iſrael, ut ſerviant in miniſteriis Tabernaculi.* Qua autem ratione potuiſſent inſervire in miniſteriis Tabernaculi ſi in illud intrare non licuiſſet: interdicitur quidem eis ſacrorum vaſorum contactus, & acceſſus ad altare, non vero ingreſ-

Digitized by Google

greſſus in Tabernaculum, ad miniſtrandum Sacerdotibus ſuis officiis ſungentibus.

Sacerdotum vero officium erat, ſovere ignem ſacrum, mactare & immolare victimas: in eis autem peragendis egebant Levitaram miniſterio, qui ligna ad ſacrificia comportarent, aquas præberent ad ablutionem, hoſtias immundiciis purgarent, ut decentius a Sacerdotibus offerrentur: interdum etiam pelles victimarum detraherent; imo victimas etiam jugularent quando tanta erat earum multitudo, ut eis jugulandis & aptandis ad immolationem Sacerdotes non ſufficerent; ut contigit temporibus Regis Ezechiæ cultum divinum reſtituentis, & rurſum tempore Regis Joſiæ legitur: *Immolatum eſt phaſe, aſperſerunt Sacerdotes manu ſua ſanguinem, & Levitæ detraxerunt pelles holocauſtorum, & ſeparaverunt ea, ut darent per domos & familias ſingulorum, & offerrentur Domino.*

IV. Varia deinde ſortiti ſunt officia, ſcilicet Janitorum Templi, Cantorum, & Judicum; hos enim in ordines omnem Levitarum familiam diſtribuit David, qui cum ſenuiſſet, firmaque pace frueretur, Sacerdotes & Levitas recenſuit, *Numeratique ſunt Levitæ a triginta annis, & ſupra: & inventa ſunt triginta octo millia virorum.* * *Ex his electi ſunt, & diſtributi in miniſterium domus Domini, viginti quatuor millia, præpoſitorum autem & Judicum ſex millia* *, *porro quatuor millia Janitores: & totidem pſaltæ canentes Domino in organis, quæ fecerat ad canendum.* *

Cantores erant filii Aſaph, Heman, & Idithum qui diverſis inſtrumentis muſicis divinas laudes per ſuas vices reſonarent in Dei Tabernaculo, donec Templum ædificaretur. *Fuit autem numerus eorum cum fratribus ſuis, qui erudiebant canticum Domini, cuncti doctores, ducenti octoginta octo:* Ibidem cap. 25. verſ. 7. ad hoc autem divinum munus peragendum conveniebant potiſſimum mane & veſpere, ut habetur ibidem cap. 23. verſ. 30. *Levitæ ut ſtent mane ad confitendum & canendum Domino: ſimiliter ad veſperam tam in oblationibus holocauſtorum, quam in ſabbatis, & calendis, & ſolemnitatibus reliquis.*

Janitores & Cuſtodes Templi, ac theſauri ſacri inſtituti ſunt filii Core, quorum aliqui fuerunt etiam populi Judices, ut videre eſt, cap. 26. verſ. 29. Idem fecere Reges Ezechias & Joſias divini cultus ſuis ab anteceſſoribus peſſumdati reſtitutores, ut refertur 2. Paralip. cap. 31. & 35.

QUÆRITUR IV.

Quot & quinam fuerunt Sacerdotum ordines.

CONſtat ex dictis quatuor Aaronis filios, nimirum Nadab, Abiu, Eleazarum, & Ithamarem fuiſſe a Deo ſelectos qui Sacerdotum officio apud Iſraelitas fungerentur: extinctis vero Nadab & Abiu, quod ignem non ſacrum, ſed alienum ſacrificiis intuliſſent, ſoli ſuperſtites fuere Eleazarus & Ithamar qui duplicem Sacerdotum ſeriem prodiderunt. Cum autem eorum filii, ac nepotes adeo excreviſſent, ut Davidis tempore ſexdecim ex Eleazaro eſſent prognatæ familiæ, octo vero ex Ithamare; ut aliquis inter eos ſervaretur ordo, illos omnes in 24 claſſes diſtribuit David, ſingulis claſſibus nomen aſſignans illius, qui tum familiæ erat caput. hoc ordine qui refertur 1. Paralip. cap. 24.

1. Joarib.	9. Jeſus.	17. Jetthi.
2. Jedias.	10. Sichimas.	18. Apluſſes.
3. Charim.	11. Eliaſib.	19. Phetthias.
4. Seorim.	12. Jacim.	20. Jeziel.
5. Melechias.	13. Epha.	21. Achin.
6. Benjamin.	14. Jesbael.	22. Samuel.
7. Accos.	15. Blega.	23 Dalias.
8. Abias.	16. Emer.	24. Jebeli.

Idcirco autem David has omnes Sacerdotales familias in diverſas claſſes diſtribuit, ne continuis miniſteriis gravarentur, ſed alternis vicibus quæque familia ad ſacra per hebdomadam facienda accederet. Ne vero de primatu contenderent, voluit eorum functionis vices ſorte conſtitui, ut refertur ibidem a verſ. 7. ad 18. declarat etiam iſta Joſephus: *Licet ſint viginti quatuor claſſes Sacerdotum, quarum ſingulæ pluſquam quinque millia hominum habeant, per certos tamen dies particulares fit obſervatio. Quibus tranſactis alii ſuccedentes ad ſacrificia veniunt, & convocati in templum meridie a præcedentibus claves templi, & ad numerum vaſa omnia accipiunt, nulla re, quæ ad eſum aut potum attineat, in templum illata.* Illuc pariter ſpectat quod S. Lucas ſcribit de S. Zacharia patre S. Joannis Baptiſtæ, *Fuit in diebus Herodis, Regis Judææ, Sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia .. factum eſt autem, cum officio fungeretur in ordine vicis ſuæ ante Deum &c.* His autem ſingulis Sacerdotum familiis præerant aliqui cum ſummo Pontifice, Sacerdotum Principes, imo & Pontifices appellati, Matth. 2. verſ. 4. 16. verſ. 11. Marci 15. verſ. 11. Joann. 11. verſ 47. & alibi ſæpe.

Ut autem Sacerdotes illi certam familiæ ſuæ ſeriem haberent, ſtudioſi erant in contexenda ſua genealogia, ut narrat Joſephus.

„ Non

Digitized by Google

„ Non ſolum, *inquit*, ab Initio probatiſſimos viros, & in Dei placatione præparatos, ad hæc exercenda conſtituerunt, ſed quatenus etiam genus Sacerdotum ſine permixtione purumque conſiſteret, providerunt. Oportet enim eum qui Sacerdotium habiturus eſt, ex ejuſdem gentis naſci muliere: & neque ad pecunias, neque ad honores inſpicere, & genus per antiquam lineam & multis teſtibus approbare. Quod ſcilicet agimus non ſolum in ipſa Judæa, ſed ubicumque noſtri generis conſtitutio reperitur, etiam ibi integritas iſta ſervatur circa nuptias Sacerdotum; hoc eſt in Ægypto & Babylonia, quocunque terrarum orbe quilibet de Sacerdotum genere ſunt diſperſi. Mittunt enim in Hieroſolymam conſcribentes a parte nomen nuptæ, & antiquorum progenitorum, quicunque huius rei teſtimonia præbuere. Si autem bella proveniant, ſicut jam trebro factum eſt, dum Antiochus Epiphanes ad noſtram veniſſet regionem, & Papeius magnus, & Quintilius Varus, & præcipue noſtris geſta temporibus, tunc hi qui de Sacerdotibus ſuperſunt, ex antiquis litteris, iterum novas conficiunt, & probant mulieres, quæ relinquuntur. Non enim ad captivas accedunt, alienigenarum conſortia formidantes. Indicium vero integritatis hoc maximum eſt, quia Pontifices apud nos a duobus millibus annis denominati filii a patre conſcripti ſunt. His autem qui prædicti ſunt, ſi quid prævaricentur, interdicitur ne vel ad altare accedant, vel alia ſanctificatione fungantur.

Confirmantur iſta ex lib. 1. Eſdræ cap. 2. v. 61. ubi refertur de filiis Accos filii Berzellai, quod *quæſierunt Scripturam genealogiæ ſuæ, & non invenerunt, & ejecti ſunt de Sacerdotio.*

QUÆRITUR V.

Quæ fuerunt Sacerdotum officia.

PRæcipua & quotidiana Hebræorum Sacerdotum miniſteria declarat Deus de Eleazaro Aaronis filio dicens: *Ad ejus curam pertinet oleum ad concinnandas lucernas, & compoſitionis incenſum, & ſacrificium, quod ſemper offertur, & oleum unctionis, & quidquid ad cultum tabernaculi pertinet, omniumque vaſorum quæ in Sanctuario ſunt.*

Itaque (ut ab ultimis verbis exordiar) eorum officium erat Sanctuario invigilare, quatenus omnia illius altaria vaſaque ſacra munda eſſent & nitida, nihilque ſordis & immunditiæ in illis appareret.

II. Lucernas aptare, & accendere ut continuo lucerent, quemadmodum ſtatuerat Deus Moſi dicens: *Præcipe filiis Iſrael ut afferant tibi oleum de arboribus olivarum, puriſſimum, piloque contuſum, ut ardeat lucerna ſemper in Tabernaculo teſtimonii*, idem repetitur Levit. 24. v. 2. Utrum vero lucerna illa tam diu quam noctu accendi & fulgere debuerit, vix definiri poteſt. Joſephus quidem tradit in candelabro ſacro lucernas tres per totam diem coram Deo lucere debuiſſe, reliquas ſub veſperam accendi. Lyranus, Abulenſis, & alii multi contendunt noctu quidem ſeptem lucernas fuiſſe accenſas, diu vero nullas, nixi his Moſis verbis, *Ponetque eas Aaron veſpere uſque ad mane coram Domino.*

Verum hæc verba eo ſenſu non eſſe accipienda affirmant plurimi, voluntque eis non ſignificari tempus lucendi, ſed componendi lucernas bis in die, nimirum mane & veſpere; ſicut præcipitur, ita ut non imputaretur Sacerdotis negligentiæ, ſi lucerna a Sacerdote compoſita a veſpere ad mane, & a mane ad veſperas aliquo accidenti extingueretur: ſed ei graviſſimo crimini verteretur, ſi mane & veſpere lucernas non compoſuiſſet.

Magis itaque arridet mihi eorum ſententia qui lumen perpetuum in Tabernaculo & Templo fulſiſſe contendunt. Tum quia ſimili ratione ignis perpetuus in eo eſſe debuit. Tum quia lumen hoc conducebat ad loci majeſtatem & ſanctitatem: cum enim Deus ſit lux, habitetque in cœlis lucem inacceſſabilem, decebat ut locus, quem in terris peculiari ſua præſentia decorabat, continuo ſplendore fulgeret. Hinc appoſite ſcribit Philo ſeptem lucernas in candelabro accenſas repræſentaſſe ſeptem planetas medium inter Solem perpetuo lucentes. Tres autem alibi rationes profert, cur illæ lucernæ ſemper debuerint lucere; „ Præcipitur, *inquit*, „ ut a veſpere mane uſque lumina intra velum in ſacro candelabro luceant multis de cauſis. Una ut diurnæ luci ſuccedant illuſtratura ſacrarium expers ſemper tenebrarum ad ſtellarum ſimilitudinem. Nam & hæ poſt Solis occaſum lucem ſuam proferunt, non deſerentes ſtationem quam in mundo ſortitæ ſunt. Altera, ut noctu quoque ad Dei cultum fiat oblatio, a diurnis non aliena, nec interrumpatur gratiarum actio, nocturno tempori maxime idonea. Eſt enim genus quoddam ſacrificii, clariſſimus hic ſplendor in penetralibus. Tertia vero valde neceſſaria. Quoniam enim non ſolum vigilantes, verum etiam dormientes juvantur divina beneficentia, relaxati a diurnis laboribus, & levati curis, animo in ſeipſum ſecedente a turbis ſenſuum, & ſibi ipſi vacante: merito lex æquum judicavit gratiarum actiones ita diſtribui, ut ſacra fiant pro vigilantibus; pro ſomno vero, & provenientibus inde commodis accendantur ſacrata lumina.

III. Adolere debebant incenſum, ſeu thymiama, diebus ſingulis, mane & veſpere ſuper altare ad id deſignato, ut ſtatuitur Exodi 30. verſ. 7. *Adolebit incenſum ſuper eo*

to Aaron, ſuave fragrans, mane. Quando componet lucernas, incendet illud: & quando collocabit eas ad veſperum, uret thymiama ſempiternum coram Domino. Quod autem hoc munus nedum ſpectaret Aaronem ſeu ſummum Pontificem, ſed etiam Sacerdotes inferioris gradus; apparet ea verſ. 19. & 20. *Lavabunt in ea* (aqua labri ænei) *Aaron & filii ejus manus ſuas ac pedes, quando ingreſſuri ſunt tabernaculum teſtimonii, & quando acceſſuri ſunt ad altare, ut offerant in eo thymiama Domino.*

IV. Diebus pariter ſingulis mane & veſpere immolare debebant agniculos [a]. Hoc eſt ſub ortum, & ſub occaſum Solis, quo tempore fiebat ſuffitus thymiamatis, ut tradit Joſephus [b]. *Oportebat*, inquit, *bis in die ſuffitum facere ante ortum & circa occaſum Solis.* Tria itaque mane & veſpere diebus ſingulis ab ipſis erant præſtanda. 1. Componendæ lucernæ. 2. Adolendum thymiama. 3. Offerendi & immolandi duo agniculi. De duobus his poſtremis ſic ſcribit Philo [c]. *Itaque agni duo juſſu legis mactantur quotidie, mane, ac ſub veſperam, uterque cum gratiarum actione, alter pro diurnis, alter pro nocturnis beneficiis, quæ indeſinenter Deus largitur humano generi... Inſtitutum eſt etiam ut quotidie bis adolerentur odoramenta fragrantiſſima in ara quæ intra velum eſt, oriente Sole, occidenteque, ante matutinum, & poſt veſpertinum ſacrificium.*

[a] Exod. 29. v. 38. 39.

[b] Lib. 3. antiq. cap. 9.

[c] Lib. de victim. pag. 647.

Etſi vero tempus immolationis horum agniculorum fuit determinatum, nempe ut illud fieret mane & veſpere: non tamen putandum eſt eam matutinis & veſpertinis horis fuiſſe finitam: etenim ſtatuitur *Hæc eſt lex holocauſti* (jugis ſcilicet in quo mane unus agnus, alter veſpere immolabatur) *cremabitur in altari tota nocte uſque mane.* Hoc eſt, agnus veſpertinis horis immolatus, lento igne per partes tota nocte cremabitur: ideoque neceſſe erat ut Sacerdotes aliqui tota nocte vigilantes, hujus victimæ partes viciſſim imponerent altari, ut ſic ſacrificium ad matutinum tempus perſeveraret. Idem dicendum de ſacrificio matutino quod per diem integrum deberet fieri, niſi occurrerent alia holocauſta eo die facienda; nempe ut Deus tam diu, quam noctu jugiter coleretur.

V. Invigilare debebant Sacerdotes ut ſacer ignis continuo arderet ſuper altare, ut ſtatuitur Levit. 6. verſ. 12. & 13. *Ignis autem in altari* (nempe holocauſtorum) *ſemper ardebit, quem nutriet Sacerdos, ſubiiciens ligna mane per ſingulos dies* &c. Quod autem præcipitur de nutriendo igne, & lignis mane illi ſubiiciendis dum fiebat holocauſtum matutinum, idem intelligendum eſt de holocauſto veſpertino, cui pariter magna opus erat lignorum copia, ut per totam noctem arderet; fit autem hic duntaxat mentio matutini temporis, quod longe major comportari debebat lignorum ſtrues, ut ad alia holocauſta deſerviret.

Hic autem ignis ex altari holocauſtorum aſſumendus erat ad alia ſacra facienda, maxime ab eo tempore, quo cœlitus emiſſus, præparatas a Moſe & Aarone victimas conſumpſit: *Ecce egreſſus ignis a Domino, devoravit holocauſtum, & adipes qui erant ſuper altare.* Unde Nadab & Abiu, quod pro igne ex altari aſſumendo, ignem alienum in thuribulis intuliſſent in ſanctuarium ut thymiama adolerent, *Egreſſus ignis a Domino, devoravit eos* in ipſo Sanctuario, unde eorum corpora fuerunt exportata, ut legitur ibidem verſ. 4. ſed de his infra.

Perſeveravit autem huius ignis ſacri fovendi cura uſque ad captivitatem Babylonicam, qua imminente, Sacerdotes cum abſconderunt in profundo puteo, ut refertur 2. *Machab.* 1. *verſ.* 18. quo certe refellitur Abulenſis aſſertio, qua contendit ignem hunc ſacrum in deſerto extinctum fuiſſe, ac deinde ſacrificia igne communi fuiſſe conſumpta. Accedit in confirmationem Philo: „ Ignis, „ *inquit*, iſte, qui in vulgari uſu eſt, tam- „ quam contaminatus, ablegatus fuit ab al- „ tari ſanctiſſimo, & pro eo demiſſus cœ- „ leſtis ex æthere, ut eſſet diſcrimen inter „ ſancta, profanaque; & inter humana ac „ divina. Conveniebat enim ſacrificiis attri- „ bui naturam ignis incorruptiorem, quam „ hæc quæ ſervit quotidianis uſibus.

Fuit ergo ille ignis nutritus uſque ad captivitatem Babylonicam, vel certe uſque ad Salomonicum Templum, quo tempore rurſum miſſus de cœlo ignis ad victimas conſumendas, 2. Paralip. 7. verſ. 1. eoque igne omnia ſacrificia deinceps uſque ad illud tempus conſumpta: qui cum fuiſſet captivitatis tempore extinctus, rurſum poſt captivitatem miraculo excitatus fuit.

Sed difficultas eſſe poteſt, quomodo hic ignis aleretur in deſerto, cum proficiſcendum erat, maxime ſi in ipſo altari eſſet, quod pallio hyacinthino, & ianthinis pellibus tegebatur, ut habetur num. 4. Verum, inquit Bonfrerius, dici poteſt, hunc ignem quodam in vaſculo ſacro per id tempus deportari ſolitum, necnon aliquos fuiſſe Sacerdotes hujus ignis conſtitutos cuſtodes, cui & cum res exigeret, ſemper fomenta ſubiicerent. Vel; ſiquis velit hunc ignem cum altari, & in ipſo altari deportatum, dici poteſt hunc ignem intra ipſam altaris cavitatem extitiſſe, & ſuperius aliquod ſpiraculum habuiſſe & partem detectam, qua fomenta ſubiici poſſent.

Hujus autem ignis perpetuo fovendi religionem æmulatus eſt Diabolus apud Ethnicos variis in locis: nam apud Argivos in Apollinis templo ſumma ſolicitudine ſervabatur, quod fama eſſet, primum Argis ignem cœlitus in terram emiſſum. Ignem pro numine coluerunt Chaldæi, Medi, Aſſyrii, & Perſæ, ut tradunt Agathus [d], Strabo [e], Maximus Tyrius [f], Procopius [g]. Neque ab hac ſuperſtitione immunes fuerunt Romani, nam teſtibus Plutarcho in *Numa*, Livio lib. 5. &c. ignem a radiis ſolaribus in vaſis cujuſdam quod *Scaphium* vocabant, centro conceptum, jugiter fovendum commiſerunt Virginibus, quas *Veſtales* appellabant ab illo igne *Veſta* nominato, juxta illud Ovidii 6. Faſt.

[d] Lib. 2. hiſt.

[e] Lib. 5.

[f] Serm. 38.

[g] Lib. 2. de bello Perſico.

Nec

Nec tu aliud Veſtam quam vivam intellige
flammam,
Nataque de flamma corpora nulla vidес:
Jure igitur Virgo eſt, qui ſemina nulla
remittit,
Nec capit, & comites virginitatis amat.

Hunc autem ignem appellabat Vigilem, immortalem & æternum. Unde Virgilius.

Æternumque aditis effert penetralibus ignem.

Si vero caſu aliquo contingeret hunc ignem extingui, quod urbi fatale cenſebant, non aliter quam e ſolis flamma reſtituebant.

VI. Incumbere debebant Sacerdotes offerendis ſacrificiis tam pro ſe quam pro populo, maxime vero pro iis qui victimas offerebant. Quoniam vero diverſi generis erant ſacrificia, ut plenius ac diſtinctius appareat qua ratione in hoc debite implendo munere ſeſe gerere debuerint Sacerdotes, nonnulla ſunt hic de ſacrificiis Leviticis ſtatuenda.

SECUNDA PARS.

De Sacrificiis & oblationibus Leviticis.

CUm, docente S. Auguſtino lib. 19. contra Fauſtum Manichæum cap. 11. *In nullum nomen Religionis, ſeu verum, ſeu falſum coagulari homines poſſunt niſi aliquo ſignaculorum & ſacramentorum viſibilium conſortio colligantur*; operæ pretium erat ut Deus Iſraelitas ad ſui cultum deſtinans, illis ſacrificia ſimul & ſacramenta conſignaret, quatenus ejus Divinæ Majeſtati debitus cultus impenderetur, &. homines haberent media, quibus ab eo propter peccatum averſi, poſſent erratorum veniam conſequi, & ei reconciliari.

QUÆRITUR AUTEM I.

Quot & quæ fuerint in Moſaica Lege Sacrificiorum genera.

CUm Sacrificium univerſim ſit oblatio rei ſenſibilis a legitimo miniſtro facta Deo, cum immutatione rei oblatæ, tot diſtingui poſſunt Sacrificiorum ſpecies, quot ſunt varii oblationis modi, diverſæ victimæ, diverſique fines propter quos offeruntur. Hinc Sacrificium omne ratione modi oblationis diſtinguitur in *incruentum*, & *cruentum*. Primum ita dicebatur quod fieret ex rebus vita carentibus: illudque iterum duplex *liquidum* ſcilicet ſeu Libamina quæ fiebant ex oleo, ac vino; & *ſolidum* nempe ex ſimila, hoc eſt, farina puriſſima, Hebraice *Mincha* dicta, cuius oblatio dicitur Sacrificium, *Anima* (id eſt homo) *cum obtulerit oblationem ſacrificii Domino, ſimila erit ejus oblatio*: Unde Varablus *Mincha* vertit *Sacrificium cibarium*.

Quoniam autem alia Sacrificia peculiarem habent appellationem, *Mincham* communi & generico nomine abſolute *ſacrificium* vocat Latinus Interpres: & merito quidem, quia oblatæ ſimilæ pars quantum manu vel pugillo capere poterat Sacerdos, una cum ſuperinſuſo oleo & adjecto thure, cremabatur ſuper altare eratque ſicut holocauſta *in odorem ſuaviſſimum Domino*. Etſi vero quod ſupererat, cederet in uſum Sacerdotum; attamen *Sanctum Sanctorum* appellatur, quia pars erat rei oblatæ, & a ſolis Sacerdotibus debebat comedi.

Fiebat autem hujus ſimilæ oblatio quinque modis deſcriptis in capite 2. Levitici a verſ. 2. ad octavum 1. Accipiendo pugillum illius farinæ non coctæ, & ſuper altare una cum thure & oleo cremandum. 2. Conficiendo ex ea *panes azymos* oleo ſubactos, eoſque in clibano coquendos. 3. Ex ea efficiendo *lagana oleo illita*. 4. Eam ſimilam ſubactam in ſartagine ſeu vaſe frixorio inſtar placentæ coquendo. 5. Eam ſubigendo in maſſam, & coquendo ſuper craticulam. Quovis autem modo fieret? debebat Sacerdos partem illius offerre Domino, eamque cremare ſuper altare. Unde manifeſtum fit *Mincham* non ſimplicem fuiſſe oblationem; in hac enim res integra offerebatur Deo, puta panes propoſitionis, fruges, fructus, pulmenta, ſed erat verum Sacrificium; ſic enim appellatur Numer. 15. verſ. 4. & apud Malachiam cap. 1. verſ. 1. quia ſimilæ oblatæ pars cremabatur in honorem & gloriam Dei.

At, inquiet, Mincha non erat holocauſtum, nec ſacrifirium pacificum, nec ſacrificium pro peccato: igitur non erat ſacrificium proprie dictum.

Nego conſequentiam, tres enim illæ Sacrificiorum ſpecies ſunt tantum rerum animatarum, præter quas aliæ erant inanimes, quæ etiam Deo, ut rerum omnium ſupremo Domino; debebant immolari; illæque, ut dictum eſt, erant vel ſolidæ, ut farina, panis &c. vel liquidæ, ut oleum & vinum. Quamquam liquidarum oblatio & conſumptio fuerit potius quædam acceſſio ad ſacrificium, quam proprie dictum ſacrificium; quippe cum hæc, non ſeorſim, ſed conjunctim cum rebus ſolidis offerrentur; ut de oleo conſtat ex dictis; de vino autem *Num.* 15. *verſ.* 4.

Non abnuo tamen interdum ſimilam fuiſſe pariter ſacrificiorum appendicem, ut loco mox laudato; ubi Deus præſcribens ritum offerendi ſacrificii ait, *Offeret quicumque immolaverit victimam, ſacrificium ſimila, de-*

cimam partem ephi, conſperſæ oleo, quod menſuram habebit quartam partem Hin: & vinum ad Liba fundenda ejuſdem menſuræ dabit in holocauſtum ſive in victimam, per agnos ſingulos & arietes erit ſacrificium ſimilæ duarum decimarum, quæ conſperſa ſit oleo tertiæ partis Hin. His addere juvat illud Levit. 9. v. 17. *Addent in ſacrificio libamenta, quæ pariter offeruntur.* Mitto plurimos alios Scripturæ textus quibus apparet ſimilam & libamenta fuiſſe interdum quædam acceſſoria ad oblata ex ſolidis ſacrificia, & veluti Victimarum appendices, quando ſimul cum eis offerebantur; quæ tamen non obſtant quin oblatio ſimilæ ſeorſim ab aliis victimis fuerit etiam verum ſacrificium.

Ad ſacrificia vero *ex animantibus* facta, quod attinet, illa pro diverſitate victimarum & finis ob quem offerebantur, multiplicis erant nominis & generis: alia namque dicebantur. I. *Honorifica*, quæ in ſolius Dei gloriam & honorem cedebant, ut holocauſta. II. Alia *impetratoria*, pro obtinendis beneficiis. III. Alia *Eucharistica* in gratiarum actionem acceptorum a Deo beneficiorum. IV. Alia *Expiatoria*, pro eluendis peccatis & delictis. V. Alia tandem *Conſecratoria*, quæ in Sacerdotum inauguratione debebant offerri.

Illa vero ad tria capita revocat Philo, *Sacrificia*, inquit, *omnia ad tria redegit Legiſlator, holocauſtum, pacifica ſive ſalutare, & ſacrificium pro peccato.* Cujus diviſionis rationem hanc profert. *Si quis*, ait, *inquirere velit cauſas, cur priſci illi ſacrificia factitarint, tres inveniet; unam, cultum Dei per ſe honeſtum ac neceſſarium; alteram, utilitatem ſacrificantium, quæ duplex eſt, dum bona impetramus, & a malis liberamur: Primo generi, quod ſolum Dei honorem ſibi propoſuit, lex apte* HOLOCAUSTUM *tribuit: quoniam victima integra abſumitur, humana cupiditate nihil inde ſibi uſurpante: Alterum genus lex ſubdiſtinguit, ut alio bona quærantur, quæ nominantur,* PRO SALUTE: *alio fuga mali, quæ,* PRO PECCATO *dicuntur. Atque ita holocauſtum ſolius eſt Dei, cui ſemper debetur honor, etiam ſi nihil expectamus ab eo gratiæ. Reliquæ duæ ſpecies ad nos proprie pertinent, una ſalutem poſtulans, & profectum in melius: altera veniam peccatorum & medicinam eorum, quæ deliquit anima.*

DE HOLOCAUSTO.

HOlocauſtum dictum eſt a vocibus Græcis ὅλον καυτὸν hoc eſt *totum combuſtum*, quod in eo ſacrificio tota victima in Dei honorem & gloriam combureretur: Licet enim omnia ſacrificia Dei gloriam ſpectarent, tamquam primarium oblationis objectum, cætera nihilominus alium etiam finem ſpectabant; nimirum utilitatem offerentis, vel in comparandis bonis, vel in malis arcendis. Holocauſtum vero in unicum Dei honorem offerebatur, nempe ad manifeſtandum ſupremum illius dominium in univerſas creaturas, quas ſicut ex nihilo eduxit, ſic & in nihilum pro arbitrio reducere poteſt.

Ritum offerendi Holocauſti præſcripſit Deus Levit. 1. ubi mandat Moſi quod cum quis accedet ad offerendas victimas: *Si holocauſtum fuerit ejus oblatio, de armento maſculum immaculatum offeret ad oſtium Tabernaculi teſtimonii ad placandum ſibi Dominum, ponetque manus ſuper caput hoſtiæ, & acceptabilis erit, atque in expiationes ejus proficiens. Immolabitque vitulum coram Domino, & offerent filii Aaron Sacerdotis ſanguinem ejus fundentes per altaris circuitum, quod eſt ante oſtium Tabernaculi. Detractaque pelle, hoſtiæ artus in fruſta concident, & ſubjicient in altari ignem ſtrue lignorum ante compoſita, & membra quæ ſunt cæſa, deſuper ordinantes, caput videlicet, ut cuncta quæ adhærent jecori, inteſtinis, & pedibus lotis aqua: adolebitque ea Sacerdos ſuper altaria in holocauſtum & ſuavem odorem Domino.* In quibus verbis præſcribuntur omnes requirendæ & obſervandæ circumſtantiæ in offerendo holocauſto.

I. Ex parte victimæ *ſive* aſſumeretur de armento; *ſive* de Grege; *Armentum* enim apud Latinos in eo diſcrepat a *grege*, quod illud ſit majorum pecorum, *Grex* vero minorum: *ſive* ex avibus: ditiores enim offerebant boves, aut vitulos; alii arietes aut agnos: pauperes vero turturem aut pullum columbæ.

Ex quovis autem aſſumeretur victima, illa debebat eſſe maſcula, cum enim holocauſtum ſacrificiorum eſſet præſtantiſſimum, conveniebat victimam eſſe exquiſitiſſimam: Porro, inquit Philo, *ſexus mas præſtantior eſt quam fœmina, & primæ cauſæ efficienti propinquior; nam quidquid fœmineum eſt, imperfectum cenſetur & ſubditum, ut quod patiatur magis quam agat.* In cæteris vero ſacrificiis, hoſtia fœminei generis poterat etiam immolari. Deinde victima illa debebat eſſe *immaculata*, hoc eſt perfecta, ut fere Hebræa vox *Thamim;* ideo nullo, vel membrorum, vel infirmitatis defectu laborare debebat, ut amplius infra dicetur.

II. Offerri debebat *ad oſtium Tabernaculi*, ſicut & omnia alia ſacrificia, nimirum ut caveretur idololatria, ne ſi liberum Iſraelitis fuiſſet quovis in loco ſacrificare, forte declinaſſent in Dæmonum cultum, qui omnibus in locis ſive montibus, ſive fontibus &c. cupiebant adorari: Iſraelitis autem ſub pœna capitis vetitum erat alibi, quam in atrio Tabernaculi victimas immolare, ut ſtatuitur Levit. 17. verſ. 3. *Iſte eſt ſermo quem mandavit Dominus, dicens: Homo quilibet de domo Iſrael, ſi occiderit bovem aut ovem, ſive capram in caſtris vel extra caſtra, & non obtulerit ad oſtium Tabernaculi oblationem Domino, ſanguinis reus erit: quaſi, ſi ſanguinem fuderit, ſic peribit de medio populi ſui.*

III. Victimam holocauſti offerens imponere debebat manus ſuas capiti victimæ, qui

ritus

ritus ſervabatur quidem etiam in aliis ſacrificiis, ſed diverſum ob finem: in *expiatoriis*, ut offerens, hac manus ſupra caput victimæ impoſitione, teſtaretur ſe quidem propter admiſſa peccata mortem fuiſſe promeritum, ſed hanc victimam ſubſtituere, ut vice ſui mortem ſubiret. In *pacificis*, ut hanc ſui coram Deo humiliatione ad mortem uſque, ſi Deus ita vellet, ipſius benedictionem deprecaretur: in *Eucharisticis*, ut ſignificaret ſe propter accepta tot beneficia ita Deo devinctum, ut ſi opus eſſet, in grati animi ſignum, vitam profundere eſſet paratus: in *Conſecratoriis*, ut hoc ritu Sacerdos inaugurandus teſtaretur ſe prorſus indignum, qui ad tam ſublime tamque ſacrum miniſterium promoveretur, & vitam ſuam ad mortem uſque ita Deo deditam, ut nulli alteri quam ejus cultui & obſequio ſit impendenda. At *in Holocauſtis* illa manus impoſitione ſupra victimæ caput indicabat offerens, ſe ſuaque omnia Dei eſſe, in ejuſque obſequium impendi debere, ſuique loco victimam hanc ſubſtitui, quæ ſua conſumptione idipſum exprimeret.

Conducebat nihilominus Holocauſtum etiam *ad placandum Dominum*, ut in verbis ſupra memoratis additur, hoc eſt, ad remiſſionem peccati: Deus enim gratam habens ſacrificium, indulgebat offerenti, eique reconciliabatur.

IV. Immolabat, hoc eſt, jugulabat victimam, non per ſe, ſed per Sacerdotes, quorum erat hoſtias offerre in ſacrificium juxta intentionem victimam proferentis.

V. Unus e Sacerdotibus jugulatæ victimæ ſanguinem accipiens *in phiala*, inquit Philo, illum effundebat *circa altaris circuitum*, nempe vel circa altaris baſim, ſeu in foſſam illam quæ altare ambiebat; vel circa parietes altare ambientes, unde ad foſſam illam decurreret; ut hoc ritu, teſtaretur offerens, ſe libenter comparatum eſſe ſanguinem & vitam in Dei honorem effundere, ſi Deus ita fieri juberet. Aliæ etiam hujus effuſi ſanguinis rationes infra dabuntur.

VI. Debebant iidem Sacerdotes pellem victimæ detrahere, tum ob munditiam, quia decebat offerri Deo animal prout aptum eſt ad cibum noſtrum; non autem ut eſſet cibus Dei, ſicut quidam peſſime exponunt; Deus enim nec eget cibo, nec aliquo utitur. Tum, ut inde doceremur omnes corporeos & terrenos affectus exuere, dum precibus & votis ſpirituales hoſtias Deo offerre contendimus: hæ autem detractæ pelles, cedebant in uſum Sacerdotum, ut præſcribitur cap. 7. Levit. verſ. 8. *Sacerdos qui offert holocauſti victimam, habebit pellem ejus.*

Solebant etiam Ethnici Sacerdotes victimarum pelles detrahere priuſquam eas cremandas altaribus apponerent, ipſiſque incubare pellibus, ut inter dormiendum oracula captarent. Unde Virgilius.

. . . . huc dona Sacerdos
Cum tulit, & cæſarum ovium ſub nocte ſilenti.
Pellibus incubuit ſtratis, ſomnoſque petivit,
Multa modis ſimulachra videt volitantia miris,
Et varias audit voces, fruiturque Deorum
Colloquio, atque imis Acheronta affatur avernis.

Sic Dæmon ſacrorum rituum a Deo inſtitutorum imitatione, ſuorum cultorum animos ita dementabat, ut ſuis præſtigiis eos ludificaret.

VII. Victima pelle cauta concidebatur in fruſta a Sacerdotibus, ejuſque partes ſuper altaris craticulam compoſitæ comburebantur ab igne ſacro ſubtus continuo ardente.

Ignis autem ille, quo conſummabantur victimæ, idcirco dicitur *Sacer*, quod cœlitus & a Deo primum fuiſſet immiſſus, ut ſponderat Moſes *Levit.* 9. Ubi cum juſſiſſet Aaroni, ut præpararet victimas offerendas tam pro ſe, quam pro filiis & toto populo, dixit, *Hodie Dominus apparebit vobis*, hoc eſt, Dominus ſuam præſentiam oſtendet vobis magno miraculo: quod atique maximum miraculum declarat ibid. his verbis, v. 24. *Apparuitque gloria Domini omni multitudini; & ecce egreſſus ignis a Domino devoravit holocauſtum & adipes qui erant ſuper Altare.* Hoc autem miraculo, ſeu hac ignis immiſſione, ſignificavit Deus, ſe approbare oblatum Sacrificium. Sic approbaverat antea Sacrificium Abelis. *Gen.* 4. Sic in Dedicatione templi Salomonis deſcendit ignis de cœlo, & devoravit victimas & adipes 2. Paralipp. cap. 7. Sic & Eliæ ſacrificium abſumptum eſt igne e Cœlis emiſſo.

Alius vero erat avium immolationis ritus, eodem 1. Levitici capite verſ. 14. his verbis præſcriptus: *Si autem de avibus, holocauſti oblatio fuerit Domino, de turturibus, aut pullis columbæ, offeret eam Sacerdos ad altare: & retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco, decurrere faciet & ſanguinem ſuper crepidinem altaris: veſiculam vero gutturis, & plumas projiciet ſuper altare, ad orientalem plagam, in loco in quo cineres effundi ſolent, confringetque aſcellas ejus, & non ſecabit, neque ferro dividet eam, & adolebit ſuper altare, lignis igne ſuppoſito.* Veſiculam gutturis dicit, quam Latini vocant *ingluviem*, ſeu ſaccum in quo prius cibus recipitur, quam trajiciatur in ſtomachum. Sed cur hæc veſicula potius fuerit abjicienda quam ſtomachus boum & ovium, in quem cibus primum tranſmittitur & conficitur? non alia mihi ſuppetit ratio, quam quia quæ continebantur iſta in veſicula, inepta prorſus eſſent ad hominis eſum, non ita ſtomachus quadrupedum iſtorum; ac proinde iſta indigna erant quæ Deo offerrentur; quæ enim ab hominum menſis ſolent abjici, etiam removenda erant ab altari, quod per quandam analogiam *Dei menſa* dicitur, Malachiæ 1. verſ. 17. quia ſicut in menſa homines jucunde reficiuntur; ſic ſacrificia, præſertim holocauſta, erant Deo *in odorem ſuavitatis*.

DE

DE SACRIFICIO PACIFICO.

CUm pax bonorum omnium temporalium ſit maximum, nec jucunda & grata poſſit eſſe aliorum fruitio, ubi nulla eſt animi corporiſque tranquillitas; inde eſt quod Judæi ſacrificia ordinata ad impetranda bona, & de conceſſis agendas gratias, *pacifica* nominarint. Differebant autem hæc ab holocauſtis.

I. Ratione *victimæ*, quia in holocauſtis victima debebat eſſe maſcula, in pacificis vero etiam fœminea poterat aſſumi: deinde in holocauſtis præter boves, oves & capras, columbæ & turtures poterant etiam offerri; in pacificis autem aves illæ nullum habebant locum: forte quod in holocauſtis victima tota cremabatur in honorem Dei; in pacificis autem dividebatur in tres partes, quarum una immolabatur, altera Sacerdoti, tertia offerenti in epulum cedebat: exiguæ autem fuiſſent avium diviſarum partes, & jejuna ex illis eſſet epulatio.

II. Ratione *loci*, debebat enim immolari in introitu Tabernaculi, hoc eſt, in parte orientali atrii, ſeu prope introitum, quæ pars minus erat ſancta, cum in eam conjicerentur altaris cineres foras deportandi: Holocauſtum autem fieri debebat ad dextrum latus atrii verſus Aquilonem, ut habetur *cap.* 1. *v.* 11. ubi pariter immolandæ erant victimæ pro peccato. Adde quod manibus illius qui offerebat hoſtiam, imponi debebant adeps & pectus, ut ea ipſe offerret Deo, e cujus manibus illa accipiens Sacerdos imponebat altari. Offerentes autem Laici non intrabant partem auſtralem atrii quæ ſanctior erat, patebatque ſolis Sacerdotibus & Levitis miniſtrantibus.

III. In holocauſtis tota victima cremabatur in honorem Dei; in pacificis autem dividebatur in tres partes, quarum una Deo, a quo bona ſperabantur, vel fuerant accepta; altera Sacerdoti, qui pro bonis conſequendis Deum exorabat, vel gratias agebat pro impetratis: tertia cedebat in uſum offerentis. Sanguis & adeps, cum renibus, jecore, & cauda, immolabantur Deo: quibus ſignificabatur vitam & omnem humani cordis appetitum & affectum eſſe Deo perpetuo conſecranda: nam ſanguis eſt vitæ ſedes, renes appetitus concupiſcibilis, & jecur iraſcibilis receptaculum; cauda vero ſymbolum eſt perpetuitatis & perſeverantiæ. Unde S. Gregorius ſcribit, *Præcepto legis cauda hoſtiæ in ſacrificia jubetur offerri; in cauda quippe finis eſt corporis; & ille bene immolat qui ſacrificium boni operis, uſque ad finem debitæ perducit actionis*: Pectus, & armus dexter cedebant in uſum Sacerdotis, ut ſignificaretur eum debere præditum eſſe eximia lenitate & animi fortitudine, ut egentibus & infirmis compaterentur; ſuperbis autem & in Deum perduellibus animoſe reſiſteret. Cæteræ immolatæ victimæ partes concedebantur offerentibus, ut his una cum ſua familia veſcerentur in ſignum ſuæ erga Deum pietatis & gratitudinis pro beneficiis impetrandis, aut conceſſis. Unde hæc ſacrificia dicebantur *ſalutaria* quia (inquit R. Levi Ben Gerſon) *fieri tum ſolerent, cum quis in gratia apud Deum erat; eoque omnino ſpectarent, ut offerentes, Sacerdotes, & Deus (cui laus) communi menſa uterentur. Nam ſanguis & exta aræ cedebant, pectuſculum & armus Sacerdotibus, pellis ac caro offerentibus.*

Dicebantur autem Sacrificia *pacificorum*, tum quod per ipſa homines cum Deo reconciliarentur: tum quod una pars in gratiarum actionem redderetur Domino, altera Sacerdoti; tertia tribueretur offerenti, quod in aliis ſacrificiis fieri non ſolebat: qua de re ſubſcribit David R. Kimki, ubi de Sacrificio pacificorum ait: *Sic vocatur hæc oblatio, quia holocauſtum totum concremabatur, & tantum pellis cedebat Sacerdotibus; in Sacrificio item pro peccato, & pro delicto, ſanguis, & reliqua quæ in lege connumerantur, in altare aſcendebant; pectus vero & armus Sacerdotum erant, ſicut & reliqua caro atque pellis. In hoſtiis autem pacificarum ſanguis & reliqua ſuper altare aſcendebant, & pectus ac armus Sacerdotum erant, atque reliqua caro & pellis offerentibus cedebat: atque ita erat hoſtia pacis inter eos. Sic explicatur in libro Siphra appellato. Similem ob cauſam quoque & Milluim, I. Sacrificium Plenitudinum* (quod *conſecrationis ſacrificium* noſtri ferre reddunt) *vocatur. Aries enim Plenitudinum, ſive Repletionum dicebatur, eo quod repleret voluntatem omnium: omnes ſiquidem de eo edebant.* Hæc ille.

Hæc autem ſacrificia ordinata erant, vel ad poſtulanda bona, & ſic dicebantur *Impetrataria*: Vel ad gratias agendas pro beneficiis acceptis, & *Eucbariſtica* vocabantur. Rurſus impetratoria erant vel voluntaria, vel votiva: *Poſt ſacra Eucbariſtica* (ait R. Abarbanel ad cap. 7. Levit.) *Scriptura memorat votiva & voluntaria, quæ quiſque ad res ſecundas impetrandas, tamquam preces & vota adhibebat.*

Etſi vero tam votiva quam voluntaria Sacrificia pro rebus proſperis impetrandis fiebant, alia tamen *Votivi*, alia *Voluntarii* nuncupandi fuit ratio. *Sacrificium votivum* (inquit idem Abarbanel in præf. ad Levit.) *eſt ſacrum generatim nuncupatum; ut ſi quis dixerit, Ego holocauſtum, ego ſacram ſalutare Deo me facturum ſancte recipio. Voluntarium autem, cum quis unum aliquod animal intuetur, manuque ei admota, dicit, hoc animal holocauſti nomine, aut nomine victimæ ſalutaris immolabo.*

Addit hoc inſuper inter utrumque fuiſſe diſcrimen, quod ſacrificia voluntaria fiebant pro liberrima offerentis pietate, & citra omne periculum: Votiva autem ab illis promitterentur qui verſabantur in periculis, ut ab eis fierent immunes. Sic fecit Jephte imminente bello Ammonitico, Judic. 11. verſ. 30. David. *Reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerant*

xerunt labia mea, & locutum eſt os meum in tribulatione mea. Et Pſalm. 56. 12. *In me ſunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi quoniam eripuiſti animam meam de morte*. &c.

Obſervant autem Hebræi, quod ſacrificium pro *gratiarum actione*, fieri debebat potiſſimum ex tribus panum azymorum generibus, videlicet Placenta, Cruſtula, & pane fricto in ſartagine; quibus adhue quarta ſpecies ſuperaddebatur, nempe *placenta fermentata*. Et ex ſingulis his ſpeciebus accipiebat Sacerdos placentam, unam pro elevatione Domini, *hoc eſt*, quam Domino levabat, & ex cujus levatione cæteræ placentæ ſanctificabantur: Deinde levata Placenta erat Sacerdotis offerentis. Ferunt tamen illum fermentatum panem adhibitum quidem ut à miniſtris comederetur; non ut offerretur, quia ſuperius prohibitum eſt fermentum in ſacrificiis.

De ſacrificio pro expiatione peccàti.

SAcrificium hoc dicebatur *pro peccato*, non quod excluderet criminalia ſupplicia, quæ juxta Legis præſcriptum, ſceleratis inferri debebant, puta Homicidis, Latronibus, Adulteris, Blaſphemis, & id genus aliis peccatoribus, quibus ex lege diſtinctæ pœnæ erant definitæ: ſed inſtitutum erat pro eluendis eorum noxis, qui ex ignorantia, vel incogitantia, ſeu errore quodam adverſus Legem, præſertim cæremonialem deliquerant. Unde *Levit.* 4. Deus mandat Moſi, *Anima, quæ peccaverit per ignorantiam, & de univerſis mandatis Domini, quæ præcepit ut non fierent*. Quibus verbis (inquit appoſite Vatablus) ſignificatur peccatum in quod incogitantia, imprudentia, & errore, (impellente ſcilicet affectuum mole ac in pretul animus perplexus præcipitatur, quominus rationis ac ſpiritus judicium audiat.

Hoc autem ſacrificium diſtinguitur duplex. Unum quod abſolute dicitur *pro peccato*: alìud quod *pro delicto* nominatur. Quodnam vero diſcrimen ſtatuendum ſit delictum inter & peccatum, Interpretibus hæret aqua. Hebræi plerique exiſtimant *peccatum* dici, quod fit contra præcepta affirmativa, quæ ipſi ex veteri Teſtamento tot eſſe aſſeruot, quot ſunt oſſa io humano corpore, oempe 248 *Delictum* vero, quod admittitur contra præcepta negativa, quæ ipſi tot numerant quot ſunt dies in anno, nempe 365. S. Auguſt. e contra putat *peccatum* dici, quod committitur contra legem prohibentem: *delictum* vero, coutra legem præcipientem; ita pariter Lyranus, Abulenſis &c.

Omiſſis vero plurimis aliorum ſententiis, dico quod peccatum & delictum perſæpe pro uno eodemque uſurpentur, ut *Levit. cap.* 4. 5. & 6. Nihilominus prout aliquam admittunt diſcrepantiam, *peccatum* dici id quod ſcieoter & prudenter committitur: *delictum* vero quod per ignorantiam, imprudentiam, & oblivionem contra legem fit: quam expoſitionem etiam admittit S. Auguſtinus, eamque probat ex Pſal. 18. v. 13. & 68. verſ. 6. & ex epiſt. S. Jacobi: quibus in locis *peccatum* tribui videtur ſcienter agenti contra legem; *delictum* vero ex ignorantia prævaricanti.

Utut ſit, certum eſt quod etſi peccatum & delictum io Scriptura ſacra, præſertim in verſione S. Hieronymi, pro uno eodemque uſurpentur, hæc tamen ratione expiationis & victimæ a Moſe diſtingui; nam victima pro eluendo peccato cujuſque hominis privati, erat agnus vel hœdus; at vero pro delicto offerri debebat aries.

Ad ritum oblationis quod ſpectabat, ſimiles in utroque ſacrificio pro expiandis peccato & delicto ſervabantur cæremoniæ, ut præſcribitur cap. 7. *Levitici* verſ. 7. *ſicut pro peccato offertur hoſtia, ita & pro delicto, utriuſque hoſtia lex una erit*. In utroque enim ſanguis & adeps offerebantur Deo, armus autem & pectuſculum cedebant in uſum & eſum Sacerdotum offerentium: cujus ritus hanc rationem profert S. Gregorius: *Divina*, inquit, lege *armum Sacerdos dexterum in ſacrificium accipit & ſeparatum; ut non ſolum ſit ejus operatio utilis, ſed & ſingularis; nec inter malos tantum quæ recta ſunt faciat; ſed bene quoque operantes; ſubditos ſicut honore ordinis ſuperat, ita etiam morum virtute tranſcendat: cui in eſu quoque pectuſculum cum armo tribuitur, ut quod de ſacrificio præcipitur ſumere, hoc de ſeipſo diſcat immolare; & non ſolum pectore quæ recta ſunt cogitet, ſed ſpectatores ſuos ad ſublimia arma operationis invitet: nulla proſpera præſentis vitæ appetat, nulla adverſa pertimeſcat*. Nulla vero pars oblatæ victimæ conferebatur offerenti, ne de admiſſo peccato lætari & gloriari videretur: ſed quæ ſupererant, efferebantur extra caſtra, ut io loco apto comburerentur.

Inſuper victimam offerens pro peccati expiatione, tenebatur confiteri peccatum ſuum, ut præcipitur *Numer. cap.* 5. *v.* 6. his verbis; *Vir, ſive mulier, cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ ſolent hominibus accidere, & per negligentiam tranſgreſſi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum ſuum, & reddent ipſum caput, quintamque partem deſuper, ei, in quem peccaverint*. Illa autem confeſſio ſic fiebat; offerens imponebat manus capiti hoſtiæ immolandæ dicens: *Obſecro o Domine! peccavi, inique egi, & prævaricatus ſum coram te; ſic & ſic feci. Ecce pœnitet me & pudet me operum meorum; nunquam revertar ad iſtam rem*. Hanc autem confeſſionem, Hebræi vocaot, *Confeſſionem verborum* quod fieret more ſolemni & certis verbis. Addit tamen Deus Levit. cap. 5. *Sin autem non potuerit offerre pecus, offerat duos turtures, vel duos pullos columbarum Domino; unum pro peccato, retorquebit caput ejus ad pennulas, ita ut collo hæreat, & non penitus abrumpatur*. In

qui-

quibus verbis duo maxime veniunt notanda. 1. Summa Dei erga homines benignitas; quippe qui miſericordiam ſuam & juſtitiam attemperet juxta cujuſque conditionem & ſtatum, nec eamdem oblationem requirat a pauperibus, quam exigebat a divitibus pro peccatorum expiatione. 2. Quod in omnibus ſacrificiis veteris Legis adumbrari voluerit cruentum ſacrificium Chriſti, qui licet Sanguinem ſuum in morte pro peccatis noſtris effuderit; caput tamen ejus non eſt avulſum a corpore: ut ſignificaretur ipſum nuſquam ſeparari a corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, ſive vivus, ſive mortuus ſit. Ut indicaret inde maximam eſſe piorum conſolationem in illum credentium: ſive enim eorum quis vivus affligatur; ſive moriens extinguatur, hanc habet fiduciam, quod divinum ejus caput non eſt avulſum a membris ſuis.

Alius vero peculiaris ritus ſervandus erat pro expiatione peccati ſummi Sacerdotis, & totius populi, ut præſcribitur cap. 4. Levitici v. 3. &c. His verbis, *Si Sacerdos, qui unctus eſt, peccaverit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato vitulum immaculatum Domino.* Quibus verbis, *qui unctus eſt*, deſignatur ſummus Sacerdos, ut cum Rabbinis annotat Lyranus noſter: *Sacerdos*, inquit, *unctus eſt Sacerdos magnus; quia inferiores Sacerdotes non ungebantur; ſed tantum ex quadam commixtione, quæ fiebat ex ſanguine victimæ immolatæ, & unctionis oleo, ipſi & veſtes eorum aſpergebantur:* ut habetur Exod. 29. *Unde in V. Teſtamento ſoli Reges & Pontifices dicuntur proprie uncti.* Fagius ex Onkeli paraphraſi *Sacerdos magnus Hebraice Sacerdos unctus, quia ſummi Sacerdotes ungebantur unctione ſolemni, non autem alii infimi Sacerdotes.* Hinc 2. *Machab. cap.* 1. *verſ.* 10. Ariſtobulus magiſter Ptolemæi Regis dicitur de genere *Chriſtorum Sacerdotum*, id eſt, de genere Pontificum; quia ſoli ſummi Pontifices unctione ſacra conſecrabantur.

Neque his obſtat quod *Levit.* 10. *v.* 7. de Eleazaro & Ithamaro Aaronis ſummi Sacerdotis filiis, dicitur *oleum Sanctæ unctionis eſt ſuper vos:* & Exod. 30. v. 30. iubet Deus Moſi, *Aaron & filios eius unges, ſanctificabiſque eos, ut Sacerdotio fungantur mihi.* Hebræorum enim Doctorum ſententia eſt, verba illa non eo ſenſu eſſe intelligenda, ut Aaronis filii, una cum patre, eodemque tempore fuerint uncti: ſed quod patre mortuo, eſſent ungendi, ut illius ſummi Sacerdotii vices implerent. At cenſerem ego, in prima illa ſolemni Sacerdotum inauguratione, Aaronis filios una cum patre fuiſſe oleo ſancto conſecratos, tum ut adeſſent ſuo patri, ætate jam confecto, in ſummi Pontificatus miniſterio: tum ut ipſi brevi morituro ſuccederent: tum ut majori apud Iſraeliticum populum eſſent in veneratione & auctoritate: Hanc vero ſacram unctionem ſolis poſtmodum ſummis Sacerdotibus fuiſſe reſervatam.

Cum autem hi Pontifices eminentiori conſiſterent in loco, intimiuſque cum Deo conſortium haberent; proindeque major eorum deberet eſſe ſanctitas & puritas cordis & animi: ſi ab illa degenerarent, longe gravius cenſebatur eorum peccatum. Quamobrem majori hoſtia, nempe vitulo erat expiandum hoc ritu. 1. Pontifex ille ſuam victimam, hoc eſt, vitulum ſine macula adducebat ad oſtium Tabernaculi, eique manus imponebat, quaſi ſuum in illum peccatum transfundens, ut ipſius vice, ſuo ſanguine ſuaque morte illud expiaret. 2. Eum ipſemet ibidem jugulabat & immolabat. 3. Cratere aut aliquo vaſe mundo excipiens illius ſanguinem, inferebat in Tabernaculum; deinde digito ſuo in eo ſanguine intincto ſepties eo aſpergebat velum expanſum ante Sanctum Sanctorum, & cornua altaris aromatum, reliquum vero ſanguinem referebat in atrium, eumque effundebat juxta baſim altaris holocauſtorum. 4. In illo altari cremabat adipem & renes hoſtiæ, reliquum vero hoſtiæ cum illius pelle, fimo & inteſtinis efferebat extra caſtra, eaque cremabat in loco mundo, in quo reponi ſolebant cineres victimarum.

In expiatione vero peccati totius populi, Seniores ducebant vitulum ad oſtium Tabernaculi, ejuſque capiti manus ſuas imponendo, eum jugulandum tradebant Sacerdoti, ut iiſdem ritibus immolaretur.

Petes, cur victima pro eluendo Pontificis & totius populi peccato, non ſicut aliæ cremarentur in altari, ſed extra caſtra?

Reſpondeo, id factum multis de cauſis. I. Ut inde appareret peccati ſummi Pontificis & totius populi enormitas; quæ licet reſpectu alicujus privati fuiſſet levis, tanta erat ratione ſcandali, vel a Pontifice, vel ab univerſo populo delinquente dati, ut quamvis intuitu immolatæ victimæ & illorum pœnitentiæ eis majori ex parte indulgeret Deus, nihilominus nolebat majorem victimæ partem ſuper altare cremari, nec eos eſſe oblati ſacrificii participes, ut inde perſuaſum haberent illum ipſis nondum eſſe pleniſſime reconciliatum; ac proinde ampliori pœnitentia illum eſſe flectendum. II. Vult Deus hoſtiam pro totius populi & ſummi Sacerdotis peccati expiatione cremari extra caſtra, ut hoc ritu intelligerent illi pro quibus offerebatur, eos propter admiſſum peccatum indignos eſſe qui inter Dei populum cenſerentur. III. Poſſet adjici Deum hac victimæ extra caſtra deportatione ſignificari voluiſſe, ſe comparatum ad plenariam peccati remiſſionem, dummodo debite reſipiſcerent; uti populo parcebat dum hircus emiſſarius illius peccatis oneratus, in deſertum dimittebatur. IV. Hoc ritu ſignificabat Chriſtum extra civitatem immolandum, ut docet Apoſtolus.

Erat inſuper peculiaris ritus ſervandus in ſacrificio pro condonatione peccati principis, in his a præcedenti diſtinctus. 1. Quod in illo offerri debebat vitulus, in hoc hircus. 2. In illo, ſanguine intingi debebat altare thymiamatis; in hoc, altare holocauſti. 3. In illo, victima cremabatur extra caſtra; in hoc, ſuper altare holocauſti. 4. In illo, tota victima igne abſumebatur; in hoc,

car-

carnes comedebantur a Sacerdotibus in atrio Tabernaculi.

Erant & aliæ victimæ piaculares præſcriptæ pro privatis hominibus, qui noxam aliquam incurrerant. Ut autem tres ſunt ordines hominum qui delinquere poſſunt, divites, pauperes, & inopes; ita pro ratione ſingulorum, tria præſcripta ſunt victimarum genera, nempe *capra* pro divitibus; *turtures* vel *pulli columbarum* pro pauperibus; exigua *ſimila* pro egenis, abſque tamen oleo & thure: Levit. 5. verſ. 11. quod inquit Theodoretus, *Oleum lætitiam indicet, thus autem ſuavem odorem; quorum utroque privatum eſt peccatum.* Mitto cætera pro leviſſimis noxis oblata ſacrificia, nec non & conſecratoria, de quibus actum eſt in Exodo ad *cap.* 29.

DE FESTO EXPIATIONIS

Revera pro eluendis tam particularium quam totius populi peccatis erant deſignatæ hoſtiæ, quæ ubi opus eſſet, poſſent immolari. Voluit tamen Deus ſolemne feſtum & ſacrificium ſingulis annis celebrari pro expiatione univerſi populi Iſrael, uti præſcribitur *Levit.* 16. cujus inſtitutionis occaſionem præbuiſſe videtur peccatum irreverentiæ admiſſum a duobus filiis Aaron Nadab & Abiu, qui in ſanctuario divinitus occiſi ſunt, quod ignem alienum aſſumpſiſſent ad adolendum thymiama, ut indicatur in hujus capitis exordio: *Locutus eſt Dominus ad Moyſen poſt mortem duorum filiorum Aaron, quando offerentes ignem alienum interfecti ſunt.* Quamobrem vetat ibidem Deus ne deinceps Aaron omni tempore ingrediatur ſanctuarium, ſed tantum ſemel in anno; idque nonniſi ſumma cum reverentia, nempe indutus pontificalibus, & præmiſſa immolatione vituli pro peccato ſuo, & arietis in holocauſtum; quibus peractis Iſraelitæ præ foribus Tabernaculi debebant ei offerre duos hircos pro peccato: ille vero de iis ſorte tenebatur decernere uter Deo ſacrum piaculare fieret, uter in ſolitudinem eſſet amandandus: cui ſors obtigerat ut immolaretur, ſtatim mactabatur, ut ejus ſanguinis accepta parte, ſummus ſacerdos Propitiatorium a parte orientali ſepties illiniret: totum vero iſtius hirci corpus, ſicut & vituli oblati pro peccato ſummi Sacerdotis, deferendum erat extra caſtra, ut ibi cremaretur.

Interea hircus in ſolitudinem emittendus, ſiſtebatur coram ſummo Sacerdote, qui impoſita utraque manu ſupra caput ejus, tranſmittebat in eum peccata totius populi, hoc eſt, devovebat eum omnibus pœnis quas populus debuiſſet exolvere ut Deo offenſo faceret ſatis: deinde ille hircus conſignabatur homini ad id deſignato, qui eum duceret in ſolitudinem a feris devorandum.

Quoniam autem pro Capro emiſſario Hebraice ſcribitur *Azazel*, plurimum laborant Interpretes in hac voce exponenda. Hebræi Doctores, præſertim Aben Eſra, David Kimki, Jonathan, & R. Salomon, volunt ea ſignificari nomen excelſi & aſperi montis ad quem hircus ille deducendus eſſet, ut inde præcipitaretur. Eis conſentit editio Arabica, quæ loco *Azazelis* ubique habet *montem azaz*, vel *montem aſperum*. Unde R. Saadias Gaon, vocem *azazel* compoſitam eſſe putat ex *azaz*, & *El*, ut ſignificet *montem aſperum Dei*: eodem nempe ſenſu quo David montes altitudine conſpicuos, appellat *montes Dei* Pſalm. 36. verſ. 7.

Verum, ut apparet ex tot Palæſtinæ delineationibus, nullus unquam extitit mons, qui eo nomine appellaretur. *Deinde*, ait Spencerus, ſi Azazel nomen montis eſſet, veriſimile eſt Moſem, *montem Azazel* æque ac montem *Abarim*, montes *Ararat*, montem *Ebal*, montem *Garizin*, montem *Galaad*, montem *Hermon*, montem *Hor*, montem *Horeb*, montem *Sion*, dicere, nec, hoc uno in exemplo, ab uſu ſuo recedere voluiſſe.

Ipſe Spencerus aliam, ſed abſurdiorem, & pietati & religioni Chriſtianæ minus conſentaneam, recitat: nimirum nomine *Azazelis*, ſignificari Dæmonem deſerti incolam; nam, inquit, Dæmones loca deſerta & ſolitaria incolere multis Scripturæ ſacræ teſtimoniis confirmatur; primo quidem vetat Deus ne quis eo tempore, quo Iſraelitæ degebant in deſerto, ovem & bovem menſæ deſtinatum, in campis occideret, ſed eum ad fores Tabernaculi mactandum adduceret, hac addita prohibitionis cauſa verſ. 6. & 7. *Adolebit adipem in odorem ſuavitatis Domino, & nequaquam ultra immolabunt hoſtias ſuas dæmonibus*: Quia, inquit Maimonides in More nevochim parte 3. cap. 45. temporibus illis opinio invaluerat, Dæmones in deſertis habitare, loqui, & apparere; in urbibus vero & locis habitatis nequaquam conſpici: ideoque deſertum locus erat ſacris dæmoni faciendis opportunus, & animalis alicujus (niſi ad oſtium Tabernaculi conventus adducti) mactationem in cultus profani ſuſpicionem adducebat: in Terra vero promiſſa, & Urbibus ibi paſſim habitatis, nullus huic ſuſpicioni patebat locus, cum Dæmones ibi non adeo frequentes adeſſe crederentur. Idipſum confirmare videtur Chriſtus D. dicens: *Cum ſpiritus immundus exierit ab homine, ambulat per loca arida.* Hoc eſt, deſerta & deſtituta incolis; nam locos aridos & ſiticuloſos non ſolent homines incolere; in eis vero Dæmones verſari communis eſt opinio. Inde factum quod Magi, Venefici, aliique Dæmonum alloquio & ſocietate frui cupientes, loca plurimum deſerta petant & ſolitaria... Cum itaque Dæmones in locis præcipue deſertis, & ab hominum uſu maxime ſejunctis verſari gaudeant; par erat ut hircus ille piacularis, ad Azazelem emiſſus, ad deſertum, vel locum (ſi quis eſſet) magis infelicem & ab humano cultu remotum amandaretur. Ita Spencerus.

Verum hanc expoſitionem ut a pietate & catholica doctrina prorſus alienam eſſe, nemo cordatus eſt qui non videat. Illam qui-

dem excogitaverat impius Julianus Imperator & a Chriſtiana religione Apoſtata, contendens a Moſe caprum illum emiſſarium diis Averruncis devotum eſſe, ut refert S. Cyrillus Alexandrinus, ex eis quos adverſus illum Chriſtianorum inſenſiſſimum hoſtem & perſecutorem ſcripſit: cumque illa erronea exiſtimatio aliquorum etiam mentes turſus occupaſſet, plurimis argumentis illius opinionis impietatem & ſtultitiam refellit idem S. Cyrillus Epiſtola ad Acacium Eccleſiæ Melitanæ Epiſcopum, qui illius de hirco emiſſario ſententiam rogaverat.

I. Quod univerſorum opifex, qui omnem mentem ac rationem excedit, ſoluſque eſt ſecundum naturam Deus & Dominus, numquam Sathanam Apoſtatam, regni ſui ac gloriæ veluti ſocium conſortemque admiſſurus ſit, maxime cum per Iſaiam cap. 42. verſ. 8. dixerit: *Gloriam meam alteri non dabo*.

II. Quod abſurdiſſimum eſſet Moſem virum ſapientiſſimum toties in lege præcipere, ut quæcumque offerre quis voluerit, ea ſoli Deo offerat; poſtea manifeſto oraculo ſanxiſſe, ut gloria, quæ ſoli Deo propria eſt, etiam immundis ſpiritibus deferatur.

III. Quia Deus Dæmones eorumque cultores ita averſatur, ut Iſraelitis diſtricte præceperit, ut cum obtinerent Chananitidem, *Perditione perdetis omnia loca, quæ ſorte poſſidebitis, in quibus coluerunt Gentes Deos ſuos, ſuper montes excelſos, & colles, & ſubter omne lignum frondoſum: & deſtruetis aras eorum, & confringetis ſtatuas eorum, & lucos eorum excidetis, & ſculptilia Deorum ipſorum igni comburetis, & diſperdetis nomina eorum de loco illo*. Qua autem ratione fieret, ut qui ſuos ex gentilitatis errore ad veritatis lumen per Moſem traduci voluit; quique præceperat ut idola una cum illorum templis comburerentur, necnon aræ quoque eorum ſubverterentur, lucique excinderentur, ne ullæ abominationum iſtarum reliquiæ ſupereſſent, is gloriam ſuam illis, ut modo aiebam, voluerit impartiri, in eamque ſententiam venerit, ut ipſa quoque animantia ſibi in ſacrificium deſtinata, illis ſacrificare juberet, & alterum hircum eo fine in deſertum emitteret?

IV. Quia illi duo hirci erant figuræ Chriſti D. mortem pro peccatoribus paſſuri, & ad æternam beatamque vitam reſurrecturi. Quamvis (inquit circa finem) uſus poſtulabat ut duo hirci, ac duo itidem paſſeres ad exprimendum Chriſti myſterium inducerentur: Unus tamen in utriſque Chriſtus continebatur: hinc quidem ut paſſioni obſtrictus; inde vero ut extra paſſionem conſtitutus: hinc rurſum morti ſubjectus: inde vero morte ſuperior, cœloſque conſcendens, veluti ſecundæ quædam humanitatis primitiæ ad incorruptionem inſtauratæ. Nam ipſe nobis viam ad cœleſtia innovavit. *Vado*, inquit, *parare vobis locum: & iterum veniam, & accipiam vos ad meipſum; ut ubi ſum ego, & vos mecum ſitis*. Et hanc certam ſpem habemos.

At, inquies, ea fuit plurium Hebræorum Doctorum exiſtimatio quod hircus ad Azazelem vice muneris & oblationis, ad eum nempe placandum, emitteretur: Nam referente Bocharto lib. de animal. part. 1. in capitulis R. Eliezer hirci emiſſarii ratio hæc redditur: *Ideo Samueli dant munus die propitiationum, ne irritam reddat illorum oblationem. Hinc dicitur* una ſors Deo, altera Azazeli. *Sors ſancti & benedicti Dei, eſt oblatio holocauſti; & ſors Azazelis, eſt hircus peccati*. Ex ea opinione fluit, quod in libro Caphtor legatur, a Judæis ideo Satanæ datum munus, die ſcil. expiationis, ut illius oculos præſtringerent, ne ab illo accuſarentur: quia ſcriptum eſt, *munus excæcat oculos videntis*. Et concinens Moſes Gerundenſis, dicit oblationem illam qua hircus emiſſarius Dæmoni traditur, non ipſis Judæis, ſed Deo adſcribendam. *Cæterum*, inquit, *non eſt intentio in hirco emiſſario, ut ſit oblatio a nobis data illi* Samueli, id eſt, Diabolo, *abſit; ſed noſtra intentio eſt facere voluntatem Creatoris noſtri, qui tale quid nobis præcepit*, adeo ut Deus ipſe, non vero illi donum illud facere Diabolo videatur. Deus bone quanta impietas, quamque execranda blaſphemia!

Verum hanc refellunt ſupradictæ rationes, quibus manifeſtum fit, Deo majori in odio eſſe Dæmonem quam ut eum minima etiam ex parte habere velit divinæ ſuæ gloriæ & munificentiæ participem. Idque confirmatur ex ſequenti capite 17. *verſ.* 7. ubi cum Deus præſcripſiſſet ritum immolationis ſibi faciendæ ab Iſraelitis, addit: *Nequaquam ultra immolabunt hoſtias ſuas Dæmonibus*, ubi Hebraice eſt vox *ſchirim*, quæ a radice *Sahar* pilolum ſignificat, hoc eſt Dæmonem, quod ſub hirci vel hœdi figura apparere ſolitus eſſet. Unde Arias Montanus *ſatyros* vertit, Cajetanus *hircos* ſeu *Deos ſilveſtres*, ut proinde recte ſcripſerit Vatablus: Dictio Hebraica *ſchirim*, ſignificat quidem Dæmones; ſed eos proprie qui hirſuti & villoſi, inſtar hircorum, ſuis cultoribus apparere ſolebant in deſertis & ſilveſtribus locis, ipſo etiam teſte Lucretio, qui lib. 4. agens de locis ſolitariis, ſic canit,

Hæc loca capripedes Satyros Nymphaſque tenere,
Finitimi fingunt, & faunos eſſe loquuntur,
Quorum noctivago ſtrepitu, ludoque jocanti
Affirmant vulgo taciturna ſilentia rumpi.
Cætera de genere hoc monſtra ac portenta, loquuntur
(Ne loca deſerta ab divis quoque forte putentur)
Sola tenere,

Quæ cum ita ſint, nonne mente motum eſſe eum oportet, qui exiſtimabit a Deo Azazeli Dæmoni devotum eſſe hircum emiſſarium in victimam, cui diſtricte inhibet fieri ullum ſacrificium? Quamobrem miſſis omnibus tricis, concludendum arbitror cum Theodoreto quæſt. 22. in Levit. ubi agens de hirco emiſſario, cum dixiſſet: „ Quod quidam „ non recte intelligentes, emiſſarium illum, „ eſſe Dæmonem quemdam arbitrati ſunt,
„ quia

„ quia dixit *unum Domino, & unum emiſſario*; ſed hoc præ nimia ſtoliditate putaverunt: qui enim fieri poſſet eum qui dixit, Exod. 20. *Non erunt tibi alii Dii præter me: & non adorabis, neque ſervies altari Deo præter me*, Dæmoni cuidam, parem indulgere victimam; non igitur Deo cuipiam, aut Dæmoni mittebatur, ſed ambo quidem offerebantur Deo; ſed unus mactabatur, alter autem aſſumptis peccatis populi in ſolitudinem emittebatur. Quemadmodum enim in purificatione leproſi, uno paſſere mactato, alter illius ſanguine tinctus liberabatur: ita duobus hircis oblatis pro peccatis populi, unus ſacrificabatur, alter emittebatur. Hæc nihilominus typum gerunt Chriſti Domini, dum tamen hæc duo animalia non pro duabus perſonis accipiantur, ſed pro duabus naturis. Cum enim per unum hircum adumbrari commode non poſſet tam mortalitas quam immortalitas Chriſti Domini (nam hircus mortalis eſt ſolum) neceſſario duo mandati ſunt, ut ille qui mactabatur, carnis paſſibilem naturam præfiguraret: qui vero ſolvebatur, divinitatis indicaret naturam impaſſibilem.

Ex his itaque manifeſtum fit impenſe delirare eos, qui ſerio contendunt ex duobus illis hircis unum Deo, alterum Dæmoni fuiſſe devotum; uterque enim offerebatur Domino, ut pro populi peccato debitas & vicarias pœnas lueret; ſed unus mactabatur, alter mittebatur vivus in deſertum, ut iſti duo hirci repræſentarent duplicem Chriſti D. ſtatum, mortalem ſcilicet & immortalem, utrumque vero propter hominum ſalutem, nam, inquit Apoſtolus: *Traditus eſt propter delicta noſtra: reſurrexit propter juſtificationem noſtram*. Id ipſum præfigurabant illi duo paſſeres Levit. 14. 7. quorum unus immolabatur, alter avolandi libertate donabatur.

Etſi vero hircus ille dictus eſt *emiſſariae*, quod vivus & liber dimitteretur; Attamen nonniſi ſervatis quibuſdam ritibus abibat. I. Namque imponebantur ejus capiti manus a ſummo Pontifice, totius Eccleſiæ ſeu Iſraelitici populi perſonam agente, & hircum ſubſtituente, qui debitas tam ſuis quam totius populi peccatis pœnas lueret, in illiuſque caput recideret, quidquid mali propter peccatum populi cervicibus impenderet.

II. Ligatus vitta vel tænia coccinea, ut tradunt Talmudici *cod. joma cap.* 4. tradebatur homini ad id deſignato, qui illum in deſertum locum duceret, ibique vivum & liberum dimitteret; ita tamen ut unde venerat, non poſſet reverti. Ductor vero referre tenebatur vittam coccineam; quæ, inquiunt, ſi Deus pepercisſet populo, fiebat alba: ſi vero illi ſemper eſſet iratus, rubra perſeverabat. Hujus quidem vittæ coccineæ meminit S. Barnabas in Epiſtola quæ ejus nomine circumfertur, in qua de duobus hircis ſermonem faciens, ait, *Sumite duos hircos bonos & ſimiles, & offerte: & accipiat Sacerdos unum in holocauſtum, alterum in maledictum & conſpuite illum omnes ac lancinate, & imponite lanam coccineam circa caput ejus & ſic in deſertum emittatur*. At cum de hujus vittæ in albam permutatione nullum extet argumentum, cenſeo hæc inter Judaica figmenta eſſe reputanda.

III. Ductor ille non poterat ingredi caſtra, quin prius veſtes & corpus ſuum lavaſſet; quod videlicet immundus cenſeretur propter contactum hirci, in quem derivatæ fuerant totius populi fœditates & nequitiæ.

Præter hos ritus in duobus hircis illo Expiationis die obſervandos, præceperat Deus, ut Iſraelitæ pœnitentiam agerent: *Affligetis*, inquit, *animas veſtras*. Levit. 16. verſ. 29. & cap 23. verſ. 32. hæc autem animarum afflictio, alia non erat quam animi dolor de peccatis commiſſis, corporiſque per jejunium publicum maceratio, ut indicat Philo, *Quis*, inquit, *jejunium quod vocant, non mirabundus adorat, præſertim quotannis, recurrens, ſacrato menſe, juxta diſciplinam auſteram & tetricam*. Et lib. de legatione ad Caium, dicit ſummum Pontificem ſemel tantum per annum, in ſanctuarium ingredi, nimirum jejunii tempore. Idem tradit Joſephus qui agens de ſacrificiis in die expiationis offerri ſolitis, ait: *Decima luna ejuſdem menſis, jejunant uſque ad veſperam*. Menſis autem ille ſeptimus erat a menſe Niſan, ut indicatur cap. 23. Levit. verſ. 27. ac proinde erat menſis Tiſri, qui ſeptimus erat ab æquinoctio Verno, & menſe Niſan, juxta ſeriem temporis computandi in rebus ſacris, ut diximus ad Exod. 12. verſ. 22. Etſi vero Judæi per annum plura obſervarint publica jejunia; quoniam hoc ſolum a Deo præceptum eſt, idcirco dictus eſt abſolute *dies jejunii*: ſic Jeremiæ 36. hic Propheta jubet Baruch ſuo amanuenſi, ut vaticinia quæ ſcripſerat, legat in templo coram populo, *in die jejunii*; hoc eſt in ſolemnitate expiationis.

QUÆRITUR II.

Quot, & quæ Victimæ requirebantur in ſacrificiis cruentis.

Reſpondet Philo, *Animalia quæ in ſacris ſunt, alia terreſtria ſunt, volucria alia. Volucrium cum ſint innumera genera, præteritis cæteris omnibus, duo tantum ſelegit Deus: quoniam columba inter natura manſuetas, & gregatim volitantes eſt mitiſſima; turtur vero inter ſolitarias maxime cicur. Terreſtrium quoque innumeris gregibus omiſſis, tria præcipua ſecrevit genera, bubulum, ovillum, & caprinum*. Ex quibus apparet tres tantum ſpecies ex quadrupedibus, totidemque ſolum ex volatilibus potuiſſe in victimas aſſumi; comprehendendo tamen ſub ſingulis totam ſpeciem: hoc eſt ſub bobus etiam vaccas & vitu-

vitulos; ſub ovibus, agnos & arietes: ſub capris hircos, capreolos, &c. Unde non omne animal mundum ad eſum, erat aptum ad ſacrificium; nam præter enumeratas ſpecies tam ea pecudibus quam ex avibus, plurimæ adhuc erant quibus veſci licebat, ut videre eſt toto cap. 11. Levit.

Cur autem potius ea ſea illis animantium ſpeciebus, quam ex aliis etiam mundis & humano victui inſervientibus victimas aſſumi voluerit Deus, plurimæ proferri poſſunt rationes. I. Quia, inquit, moa laudatus Philo, illa ſunt mitiora: *Siquidem*, ait, *armenta magna boum, magni greges caprarum & ovium, ab uno quovis aguntur, nec ſolum viro, ſed & puero, dum exeunt in paſcua, rurſumque ſuo tempore decenter ad ſepta redeunt. Quod autem animalia hac ingenio miti ſint prædita vel illud evidens eſt indicium quod omnia veſcuntur herbis, non carnibus; nec unguibus aduncis ſint armata.*

II. Quia, ut ſubdit, conveniens fuit Deo immolari ea quæ præ cæteris, hominibus valde ſunt utilia: porro tres illæ pecudum ſpecies maxima afferunt vitæ commoda. *Arietes* utique veſtes præbent, neceſſaria corporum tegumenta. *Boves* arando, terram ſementi præparant, & fruges ipſas tritura reddunt alimento utiles. Ea *pilis caprinis*, tergoribuſque contextis & conſutis portatilia fiunt domicilia viatoribus, militibus præſertim quos ſæpe extra urbes ſub dio degere neceſſitas cogit.

III. Inquit Moſes Maimonides in more Nevochim parte 3. cap. 46. cum Ægyptii boves colerent ſub nomine *Apis*, & ſidus *Arietis*, haberent pro numine; unde oves, illius ſideris ſymbola, tanta habebant in æſtimatione, ut eas mactare nefas ducerent; plurimi etiam Ethnici dæmones ſub caprina figura venerarentur; unde ab hircorum mactatione abſtinebant. Ut ab iſtis ſuperſtitionibus liberi fierent Hebræi, voluit Deus tria illa pecudum genera immolari, ut quorum mactatio ab Ethnicis grande crimen putabatur, ea aditus ad Deum fieret, & peccata expiarentur. *Ita ſcilicet*, inquit, *pravæ opiniones, quæ morbi ſunt humani animi, plane contrariis curari ſolent.*

IV. Idcirco, ait ibidem, voluit Deus tria hæc animalium genera potiuſquam alia in victimas aſſumi, quod eorum maxima ſit copia, faciliorque ea eis domeſticis pecudibus victima poſſit comparari quam ex feris, puta Leonibus, Urſis &c. Quoniam autem bene multi erant, quibus quidem ad ſacrificium quadrupes nulla ſuppetebat, præcepit Deus, ut ſacrificia etiam ea avibus deligerentur, ex eis utique, quarum erat & copia major in terra Iſraelis, & major pulchritudo, & captura facilior. Quales quidem ſunt turtures, pullique columbarum.

V. Ut Hebræos averteret ab idololatrico Ethnicorum ritu, nam teſte Porphyrio orat. 5. Græci, & Romani, aliique, Soli *equos*, Marti *lupos*, Priapo *aſinos*, Dianæ *cervas*, Cereri *ſues*, Hecati *canes* immolare conſueverant. Deus autem non alias ſibi victimas immolari voluit, quam quæ erant domeſticæ, & mundæ, quales obtulerant Noe, & Abrahamus.

Neque vero quælibet ex iſtis animantibus poterant aſſumi in victimas, ſed ea duntaxat quæ perfecta erant, nulliſque vitiata maculis, aut corporis partibus mutila; neque enim cœcum, aut fractum, aut verrucoſum, aut ſcabioſum, aut cui teſtes ſuppreſſi, contuſi, abrupti, aut effoſſi erant, ad aram rite admoveri potuit. Bovem etiam, ovem, aut capram cui membrum quodvis præter modum, aut longum, aut curtum erat, ad ſacrificium adhibere non licuit, ut ſtatuitur Levit. 22. verſ. 21. 22. 23. & 24. quo factum ut quodque animal diligenter explorari ſoleret, priuſquam ad aram admoveretur: *Tantaque cautela*, inquit Philo, *utuntur in hoc negotio, & qui offerunt victimas, & ipſi ſacrificii, ut probatiſſimi Sacerdotum peritiſſimique ab extremis pedibus exorſi per totum corpus inquirant quæ ſunt conſpicua, ne ventre feminibuſque celetur, vel minima labecula. Adhibetur autem hæc cura non propter victimas, ſed ut ſine omni culpa ſint qui eas mactandas offerunt. Submonentur enim his ſymbolis, ut quoties accedunt altaria, vel nuncupaturi vota vel reddituri; nullum vitium nullumque morbum afferant in anima, ſed conentur omnino nitidam & immaculatam in conſpectum Dei producere, ne viſam averſetur.*

Neque vero apud Judæos tantum, ſed etiam apud prophanas gentes magna diligentia cautum erat, ne quid vitii ineſſet victimæ: unde Virgilius,

Nunc grege de intacto ſeptem mactare juvencos.
Præſtiterit, totidem lectas de more bidentes.

Unde *Servius*, intacto, id eſt, *indomito*, *ut, intacta, totidem cervice juvencas.* Lectas de more bidentes. *De more antiquo, ſcilicet, quem prætermiſit, quaſi omnibus notum, id eſt, ne habeant caudam aculeatam, ne linguam fiſcam, ne aurem nigram.* Unde *Lucianus* ſcribit, *ſertis coronas pecudem, multoque ante explorant, an legitima ſit, & ſacris idonea, ne quid forte mactent ex eis, quæ religio repudiat: deinde ad aram adducunt, ac ſub oculis Dei jugulant.*

QUÆRITUR III.

Quænam offerri liceret in ſolidis ſacrificiis incruentis.

JAm dictum eſt incruenta ſacrificia duplicis fuiſſe generis alia ex rebus ſolidis, alia ex liquidis. Ex ſolidis erant imprimis panes, qui multiplici ritu offerebantur. Alii enim dicebantur *panes propoſitionis*, quod ſemper coram Domino ſuper menſa aurea in ſanctua-

ſtuario eſſent poſiti, juxta illud Exodi 25. 30. *Pones ſuper menſam panes propoſitionis in conſpectu meo ſemper.* Hi vero erant numero duodecim, juxta totidem Iſraeliticas Tribus, quarum ſingulæ ad horum panum confectionem debebant ſimilam, hoc eſt farinam puriſſimam Sacerdotibus offerre, ut hac oblatione teſtarentur ſe continuo Dei beneficio ali & protegi.

Conficiebantur autem illi panes a Levitis, ut refertur 1. Paralip. 9. verſ. 32. qui accepta ſimila eam ſubigebant non aquæ, ſed olei infuſione: ex ſubacta vero abſque fermento, conficiebant duodecim panes, quorum ſinguli ponderis erant ad minus tredecim librarum cum dimidio, ut colligitur ex *Levit.* 24. *v.* 4. concoctos autem præbebant Sacerdoti, qui eos duos in ordines ſenos & ſenos reponebat ſuper menſa aurea in magnis acceptabulis ſeu crateribus aureis, illos vero ſuperne tegebant vaſis, quæ thuribula vocantur, ne a pulveribus & muſcis inficerentur.

Submovebantur autem veteres ſingulis diebus *Sabbati*, ut novi recenteſque apponerentur, ſicut præſcribitur *Levit.* 24. *verſ.* 8. hujus vero ſacri ritus rationem hanc profert Philo: *Panes*, inquit, *ſeptimo quoque die proponuntur in ſacra menſa, panes numero menſium, in quaque ſerie ſeni, pro ratione æquinoctiorum. Nam ſeni menſes interſunt vernum inter autumnaleque. Poſt vernum fruges maturescunt, quando fructus arbores ſe proferre incipiunt. Qui mox poſt autumnale maturescunt, quando ſunt ſementis initia. Sic natura ſempiternis orbibus in ſeſe recurrentibus alia poſt alia dona mortalibus per vices cumulat, quod ſignificatur per bis ſenos panes propoſitos.*

Illi vero ſubducti cedebant in uſum Sacerdotum, qui eos comedere debebant in Tabernaculo *verſ.* 9. Urgente tamen neceſſitate poterant etiam his Laici veſci panibus, ut Davidi contigit. Quod Chriſtus D. non
a Matth. 12. v. 4. improbavit [a]. Horum vero panum oblatio verum non erat ſacrificium: cum nihil ex eis cremaretur ſuper altare: ſed integri tradebantur Sacerdotibus, ut ederentur ab eis.

Idem eſto judicium de duobus panibus, quos in feſto Pentecoſtes pro primitiis offerri jubet Deus, cum enim panes illi fuerint fermentati, ut ibidem præſcribitur, non erant apti ad ſacrificium; ab eo namque arcebatur omne fermentum; *Omnis oblatio quæ offertur Domino* (nempe in ſacrificium) *abſque fermento fiet; nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in ſacrificio Domino.*

At novem erant alterius generis panes, ſeu ferta, quorum oblatio verum erat ſacrificium. Quatuor quidem lege erant præſcripta. I. In auguratione novi Sacerdotis: *Tollet Sacerdos pugillum ſimilæ quæ conſperſa eſt oleo, & totum thus quod ſuper ſimilam poſitum eſt, adolebitque illud in altari in monumentum odoris ſuaviſſimum Domino: reliquam autem partem ſimilæ* (in panem ſeu fertum compactam & concoctam) *comedet Aaron* &c. Quod præceptum de conſecratione novi Sacerdotis intelligendum eſſe docet Maimonides in Maaſe Korban cap. 12. at cenſerem ego, hæc eſſe dicta de oblatione panis a quolibet etiam Laico per Sacerdotem facta; nam oblatio pro Sacerdote tota cremabatur, ut apparet ex ſequentibus.

II. Dum Sacerdos cujuſque ordinis erat inſtituendus, ibidem enim verſ. 20. 21. 22. & 23. *Hæc eſt oblatio Aaron, & filiorum ejus, quam offerre debent Domino in die unctionis ſuæ. Decimam partem ephi offerent ſimilæ in ſacrificio ſempiterno, medium ejus mane, & medium ejus veſpere: quæ in ſartagine oleo conſperſa frigetur. Offeret autem eam calidam in odorem ſuaviſſimum Domino, Sacerdos, qui jure patri ſucceſſerit, & tota cremabitur in altari: * omne enim ſacrificium Sacerdotum igne conſumetur, nec quiſquam comedet ex eo.*

III. Fertum offerendum erat ab iis, qui cum alicujus piaculi eſſent rei, nec poſſent offerre agnam vel capellam, nec par turturum aut columbarum, quo ſe purgarent; debebant offerre gomor ſimilæ, quæ erat menſura quotidiani victus, uti fuerat mannæ: Sacerdos vero ex hac ſimila nullo thuri & oleo adjuncta *pugillum hauriens cremabit ſuper altare, in monumentum ejus qui obtulerit, rogans pro illo & expians; reliquam vero partem ipſe habebit in munere.* Levit. 5. verſ. 11. 12. & 13.

IV. Fertum dicebatur *Zelotypiæ*, quod abſque oleo & thure vir Zelotypus ad arguendum uxoris ſtuprum, offerebat Sacerdoti, *decimam partem ſati farinæ hordeaceæ*, quam Sacerdos offerebat Domino, aliis deinde adjunctis, ut præſcribitur Num. 5. verſ. 15. & ſequentibus.

Ferta vero quæ nulla lege erant præſcripta, ſed a pauperibus ſponte, vel ex voto offerebantur, ratione diverſæ coctionis, quintuplicis erant generis. Aliud enim erat incoctum, ſeu ſimplex ſimila, *Levit.* 2. *verſ.* 1. Aliud conſperſum oleo & in *clibano* coctum. Aliud illitum oleo & in ſartagine frixum. *verſ.* 5. Aliud liquidius *platella plana* concoctum *verſ.* 6. Aliud denique oleo non tantum perfuſum, ſed delibutum, & placentarum inſtar compactum.

Ex quolibet autem Sacerdos partem aliquam aſſumere debebat & adolere ſuper altare; reſiduum vero cedebat in uſum Sacerdotum. *verſ.* 9. & 10. Iſtis omnibus fertis adjungendum erat thus cremandum cum iſtius ſimilæ particula *in odorem ſuavitatis.* Admiſcendum erat pariter ſal, ſicut & in omnibus aliis ſacrificiis, ut præcipitur eodem cap. 2. verſ. 13. *Quiquid obtuleris ſacrificii, ſale condies; nec auferes ſal fœderis Dei tui in ſacrificio tuo; in omni oblatione tua offeres ſal.*

Petes, cur Deus omni Victimæ voluerit ſal admiſceri?

Reſpondeo, id factum multis de cauſis. I. Sacrificium erat veluti divinum convivium, nullus autem cibus perfecte ſapit abſque ſale.

II. Quia ſal pacis & amicitiæ erat Symbolum, unde Chriſtus D. [b] *Habete in vobis* b Marci 9.
ſal, & pacem habete inter vos. Voluit ergo v. 49.
Deus ſalis admixtione ſignificari nullum ſibi gratum fore ſacrificium ſine perfecta animo-

rum

rum cum proximo conſenſione & concordia. Hinc Plato in Timeo ſal appellat θεοφιλὲς σῶμα *Corpus Deo amiciſſimum* quamobrem Chriſtus D. Matth. 5. v. 13. admonet, ut ſi offerens munus ſuum ad altare, recordatus fuerit fratrem ſuum habere aliquid adverſum eum, relinquat ibi munus ſuum, eatque ſe reconciliare fratri, & deinde veniat ſuum offerre munus. Unde veteres hoſpitibus ſuis in ſignum amicitiæ ſal primum proferebant, ut refert Bernardinus Gomeſius in egregio ſuo Libro de utilitate & præſtantia ſalis.

III. Sal incorruptionem indicat & efficit, carnes enim ſervat ne putreſcant, vinum ne aceſcat, & mortuorum corpora a putredine vendicat, hinc Philo præclare ait, *Sal conſervator eſt corporum ſecundo poſt animam ordine: nam ſicut anima cauſa eſt incorruptionis corporum: ſic ſal diutiſſime tuetur ea, redditque quodammodo immortalia.* Quamobrem Chriſtus D. cum ſelegiſſet Apoſtolos, eoſque per univerſum mundum delegaret, ut Evangelicæ doctrinæ prædicatione homines vitiorum colluvie putreſcentes ad virtutis & innocentiæ ſanitatem & integritatem revocaret, ait. *Vos eſtis ſal terræ* &c.

Illa itaque ſalis admixtione admonebantur offerentes, ut mente integra & a vitiorum corruptione libera ad ſacrificium offerendum accederent. Mitto plures alias hujus inſtitutionis rationes, quas prolixe exhibet Gomeſius: qui ſub elegantis ſui operis de ſale finem, recitat audiente ſe cum Lutetiæ dixiſſent multi, præmio propoſito, de Deiparæ immaculata conceptione, adjudicatum poſtremo, qui pro concione, candidum ac pellucidum gemmei ſalis globulum e ſinu cum protuliſſet, atque ipſum ſericea app nſum cordula dimiſiſſet, nullum verbum protulit, ſed longi ſermonis clauſulam ſolemnem tantum pronunciavit, *Dixi*, ſignificans hoc pellucidi ſalis globuli ſymbolo Virginem Deiparam ab omni peccati corruptione immunem.

Eundem ritum ſuis in ſacrificiis æmulabantur Ethnici, unde Ovidius faſt. 1.

Ante Deos homini quod conciliare valeret,
Far erat, & puri Lucida mica ſalis.

Et Statius Sylv. I.

.... Sæpe Deis hos inter honores.
Ceſpes & exigue placuerunt ſacra ſalino.

DE PRIMITIIS.

PRæter illos panes & ſerta, debebant Iſraelitæ ſingulis annis omnium fructuum primitias deferre ad Sacerdotes, qui eas in altari reponerent quadam oblationis ſpecie. *Exod.* 23. verſ. 19. *Numer.* 18. verſ. 12. *Deuter.* 18. verſ. 3. & præcipue toto capite 26. Vox autem Latina *primitiæ* ambigua eſt, ut obſervat S. Auguſtinus. tribuitur enim 1. Interdum hominum & animalium primitivis Fœtibus. 2. Primis fructibus de terra ſumptis. At, inquit, vox *primitiæ* proprie quidem attribuitur primis terræ fructibus: *Sed redactis ab agro, ſicut de maſſa, de dolio, de lacu, de cupa, quæ primitus ſumebantur.*

Varia autem fuerunt primitiarum genera: aliud *Novalium*, quod in cartallo deferre debebant, *Levit.* 26. *verſ.* 2. Aliud *manipuli* quod altero die paſchæ offerendum erat, *Levit.* 23. *verſ.* 10. Aliud *duorum panum fermentatorum* oblatorum in die Pentecoſtes, *ibidem verſ.* 16 & 17. Aliud *placentæ* e nova farina confectæ: *Sicut de areis primitias ſeparatis, ita & de pulmentis dabitis primitiva Domino.* Numer. 15. verſ. 20. Aliud *granorum* e recentibus ſpicis parumper adultis excuſſorum: *Si obtuleris munus primitiarum frugum tuarum Domino de ſpicis adhuc virentibus torrebis igni, & confringes in morem farris, & ſic offeres primitias tuas Domino.* Levit. 2. verſ. 14. Aliud *frumenti* recens collecti & in farinam commoliti, *Levit.* 23. *verſ.* 13. mitto cæteras primitiarum oblationes quæ ſparſim leguntur.

Docet autem Maimonides nihil primitiarum ad aram ferri licuiſſe, niſi e ſeptem frugum fructuumque generibus, nimirum e tritico, hordeo, uvis, ficubus, malis punicis, & dactylis, quarum rerum regio Chananitidis erat refertiſſima: ea vero nedum e Chananitide, ut vult Abarbanel ad Deuter. 26. ſed etiam e Syria debuiſſe afferri, nimirum e regionibus quas Og rex Baſan, & Sehon occupaverant.

Addit unumquemque cujuſvis ſtatus & conditionis, debuiſſe curare ſuas deferri primitias Jeroſolymam; ubi vero Templi atrium ingrederetur, ſportam in qua repoſitæ erant primitiæ, tenebatur ſuo imponere capiti, & eam Sacerdoti offerens, ei dicere: *Profiteor coram Domino Deo tuo quod ingreſſus ſum in terram, pro qua juravit patribus noſtris, ut daret eam nobis.* Deuter. 26. verſ. 3. Sacerdos vero cartallum de manu offerentis accipiens, illud reponebat ante altare; offerens vero addebat *Syrus perſequebatur patrem meum* (Jacobum) *qui deſcendit in Ægyptum* &c. Quibus verbis Iſraelitæ teſtabantur ſe has divitias, illaque beneficia non obtinuiſſe jure hæreditario a parentibus: ſed ex Dei liberalitate; nam eorum pater Jacob, qui habitavit in Syria, illic laboravit penuria & egeſtate; ita ut ſub dura Labani ſervitute plures inſumpſerit annos: Deinde vero fame oppreſſus deſcendit in Ægyptum: poſtmodum in terram Chanaan &c. Quæ omnia eo tendunt, ut ſignificaretur filios Iſrael non accepiſſe Terram Sanctam, ut hæreditatem a Patribus acceptam; ſed ex Dei dono.

Etſi vero quolibet tempore offerri poterant novorum fructuum primitiæ, tres tamen erant præcipuæ ſolemnitates, in quibus erant offerendæ: nam tempore *Paſchatis* offerebantur primitiæ ſpicarum: in *Pentecoſte*, novorum panum: in *Septembri*, recentium fructuum.

Illa

Digitized by Google

Illa autem oblatio triplici de cauſa præſcripta erat: *prima*, ut Iſraelitæ agnoſcerent benedictionem frugum non ex hominum labore, aut terræ fertilitate, ſed ex divino beneficio & liberalitate, & ut fruerentur collectis frugibus in timore & obedientia Dei. *Alia cauſa* oblationis faſciculi erat neceſſitas politica, ut iſta ordinatione cogerentur legitimum tempus meſſis exſpectare. *Tertia cauſa* hujus oblationis fuit, ut ab eo die oblatione faſciculi ſic inſignito numeraretur feſtum Pentecoſtes; *Numerabitis* enim, inquit, *ab altero die Sabbati, in qua attuliſtis faſciculum movendæ, ſeptem integra ſabbata* &c. .

Inſuper prohibitum erat ne quis de terræ frugibus, aut fructibus ederet, priuſquam oblatæ fuiſſent primitiæ, Levit. 23. verſ. 14. *Panem & polentam & pultes non comedetis ex ſegete, uſque ad diem qua offeretis ex ea Deo veſtro* &c.

Hunc pariter ritum imitati ſunt Ethnici: De Ægypriis enim ſcribit Diodotus Siculus lib. 1. *Meſſis tempore, oblatis ſpicarum primitiis juxta manipulos, Iſidem invocare ſolent*. Idem Græci præſtabant Dianæ, teſte Suida; & Romani Cereri, & Baccho, unde Virgil.

> .... *Ut primas Cereri dare cultor ariſtas*
> *Poſſet, & intacta Boramium* (Bacchum)
> *perfundere vina.*

Hunc etiam ritum indicare voluit Ariſtoteles, ſcribens: *Priſca ſacrificia & conventus habiti videntur, poſt fructuum collectionem, quaſi primitiæ quædam; nam illis maxime temporibus a negotio ruſtico feriabantur*. Unde Porphyrius, *a rerum exordia quidem Diis primitiæ de fructibus ſolvebantur; ut ea religione pro beneficiis acceptis gratias agerent, & anni ſequentis fertilitatem procurarent*.

DE SUFFIMENTIS.

Quoniam in ſingulis Sacrificiis, præterquam in piacularibus ſeu expiatoriis, thure & ſuffimenta adhiberi voluit Deus, opere pretium eſt nonnulla de his adiicere. Erat autem ſuffitus ſacer ex variis aromatibus confectus, ut dictum eſt ad caput 30. Exodi, verſ. 34. Ubi Deus imperat Moſi: *Sume tibi aromata, ſtacten & onycha, galbanum boni odoris & thus lucidiſſimum, æqualis ponderis erunt omnia:* * *facieſque thymiama compoſitum opere unguentarii, mixtum diligenter, & purum, & ſanctificatione digniſſimum.* * *Cumque in tenuiſſimum pulverem universa contuderis, pones ex eo coram Tabernaculo teſtimonii, in quo loco apparebo tibi. Sanctum Sanctorum erit vobis thymiama.* * *Talem compoſitionem non facietis in uſus veſtros, quia ſanctum eſt Domino.* * *Homo quicumque fecerit ſimile, ut odore illius perfruatur, peribit de populis ſuis*. Quæ verba cum expoſuerimus hoc idem caput expendentes, nihil eſt quod in eis diutius immoremur.

Etſi vero ſacer hic ſuffitus adhibendus erat in omnibus ſacrificiis, nec licebat alium in altare thymiama proferre, ut eodem cap. 30. verſ. 9. ſtatuitur, his verbis: *Non offeretis ſuper eo thymiama compoſitionis alterius*. Attamen divina Lege cautum erat, ut quotannis in intimo ſacrario, ſingulis autem diebus mane & veſpere in ſancto adoleretur, cum videlicet immolaretur agnus, & componerentur lucernæ, ut præſcribitur *verſ.* 7. & 8. Ad hunc autem ſuffitum quotidianum debite faciendum tres adhibebantur Sacerdotes, ut habet Miſna, quorum unus cineres e præcedentibus ſuffimentis reſiduos amoveret ex altari, alter prunas ex ara victimarum acceptas in batillo quodam poſitas altari thymiamatum admoveret: tertius vero thymiama e thuribulo manu ſumptum, in aræ focum iniiceret; quo peracto, & Sancto Sanctorum facta religioſa reverentia, e templo exibat; quod etiam ab aliis templi Miniſtris, quoties exibant e Tabernaculo vel templo, exacte ſervabatur.

Summus vero Sacerdos Pontificalibus indutus, in ſolemni Expiationis die, ut præſcribitur *Levit.* 16. Aſſumpto igne ex holocauſtorum altari, & thymiamate, atque ſanguine immolati hirci piacularis, in Sancta Sanctorum ingreſſus, ſuffitum ſupra prunas proiiciebat, & ſanguine hirci intincto digito, illinibat ſepties propitiatorium in parte orientali. *verſ.* 14. Prius enim ab eo mactari debuit hircus pro eluendis ſuis & populi peccatis, quam ſanctuarium ingrederetur: in illud enim ſemel tantum in anno ei licitum erat ingredi, ut teſtatur S. Paulus. Idque diſtricte ſervatum fuiſſe ſcribit Philo, lib. de legatione, ubi agens de ſanctuario, ait: *Quod ſemel quotannis Pontifex introgreditur jejunii tempore, tantum odores incenſurus, & ex more vota facturus, ut felix annus & pax contingat omnibus hominibus. De cætero ſi quis, non dico plebeius Judæus, ſed Sacerdos vel a ſummo proximus, imo is ipſe Pontifex ſi duabus anni diebus, aut eadem die ter quaterve introiverit, capite luet abſque venia*. Si vero ante iſtum ingreſſum hircus ille non fuiſſet immolatus, debuiſſet Sacerdos iterum Sanctuarium ingredi, ut ejus ſanguine propitiatorium illiniret, ſicque non ſemel tantum, ſed bis in Sanctuarium intraſſet, quod erat prohibitum.

De-

De oblatione rerum liquidarum, ſeu de libationibus.

NOn ſolum res ſolidas, ſed etiam liquidas in ſacrificiis peragendis offerri ſibi voluit Deus, in teſtimonium quod eſſet ſupremus rerum omnium Auctor & Dominus. Quamvis autem voces *Liba*, *libamentum*, *libamen*, & *libatio*, interdum pro *Minchuh*, ſeu ſimila, aliiſque rebus ſolidis oblatis, in Scriptura uſurpentur, ut Levit. 23. verſ. 13. *Et libamenta offerentur cum eo, duæ decimæ ſimilæ conſperſæ oleo* &c. Et Num. 28. verſ. 8. & 31. Nihilominus voces illæ proprie ſignificant oblationem rerum liquidarum, præſertim vini; eaſque Ethnici derivatas eſſe volunt a *Libero*, qui vitis uſum reperit in Græcia, unde Ovid.

Nomine ab Auctoris ducunt Libamina nomen,
Libaque, quod ſacris pars datur inde focis.

Verum vox *Libamen* ſeu *Liba* antiquius fuit a Moſe uſurpata: nam eodem ſenſu accipitur, Exod. 29. verſ. 40. *Et vinum ad libandum* &c. Et Numer. 15. verſ. 5. *Et vinum ad Liba fundenda ejuſdem menſuræ* (quartæ partis Hin) *dabit in holocauſtum, ſive in victimam*. Et verſ. 7. *Et vinum ad Libamentum.... afferet in odorem ſuavitatis Domino*. Conſtat itaque vinum præcipuam obtinuiſſe partem in ſacris libationibus, & ſacrificiis, atque rationem habuiſſe victimæ. Nuſquam tamen licuit illud ſolum offerre, ſed una cum ſolidis victimis, nimirum ut ſacrificium eſſet inſtar ſacri convivii cibo & potu eximio inſtructi.

Hic autem obſervandum eſt nuſquam Sacerdotes Aaronicos ſeu Leviticos obtuliſſe panem & vinum ſimul tamquam ſacrificii materiam unicam, ut fecit Melchiſedech; ſed offerebant vinum tanquam ritum & appendicem oblationis cruentæ, in qua legis Moſaicæ ſacrificia maxime conſiſtebant.

Obſervandum inſuper quod etſi voluit Deus ſibi vinum offerri in ſacrificium diſtricte tamen prohibuit ne Sacerdotes & Levitæ tempore ſui miniſterii uterentur vino, *Levit.* 10. *v.* 9. Ubi Deus Aaronem alloquens ait, *Vinum, & omne quod inebriare poteſt, non bibes tu, & filii tui, quando intratis in Tabernaculum teſtimonii, ne moriamini*. Cuius prohibitionis rationem hanc ſubdit verſ. 10. *Ut habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & profanum, inter pollutum & mundum: docentiſque filios Iſrael omnia legitima mea*. Hoc eſt, ne propter vini alteriuſque inebriantis liquoris potationem, minus eſſent comparati ad diſcernenda ea quæ in ſacrificiis deberent admitti, vel arceri, minuſque idonei ad docendum populum ea quæ ſpectabant ad ritum ſacrificiorum debite ſervandum.

Philo ait, hoc præceptum quatuor ob cauſas datum: *Scilicet*, inquit, *ut effugiat pigritiam, oblivionem, ſomnum, amentiam: merum enim laxatis viribus corporis, facit id minus agile, & in ſomnum velit nolit pertrahit: animi quoque intentionem remittens, fit ei cauſa oblivionis ac deſipiſcentiæ. Contra ſobriorum & membra ſunt leviora habilioraque: & ſenſus puriores ſinceriereſque, & mens ipſa perſpicacior, ad proſpiciendum futuris negotiis, & ad præteritorum reminiſcentiam. Itaque in univerſum vini uſus cenſetur ad vitam inutilis, quandoquidem gravat animum, ſenſus hebetat, denique corpus onerat. Nihil enim ſinit in nobis liberum, ſed quidquid attigit, præpedit. At cum puritati ſacriſque vacatur, tanta eſt hoc anus moleſtius, quanta gravius peccatur in Deum, quam in hominem. Merito igitur inſtitutum eſt ſacrificium abſtemium, ut diſcrimen ſit inter ſacra & profana, pura & impura, legitima & illegitima.*

Si vero tanta debuit eſſe ſobrietatis cura in Aaronitis Sacerdotibus, quanta debet ineſſe Chriſtianis, qui tam tremenda tractant myſteria? unde S. Petrus Chryſologus *Ebrietas*, inquit, *in Laico crimen eſt, in Sacerdote ſacrilegium, quo alter animam ſuam præfocat, alter ſe profanat, & ſpiritum ſanctitatis extinguit. Ebrietas enim eſt mater litium, furoris genitrix, petulantiæ magiſtra. Huic qui obnoxius eſt, homo non eſt; hac qui laborat, non modo peccatum facit, ſed ipſe eſt peccatum. Hæc enim eſt rabies voluntatis, pernicies honeſtatis, & pudoris injuria. Ubi enim regnat ebrietas, ratio exulat, intellectus obtunditur, conſilia deviant, & judicia ſubvertuntur*. Hinc S. Paulus [a] vetat Epiſcopum eſſe vino deditum. Unde S. Hieronymus [b], *Vinolentum Sacerdotem, & Apoſtolus damnat, & vetus Lex*. Idque multa aliis de cauſis, nempe quod *Vinum apoſtatare facit ſapientes* [c]. Quod *nullum ſit ſecretum, ubi regnat ebrietas, & qui bibunt vinum, obliviſcuntur judiciorum* [d]. Unde Sapiens monebat [e] *qui animum transferre vult ad ſapientiam, devitareque ſtultitiam, abſtrahit a vino carnem ſuam*.

His adiici poteſt quod vinum libidinis & luxuriæ ſit incitamentum; unde Apoſtolus [f], *Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria*, id eſt, vis concitandæ libidinis; quamobrem Tertullianus [g], vinum appellat *comitem ſcurtationis*, S. Aug. *caſtitatis naufragium*, Hieronymus *libidinis incendium* &c. Erat autem diſtricte prohibitum ne quis immundus ad res ſacras accederet [h]. *Anima polluta quæ ederit de carnibus hoſtiæ pacificorum, quæ oblata eſt Domino, peribit de populis ſuis*.

Imo nec liberum erat veſci panibus propoſitionis, niſi illis qui ab opere conjugali abſtinuiſſent per duos dies, ut apparet ex 2. *Reg. cap.* 21. *verſ.* 4. Quapropter ut puriores eſſent ſacrorum Miniſtri, a vino abſtinebant.

Eædem fuerunt cauſæ quare Ægyptii Sacerdotes parciſſime vino uterentur, teſte Porphyrio [i], *Vinum enim*, inquit, *alii non omnino, alii parciſſime deguſtabant; cauſam interponentes quod nervos læderet, caput gravaret*,

ret,

a 1. *ad Tim.* 3.
b *Epiſt. ad Fabiolam.*
c *Eccleſ.* 19.
d *Proverb.* 31.
e *Eccleſ.* 2.
f *Epheſ.* 5. 18.
g *Lib.* 1. *contra Marcion.*
h *Levit.* 7. *v.* 20.
i *Lib.* 4. *de abſtin. anim.*

ret, inventionem impediret: cauſabantur etiam quod libidines venereas excitaret Ab aris autem etiam apud Ethnicos arcebantur quicumque re venerea eſſent polluti, juxta illud Ovidii.

Vos quoque abeſſe procul jubeo; diſcedat ab aris
Cui tulit heſterna gaudia nocte Venus:
Caſta placent ſuperis, pura cum mente venite
Et manibus puris ſumite fontis aquam.

Etſi vero nonnulli Sacerdotes Ethnici temperaverint a vino, nihilominus vini libationem & potum ſuis in ſacrificiis uſurpaſſe teſtis eſt Moſes in ſuo cantico, *Deuter.* 32. *verſ.* 37. cum eis ſacrificulis & Dæmonum cultoribus ſubſannans, ait: *Ubi ſunt Dii in quibus habebant fiduciam de quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum?* Eorum autem idololatricum cultum ut declinarent Hebræi, noluit Deus ut eorum inſtar, vini parte libata, aliam aſſumerent ſacrificantes; ſed juſſit ut totum vinum oblatum ſuper altare funderetur, nullaque pars reſidua cederet in uſum Sacerdotum.

Admittebat etiam Deus *oleum* in oblationibus, maxime in oblatione ſimilæ, quam volebat eſſe ſubactam, & conſperſam, imo & ſuperinfuſam oleo, *Levit.* 2. *verſ.* 1. 2. 4. 5. 7. & 15. ut ſignificaret charitatis ignem & ardorem noſtris in omnibus piis operibus, quæ grata ſunt Deo ſacrificia, neceſſario temperandum eſſe oleo manſuetudinis & lenitatis, ne zelus noſter, nimium exardeſcens ultra moderationis limites erumpat. Hoc etiam ritu Deus non docuit, ait Radulphus Flaviacenſis, fraternæ correctionis aſperitatem oleo lenitatis eſſe demulcendam: hanc, inquit, corripiendi formam Apoſtolus nobis in ſeipſo repræſentat, cum Galatas arguens, nunc in eos acrius invehitur, nunc vero eis paterna pietate blanditur: *O inſenſati*, inquis, *Galatæ, quis vos faſcinavit non obedire veritati?* Et poſt pauca: *Sic ſtulti eſtis, ut cum ſpiritu cœperitis, nunc carne conſummemini?* Sed poſt hujus increpationis aſperitatem, qua eorum dilectione ad hujuſmodi verba deſcenderit, eis minime tacuit, cum ait cap. 4. v. 19. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* Hæc ille.

QUÆRITUR IV.

Cur FERMENTUM & MEL *in ſacrificiis adhiberi prohibuerit Deus.*

PRæcipit Deus ſecundo capite Levitici verſ. 11. *Omnis oblatio, quæ offertur Domino abſque fermento fiet, nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in ſacrificio Domini.* Fermentum autem excludit I. Quia eſt peccati ſymbolum, ut docet Apoſtolus Chriſtianos adhortans, ait: *Epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ; ſed in azymis ſinceritatis & veritatis.*

II. Quia fermentum fit ex corruptione & acore farinæ compactæ, & panis fermentatio fit per diffuſionem iſtius acoris & corruptionis in maſſam, unde Apoſtolus ibidem, *Neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit?* Deus autem quæ ſibi offeruntur, vult eſſe ſincera, incorrupta, & integra.

III. Quia fermentum farinæ ſubactæ maſſam inflat, eſtque propterea ſuperbiæ & hypocriſis ſymbolum; unde Chriſtus D. diſcipulos ſuos monebat: *Attendite a fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis*: At Deus grata non habet ſacrificia, niſi quæ offeruntur ab humilibus & contritis corde, juxta illud Pſalmi 50. *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum* &c.

At, inquies, Deus præſcribens ritum offerendi ſacrificii pacifici, inter cætera, ait: *Panes quoque fermentatos cum hoſtia gratiarum quæ immolatur pro pacificis.* Igitur fermentum omnino non excludit.

Diſtinguo, non excludit ab altari & ab immolatione, nego: ab oblatione in qua ſimul proferebantur ea quæ Deo deberent immolari, & ea quæ cederent in uſum Sacerdotum, concedo: panes autem illi fermentati non debebant ſuper altare cremari in ſacrificium; hoc enim expreſſe vetitum erat tum in præfato textu *Levit.* 2. *tum cap.* 6. ubi de pane offerendo additur, *verſ.* 17. *Ideo autem non fermentabitur, quia pars ejus in Domini offertur incenſum:* Sed debebant cedere in cibum uſualem Sacerdotum, ac proinde conveniens erat, ut eſſent fermentati. Igitur duo illi textus invicem non pugnant.

Ad *mel* autem quod ſpectat, multis de cauſis illud rejectum eſt a ſacrificiis. I. Quod ſit quædam fermenti ſpecies; nam mel coctum; acorem contrahit; & farinam, cui miſcetur, fermentat.

II. Quia (inquit Philo) „ collectrix ejus „ apis, animal eſt impurum, natum e putribus boum, ut fertur, cadaveribus, ſicut veſpas, ajunt, ex equinis provenire. „ Sive quod hæc figura doceat, profanam „ ducendam quamcumque voluptatem nimiam, dulcem hauſtu, ſed cruciatus afferentem difficiles, a quibus animam concuſſam labefactari neceſſum eſt.

At *prima* ratio minus videtur probanda; conſtat enim apes ab apibus in alveario generari, idque pure & caſte, utpote cum gignentur ſine concubitu, *Secunda* vero Philonis rationi accedit Theodoretus, ubi præmiſſis & improbatis aliorum de rejecto fermento & melle ſententiis, concludit *quamobrem ſub nomine quidem fermenti vetuſtatem nequitiæ ſignificari puto: mellis autem nomine voluptatem prohiberi.* Hanc pariter ſationem calculo ſuo confirmat S. Hieronymus, *quoniam*, inquit, *mel in Dei ſacrificiis*

non offertur nimia dulcedo arte mutata eſt, & quadam, (ut ita dicam) piperis auſteritate condita. Apud Deum enim nihil voluptuoſum, nihil tantum ſuave placet, niſi quod in ſe habet mordacis aliquid veritatis.

III. Quia hac prohibitione Deus revocari voluit Hebræos ab Ethnicorum impiis ſacrificiis; nam, inquit Maimonides in *more Nevochim part.* 3. cap. 46. *Idololatræ res dulces ad oblationes ſuas eligebant, eaſque melle inungere ſolebant.* Vix enim aliquis fuit inanium Deorum, quem mellis oblatione deliniri non crederent Ethnici: a Perſis in omnibus libamenti eſſe *oleum cum lacte & melle mixtum* aſſerit Strabo lib. 15. Pauſanias in Eliacis, cum recenſuiſſet varias aras in templo Jovis Olympii diverſis nominibus erectas, ait *ſemel quolibet menſe ad omnes, quas recenſuimus, Aras Elei ſacra faciunt, vetuſto quodam ritu thura, & melle ſubactum triticum adolentes.* Unde Auctor hymni in Mercurium *mel* appellat *Deorum cibum.* Hinc eſt quod Deus Judæis Idololatris exprobrat, Ezechielis cap. 16. verſ. 18. 19. quod Diis Gentium mel obtulerint. *Feciſti tibi,* inquit, *Imagines maſculinas, & fornicata es in eis. Et ſumpſiſti veſtimenta tua multicoloria, & operuiſti illas: & oleum meum, & thymiama meum poſuiſti coram eis. Et panem meum, quem dedi tibi, ſimilam, & oleum, & mel, quibus enutrivi te, poſuiſti in conſpectu eorum in odorem ſuavitatis.*

QUÆRITUR V.

Quare Adipem & Sanguinem *Victimarum ſibi immolari voluerit Deus, eorum autem eſum diſtricte Judæis prohibuerit.*

Inter tot tantaſque prohibitiones, quibus Judaicum populum conſtringi voluit Deus, nulla videtur frequentior & urgentior, quam adipis & ſanguinis ad eſum & potum interdicto: nam Levit. 3. v. 16. & 17. *Omnis adeps Domini erit . . . nec adipem, nec ſanguinem omnino comedetis.* Et cap. 7. verſ. 25. *Si quis adipem, qui offerri debet in incenſum Domini, comederit, peribit de populo ſuo.* Et v. 27. *Omnis anima, quæ comederit ſanguinem, peribit de populis ſuis.* Eadem inculcantur cap. 17. verſ. 12. & Deuteron. 12. verſ. 16. Etſi vero hujus interdicti ratio alia non eſt quærenda, quam Dei voluntas; poſſunt tamen proferri quædam congruentiæ.

I. Ut hoc interdicto ſignificaret Judæis cavendam eſſe crudelitatem, & voluptatem, quarum Symbola ſunt ſanguis & adeps; nam animalia quæ ſanguine paſcuntur, crudeliora ſunt; & quæ adipis ſunt avida, ad laſciviam quoque ſunt proniora.

II. Quia adeps accendendo & fovendo igni eſt aptiſſimus, ac proinde plurimum conducebat ad cremandas victimas. Sanguis autem præcipua eſt animæ ſedes, unde Levit. 17. verſ. 14. *Anima omnis carnis in ſanguine eſt,* non autem fruſtra lex (inquit S. Auguſtinus) animam voluit ſignificari per ſanguinem, rem ſcilicet inviſibilem per rem viſibilem: quia ſanguis per *venas ab ipſo corde diffuſus in noſtro corpore plus cæteris humoribus principatur; ita ut ubicumque fuerit vulnus inflictum, non humor alius, ſed ipſe præcedat: ita quoque anima, quia omnibus quibus conſtamus, inviſibiliter prævalet, illo melius ſignificatur, quod omnibus quibus conſtamus, viſibiliter prævalet.*

III. Ut Deus ſuos cultores revocaret ab impio ritu idololatrarum, qui immolatæ Dæmoni victimæ, ſanguinis partem comedebant, aliam vero fundebant in foſſam, circa quam convenientes convivia celebrabant, ut dum mortuorum umbræ, vel ipſi Dæmones effuſo ſanguine paſcerentur, ab eis rerum eventus reſcire poſſent, ut refert Maimonides: „Scito quod licet ſanguis immundus & impurus admodum fuerit in oculis Zabiorum, tamen ab illis comeſtus fuerit: eo quod exiſtimarent, cibum hunc eſſe Dæmonum, & quod is qui eum comedit, hac ratione communicationem aliquam cum Dæmonibus acquirat, ita ut familiariter cum illo converſentur, & futura ei aperiant, prout vulgus Dæmonibus iſta attribuere ſolet.

„Fuerunt tamen quidam inter illos, quibus valde durum & difficile videbatur ſanguinem comedere, (eſt enim res a qua natura Homo abhorret.) Hi mactantes beſtiam aliquam, ſanguinem ejus accipiebant, & in vaſe vel foſſula aliqua colligebant, carnem vero mactatam, circa illum ſanguinem in circulo ſedentes, comedebant; imaginantes ſibi, in hoc opere ipſis carnem comedentibus, Dæmones illum ſanguinem comedere, & hunc ipſorum eſſe cibum; & hoc medio amicitiam, fraternitatem, & familiaritatem inter ipſos contrahi, quia omnes in una menſa edunt, & uno conſeſſu accumbunt: præterea opinabantur, Dæmones in ſomnio ſibi comparere, futura indicare, plurimumque prodeſſe. Idem indicaſſe videtur Deus dum Levit. 19. verſ. 26. Iſraelitis præſcribit, *Non comedetis cum* (aut *ſuper*) *ſanguine. Non augurabimini, nec obſervabitis ſomnia.* Sicut facere ſolent Ethnici, ut Deos ſuos ſibi redderent propitios.

Nam (inquit Guillelmus Pariſienſis Epiſcopus) adeo placuit ſanguis Dæmonibus aliquando, & apud aliquos idololatras, ut nec tangere illum auderent, tanquam partem Diis conſecratam, & eis ſolis debitam. Propter quod & circa ſanguinem, vel ante ipſum comedebant, Diis ſuis ſanguinem relinquentes: Opinabanturque ex hoc ſe placere Diis ſuis, quia ante vel circa ſanguinem immolantium comedebant, putantes ea hora etiam Deos ſuos ad bibendum convenire ſanguinem hujuſmodi. Et ita in conſpectu eorum de ſacrificiis comedentes, Diis

ſan-

ſanguinem illum bibentibus communione forti ac fœdere indiſſolubili coſtringerentur.

Illuc pariter intendere digitum videtur Ezechiel, dum idololatris exprobrat, *in ſanguine comeditis, & oculos veſtros levatis ad immunditias veſtras* (id eſt idola) *& ſanguinem funditis. . . ſtetiſtis in gladiis veſtris, feciſtis abominationes.* Quibus alludere videtur ad ritum Ethnicorum, qui exiſtimantes vita functorum animas ſicut & Dæmones plurimum ſanguine delectari, atque pertimeſcere mucronis ſtricti fulgorem, eoque viſo illos in fugam abigi; ſolebant pecudum mactatarum ſanguinem in foſſam effundere, & vibrare per aerem gladios, ut animas non vocatas, a bibendo ſanguine deterrerent, donec anima evocata præſens adeſſet; ut videre eſt apud Homer. Odyſſ. lib. 11. qui refert quod cum Uliſſes Tyreſiam vatem defunctam conſulere voluiſſet, foſſamque ſanguine undantem præparaſſet, hæc dixiſſe fertur.

Cæterum ego gladio acuto ſtricto a fæmore;
Ibam, neque ſinebam mortuorum inania capita.
Ad ſanguinem prope accedere, antequam Tyreſiam conſuluiſſem.

Cum autem hæc Tyreſiæ umbra acceſſiſſet, ſic Uliſſem eſt allocuta.

Retrocede a foſſa, & remove enſem acutum,
Sanguinem ut bibam, & tibi vera dicam.

Plura his ſimilia habet Spencerus.

QUÆRITUR VI.

Cur STUPRI *mercedem, & pretium* CANIS *ſacris inferri prohibuerit Deus.*

INter cætera quæ ſibi offerri vetat Deus, legitur Deuteron. 23. v. 18. *Non offeres mercedem proſtibuli, nec pretium canis in domo Domini Dei tui, quidquid illud eſt quod voveris; quia abominatio eſt utrumque apud Dominum Deum tuum.* Cur autem utrumque hoc prohibuerit, non una eſt Interpretum ratio. Conveniunt quidem in priori iſtius prohibitionis parte voluiſſe Deum Hebræos cohiberi ab execrando illo Gentium ritu, qui violatæ & proſtitutæ pudicitiæ præmia, ſuis Numinibus conſecrare ſolebant, imo ex turpiſſimo illo lucro idola conflare, ut indicat Deus per Michæam, ubi idolis Samariæ denunciat, *Omnia ſculptilia ejus concidentur, & omnes mercedes ejus comburentur igne, & omnia idola ejus ponam in perditionem: quia de mercedibus meretricis congregata ſunt, & uſque ad mercedem meretricis revertentur.* Hoc eſt, ut exponit S. Hieronymus idola, donaria, ornatus & pretioſa ſuppellex, mercede meretricia comparata, ad aliam meretricem, nempe Ninivem ducentur; ut igne ibi conſumpta abeant in nihilum.

Nihil apud Ethnicos uſitatius fuiſſe, quam ut mulieres ſuam proſtituerent pudicitiam, quatenus excepta inde donaria idolis devoverent, plurimis teſtimoniis & exemplis probat Spencerus lib. 2. cap. 23. primo quidem ex Luciano lib. de Dea Syria, qui agens de moribus Ægyptiorum in terra Bybliorum uſitatis, refert eos inferias Adonidi peragentes capita tondere ſolitos, *e mulieribus autem,* inquit, *quæcumque tonderi nolunt, talem pœnam exſolvunt: unum quidem diem ad quæſtum corpore faciendum foro proſtant: Forum autem illud ſolis peregrinis exhibetur, & quod inde mercedis auferunt, hoc Veneri in ſacrificium datur.* De Cypriis idem refert *Juſtinus; Mos erat Cypriis,* inquit, *virgines ante nuptias, ſtatutis diebus dotalem pecuniam quæſituras, in quæſtum ad littus maris mittere, pro reliqua pudicitia libamenta Veneri ſoluturas.*

Similia habet Herodotus lib. 1. de Babyloniis loquens: *Omnibus,* inquit, *mulieribus indigenis commune eſt, ſemel in vita ad Veneris templum deſidentibus, cum externis viris conſuetudinem habere.* Et paulo poſt: *Cum ſemel illic conſederint, non prius domum regrediuntur, quam hoſpitum aliquis pecuniam mulieri in ſinum injecerit, & cum eadem a fano ſeorſum abducta rem habuerit. Hoſpitem autem illum, qui pecuniam obtulit, dicere oportet: Tanti ego tibi deam Mylittam imploro. Mylittam enim Aſſyrii Venerem appellant. At vero pecuniam illam, quantulacumque ſit, non eſt fas reiicere; ſiquidem in ſacrum convertitur uſum. Neque mulieri etiam permittitur hoſpitem aliquem repudiare, ſed quicumque is eſt, qui pecuniam objecerit primus, hunc illa ſequitur citra delictum.*

De Phœnycibus non abſimile quid ſcribit S. Auguſtinus: *Tres,* inquit, *Veneres: una virginum, quæ etiam veſta eſt; alia conjugatarum, alia meretricum, cui etiam Phœnices donum dabant de proſtitutione filiarum, antequam eas jungerent viris.* Idem de his S. Athanaſius, *Olim,* inquit, *Phœniſſæ mulieres ante idola ſua proſtituebantur, dedicantes numinibus ſuum quæſtum, perſuaſæ meretricum ea propitiari, ac proſperitatem rerum inde naſci. Viri quoque abdicato ſexu, mulierum naturam affectabant, tamquam honorifica, grataque matri Deorum facturi eſſent.* De hac etiam eorum initiatione qui ſe Veneri initiabant, meminit Clemens Alexandrinus: *Nummum,* inquit, *ei offerunt ii, qui initiantur, ut amicæ amatores.*

Deus itaque ut ſuos cultores ab execranda illa ſuperſtitione & proſtitutione abduceret, omnes oblationes meretricia mercede partas interdixit. I. Ut Hebræos ab idololatria & præpoſtera libidine avocaret. II. Ut Templi ſui majeſtatem & ſanctitatem præ ſordidis & impiis Ethnicorum fanis demonſtraret. III. Ut ſignificaret quantum execretur veſanæ voluptati deditos, quorum oblationes

omnes, piaque vota omnimode reſpuit, utpote ipſa turpiſſima voluptate, quam averſatur, commaculata.

Ad alteram prohibitionis partem, nempe de non admittendo *canis pretio*, multiplex eſt in re obſcuriſſima Interpretum ſententia. S. Auguſtinus, Lyranus, Abulenſis, & alii plures exiſtimant, nomine *canis*, hic illius animalis primogenitum intelligendum eſſe, qui, niſi facta fuiſſet illius exceptio, ſicut aliorum animalium immundorum, offerri quidem debuiſſet, ſed pecunia redimi. *Verum* cum canes in latebris parere ſoleant, & uno partu plures effundere catulos, facile non fuiſſet dignoſcere quis eorum eſſet primogenitus. Accedit quod veriſimile non ſit Deum legem illam Numer. 18. verſ. 15. de redimendis immundorum animalium primogenitis, ad omnia viliſſima animalia, puta ſimias, feles &c. extendi voluiſſe; non enim ſine gravi fortunæ domeſticæ præjudicio, felis aut ſimiæ catulus, agno, columbis, aut ſiclo fuiſſet redimendus.

Putant nonnulli cum Joſepho, hic intelligi pretium exceptum pro admiſſura canis venatici, vel paſtoralis. *Verum* cum hæc admiſſura non ſit admodum frequens, nec pretium pro illa ſoleat perſolvi, non video cur Deus hanc in prohibitione, illam potius ſpectaverit, quam commiſſuram boum, equorum, elephantum aliorumque majorum animalium, pro quorum admiſſura pretium ſolet exigi.

Joannes Spencerus ſupra laudatus, aliique recentiores ex eo, contendunt hoc a Deo ideo prohibitum eſſe, ut Iſraelitas abduceret a profana Ægyptiorum ſuperſtitione, qui canem præcipua veneratione colebant, teſtibus Herodoto [a], DiodoroSiculo [b], Strabone [c], & Juvenali qui *ſatyra* 15. agens de Ægyptiis numinibus ſcribit.

a Lib. 11. c. 67.
b Lib. 2.
c Lib. 17. ſua Geog.

Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam.

Colebant enim *Anubim* ſuum, ſub ſimulacro humano habentem caput caninum, quod exoriente canicula Nilus ſoleat exundare, & eorum terras fertilitate imbuere. *Verum* cum plurima alia animantia non minori ſuperſtitione, maxime *Apim*, ſub ſimulacro bovis etiam colerent Ægyptii, non video cur potius canis, quam bovis, aliorumque animalium pretium reſpuerit Deus in ſuis ſacris.

Quamobrem exiſtimarem ego, idcirco ſimul prohibita fuiſſe mercedem proſtibuli & pretium canis, quod canis inter cætera animantia proclivior ſit ad libidinem, & quavis data occaſione cum femella publice coeat, eique poſt copulam junctis cruribus hæreat, in argumentum expletæ beſtialis voluptatis. Unde Procopius canem effrænis ſcortationis ſymbolum nominat. Noluit autem Deus pretium canis ſive venditi, ſive commutati, ſibi in ſacris offerri, quod res eſſet non minus turpis, quam pecunia ex meretricio opere comparata; quodque par videatur canis, & ſcorti veſana libido.

TERTIA PARS

DE IMMUNDITIIS ET LUSTRATIONIBUS, ſeu purificationibus legalibus.

Cum Leviticus Liber potiſſimum collimet in ſtatuendis, exponendiſque legalibus immunditiis, necnon & mediis quibus poterant expurgari, operæ pretium eſt, ut in eis declarandis tantillum immoremur.

Duplicis autem generis univerſim erant illæ: aliæ perſonarum, aliæ rerum. Perſonarum immunditiæ, ſeu quarum ratione homines cenſebantur immundi, & arcebantur a Tabernaculo fœderis, & a victimis offerendis, aliiſque ritibus ſacris, tot erant, ut illarum numerus facile non ſit ineundus. Maimonides *Præfat. in ſeder Tobar*, triginta duos numerat immunditiarum *fontes*, quos deinde Rabini plurimos in rivulos derivarunt: at cum pleræque nullum habeant fundamentum in Lege, ſed ex Phariſæorum, aliorumque placitis orti ſint, eas omnes generatim ad novem capita revoco, quo ipſæ ordine ſtatuuntur.

I. Immunditiæ ſpecies declaratur Levitici 5. v. 2. his verbis: *Anima, quæ tetigerit aliquid immundum, ſive quod occiſum a beſtia eſt, aut per ſe mortuum, aut quodlibet aliud reptile: & oblita fuerit immunditiæ ſuæ, rea eſt, & deliquit.* Eadem de reptilibus repetuntur cap. 11. verſ. 29. 42 & 43. *Quidquid ſuper pectus quadrupes graditur*, (ſeu quod ita breves habet pedes, ut ſeſe movendo, ſerpentum inſtar, innititur ventri) *& multos habet pedes, ſive per humum trahitur... Non tangatis quidquam eorum, ne immundi ſitis.* Hujuſmodi autem animalculorum, quorum contactu quis inficiebatur, ex Hebræorum traditione octo erant ſpecies, *mus*, *muſtella*, *bufo*, *ericius*, *limax*, *ſtellio*, *talpa*, *lacerta*, quibus adiicienda ſunt omnia vermium & ſerpentum genera. Idcirco autem hæc cenſentur immunda, quoniam ineſt quiddam veneni iſtis reptilibus, quod terræ ſemper ſint affixa & lutulentis paſcantur, ut merito propterea tum tactus, tum eſus eorum penitus prohibeatur.

II. Immundities legalis proveniebat ex contactu morticiniorum tam hominum, quam animalium, Levit. 11. verſ. 24. *Quicumque morticinia eorum tetigerit, polluetur, & erit immundus uſque ad veſperam.* Tripliciter vero contigebat hæc pollutio. *Primo*, Si tangeret quis cadaver, oſſa &c. *Secundo*, Si intereſſet exequiis cum plangentibus defunctum, *Tertio*, Si qua ejus vaſa contrectaret.

III.

III. Impuritas erat puerperæ, Levit. 12. verſ. 2. *Mulier, ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, immunda erit ſeptem diebus, juxta dies ſeparationis menſtruæ. Ipſa vero triginta tribus diebus manebit in ſanguine purificationis ſuæ. Omne ſanctum non tanget, nec ingredietur in Sanctuarium.* Si vero filiam peperiſſet, diutius, nempe per duas hebdomadas immunda cenſebatur, & per ſexaginta ſex dies manebat in ſanguine purificationis ſuæ, necnon a ſanctuario cœtibuſque publicis & rebus ſacris debebat abſtinere. Non erat tamen ſeparanda a caſtris, ut leproſi, ac ſanguine, & ſemine continuo fluentes. Illo autem ſordium effluxu peracto, ſi dives eſſet, ſiſtere ſe debebat ad oſtium Tabernaculi, & offerre Sacerdoti agnum anniculum mactandum in holocauſtum, & pullum columbæ, aut par turturum pro peccato. Si vero pauper, duos pullos columbarum, aut duos turtures, unum in holocauſtum, alteram pro peccato: non quod admiſſum fuerat in actu conjugali, hoc enim etiam virum ſpectaſſet; nec ad id peccatum eluendum expectandus fuiſſet partus: adde quod actus ille conjugalis fieri potuit citra intemperantiam & peccatum. Non etiam pro peccato prolis; quod per circumciſionem in maſculo, & per aliud remedium in fœmina expunctum erat: ſed forte pro peccato obmurmurationis & impatientiæ, quod admiſerat mulier propter varia quæ prægnantibus adveniunt incommoda; maxime vero propter vehementiſſimos partus dolores.

IV. Immunditıes erat lepræ virum, aut mulierem inficientis, quam ubi veram & formatam eſſe cognoviſſet Sacerdos, qui eam explorare tenebatur. *Levit.* 13. Eos ab hominum conſortio ſejungebat, ne halitu, aut contactu ſuo alios inficerent; adeoque ab omni ſacrorum participatione excludebantur. Ad eam autem certo deregendam, tria ibidem proponuntur indicia. *verſ.* 3. *Primum*, ſi cutis candida appareat. *Secundum*, ſi pili ea in parte de lepra ſuſpecta, ex nigro, vel flavo colore in album commutentur. *Tertium*, ſi caro eadem in parte ſit aliis depreſſior. Ad ejus vero curam & munditiem declarandam plurima requirebantur, quæ deſcribuntur, *cap.* 14.

V. Immunditıes erat hominis aut mulieris fluxum ſeminis continuo patientis: non quidem voluntarie; is enim, præterquam in actu conjugali, hominem Deo deteſtabilem & execrandum efficiebat: ſed qui fiebat involuntarie, & ex debilitate & infirmitate corporis: Id autem contingere poterat duobus modis, ut declaratur *cap.* 15. *verſ.* 3. vel ſi humor ille continuo fluat; vel dum craſſior eſt, & ita coagulatur & concreſcit, ut canalem obſtruat.

Hæc autem immunditıes tanta erat, ut quidquid gonorrheus, ſeu ſemini fluus illa tetigiſſet, non ſolum cenſebatur immundum, ſed ſi vaſa eſſent fictilia, ita ſpurca & maculata habebantur, imo & locus in quo ſediſſet, ut ſiquis ea tetigiſſet, aut in eis hæſiſſet, tenebatur lavare veſtimenta ſua, & immundus cenſeri uſque ad veſperam. Simili pene interdicto & reatui ſubjacebant vir & mulier qui rem conjugalem habuiſſent: debebant enim ſe, ſuaque veſtimenta lavare, & ſacris abſtinere per integrum diem, *Lev.* 15. *verſ.* 17. & 18.

VI. Legalis immundities erat mulieris quæ menſe redeunte ſanguinis profluvium patiebatur: toto enim illo tempore, hoc eſt, per ſeptem dies quibus fluxus menſtrui ſanguinis perſeverabat, ut eodem capite præſcribitur a verſ. 18. ad 24. Ab aliorum ſocietate ſejungi tenebatur, ne ex ejus corporis, veſtimentorum, lectuli, aut ſedilis contactu alii inficerentur, fierentque immundi per integrum diem. Si autem ejus vir rem conjugalem cum ea illo tempore habuiſſet, haberi debebat ut immundus per ſeptem dies, *verſ.* 24.

Tanta eſt menſtruatæ mulieris fœditas, tanta turpitudo, ut ex ejus panno ſimilitudinem petat Scriptura rei ſpurciſſimæ, *Eſther* 14. verſ. 16. *Iſaiæ* 30. verſ. 22. *Jeremiæ* 2. verſ. 24. Nihil illo menſtruato pro fluvio magis noxium ſcribunt Plinius a, Solinus b, & Ælianus c. Nam ex menſtruatæ præſentia aceſcunt muſta, ſteríleſcunt tactæ ſegetes, exuruntur hortorum germina, earum tactu emoriuntur apum alvei ferrum rubigine inficitur, ebur nitorem deperdit, ſpeculorum & gemmarum fulgor hebetatur, & menſtruato paſti canes rabie corripiuntur.

a *Lib.* 7. *cap.* 15.
b *cap.* 4.
c *Hiſt. animal.*

Hinc Maimonides dicit mulierem menſtruatam tanto horrori fuiſſe apud Indos idololatras, ut eam ſolam domi recluſerint, & quiſquis cum ea locutus fuiſſet, pro polluto haberetur; imo ſi ventus ſuper eam flans ad alium ſpiraſſet, hic etiam pollutus cenſeretur: *Unde vides*, inquit, *quantum interſit, inter iſtud & inter id quod nos docemur. Omnes enim operas quas uxor marito ſuo præſtare ſolet, facere poteſt & menſtruata ſuo marito, excepto coitu, quandiu in pollutione ſua permanet.*

VII. Impuritas legalis erat eorum qui *hæmorroide* laborabant, par enim prope erat illorum, ac menſtruatæ immundities & conditio, ut ſtatuitur *eodem cap.* 15. *verſ.* 25. ubi de muliere hoc morbo laborante dicitur: *Immunda erit quaſi ſit in tempore menſtruo.* Unde quidquid illi tangebant, cenſebatur immundum, quique eos tetigerant, lavare debebant veſtimenta ſua & a ſacris arceri uſque ad veſperam.

VIII. Poſtquam egiſſet Moſes de immunditie & lepra perſonarum, agit de inquinatione, & lepra ſeu corruptione veſtium, *Levit.* 13. *verſ.* 47. Indicia autem hujus veſtis lepra infectæ erant, *Si alba, vel rufa macula fuerit infecta. verſ.* 49. Quod ubi deprehendiſſet Sacerdos, imperabat eam recludi per ſeptem dies, ſeptimo autem die, ſi tabes creviſſet, judicabat veſtimentum eſſe pollutum, & illud adjudicabat flammis.

IX. Immundities oriebatur ex contactu, vel mora in domo, cujus parietes inficiebantur lepra, *Levit.* 14. *a verſ.* 34. *ad* 55. ubi præſcribitur quod ſtatim atque quis deprehenderit domus ſuæ lapides carie & corroſione

la-

laborare, advocet Sacerdotem qui utrum lepra ſit, examinet: quemadmodum enim lepra hominibus advenit ex humore vitioſo putreſaciente & corrumpente carnem; ita etiam propter exceſſum humiditatis vel ſiccitatis in lapidibus quandoque accidit, ut lapides corrodantur ac ſenſim diſſolvantur. Advocatus autem Sacerdos priuſquam domum illam intraret, jubebat ex illâ efferri omnia, ne immunda ea eſſe una cum domo, exploratione facta, judicaret, verſ. 36. Si autem videret *in parietibus illius quaſi valliculas pallore, ſive rubore deformes & humiliores ſuperficie reliqua*. Jubebat domum claudi per ſeptem dies; reverſus autem die ſeptimo ſi animadvertiſſet ereviſſe lepram, mandabat, *Primo*, erui lapides illos lepra infectos, eoſque projici extra civitatem. *Secundo*, Domum radi intrinſecus per circuitum. *Tertio*, Alios apponi lapides, & luto alio liniri. Si autem his peractis, iterum apparerent lepræ & corruptionis veſtigia, debebat domus illa funditus deſtrui, ejuſque lapides & ligna deportari extra civitatem in locum immundum.

Non eſt autem exiſtimandum lepram iſtam ædium aut veſtium, intelligendam eſſe de qualibet corruptione vel putrefactione, quæ ejuſmodi rebus vel ob vetuſtatem, vel ob loci & aeris intemperiem contingere ſolet, de his enim ſic corruptis & pereuntibus; non erat opus tam curioſo ſcrutinio, quale hic præcipit Moſes. Sed quædam erat plaga tunc divinitus immiſſa ex paterna Dei ordinatione, ut populus reſipiſceret, ne gravius malum incurreret. Voluit enim Deus illos punire primum extra corpus in ædium infectione & tabe, ut reſipiſcerent, quod ſi contemnerent, malum diffundebat in veſtes, deinde vero in corpus ipſum ut tandem per ſalutarem pœnitentiam converterentur, & anima fieret ſalva.

QUÆRITUR I.

Cur Deus tot immunditiis Iſraelitas ſubditos eſſe voluerit.

R*Eſpondeo*, cum Spencero id factum multis de cauſis. I. Ut major eis ineſſet Sanctuarii reverentia, cum nonniſi raro ad illud accedere ipſis eſſet liberum; experientia namque quotidiana conſtat rei cujuſque dignitatis & præſtantiæ æſtimationem & frequentiori uſu deferveſcere, & nos ea quæ ſolito ſunt obvia, minori in pretio habere. Ut itaque ſacri ſui domicilii reverentiæ conſuleret Deus, primo prohibuit *Levit.* 12. *verſ.* 4. ne quis contaminatus ad Sanctuarium accederet; deinde tot ſtatuit pollutionum genera, ut vix aliquis reperiretur qui ab omnibus eſſet immunis. Hanc rationem diſerte expendit Maimonides. *Nam*, ait, *ſi quis liber ſit a contactu cadaveris, vix tamen effugere poterit, ne contactu alicujus ex immundis octo reptilibus, quæ ſubinde in domos, vias, cibos, & potum incidunt, contaminetur. Et ſi hoc effugiat, forte non evadet a contactu mulieris menſtruatæ, vel ſanguinis profluvio laborantis, aut leproſi, vel ad minimum cubilis aut lecti ipſorum. At licet ab iſtis quoque conſervetur, non tamen evitabit forſitan amplexum uxoris ſuæ, vel caſum & pollutionem nocturnam. Quamvis autem mundus ſit ab iſtis etiam pollutionibus, tamen non permiſſum eſt ei ingredi Sanctuarium, donec occubuit ſol ejus; neque etiam nocte poſtquam ſol ipſius occubuit. Illa autem nocte, quam facile fieri potuit, ut vel cum uxore ſua ſe commiſceat, vel nova aliqua immunditiei cauſa ipſi contingat, ita ut mane in eadem pollutione ſurgat, ut die præcedente. Hæc enim omnia efficiunt, ut homo a Sanctuario abeſſe cogatur, nec quovis tempore illud calcare, vel intrare poſſit.*

II. Voluit Deus Iſraelitas cavere ab iſtis contaminationibus, ut exuerent agreſtes mores quos in Ægyptiaca ſervitute inter lateres, ſtipulas, & cæmenta imbuerant; præcavendo namque ab iſtis fœditatibus & immunditiis, humaniorem urbanioremque vivendi & agendi modum induebant; ut non minus urbanitate & morum decore, quam divini cultus puritate & ſanctitate cæteris gentibus antecellerent.

III. Ut has corporeas immunditias devitando, ſatagerent purum & immaculatum ad Deum habere animum; ejuſque divinorum præceptorum continuo memores, qua decet pietate, reverentia, & puritate, divino ſeſe illius cultui devoverent.

QUÆRITUR II.

Quibus mediis contaminationes illæ abluerentur.

CUm legales immunditiæ fuerint duplicis generis, notabiles aliquæ, aliæ leviores: ad utraſque eluendas Deus duplex inſtituit remedium: unum per ſacrificia; alterum per ablutiones & aquæ luſtralis ac ſanctificatæ aſperſiones. Immunditiæ graviores, quæque majorem inferebant fœtiditatem, ut ex puerperio, menſtruis, lepra, fluxu ſeminis, aut ſanguinis, purgandæ erant ſacrificiis, quæ ordinantur *Levit. cap.* 12. 14. & 15. At cum leviores immunditiæ eſſent multiplices, frequenterque occurrerent; & aliunde oneroſiſſimum fuiſſet ſacrificiis peragendis continuo incumbere, nec ad iſtos ſumptus ſufficeret plurimorum facultas; voluit Deus ut ſingulis annis mactari & immolari vaccam rufam, quatenus ex ea combuſta cineres aquis vivis, hoc eſt, putealibus aut fluvialibus permixti aquam luſtralem efficerent, qua aſperſi mundarentur ab iſtis levioribus contaminationibus. Ri-

Ritus autem conficiendæ & aſpergendæ hujus aquæ luſtralis præſcribitur *Numer.* 19. Ubi enarrata vaccæ ruſæ immolatione pro expiatione peccatorum totius populi, ejuſque combuſtione, additur *verſ.* 17. *Tollentque de cineribus combuſtionis atque peccati, & mittent aquas vivas ſuper eos in vas.* Deinde homo, qui nullis legalibus immunditiis erat contaminatus, aſſumpto hyſſopo in illis aquis intincto, debebat aſpergere *omne tentorium, & cunctam ſupellectilem, & homines hujuſcemodi contagione pollutos*, *verſ.* 18. Inſuper hæc aſperſio fieri debebat tertio & ſeptimo die, *verſ.* 19. Si vero die tertio *aſperſus non fuerit, ſeptimo non poterit emundari*, *verſ.* 12. Neque tamen exiſtimandum eſt omnem deinde purificationis facultatem ei fuiſſe præreptam; quod enim omiſerat die tertio, poterat quarto, aut quinto, aliove die hoc ſibi beneficium procurare, dummodo deinde ſeptimo die idem reſumeret.

Tanta vero hujus purificationis erat neceſſitas, at ſi quis eam omiſiſſet, & nihilominus Tabernaculum Domini ingredi fuiſſet auſus, capite plecteretur, ut cautum erat his verbis, *verſ.* 20. *Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio Eccleſiæ: quia Sanctuarium Domini polluit, & non eſt aqua luſtrationis aſperſus.* Licet autem his luſtralibus aquis ineſſet vis mundandi, nihilominus quicumque eas tangebat, polluebatur: *Omnis qui tetigerit aquas expiationis, immundus erit uſque ad veſperam*, *verſ.* 21. Unde eadem aqua oppoſitos & omnino contrarios habebat effectus, mundabat contaminatos, & polluebat mundos: nam qui hyſſopo illis aquis intincto alium purificabat, idem tenebatur poſtea lavare veſtimenta ſua, & immundus eſſe uſque ad veſperam, *verſ.* 19.

Hujus autem diverſitatis ratio proferri non poteſt ſolidior, quam ſuprema Dei ita ſtatuentis voluntas, attamen ad id ordinandum, his momentis videtur inductus. I. Ut inde diſcerent Iſraelitæ res ea ſe nullam habere vim mundandi, aut polluendi, ſed ex ſolo Dei beneplacito: nulla enim res ſua ex nativa virtute tam diſſimiles, & oppoſitos edere poſſet effectus.

II. Illos hac cæremonia docere voluit, ut ſe invicem fraterna charitate & dilectione complecterentur; ſibique mutua impenderent humanitatis & religionis officia, etiam cum proprio diſpendio: quandoquidem ille qui pollutum mundabat, propriæ puritatis jacturam patiebatur.

III. Illis aquis mundandi ſimul & polluendi vim ineſſe voluit, ut ritus ille perfecta eſſet figura miniſterii Chriſti D. qui, ait ſanctus Simeon *Luc.* 2. *verſ.* 34. *Futurus erat in ruinam, & reſurrectionem multorum in Iſrael*, Et, ut ait Apoſtolus: *Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo.* Hoc eſt, ut ait ad *Rom.* 8. *verſ.* 3. *Miſit Deus Filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum.*

Quamvis enim ſanctiſſimus eſſet, attamen induere voluit carnem præferentem imaginem peccati, ut paſſione ſua, ſuoque ſanguine nos mundaret ab omni peccato, eſſetque Evangelicæ legis cultoribus in ſalutem, prævaricatoribus vero in damnationem.

Ex iſtius aquæ luſtralis ritu factum arbitror, quod Gentiles ad ſua ſacra non accederent, quin prius aqua puriſſima fuiſſent luſtrati. Nam Sacerdotes Ægyptiorum, referente Plutarcho [a], & Æliano [b] non omni ſe aqua luſtrant, ſed ea unde credant Ibin bibiſſe, quoniam hæc avis inſalubrem & lutulentam aquam non bibit. De luſtrationibus quæ fiebant ex fluvialibus aquis, innumera ſunt ſcriptorum loca. Æneas donec ſe flumine vivo abluiſſet, ſacra attrectare nefas, ait: Æneid. lib. 2.

[a] *De Iſide & Oſiride cap.* 89.
[b] *Lib.* 7. *de animal. cap.* 45.

Tu Genitor cape ſacra manu; patrioſque penates:
Me bello e tanto digreſſum & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Et Dido, Annam ſororem advocans ad ſacrificium agendum, ait:

Dic corpus properet fluviali ſpargere Lympha

Sic idem Æneas ſocios pollutos ex funere Miſſenii

. . . . Pura circumtulit unda
Spargens rore levi, & ramo fælicis olivæ,
Luſtravitque viros.

Plura his ſimilia exempla ſubminiſtrant *Voſſius* [c], *Lomerius* [d] qui aiunt Servium ad præfata Virgilii verba, tradere tres a Gentilibus in omnibus ſacris adhiberi purgationes; „ Nam, *inquit*, aut tæda purgantur, & „ ſulphure, aut aqua abluuntur, aut aere „ ventilantur. Luſtrationes *per aerem* fiebant „ aut Ventilatione, aut Oſcillatione. *Ven-* „ *tilatio* agebatur per vannum, quæ pro- „ pterea, teſte Apuleio [e] in ſacris Iſiacis „ inter inſtrumenta in Iſidis pompa portari „ ſolita quintum locum occupabat, *quintus aureum Vannum aureis congeſtum ramulis ferebat*, quo videlicet aer ſupra luſtrandum agitabatur; ut quemadmodum ventus aeris contagionem diſſipabat; ſic & ille per iſtam ſupra ſe aeris concitationem a ſuis immunditiis purgari cenſebatur.

[c] *Lib.* 2. *de Idololat.*
[d] *De veterum Gent. luſtrat. cap.* 17.
[e] *Lib.* 2.

Oſcillatio fiebat, ore aperto aerem puriſſimum aſpirando, ut intima pectoris abdita pervadens, omnes in corde latentes immunditias abſtergeret.

Erat etiam oſcillatio luſus ruſticus in honorem Bacchi, quem ut peragerent, utres ex hircorum pellibus confectos, & aere inflatos mediis in pratis conſtituebant, eoſque oleo vel pinguedine deliniebant, ut in eos uno tantum pede inſilientes facile prolapſi riſum circumſtantibus moverent. Hunc ludum ſic ſua adhuc ætate fieri ſolitum deſcribit Virgilius. Quod cum dixiſſet idcirco hircum Baccho fuiſſe immolatum, quod ejus morſus arboribus, præſertim vineis exitialis & venenoſus eſſet, addit.

Non

Non aliam ob culpam Baccho ea præ omnibus aris
Cæditur, & veteres ineunt proſcenia ludi,
Præmiaque ingentes pagos, & compita circum
Theſeida poſuere; atque inter pocula læti
Mollibus in pratis unctos ſaliere per utres...
Et te Bacche vocant per carmina læta, tibique
Oſcilla ex alta ſuſpendunt mollia cornu.

Luſtratio per ignem fiebat flamma vel fumo: *flamma* quidem dum quis ignem coram idolo ſuccenſum tranſiliebat, ut Maimonides a factum putat coram ſimulachro Molochi: agens enim de iis qui offerebant filios ſuos iſti numini, ait: *Accenſo igne magno, partem ſui accipiebant ſeminis, quam dein Sacerdotibus igni ſervientibus tradebant. At Sacerdotes ubi filium accepiſſent, eum patri reſtituebant, quo ipſe ex ſententia ſua eum per ignem traduceret. Igitur pater filium permiſſu Sacerdotum per ignem agebat. Pedibus autem jubebat tranſire, donec flammæ quidquid erat, emenſus foret. Non enim Molocho eum comburebant, quomodo liberos ſuos aliis exurebant diis: ſed cultus ille Molochi tantum in tranſitu conſiſtebat.* Verum in his poſtremis verbis errat ille, ut conſtabit infra agendo de primo Decalogi præcepto. *Fumo* autem luſtrabantur, vel ſulphuris in circuitu luſtrando accenſi. Unde Ovidius agens de luſtratione Ovilium, ait:

a Lib. de Idololatr. cap. 6.

Cærulei fiant puro de ſulphure fumi,
Tactaque fumanti ſulphure balet ovis.

Et lib. 7. Metamorph.

Terque ſenem flamma, ter aqua, ter ſulphure luſtrat

Et Tibullus lib. 1. Eleg. 5.

Ipſeque ter circum luſtravi ſulphure puro.

Vel fumo herbarum aut plantarum, præſertim oleæ & lauri, ſemper virentium, & quarum fumus odorem ſpirat, teſte Ovidio ibidem.

Ure mares oleas tædamque, herbaſque Sabinas,
Et crepet in mediis laurus aduſta focis.

Obſervabant autem an laurus igni injecta crepitum ederet: ſi nullum aut levem emittebat ſonum, infauſtum erat indicium, teſte Propercio.

Et tacet extincto laurus aduſta ſono.

Si vero cum ſtrepitu & ſonitu cremaretur, felix erat omen, ut canit Tibullus.

Et ſuccenſa ſacris crepitet bene laurea flammis.
Omine quo fœlix & ſacer annus erat;
Laurus ubi bona ſigna dedit, gaudete coloni,
Diſtendet ſpicis horrea plena Ceres.

DE CIBORUM DELECTU.

TAntam ſuis cultoribus munditiem ineſſe voluit Deus, ut etiam in menſis & cibis ſervandam eſſe præſcripſerit: Quamobrem animalium, quibus veſci licitum eſſet, & a quibus abſtinendum, ſeriem texuit *Levitici* 11. & *Deuteron.* 14. Cum autem animalia, ratione elementi quod incolunt, triplicis ſint generis, alia nempe *terrena*, eaque vel gradientia, vel reptantia, alia *aerea* ſeu volatilia, alia aquea vel natantia; de terreſtribus gradientibus hanc generalem utroque in loco ſtatuit legem, *Omne quod habet diviſam ungulam, & ruminat in pecoribus, comedetis: quidquid autem ruminat quidem, & habet ungulam, ſed non dividit eam, ſicut camelus & cætera; non comedetis illud, & inter immunda reputabitis.* Quibus verbis tres deſiderantur conditiones ut comedi poſſint quadrupedia. I. Ut diviſam ungulam habeant.

II. Ut illa ungulæ diviſio omnem partium connexionem excludat, adeo ut nulla cartilagine, anſerinorum pedum inſtar invicem cohæreant.

III. Ut ruminent; ruminare autem ea dicuntur, quæ cibum in ſtomachum trajectum in os revocant, ut eum dentibus iterum conterant & conficiant. Hæ vero tres conditiones non diviſim, ſed conjunctim erant ſpectandæ; unde licet chærogryllus, ſeu cuniculus, & *lepus* ruminent; quia tamen ungulam non dividunt, inter immunda reputantur, *Levit.* 11. *verſ.* 6. *Sus* vero, etſi ungulam dividit, quia non ruminat, immundus cenſetur, *ibidem v.* 7. unde *verſ.* 26. *Omne animal, quod habet quidem ungulam, ſed non dividit eam, nec ruminat, immundum erit: & qui tetigerit illud, contaminabitur.*

Inſuper *quod ſuper manus ambulat ex cunctis animantibus quæ incedunt quadrupedia, immundum erit.* verſ. 27. Hoc eſt, ea animalia quæ pedes anteriores non ungula armatos habent, ſed manuum humanarum ſpeciem gerentes, ut ſunt ſimia, urſus &c. immunda reputantur. *Ibidem. verſ.* 41. & 42.

Interdicitur pariter eſus omnium prorſus reptilium. *Omne quod reptat ſuper terram, abominabile erit, nec aſſumetur in cibum. Quidquid ſuper pectus quadrupes graditur, & multos habet pedes, ſive per humum trahitur, non comedetis, quia abominabile eſt.* Quibus verbis tria reptilium genera diſtinguuntur. *Primum*, eorum, quæ ſunt ἄποδα ſeu carentes pedibus, & ſolo pectoris ac ventris flexu moventur, ut ſerpentes & vermes. *Secundum*, eorum, quæ habent quidem quatuor pedes, ſed ita breves, ut incedendo pectus terræ conjunctum ſit, ut talpæ, lacertæ, &c. *Tertium*, eorum quæ licet plurimis pedibus donentur, ita tamen pectori & ventri ſeſe movendo incumbunt, ut non tam ambulare quam reptare videantur, ut erucæ &c.

Ad

Ad Piscæs quod ſpectat, licitum erat veſci eis, qui pinnulas, & ſquammas habent. *Quidqaid uutem pinuulas & ſquammas non habet eorum quæ in aquis moveatur & vivunt, abominabile vobis execrnadumque vobis erit: carnes eorum non comedetis, & morticinia vitabitis.* verſ. 9. 10. & 11. Piſces enim carentes pinnulis, vel ſquammis, uti anguillæ, nimis humidi, viſcoſi, & inſalubres ſunt, & ſerpeutum ſpeciem referunt.

In Volucribus, excluduntur. I. Omnes prædatoriæ & rapaces; ut aquila, gryphus, haliæetus, milvus, vultur, accipiter &c.

II. *Omne corvini generis.* verſ. 15. ut cornix, gracculus, pirrho, corax &c.

III. Struthio avium maxima, quæ tamen pennis non utitur ad volandum ſed ad curſum velociſſimum. Unde Job. cap. 39. v. 18. de illa ſcribit, *Cum tempus fuerit, in altum alas erigit, deridet equum & aſcenſorem ejus.* Refert etiam in aliquibus ſuis partibus quadrupedum naturam; ſiquidem habet pedes biſulcos inſtar cervorum.

IV. Luciſugæ, ut noctua, veſpertilio, bubo, charadrion ſic dicta a præruptis & cavernoſis riparum locis, in quibus degit, & mures ſimul ac piſces venatur.

V. Piſcium & ſerpentum voraces ut cygnus, mergulus, larus, (Gallice *le plongeon.*) onocrotalus (*le butor*,) non admodum diſſimilis cygno, niſi quod in faucibus ingluviem habet inſtar amphoræ, in quam aqua plenam piſciculi irrepunt, quos ubi receperit, aquam reiicit, eoſque comedit. *Porphyrio*, a crurunm & roſtri rubeo colore dictus purpureus, rapinæ piſcium inhiat, & aquam morſu bibit. *Herodio* qua voce licet aliqui velint ſignificari ſulicam, nonnulli falconem plurimi ciconiam: communior Interpretum ſententia eſt, ea deſignari Ardæam (Gallice *heron*,) eadem enim quæ Ariſtoteles ſcribit de Erodio, Plinius attribuit Arozeæ piſcium avidiſſimæ.

VI. *Omne de volucribus quod graditur ſuper quatuor pedes, abominabile erit vobis.* verſ. 21. Vel ut Chaldæus & Septuaginta habent: *Omne reptile volucris ambulans ſuper quatuor*, ſupple *pedes*: quibus non tam aves, quam inſecta volatilia deſignantur, ut erucæ & papiliones, quorum innumeræ ſunt ſpecies, ut videre eſt apud Aldrovandum, & Joannem Godaſtrum, qui de iſtis ampliſſime ſcripſerunt.

Erat tamen licitum veſci omni locuſtarum genere, ut Attaco, Ophiomacho, & iis quæ communi nomine ſui generis dicuntur *locuſtæ*, quæque in Oriente, præſertim in India in tantam altitudinem creſcunt, ut trium pedum longitudinem excedant, teſte Plinio qui libro 11. cap. 26. ait locuſtas ſicut & cicadas a Parthis comedi. Quinetiam Ariſtoteles aſſerit Tetrigonietras, ſeu cicadas recens natas ad guſtum ſuaviſſimas eſſe: ut mirum non ſit quod de ſancto Joanne Baptiſta ſcribit ſanctus Matthæus, cap. 3. verſ. 4. *Eſca ejus erat, locuſtæ, & mel ſilveſtre.*

Præter enumeratas animalium immundorum ſpecies, terreſtribus adiiciuntur, *verſ.* 29. & 30. Muſtella, & mus, & crocodilus, mygale (Gallice *la muſeraigne*) & chamæleon, & ſtellio, & lacerta, & talpa. *Mygale* dicitur quaſi mixtum ex mure & muſtella, non quod ex utroque procreetur, cum inter iſta duo naturalis ſit antipathia; ſed quod magnitudine murem referat, colore vero muſtellam.

Chamæleon eſt figura & colore lacertæ, rerum, quibus adhæreſcit colores induit, præterquam rubrum & album, ut docet Ariſtoteles: cum enim colorem objectum videt, illum ita phantaſiæ ſuæ imprimit, ut per contractionem vel dilatationem ſanguinis & ſpirituum, eumdem in corpore ſuo exprimat. Niſi forte dixeris pellem ejus inſtar ſpeculi objectos ſibi colores reflectere & referre: roſtrum habet oblongum ſimile ſuillo, ungues aduncos, motum tardum, os ſemper apertum, aerem continuo aſpirans quo ſolo nutriri creditur, quamquam muſcas & culices interdum deglutiat. Sunt & alia Judæis in eſcam aſſumi prohibita, atque inter immunda conſignata, quæ paſſim occurrunt.

QUÆRITUR AUTEM I.

Quas ob cauſas tot animalium eſum interdixerit Deus.

VAriæ proferuntur ab Interpretibus. Potiſſimæ vero ſunt, I. Idcirco hunc ciborum & animalium delectum a Deo fuiſſe inſtitutum; ut Iſraelitas ab impiis Ægyptiorum ritibus & moribus, quos plerique imbiberant, ſaniorem in ſenſum revocaret. Ægyptii namque, non ſolum colebant boves & oves, aliaque quadrupedia animantia; ſed & crocodilos, ſerpentes, & cætera id genus, quibus vim divinam quamdam ineſſe exiſtimabant; aliis autem utebantur ad auguria captanda; unde Juvenalis.

Quis neſcit Voluſi Bithynice qualia demens
Ægyptus portenta colat? crocodilon adorat..
Pars hæc illa pavet ſaturam ſerpentibus Ibin
Illic cæruleos (ſerpentes) *hic piſcem fluminis, illic*
Oppida tota canem venerantur &c.

Eamdem ob cauſam Romanos Ethnicos ſuggillat Minutius fœlix: *Nonne*, inquit, *Apim bovem cum Ægyptiis adoratis & paſcitis? nec eorum ſacra damnatis inſtituta ſerpentibus, crocodilis, belluis cæteris, & avibus & piſcibus, quorum aliquem Deum ſi quis occiderit, etiam capite punitur.* Ut itaque cultores ſuos ab iſta ſuperſtitione avocaret Deus, quædam eorum animalium pro numinibus ab Ægyptiis cultorum, immunda pronuntiavit; ut ab iis tamquam illicitis abſtinerent: alia menſis adhiberi permiſit, ut eis veſcendo,

do, nullam in ipſis divinitatis vim ineſſe agnoſcerent.

Hæc egregie exponit Procopius in Leviticum, ſcribens: „ Animalia quædam quæ divino cultu proſequebatur Ægyptus, ut ovem & bovem, Deus ut puta in cibo haberi voluit, ut contemnere ea diſcerent Judæi: illa vero quæ Ægyptii avidius lurcabantur, prohibuit, ut ſuillam, quam in ſolitudine etiam deſiderabant. Hanc eamdem rationem approbat Theodoretus: *Dum*, inquit, *animalia terrena, volatilia & aquatilia biſariam partitus eſt, munda quædam, altera nominavit immunda, ſuadet nobis ne quicquam horum eſſe putemus Deum. Quo enim modo quis ſanæ mentis Deum nuncuparet id quod, aut tamquam immundum ſummo cum odio averſatur; aut quod vero Deo oblatum, tandem ipſe comedit.*

II. Sanctus Juſtinus martyr cenſet Deum idcirco hunc ſtatuiſſe ciborum delectum, ut Iſraelitæ frequentem haberent occaſionem obedientiæ Deo præſtandæ, dum quovis in ſtatu aliquid ſemper vitandum, aut agendum occurreret, quod divini Legiſlatoris memoriam renovaret: *Jam*, inquit, *& a cibis quibuſdam ut vos abſtineretis, vobis mandavit: ut etiam inter edendum & bibendum ob oculos vobis verſaretur Deus, promptis admodum & proclivibus ad deficiendum a notione ejus.*

III. Hoc diſcrimine ciborum, & animalium voluit Deus Hebræis continentiæ & temperantiæ leges præſcribere; ne in luxum & libidinem diffluerent, ita cenſet Tertullianus. *Etſi Lex*, inquit, *aliquid cibis detrahit, & immunda pronuntiat animalia, quæ aliquando benedicta ſunt; conſilium exercendæ continentiæ intellige, & fræuos impoſitos illi gulæ agnoſce, quæ cum panem ederet Angelorum, cucumeres & pepones Ægyptiorum deſiderabat. Agnoſce ſimul & comitibus gulæ, libidini ſcilicet atque luxuriæ proſpectum, quæ fere ventris caſtigatione frigeſcunt.* Ei concinit Auctor Epiſtolæ de cibis Judaicis evulgatæ ſub nomine *Novatiani*, quamque habes ad calcem operum Tertulliani, ubi cum varias hujus ciborum delectu rationes protuliſſet, addit, *Immunda multa ſunt dicta. Non ut illa damnarentur, ſed ut iſti coercerentur ſervituri uni Deo, quia ad hoc aſſumpta frugalitas decebat, & gulæ temperantia, quæ ſemper religioni deprehenditur eſſe vicina; imo, ut ita dixerim, conſanguinea potius atque cognata, ſanctitati enim inimica luxuria eſt .... ad coercendam ergo intemperantiam populi remedia ſunt iſta quæſita; ut quantum luxuriæ demeretur, tantum bonis moribus adderetur.*

IV. Idcirco ait idem Novatianus perſonatus, quorumdam animalium eſum prohibuit Deus, ut diſcerent Judæi cavere ab illis vitiis quorum animalia iſta ſunt ſymbola. „ In animalibus, *inquit*, per Legem, quaſi quoddam humanæ vitæ ſpeculum conſtitutum eſt, in quo imagines ſanctionum conſiderent: ut plus vitioſa quæque hominibus contra naturam commiſſa damnentur, dum etiam naturaliter in pecoribus conſtituta culpantur. Nam quod in piſcibus, ſquammis aſpera pro mundis habentur: aſperi, hiſpidi, & hirti, & firmi & graves mores hominum probantur. Quæ autem ſine his ſunt, immunda; quia leves, & lubrici, & infidi, & effæminati mores improbantur; quid enim vult ſibi Lex cum dicit, *Camelum non manducabitis*; niſi quoniam de exemplo animalis vitam damnat enervem & criminibus tortuoſam? aut cum *ſuem* cibo prohibet aſſumi; reprehendit utique cænoſam & luteam & gaudentem vitiorum ſordibus vitam, bonum ſuum non in animi generoſitate, ſed in ſola carne ponentem; aut *leporem*, accuſat reformatos in fœminam viros. Quis autem *muſtellæ* corpus cibum faciat? ſed furta reprehendit. Quis *lacertam*? ſed odit vitæ incertam varietatem. Quis *ſtellionem*? ſed maculas execretur prædam de aliena morte quærentes? aut quis *corvum*! ſed verſutas execratur voluntates. *Paſſerem* quoque cum intercidit intemperantiam coarguit: quando *noctuam*, odit lucifugas veritatis: quando *cygnum*, cervicis altæ ſuperbos: quando *caradrium*; garrulam nimis linguæ intemperantiam: quando *veſpertilionem*, quærentes tenebras noctis ſimul & erroris. Hæc ergo & his paria Lex in animalibus execratur, quæ in illis quidem non crimino ſa, quia in hoc nata ſunt; in homine culpata, quia contra naturam, non ex inſtitutione, ſed ex errore quæſita ſunt. Eamdem rationem proferunt Theodoretus ſupra laudatus, Sanctus Cyrillus Alexand. lib. 14. de adoratione in ſpiritu; & alii bene multi.

V. Potiſſima ratio cur iſta ſanxerit Deus, ea mihi videtur quod Iſraeliticam gentem ſibi ſelegerit in peculium, & populum divino ſuo cultui præ cæteris deſtinatu n: quamobrem noluit eos contaminari illis cibis vilibus & immundis, quibus veſci ſolebant Ethnici, quatenus ſuis nominibus, ſpurcitiis delectati aſſuetis, fierent acceptiores: id ipſemet indicat Levit. cap. 20. verſ. 24. & ſequentibus his verbis, *Ego Dominus Deus veſter, qui ſeparavi vos a cæteris populis. Separate ergo & vos jumentum mundum ab immundo: & avem mundam ab immundo: ne polluatis animas veſtras in pecore, & avibus, & cunctis quæ moventur in terra, & quæ vobis oſtendi eſſe polluta. Eritis mihi ſancti, quia ſanctus ſum ego Dominus: & ſeparavi vos a cæteris populis, ut eſſetis mei.* Idipſum diſtinctius exponit Deuter. cap. 14. verſ. 2. *Quoniam populus ſanctus es Domino Deo tuo: & te elegit, ut ſis ei in populum peculiarem, de cunctis Gentibus quæ ſunt ſuper terram. Ne comedatis quæ immunda ſunt.* Noluit ergo Deus iſtis præceptis conſulere tum ſui divini cultus puritati, tum Judaicæ gentis dignitati; nimirum ut illi attendentes ſibi licitum eſſe tantum animalibus præſtantioribus veſci, memores eſſent ſe deſtinatos ad vitæ purioris obſervantiam, nec pravis Ethnicorum inſtitutis, & inquinatis moribus animas ſuas polluerent.

QUÆ-

QUÆRITUR II.

Cur Judæi præ cæteris vetitis eduliis ſuillam carnem potiſſimum fuerint deteſtati.

PORcum alia inter immunda animalia numeratum eſſe conſtat ex dictis; at a Deo ipſi peculiarem immunditiæ notam inditam eſſe, qua cæteris fieret impurior, magiſque fugiendus, nullibi Scriptura indicat; tanto tamen eum in horrore ſemper habuerunt Judæi, ut nullis tyrannorum minis ac ſuppliciis adduci potuerint unquam, ut ſuillæ carnis guſtu ora ſua contaminarent. Præclarum hujuſce veritatis exemplum præbuit piiſſimus ille vir Eleazarus, qui ut refertur 2. Macbab. cap. 6. verſ. 18. extrema quæque ſupplicia ſubire maluit, quam ut impii Antiochi regis mandato carnem porcinam ederet, aut ediſſe tantum ſimularet, ne ſimulatione tam irreligioſa caniriem ſuam dehoneſtaret. Ejus exemplum pari animi fortitudine ſectati ſeptem fratres una cum matre ſua, mille carnificinas ejuſdem tyranni pati maluerunt, quam ut eſu porcinæ carnis polluerentur, ut refertur eodèm libro, cap. 7. Illa autem Judæorum in porcos averſio eo proceſſit, ut ſub anathematis fulmine ſanxerint, ne quis Iſraelitarum porcos paſceret, ut videre eſt in Bava Kama. Unde in Gemara legitur, *maledictus qui manducaverit porcos*. Hinc eſt quod in parabola filii prodigi *Luc.* 15. ille non in Judæa, ſed in regione longinqua porcos paviſſe refertur.

Neque his obſtat, Dæmones e duobus hominibus ejectos a Chriſto D. ipſo permittente, intraſſe in gregem porcorum: Regio enim illa erat *Geraſenorum* [a], quos Syrus Interpres appellat *Gadarenos*, Arabs vero *Gerſenos*, incolas civitatum vulgo dictarum *Decapoleos*, [b] quæ licet conſiſterent in Palæſtina juxta littora maris Tiberiadis, & fluvii Jordanis, non tamen a Judæis, ſed a Gentilibus habitabantur; unde regio illa dicebatur *Galilæa gentium*: nil igitur mirum quod apud illos eſſet porcorum grex, cum non eſſent Judæi.

[a] *Matth.* 8. 31.

[b] *Marc.* 5. 18.

Cur autem præ cæteris vetitis animantibus tantopere a porcinæ carnis eſu caverint Judæi, facile non eſt ſtatuere: Scriptores Ethnici rerum Judaicarum ignari, varias hujus abſtinentiæ rationes comminiſcuntur: ſed abſurdas omnes. Plutarchus Calliſtratum inducit dicentem porcos a Judæis pro numinibus cultos, ideoque noluiſſe eos numina ſua morſu violare: cui concinnens Petronius ait:

Judæus, licet & porcinum numen adoret.

Verum hanc inſanam exiſtimationem depellit Judaicæ Gentis Tyrannorum impietas, maxime Antiochi, qui referente Joſepho, capta & expugnata Jeroſolyma in Judaicæ religionis probrum & contemptum, porcum in eorum templo, & ſuper aram, in qua ſacrificia fiebant, juſſit immolari. Idem refert Diodorus Siculus apud Photium, additque cæſi illius porci ſanguine non ſolum Judæos ipſos, ſed & ſacros eorum libros aſpergi voluiſſe, ut eo polluerentur.

Putant alii idcirco porcum Judæis maxime inviſum, quod ſcabiei & lepræ eſſent valde obnoxii; quem morbum cum porci carnes inducerent & foverent cenſuerunt ab eis abſtinendum. *Sue* (inquit Tacitus) *abſtinent Judæi, memoria cladis quod eos quondam ſcabies turpaverat, cui id animal obnoxium.*

Verum, ait Spencerus, ſi quid hæc ratio ſolidi contineret, procul dubio Judæorum vicini tot porcorum greges numquam aluiſſent; nec Græci & Romani porcum & aprum inter menſæ delicias numeraſſent: neque ſi ea ſola ratione a ſuibus abſtinuiſſent Judæi, opus erat ut eorum viſu, tactu & nomine abhorrerent.

In Dei legislatoris mentem, & Judæorum obſequium proximius collimat Lactantius dicens Deum Judæis porcinas carnes interdicendo, id potiſſimum intelligi voluiſſe, ut ſe a peccatis & immunditiis abſtinerent: *Eſt enim*, inquit, *lutulentum hoc animal & immundum, nec umquam cœlum aſpicit, ſed in terra toto & corpore, & ore projectum, ventri ſemper & pabulo ſervit . . . interdixit ergo ne porcina carne veſcerentur, id eſt, ne vitam porcorum imitarentur, quæ ad ſolam mortem nutriuntur; ne ventri ac voluptatibus ſervientes, ad faciendam juſtitiam inutiles eſſent, ac morte afficerentur. Item ne ſe fœdis libidinibus immergerent, ſicut ſus quæ ſe ingurgitat cœno: vel ne terrenis ſerviant ſimulachris, ac ſe luto inquinent; Luto enim ſe obliniunt, qui Deos, id eſt, qui lutum terramque venerantur.* Similia habet S. Clemens Alexandr. qui per ſues, quorum eſus a lege prohibetur, vitandos intelligit impuros homines, *qui more ſuum corporeis voluptatibus, ſtercoreiſque cibis, & impudicis titillationibus prurientes, ad pernicioſam corporis voluptatem exultant.* Eamdem rationem protulit ſupra laudatus Novatianus.

At alia mihi non occurrit ratio congruentior, cur porcus Judæis tanto fuerit horrori & abominationi, quam quia intelligebant ſe a Deo præ cæteris gentibus electos, ut eſſent ei populus peculiaris, & oves paſcuæ ejus; ac propterea munditiæ corporis & animæ imprimis ſtudere debere; ideoque ſedulo cavere ab iis quæ maximam ſpurcitiem præ ſe ferebant, ut ſues qui cœnoſis volutabris delectantur, fœdiſſima quæque deglutiunt, & appetunt potum ac cibum ſpurciſſimum; adeo ut non tam immundi, quam immundities ipſa videantur.

Accedebat ad eorum exectationem, quod Ethnici porcos ſuis numinibus immolare ſolebant, eorumque ſanguine immunditias purgari exiſtimabant, ut indicat Propertius.

Parva ſaginati luſtrabant compita porci.

Quin etiam in ſolemnioribus pactis ſanciendis porcum immolabant, ut indicat Virgilius.

Armati Jovis ante aram, pateraſque tenentes
Stabant, & caſa jungebant fœdera porca.

Utut ſit, certum eſt Judæos tanto horrori & odio porcos habuiſſe, ùt hæc de illis fama & exiſtimatio etiam ad longe lateque diſſitos exteros pervaſerit, ex eaque illos ſubſannandi anſam quique arripuerint; unde Joſephus, *Nos* (inquit Apion) *accuſat quod animalia ſacrificamus, & ſue non veſcimur*, Et Plutarchus Lampriæ avus, Judæos ſuggillabat, *quod a carne omnium juſtiſſima abſtinerent*, id eſt, quam edere juſtiſſimum eſſet, quia porcus ad id ſolum videtur creatus, ut hominibus ſit in cibum, cum nulli alteri uſui deſerviat. Hinc Juvenalis Judæos objurgat, quod

Nec diſtare putent humana carne ſuillam

Cum ab utriuſque eſu pari horrore cenſeant abſtinendum. Et ſatyra. *6.* de eiſdem cavillatur

Et vetus indulget ſenibus clementia porcis.

Refert Macrobius quod cum Auguſtus audiiſſet inter pueros, quos impius Herodes Judæorum Rex nato Domino Jeſu Chriſto juſſit interfici, filius quoque ejus eſſet occiſus, ait, *Melius eſt Herodis porcum eſſe, quam filium*, eum videlicet ſugillans, quod porcis parceret, qui filio non pepercerat.

Neque hanc Judæorum religionem improbavit Deus: imo inter crimina quæ in eis redarguit per Iſaiam cap. *65.* hoc unum erat, quod porcinam carnem ederent. *Populus*, inquit, *provocat me ad iracundiam ante faciem meam ſemper: qui immolant in hortis*, id eſt, in locis idolis conſecratis, de quibus Exod. 34. verſ. 13. *& ſacrificant ſuper lateres*, id eſt, ſuper domorum tectis, ut videre eſt, 4. Regum. 24. verſ. 12. *Qui habitant in ſepulchris, & in delubris idolorum dormiunt* ad captanda Dæmonum oracula; *qui comedunt carnem ſuillam, & jus profanum in vaſis eorum*, hoc eſt, in ollis in quibus ſuillæ carnes elixantur, quod non minus grave crimen reputatur, quam idololatria & necromantia.

Ex his apparet Scriptores ſacros non abs re a ſuibus exempla & adagia ad res fœdas & ſpurcas denotandas fuiſſe mutuatos. Sic Salomon mulierem egregia forma præſtantem, ſed ea in libidinibus & ſtupris abutentem aſſimilat ſui, qui ornatus annulo aureo, ſeſe in cœno volutat, *Circulus aureus in naribus ſuis, mulier pulchra, & fatua*, Proverb. 11. verſ. 22. ſic Chriſtus Dominus. *Nolite ſanctum dare canibus; neque mittatis margaritas ante porcos, ne forte conculcent eas*: hoc eſt, ne exponatis ſacroſancta myſteria hominibus profanis & contemptoribus, ne illa ſpernant & irrideant. Sic S. Petrus relapſos in hæreſim, & peccatum grande, comparat canibus & ſuibus; *Contigit eis*, inquit, *illud veri proverbii: canis reverſus ad ſuum vomitum, & ſus lota volutabro luti*. Quibus manifeſtum fit, quam porcus fœdum & immundum ſit animal, ut merito ab illius carnis eſu præ cæteris vetitis abſtinuerint. Judæi.

QUÆRITUR III.

Utrum leges illæ de cibis immundis & vetitis adhuc vigeant, Chriſtianoſque conſtringant.

RESpondeo, hujuſmodi leges, ſicut & omnes alias rituales, & cæremoniales per Moſem præſcriptas, jam antiquatas eſſe, nulliuſque amplius roboris & obligationis; quippe cum fuerint abrogatæ per Chriſtum. Idque non obſcure ſignificavit adorandus ille Salvator, cum ait: *Non quod intrat in os, coinquinat hominem*. Et Lucæ 11. verſ. 8. *In quamcumque civitatem intraveritis, & ſuſceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis*. Quibus verbis libertatem concedit ſuis Diſcipulis edendi omnes cibos uſuales qui ipſis apponentur, ſive a Judæis, ſive a Gentilibus; ac proinde a ciborum delectu in lege præſcripto eos diſpenſat.

Id pariter ſignificatum eſt ſancto Petro, cum ei recuſanti occidere & manducare quadrupedia, ſerpentes, & volatilia cœlitus ei præſentata; dicentique: *Abſit Domine, quia numquam manducavi omne commune & immundum*, reſponſum eſt, *quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris*, ac ſi jam iſta amplius non cenſerentur immunda & interdicta; quamquam viſio hæc & narratio, myſtice potiuſquam litteraliter ſit intelligenda.

Hinc Apoſtoli legem ſcribentes Chriſtianis ex Gentibus & Judæis recens ad Chriſtum converſis, decernunt; ut in cibis tantum abſtineant *ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine, & ſuffocato*. Ac proinde aliorum ciborum, etiam animalium prius interdictorum, eſum eis permittebant. Idipſum confirmavit S. Paulus qui cum dixiſſet, verſ. 17. *Non eſt regnum Dei eſca & potus*. Addit verſ. 20. *Omnia quidem ſunt munda: ſed malum eſt homini, qui per offendiculum manducat*; hoc eſt, qui carnes edendo, alteri eſt in ſcandalum, & 1. ad Corinth. 10. verſ. 25. *Omne quod in macello venit, manducate, nihil inquirentes propter conſcientiam*: Hoc eſt, depoſito omni ſcrupulo, an hoc quod emitur, lege fuerit prohibitum: Et 1. ad Timoth. 4. cum improbaſſet eorum errorem qui prohibent nubere, & volunt abſtinendum eſſe a cibis; *Quos Deus creavit ad percipiendum*

dum

dum cum gratiarum actione fidelibus: addit, *quia omnis creatura Dei bona eſt; & nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur*. Itaque nulla lege jam aſtringimur ad ſervandum illum ciborum delectum Judæis per Moſem præſcriptum, ut fuſius videre eſt in noſtro tractatu *De legibus*. tom. 3. noſtri Scoti Academici.

Præter has autem animalium immundorum ſpecies, quarum Judæis eſus erat interdictus, & erant alia quibus veſci eis non erat licitum, puta 1. *nervi* ſeu *muſculi*, quod Angelus cum Jacobo tota nocte luctatus, *Cum videret quod eum ſuperare non poſſet, tetigit nervum femoris ejus, qui ſtatim emarcuit*. verſ. 32. *Quam ob cauſam non comedunt nervum filii Iſrael, qui emarcuit in femore Jacob, uſque in præſentem diem*.

Inſuper Exod. 23. verſ. 19. *Non coques hœdum in lacte matris ſuæ*, quod iterum prohibetur, *cap.* 34. *verſ.* 26. & *Deuter.* 14. *verſ.* 21. Quis autem ſit horum verborum ſenſus, non conveniunt Interpretes, ut jam dictum eſt ad præfatum cap. 23. Exodi. I. Namque putant aliqui interdici eſum matris cum hœdo ſeu agno lactente: nimirum ut hœdum comedentes, abſtinerent a matre; aliter hoc quamdam crudelitatis ſpeciem præ ſe ferret. Sic *Deuter*. 22. *verſ.* 5 jubetur, ut qui pullos in nido deprehendit, matrem dimittat liberam. II. Sunt qui exiſtimant hic interdici ne quis occidat, & comedat agnum aut hœdum, dum adhuc lac matris ſugit. Verum cum *Levit*. 22. *verſ.* 27. poterat agnus, hœdus, aut vitulus occidi & immolari octavo a nativitate die, quo adhuc lac ſugebat; non video cur pari ratione non potuiſſet occidi ad eſum: maxime cum ovium, caprarum, boumque primogenita ſtatim nata, & adhuc lac ſugentia potuerint Deo offerri ut victimæ pacificæ, & a Sacerdotibus & Levitis poſt oblationem comedi.

III. Docent aliqui præfata verba in eo ſenſu, quem præ ſe ferunt, eſſe accipienda; ita quod vetitum ſit agnum, aut hœdum in materno lacte lixare; Nam, inquit Philo: *valde iniquum eſt, id quod viventi animali cibus fuerat, vertere in condimentum occiſi*.

IV. Verſimilius dicendum arbitror cum Guillelmo Pariſienſi, Deum hac prohibitione tertio repetita removeri voluiſſe Judæos a nefario quorumdam idololatrarum ritu, cum enim idem Guillelmus dixiſſet: „ In „ natura ſua nihil habet immunditiæ hœdus, „ neque lac caprinum: nihil etiam habet „ malitiæ, hoc eſt, nocumenti contra ſani„ tatem corporalem. Præterea utrumque „ eis licitum erat comedere vel bibere, qua „ de cauſa igitur conjunctio amborum ejuſ„ dem prohibita eſt. Hœdus enim & lac, „ mundus cibus & licitus eſt ſecundum le„ gem. Præterea non eſt cur a Deo lacteus, „ aut hujuſmodi delicatus cibus, propter „ hoc merito prohibendus eſſet. *Amplius*, „ quare hoc prohibuit potius de hœdo, „ quam de agno & vitulo? *Poſt pauca hæc infert*,

„ Cum ergo in eo non inveniatur cauſa „ prohibitionis ſuæ, neceſſe eſt, ut propter „ aliud prohibitum ſit, quod Deo non me„ diocriter diſplicebat, & propter hoc, non „ poteſt eſſe niſi idololatria, vel aliquo mo„ do ducens ad illam, *hæc ille*. Igitur iſta prohibitione Deus reprobat Ethnicorum ritum, qui ait Abarbanel, *Peracta meſſe convenire ſolebant, & hœdum in lacte matris coquere, perſuaſi rita illo Deorum ſuorum gratiam ſibi conciliare*,

Addit vetus Karaita laudatus a Spencero morem fuiſſe apud quoſdam Ethnicos hœdum coquere in lacte matris ſuæ, in uſum artis magicæ; nempe ut lacte illo agros, hortos, & pomaria aſpergerent, fore credentes ut feraciora in annum ſequentem redderentur. Eadem eſt Maimonidis exiſtimatio. Itaque veriſimile eſt Deum idcirco prohibuiſſe coctionem hœdi, aut agni in lacte matris, ut avocaret Judæos ab illo magico & idololatrico ritu ab Ethnicis uſurpari ſolito,

Vetitum etiam erat comedere carnem cum ſanguine *Deuter.* 12. *verſ.* 23. *Cave ne ſanguinem comedas, ſanguis enim eorum pro anima eſt: idcirco non debes animam comedere cum carnibus*. Hoc eſt, ſanguis eſt vehiculum & nutrimentum animæ ſenſitivæ, ideoque ſimul cum carne non debet comedi; hoc enim eſſet veluti carnem vivam devorare, quod ferinum eſt & prorſus immane; quo præcepto deterret Deus Iſraelitas a barbara & belluina quorumdam Ethnicorum conſuetudine, qui, ut Maimonides mox laudatus, *abſcindebant membrum aliquod animalis viventis, illudque comedebant*.

Idem ætate ſua Gentilibus exprobrat Arnobius. *Baccanalia*, inquit, *prætermittamus immania, quibus nomen* OMOPHAGIIS (*crudivoris*) *Græcum eſt: in quibus furore mentito, & ſequeſtra pectoris ſanitate, circumplicatis vos anguibus, atque ut vos plenos Dei numine ac majeſtate doceatis, caprorum reclamantium viſcera cruentatis oribus diſſipatis*. Similia habet S. Clemens Alexandrinus, qui eorum in ſuis numinibus colendis impietatem & ſtultitiam referens & ſuggillans, inter cætera ait: *Dionyſium manoclem orgiis bacchi celebrant, crudarum carnium eſu ſacram agentes inſaniam, & cæſarum carnium peragunt diviſionem coronati ſerpentibus, ululantes Evam*, qui Ethnicus ritus depromptus videtur ex Evæ tentatione per ſerpentem.

PARS

QUARTA PARS.

DE LEGIBUS MOSAICIS.

MOſaicas leges dico, non quas Moſes ipſe condidit, ſed quas a Deo dictante acceptas Iſraelitico populo denunciavit & promulgavit. Illas vero ex variis Pentateuchi locis collectas duos in ordines diſtribuunt Hebræi Doctores, nimirum in *præcipientes* & *prohibentes*: ſeu in mandata affirmativa, & negativa. Per *affirmativa* imperantur actus virtutum: per *negativa* prohibentur vitiorum affectus: utraque generatim computant 613. nimirum 248. affirmativa, tot ſcilicet quot in humano corpore articuli: & 365. negativa, quot ſunt in anno dies. Negativa obligant omnes, omni tempore, & omni loco: at affirmativa ſpectant dumtaxat quaſdam perſonas, & nonniſi certo tempore ac loco debent impleri.

Hæc iterum diſtribuunt in duodecim partes, quas vocant *Domus*, quarum una quæque diverſa involvit præcepta, veluti capitalis mandati expoſitiones & appendices. Illa omnia ex Rabinorum ſcriptis excerpta in ordinem congeſſit & diſtribuit Joſua Arndius in libro quem inſcripſit *Manuale legum Moſaicarum*: Sed quoniam pleraque ſapiunt genium Rabinicum, redolentque ſuperſtitionem, & a mente Moſis abludunt, in eis referendis tempus non impendam, ne perdam.

Arndius mox laudatus cum Cornelio a Lapide ad calcem ſui in Pentateuchum commentarii omnia Moſaicæ legis præcepta generali diviſione diſtribuit in ſimplicia, & mixta; *ſimplicia* ſunt vel *moralia* ſeu naturalia: vel *cæremonialia*: vel *forenſia* ſive judicialia. *Mixta* vero ſive compoſita ſunt quadruplicis generis, nempe. I. *Moralia & cæremonialia* ſimul. II. *Moralia & judicialia* ſimul. III. *Cæremonialia & judicialia* ſimul. IV. *Moralia cæremonialia & judicialia* ſimul.

Verum cum hæc diviſio implicata ſit & confuſa, cenſeo illas omnes Moſaicas leges ad tria capita eſſe revocandas, nimirum ad præcepta moralia, cæremonialia, & judicialia.

Moralia ea dicuntur, quæ ad hominum mores probe, juſteque inſtituendos, juxta ipſum rationis naturalis dictamen ordinantur, puta *Deum eſſe colendum*; & *nemini faciendum quod quiſque ſibi fieri non vult*: Hæc enim ab ipſo mundi exordio hominum mentibus & cordibus ipſo ingenito naturali lumine fuerunt inſcripta, at (inquit S. Auguſtinus, *quæſt.* 4. ex iis quas in Vetus, & Novum Teſtamentum propoſuit, & diſcuſſit:) *Ubi naturalis lex evanuit, impreſſa conſuetudine delinquendi, tunc oportuit legem manifeſtari. Non quod penitus obliterata eſſet: ſed quia maxima ejus auctoritate carebant, idololatriæ ſtudebatur. Circa rem proximi avida erat concupiſcentia. Danda igitur lex erat, ut & quæ ſciebantur auctoritatem haberent; & quæ latere cœperant, manifeſtarentur.* Hæ vero ſimplices leges morales, decem capitales numerantur in Decalogo exaratæ, ad quas aliæ plurimæ, velut rivuli ad fontem referuntur.

Prima lex capitalis hæc eſt, *Ego ſum Dominus Deus tuus ..... non habebis Deos alienos coram me* &c. Exod. 20. Ad hoc tamen capitale præceptum plura alia revocantur. I. Quod Deus ſit ſuper omnia *diligendus*. Deuteron. 6. verſ. 4. quod tam Judæos, quam alios homines ſpectat, ut apparet *Matth. cap.* 22. *v.* 35. ubi Chriſtus interrogatus a Phariſæis quodnam eſſet maximum mandatum in Lege, ait, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* &c. Et *Lucæ* 10. *verſ.* 26. interrogatus a quodam legiſperito, quid faciendo vitam æternam poſſideret, petiit ab eo Chriſtus Dominus: *In lege quid ſcriptum eſt?* cum autem hic repoſuiſſet, *Diliges Dominum Deum tuum* &c. Adjecit Chriſtus Dominus: *Recte reſpondiſti: Hoc fac & vives*.

Etſi vero tria hæc, *ex toto corde*, *ex tota anima*, *& ex tota virtute*, ſeu *fortitudine*, unum idemque reipſa ſignificant, nempe Deum eſſe ſumme diligendum, non quidem intenſive, aut extenſive. Quaſi Deus ſolus eſſet diligendus, idque omni momento, & quanta fieri poteſt cordis & animi contentione: ſed tantum. I. Comparative, ut videlicet magis Deum quam aliud quodcumque diligat. II. Finaliter, ut cætera diligat propter Deum. III. Appretiative, ut homo comparatus ſit, omnia quæcumque habet pretioſa, etiam proprium ſanguinem & vitam potius profundere & perdere, quam ne leviter quidem ipſi diſplicere. Licet, inquam, tria hæc in illud unum conſpirent, ut ſignificent Deum ſuper omnia eſſe diligendum.

Nihilominus ſic poſſunt diſtingui; ut *cor* ſignificet voluntatem & appetitum rationalem, *anima* appetitum ſenſitivum; & *virtus* ſeu *fortitudo* facultatem executivam; vel ut exponit S. Auguſtinus, per *cor* intelliguntur cogitationes: per *animam*, vita ſenſitiva: per *virtutem*, intellectus; nimirum ut tres illæ operationes ad Dei dilectionem concurrant, ſicut ea verba commentatur S. Bernardus, *Mihi*, inquit, *videtur amor cordis ad zelum pertinere affectionis, animæ vero, amor ad induſtriam ſeu judicium rationis, virtutis vero dilectio ad animi poſſe referri conſtantiam vel vigorem: quaſi dicat. Dilige Dominum Deum tuum toto & pleno cordis affectu: Dilige tota rationis vigilantia & circumſpectione; Dilige & tota virtute, ut nec mori pro ejus amore pertimeſcas. Fortis enim eſt ut mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio.*

Addit tamen idem S. Bernardus, neminem poſſe huic divino præcepto perfecte ſatisfacere, quamdiu hanc mortalem vitam agit. *Ego puto* (inquit) *non ante ſane perfecte impletum iri*, *Diliges* Dominum Deum tuum

ex

EX TOTO CORDE TUO, EX TOTA ANIMA TUA, ET EX TOTA VIRTUTE TUA: *Quouſque ipſum cor cogitare jam non cogatur de corpore, & anima eidem in hoc ſtatu viviſicando & ſenſificando intendere deſinat, & virtus ejuſdem revelata moleſtiis in Dei potentia roboretur: impoſſibile namque eſt tota hæc ex toto ad Deum colligere, & divino infigere vultui, quamdiu ea huic fragili & ærumnoſo corpori intenta & diſtenta neceſſe eſt ſubvenire.*

II. Ad hoc idem primum præceptum revocatur illud Levitici 11. v. 44. & cap. 19. verſ. 2. & cap. 20. verſ. 7. *Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum*, hoc eſt, ſtudete vitæ ſanctimoniæ & puritati, *Sanctitas enim*, inquit S. Dionyſius, *eſt ab omni piaculo libera, perfecta & omnino impermixta puritas*, idque ſignificat etymologia Græci vocabuli ἅγιος, ab a *privato*, & γῆ. *Terra* id eſt, *ſine omni terrena fæcis aut immunditiæ contagione.* Idem indicat ſanctus Petrus, dum fideles adhortatur ad vitæ puritatem & integritatem; *Ut ipſi*, inquit, *in omni converſatione ſancti ſitis, quoniam ſcriptum eſt; ſancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum.*

III. Illuc etiam ſpectat hoc Deuteronomii præceptum *cap.* 18. *verſ.* 13. *Perfectus eris, & abſque macula cum Domino Deo tuo.* Hoc eſt, omnibus divinis ejus mandatis religioſe parebis: Nam, inquit S. Joannes, *qui ſervat mandata ejus, in hoc charitas perfecta eſt.* Ita perfectus fuit Abraham, cui, ut refertur Geneſ. 17. verſ. 1. Deus dixit, *Ambula coram me, & eſto perfectus.* Hujus vero perfectionis conſequendæ modum tradit Caſſianus his verbis: *Audi*, ait, *paucis ordinem, per quem aſcendere valeas ad perfectionem ſummam ſine labore. Principium noſtræ ſalutis ſapientiæque eſt timor Domini: de timore Domini naſcitur compunctio ſalutaris: de compunctione cordis procedit abrenunciatio, id eſt, nuditas, & contemptus omnium facultatum: de nuditate humilitas procedit: de humilitate mortificatio voluntatis procreatur: mortificatione voluntatum extirpantur atque marceſcunt univerſa vitia: expulſione vitiorum virtutes fructificant atque ſuccreſcunt: pullulatione virtutum, puritas cordis acquiritur: puritate cordis apoſtolica charitatis perfectio poſſidetur.*

IV. Hoc eodem primo præcepto diſtricte prohibet Deus cultum inanium numinum, quod ſub graviſſima pœna inculcat Deuter. 6. v. 13. *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſervies.* Et verſ. 14. *Non ibitis poſt Deos alienos cunctarum Gentium, quæ in circuitu veſtro ſunt: quoniam Deus æmulator, Dominus Deus in medio tui: nequando iraſcatur furor Domini Dei contra te, & auferat te de ſuperficie terræ.* Quibus verbis primo timorem a ſuis cultoribus exigit; non ſervilem, quo præſtantur obſequia propter pœnæ formidinem: ſed filialem, & liberum, quo voluntarie homines propendunt ad obediendum Deo propter infinitam illius majeſtatem & celſitudinem; & propter ingentia beneficia quibus diu noctuque ab eo cumulantur. Ex quo timore naſcitur cultus internæ ſubjectionis & pietatis teſtis.

Quoniam vero propter diuturnum cum Ægyptiis idololatris incolatum fieri poterat, & ſæpiſſime factum eſt, ut circum adjacentium nationum exemplo pellecti, a veri Dei cultu ad inanium numinum ſuperſtitionem declinarent; additur comminatio, in promptu fore vindictam, ſi a vera religione deciſcant, quoniam Deus ſui ſervandi honoris zelotes eſt: non quod illa æmulatio aliquam in eo commotionem, & perturbationem inferat; ſed quod non ſuſtineat cultum ſibi debitum alio transferri: quod ut ab eis obtineat, admonet ſe in medio eorum conſiſtere: partim, ut ex illius præſentiæ conſideratione in ordine contineantur: partim, ut eorum ingratitudinem perſtringat, ſi ipſo relicto, Deos ſibi ab aliis Gentibus e longinquo accerſant. Quoniam vero experientia notum eſt perverſis iniquorum exemplis homines, etiam pietati deditos, a recta via diſtrahi, & qui in alienam terram veniunt, ſæpiſſime incolarum pravis moribus & ritibus aſſueſcere; ne Iſraelitæ in Chananitidem ingreſſi, quidquam contagionis eorum ſuperſtitionibus contrahant. Ideo

V. Deuteron. cap. 18. verſ. 9. cavere jubet Iſraelitas ab impiis ritibus Chananæorum, potiſſimum vero ab his. I. Ne luſtrent filios ſuos & filias ſuas per ignem. Hæc enim, ut ſupra diximus, erat impia Gentium illarum conſuetudo, ut cum a maioribus accepiſſent homines peccato inquinatos e matrum utero in lucem prodire, ac proinde odibiles Deo naſci; ut ſuam a ſordibus prolem expiarent, ſuiſque numinibus gratam facerent, ſolebant (ut jam diximus) eam ſuper flammam traiicere ad ingenitam immunditiam expurgandam: quod igne vim quamdam abſterſivam & malorum medelam ineſſe exiſtimarent; unde Ovidius

Omnia purgat edax ignis, vitiumque metalli
Excoquit: idcirco cum duce purgat oves.

II. Ideo filios ſuos traducebant per ignem, ut eos Idolo & Numini ſuo devoverent; quatenus de rebus futuris & arcanis ab eis reſponſa acciperent. Unde hujus ſacrilegi ritus prohibitio connectitur cum præcepto de exterminandis Magis & Ariolis, Deuter. 18. v. 10. *Non inveniatur in te, qui luſtret filium ſuum, aut filiam ſuam, ducens per ignem; aut qui Ariolos ſciſcitetur &c.* Et 4. Reg. cap. 17. v. 17. *Conſecraverunt filios ſuos, & filias ſuas per ignem: & divinationibus inſerviebant &c.* Et cap. 21. v. 6. de impio Manaſſe ſcribitur, *Traduxit filium ſuum per ignem, & ariolatus eſt.*

III. Solebant inſuper filios ſuos Idolis immolare, ut imminentes clades averterent; & irata ſua Numina placarent: id e Sanchuniato acceptum refert Philo Biblius productus ab Euſebio: *Antiquis*, ait, *in more poſitum erat ut in ſummis reipublicæ calamitatibus, priuſquam omnia peſſum irent, is penes quem Gentis aut civitatis imperium eſſet, liberorum ſuorum chariſſimum Dæmonibus ultoribus mactandum darent, ut exitium publicum domeſtico redimerent & averterent.*

Hanc

Digitized by Google

Hanc vero impietatem ita deteſtatur Deus, ut Levit. 20. v. 2. ſanxerit, *Si quis dederit de ſemine ſuo Moloch, morte moriatur: populus terræ lapidabit eum*. Ubi per *ſemen*, prolem intelligit; & per *Moloch*, Idolum Chananæorum.

Moloch autem videtur deductum a voce hebræa *Malach*, id eſt, *regnare & gubernare*; idem ſignificat ac *Rex*, *Imperator*, & *Gubernator*: ad quæ forte reſpexerunt LXX. qui ἄρχοντα δώσεις λατρεύειν ἄρχοντι *Ex ſemine tuo non dabis ut ſerviant Principi*. Erat autem Idolum hoc figuræ humanæ, conſtans capite vitulino ex ære confectum, & concavum, intra quod includebantur pueruli a parentibus oblati illius Idoli Miniſtris, ut ſubjecto igne concremarentur, & ſacrificarentur. Ne vero parentes pueri clamoribus & ejulatibus moverentur, Miniſtri tibiciois ac tympanis ſaltantes ac tripudiantes tantum excitabant ſtrepitum, ut pereuntium clamores non audirentur.

Tametſi vero hunc neſarium cultum diſtricte Deus prohibuerit Iſraelitis, nihilominus a Dæmone dementati, ſæpiſſime hoc grande crimen perpetrarunt, ut illis eaprobrat David, *Immolaverunt filios ſuos, & filias ſuas Dæmoniis: & effuderunt ſanguinem innocentem &c*. Quin etiam ipſe Salomon, ut refertur 3. Reg. cap. 11. v. 7. *Ædificavit fanum, Chamos Idolo Moab, in monte qui eſt contra Jeruſalem & Moloch Idolo filiorum Ammon*. Quæ impietas etiam tempore Jeremiæ vigebat; ait enim cap. 32. v. 35. *Ædificaverunt excelſa Baal, quæ ſunt in valle filiorum Ennom, ut initiarent filios ſuos, & filias ſuas Moloch*. Hunc tamen execrandum ritum ætate ſua prohibuerat Joſias, legitur enim 4. Reg. cap. 23. v. 10. Joſias *contaminavit Thopheth, quod eſt in valle filiorum Ennom: ut nemo conſecraret filium ſuum, aut filiam per ignem Moloch*.

Inducebantur autem illi miſeri, a Dæmone illuſi ad hunc eaecrandum ritum hac ſalſa & erronea perſuaſione, quod ſi Deo placerent boves & vituli in holocauſtum: & ſi, inquiebant, Deus gratam habuit obedientiam Abrahæ, quod paratus ſuerit jugulare & ei immolare filium ſuum Iſaac, longe magis approbaret immolationem ſuorum filiorum intra viſcera illius ſtatuæ, quæ vi ſui nominis *Moloch*, ſignificabat ſupremum illius in omnes creaturas Dominium.

IV. Damnat omnes peſſimas artes quibus Dæmon hominum nimis otioſorum mentes ludere & faſcinare aſſolet. Naturaliter quidem omnes ſcire, maxime res abditas & arcanas appetunt: nec id vitioſum eſt, dum innatum illud deſiderium eatra moderationis limites non erumpit: at quæ per ſe recta ſunt, Diabolus ſuis artificiis pervertit, dum immodicam ſciendi cupiditatem hominibus ſuggerit; adeo ut arcana quæque penetrare cupiant, atque etiam futura prænoſcere: cui temeritati & audaciæ cum obſiſtat Deus, nec voris adeo improbis indulgeat, ſe ad Diabolum patrem mendacii transferunt ſub fallaci tamen Dei præteatu, ut ſi fieri poſſet, per artes magicas diſcant a Dæmone, quæ Deus ignota eſſe voluit. Has vero peſſimas artes communi nomine appellant *divinationes*, quia perſuaſum habent res arcanas humaoo conceptu non poſſe comprehendi, ſed hanc cognitionem divini eſſe inſtinctus.

Harum vero nefariarum artium ſeptem ſpecies præfato Deuteron. cap. 18. deſignat & damnat Deus, quarum prima erat *Augurium*, quo nomine ſignificabantur rerum eventus ominandi ritus & modi. Nam, ait Alexander ab Alexandro: „ Augurum munus erat „ ex avibus vaticinia obſervare, ſignaque „ rerum futurarum a Diis monſtra contemplari: ſi aves opportune evolaſſent, aut „ ſedes idoneas accepiſſent, obnunciare de „ prodigiis, ſomniis, auguriis atque oraculis, „ portentis, ea hiſque reſponſa dare, tum „ obſervationes auſpiciorum, procurationes, „ expiationeſque, vatum libros, portento„ rumque eaplanationes & monita Deorum „ edicere: ſi quid ingruente fato caſurum „ foret, & quod ſalvis auſpiciis fieret, quod„ ve augurium lætum, quodve piaculare „ eſſet, quod minas cœleſtes, ingruenteſque „ calamitates, aut fatalem eaitum afferret. *Hæc ille*.

Erat autem ex avibus divinatio triplex: nam avium aliæ volatu, aliæ cantu futura prædicere putabantur: & illæ quidem *præpetes*, aliæ *oſcines* dicebantur. Erat & tertium genus ex illarum paſtu cum pullis gallinaceis e cavea depromptis, eſca porrigebatur: ſi ederent, nec edendo quidquam in terram decideret, fauſtum erat omen; ſi ſecus infauſtum.

Plurima de his ab avibus augurandi modis habet idem mox laudatus Aleaander, cap. 13. Erant & alii infiniti prope modum augurium captandi ritus; puta ſi quis domo egrediens pedem offenderet ad limen, infortunatus cenſebatur, & negotia tractanda infelicem habitura exitum, ut refert Tibullus de ſeipſo.

O quoties ingreſſus iter, mihi triſtitia dixi
Offenſum in porta ſigna dediſſe pedem.

Hinc etiam in incipiendo itinere, aut expeditione aliqua ſuſcipienda diligenter obſervabant quis primus illis occurreret, pulcher, an deformis, corpore integro, aut aliqua parte deficiens, unde fauſtum vel infauſtum omen judicabant. Quin etiam, ut refert S. Chryſoſtomus eaiſtimabant quod ſi quis virgini occurrerit, ſterilis erit dies; ſi vero meretrici, dextra & multa mercatione futura ſunt plena. Similiter ſi quis mane ſternutaverit, inauſpicatum; ſi a meridie bonum fœlixque auſpicium: ſi ſereno cœlo tonuerit, atque etiam a læva, malum omen; ſi a dextera, fœlix augurium. Innumeræ ſunt ſimiles nugæ, quas viri cordati ſpreverunt ſemper & riſerunt.

Præclarum hujus vanitatis eaemplum præbuit Judæus quidam in Aleaandri magni exercitu; nam, ut refert Hecatæus Abderita productus ab Euſebio, cum quidam ex ave, quæ advolabat, captare vellet augurium,

rium, eſſetne progrediendum, an revertendum: Judæus ſumpto arcu avem trajecit, videns eorum ſtultitiam, qui quid agendum eſſet diſcere & conjectare ex ave vellent, quæ ſuum interitum prævidere non potuiſſet. Has omnes ridiculas obſervationes ſuggillat Cicero; riſit pariter Cato, cum enim quidam ipſum conſuluiſſet an non foret infauſtum omen quod ejus caligas ſorices eroſerant, reſpondit non eſſe illud monſtrum; ſed vere monſtrum & malum omen habendum fuiſſe, ſi ſorices a caligis roderentur.

Erant & alia plurima divinationum genera, quæ ratione rerum quibus ad id utebantur, diverſis nominibus appellabant, puta *Hydromantiam* per aquam, *Oenomantiam* per vinum, *Coſkinomantiam* per cribrum, *Leconomantiam* per pelvim, *Gaſtromantiam* per phialas ventricoſas aqua plenas, *Dactylomantiam* per annulos, *Catoptromantiam* per ſpecula, *Clidomantiam* per clavem, *Chiromantiam* inſpectione manuum, *Pyromantiam* ignis inſpectione, *Capnomantiam* inſpectione fumi, *Libanomantiam* thuris fumantis intuitu, *Spodonomantiam* ex cineribus ſacrificiorum, *Ceromantiam* ex cera liquata, *Daphnomantiam* ex lauri aduſtione, *Geomantiam* ex certarum figuratum in ſolo diſpoſitarum inſpectione.

Proſcribuntur pariter & damnantur omnes Magi, illi potiſſimum qui cum Dæmone commercium habent: triplex enim ſolito diſtinguitur magia, ſeu *Ars quædam mira & inſolita efficiens præter communem hominum captum*: ſcilicet naturalis, artificialis, & Diabolica.

Naturalis dicitur illa naturæ virium & arcanorum ſpecialis cognitio, qua obſervatis cœlorum ac ſyderum motibus & influxibus, rerumque ſympathiis & antypathiis certo quodam tempore & modo res rebus applicantur, ut mirifica quædam fiant præter conſuetum naturæ ordinem; quæ hujuſmodi ſcientiæ expertibus miraculoſa videntur, ſic tympani ex lupina pelle ſonus aliud ex ovina pelle tenſum propter eorum animalium antypathiam diſrumpit; ſic paleæ frigore ſuo nives & glacies æſtivo tempore ſervant concretas, cum aliunde fructus eorum calore matureſcant: ſic calx, ignitam in ſe vim continens, aquæ infuſione accenditur: oleo vero igni amico ſopitur: ſic ſal Agrigentinum liquatur igne, aqua vero indureſcit. Omitto innumera his ſimilia quæ congeſſerunt, Auctor de admirandis auditionibus apud Ariſtotelem, S. Auguſtinus [a], Cardanus [b], Alexander ab Alexandro [c], Guillelmus Pariſ. [d], & alii bene multi.

a *Lib. de civit. Dei cap. 4. & ſeq.*
b *Lib. 6. de ſubtil.*
c *Lib. 2. Gen. dierum.*
d *Lib. 6. de univerſo.*

Magia *artificialis*, ea dicitur quæ per humanam induſtriam ſtupenda quædam operatur: eaque duplex *Mathematica* ſcilicet, & *præſtigiatoria*. Mathematicam voco, quæ nititur principiis geometricis, arithmeticis, vel aſtronomicis; qualis erat ſphera Archimedis quæ cœlorum orbes & aſtra, eorumque motum repræſentabat, de qua Cicero: ejuſdemque Archimedis ſpecula combuſtoria: Architæ columba lignea volans, de quibus Plutarchus in Marcello: Leonis Imperatoris aves æreæ cantillantes, ut refert Gellius. Serpentes ex ære ſibilantes: caput æneum ab Alberto magno confectum quod ab ingredientibus requirebat quid peterent; ab exeuntibus quo irent, & ſimilia his multa; quæ omnia nonniſi ope cauſarum naturalium artificioſe diſpoſitarum vim ſuam exerunt.

Præſtigiatoria dicitur ea, cujus affectus tales non ſunt, quales apparent; qualia ſunt quæ ab Agyrtis, circulatoribus, & funambulis ſolito patrantur ſumma pedum & manuum dexteritate; qua aſpectantium ludunt oculos, adeo ut nonniſi ope Dæmonum hæc operari credantur.

Non abnuo tamen Dæmonum ſub naturalis & artificioſæ magiæ velamine interdum abſcondi præſtigias, ut hominibus inexpertis & incautis illudant: Nam, inquit appoſite Tertul. *operatio eorum eſt hominis everſio. Sic malitia ſpiritualis a primordio auſpicata eſt in hominis exitium. Itaque corporibus quidem & valetudines infligunt & aliquos caſus acerbos: animæ vero repentinos & extra ordinarios per vim exceſſus. Suppetit illis ad utramque ſubſtantiam hominis adeundam ſubtilitas & tenuitas ſua* &c. Itaque non raro contingit, ut ſub ſpecie ſubtilitatis ſeu agilitatis artificioſæ plurima Dæmonum ope efficiant circulatores, Mimiones, & Agyrtæ ut adſtantes ad ineptam quamdam lætitiam & admirationem provocent.

Magia *Dæmoniaca* ea dicitur, qua nonniſi ex pacto cum Dæmone inito Magus ſtupenda & prodigioſa operatur. Pactum autem hujuſmodi duplex eſt, expreſſum ſcilicet & tacitum. *Expreſſum* fit cum verbo, vel ſcripto aliquis ſe Dæmoni ea ratione devovet, ut iſti præſto ſit ad quodcumque illius opera indigebit. Pactum *tacitum* iterum duplex eſt: *primum* quando quis ſciens & volens utitur ſuperſtitioſis ſignis a Magis frequentari ſolitis, quæ ex eorum vel aliorum libris, vel ſermonibus accepit; *ſecundum* vero taciti pacti genus eſt, quando quis neſcius verba aliqua a Dæmone fuiſſe inſtituta, puta quaſdam oratiunculas, bona fide recitat, ad quarum prolationem Dæmon ea operatur, de quibus cum Magis convenerat. Harum oratiuncularum plura ſpecimina refert Delrio. At de his plura a nobis acta ſunt in tertio tomo noſtri Scoti Academici ad calcem tractatus de Angelis.

His peſſimis artibus accedit ſomniorum obſervatio, quæ Levit. 19. verſ. 26. una cum auguriis proſcribitur, *Non augurabimini, nec obſervabitis ſomnia*: ea nimirum quæ vel a Dæmone expectantur & immittuntur, vel quæ licet naturaliter & fortuito eveniant; nihilominus ex eis ſuperſtitioſe conjectantur eventus futuri: ſunt enim ſomnia quadruplicis generis, nimirum naturalia, Angelica, Divina, & Diabolica.

Naturalia dicuntur quæ vel ex perceptis interdiu rerum imaginibus & phantaſiæ impreſſis, vel ex varia corporis affectione oriuntur. Ex prioribus nihil certo poteſt colligi, cum nullam habeant cum rebus futuris connexionem. Poſteriora vero inſervire poſſunt

ad dignoſcendam corporum valetudinem & affectionem: unde hæc conſulto obſervant Medici, ut deprehendant utrum corporis habitudo bona ſit aut mala; & quibus morbis ſit obnoxia, ut illos præcaveant.

Somnia angelica, & divina ea ſunt quæ a Deo immediate, vel mediate per Angelos immittuntur, idque varios ob fines, ut notat Delrio. I. Ut quis a malo perpetrando absterreatur, ſicut contigit Achimelecho Regi Geraræ. *Geneſ.* 20. Labano. *Geneſ.* 31. Jobo. cap. 4. *In horrore viſionis nocturnæ, quando ſolet ſopor occupare homines, pavor tenuit me* &c. cap. 7. *Terrebis me per ſomnia, & per viſiones horrore concuties.* II. Ut ad bonum opus ſtimulet, ut Gedeonem Judic. 7. & Judam Machabæum, ejuſque exercitum. 2 *Machab.* 15. ad expugnandos Iſraelitarum hoſtes. III. Ut edoceat, quid agendum, fugiendumve ſit: ſic Matth. 1. & 2. monuit Magos ne redirent ad Herodem, & S. Joſephum ut cum puero Jeſu, & ejus matre noctu fugeret in Ægyptum: finem hunc indicavit Eliu apud Jobum, cap. 33. verſ. 15. *Per ſomnium aperit aures virorum, & erudiens eos inſtruit diſciplina, ut avertat hominem ab his quæ fecit.* IV. Ut ſpiritum prophetiæ & ſcientiæ eis largiatur, ſic Joel 2. verſ. 28. *Senes veſtri ſomnia ſomniabunt, & juvenes veſtri viſiones videbunt.* Sic Salomoni ſapientiam & prudentiam in ſomniis largitus eſt. V. Ut præſignificet quæ ventura ſunt, ut Joſepho Patriarchæ quod futurus eſſet fratrum ſuorum princeps, *Geneſ.* 37. Pharaoni ubertatem & ſterilitatem per ſeptem annos venturam, *Geneſ.* 41. Nabuchodonoſori viciſſitudinem ſui ſtatus & imperii &c.

Somnia Diabolica ea dicuntur quæ a Dæmonibus immittuntur, ingerendo phantaſmata rerum illarum quas ſunt operaturi. Hæc autem ſomnia ut captarent Gentiles, ſolebant in templis Idolorum dormire: ut refert Iſaias, cap. 65. verſ. 4. *In delubris*, inquit, *Idolorum dormiunt*: ad quæ verba S. Hieronymus, *ibi ſtratis pellibus hoſtiarum incubare ſoliti erant, ut in ſomnis futura cognoſcerent: quod in fano Æſculapii uſque hodie error celebrat Ethnicorum multorumque aliorum.* Horum autem ſomniorum obſervatio maxime interdicitur hoc præcepto, quod ſit ſuperſtitioſa, a peſſima cauſa, & in pravum finem ordinata. Unde ſapientiſſime admonet Eccleſiaſticus, cap. 34. verſ. 6. *Niſi ab altiſſimo fuerit viſitatio, ne dederis in illis cor tuum: multos enim errare fecerunt ſomnia, & exciderunt ſperantes in illis.* Quando autem Deus ſomnium immittit, ſimul aſſolet hominem interius certum reddere, hoc ſomnium a ſe profectum, & cœlitus immiſſum eſſe; unde quotquot fuere divinorum ſomniorum participes, rebus ſignificatis prompto animo paruerunt, ut conſtat ex ſupra citatis exemplis.

His adjiciuntur *incantatores* qui ſuſurris quibuſdam & muſſitationibus ex pacto cum Dæmone inito, mira quædam efficiunt: Eorum magica virtus potiſſimum exercitur erga ſerpentes vel ſopiendos, vel necandos: unde Virgilius

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis

Et Ovidius de Medea.

Vipereas rumpo verbis & carmine fauces.

Teſtatur idem Regius pſaltes. Pſalm. 57. ubi peccatores, quos dicit errare ab utero, aſſimilat Aſpidi obturanti aures ſuas, *Ut non audiat vocem incantantium, & venefici incantantis ſapienter.*

His accedunt Pythonum conſultores. *Pythones* autem proprie dicebantur illæ mulieres nefariæ, quæ in ventre Dæmonem per obſcœna loquentem, & reſponſa dantem habebant: unde a Patribus Græcis dicebantur ἐγγαστρίμυθοι, *Engaſtrimythi*, ſeu ventriloquentes, de quibus S. Chryſoſtomus ſcribens, ait: *Traditur Pythia fœmina fuiſſe, quæ in tripode ſedens expanſa malignum ſpiritum per interna emiſſum, & per genitales partes ſubeuntem excipiens, furore repleretur, ipſaque reſolutis crinibus baccharetur, ex ore ſpumam emittens, & ſic furoris verba loquebatur.*

Hujus artis nefariæ inſigne exemplum memoratur, 1. *Reg. cap.* 28. *verſ.* 7. de Pythoniſſa, quæ Samuelem mortuum Sauli Regi repræſentavit. S. Lucas *Act.* 16. refert etiam a S. Paulo e puella ejectum ſpiritum Pythonis. Neque vero duntaxat eo tempore quo per terrarum orbem vigebat Idololatria, impuriſſimus ille Dæmon mulierculas obſidebat, & per earum pudenda ſua proferebat oracula; ſed etiam everſo Dæmonum imperio, & Chriſto per Evangelii prædicationem ubique terrarum regnante, peſſimam hanc artem Diabolus exercuit; ut conſtat tum ex Tertulliano pluribi, maxime libro *de anima*, & alibi ſæpe, S. Hieronymo [a] [a In Ezechiel. cap. 14.] Auguſtino, Eugubino [b], qui ait, „ Ventri- [b In cap. 19. Levit.]
„ loquas mulieres etiam tempeſtate noſtra „ vidimus, quibus ſedentibus vocula quæ„ dam ab earum pudendis excitabatur, reſ„ pondebatque ſciſcitantibus: ipſeque audi„ re volui, non quod ullam fidem his adhi„ berem, ſed ut hominum præſtigias cogno„ ſcerem. Præſtigiæ certe ſunt, & miſera„ rum genera vanitatum. Naſcuntur ex his „ calamitoſi errores, & incredibiles calami„ tates.

Neque id fabuloſum quis putet, ait Cœlius Rhodiginus; *teſtatum enim volumus, tempeſtate hac, imo vero hac prodente me, fuiſſe in patria mea mulierculam humili loco, Jocabam nomine, ex cujus ventre immundi ſpiritus vocem prætenuem quidem; ſed tamen, ubi vellet, dearticulatam & prorſus intelligibilem proferebat: audivi ipſe, verum & innumeri alii non Rhodigii modo, ſed & tota fere Italia: quando futuri avida potentum meſis, ſæpe accerſitum ventriloquam, ac omni exutum amictu; ne quid fraudis occultæ lateret, inſpectare ac audire concupivit.* Cincinnatulus *Dæmoni nomen erat. Hac ille appellatione geſtiens inclamanti ſubinde reſpondebat. Si de præteritis aut præſentibus ſciſcitareris, quæ reconditiſſima forent, reſponſa dabat ſæpe mirifica: ſi de futuris, ſemper mendaciſſimus:*

ſed

ſed & inſcitiam ſuam nonnunquam murmure incerto vel bombo verius ignorabile detegebat. Hoſce ego proprie dictos Engaſtrimythos puto, id, *Ventriloquos, quamquam eo nomine apud Græcos intelligi ſimpliciter videntur, quæ Dæmonis afflatu aliquid præſagirent*. Ita Cœlius Rhodiginus.

His addere juvat quæ refert perdoctus Fagius ad *verſ.* 31. *cap.* 19. *Levit.* ubi ſcribit:,, ,, Ventriloquas mulieres etiam tempeſtate ,, noſtra vidimus, quibus ſedentibus vocula ,, quædam ab earum pudendis excitabatur, ,, reſpondebatque ſciſcitantibus: ipſeque audire volui; non quod ullam fidem his adhiberem, ſed ut Dæmonum præſtigias cognoſcerem. Præſtigiæ certæ ſunt & miſerarum genera vanitatum.

Hoc autem potiſſimum nomine *Pythii* appellabantur impuriſſimi *Dæmones* per mulierum pudenda reſponſa conſulentibus dantes, quod imprimis celebres eſſent præſtigia Pythii Apollinis. Porro nedum qui hujuſmodi Dæmonem habebant, ſed & qui eos conſulebant, damnantur. Unde Levit. 20. v. 27. *Vir, ſive mulier, in quibus Pythonicus, vel divinationis fuerit ſpiritus, morte moriatur.*

His ſuccedunt *Necromantici*, qui nimirum arte magica mortuorum evocabant animas, verius Dæmones defunctorum ſpecie larvatos, ut rerum abditarum, aut futurarum ab eis veritatem inquirerent. Hanc peſſimam artem honeſti nominis velamine *Theurgiam*, hoc eſt, divinam operationem appellabat Porphyrius, productus a S. Auguſtino: qua fiebat, inquit, ut homo per quaſdam conſecrationes theurgicas, *Teletas* appellatas, id eſt, expiationes & ſacrificia perfecta, aptus & idoneus fieret ad videndos ſpiritus, imo & ipſos Deos; niſi a potentiore præpediretur. At, inquit S. Auguſtinus, *Quis non videat hæc omnia fallacium Dæmonum eſſe commenta, niſi eorum miſerrimus ſervus, & a gratia veri liberatoris alienus.... ejus enim ſunt illa phantaſmata, qui miſeras animas multorum, falſorumque Deorum fallacibus ſacris cupiens irretire & a vero veri Dei cultu, quo ſolo mundantur, & ſanantur, avertere: ſicut de Protheo dictum eſt* (a Virgilio) FORMAS SE VERTIT IN OMNES: *hoſtiliter inſequens, fallaciter ſubveniens, utrobique nocens*. Unde merito poſt enarratas omnes has impias & nefarias artes, ſubjicit Moſes Deuter. 18. verſ. 12. *Omnia hæc abominatur Dominus, & propter iſtiuſmodi ſcelera delebit eos* (Chananæos) *in introitu tuo*. Quibus verbis tacite eos admonet, quod ſi Chananæis fiant ſimiles in eis abominationibus & corruptelis, ſimili pœna plectentur.

Prohibet inſuper Deus Levit. 19. verſ. 26. *Neque in rotundum attondetis comam, nec radetis barbam, & ſuper mortuo non incidetis carnem veſtram, neque figuras aliquas, aut ſtigmata facietis vobis*. Quibus verbis triplicem damnat idololatricum Gentilium ritum, qui ſolebant barbam & comam nutrire, ut utramque poſtmodum attondentes, pilos ſuis numinibus offerrent, ita ſentit Theodoretus: propoſita namque aliquorum expoſitione qui putant his prohiberi capillitii criſpationem, addit: *Ego vero aliud per legem interdici exiſtimo: nam moris eſt apud Gentiles, non tondere puerorum vertices, ſed ſinere cæſariem creſcere, & eam poſt aliquod tempus Numinibus offerre*. Itaque Gentilibus in more poſitum erat capillos in orbem & circulum tondere in pueris: relinquendo in capitis vertice cincinnum ſuo tempore detondendum: ut Numini, cui mancipati fuerant, veluti primitiæ offerretur.

Solebant inſuper Ethnici, ut ſuis ſeſe numinibus devoverent ac manciparent, illorum nomina, effigies, aut inſignia typis, ſeu characteribus candentibus, fronti, manibus, aut brachiis imprimere, ut docet Philo, qui ait: *Non deſunt quidam prolapſi eo inſaniæ ut ne receptum quidem ad pœnitentiam ſibi reliquum faciant, ad cultum ſimulachrorum præcipites, confirmantes eam ſervitutem litteris, non in chartula, ſcriptis, ſicut mos eſt mancipiorum, ſed inuſtis in corpus ferro ignito ne deleri queant poſtea; nam hæ non obſcurantur ullo tempore*. Eamdem peſſimam Ethnicorum conſuetudinem refert & improbat Theodoretus, qui inter cætera ſcribit: *Aliquas etiam pro corporis partes acubus compungebant, & atramentum immittebant in reverentiam Dæmonum*.

Licet autem cincinnum illum cuilibet numini, quod præ cæteris colebant, conſecrare eſſent ſoliti; eum tamen, teſte Euſtachio, patriis fluminibus, quibus Numen aliquod præeſſe putabant, illum devovebant, unde Homerus

Ante pyram aſſiſtens rutilantem proſecat ultro
Cæſariem, quam Sperchio nutriverat amni.

Innuit inſuper Moſes Ethnicos nedum ſolitos eſſe capillitium ſuum Numinibus appendere; ſed etiam illud proſcindere in ſuorum parentum & amicorum exequiis, ut diſerte probat Spencerus, qui demonſtrat Ethnicos in funeribus ſolitos eſſe primo capillos vel tondere, vel manibus evellere, atque etiam ſuas incidere carnes, aut genas ungue fœdare: exiſtimantes cruentos illos ritus Diis Averruncis acceptos eſſe, & defunctis aliquid ſolatii allaturos. Docet nos iſta Theodoretus: Qui exponens verba hæc *non facietis calvitium in medio oculorum veſtrorum ſuper mortuum*, ait: *Per iſta luctum immodicum probibet: quidam enim extranearum Gentium pilos capitis abradebant & hos offerebant mortuis, alii pilos barbæ, alii ſuperciliorum.*

Ei præiverat Herodotus qui ſcribit de Scythis, *Cum Rex eorum deceſſit, aurem incidunt, crinem circumtondunt, brachia concidunt, frontem naſumque ſauciant, ſiniſtram manum ſagittis trajiciunt*. Hic etiam ritus apud Romanos invaluit. Ovidius enim ſcribit

Non mihi te licuit lachrymis perfundere juſtis,
In tua nec tonſas ferre ſepulchra comas.

Et lib. de triſt. Eleg. 3.

Digitized by Google

Parte tamen lacerare genas, nec ſcinde capillos:
Non tibi nunc primum lux mea raptus ero.

Ei concinit Seneca Tragœdus

Placemus umbras, capitis exuvias cape,
Laceræque frontis accipe abſciſſam comam.

Quamvis autem Deus hunc ſuperſtitioſum ritum diſtricte prohibuiſſet non ſolum ſupra dicto loco Deuteron. ſed etiam Levit. 19. verſ. 27. Attamen eorum poſteri Ethnicorum eis vicinorum conſuetudine inducti, eumdem ritum in ſibi charorum exequiis frequentabant, ut colligere licet ex cap. 16. Jeremiæ verſ. 6. ubi hic Propheta denuntians Judæis prævaricatoribus clades & ſupplicia, quibus erant afficiendi, inter cætera ait: *Morientur grandes & parvi in terra iſta, non ſepelientur neque plangentur, & non ſe incident, neque calvitium fiet pro eis;* Quæ verba ponderans S. Hieronymus ſcribit; *Mos fuit apud veteres, & in quibuſdam permanet Judæorum uſque hodie, ut in luctibus incidant lacertos, & calvitium faciant.* Ex quibus apparet a Judæis, vel hanc divinam legem contemni, vel alium in ſenſum detorqueri.

Neque ſolum apud veteres invaluit ritus ille, ſed etiamnum viget apud nationes quaſdam; nam Joannes Gotovicus ſcribit; *Hæ omnes in luctu ſuos quoſque defunctos, veteri Ethnicorum more, plangunt; & majoris doloris declarandi cauſa, uxores imprimis, matres, ſorores: ac proximæ quæque, capillum ſibi manu ſcindunt, comam evellunt, eamque cadaveribus injiciunt, frontem, genaſque lacerant.*

Ex his omnibus colligere licet primo hoc Decalogi præcepto prohiberi quemvis ſuperſtitioſum ritum, omnemque directum vel indirectum inanium Deorum cultum, quod diſtinctius expreſſit *Exod.* 20. his verbis: *Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem quæ eſt in cœlo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra. Non adorabis ea, neque coles.* Quibus verbis quilibet ritus Idololatrici; ſingulaque ſuperſtitionum genera ab unius veri Dei cultu quoquo modo revocantia diſtricte prohibentur; idque ſub pœna capitis, ut præſcribitur Exod. 22. verſ. 20. *Qui immolat Diis, occidetur;* & Levit. 20. verſ. 27. *In quibus ſpiritus Pythonicus, vel divinationis fuerit, lapidibus obruent eos.* Exod. 22. v. 18. *Maleficos non patieris vivere.*

Quod vero ſpectat ad ſculptilia non fabricanda, ſolum excluditur Idolorum ſeu inanium Deorum ſimilitudo, non vero ſacratum imaginum effictio, ut abunde probatum eſt in noſtro Scoto Academico ubi actum eſt de ſacratum imaginum veneratione; idque manifeſtum fit ex hujus legis ſcopo & fine; hac enim interdictione nihil aliud intendit Deus, quam adſtringi Iſraelitas ad unius veri Dei cultum, & revocari ab inanibus numinibus colendis impenſo honore divino: porro ſacris imaginibus exhibita veneratio non abludit a veri Dei cultu; imo in ejus honorem & gloriam uni ceredundat; omnis enim tam ſanctis, quam eorum imaginibus impenſa religio, refunditur in Deum, *Qui mirabilis eſt in ſanctis ſuis, & qui glorificatur in conſpectu ſanctorum ſuorum.*

Ad eamdem legem ſpectat illa Deuter. 18. verſ. 20. qua jubetur interficiendus Pſeudopropheta, qui vel uſurpato Dei nomine, vel aſſumptis nominibus inanium Deorum aliquid futurum annuntiarit: necnon & quiſquis a veri Dei cultu Iſraelitas abducere tentarit, ibidem verſ. 6. & ſequentibus. Ut autem impoſtor a vero propheta diſcerni poſſit, hoc ſymbolum exhibet Deus Deuteron. 18. verſ. 22. *Quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, & non evenerit; hoc Dominus non eſt locutus, ſed per tumorem animi ſui propheta confinxit, & idcirco non timebis eum.* Rei prænuntiatæ eventus, eſt quidem unum ex ſignis divinæ delegationis: quia cum Deus ſit ipſa eſſentialis veritas, quæ prænuntiat abſolute futura, certo certius evenient; unde Iſaias cap. 41. verſ. 21. Uni vero Deo hoc eſſe proprium, annuntiare quæ ventura ſunt in futurum. Quoniam tamen cap. 13. Deuter. v. 2. dicitur evenire poſſe quod Pſeudo-propheta prædixerit: cumque Dæmon per ſuæ malitiæ miniſtros denuntiare poſſit eventus earum rerum, quarum præparationes videt, aut quas ipſe paraturus eſt; alia his adiicienda ſunt ſigna, unde prophetiæ veritas, aut falſitas poſſit deprehendi; puta ſi vates ille vitam agat innocentem; ſi laudis & inanis gloriæ non ſit avidus; ſi ſecreta cordium detegat, aut verum aliquod miraculum edat; ſi quæ vaticinatur, maxime tendant in majorem Dei gloriam, & auditorum ſuorum converſionem & ſalutem, & alia ejuſmodi divinæ legationis indicia.

Ad hoc etiam primum præceptum ſpectat lex de primogenitis offerendis Domino. Hac enim oblatione admonebantur Iſraelitæ colendum ſibi eſſe Deum illum, qui eos ſolverat ab Ægyptiaca ſervitute & clade, eo fine ut ſe liberatori ſuo conſecrarent: Unde cum hoc præceptum illam duntaxat Iſraeliticam gentem ſpectaret, alias nationes nullatenus conſtringit. Illuc pariter revocandæ ſunt leges omnes de ſacrificiis, aliiſque ſacris ritibus Dei cultum & venerationem ſpectantibus.

DE

DE SECUNDA CAPITALI LEGE MORALI ſeu de ſecundo Decalogi mandato.

TAnra hominibus debet ineſſe Divinæ Majeſtatis veneratio, ur nequidem illius nomen abſque ſpeciali reverentia debeant proferre; hinc Pſalm. Nomen Domini dicitur *Sanctum & terribile*: SANCTUM quidem, ac proinde omni religione colenduro: TERRIBILE vero cum metu & tremore proferendum, ne illius temeratores inteotata ſupplicia incurrant. Permittit quidem Deus, imo jubet ut ad alicuius veritatis aſſertionem ſacroſanctum nomen ſuum aſſumatur, *Dominum Deum tuum timebis, & illi ſoli ſervies*, (inqnit Moſes Deuteron. 6. *verſ.* 13.) *ac per nomen illius jurabis*. At diſtricte prohibet ne temere & irreligioſe aſſumatur *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum. Nec enim inſontem habebit Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Domini Dei ſui fruſtra*. Exod. 20. v. 7. rurſum idipſum inculcat Deuter. 5. verſ. 11. *Non uſurpabis nomen Domini Dei tui fruſtra: quia non erit impunitus qui ſuper re vana nomen ejus aſſumpſerit.*

Itaque hoc mandato prohibetur. I. Advocare Deum io teſtem pro confirmanda re inutili, vana & levi. Cum enim Deus auguſtiſſimum oomen ſuum quaſi precario concedat ad lites & controverſias dirimendas quaſi interpoſito fidei pigoore; oou ſine manifeſto contemptu promiſcue & pro re nullius aut parvi momenti advocaretur in teſtimonium.

II. Non ſine graviſſimo peccato aſſumeretur ad aſſertionem rei falſæ, vel quam jurans intenderet non implere; *Non perjurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui, ego Dominus*. Levit. 19. verſ. 12. Polluitur enim nomen Domini, nec majore contumelia poteſt affici, quam cum ille, qui eſt incommutabilis & æterna veritas, adhibetur ut mendacii teſtis. Unde Philo cum dixiſſet non eſſe jurandum niſi gravi urgente neceſſitate, addit, *Eſt enim jusjurandum non exiguum negotium, tametſi contemnitur propter conſuetudinem, videlicet teſtimonium Dei rebus dubiis: Deum autem citare teſtem mendacii ſcelus eſt nefarium....* Adiicir: „ Qua fronte ſobrius ab amico peteres, commoda mihi maleficium; mea cauſa contra jus & fas age:
„ proculdubio his auditis valere jubebit ta-
„ lem amicitiam, ſeipſum damnans quod ab
„ initio non abſtinuiſſet, reſilietque abs te
„ tanquam a rabida, feraque beſtia. Et poſt-
„ ea quod ab amico non audes poſtulare,
„ ad id Deum vocas? ita ne nulla ineſt ti-
„ bi reverentia parentis omnipotentis, at-
„ que Domioi? ſcis, an neſcis illum inſpi-
„ cere omnia, exaudireque? ſi neſcis, im-
„ pius es. Eſt autem fons omoium iniquita-
„ rum impietas. Præterea jurando præva-
„ ricaris & dolo malo agis, dum juras per
„ eum qui non animadvertit, quaſi per per-
„ ſpicientem rebus hominum. Quod ſi noſti
„ ejus providentiam, nihil ad ſummam im-
„ pietatem tibi facis reliquum, ſi non ore,
„ linguaque, certe corde ſic appellans Deum:
„ dic pro me falſum teſtimonium; eſto mi-
„ hi ſceleris & maleficii ſocius; una mihi
„ ſpes ſupereſt tuendæ exiſtimarionis apud
„ homines, ſi celetur veritas. Eſto alienæ
„ malitiæ vicarius, melior deteriori ſubſer-
„ viens, Deus optimus ſceleſto homioi. *Ita Philo*.

III. Prohibet Deus advocandos eſſe falſos Deos in teſtes jusjurandi; *Per nomen externorum Deorum non jurabitis, neque audietur ex ore veſtro*. Exod. 23. v 16. Inde eſt quod naſcentis Eccleſiæ filii juramentum *per genium Cæſaris*, a Romanis fieri ſolitum, nuſquam uſurpare voluerint. Non recuſabant quidem jurare *per ſalutem Cæſaris*, quod ſcirent patriarcham Joſephum jurare ſolitum *per ſalutem Pharaonis*. Geneſ. 42. At nuſquam poruerunt induci ut jurarent per genium, aut per fortunam Imperatoris: cuius rei hanc rationem profert Tertullianus. *Sed & non juramus, ſicut per genios Cæſarum, ita per ſalutem eorum, quæ auguſtior eſt omnibus geniis. Neſcitis genios dæmonas dici, & inde diminutiva voce dæmonia? nos judicium Dei ſuſpicimus in Imperatoribus, qui gentibus illos præfecit: id in eis ſcimus eſſe quod Deus voluit; ideoque & ſalvum volumus eſſe quodDeus voluit & pro magno id juramento habemus. Cæterum dæmonas, id eſt, genios adjurare conſuevimus, ut illos de hominibus exigamus, non dejerare, ut illis honorem divinitatis conferamus*. Huius autem religioſæ Chriſtianorum obſervantiæ præclarum exemplum præbuit S. Polycarpus: nam referente Euſebio, cum tertio interpellatus eſſet a Judice, ur per *genium Cæſaris* juraret, conſtantiſſime reſpondit, *Chriſtianus ſum*, his verbis ſignificans, id quod petebatur, non eſſe ſibi licitum.

Verumtamen (ait S. Auguſtinus) *Sine ulla dubitatione minus eſt malum per Deum falſum jurare veraciter, quam per Deum verum fallaciter: quanto enim per quod juratur magis eſt ſanctum, tanto magis eſt pœnale perjurium.*

IV. Damnat Chriſtus Dominus ſuperſtitioſam illam Hebræorum perſuaſionem & conſuetudinem, qui exiſtimabant, non eſſe quidem aſſumendum nomen Dei in familiaribus juramentis; at putabant nullum eſſe crimen per quaslibet alias res jurare, puta per cœlum, per aſtra, per elementa, per parentes &c. Hanc vero erroneam perſuaſionem refellit Chriſtus D. *Audiſtis quia dictum eſt antiquis: non perjurabis: Reddes autem Domine juramenta tua. Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei eſt: neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum ejus: neque per Jeroſolymam, quia civitas eſt magni Regis: neque per caput tuum juraveris: quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum, Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt: non, non: quod autem his abundantius eſt, a malo eſt.* Quibus verbis

bis Chtiſtus non interdicit abſolute quodlibet juramentum, nam ipſemet ſæpiſſime Deum pattem ſuum in teſtem appellat divinæ ſuæ miſſionis, Joan. 8. verſ. 16. & eap. 11. verſ. 4. cum etiam plerumque ait: *Ameu, amen dico vobis* &c. Species quædam eſt juramenti. Inde eſt quod Apoſtoli, ubi res poſtulabat, juramento verba ſua confirmare non dubitarunt, ſic ad Rom. 1. v. 9. *Teſtis eſt mibi Deus* &c. & ad Galat. 1. v. 20. *Ecce corom Deo, quia non mentior* &c. Sed proſcribit jurandi conſuetudinem Judæornm qui pro re leviſſima, & citra nmnem neceſſitatem, cœlum, terram, Jeroſolymam & in ea templum & altaria, in ſuorum dictorum veritatem teſtes advocabaot; quod utique prophanum, & impium erat.

Veram autem jurandi oormam præſcribit Deus, Jetem. 4. verſ. 2. *Et jurabis: vivit Dominus, in veritate, & in judicio, & in juſtitia*: In *veritate* quidem, ut excludatut omne perjurium: in *judicio*, cum jusjurandum exigitur a Judice, aut a perſona ad id auctoritatem habente: in *juſtitia*, ad aſſerendum id quod juſtum eſt, & conducens ad Dei gloriam, & noſtram ac proximi ſalutem.

Igitur graviſſime in hoc præceptum peccant quicumque jurant ſe facturos quæ Deus vetat: aut non ſacturos quæ imperat, aut conſulit; ut declarat Philo, qui ait: „ Qui „ malum propoſitum jurejurando ſanciunt, „ quid ſanctum ſit, ignorant. Jurant ſe „ conmiſſuros fuctum, ſacrilegium, ſtuprum, „ adulterium, homicidium, aut aliquid ſi„ mile, moxque, ne petjuri habeantut, com„ mittunt; quaſi non melius, ideoque gra„ tius ſit tale perjutium, modo ſerventur „ leges per manus acceptæ a Majoribus, „ de colenda juſtitia, vittutibuſque cæteris, „ ſine quibus nec ſocietas hominum, nec „ naturæ jura poſſunt in tuto conſiſtere, „ ſive ſequatur perjurium, ſive non. Pro„ inde quiſquis juraturus jura violat, ſciat „ ſe non pejerare quidem, attamen ea peſ„ ſumdare, ad quæ conſtabilienda jusjuran„ dum inventum eſt. Addit enim culpæ, „ culpam, dum Sacramento abutitur; cum „ debuiſſet potius abſtinere a maleficiis. Ab„ ſtineat igitur, & ſupplex Deum exoret, „ ut pro ſua clementia temeritati inconſul„ tæ ignoſcat, qua ad jurandum præceps „ actus eſt; nam duplicare noxam cum te „ poſſis exonerare dimidio, maxima eſt in„ ſania vix unquam curabilis. *Hæc ille.*

Unde lib. de Decalogo prudenter admo„ net: quapropter juraturus debet omnes „ rei circumſtantias diligenter perſpicere, „ quanta ſit, quam vera, quam bene a ſe „ percepta: tum ſeipſum conſiderare, num „ purus ſit anima, corpore, lingua; illa ab „ iniquitatibus, hoc a piaculis, hæc a ma„ ledicentia. Nefas eſt enim per os, quo „ profertur nomen illud ſanctiſſimum, quic„ quam turpe progredi. Quæritur etiam „ tam loci, quam temporis opportunitas. „ Novi enim quoſdam in profanis impuriſ„ que locis, ubi nec patris, nec matris, nec „ cujuslibet honeſti viri mentionem deceret „ fieri, dejerare; & quaſi conceptis verbis „ jusjurandum texere multis Dei cognomi„ nibus, prætet omne decorum, cum im„ pietate maxima. Quod ſi cui hæc contem„ nenda videntur, ſciat ſe primo ſceleſtum „ eſſe, impurumque; dein obnoxium diris „ ultricibus per occaſionem exactutis incle„ menter pœnas debitas tantis ſceleribus: „ quas tametſi divina juſtitia non ſtatim re„ præſentet ſontibus, reddit tamen aliquan„ do cum fœnore, quando maxime id e re„ publica eſſe judicat.

Ad idem præceptum revocanda eſt Votorum obligatio; ſummus enim eſt divini nominis, divinæque Majeſtatis contemptus, aliquid vovere, & votum non implere. Unde *Deuter.* 23. *verſ.* 21. & ſequentibus, *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus, & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum &c.* His concinit Eccleſiaſtes cap. 5. verſ. 3. *Si quid voviſti Deo, ne moreris reddere: diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio. Sed quodcumque voveris, redde: multoque melius eſt non vovere, quam poſt votum promiſſa non reddere.*

Cuique liberum eſt vovere, vel non vovere; quippe cum votum ſit promiſſio libera de re bona aliunde non debita, ut colligitur ex *Deuter.* 23. v. 22. & *Act.* 5. verſ. 4. At poſtquam votum emiſeris, ſi implere valeas, nec exequaris, inſignis eſt perfidia, & in Deum contumelia. Unde Levit. 37. v. 28. ſtatuitur, *Omne quod Domino conſecratur, ſive homo fuerit, ſive animal, ſive ager, non vendetur, nec redimi poterit. Quidquid ſemel fuerit conſecratum, Sanctum Sanctorum erit Domino. Et omnis conſecratio quæ offetur ab homine, non redimetur, ſed morietur.* Res autem Deo ſic devota, hic dicitur *anathema*; quod ſic Domino eſt conſecrata, ut ad profanos uſus nunquam applicari poſſit. Et quando dicitur, *ſive homo fuerit, ſive pecus*, diſceptatio eſt inter Judæos, num etiam interficiendus ſit homo per votum anathematis Domino conſecratus. Sunt qui de ſervis atque ancillis Chananæis, Heveis, & aliis Gentibus intelligendum putent, quæ a Domino erant anathemati expoſitæ: At aliter ſentiunt alii dicentes id intelligendum de motte civili, nempe quod homo qui ſe Deo devovit, non ſit amplius ſui juris, ſed ſoli Deo ſit addictus. Qui autem valide vovere poſſint, & quorum irrita ſint vota, declaratur. *Num.* 30. *v.* 3. *& ſeq.* ubi decernitur eos omnes qui non ſunt ſui juris, vovere non poſſe, niſi de conſenſu eorum quibus ſubſunt; ut filii parentibus, uxor viro &c. ut ibidem expoſuimus.

Hoc pariter præceptum violant, qui de Deo, rebuſque ſacris minus reverenter, minuſque religioſe loquuntur: multo magis qui Deum blaſphemant; horum enim impietas ita Deum provocat ad iracundiam, ut ſeveriſſime in eos animadverterit, ut videre eſt Levit. cap. 24. v. 14. & ſeq. & quarto Reg. 19. v. 22. &c. & certe intolerabilis eſt impietas, ubi mortalis homo linguam ad celebrandas Dei laudes formatam, in ejus contumeliam exerit.

DE

DE TERTIA LEGE MORALI
ſeu de tertio Decalogi præcepto.

ETſi Deus omni die, omnique temporis momento colendus eſt, tum propter infinitam ejus majeſtatem, infinitaſque illius præcellentias, quas ſuis obſequiis nuſquam adæquare poterit ulla creatura; tum propter ingentia beneficia, quibus nos continuo cumulat: attamen ut noſtræ infirmitati & indigentiæ conſuleret, unicum in ſingulis hebdomadis divino ſuo cultui diem integrum impendendum, nempe ſeptimum, indixit: *Memento ut diem Sabbati ſanctifices*. Exod. 20. v. 8. quod aliis in locis perſæpe inculcat.

Hoc autem præceptum partim morale, partim cæremoniale eſt: *Morale* quidem, quatenus præſcribit aliquem in hebdomada diem impendendum eſſe divino cultui: *Cæremoniale* vero prout dies hic olim Judæis aſſignatus eſt ſeptimus. Unde licet in nova lege mandatum hoc perſeveret, prout morale eſt; deſiit tamen prout erat cæremoniale; & dies ille Sabbati in Dominicam diem propter myſterium Reſurrectionis ea die peractum, ab Eccleſia merito fuit commutatus.

Fuerat quidem dies ille ſeptimus jam u mundi primordiis apud homines divino cultui deſtinatus, ut antea dictum eſt; idque non obſcure indicant hæc Exodi verba, cap. 20. v. 11. quibus ratio profertur, cur potius ſeptimus, quam alius dies debeat eſſe ſacer, *Sex enim diebus fecit Dominus cælum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis ſunt, & requievit in die ſeptimo, idcirco benedixit diei Sabbati, & ſanctificavit eum:* unde Rabbi Menaſſeh. lib. de creat. problem. 8. *Certum eſt*, inquit, *eos omnes qui per traditionem a majoribus ſuis creationem mundi acceperant, etiam obſervaſſe Sabbatum.* Sed cum pro hominum ad malum proclivie, & ad cujuſvis beneficii oblivionem pronitate, hujus diei celebritas apud profanas Gentes eſſet prorſus extincta, in progenie vero Abrahæ fere obſoleta, ut deinceps inviolabilis eſſet apud Iſraelitas hujus diei obſervantia, inter ſacras leges hanc tertiam adjecit, *Memento ut diem Sabbati ſanctifices*. Dixit *memento*.

I. Ut indicaret hanc ſolemnitatem jamdudum fuiſſe in praxi, & nonniſi hominum impietate, aut ſocordia fuiſſe antiquatam; quod ne impoſterum contingeret, volebat illius renovationem Judæorum animis fore alte defixam.

II. Ut ſolemnitas illa perpetua ac frequens eſſet repræſentatio beneficii creationis, atque etiam Iſraelitarum liberationis ab Ægyptiorum Tyrannide, ut indicat Moſes, Deuteron. 5. *verſ.* 15. ubi Iſraeliticum populum alloquens ait: *Memento quod & ipſe ſervieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus in manu forti. Idcirco præcepit tibi, ut obſervares diem Sabbati.*

III. Ut eſſet ſignum initi fœderis Deum inter & ipſos *Videte* (inquit Exod. 31.) *ut Sabbatum meum cuſtodiatis; quia ſignum eſt inter me & vos in generationibus veſtris, ut ſciatis quia ego Dominus, qui ſanctifico vos.* Similia habentur apud Ezechielem cap. 20. verſ. 12. & 20.

IV. Ut eſſet ſymbolum quo ſecernerentur a cæteris nationibus. Quamvis enim Sabbati ſolemnitas, ſive ex Majorum traditione, ſive ex frequenti cum Judæis commercio, veteribus Ethnicis innotuerit: imo ſcribere non dubitaverit Philo, Sabbatum *feſtum eſſe non unius populi, religioniſve, ſed in univerſum omnium; quæ ſola digna eſt ut dicatur popularis feſtivitas, & mundi natalis.* Cui præiverat Joſephus dicens: *Neque eſt civitas Græcorum ulla uſquam, aut barbarorum, nec ulla gens ad quam ſeptimanæ, in qua vacamus, conſuetudo non pervenerit.*

Certum eſt tamen Moſis temporibus hunc diei Sabbati cultum apud Ethnicos idololatras ita fuiſſe obliteratum, ut vix ulla apud eos vigeret hujus feſtivitatis memoria. Hinc eſt quod ſolemnitatem illam ſolis Judæis propriam, certatim aſſeruerunt ſcriptores Ethnici; indeque ſumpſerunt anſam eos ſubſannandi: ita imprimis Ovidius.

Quoque die redeunt rebus minus apta gerendis
Culta Palæſtino ſeptima feſta viro.

Et Juvenalis ſatyra quarta Judæos ſuggillans, ſcribit:

Quidam ſortiti metuentem Sabbata patrem
Nil præter nubes & Cæli numen adorant.

His concinens Rutilius impudentiſſime de Judæis ſcribit:

Reddimus obſcœna convitia debita Genti
Quæ genitale caput propudioſa metit
Radix ſtultitiæ cui frigida Sabbata cordi,
Sed cor frigidius religione ſua eſt,
Septima quæque dies turpi damnata veterno,
Tamquam laſſati mollis imago Dei.

Ampliora ſi cupias, adeas Seldenum qui demonſtrat ab Ethnicis diem ſeptimum cæteris prælatum; non quod eis ſolemnis & ſacer eſſet; ſed quod ſeptenarius numerus illis eſſet in veneratione & pretio. Quod ſi qui die ſeptimo, Judæorum inſtar, feriati ſint & eorum Sabbata æmulati; dicendum eſt cum Seldeno, id factum eſſe ſub inclinantis rei Judaicæ tempora: cum nempe Judaica Gens a Romanis victa & triumphata per omnes pene mundi nationes diſperſa eſt, & una cum ſua religione diffuſa; inde enim fieri potuit ut Gentes ab eis edoctæ rationes cur iſtæ die feriarentur, eamdem religioſam obſervantiam aſſumpſerint.

Ut autem rite celebraretur Sabbatum, abſtinendum erat. I. Ab omni opere mechanico, & ſervili quamtumvis utili; unde Numer. 15. verſ. 32. Deo jubente lapidatus

datus eſt vir ille qui deprehenſus fuerat colligens ligna die Sabbati.

II. Cibos etiam parare non licebat; quamobrem admonebat Moſes Exod. 16. verſ. 23. *Requies Sabbati ſanctificata eſt Domino; erat quodcumque operandum eſt, facite: & quæ coquenda ſunt, coquite.* Hinc Exod. 35. verſ. 3. *Non ſuccendetis ignem in omnibus habitaculis veſtris per diem Sabbati;* nempe ad coquendos & parandos cibos: nam ad calefaciendum & accendendum lumen, id non erat prohibitum.

III. Licitum non erat longum iter conficere, Exod. 16. verſ. 29. *Maneat unus quiſque apud ſemetipſum, nullus egrediatur de loco ſuo die ſeptimo.* Quæ tamen ita rigide non ſunt intelligenda, ut liberum non fuerit locum mutare, ſicut interpretabantur Doſithei; qui quo in ſtatu erant initio Sabbati, in eo ad illius diei naturalis finem perſeverabant, teſte Origene. Licebat enim ad breve intervallum ambulare, nempe ad quartam leucæ gallicæ partem; tantum enim Oliveti mons diſtat ab urbe Jeroſolyma, cujus intervallum dicitur *iter Sabbati.* Actorum 1. verſ. 12. quamquam in hujus deambulationis præciſe figenda diſtantia, non conveniunt Interpretes.

IV. Fas non erat hoſtes aggredi die Sabbati: at liberum erat eis repugnare, vimque vi repellere, ut apparet exemplo Machab. lib. 1. cap. 2. idque docet Joſephus lib. 14. antiq. cap. 17. & lib. 2. de bello Jud. cap. 16.

V. Vetitum non erat ea omnia opera exercere, quæ vel pietatem, vel charitatem ſpectabant. Hinc citra peccatum parabantur omnia requiſita ad ſacrificia, ut docet Chriſtus D. Math. 13. verſ. *Die Sabbati,* inquit, *Sacerdotes in templo Sabbatum violant, & ſine crimine ſunt.* Licebat pariter infirmis ſuppeditare remedia neceſſaria, eiſque ſanitatem reſtituere, necnon & conſulere vitæ pecudum, & eis neceſſaria alimenta præbere: & ſi in puteum, vel in foveam incidiſſent, inde illas educere, ut Chriſtus D. nos docet Matth. 12. Marc. 2. Lucæ. 6. & 13. quin etiam poterant parari alimenta nedum pro infirmis, ſed etiam pro ſanis, qui antea de neceſſariis providere non potuerant; quia, inquit Chriſtus D. Marci 2. verſ. 27. *Sabbatum propter hominem factum eſt, & non homo propter Sabbatum.*

VI. Ad exactam Sabbati obſervantiam ſat non erat abſtinere ab omni opere ſervili; ſed inſuper incumbendum erat piis operibus, in quibus potiſſimum conſiſtit nedum Sabbati, ſed & aliorum feſtorum obſervantia; ut docent Hebræorum Scriptores & Magiſtri, qui aſſerunt Judæos ſolitos eſſe ſemel in hebdommada, nempe diebus Sabbati, ſacros agere conventus, ut divinorum Librorum lectioni & expoſitioni, atque ſacrificiis, & orationibus incumberent. Ita Joſephus qui ubi declarat Moſem cunctis legiſlatoribus præſtantiorem, quod non ſolum leges optimas ad mores probe pieque inſtituendos ſanxerit, ſed & eas executioni demandandas ordinaverit; inter cætera ſcribit, *In unaquaque ſeptimana, alia opera relinquentes, ad legis auditionem congregari præcepit univerſos, eamque perfecte condiſcere, quod alii legiſlatores reliquiſſe noſcuntur.*

Quanto autem ſtudio iſti mandato paruerint, apparet ex iis quæ ſubiicit, *Noſtrorum quemquam, ſi quis leges interrogat, facilius quam nomen ſuum recitat: univerſas quidem mox a primo ſenſu eas diſcentes, in animo velut inſcriptas habemus.* His ſimilia refert Philo qui ſcribit: „ Mos erat certis tempo-
„ ribus, præcipue Sabbatis, operam dare ſtu-
„ dio ſapientiæ, principe doctoris vice fun-
„ gente, præmonſtranteque officio, ſubditis
„ autem in honeſtate proficientibus, & mo-
„ res vitamque corrigentibus. Quæ conſue-
„ tudo a majoribus per manus accepta ho-
„ dieque durat apud Judæos, tempore illo
„ dicato eruditioni, contemplationique re-
„ rum naturalium. Nam deſtinata oppida-
„ tim ſacris precationibus loca (quæ *Proſeu-*
„ *chas* vulgus nominat) quid aliud ſunt,
„ quam ſcholæ, in quibus prudentia, forti-
„ tudo, temperantia, juſtitia, pietas, ſan-
„ ctitas, omniſque virtus diſcitur, quæ-
„ cumque ad humana divinaque negotia re-
„ quiritur?

Et *lib. de Decalogo:* „ quartum præceptum
„ commendat diem ſeptimam, jubens eam
„ pie ſancteque tranſigi, ... Juſſit igitur ut
„ quicumque hæc inſtituta recepiſſent, ſicut
„ in cæteris, ita in hoc quoque Deum ſe-
„ querentur, operando per ſex dies, ſeptima
„ vero interquieſcendo, vacandoque con-
„ templationi rerum, & ſtudio ſapientiæ:
„ retractando etiam a cogitatione acta præ-
„ terita & rationem eorum a ſe repoſcendo,
„ ſicubi a legum præſcripto aberratum fue-
„ rat, ut in poſterum cautiores eſſent, pro-
„ ſpicerentque ne iterum impingerent in
„ eadem offendicula.

Hæc autem pia in diebus Sabbati exercitatio adeo ſolemnis erat, ut etiam exteris innotuerit: nam Agatharcides Auctor Ethnicus productus a Joſepho ſcribit: *Qui vocantur Judæi, habitant omnium munitiſſimam civitatem, quam vocare Jeroſolymam provinciales ſolent. Hi vacare conſueti ſunt ſeptima die, & neque arma portare in iſtis diebus, neque alterius cujuſpiam curam habere patiuntur, ſed in templis extendentes manus, adorare uſque ad veſperam ſoliti ſunt.* Præclarum hujus obſervantiæ exemplum refert Syneſius epiſt. ad Evotium dicens, quod cum Judæus quidam clavum regeret navis, quam una cum plurimis aliis ipſe Syneſius conſcenderat; adveniente Sabbato illico Judæus ille clavum dimiſit, & accepto legis volumina, ac toto corpore proſtratus, ita hæſit lectioni tota nocte & die ſequenti, ut nulla vi, nulliſque minis, etiam evaginato gladio & intentata morte adduci potuerit ut ſe moveret, nedum ut clavum reſumeret, donec præteriiſſet Sabbati dies. Apparet inde quomodo religioſa Sabbati obſervantia, tandem in ſuperſtitionem degeneraverit.

His ſimilia ſunt quæ Joſephus ſcribit de Eſſenis, nempe illos diebus Sabbati ita quie-

te

te & tranquille conſiſtere, ut vas aliquod tranſponere, aut alvum purgare, crimen caiſtimarent. Doſitheus Samaritanus eo proceſſit, ut aſſereret quemcumque eiſdem in habitu, ſtatu & ſitu, in quo ineunte Sabbato fuiſſet, immotus per totam diem perſeverare debere.

Duravit hæc ſuperſtitio apud infœlicem gentem ad annum Chriſti 1220. Nam Ranulphus [a] & Volaterranus [b] ſcribunt quod cum Theuksburi Judæus in foricam delapſus eſſet, ob diei Sabbati religioſam obſervantiam ſuperſtitioſiſſimus homo noluit eatrahi: id cum Richardus de clara Comes Glovernia audiiſſet, etiam ſequente die dominico illum elevari prohibuit, unde miſer ille vel frigore, vel fœtore interiit: Hinc editum carmine colloquium illius Judæi cum Chriſtiano in probrum & deriſionem tam ſtupidæ ſuperſtitionis.

a *In Polichronic lib. 7. cap. 37.* b *Lib. 3. Geog.*

Judæus

Sabbata noſtra colo: de ſtercore ſurgere nolo.

Chriſtianus.

Sabbata noſtra quidem Salomon celebrabis ibidem.

Certum eſt autem legem de feriando die Sabbati nuſquam fuiſſe ea ſuperſtitione ſervandam. Prohibebantur opera quidem ſervilia, longæque itinerationes: at interdicta non erant ea opera, illique progreſſus, qui vel ad pietatem, vel ad ſublevandam calamitatem proximi, vel ad propriæ vitæ tutelam conducebant. Qui Sabbatum violabat, morte mulctandus erat, Exod. 31. 15. lapidibus obruendus, Numer. 15. 35.

Tandem in hoc præceptum graviſſime peccant qui ſacris templis & Deo dicatis locis debitam reverentiam non ſervant. Unde hæc duo ſimul nectit Deus, Levitici 26. 2. *Cuſtodite Sabbata mea, & pavete ad ſanctuarium meum.* Quamobrem referentibus Rabbinis, tanta erat Iſraelitarum erga templum & ſanctuarium Domini veneratio, ut 1. Nemini liceret in illud ingredi cum baculo, vel induto calceis, vel pedibus pulvere inquinatis. 2. Nulla in parte illius ſpuere. 3. Nec per illud alio tranſire. 4. Nec ab eo recedenti tergum vertere. 5. Nec in illud irruere ruminatim & cum ſtrepitu. 6. Cum altero de re qualibet loqui, niſi Dei laudes perſolvendo. 7. Nulli in eo licitum erat ſedere, niſi forte ſummo Pontifici, & Regi, ut videre eſt, 3. Reg. cap. 7. v. 18. 8. Quodlibet in illo commercium exercere: unde merito Chriſtus D. argentarios, mercatores ovium, boumque, & columbarum, etſi ſacrificiis deſtinatarum, flagello abegit e templo. Quæ omnia maximo debent eſſe pudori Chriſtianis, dum minorem templis noſtris Hieroſolymitano multo ſacratioribus minorem cultum & reverentiam exhibent.

De Sabbato annorum.

PRæter hoc dictum Sabbatum, erat etiam inſtitutum & præceptum Sabbatum annorum Exodi 23. verſ. 10. *Sex annis ſeminabis terram tuam; & congregabis fruges ejus. Anno autem ſeptimo dimittes eam, & requieſcere facies, ut comedant pauperes populi tui: & quidquid reliquum fuerit, edant beſtiæ agri: ita facies in vinea, & oliveto tuo.* Ne vero anſam haberent Iſraelitæ diffidentiæ, & querimoniæ de neceſſariis ad victum eo anno Sabbatico, huic dubio occurrit Deus, Levit. 25. verſ. 20. *Quod ſi dixeritis: quid comedemus anno ſeptimo, ſi non ſeverimus, neque collegerimus fruges noſtras? dabo benedictionem meam vobis anno ſexto, & faciet fructus trium annorum: seretiſque anno octavo, & comedetis veteres fruges uſque ad nonum annum: donec nova naſcantur edetis vetera.*

In hoc itaque anno Sabbatico quatuor erant obſervanda. I. Ceſſabat omnis agricultura, & fructuum collectio ab illius terræ & fundi dominis, ſed quæ naſcebantur ex terræ fœcunditate, publici erant juris; adeo ut quiſquis vellet, ea capere poſſet, maxime pauperes, & peregrini, ut refertur Levit. 25. verſ. 5. & 6. Voluit autem Deus terram hoc anno quieſcere, ne ſi agri aſſidue exercerentur, tandem exugeretur eorum fœcunditas, & ſteriles fierent; ut enim aliæ res, ſic & terra quiete opus habet, uti ut notat Ovidius de ponto

Quæ nunquam vacuo ſolita eſt ceſſare novali.
Fructibus aſſiduis, laſſa ſeneſcit humus.

II. Hoc anno remittebatur æs alienum mutuo comparatum, maxime iis, quibus facultas non erat reſtituendi, ut colligitur ex cap. 15. Deuter. v. 9.

III. Dimittendi erant liberi omnes ſervi Hebræi, ut præceptum erat Exod. 21. verſ. 2. *Si emeris ſervum Hebræum, ſex annis ſerviet tibi: in ſeptimo egredietur liber gratis;* Hoc autem privilegio non gaudebant ſervi ex alienigenis ſeu advenis comparati: hi enim hæreditario jure tranſmitti debebant ad poſteros uſque ad annum Jubilæi, ut ſtatuitur Levit. 25. verſ. 46 & 54.

IV. Eo anno, die decima quinta menſis ſeptimi debebat legi Deuteronomium, toto audiente populo, ut præcipitur Deuter. 31. verſ. 10. & 11.

Licet autem iſto anno terra non ſereretur, nec meteretur; attamen ſua cum ex nativa ubertate fruges & fructus aliquos produceret, non minus fieri debebant ſolitæ oblationes, ſive manipuli die 16. primi menſis, ſive panum primitiarum in die Pentecoſtes e recentis tritici farina &c. poterant enim hæc comparari ex frugibus e terræ ubertate, & granis ex priori meſſe deciduis eo anno exortis.

Ad decimas quod ſpectat, non debebant, nec poterant illo anno perſolvi: ſed cum anno præcedente ex ſpeciali Dei benedictione fruges duplicarentur, etiam duplicatas Sacerdotes habebant decimas; ac proinde eis abunde ſicut & aliis ſuppetebat, unde viverent illo anno Sabbatico, ut antea dictum eſt.

De anno Jubilæo, ſeu de maximo Sabbato.

ANnus Jubilæus, ſeu maximum Sabbatum, erat quinquageſimus quiſque annus magna ſolemnitate celebrandus, ut præceperat Deus, Levit. 25. v. 8. Ubi cum præcepiſſet ſervandum eſſe Sabbatum annorum, addit: *Numerabis quoque tibi ſeptem hebdomadas annorum, id eſt, ſepties ſeptem, quæ ſimul faciunt annos quadraginta novem: & clanges buccina menſe ſeptimo, decima die menſis, propitiationis tempore in univerſa terra veſtra, ſanctificabiſque annum quinquageſimum, & vocabis remiſſionem cunctis habitatoribus terræ tuæ; ipſe eſt enim Jubilæus.* Quibus verbis tria præſertim ſignificantur. I. Quinquageſimum annum eſſe ſolemniter, & magna cum pietate, & lætitia celebrandum.

II. Hunc annum quinquageſimum computandum eſſe a decima die menſis ſeptimi, hoc eſt, a die feſto Expiationis; nimirum, ut quo die Iſraelitæ veniam peccatorum ſuorum & ſpiritualium debitorum remiſſionem flagitarent, eodem etiam fratrum ſuorum debita relaxarent.

III. Hoc enim anno fieri debebat omnium debitorum, & obligationum perfecta remiſſio, tum realium in bonis, cum perſonalium in ſervis. Unde dicebatur *annus Jubilæi*, hoc eſt, annus remiſſionis, & libertatis. Id enim proprie ſignificat vox *Jubilæus* juxta Joſephum, cui ſubſcribunt S. Hieronymus in tertium caput Iſaiæ, *Jubilæus*, inquit, *eſt remiſſionis annus*; & Theodoretus qui ait, *Statuit ut annus Jubilæus cum ceſſatione celebretur, quod quidem nomen remiſſionem, ac libertatem ſignificat.*

Erant autem in anno Jubilæi eadem ſervanda quæ in anno Sabbatico. I. Non erat in eo ſerendum, neque metendum, & quæ ſponte naſcebantur, dimitti debebant, Levit. 25. verſ. 11. *Non ſeretis, neque metetis ſponte in agro naſcentia.* II. Servi dimittendi erant liberi, non ſolum ex Iſraelitis, ut fiebat in anno Sabbatico, ſed etiam ex exteris comparati: *Vocabis remiſſionem cunctis habitatoribus terræ tuæ*, verſ. 10. III. *Anno Jubilæi redient omnes ad poſſeſſiones ſuas*, verſ. 13. Unde in Jubilæo fiebat multo major relaxatio, quam in anno Sabbatico; in hoc enim poſſeſſiones & fundi ad proprios dominos non revertebantur, ſicut in Jubilæo; nempe ut cuique Tribui, & familiæ primitus aſſignata terræ diſtributio ſervaretur, nec poſſeſſiones diverſarum Tribuum permiſcerentur; aut ſi quando fuiſſent permixtæ, priſtinum in ſtatum in anno Jubilæi revocarentur.

Præter has diſtinctas Sabbati appellationes erant, & aliæ etiam in novo Teſtamento commemoratæ; nempe SABBATUM MAGNUM, & SABBATUM SECUNDO PRIMUM. Primum indicat S. Joannes cap. 19. verſ. 31. ubi refert Judæos petiiſſe a Pilato ut tam Chriſti D. quam duorum cum eo crucifixorum frangerentur crura, ne ipſorum *remanerent in cruce corpora Sabbato*, addit: *Erat enim magnus ille dies Sabbati.* Hoc eſt, Sabbatum Paſchale jam incipiens, nempe dies Veneris majori ex parte exacta; ut communiter exponunt Interpretes.

At major eſt difficultas de *Sabbato ſecundo primo*, cujus meminit S. Lucas cap. 6. *Factum eſt autem*, inquit, *in Sabbato ſecundo-primo, cum* (Jeſus) *tranſiret per ſata, vellebant ejus diſcipuli ſpicas* &c. S. Hieronymus Epiſt. ad Nepotianum ſcribit, quod cum ea de re conſuluiſſet S. Gregorium Nazianzenum, hic, quod forte non haberet quid ex tempore reſponderet, difficultatem joco eluſit dicens: *Docebo te apud populum, ubi acclamantibus, & applaudentibus velis, nolis, cogeris aſſentiri nobis.* S. Chryſ. Sabbatum *Secundo primum* putat eſſe feſtum immediate ſequens feſtum Paſchatis; Judæi enim quodlibet feſtum ſolebant appellare *Sabbatum*; hæc ſiquidem vox quietem in feſtis ſervandam ſignificat: ut ſit ſenſus, Chriſtum D. ambulaſſe per ſata die primi Sabbati feſtum Paſchatis conſequentis, quod nimirum primum eſſet reſpectu ſuccedentium feſtorum & Sabbatorum; & primum ſequens feſtum Paſchatis, quod, inquiunt, contingere ſolebat ſexta die hebdomadæ, quem diem Veneris appellamus. Verum vix aut raro Paſchatis feſtum incidebat in diem Veneris, ac proinde Sabbatum ſequens conſtanter dici non potuit ſecundo primum,

II. Iſto nomine nonnulli putant ſignificari feſtum Pentecoſtes, quod ſecundum erat inter tria maxime ſolemnia, nempe Paſcha, Pentecoſtes, & feſtum Tabernaculorum; idque ſuadetur ex eo quod illo tempore meſſis eſſet matura, & grana e ſpicis facili negotio poterant excuti. *Verum* cum notiſſimum eſſet nomen *Pentecoſtes*, non aliud uſurpaſſet Evangeliſta ad feſtum iſtud deſignandum. *Deinde* ſolemnior erat ille dies, ut Chriſtus cum Apoſtolis per ſata deambularet. *Inſuper* veroſimile non eſt die adeo ſolemni, & in quo Judæi abunde epulari ſolebant, Apoſtolos tanta fame fuiſſe ſtimulatos, ut ad illam ex parte ſedandam coacti ſint grana e ſpicis evellere.

Itaque omiſſis aliorum ſententiis, probabilius dicendum arbitror per *Sabbatum ſecundo-primum*, intelligendum eſſe diem immediate Sabbatum ſequentem, quem ordinarie Judæi appellabant *primam Sabbati*, ut conſtat ex Matth. 28. v. 1. quin etiam ſolebant ſingulos dies hebdomadæ, Sabbatum nominare. Unde Lucæ 18. Phariſæus ille gloriabatur ſe jejunare *bis in Sabbato*, hoc eſt,

duo-

duobus in hebdomada diebos: & Levit. 23. Jubet Deus Iſraelitis ut numetent a prima die oblatarum primitiarum *ſeptem Sabbata*, hoc eſt, ſeptem hebdomadas ad feſtum Pentecoſtes.

Hinc *Marci* 16. *verſ.* 2. & *Joannis* 20. *verſ.* 19. Primus dies hebdomadæ dicitur *una Sabbatorum*; non quod omnes hebdomadæ dies eſſent proprie dicta *Sabbata*, in quibus ab omni opere ſervili eſſet fetiandum; talis enim ſolus erat ſeptimus; ſed quod ab illo ſeptimo ſolemni die denominationem acciperent, dicerenturque *prima*, vel *una* Sabbati, *ſecunda* Sabbati, *tertia* Sabbati &c. tanta videlicet erat illius diei Sabbati celebritas, tanta veneratio, ut alii dies ab illo, velut a fonte rivuli, nomen & originem ducere cenſerentur.

Hic prætereundum non eſt quæ Joſephus narrat de fluvio Sabbatico: „ Titus, *inquit*, „ aliquandiu quidem Beriti commorabatur: „ inde autem reverſus & per omnes quas „ obiret Syriæ civitates, magnificentiſſima „ celebrans ſpectacula, Judæorum captivis „ ad oſtentationem cladis eorum abutebatur. Conſpicit autem in itinere fluvium „ cognitione digniſſimum. Is fluit medius „ inter Arcas & Raphaneas Agrippæ regni „ civitates. Habet quoddam peculiare miraculum. Nam cum ſit quando fluit plurimus, neque meatu ſegnis; tamen interpoſitis ſex diebus a fontibus deficiens, ſiccum exhibet locum videre. Deinde quaſi „ nulla mutatione facta ſeptimo die ſimilis „ exoritur atque hunc ordinem ſemper eum „ obſervare pro certo compertum eſt. Unde etiam *Sabbaticus* appellatus eſt, a ſacro Judæorum ſeptimo die ſic nominatus. Huius pariter fluvii meminit Plinius, ſed differt a Joſepho, ait enim lib. 31. hiſtor. natural. cap. 2. *In Judæa fluvius Sabbatis omnibus ſiccatur*. Hinc Judæi colligunt Deum hoc naturali & argumento homines docere Sabbatum eſſe perpetuo ſervandum.

Verum ait Galatinus: „ Quemadmodum „ fluvius ille fictus obſervandi Sabbati ſignum fuit, cum in tota hebdomada lapides trahendo flueret in Sabbatis quieſceret, ut ipſi fabulantur: ita quoque nunc „ eſt Sabbati non obſervandi efficax contra „ eos argumentum; cum nuſquam ſub cœlo „ ſit nunc fluvius qui magis in Sabbatis „ quam cæteris diebus quieſcat. Per univerſum namque orbem mercatores diſcurrunt, qui ſicuti ab extremis terris advehunt medicinalia variaque pigmenta ita „ tantum quid ſi verum eſſet, ſibi invicem „ narrarent. Fateor quidem tunc ejuſmodi „ fluvium forte extitiſſe. Nunc autem nemo eſt qui ipſum vel vidiſſe ſe dicat, „ vel ab aliquo viſum fuiſſe referat. Quare iſtiuſmodi fluvium dicere nunc eſſe, & „ figmentum & mendacium merito dicendum eſt. Neque etiam Joſephus, neque „ Plinius, dicunt eum in Sabbatis quieviſſe, ut iſti afferunt. Sed quod futuram „ Sabbati defectionem & ſectionem portendebat, quod ſcilicet illo die ulterius venerandum non eſſet. *Ita Galatinus*.

Neque vero opus erat hoc naturali ſymbolo & argumento ad ſuadendam Judæis Sabbati obſervantiam cum ex Scriptura ſacra innumeris propemodom oracolis apertiſſime illa ſtatuatur, ut ſacros Veteris Teſtamenti codices legenti conſtabit.

DE QUARTA CAPITALI LEGE MORALI
ſeu de quarto Decalogi præcepto.

JAm dictum eſt decem capitalia Dei mandata pro ratione objectorum diſtribui in duas tabulas, in quorum prima continentur ea quæ ſpectant Dei cultum internum, & externum: in ſecunda vero quæ proximum reſpiciunt, docentque imprimis quid ſpecialiter debeamus ſuperioribus tam natura, quam dignitate, beneficio & mandato. *Natura* quidem, puta parentibus, cum ait, *honora patrem tuum, & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram*. Seu, ut fertur Deuter. 5. verſ. 16. *ut bene ſit tibi in terra*. In quibus verbis tria maxime veniunt notanda.

I. Immediate, & proxime poſt Deum colendos eſſe genitores noſtros, quod eorum opera uſus fuerit Deus, ut nobis vitam largiretur. Unde nobis ſunt vice Dei, qui ſua fœcunditate nos procreent, ſtudiis foveant, prudentia gubernent, eumque in ſtatum nos promoveant, in quo divina affulgente gratia, pie, probeque vivendo æternam fœlicitatem poſſimus promereri.

II. Cultum eis exhibendum triplicem. I. Ut reverenter eos obſervemus tamquam Dei erga nos vicarios, quos ſuæ auctoritatis & dignitatis voluit eſſe participes, ſacrumque ſibi peculiare *Patris* nomen ſingulari beneficio eis indulſit: ut ſignificaret eorum contemptum in ipſius contumeliam redundare; nec ab ullo ſuos poſſe ſperni genitores, ſine quodam ſacrilegio. Unde Eccleſiaſt. 3. verſ. 8. *qui timet Dominum, honorat parentes, & quaſi Dominus ſerviet his qui ſe genuerunt*. II. Ut in omnibus pareamus eorum imperio, ubi non obſtat Dei mandatum; *Filii* (ait S. Paulus ad Epheſ. 6. verſ. 1.) *obedite parentibus veſtris in Domino*; præſunt quidem liberis parentes, verum ſub ſummo Dei imperio.

Unde non ſimpliciter hortatur Apoſtolus, ut filii parentibus ſint obſequentes, ſed reſtrictione addita, *in Domino*: quo ſignificat ſi quid pater contra mandatum Dei injungat, obedientiam libere negandam; ita enim divina lex filios parentibus ſubjicit, ut Deo jus ſuum illibatum maneat. Hinc Chriſtus D. *qui amat patrem ſuum, & matrem ſuam, pluſquam me, non eſt me dignus*.

III. Ut filii parentum ſuorum curam gerant, & ad omnia obſequia prompti ſint, & ſeduli. Unde Eccleſ. 7. verſ. 29. *In toto corde tuo honora patrem tuum, & gemitus ma-*

matris tuæ ne obliviſcaris: memento quoniam niſi per illos natus non fuiſſes, & retribue illis, quomodo & illi tibi. Deteſtabilis certe barbaries eſt, & execranda filiorum ingratitudo, qui parentibus egentibus opem ferre, & inopiam levare, vel gravantur, vel negligunt.

Declarat iſta Philo egregie qui cum dixiſſet *præceptum de honorandis parentibus ſitum eſſe in duarum tabularum confinio, & cum in prima ſit ultimum, conjungit ambas, priori ſecundam applicans; quia parentum natura videtur mortalis & immortalis eſſentiæ confinium: mortalis propter cognationem cum hominibus & cæteris animantibus & propter corpus corruptibile; immortalis vero, quia gignendo refert Deum genitorem omnium.*

Cumque improbaſſet triplex hominum genus, quorum aliqui pleni pietatis deſiderio, relictis aliis negotiis totam vitam dedicant divino cultui & parentum curam negligunt; nonnulli ſolam curant ſocietatem hominum, bona ſua cum quibuslibet communicantes liberaliter, & mala illorum ſublevantes pro viribus: alii vero qui nec de hominibus benemerentur, nec pietatem ſanctitatemque ſuſpiciunt qui poſſunt videri mutati in ferarum ingenium; adjungit, *inter quos primas ferent, qui parentes ſuos negligunt, utriuſque partis hoſtes, tum ejus quæ Deo, tum ejus quæ hominibus ſe approbare vult. Sciant igitur ſe damnatos pro duobus tribunalibus, quæ ſola ſunt naturalia:* IMPIETATIS, *apud divinum, quod ſecundos poſt Deum auctores vitæ ſuæ non tractant ex officio:* INHUMANITATIS *vero apud humanum: cui enim benefacient, qui proximos & optime de ſe meritos vilipendunt, quibus nulla poteſt referri gratia non inferior acceptis beneficiis! quomodo enim natus genitorem ſuum poterit viciſſim gignere?*

Etſi nomen paternum ſua dulcedine atque naturæ impulſu rationiſque dictamine ſatis ad obſequii promptitudinem filios allicere debet; attamen quo alacrius ad hoc officium præſtandum liberi ſe compararent, adiicit Deus iſtius obſequii remunerationem; nimirum longævitatem: ideo ſanctus Paulus ad Epheſios 6. verſ. 2. dicit hoc mandatum *primum eſſe in promiſſione: ut bene ſit tibi, & ſis longævus ſuper terram;* quibus verbis non tantum vitæ diuturnitas, ſed aliæ quoque bonorum aliorum acceſſiones promittuntur: & experientia quidem conſtat plurimos qui erga parentes impii & ingrati fuerunt, vitam quidem protrahere; ſed non aliter quam in pœnam, dum ipſis merces inhumanitatis a filiis ſuis rependitur, plurimiſque vexantur calamitatibus. Quod ſi nonnullis erga parentes officio pietatis defunctis interdum non contingat vitæ diuturnitas; irritas tamen ſuas non facit Deus promiſſiones, quia fideles qui in terra privati fuerint caducis beneficiis, meliorum in cœlis repoſitam habent compenſationem.

Accedit quod ſi Deus illis longævitatem non concedit, aliis tamen beneficiis eos cumulat; ut docet Eccleſiaſticus cap. 3. v. 5. & ſequentibus, ubi ait: *Sicut qui theſaurizat, ita & qui honorificat matrem ſuam. Qui honorat patrem ſuum, vita vivet longiore: & qui obedit patri, refrigerabit matrem.* Ad hoc autem beneficium conſequendum plurimum conducit parentum benedictio; quamobrem illam enixis precibus, & votis exquirebant Patriarcharum filii, ut conſtat exemplo Eſau & Jacob: infauſta vero, maximeque metuenda eorum imprecatio; unde idem Eccleſiaſticus verſ. 11. addit: *Benedictio patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris eradicat fundamenta.* Et præiverat Salomon Proverb. 19. v. 26. *Qui affligit patrem, & fugat matrem, ignominioſus eſt, & infœlix.*

Idipſum confirmant omnia filiis erga ſuos parentes ingratis, debitumque honorem & obſequium eis denegantibus a Deo repoſita & intentata ſupplicia. Nam Deuter. cap. 21. verſ. 18. & ſeq. jubet Deus, ut filius inobediens, a patre, & matre caſtigatus, nec emendatus, denuntietur ſenioribus; quorum ſententia ab omnibus ejuſdem loci incolis lapidibus obruatur. Exod. 21. verſ. 15. *Qui percuſſerit patrem ſuum, aut matrem, morte moriatur.* Et verſ. 17. *Qui maledixerit patri ſuo, vel matri, morte moriatur.* Unde præclare S. Ambroſius: *Honoret pius patrem, propter gratiam; ingratus propter timorem.*

Ad hoc idem præceptum revocanda obedientia, & reverentia exhibenda Sacerdotibus, ſacriſque Miniſtris, ſunt enim noſtri patres ſpirituales. Unde Deus, Deuteronomii 17. verſ. 12. *Qui ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto judicis morietur homo ille.* Et Eccleſiaſtici cap. 7. verſ. 31. *In tota anima tua time Dominum, & Sacerdotes illius ſanctifica in omni virtute tua: dilige eum qui te fecit; & miniſtros ejus ne derelinquas: honora Deum ex tota anima tua: & honorifica Sacerdotes.*

Neque huic exhibendæ reverentiæ obſtare debet quorumdam Sacerdotum minus probe vivendi genus: nam, inquit Chriſtus Dominus, ſpectanda eſt eorum doctrina, non vero agendi ratio, *Omnia*, inquit, *quæcumque dixerint vobis, ſervate, & facite: ſecundum vero opera eorum nolite facere.* Fateor quidem quod quemadmodum docet Apoſtolus 1. ad Timoth. verſ. 17. *Qui bene præſunt præſbyteri, duplici honore haberi debeant,* maxime *qui laborant in verbo & doctrina*; verum a ſuæ dignitatis moribus degeneres, non propterea ſpernendi ſunt; & ſi in illis non veniat honoranda vitæ ſanctitas, venerandus tamen in eis ſacerdotalis caracter, quo Chriſti Domini Sacerdotii participes fiunt.

Ad hoc pariter præceptum revocandus eſt honor impendendus Principibus, Judicibus, aliiſque in poteſtate conſtitutis. Quemadmodum enim patribus debetur honor, quia Deus in ſocietatem paterni nominis eos aſcivit: ita hi Deum repræſentant, tanquam illius Legati, aut Vicarii. Hinc nomine *Dei* illuſtrantur, Exod. 22 verſ. 28. *Diis non detrahes, & Principi populi tui non maledices.* Idque confirmat Chriſtus Dominus, Joan. 10. verſ. 34. de Judicibus, & Principibus ex-

exponit illud Pſalmo 82. *Ego dixi, Dii eſtis, & filii Excelſi omnes:* quibus conſonant hæc Pſalmi 81. *Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio Deorum dijudicat.*

Illuc etiam revocandus eſt honor impendendus ſenibus, ut jubet Deus Levit. 19. verſ. 32. *Coram cano capite conſurge, & honora perſonam ſenis.* Unde Eccleſiaſticus cap. 8. verſ. 7. & ſequentibus *ne ſpernas hominem in ſua ſenectute... & ne deſpicias narrationem ſeniorum ſapientium, & in proverbiis eorum converſare. Ab ipſis enim diſces ſapientiam, & doctrinam intellectus, & ſervire magnatis ſine querela. Non te prætereat narratio ſeniorum. Ipſi enim didiſcerunt a patribus ſuis: quoniam ab ipſis diſces intellectum, & in tempore neceſſitatis dare reſponſum*, qui in hoc deficiunt, divinam in ſe iram provocant, *Deuter.* 28. 50. fiuntque Ethnicis deteriores. Lycurgus enim Lacedemonum legislator honorem non divitibus, aut potentibus; ſed pro gradu ætatis, ſenibus tribuendum eſſe indixit, unde vetus Poeta

Magna fuit quondam capitis reverentia cani
In quo ſuo pretio cura ſenilis erat.

Apud Judæos *ſenes* cenſebantur qui erant ſexagenarii; *cani* vero ſeptuagenarii.

DE QUINTA LEGE MORALI
ſeu de quinto Decalogi præcepto.

HOc capitali præcepto prohibetur omnis injuſta læſio inferenda vitæ proximi: quo autem ab aliis violentiæ ſpeciebus facilius caveatur, illam hic expreſſe proponit Deus, a qua naturaliter omnes abhorrent, dicendo, non occides: homicidium enim naturali inſtinctu omnes execrantur, & belluinam feritatem ſapit humani ſanguinis effuſionem habere in deliciis. Expreſſit alibi Deus, nempe Geneſ. 9. verſ. 6. rationem propter quam homines ab aliorum cædibus deterret, nimirum, ne violetur ejus imago ſingulis hominum cordibus impreſſa.

Quatuor vero ſunt hujus præcepti partes, *prima* ne quem vexemus ac opprimamus, neve ſimus aliis offenſi & moleſti. *Altera* ut pro viribus adjuvemus eos qui inique premuntur, obſiſtam uſque improbis ne pro ſua voluntate aliis noceant. *Tertia* ut egentibus famelicisque ſubminiſtremus ſubſidia & alimenta neceſſaria: ſi quis enim nobis conſciis, fame aut egeſtate pereat, illius mortis rei ſumus, dicente S. Ambroſio, *quem non paviſti, occidiſti. Quarta* ne oderimus proximum. Nam, ait S. Joann. 1. epiſt. cap. 3. verſ. 15. *Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.* Unde ad hujus præcepti obſervantiam, non ſufficit ne quis manu, aut gladio proximum impetat; ſed ultra requiritur ne malevolentiam & odium intus fovendo, ad nocendum pronus ſit, unde Levit. 19. verſ. 17. *Ne oderis fratrem tuum in corde tuo* &c.

Pari ratione ibidem prohibentur rixæ, contumeliæ, & injuriæ quæ animum exacerbant, & provocant ad vindictam. Unde Chriſtus D. Matth. 5. verſ. 22. hujus legis tranſgreſſores pronuntiat, non modo eos, qui proximum occiderint, aut percuſſerint, ſed etiam reum fore coram judicio, qui fratri ſuo temere iraſcitur; qui vero dixerit *Racha*, arguendum eſſe coram Concilio; qui autem dixerit *fatue*, applicandum eſſe gehennæ ignis; nimirum ut ſignificet prohibitam eſſe omnem injuriam & contumeliam.

Huc etiam ſpectat illud Levit. 19. verſ. 14. *Surdo non maledices, nec pones coram cæco offendiculum.* Nam ſurdis inſultare non minus abſurdum eſt, quam convitiis lapides inceſſere: cæcis autem offendicula ponere ut præcipites ruant, vel eos aberrantes in viam non reducere, barbarum eſt, & prorſus inhumanum.

Etſi vero hoc præcepto prohibetur homicidium; nihilominus licet alium occidere. I. Qui principum, vel magiſtratus ſententia reus mortis judicatus eſt. Juſtum enim eſt putridum reipublicæ membrum reſecare, ne totum corpus pereat.

II. In legitimo bello, nempe pro tuenda aut propaganda vera religione, ſuſcepto; vel pro patriæ, aut regni incolumitate & tranquillitate ſervanda, aut reſtituenda, aliiſque motivis de jure probatis; neque enim Chriſtianis interdicitur bellum gerere, ut quidam fanatici hariolantur. *Nam* (inquit S. Auguſtinus) *ſi Chriſtiana diſciplina omnia bella culparet, hoc potius militibus conſilium ſalutis petentibus in Evangelio diceretur, ut abiicerent arma, ſeque omnino Militiæ ſubſtraherent. Dictum eſt autem eis* (Lucæ 3. verſ. 14.) NEMINEM CONCUTIERITIS, NULLI CALUMNIAM FECERITIS, *ſufficiat vobis ſtipendium veſtrum. Quibus ſtipendium proprium ſufficere debere præcepit, militare utique non prohibuit.*

Cauſas declarandi, & ineundi legitimi belli egregie declarat Lyranus noſter ad caput 31. *Num. v.* 8. his verbis: „ Sciendum,
„ *inquit*, quod juſtum bellum invenitur mo-
„ tum in ſacra Scriptura a pluribus cauſis.
„ 1. Contra terram in qua Deus blaſphe-
„ matur per Idololatriam, ut habetur *Deut.*
„ 12. ſubvertite omnia loca in quibus co-
„ luerunt, quæ poſſeſſuri eſtis, Deos ſuos.
„ 2. Si a Dei cultu recedatur, *Deut.* 13. ſi
„ audieris in una urbium tuarum dicentes
„ aliquos &c. 3. Si fidelitas temporalis Do-
„ mini deſeratur: 4. *Reg.* 3. de Joram &
„ Joſaphat, qui moverunt bellum contra re-
„ gem Moab. 4. Si rebellio moveatur: 2.
„ *Reg.* 20. contra Sebam filium Bochri. 5.
„ Si malefactor deffendatur: *Judic.* 20. de
„ bello moto contra Gabaa. 6. Si injuria
„ publica principi irrogatur: 2. *Reg.* 10. de
„ bello David contra regem Ammon, qui
„ fecit radi barbas nuntiorum David in con-
„ temptum ejus. 7. Si propria res repeta-
„ tur: 2. *Reg.* 3. de bello David contra Iſ-

boſeth

„ boſeth repetendo Regnum quod ſibi datum erat a Deo. 8. Ut hoſtis repellatur: 2. *Reg.* 8. de bello David contra Philiſtæos. 9. Ut hoſtis inſurgens in ſuis propriis oppugnetur: *Num.* 21. de bello filiorum Iſrael contra Seon & contra Og, reges Amorræorum. 10. Contra illum per quem hoſtis roboratur: 2. *Reg.* 8. de bello David contra Syriam Damaſci, eo quod ferebat auxilium Abadezer. 11. Ut amicus ab hoſtibus eripiatur: *Gen.* 14. de bello Abræ contra Reges qui captivaverant Loth nepotem ſuum, 12. Si tyrannis a Præſidente exerceatur; 1. *Mutth.* de bello Machabæorum contra Antiochum illuſtrem. *Hactenus ille.*

III. Alium occidere licet pro conſervanda vita propria, *Cum moderamine inculpatæ tutelæ*; hoc eſt, dummodo hæ tres adſint conditiones. *Prima* ut interſector nec fugere poſſit, nec aliter ſibi conſulere, niſi vim vi repellendo. *Secunda* ut in adverſarium non inſiliat animo vindictæ, & ulciſcendæ injuriæ. *Tertia* ut priuſquam lethale vulnus infligat, conetur adverſarium levioribus plagis exarmare.

IV. Furem nocturnum, & in domum vi aut arte irrumpentem, ut ſtatuitur Exodi 22. *Si effringens fur domum, ſive ſuffodiens fuerit: inventus, & accepto vulnere mortuus fuerit: percuſſor non erit reus ſunguinis: quod ſi orto ſole fecerit, homicidium perpetravit, & ipſe morietur.* Quibus verbis aperte declaratur nocturnum furem licite poſſe occidi, diurnum vero minime: cujus diſparitatis ratio triplex eſt. 1. Quia neſcitur qua intentione fur nocturnus veniat, an ad furandum tantum, an vero ad occidendum, 2. Quia fur nocturnus non poteſt agnoſci; quo fit ut rei ablatæ Dominus, illam in judicio repetere non poſſit. 3. Quia furi nocturno non poteſt quis ita facile occurrere, ac diurno; ad hunc enim repellendum advocare poteſt auxilium domeſticorum, & vicinorum; non ita vero quando quis noctu domum invadit: ut jam dictum eſt ad præfatum Exodi caput.

Attamen diurnum furem cum armis aggredientem etiam citra culpam occidi poſſe docet S. Auguſtinus, quæſt. 84. in Exod. ubi divinam hanc legem expendens, ait: „ Hoc in legibus antiquis ſæcularibus, quibus iſta eſt antiquior, invenitur (nempe in XII. tabulis) e quibus hæc ipſa lex profertur (a Cicerone in oratione pro Milone) impune occidi nocturnum furem, quoquo modo; diurnum vero, ſi telo ſe defenderit; jam enim plus eſt quam fur.

Etſi vero hanc furis aliorumque adverſariorum occiſionem titulo defenſionis propriæ vitæ licitam eſſe cenſeat S. Auguſtinus: nihilominus exiſtimat conſultius eſſe viro chriſtiano mortem pati, quam inferre. Nam in epiſtola ad Publicolam quæ in nova Editione eſt ordine 47. *De occidendis hominibus*, inquit, *ne ab eis quiſquam occidatur, non mihi placet conſilium, niſi forte ſit Miles aut publica functione teneatur, ut non pro ſe hoc faciat, ſed pro aliis, vel pro civitate ubi etiam ipſe eſt, accepta legitima poteſtate, ſi ejus congruit perſonæ.* Ad quæ verba perdocte hæc annotant recentis operum S. Auguſtini editionis accuratores, quid ſibi de hac re videretur jam alias aperuerat S. Auguſtinus: „ Ubi demum Evodii ſententiam comprobavit, eos videlicet apud divinam providentiam haudquaquam peccato eſſe liberos, qui pro iis rebus quas contemni oportet, humana cæde polluti ſunt.

Imbibit iſtam doctrinam propinante S. Ambroſio hiſce verbis: *Non videtur quod Chriſtianus & juſtus & ſapiens quærere ſibi vitam aliena morte debeat; utpote qui etiamſi in latronem armatum incidat, ferientem referire non poſſit, nedum ſalutem defendit, pietatem contaminet.* Hauſit etiam ex S. Cypriano qui abſolute pronuntiat. *Occidere non licet, ſed occidi neceſſe eſt:* & in epiſt. 57. *occidere innocentibus nec nocentem liceat.* S c illo.

Itaque ex horum SS. Patrum doctrina videtur licitum non eſſe homini propriam vitam & fortunam tuenti aggreſſorem interficere, ſed potius illatam ab eo mortem pati; idque ſuadere videtur Chriſtus Dominus dum Petro gladium educenti ut feriret eos, qui cum Juda proditore in hortum acceſſerant, ait Matth. cap. 26. verſ. 52. *Converte gladium tuum in locum ſuum; omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt,*

Permittunt quidem humanæ leges vim vi repellere; nec pœnam decernunt in eum, qui vitæ ſuæ inſidiantem occiderit; at inquit ibidem S. Auguſtinus *videtur lex iſta quæ regendis civitatibus fertur, multa concedere, atque impunita relinquere, quæ per divinam tamen providentiam vindicantur & recte: neque enim quia non omnia facit* (humana lex) *ideo quæ facit, improbanda ſunt.*

Verum iſta SS. Patrum dicta potius videntur intelligenda de conſilio, quam de præcepto: ita quod perfectius quidem ſit, magiſque conſentaneum Evangelicæ doctrinæ mortem ab aggreſſore pati, quam ei inferre, quo ſenſu Chriſtus D. Matth. 5. cum imperaſſet diligendos inimicos, & orandum pro perſequentibus & calumniantibus nos, addit verſ. 39. & 40. *Ego autem, dico vobis, non reſiſtere malo: ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Et ei qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Quæ verba expendens S. Auguſtinus præfata epiſt. ad Marcellinum, ait, his prohiberi quidem animum vindictæ, non vero juſtam & legitimam defenſionem: ſuaderi patientiam & conſtantiam in tolerandis perſecutionibus & injuriis; non tamen interdici, ne quis ſibi, ſuiſque debito modo conſulat.

Cum autem dixiſſet, *cavendum eſt ne vindicandi cupiditate amittatur ipſa patientia, quæ pluris eſt habenda, quam omne quod poteſt etiam invito inimicus auferre:* Inde colligit, *Paratus itaque debet eſſe homo juſtus & pius patienter eorum malitiam ſuſtinere; quos fieri bonos quærit, ut numerus potius creſcat bonorum; non ut pari malitia ſe quoque numero addat malorum. Poſtmodum* ad-

dic

dit Num. 13. *Iſta præcepta magis ad præparationem cordis, quæ intus eſt, pertinere; quam ad opus quod in aperto fit, teneatur in ſecreta animi patientia cum benevolentia; in manifeſto autem id fiat, quod eis videbitur prodeſſe poſſe, quibus bene velle debemus*. Hoc eſt, ſervanda quidem in perſecutionibus & injuriis patientia & animi moderatio; verum non negligenda juſta defenſio. Quod confirmat exemplo Chriſti D. qui alapa percuſſus a Malcho, non præbuit percutienti alteram maxillam, *Sed*, inquit S. Aug. *prohibuit, ne qui fecerat injuriam, augeret*. Addit exemplum ſancti Pauli, qui percuſſus in faciem juſſu principis Sacerdotum, *Act.* 23. *verſ.* 3. dixit ei, *Percutiet te Deus, paries dealbate: ſedes judicans me ſecundum legem, & contra legem jubes me percuti*.

Inde concludit, „ Sunt ergo iſta præcepta
„ patientiæ ſemper in cordis præparatione
„ retinenda, ipſaque benevolentia ne reddatur malum pro malo, ſemper in voluntate
„ complenda eſt. Agenda ſunt autem multa,
„ etiam cum invitis benigna quadam aſperitate plectendis; quorum potius utilitati
„ conſulendum eſt, quam voluntati.

Ex his apparet quantum hallucinentur ii qui ex prætatis S. Auguſtini verbis exiſtimant non eſſe licitum homini Chriſtiano ab injuſtis & violentis aggreſſoribus ſeſe tutari; ſolaque in iis occaſionibus patientia eſſe utendum. Id quidem ſalutare eſt, ſed non abſolute præceptum: nam ipſa lege naturali conſtat vitam noſtram vitæ proximi eſſe anteponendam; ubi cætera ſunt paria; hoc eſt, ubi non agitur de ipſius proximi æterna ſalute; in illo enim caſu, certum eſt potius vitam noſtram corpoream eſſe profundendam, ut ſalvetur proximus, quam ut ejus ſervandæ cauſa, ille in æternum pereat.

Has ergo cenſeo, juxta præſcriptum charitatis & juſtitiæ chriſtianæ, ſervandas eſſe regulas. I. Ut vita noſtra corporea & ſpiritalis anteponatur utrique vitæ proximi, quem diligere debemus *ſicut nos*, non *pluſquam nos ipſos*, niſi ex charitatis exceſſu, quo cupiebat S. Paulus Anathema fieri pro fratribus. II. Ut vita ſpiritualis ſeu vita æterna procuranda proximo præferatur vitæ noſtræ corporeæ, maxime ſi proximi cura nobis incumbat: nam ait Chriſtus D. Joan. 10. verſ. 11. *Bonus paſtor animam ſuam ponit pro ovibus ſuis*. III. Ut omnia fortunæ bona poſtponantur vitæ corporeæ proximi, adeo ut fas non ſit hominem hæc vi aut fraude ſurripientem auctoritate privata interficere, quia iſta inferioris ſunt ordinis & pretii hominis vita, ad quam fovendam tantum ſunt adminicula. Dixi *auctoritate privata*, publica namque licitum eſt fures interimere tamquam Reipublicæ hoſtes; quippe cum ejus pacem & tranquillitatem convellant, violentque jura gentium, quibus illa fortunæ bona privatis hominibus legitime ſunt aſſerta.

Ex his inferendum eſt non licitum ob honoris & famæ ſuæ defenſionem, calumniatorem occidere: Quamvis enim *melius ſit nomen bonum, quam divitiæ multæ*: Proverb. 22. verſ. 1. Attamen cum nullus privatus auctoritatem habeat in vitam proximi, quæ longe præſtantior eſt vita civili, qua quis bene audit apud ſuos populares, ſequitur nulli eſſe liberum pro hac ſervanda illibata civili vita, illius temeratorem interficere. Adde quod violaret capitale hoc Chriſti D. mandatum Matth. 5. verſ. 44. *Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos*. Multo minus licet ſeipſum interficere ad præcavendam infamiam, ut egregie docet S. Auguſtinus, *de civitate Dei, lib.* 1. *cap.* 17. *& ſeq.* Nam (inquit) *ſi non privata poteſtate hominem occidere vel nocentem cujus occidendi licentiam lex nulla concedit; profecto etiam qui ſeipſum occidit, homicida eſt; & tanto fit nocentior, cum ſe occiderit, quanto innocentior, in ea cauſa fuit, qua ſe occidendum putavit*.

Inde colligit *cap.* 18. fœminam eſſe homicidii ream, quæ ſub obtentu ſervandæ aut vindicandæ ſuæ pudicicitiæ ſeipſam, vel conſtupratorem interficit: pudicitia enim cum ſit virtus, etiam (inquit) *oppreſſo corpore non amittitur.... nec de ipſo corpore perit ſanctitas, quia eo ſancto utendi perſeverat voluntas, & quantum in ipſo eſt, etiam facultas..... quo circa propoſito animi permanente, per quod etiam corpus ſanctificari meruit, nec ipſi corpori aufert ſanctitatem violentia libidinis aliena, quam ſervat perſeverantia continentiæ ſuæ*. Unde concludit, *quamobrem non habet quod in ſe morte ſpontanea puniat fœmina ſine ulla ſua conſeſſione violenter oppreſſa, & alieno compreſſa peccato: quantominus antequam hoc fiat? ne admittatur homicidium certum, cum ipſum flagitium, quamvis alienum, adhuc pendet incertum*.

Hinc cap. 19. Romanos oratores qui Lucretiam, quod a Collatino Tarquinii Regis filio oppreſſa, ſe ipſam occiderat, encomiis celebrabant, hoc dilemmate ſuggillat: aut conſenſit oppreſſioni & ſic fuit adultera; aut non conſenſit, & ſic pudica permanſit: Unde colligit, *ſi adultera, cur laudata? ſi pudica, cur occiſa? non hoc fecerunt fœminæ chriſtianæ, quæ paſſæ ſimilia, vivunt. Tamen nec in ſe ultæ ſunt crimen alienum; ne aliorum ſceleribus adderent ſua, ſi quoniam hoſtis in eis concupiſcendo ſtupra commiſerat, illæ in ſeipſis homicidia erubeſcendo committerent. Habent quippe intus gloriam caſtitatis, teſtimonium conſcientiæ: habent autem coram oculis Dei ſui, nec requirunt amplius, ubi quid recte faciant, non amplius habent; ne devient ab auctoritate legis divinæ, cum male devitant offenſionem ſuſpicionis humanæ*.

Homicidii pariter reæ ſunt puellæ & conjugatæ quæ fœtum impudice conceptum quæſitis medicamentis excutiunt, & abortum procurant, ut docet Tertullianus. *Nobis*, inquit, *homicidio ſemel interdicto, etiam conceptum utero, dum adhuc ſanguis in hominem delibatur, diſſolvere non licet. Homicidii feſtinatio eſt impedire naſci; nec refert natam quis eripiat animam, an naſcentem diſturbet; homo eſt & qui eſt futurus, etiam fructus omnis in ſemine eſt*. Ei concinit Minutius Fœlix in Octavio, ubi Ethnicis inter cætera ex-

exprobrat, quod in eis ſint mulieres & puellæ, *Quæ in ipſis viſceribus medicaminibus epotis originem futuri hominis extinguant, & parricidium faciant, antequam pariant: & hæc utique de Deorum veſtrorum diſciplina deſcendit... nobis homicidium nec videre fas eſt, nec audire.* Reprobanda igitur eſt eorum ſententia qui exiſtimant liberum eſſe ſibi vel alteri mortem inferre, ut conſulatur honori, & dedecus ac infamia vitetur.

DE SEXTA CAPITALI LEGE MORALI *ſeu de ſexto Decalogi præcepto.* NON MOECHABERIS.

HOc præcepto interdicitur quodlibet impudicitiæ genus. Quamvis enim unicam ſpeciem commemoret, nempe adulterium; nihilominus omnem prorſus veſanam libidinem eo nomine prohiberi citra controverſiam eſt. Nam inquit S. Auguſtinus, *Si* FURTI *nomine bene intelligitur omnis illicita uſurpatio rei alienæ (non enim rapinam permiſit qui furtum prohibuit, ſed utique totum a parte intelligi voluit, quidquid illicite rerum proximi aufertur:) profecto & nomine* MOECHIÆ *omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus uſus prohibitus debet intelligi.* Eſt autem, ait ibidem S. Auguſtinus, Mœchia vox græca a nomine *μοιχὸς* *Mœchos autem Græci non niſi adulteros dicunt.* Unde Levit. 20. verſ. 10. *Si mæchatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum conjuge proximi ſui, morte moriatur & mæchus & adultera.*

Eſt autem adulterium grande *nefas & iniquitas maxima*, ait Job. *cap.* 31. *v.* 11. idque multis de cauſis I. Quia violatur conjugii ſanctitas, & mutua fides a conjugibus data. II. Quia furtive ſurripitur quod uni conjugum proprium eſt, & in alterius uſum & poſſeſſionem injuſte transfertur. Nam ait S. Paulus 1. ad Corinth. 7. verſ. 4. *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: ſimiliter autem & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.* III. Spurcities illa in Eccleſiæ probrum & contumeliam redundat: Matrimonium enim eſt ſymbolum unionis Chriſti D. cum Eccleſia, ut idem Apoſtolus docet ad Epheſios cap. 5. verſ. 32. Ubi cum matrimonii vinculum indiſſolubile declaraſſet, addit: *Sacramentum hoc magnum eſt; ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* IV. Quia per impudicam illam copulam plerumque inducitur in familiam ſpuria & aliena ſoboles, quæ in legitimorum filiorum hæreditatis partem intruditur.

V. Innumera exinde alia ſuboriuntur mala, nimirum perpetua inter conjuges diſcordia & averſio: utriuſque probrum & dedecus, rei domeſticæ diſſipatio, filiorum erga ſuos parentes contemptus, adulterinæ prolis maledictio. Nam Eccleſiaſticus cap. 23. deſcribens adulterii enormitatem & funeſtos eventus, addit verſ. 36. *Non tradent filii ejus radices, & rami ejus non dabunt fructum, derelinquet in maledictum memoriam ejus, & dedecus illius non delebitur.* Inde eſt quod Levit. 20. verſ. 10. & Deuter. 22. verſ. 22. Statuit Deus ut adulteri, tam vir quam mulier, publico & infami ſupplicio interirent; quamobrem in primitivis Eccleſiæ ſæculis, adulteri eamdem cum idololatris & homicidis publicam pœnitentiam agebant. Quin etiam refert S. Cyprianus tantam fuiſſe ſuorum prædeceſſorum erga adulteros ſeveritatem, ut totum illis pœnitentiæ locum clauſerint. Quamquam vero hanc auſteritatem attemperarint eorum ſucceſſores; attamen Mœchos multis annis pœnitentiæ publicæ addixerunt, ut inde manifeſtum fieret quantum Eccleſia immaculata Chriſti D. ſponſa omnem abhorreat impudicitiam.

Pari ratione damnatur hoc præcepto omnis fornicatio, hoc eſt, copula ſoluti cum ſoluta muliere. Hanc enim copulam ut grande crimen prohibent Scriptores ſacri. Imprimis Tobias cap. 4. verſ. 13. *Attende fili mi ab omni fornicatione, & præter uxorem tuam, nunquam patiaris crimen ſcire.* Unde ſæpiſſime S. Paulus invehitur in fornicatores. *Hoc* (inquit ad Epheſ. 5.) *ſcitote intelligentes quod omnis fornicator aut immundus, aut avarus, quod eſt idolorum ſervitus non habet hæreditatem in regno Chriſti & Dei.* Idem habet ad Galatas 5. verſ. 19.

Hinc eſt quod diſtricte Deus prohibet omne lenocinium: ſic Levit. 19. verſ. 29. *Ne proſtituas filiam tuam, ne contaminetur terra & impleatur piaculo.* Id eſt, ne ſis cauſa plurimarum fornicationum, quæ a viris committerentur. Et Deuter. 23. verſ. 17. *Non erit meretrix de filiabus Iſrael, nec ſcortator de filiis Iſrael:* quæ verba nedum intelligenda ſunt, ut quidam volunt, de ſcortis Ethnicis, quæ pudorem ſuum proſtituebant in honorem & cultum ſuorum numinum; ſed de quibuslibet mulieribus meretricio quæſtum exercentibus, quas e populo ſuo eliminari jubet Deus; qui cum ſit puritatis & caſtitatis amator, omnem prorſus immunditiem & impudicitiam a ſuis cultoribus removendam peroptat.

Non me latet tantam fuiſſe quorumdam Ethnicorum veſaniam & morum corruptionem, ut a Dæmonibus; quos ſub inanium Deorum larva colebant, dementati gratum ipſis putarent exhibere obſequium, dum omnem in eorum templis libidinem explerent. Erant ad id nefarium opus quædam deſtinatæ mulieres, quas numini ſacras & devotas appellabant, ut docet Strabo qui de Comanæ Cappadociæ civitatis templo in honorem Lunæ erecto ſcribit, illuc ſolitos homines turmatim convenire ſacrificia Deæ exhibendi gratia: *Multæ etiam*, inquit, *mulieres corpore quæſtum facientes quarum pleræque ſunt ſacræ: nam hæc quaſi parva quædam eſt Corinthus, quod hic quoque propter multitudinem meretricum Veneri ſacrarum multi peregre agunt, & feſtos dies agitent.* Idipſum confirmat Alexander ab Alexandro. *Corinthi*, inquit, *ſupra mille proſtitutæ in* tem-

Digitized by Google

templo Veneris aſſidue degere, & inſtammata libidine quaſtui meretricio operam dare, & velut ſacrorum miniſtra Deæ famulari ſolebant. Idem de Babyloniis ſcribit Herodotus, *Una*, inquit, *Babyloniis lex eſt omnibus modis fœda. Nempe omnibus mulieribus indigenis commune eſt, ſemel in vita ad templum Veneris deſidentibus cum exteris viris conſuetudinem habere &c.*

Hanc etiam execrandam turpitudinem apud Judæos invaluiſſe indicat Oſeas cap. 4. verſ. 13. Ubi de Iſraelitis ſcribit, *Super capita montium ſacrificabant, & ſuper colles accendebant thymiama; ſubtus quercum, & populum, & therebinthum, quia bona erat umbra ejus: ideo fornicabuntur filiæ veſtræ, & ſponſæ veſtræ adulteræ erunt. Non viſitabo ſuper filias veſtras cum fuerint fornicatæ quoniam ipſi cum meretricibus converſabantur, & cum effeminatis ſacrificabant.* Ubi per *effeminatos* S. Hieronymus dicit intelligendos eſſe homines gallos quos amputatis virilibus Romani dedicabant cultui *Athys* quem Eunuchum Dea meretrix fecerat, *Iſtiuſmodi*, inquit, *idololatria erat in Iſrael colentibus maxime fœminis Beelphegor ob obſcœni magnitudinem, quem nos Priapum poſſumus appellare. Unde & Aſa Rex tulit excelſa de populo, & hujuſmodi Sacerdotes, & matrem de Auguſto depoſuit Imperio, ſicut Scriptura teſtatur* (3. Regum. cap. 15. dicens): *Et fecit Aſa rectum ante conſpectum Domini, ſicut David pater ejus, & abſtulit effeminatos de terra, purgavitque omnes ſordes idolorum, quæ fecerant patres ejus, inſuper & Maacham matrem ſuam amovit, ne eſſet princeps in ſacris Priapi in loco quem conſecraverat, ſubvertitque ſpecum ejus, & ſubvertit ſimulachrum turpiſſimum, & combuſſit in torrente Cedron.* Verum etſi execrandæ illæ proſtitutiones & libidines ubique Gentium diffuſæ, etiam temporis ſucceſſu apud Judæos invaluerint; certum eſt tamen ad eas non attendiſſe Moſem, dum legem tulit de exterminandis ſcortis & meretricibus e cœtu Iſraelitarum: illæ namque abominationes, nonniſi longo poſtmodum tempore Judæis fuerunt notæ.

Hoc eodem ſexto Decalogi præcepto prohibentur inceſtuoſa connubia, & execrandi coitus. 1. Patris cum filia, aut matris cum filio, ut fieri ſolebat apud Perſas, teſte Philone qui hoc præceptum exponens, inter cætera ſcribit; *Eadem lex Perſicum quoque morem execratur, ut inceſtiſſimum; honoratiores enim Perſæ cum matribus contrahunt matrimonia, & natos inde arbitrantur nobiliſſimos, Regioque (ut ferunt) dignantur ſolio; quo nihil excogitari poteſt magis impium, conſpurcari defuncti patris thalamum, cui maxima debebatur religio, matri exhiberi nullam reverentiam: filium eumdem & maritum fieri; matrem viciſſim nomen uxoris aſſumere; communes liberos patris quidem fratres, matris vero nepotes cenſeri: hanc prolis ſuæ matrem ſimul eſſe ac aviam, illum filiorum patrem & germanum uterinum.* Hoc etiam Ethnicis exprobrat Minutius Fœlix in Octavio: *Jus eſt*, inquit, *apud Perſas miſceri cum matribus.*

Has autem inceſtas copulas diſtricte prohibet Deus. Levit. 18. verſ. 17. *Turpitudinem patris tui, & turpitudinem matris tuæ non diſcooperies: mater tua eſt, non revelabis turpitudinem ejus.* Quin etiam ipſo jure naturali atque Gentium omnium conſenſu, ſi barbaros quoſdam & efferatos excipias, iſtæ inceſtæ copulæ reprobantur; ut videre eſt apud Alexandrum ab Alexandro [a], Tiraquellum [b], & alios: unde Catullus in Gellium hæc impia nominat.

a *Lib. 1. genial. dier. cap. 24.*
b *De Legib. connub. lib. 7. num. 32.*

Naſcatur Magus ex Gelli matriſque nefando
Concubitu, & diſcat Perſicum Aruſpicium,
Nam Magus ex matre & nato naſcatur oportet,
Si vera eſt Perſarum impia religio.

Ovidius autem tametſi veſanæ libidini addictus, ferina & belluina vocat

In qua cum matre Menephron
Concubiturus erat ſævarum more ferarum.

Quin imo ipſæ belluæ videntur hujus copulæ turpitudinem abhorrere: nam Ariſtoteles [c], Albertus Magnus [d], Ælianus [e], referunt camelum nulla vi adigi potuiſſe ut matrem iniret: & quod cum vice quadam camelarius alterum camelum induxiſſet, ut in matrem velamine contectam inſiliret, & ille re peracta, & ſubducto velamine, matrem agnoviſſet, camelarium morſibus & calcibus peremiſſe. Scribit etiam Plinius [f], equum ob ſimilem inceſtum ſe præcipitaſſe. Joannes Lopez [g] narrat de altero equo, qui ut matrem iniret, arte fuerat inductus, re cognita ſibi genitalia morſu amputaſſe.

c *Lib. de admirand. cap. 2. & lib. 9. de hiſt. animal. cap. 71.*
d *Lib. 8. de anim. tract. 5. cap. 2.*
e *Lib. 3. cap. ult.*
f *Lib. 8. cap. 42.*
g *Tract. de matrim.*

II. Prohibetur copula cum uxore patris, ſeu noverca, verſ. 8. quam copulam etiam ratio naturalis averſatur, ut indicat Apoſtolus 1. ad Corinth. 5. *Auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita ut uxorem patris ſui aliquis habeat.*

III. Cum ſorore ſive ex eiſdem patre & matre, aut alio patre genita, idque legitimo ſeu ſpurio concubitu, verſ. 9.

IV. Cum amita & matertera, verſ. 12. & 13. cum Nuru, verſ. 15. cum uxore patris, verſ. 16. cum filia, & nepte privigna, verſ. 17. cum ſorore uxoris, verſ. 18. cum uxore patrui, verſ. 24.

V. Prohibetur verſ. 19. ſub pœna capitis copula mariti cum menſtruata, tum ob fœditatem, tum ne partus præpediatur, tum ne proles, ſi formetur, fiat debilis, leproſa & monſtruoſa, ut non raro contingit ſicut obſervat Philo. *Menſtruorum fluxus tempore*, inquit, *maritus uxorem ne contrectet, ſed abſtineat tantiſper a coitu, Legibus naturæ in hoc obtemperans, nec committat ut propter voluptatem intempeſtivam, fœtus minus abſoluti in lucem veniant: id enim perinde fuerit, ac ſi ebrius aut inſanus agricola in paludes torrenteſve, non in arva ſementem jaceret.*

VI. Præ cæteris damnantur horrenda fœditatum & criminum monſtra, nempe mollities: Sodomia, & beſtialitas, eodem Levitici cap. 18. verſ. 22. *Cum maſculo non commiſceaɾis*

coitu fœmineo, quia abominatia eſt. verſ. 23. *Cum omni pecore non coibis, nec maculaberis cum eo. Mulier non ſuccumbat jumento, nec miſcebitur ei: quia ſcelus eſt*. & cap. 20. v. 13. *Qui dormierit cum maſculo coitu fœmineo, uterque operatus eſt nefas, morte moriatur. Qui cum jumento & pecore coierit, morte moriatur: pecus quoque occidite*. Harum etiam turpitudinum Auctores, dicit Apoſtolus 1. ad Corinth. 5. verſ. 25. & cap. verſ. 10. Nulla unquam partem habituros in regno Dei. Horret animus in iſtis turpitudinibus diutius immorari.

DE SEPTIMA LEGE CAPITALI.

NON FURTUM FACIES.

HOc præcepto duo continentur, *negativum* unum, quo prohibetur res alienas ſurripere: *affirmativum* alterum quo præcipitur proximo in neceſſariis auxiliari; ſiquidem nedum vult Deus, ut abſtineamus a rebus proximi occupandis, ſed præterea jubet ut aliis prodeſſe & auxiliari ſtudeamus: Hoc enim utrumque debitum ingerit ſingulis hominum cordibus inſcripta hæc naturæ lex, *Alteri ne feceris, quod tibi fieri non vis? Et in quo tibi alios apitulatares exoptas, aliis te auxiliatorem exhibe*. Primo itaque interdicitur bonorum proximi injuſta occupatio aut detentio, unde furti rei ſunt, nedum illi qui res alienas ſurripiunt, ſed etiam qui illicitis artibus ex aliorum damno opes accumulent; nihil enim intereſt fraude an violentia proximum quis ſpoliet, ejuſque facultates injuſte occupet & detineat.

Fures itaque dicendi ſunt. I. Ei omnes qui quovis modo proximo damnum inferunt ejus bona clam aut palam, vi aut arte ſurripiunt ut latrones, & graſſatores occulti.

II. Qui defraudant operariorum mercedem, aut cum eorum damno operis compenſationem differunt, utrumque enim prohibet Deus Levit. 19. verſ. 13. *Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum. Non morabitur opus mercenarii tui apud te uſque mane*. Quod inculcat & plenius exponit Deuter. 24. verſ. 14. & 15. *Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, ſive advena qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas eſt: ſed eadem die reddes ei pretium laboris ſui ante ſolis occaſum, quia pauper eſt, & ex ea ſuſtentat animam ſuam; ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum*. Quibus verbis Deus declarat, injuſtam eſſe oppreſſionem & grande peccatum, quando is qui operam ſuam locavit, fraudatur ſibi debita mercede, non modo ſi vacuus dimittitur, negato laboris pretio; verum ſi differtur in craſtinum, quoniam ſolent plerique mercenarii ex quotidiana opera vivere; adeoque ſi tantillum moræ in recipienda mercede patiantur, in periculo ſunt ne inedia intereant. Unde Eccleſiaſticus cap. 34. verſ. 25. *Panis egentium vita pauperum eſt: qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt. Qui aufert in ſudore panem, quaſi qui occidit proximum ſuum. Qui effundit ſanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres ſunt*. Quibus concinit S. Jacobus cap. 5. verſ. 4. de divitibus ſcribens, *Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt a vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabbaoth introivit*.

II. Ejuſdem iniquitatis rei ſunt tributorum & vectigalium exactores, qui aut amplius quam quod a Principe conſtitutum eſt, exigunt; aut ut amicis ac parentibus indulgeant, plus oneris publici imponunt aliis, quam ferat eorum facultas, & poſtulat juſta diſtributio. Unde fit, inquit Salvianus, *Ut pauperculos homines tributa divitum premant, & infirmiores ferant ſarcinas fortiorum*: Quod quam iniquum ſit, ibidem egregie declarat.

III. Peccant in idem præceptum Magnates omnes, qui ſub obtentu conceſſæ protectionis, pauperum facultates emungunt; de quibus ibidem Salvianus, *Illud grave ac peracerbum eſt, quod hac lege tueri pauperes videntur, ut ſpolient: hac lege defendunt miſeros, ut miſeriores faciant defendendo: omnes enim hi qui defendi videntur, defenſoribus ſuis omnem fere ſubſtantiam ſuam priuſquam defendantur addicunt. Ac ſic, ut patres habeant defenſionem, perdunt filii hæreditatem: tuitio parentum mendicitate pignorum comparatur*.

Ejuſdem vexationis inſimulandi ſunt pagorum Domini qui angarias & indebitos labores exigunt ſuis a ſubditis & villicis: *Decernuntur* (ait ibidem Salvianus) *his nova munera, decernuntur novæ inditiones: decernunt potentes, quod ſolvant pauperes: decernit gratia divitum, quod pendat turba miſerorum*.

IV. Furti rei ſunt omnes mercatores qui in vendendis ſuis mercibus æquitatem & ſinceritatem non ſervant, falluntque ſive in rerum ſubſtantia, corruptas pro integris, mixtas pro puris, & falſas pro veris & genuinis vendendo; ſive in pondere, numero, & menſura, nempe minus conferendo quam emptor cum venditore convenerat: ſive majus quam res valeat pretium exigendo; ſive tandem verborum lenociniis & fucis ludificando emptoris ſimplicitatem. Has enim fraudes omnes damnat & abhorret Deus, Levit. 19. v. 35. *Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere, in menſura. Statera juſta, & æqua ſint pondera, juſtus modius, æquuſque ſextarius*. Quibus verbis imperat Deus, ut juſta menſura ſervetur tam in ſolidis quam in liquidis vendendis; ſicut enim modius aridorum, ita ſextarius liquorum erat menſura.

Idem inculcat & diſtinctius exponit Deuteron. 25. verſ. 13. *Non habebit in ſacculo diverſa pondera, majus & minus: nec erit in domo tua modius major & minor... abominatur enim Dominus Deus tuus eum qui facit hæc, & averſatur omnem injuſtitiam*. Eadem

repe-

repetit per Salomonem, Proverb. 11. verſ. 1. *Statera doloſa abominatio eſt apud Dominum & pondus æquum voluntas ejus*. Declarat autem per Amos Prophetam cap. 8. v. 8. idcirco populum Iſraeliticum plurimis calamitatibus opprimendum, quod monetam & ſiclos augerent & ſupponerent ſtateras doloſas. ut pauperes deciperent & opprimerent, *Numquid*, ait, *ſuper iſto non commovebitur terra, & lugebit omnis habitator ejus ... convertam feſtivitates veſtras in luctum, & omnia cantica veſtra in planctum: & inducam ſuper omne dorſum veſtrum ſaccum, & ſuper omne caput calvitium.*

V. Hoc eodem præcepto prohibentur fraudes & ſimulationes in damnum proximi. Unde Levit. 19. verſ. 11. Cum dixiſſet Deus: *non facietis furtum*, ſtatim adiicit: *non mentiemini, nec decipiet unuſquiſque proximum ſuum*; id eſt, in contractibus, in teſtimoniis, aliiſque rebus in proximi præjudicium.

Illuc etiam ſpectant leges illæ quibus prohibet Deus, ne quis moleſtus ſit advenæ & peregrino; ſic Exod. 22. v. 21. *Advenam non contriſtabis, neque affliges eum: advenæ enim & ipſi fuiſtis in terra Ægypti*. Plenius idipſum explicat Levit. 19. verſ. 33. *Si habitaverit advena in terra veſtra, & moratus fuerit inter vos, non exprobretis ei: ſed ſit inter vos quaſi indigena: fuiſtis enim & vos advenæ in terra Ægypti*. In quibus apparet ſumma Dei æquitas & erga omnes providentia, cum enim peregrini neminem habeant qui cum impugnantium offenſione velit eorum defenſionem ſuſcipere; improborum violentiæ & oppreſſionibus magis ſunt obnoxii, quam ſi ſuorum parentum & domeſticorum præſidiis eſſent muniti. Unde ut eorum tutelæ provideat Deus, nedum prohibet ne quid eis moleſtiæ inferatur: ſed inſuper jubet ut quiſque illos ſicut ſeipſum diligat.

Eadem æquitate & providentia viduarum, & pupillorum defenſioni invigilat; cum enim hi deſtituti ſint humanis auxiliis, atque iniquorum violentiæ & infeſtationibus magis impetantur, ſe eorum defenſorem ac injuriarum eis illatarum vindicem fore ſpondet Deus eodem Exod. cap. verſ. 22. *Viduæ & pupillo non nocebitis. Si læſeritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum: & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, & erunt uxores veſtræ viduæ, & filii veſtri pupilli*; nimirum ut in quo quis peccat, in hoc ipſe puniatur.

VI. Inter cætera furti ſpecies, omnium peſſima etiam apud Ethnicos ſemper exiſtimata eſt uſura, teſte Varrone, *Majores noſtri*, inquit, *Sic habuerunt, & ita legibus poſuerunt furem non manifeſtum, duplo condemnari, fœneratores quadruplo: quanto pejorem fœneratorem exiſtimaverint, quam furem, hinc licet exiſtimare*. Et Seneca, *Quid fœnus & Kalendarium & uſura niſi humanæ cupiditatis extra naturam quæſita nomina*. Quibus præiverat Cato dicens: *Quid eſt fœnerari? hominem occidere*.

Eſt enim uſura acceptio alicujus pretii ſupra ſummam principalem mutuo conceſſam; ſic eum illo nomine damnat & prohibet Deus, Levit. 25. verſ. 35. *Si attenuatus fuerit frater tuus... ne accipias uſuras ab eo, non amplius quam dediſti. Time Deum tuum, ut vivere poſſit frater tuus apud te. Pecuniam tuam non dabis ei ad uſuram, & frugum ſuperabundantiam non exiges*. Et cap. 18. Ezechielis enumerantur graviora delicta quæ potiſſimum vitare debet quiſquis ad vitam æternam aſpirat, inter cætera ait, *Ad uſuram non commodaverit, & amplius non acceperit*. Atque continuo ſubiiciens crimina quæ mortem æternam eorum auctoribus accerſunt, ait *quod ſi genuerit filium latronem effundentem ſanguinem .... ad uſuram dantem & amplius accipientem, numquid vivet. Non vivet cum univerſa hæc deteſtanda fecerit, morte morietur*.

Hinc apparet uſuram eſſe grande crimen, & uſurarios omnes in manifeſto æternæ damnationis periculo verſari. Illos latronibus pares facit S. Greg. Nyſſenus: *Improbum*, inquit, *fœnoris inventum, quod qui aliud latrocinium nominaverit, non procul ab eo, quod decet aberraverit. Quid refert an clanculum perfoſſis muris prædonis more bona aliena habeas; an fœnoris neceſſitate acquiras ea quæ ad te non pertinent* &c. Ipſi concinunt SS. Baſyl. [a] Chryſoſtomus [b], Ambroſius [c], Hieronymus [d], Auguſtinus [e], qui omnes uſuram ut crimen abhorrendum declarant. Eis ſuffragantur Concilia, imprimis Eliberitanum can. 20. *Si quis clericorum detectus fuerit uſuras accipere, placuit eum degradari & abſtineri. Si quis etiam laicus probatur uſuras accepiſſe, & promiſerit correctus jam ſe ceſſaturum, placuit ei veniam tribui. Si vero in ea iniquitate duraverit, ab Eccleſia eſſe proiiciendum*. Eadem habent Concil. Nycenum, Lateran. tertium cap. 3. Lugdunenſe ſecundum, can. 26. & 27. & alia bene multa.

a In Pſal. 14.
b Homil. 57. in Matth.
c Lib. de Tobia cap. 3.
d In cap. 18. Ezech.
e In Pſal. 36. & 128.

Excipiunt nonnulli, prohiberi quidem uſuras accipiendas a fratribus, ut fert textus Levitici, non vero ab aliis, ut diſtinctius habetur Deuteron. 23. verſ. 19. *Non fœneraberis fratri tuo ad uſuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, ſed alieno*. Igitur licitum eſt alienis fœnerari.

Reſpondeo, ex aliis Scripturæ textibus apparere uſuram generatim eſſe prohibitam ut grande peccatum, quo removentur homines ab æterna vita conſequenda, & æternam damnationem incurrunt. Unde David inquirens quis habitabit in monte ſancto? inter cætera ait: *Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram*; his verbis ſignificans fœneratores ab eo fœlicitatis loco eſſe arcendos: quod & confirmavit Chriſtus D. cum ait Lucæ 6. *Mutuum date, nihil inde ſperantes*. In quibus verbis duo ſimul complectitur, nimirum conſilium & præceptum; conſilium quidem *mutuum date* ex motivo charitatis & dilectionis fraternæ: præceptum vero, *nihil inde ſperantes*. Hoc eſt, nihil præter ſortem mutuo datum accipientes, vi conventionis factæ & ratione mutui.

His adde quod Chriſtiani omnes invicem ſint fratres, ita docente Chriſto D. Matth. 23. v. 8. *Omnes autem vos fratres eſtis* Et pa-

patrem nolite vocare vobis ſuper terram; unus eſt enim pater veſter, qui in cælis eſt. Hinc Apoſtoli oon alio nomine quam *fratris* naſcentis Eccleſiæ filios, ſive ſcribendo, ſive alloquendo compellabant. Eodem pariter nomine ſeſe invicem ſalutabant & conveniebant illi fideles; adeo ut iſta ſalutationis formula etiam ab Erhnicis cognoſcerentur Chriſtiaoi, ut refert Tertullianus, qui cum dixiſſet *fratrum appellatione cenſemur*, addit: *Fratres autem etiam veſtri ſumus jure naturæ, matris unius; etſi vos parum homines, quia mali fratres. At quanto dignius fratres & dicuntur & habentur, qui unum Deum Patrem agnoverunt, qui unum Spiritum biberunt ſanctitatis, qui de uno utero ignorantiæ ejuſdem ad unam lucem expaverunt veritatis.* Igi ur etſi uſura tantum eſſet prohibita inter eos qui ratione propagationis ab uno patre fratres cenſentur, non eſſet inter Chriſtianos exercenda, utpote qui religione omnes ſint fratres.

Nec etiam reponere juvat vetitum quidem eſſe aliquid ultra ſortem exigere a pauperibus, non autem a divitibus; nam *primo* prohibitio generalis eſt tam erga fratres, quam pauperes. *Deinde* uſura reponitur inter ea peccata quæ removent ab æterna fœlicitate, ac ſubinde nulla ratione erga quemcumque cenſeri poteſt eſſe licita. At, *inquies*, ex præfato Deuteron. textu. Judæis liberum erat eam exercere erga exteros: igitur illa non eſt per ſe mala; rem enim intrinſece malam Deus non permitteret.

Huic exceptioni occurrit S. Ambroſ. qui eam & proponit, & ſolvit his verbis. Sed forte dicet.... quia ſcriptum eſt *alienigenæ* „ *fænerabis*, & non conſideras quid Evan„ gelium dicat, quod eſt plenius. Sed hoc „ interim ſequeſtremus, legis ipſius verba „ conſidera: *fratri tuo* (inquit) *non fænera*„ *bis ad uſuram: ſed alienigenæ m exiges.* „ Quis erat tunc alienigena, niſi Amalech, „ niſi Amorrhæus, niſi hoſtes? *Ibi*, inquit, „ *uſuram exige*. Cui merito nocere deſide„ ras, cui jure inferuntur arma, huic legi„ timæ indicuntur uſuræ, quem bello non „ potes facile vincere, de hoc cito potes „ centeſima vindicare te: ab hoc uſuram „ exige, quem non ſit crimen occidere. Si„ ne ferro dimicat, qui uſuram flagitat: „ ſine gladio ſe, de hoſte ulciſcitur, qui fue„ rit uſurarius exactor inimici. Ergo ubi „ jus belli, ibi etiam jus uſuræ: frater au„ tem tuus omnis, fidei primum, deinde ju„ ris Romani eſt populus: *Narrabo nomen* „ *tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ lau*„ *dabo te*; quod & Chriſtus docet in Evan„ gelio, Matth. 23. v. 9. *Omnes autem vos* „ *fratres eſtis, & patrem nolite vocare vobis* „ *ſuper terram*: Illuc autem pariter revo„ candæ ſunt omnes leges quibus cavetur „ ne damnum aliquod inferatur proximo, „ Exodi 22. Deuteron. 19. verſ. 14. & 24.

DE OCTAVA LEGE MORALI

ſeu de octavo Decalogi præcepto: NON LOQUERIS CONTRA PROXIMUM TUUM FALSUM TESTIMONIUM.

CUm in præcedentibus mandatis diſtricte prohibuerit Deus ne damnum ullum inferatur proximi perſonæ, ejuſque facultatibus ac fortunæ bonis; æquum erat & divinæ ejus ſapientiæ & providentiæ conſentaneum, ut pariter illius famæ & honori conſuleret. Id autem præſtat hoc octavo mandato prohibens ne quis calumniis aut falſis criminibus alterius exiſtimationem labefactet. Quamquam autem illis verbis videatur Deus tantum prohibere, ne quis opprimendi inſontis cauſa, in forum prodeat, & publice contra eum teſtetur; certum tamen eſt eum pariter interdicere perniciosa quæque mendacia etiam extra judicium facta, omneſque falſas criminationes, non tantum quæ ſparguntur in compitis & circulis: ſed & quæ in privatis ædibus, & ſecretis angulis diſſeminantur.

Itaque hoc præcepto interdicuntur calumniæ, detractiones, ſuſurrationes, libellorum conſcriptiones & divulgationes, omnia denique quibus proximi fama labefactari poteſt & imminui: unde Exod. 23. *Non ſuſcipies vocem mendacii, nec junges manum tuam ut pro impio dicas falſum teſtimonium.* Et Levit. 19. verſ. 16. *Non eris criminator, nec ſuſurro in populo. Nec ſtabis contra ſanguinem proximi tui: Ego Dominus.* Omitto cæteros Scripturæ textus, quibus docemur coram Deo cenſeri falſos teſtes quicumque linguæ ſuæ virulentia moleſtiam ac periculum creant ſuis fratribus.

Quantum autem Deus abhorreat mendaces ac detrectatores, declarat David, *Odiſti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium.* Et Salomon Proverb. 6. v. 16. *Sex ſunt, quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima ejus: oculos ſublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium ſanguinem, cor machinans cogitationes peſſimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia teſtem fallacem, & eum qui ſeminat inter fratres diſcordias.* Et cap. 19. *Teſtis falſus non erit impunitus, & qui mendacia loquitur, peribit.* Et Sapientiæ 1. v. 11. *Cuſtodite vos a murmuratione, quæ nihil prodeſt, & a detractione parcite linguæ, quoniam ſermo obſcurus in vacuum non ibit: os autem, quod mentitur, occidit animam &c.*

DE

DE NONA ET DECIMA LEGE MORALI.

NOnum Decalogi præceptum effertur his verbis, *Non concupiſces uxorem proximi tui*. Deuteron. 5. verſ. 20. quibus nedum prohibetur adulterium, quod ſexto præcepto jam vetitum fuerat, ſed ipſa animi concupiſcentia, internuſque appetitus illicitus. Quoniam vero erant & alia proximi bona, quæ nedum non erant vi aut furto auferenda, ſed nec illicite optanda; hinc decimo præcepto cautum eſt, *Non concupiſces proximi tui ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, & omnia quæ illius ſunt*. Ibidem.

Hæc autem duo poſtrema præcepta, etſi in unum & idem videntur conſpirare nempe non concupiſcenda ea quæ proximi ſunt; attamen illa diſtingui voluit Deus, ut frænum & repagulum injiceret duplici concupiſcentiæ, duobuſque pravis deſideriis quibus hominum corda potiſſimum æſtuabant. Inter cæteras enim cupiditates & illecebras, quibus agitantur homines in ſtatu naturæ corruptæ, nullæ frequentiores & vehementiores ſunt veſana *libidine* & *avaritia*: his namque duabus concupiſcentiis ita jactantur & ſtimulantur, ut ad eas implendas nulli parcant labori, periculoſiora quæque ſubeant diſcrimina, & ſæpiſſime vitam ipſam profundere non vereantur. Quoniam Iſraelitarum animos hæc occupabat perverſa exiſtimatio, lege quidem naturali prohibitum eſſe alienam uxorem temerare, alienaque ſurripere bona at vero cenſebant nullum eſſe peccatum ea interno affectu appetere, quod nulla iſti concupiſcentiæ præſcripta eſſet pœna; quam erroneam ſententiam ut ex eorum animis avelleret Deus, duplici hoc præcepto duplicem illam cupidinem refrænare voluit & interdicere.

Hæc tamen non obſtante prohibitione, falſa illa perſuaſio ita Judæorum animos occupavit, ut illam reſcindere volens Chriſtus Dominus dixerit: *Audiſtis quia dictum eſt, antiquis: non mœchaberis. Ego autem dico vobis: quia omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo*. Et Marci 4. verſ. 19. exponens parabolam ſeminis intra ſpinas cadentis, ait: *Qui in ſpinis ſeminantur: hi ſunt qui verbum audiunt, & ærumnæ ſæculi, & deceptio divitiarum, & circa reliqua concupiſcentiæ introeuntes ſuffocant verbum, & ſine fructu efficitur*. Ab utraque vero concupiſcentia Chriſtianos dehortatur S. Petrus epiſt. 1. cap. 11. verſ. 11. *Chariſſimi obſecro vos tamquam advenas & peregrinos abſtinere vos a carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus animam.* Ei ſuccenturiatur S. Paulus ad Rom. cap. 6. v. 12. *Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus.*

Cum autem omnes hæ leges rectæ rationis dictamini conſentiant, innitanturque in ipſo jure naturæ; non ſolum Judæos, ſed & alios homines obſtringunt; adeo ut nullus rationis compos ab earum obſervantia diſpenſetur. Unde S. Paulus ad Rom. 2. verſ. 14. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt, ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex.*

De legibus CÆREMONIALIBUS.

LEges cæremoniales dicuntur illæ quæ maxime ritum divini cultus ſpectabant, quandiu vigeret Moſaica lex. Hæ vero erant multiplicis generis. Nam I. Aliæ ſpectabant ad locum in quo ſacra erant facienda, nempe Tabernaculum, vel Templum. II. Aliæ ad ſacrorum Miniſtros, puta Levitas, Sacerdotes, & ſummum Pontificem, eorumque veſtes & miniſteria. III. Ad victimas, & ſacrificia. IV. Aliæ ad oblationes & primitias. V. Aliæ ad immunditias, & luſtrationes. VI Aliæ ad ciborum delectum: aliæ denique ad ſolemnitates & feſta. Quoniam autem de cæteris actum eſt in præcedentibus, quædam de Judæorum feſtis, hic ſunt adjicienda.

De Judæorum feſtis.

JUdæorum feſta erant inſtitutionis, vel divinæ, vel humanæ. Illa Deus per Moſem præſcripſit: hæc ex religioſo cultu & pia animi gratitudine ob accepta beneficia ortum habuerunt. Priora fuerunt triplicis generis, nimirum Hebdomadaria, Menſtrua, & Annua.

Hebdomadaria dico quæ ſingulis exactis ſeptem dierum circulis agebantur, ac propterea vocabantur Sabbata, dies nimirum ſeptimus, quem ab ipſo mundi exordio Deus ſuo cultui conſecratum eſſe voluit.

Menſtrua erant *Neomeniæ* ſeu novilunia; prima enim cujuſque menſis dies ſancta erat, & ſoli divino cultui dicata. Unde Salomon, 2. Paralip. 2. verſ. 4. ſtatuit ædificare templum Domino ad offerenda *holocauſtomata mane & veſpere, Sabbatis quoque & Neomeniis, & ſolemnitatibus Domini*. Quibus verbis triplex ſupra memoratum feſtorum genus diſtinguit. Id pariter indicatur cap. 8. hiſtoriæ Judith, verſ. 6. ubi de ea dicitur *jejunabat omnibus diebus vitæ ſuæ, præter Sabbata, Neomenias & feſta domus Iſrael.*

Etſi vero calendæ ea ratione non cenſerentur feſtivæ, quod in eis non feriabatur ab operibus ſervilibus: nihilominus peculiarem habebant ſolemnitatem in templo propter victimas iis diebus offerendas, cum Tubarum clangore, ut legitur Num. 10. verſ. 10. *Si quando habebitis epulum, & dies feſtos, & calendas, canetis Tubis ſuper holocauſtis, &*

pa-

Digitized by Google

pacificis victimis. Deus autem novilunii feſtum inſtituit. I. In memoriam creatæ lucis, omnium creaturarum primæ. II. Ut Iſraelitæ avocarentur ab Ethnicorum ſuperſtitionibus, qui menſes planetis, aliiſque ſignis cœleſtibus conſecrabant, & ab illis regi exiſtimabant. III. Ut typus eſſet renovationis hominis quæ fit per gratiam & illuminationem Spiritus-Sancti.

Celebrabant autem Judæi ſuas Neomenias ab apparitione Lunæ, de qua tractatum integrum edidit Rabbi Moſes Maimonides. Quem inſcripſit Kiddouſch hachodeſch, id eſt, *calendarum ſanctificatio*, ubi docet quod quando Luna nocte 30. menſis apparebat, menſis ille conſtabat duntaxat 29. diebus, & trigeſimus erat primus ſequentis menſis: ſi vero non apparebat nocte 30. menſis ille conſtabat 30. diebus, & trigeſimus primus, erat primus ſuccedentis menſis.

Ut autem conſtaret qua nocte Luna novum curſum iniret, ſenatus Hieroſolymitanus habebat tabulas aſtronomicas, quibus nova Lunæ coitio conſtaret: Ne autem in ſupputatione fallerentur, deputabant viros quoſdam fide dignos ſupra celſiſſimos montes, qui Lunam exordientem quamprimum proſpexiſſent, eam denuntiabant Senatui, cujus Princeps illos interrogabat qua forma illam vidiſſent, an lata, aut ſtricta eſſet ejus facies? qua parte cornua extenderet? Quorum reſponſa, ſi cum tabulis aſtronomicis quadrarent, ille Senatus Princeps pronuntiabat nuntiandas eſſe calendas, ac proinde diem illum eſſe celebrandum: quod ut aliis Iſraelitis innoteſceret, illico deputabantur curſores qui in locis excelſis ignes accenderent, eoſque tenerent accenſos donec conſpexiſſent a vicinis ſimiliter ignes accendi. Cum autem Samaritani Judæorum hoſtes infenſiſſimi, ut eos fallerent, & calendas prævertterent, pariter accenderent ignes; ſtatuit inde Senatus ut deputarentur curſores per univerſam Judæam; qui celebrandas Neomenias ſignificarent; legimus etiam in Miſna Tit. *Roſch. haſchana*. cap. 2. quod Rabbi Gamaliel habebat apud ſe figuras cujuſque phaſis Lunaris; ut ad earum aſpectum probaret veritatem illorum teſtium, qui dicebant ſe novam Lunam vidiſſe.

Solemnitates anniverſariæ, ſeu annuæ, ex inſtitutione divina tres erant, Paſcha, Pentecoſtes, & ſeptimi menſis vel Tabernaculorum; quibus diebus omnes filii Iſrael, viri præcipue convenire debebant ad Tabernaculum, & eo ſublato ad Templum Hieroſolymitanum, ut unanimi conſenſu feſtum agerent, ut præſcripſerat Deus, Exod. 23. v. 17. & Deuteron. 16. v. 16. *Tribus vicibus per annum apparebit omne maſculinum tuum in conſpectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit: in ſolemnitate Azymorum* (id eſt paſchatis.) *In ſolemnitate hebdomadarum, & in ſolemnitate Tabernaculorum*. De ſolemnitate Sabbati actum eſt in expoſitione Decalogi, de aliis vero ſolemnitatibus paucula ſunt hic delibanda.

DE NEOMENIIS.

NEomeniæ ſive novilunia ſolemniter celebrabantur primo die cujuſque menſis, quo nova Luna rurſum inibat: videtur autem ſolemnitas hæc inſtituta Numer. 28. verſ. 13. his verbis: *In calendis autem veſtris offeretis holocauſtum Domino &c.* Ibi namque præſcribuntur quæ ſacrificia a quolibet debeant offerri. Cum autem Calendæ his accenſeantur, inde colligere licet primos illos cujuſque menſis dies pariter fuiſſe ſolemnes: eos *capita menſium* appellant Hebræi: ſeptuaginta Interpretes [illegible]: noſtri *Calendas*. Quæ tametſi ratione oblati ſolemniter ſacrificii dicerentur dies feſti, nempe ut cujuſque menſis primitias ſibi Deus vindicaret, nihilominus in eis licebat exercere opera ſervilia: quæ forte cauſa fuit, cur Levitici 23. non accenſentur inter ſolemnitates.

Neque his obſtant hæc Pſalm. 80. verba, *Buccinate in Neomenia tuba, in inſigni die ſolemnitatis veſtræ;* Neomenia enim de qua hic loquitur Pſaltes, non intelligitur de primo die cujuſque menſis, ſed de novilunio ſeptimi menſis, in quo agebatur feſtum tubarum in gratiarum actionem collectæ & peractæ vindemiæ; ut indicat titulus iſtius Pſalmi qui inſcribitur, *pro torcularibus*. Solebant autem Judæi in iſtis Calendis & Neomeniis publica agere ſacrificia & convivia, atque in cœtum ad lautas epulas coire, ut colligitur ex 1. Regum cap. 20. verſ. 5. ubi David ad Jonathan ait: *Ecce calendæ ſunt craſtino, & ego ex more ſedere ſoleo juxta Regem ad veſcendum;* & verſ. 19. *Dixit ad eum Jonathas, cras calendæ ſunt, & requireris; requiretur enim ſeſſio tua uſque perendie.* Præcipitur enim Levit 7. ut ſi quid de ſacrificiis pacificis ſupereſſet edendum, eo die quo fuerant oblata, poſtero die convivium ex illis inſtauraretur.

DE PASCHATE.

LAtina vox *Paſcha* derivatur ab Hebræa voce [illegible] *Peſach*, quæ juxta punctorum diverſitatem legitur etiam *Phaſe*, id eſt, tranſitus, ſeu tranſilitio, quod videlicet Angelus Ægypti, primogenitorum interfector, ſuper Iſraelitarum domos tranſilierit, eaſque prætererit intactas, quod earum poſtes illitæ eſſent ſanguine agni immolati, ut refertur Exod. 12. v. 23. *Tranſibit enim Dominus percutiens Ægyptios; cumque viderit ſanguinem in ſuperliminari, in utroque poſte, tranſcendet oſtium domus, & non ſinet percuſſorem ingredi domos veſtras, & lædere.*

Licet

Licet sutem vox *Paſcha* proprie ſignificet hanc primogenitorum Iſraelitici populi immunitatem ab ea Ægyptiaca percuſſione & clade, nihilominus aliis etiam rebus propter analogiam attribuitur. I. Liberationi Iſraelitici populi, qui illa ipſa nocte, in qua interfecti ſuot Ægyptiorum primogeniti, compulſi ſunt exire, & deinde per tranſitum maris rubri a captivitate fuerunt liberati.

II. Agno illi qui in memoria tantæ liberationis quotannis immolabatur & comedebatur ab univerſo Iſraelitico populo: ſic ſæpiſſime in ſacris Libris, præſertim in Evangeliis, dicitur parati, occidi, immolari & comedi Paſcha.

III. Pro ipſamet Paſchali celebritate per ſeptem dies, maxime vero pro primo ipſius ſolemnitatis die, ſic 4. Reg. cap. 23. verſ. 22. *Nec factum eſt phaſe tale a diebus Judicum, qui judicaverunt Iſrael, & omnium dierum Regum Iſrael, & Regum Juda, ſicut in octavo decimo anno Regis Joſiæ factum eſt phaſe iſtud Domino in Jeruſalem.*

IV. Vox *Paſcha* apud Chriſtianos ſumitur pro paſſione & immolatione Chriſti D. Cujus agnus a Judæis Paſchali tempore immolatus typus erat. Unde 1. Corinth. 5. *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*. Hinc nonnulli Patres putant cum Tertulliano vocem *Paſcha* derivatam eſſe a paſſione, πάσχω enim ſignificat pati; quamobrem ait Tertullianus, Chriſtus D. ad paſſionem ſuam *e tot feſtis, Judæorum, Paſcha diem elegit; in hoc enim ſacramentum pronuntiarat Moyſes, Paſcha eſt Domini*; ac ſi diceret idcirco Moſes feſtum iſtud appellavit *Paſcha Domini*, quod in eo Dominus erat mortem paſſurus. Hnc tamen Etymon aliqui ſuggillant cum S. Gregorio Nazianzeno. Omitto alias hujus vocis Paſchatis acceptiones, quas alibi expendi.

Duplex autem in hoc feſto ſervandus erat ritus. *Primo* mactandus agnus in ſecunda veſpera diei 14. Quæ initium erat ſolemnitatis Paſchalis die 15. celebrandæ; nam Levit. 23. præcipic Deus *a veſpera uſque ad veſperam celebrabitis Sabbata veſtra*. Secundo utendum azymo pane per ſeptem dies, ut præcipitur Exod. 12. verſ. 15. *Septem diebus azyma comedetis: in die primo non erit fermentum in domibus veſtris: quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Iſrael, a primo die uſque ad diem ſeptimam*. Et verſ. 18. *Quarta decima die menſis ad veſperam, comedetis azyma, uſque ad diem vigeſimam primam*. Ac proinde Agnus Paſchalis cum azymis erat edendus.

Itaque in celebrando Paſchatis feſto plurima erant obſervanda, ut præcipitur Exod, 12. I. Parandus, mactandus, & comedendus Agnus Paſchalis. Parandus inquam & quærendus qui eſſet 1. *abſque macula*, nullo corporis vitio laborans, ita ut nec cœcus, nec claudus, nec æger, aut ſcabie, aliiſque vitiis infectus quibus animalium corpora fœdautur: 2. *maſculus*, quod ſexus ille præſtantior ſit & vivacior: 3. *anniculus*, hoc eſt, qui circiter ab anno ſit editus, aut ſaltem aliquot menſes exegiſſet, ut ſanguine ad liniendas poſtes neceſſario abundaret: 4. *mactandus* die 14. ad ſecundam veſperam; *edendus* vero ipſa nocte ſuborta, ut declaratum eſt in expoſitione capitis duodecimi Exodi.

II. Excludendus omnis panis fermentatus a prima Paſchalis feſti veſpera ad ſeptem dies uſque, ut ſtatuitur Exod. 12. verſ. 15. idque iteratur verſ. 19. & 20. quod præceptum ut exacte ſervarent Judæi, maxima cura etiam accenſa lucerna & face luſtrabant omnes reconditos ſuarum domorum locos & angulos, ut ſi quam in eis, vel minimam fermentati panis micam invenirent, illam igni comburendam traderent, ut docet Maimonides qui hanc perquiſitionem ad ſuperſtitionem uſque exagerat.

III. Conficiendus, & per ſeptem dies edendus azymus panis, Exod. 12. verſ. 18. *Primo menſe quarta decima die menſis ad veſperam comedetis azyma uſque ad diem vigeſimum primam eiuſdem menſis ad veſperam*. Hunc panem Deuter. 16. verſ. 3. vocat *panem afflictionis*; ubi de die paſchæ ſtatuitur, *Non comedes in eo panem fermentatum, ſeptem diebus comedes abſque fermento afflictionis panem, quoniam in pavore egreſſus es de Ægypto, ut memineris die egreſſionis tuæ de Ægypto omnibus diebus vitæ tuæ*. Panis autem azymus vocatur *panis afflictionis*, tum quod eſſet ſymbolum calamitatum quas eorum Majores paſſi fuerant in Ægypto, & memoriale pavoris & formidinis qua fuerunt concuſſi dum eos Ægyptii urgerent ad exitum: tum quod panis iſte inſuavis eſt & ſtomacho ingratus. Erat, inquam, iſte panis azymus ſymbolum & repræſentatio ſtatus Iſraelitarum dum egreſſi ſunt ex Ægypto: legitur enim Exod. 12. verſ. 39. quod in prima eorum ſtatione, quæ a fixis tabernaculis dicta eſt *Socoth*: *Coxerunt farinam quam de Ægypto conſperſam tulerant, & fecerunt ſubcinericios panes azymos; neque enim poterant fermentari, cogentibus exire Ægyptiis, & nullam facere ſinentibus moram, nec pulmenti quidquam occurrerat præparare*. Ad hujus autem panis azymi confectionem farina non oleo, lacte, melle, aut vino; ſed ſola aqua puteali aut fluviali erat ſubigenda; ut docet Maimonides tract. de Paſchate cap. 4. quem ex Hebræo latine reddidit Ludovicus de Compiegne ex Judæo Chriſtianus. Quoniam autem pleraque Judaicam ſuperſtitionem redolent, ab iis referendis abſtinebo.

DE FESTO PENTECOSTES.

PEntecoſtem *feſtum hebdomadarum* appellat Moſes Deuter. 16. Ubi cum dixiſſet verſ. 9. Iſraeliticum populum alloquens, *Septem hebdomadas numerabis tibi, ab ea die qua falcem in ſegetem miſeris*. addit verſ. 10. *Celebrabis diem feſtum hebdomadarum Domino Deo tuo*. Hoc eſt, feſtum poſt exactas ſeptem hebdomades computandas ab eo die

quo

quo oblatus fuerat tritici novi manipulus. Quatuor autem potiſſimum occurrunt circa hoc ſeſtum notanda. I. Quo tempore celebrari debuerit. II. Quo ritu. III. A quibus. IV. Ob quos fines.

Etſi vero Scriptura diſtincte non exprimit menſem & diem quo celebrandum erat hoc feſtum; attamen ea circumſtantiis utrumque facili negotio colligere licet: Siquidem Levitici cap. 23. verſ. 15. legitur: *Numerabitis ergo ab altero die Sabbati, in quo obtuliſtis manipulum primitiarum, ſeptem hebdomadas plenas; uſque ad alteram diem expletionis hebdomadæ ſeptimæ, id eſt quinquaginta dies*. Nam ſeptem hebdomades quadraginta novem dies efficiunt, & qui ſequitur, quinquageſimus eſt; hic ergo erat dies feſtus.

At difficultas eſt, in quem hebdomadæ diem hic quinquageſimus incideret; & utrum inter hos quinquaginta dies numerandus eſſet ille in quo offerebatur manipulus. Eum ab hac computatione excludendum idcirco cenſeo, quod ſi ille numeretur, feſtum Pentecoſtes eo anno, quo Chriſtus D. paſſus eſt, non incidiſſet in diem Dominicam, ſed in diem Sabbati. Nam ea hypotheſi communiter admiſſa, quod Judæorum menſes, fuerint non ſolares, ſed lunares; cum dies oblationis manipuli primitiarum fuerit 16. primi menſis, nempe menſis Niſan; ſi hic dies computetur, dies Pentecoſtes incidet in diem ſextam tertii menſis. Supponamus enim primum menſem eſſe 30. dierum, & ſecundum 29. quales ſunt lunares, ex primo menſe, computato oblationis die, ſupererunt quindecim, ex ſecundo viginti novem, quibus jungendo ſex dies menſis tertii fient 49. ac proinde dies ſequens, qui eſt quinquageſimus, erit dies Sabbati, & ſic illo anno quo paſſus eſt Chriſtus, dies Pentecoſtes incidiſſet in diem Sabbati; ſiquidem a Sabbato incluſive in quam diem eo anno incidebat oblatio manipuli, computando quinquaginta dies, quinquageſimus incidet pariter in Sabbatum; cum tamen ex communi Eccleſiæ traditione & Patrum ſententia S. Spiritus ipſo die Pentecoſtes in Chriſti Diſcipulos effuſio, facta fuerit die Dominica.

Ad ritum eo die Pentecoſtes ſervandum quod attinet, ille præſcribitur Levit. 23. a verſ. 17. *Primo*, offerendi erant duo panes primitiarum ex ſimila fermentata, non quidem offerendi ad altare, in quo nihil fermenti inſerebatur; ſed ut cederent in uſum Sacerdotum, ut comederentur domi. *Secundo*, cum iſtis panibus debebant offerri ſeptem agni cum uno vitulo & duobus arietibus pro univerſo Iſraelitarum cætu immolandi una cum vino pro libamento. *Tertio*, mactandus erat hircus pro peccato. *Quarto* die agni anniculi præſentandi erant in hoſtiam pacificorum, qui cum fuiſſent elevati coram Domino cum panibus primitiarum, cedebant in uſum ejus, ut fertur verſ. 20.

Hæc autem ſolemnitas debebat eſſe celeberrima & ſanctiſſima, ut fertur v. 21. quippe cum eſſet una ex iis ad quas celebrandas convenire tenebantur omnes maſculi ætate provecti, maxime familiarum capita, ad Templum Jeroſolymitanum; ut diem illum feſtivum omni, qua par erat, pietate & magnificentia, in lætitia, exultatione, & lautis conviviis agerent, ut præſcribitur Deuter. 16. verſ. 11.

Ad finem inſtitutionis quod ſpectat, triplex poteſt aſſignari. I. In memoriam liberationis ab Ægyptiaca ſervitute & tyrannide; unde cum Deuter. 16. v. 9. præſcriptus eſſet hujus feſti celebrandi ritus, additur v. 12. *Recordaberis quod ſervus fueris in Ægypto*. II. Ut meſſe peracta teſtarentur per oblationem panum primitiarum ſe omnia ad vitæ ſuſtentationem ſubſidia e clementiſſima manu Dei accepta referre, precarenturque ut eis quiete & ſancte uti liceret. III. Ut perennis eſſet memoria initi cum Deo pacti in traditione legis, cujus ſe fideliſſimos cultores & obſervatores tam pro ſeipſis quam pro ſuis nepotibus eorum Majores ſpoponderant. IV. Ut feſtum iſtud Typus eſſet illius Pentecoſtes, in qua Spiritus-Sanctus effuſus in Chriſti Diſcipulos, Legem Evangelicam præſcripſit, non in tabulis lapideis exaratam, ſed cordibus ac mentibus impreſſam, quam juſſu Dei per univerſum orbem conſtantiſſime promulgarent, confirmarent miraculis, & proprio ſanguine conſignarent,

De Feſtis Tubarum.

FEſtum Tubarum ideo dictum eſt, quod in eo audiretur tubarum & buccinarum ſonitus & clangor. Licet enim in omnibus diebus feſtis clangeretur tuba; in eum enim uſum juſſerat Deus fieri tubas argenteas, Numer. 10. verſ. 10. Tamen cum in hoc feſto fieret extraordinarius tubarum clangor, Num. 29. verſ. 1. dicitur *dies clangoris*.

Celebrabatur Primo die menſis Tiſri, qui noſtro Septembri magna ex parte reſpondet, cujus & inſtitutio legitur Levit. 23. v. 24. *Menſe ſeptimo, prima die menſis, erit vobis Sabbatum, memoriale, clangentibus tubis, & vocabitur Sanctum: omne opus ſervile non facietis in eo, & offeretis holocauſtum Domino*. Idem habetur Num. 29. verſ. 1. ubi feſtum hoc appellatur, *dies clangoris & tubarum*, quod tubarum ſonitu annuntiaretur, ut obſervat Philo lib. de Decalogo, *Sacrum novilunium*, inquit, *quod tubis ſignificant*; in iſtud digitum intendit David Pſal. 80. *Buccinate in Neomenia tuba: in inſigni die ſolemnitatis veſtræ*. Inſignem diem ſolemnitatis appellat, quod potiſſimum in eo Iſraelitæ poſt collectas fruges, gratiarum actionibus & deliciis incumberent, unde Hebraice dicitur dies *exultationis & lætitiæ*.

Hujus inſtitutionis variæ cauſæ proferuntur, Hebræorum Doctores putant inſtitutum eſſe in memoriam liberationis Iſaaci ab immolatione, & propterea mandatum ut in eo clangatur arietina tuba, quod aries inter fru-

fruteta repertus, pro Iſaaco fuerit mactatus. *Verum* ſi eadem cauſa debuiſſet feſtum inſtitui, multo magis inſtituenda fuiſſent feſta in memoriam Abrahami toties e periculo mortis liberati, in curiis Pharaonis, & Abimelechi, nec non in expugnatione quinque Regum qui Luth captivum abducebant.

Exiſtimant alii idcirco feſtum hoc tubarum ſonitu fuiſſe celebrandum, ut admonerentur Iſraelitæ gratias Deo rependere pro tot victoriis in Amalecitas aliosque hoſtes reportatis. At ſi iſta hujus inſtitutionis fuiſſet cauſa, hæc gratiarum actio convenientius in anni exordio rependenda, quam in menſem ſeptimum fuiſſet differenda.

Unde veriſimilior mihi videtur eorum ſententia, qui exiſtimant clangorem tubarum eo præſertim die eſſe præceptum, ut admonerentur Iſraelitæ ad brevi ſuccedentia feſta debite celebranda: nam quatuor in eo menſe erant agenda feſta, nempe *Tubarum*, *Expiationis*, *Scenopegiæ* ſeu Tabernaculorum, & *Collectionis*; cum in reliquo anni decurſu tria tantum occurrerent, ſcilicet feſtum Paſchatis ſeu azymorum primus & ultimus dies, & Pentecoſtes. His adderem ego, feſtum hoc tubarum forte inſtitutum in memoriam expugnationis urbis Jerichuntinæ, cujus muri tubarum ſonitu everſi ſunt: ſicut enim Paſcha inſtitutum eſt in commemorationem egreſſus ex Ægypto, ita & hic dies inſtitui potuit in recordationem ingreſſus in terram promiſſionis, & everſionis Jerichuntinæ quæ Chananæos omnes ingenti terrore percuſſit.

Idcirco autem in menſe Tiſri potiusquam in aliis tot feſta celebrabantur. I. Quod hic eſſet ſeptimus, & aliorum velut Sabbatum. II. Tum quod collectæ eſſent fruges terræ, ac proinde tempus eſſet idoneum otio & lætitiæ. III. Quod religioſum erat gratias Deo rependere pro tot acceptis fructibus ac beneficiis, & rogare, ut pari benedictione ſequentem terræ culturam cumulare dignaretur. De feſto *Expiationis* jam dictum eſt, ubi egimus de expiatorio ſacrificio.

De feſto Tabernaculorum, & collectæ ſeu ſcenopegiæ.

Feſtum *Tabernaculorum* dictum eſt a Tabernaculis ex arborum ramis die decima quinta menſis Tiſri ſub dio extruendis, ut præceptum erat Levit. 23. verſ. 34. Dies ille ſicut & octavus ſequens, hoc eſt, vigeſimus ſecundus ejuſdem menſis erat celeberrimus, omneſque hujus octavæ dies erant feſtivi; non quod præceptum eſſet in eis feriari, ſed quod ſingulis diebus publica agerentur ſacrificia, & licitum erat conviviis & lætitiæ palam indulgere. Ritus celebrandorum ſacrificiorum præſcribitur Numer. cap. 29. ubi quæ ſingulis illis octo diebus offerendæ eſſent victimæ, ſtatuitur.

Tabernacula vero illa confici poterant ex quibuslibet arborum ramis: iique vel in campis, vel in plateis, vel in hortis, vel in domorum atriis aut tectis; mos enim erat Palæſtinorum, ut eorum domorum tecta plana eſſent: adeo ut in eis ambulare, dormire, & apricari liceret. Conſtant hæc ex 2. Eſdræ cap. 8. verſ. 16. ubi refertur quod ipſe Eſdras Judæis e captivitate Babylonica reducibus Jeroſolymæ congregatis juſſerit, ut ad celebrandum hoc Tabernaculorum feſtum a Deo præſcriptum irent in montem & afferrent *frondes olivæ, & frondes ligni pulcherrimi, frondes myrti, & ramos palmarum, & frondes ligni nemorum, ut fierent tabernacula, ſicut ſcriptum eſt:* Cui mandato ut parerent, *egreſſus eſt populus, & attulerunt, fecerruntque ſibi tabernacula, unuſquiſque in domate ſuo,* (id eſt in tecto ſuo, ut fert Hebræus textus.) *Et in atriis ſuis, & in atriis domus Dei, & in platea portæ aquarum, & in platea portæ Ephraim.* Degebant itaque per octo dies in iſtis tabernaculis extra domos ſuas, in quorum ultimo faciebant *Collectam juxta ritum*, ut ibidem legitur verſ. 18.

Quid autem fuerit hæc collecta, non conveniunt Interpretes. Sunt enim qui putant ſignificari cœtum populi, qui peractis illis ſeptem diebus feſti Tabernaculorum, priusquam unuſquiſque domum ſuam repeteret, convenire debebant in templum, ut intereſſent ſolemni ſacrificio ipſa die octava celebrando, idque indicare videtur verſus 36. capitis 23. Levitici: *Dies octavus erit celeberrimus, atque ſanctiſſimus, & offeretis holocauſtum Domino: eſt enim cœtus atque collectæ:*

Exiſtimant alii ideirco diem octavum collectam nominari, quod eo die fieret collectio eleemoſynæ ad templi miniſterium, & pauperum ſubſidium neceſſariæ; hanc enim pecuniæ corrogationem S. Paulus *collectam* nominat. Putarem ego utrumque hoc nomine ſignificari, nimirum, ut peracta celebritate, univerſus populus, qui Jeroſolymam convenerat, coiret in cœtum ut ſacris adeſſet, & quiſque pro ſua facultate, ſuaque pietate conferret quæ in ſumptus templi & pauperum ſolatium cederent.

Cauſam hujus inſtitutæ ſolemnitatis declarat Deus Levit. 23. verſ. 42. *Habitabitis in umbraculis ſeptem diebus. Omnis qui de genere eſt Iſrael, manebit in tabernaculis: ut diſcant poſteri, vestri, quod in tabernaculis habitare fecerim filios Iſrael, cum educerem eos de terra Ægypti.*

Tenebantur inſuper totius octiduo Tabernaculorum feſti manibus geſtare quatuor arborum ramos, nempe *arboris pulcherrimæ;* hoc eſt, citri, ut vertit Chaldæus; deinde ramos *palmarum;* tertio ramos ligni *denſarum frondium*, id eſt, myrti, ut exponit Joſephus; quarto ramos *ſalicis:* nimirum ut illis ſymbolis recordarentur ſe e deſertis locis & aſpera ſolitudine vocatos eſſe in terram feracem, & optimis arboribus abundantem; indeque gratias cum exultatione rependerent Deo tantorum bonorum largitori, ut ſignificant hæc ſequentia verba, *& lætabimini coram Domino.*

De Judæorum feſtis Eccleſiaſticis.

FEſta Eccleſiaſtica dico, quæ non Dei, aut Moſis, ſed communi veteris Synagogæ mandato & ſententia fuerunt inſtituta; hæc autem præcipua ſunt Encænia, & feſta ignis, Judith, & Eſther. *Encæniorum* nomen Græcum eſt ab ἐν, & καινὸν, id eſt, *in novo*; quod per conſecrationem ex profano & uſu communi res ad uſum ſacrum transferuntur, ut fit in templorum, & altarium, ſacrorumque vaſorum conſecratione.

Erant autem apud Judæos quatuor Encæniorum feſta, juxta totidem templi Jeroſolymitani conſecrationes ſeu dedicationes: quarum *prima* facta eſt temporibus Salomonis 3. Reg. 8. & 2. Paralip. 7. *Secunda* poſt captivitatem Babylonicam opera Eſdræ, ut apparet ex ejus lib. 1. cap. 6. verſ. 16. *Fecerunt autem filii Iſrael Sacerdotes & Levitæ & reliqui filiorum tranſmigrationis dedicationem domus Dei in gaudio &c.* Tertia dedicatio non templi fuit, ſed altaris, quod Judas Machabæus inſtauravit, ut refertur 1. Machab. cap. 4. verſ. 58. *Fecerunt dedicationem altaris diebus octo, & ſtatuit Judas & fratres ejus, & univerſa Eccleſia Iſrael, ut agatur dies dedicationis altaris in temporibus ſuis ab anno in annum per octo dies a vigeſima quinta die Casleu cum lætitia & gaudio.*

De his Encæniis videtur locutus S. Joannes cap. 10. verſ. 23. *Facta ſunt Encænia in Hieroſolymis, & hyems erat; & ambulabat Jeſus in Templo.* Quarta fuit dedicatio Templi ab Herode conſtructi, de qua Joſephus, qui poſt enarratam Templi recens conſtructi delineationem & magnificentiam, ait; *Quo facto ingens gaudium exortum eſt in populo, omnibus gratias agentibus Deo & Regi pro accurate tam alacriter negotio, fauſta ominantibus, & inſtaurationem Templi magna feſtivitate concelebrantibus. . . Incidit in hanc celebritatem abſolutæ Templi fabricæ etiam natalis Regis, quem Herodes anniverſaria hilaritate ſolitus eſt colere, ut hoc pacto conduplicaretur lætitia publica.*

Feſtum etiam agebant in memoriam ignis cœleſtis a diebus Moſis continuo in altari holocauſtorum ardentis: qui cum fuiſſet extinctus tempore Babylonici exilii, ex aqua craſſa, in quam fuerat converſus, denuo cœlitus ſuſcitatus eſt, ut refertur 2. Machab. cap. 1. verſ. 18.

Feſtum Juditha propter jugulatum ab ea Holofernem, celebrabatur die 25. menſis Casleu, ut præſcriptum erat cap. 16. verſ. 31. illius Hiſtoriæ, ubi legitur: *Dies victoriæ hujus feſtivitatis ab Hebræis in numero ſanctorum dierum accipitur, & colitur a Judæis, ex illo tempore uſque in præſentem diem.*

Feſtum Eſther celebrabatur die 15. menſis Adar, quod Aman qui univerſos Judæos in Aſſyriorum imperio captivos, jugulandos eſſe procuraverat, agente Eſthere actus fuerit in crucem quam Mardochæo paraverat; ut refertur *cap.* 9. hiſtoriæ Eſther. Appellatur etiam hoc feſtum *Phurim*, id eſt, *Sortium*, quod ſortes eſſent miſſi, ut decernerетur quo die per univerſam Aſſyriam perdendi & jugulandi eſſent Judæi. Dicitur pariter *feſtum Mardochai*, ultimo capite libri ſecundi Machab. verſ. 37.

Ibidem fit mentio feſti a Machabæis inſtituti ob extinctum Nicanorem, *Itaque omnes communi conſilio decreverunt nullo modo diem iſtum abſque celebritate præterire; habere autem celebritatem tertia decima die menſis Adar, quod dicitur voce Syriaca pridie Mardochæi diei.*

De legibus politicis & judicialibus.

CUm Deus Iſraelitas in peculiarem populum ſibi delegiſſet, eos legibus informare voluit, quibus debitum ſibi cultum & obſequium impenderent, & æquitatem ac pacem ad invicem ſervarent. Hinc triplicis generis eis Leges præſcripſit, quarum aliæ ſpectant exhibendam illi reverentiam, aliæ ritum & modum quo vult eam præſtari, aliæ denique ſtatum & ordinem quem illi inter ſe conſtituere tenebantur ut tranquille ac pacifice viverent. Prioris generis præcepta appellantur in Scriptura *Leges*, ſecundi generis *mandata*, *ſeu præcepta*, *& cæremoniæ*: tertii vero generis *judicia*, ſic Levit. 26. verſ. 45. *Hæc ſunt judicia, atque præcepta & leges quas dedit Dominus inter ſe & filios Iſrael.* Et 4. Deuter. verſ. 8. *Quæ eſt enim alia gens ſic inclyta, ut habeat cæremonias, juſtaque judicia, & univerſam legem, quam ego hodie proponam ante oculos veſtros:* Et Nehemiæ 10. *Juraverunt ut ambularent in lege Dei, ut facerent & cuſtodirent univerſa mandata Domini Dei noſtri, & judicia ejus, & juſtificationes ejus.* Et Ezechielis 44. *Juſtificationes meas juſtificabunt, & judicia mea judicabunt, & leges meas & præcepta mea, in omnibus feſtis meis cuſtodient.*

Jam de legibus & præceptis moralibus & cæremonialibus actum eſt: nunc vero agendum eſt de judiciis, ſeu de præceptis politicis & forenſibus. Ut autem ordine procedamus, ſtatuendum. I. Quale fuerit Iſraelitarum Regimen. II. Quæ leges politicæ. III. Quale judicium, & quæ reis inſligenda ſupplicia,

Digitized by Google

De Judæorum regimine.

PRima Judæorum Regiminis forma fuit Theocratia, quippe cum Deus inter eos regiam auctoritatem regiumque munus exercuerit, donec illi temporibus Samuelis Regem ſibi conſtitui poſtulaverint. Etenim ſi Regis ſit populum ſibi ſubditum regere, tueri ab hoſtibus, & ejus tranquillitati ac fœlicitati invigilare; tria hæc a Deo ergs Iſraelitas abunde præſtita eſſe, qui Exodum, Leviticum, & Numerorum ac Deuteronomii libros legerit, non ibit inficias. Idipſum illa egregie declarat Exodi cap. 19. verſ. 4. ubi Iſraelitas per Moſem alloquens ait, *Vos ipſi vidiſtis quæ fecerim Ægyptiis: quomodo portaverim vos ſuper alas aquilarum, & aſſumpſerim mihi. Si ergo audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea eſt enim omnis terra: & vos eritis mihi in regnum ſacerdotale, & gens ſancta.* Quibus verbis manifeſte apparet Deum ſe Iſraelitici populi Ducem ac Principem deſignare, qui nempe eorum tutelæ ac regimini incumbat.

Unde Judic. 8. verſ. 22. cum Iſraelitæ a Madianitarum ſervitute per Gedeonem liberati, Principatum & Imperium ei, ejuſque poſteris obtuliſſent, ille dignitatem oblatam reſpuens, conſtanter ait, *Non dominabor veſtri, nec dominabitur in vos filius meus, ſed dominabitur vobis Dominus.* Inde eſt quod cum Iſraelitæ urgerent Samuelem, ut eis conſtitueret regem. 1. Regum cap. 8. idque ingratum haberet Samuel, dixit ei Deus, *Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi; non enim te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* Regnabat igitur Deus ſuper eos antea, & tam illi quam eorum majores nullum præter illum in ſummum Principem agnoſcebant & venerabantur.

Quamobrem ille vindicabat ſibi omnia regiæ majeſtati erga Iſraelitas debita jura & ſigna: nam I. Conſtituebat illis proreges & vicarios qui ejus nomine & auctoritate regnum adminiſtrarent, ut conſtat de Moſe, Joſue, aliiſque ducibus, qui nonniſi vel immediato Dei juſſu, vel peculiari Spiritus-Sancti impulſu iſtius populi regimen & defenſionem ſuſceperunt, Deuter. 17. v. 15. II. Sicli dimidium loco tributi, quotquot annum 20. ſupergreſſi Deo, tamquam Regi ſuo, quotannis ſolvere tenebantur, ut in lib. Numer. III. Fœdera nulla cum vicinis populis inire poterant, niſi licentiam prius a Deo impetraſſent, Joſue 9. IV. Ut bellum gererent, Dei conſilium & conſenſum petebant, Judic. 20. verſ. 18.

Hinc ante Regum tempora, quotquot extiterunt Judices & Magiſtratus, ſolam vicariam poteſtatem exercuerunt. Ideo nulla geſtarunt Regum inſignia, qualia habuit Saul primus eorum Rex, nempe armillam & coronam, 2. *Reg. cap.* 11. *verſ.* 10. Nihilque gravis momenti in rebus ad regimen & communem utilitatem populi ſpectantibus ſuſcipiebant inconſulto Deo, ut præceptum erat, *Numer.* 21. *verſ.* 19. ubi ſubrogato Joſue in locum & vices Moſis, injungitur, *Pro hoc ſiquid agendum erit, Eleazar Sacerdos conſulet Dominum: ad verbum ejus egredietur & ingredietur ipſe & omnes filii Iſrael cum eo.* Quibus ſignificatur tam ipſum quam alios Judices & Magiſtratus nullam rem magni momenti gerere potuiſſe pro ſuo arbitratu; quippe cum ingreſſus & egreſſus ſuos juxta divinum oraculum dirigere tenebantur.

Inſtitutis autem Regibus, res aliter ſe habuit; nam Reges illi res publicas adminiſtrabant ſummo Jure & Imperio, ut prædixerat Deus, 1. Regum cap. 8. ac plerumque ſumma iniquitate & injuſtitia; ut apparet ex libris Regum & Paralipomenon, ubi referuntur plurium Regum idololatrici cultus impietates horrendæ, crudeles in populum vexationes & oppreſſiones; unde Eccl. 49. v. 5. *Præter David, Ezechiam, & Joſiam, omnes peccatum commiſerunt; nam reliquerunt legem Altiſſimi Reges Juda, & contempſerunt timorem Dei.*

Primus itaque ſub Deo ſupremus populi Dux & Judex extitit Moſes, ſtatim ab egreſſu ex Ægypto; cum enim conſiſterent in Mara tertio die poſt tranſitum maris Rubri, *conſtituit eis præcepta atque judicia*, Exod. 15. verſ. 25. & ibidem cap. 18. cum ad Moſem acceſſiſſet Jethro ejus cognatus *altera die ſedit Moyſes ut judicaret populum, qui aſſiſtebat Moyſi a mane uſque ad veſperam.* Quem laborem cum improbaſſet Jethro, hoc ei dedit conſilium, ut reſervatis ſibi gravioribus cauſis, iis maxime quæ ad Dei cultum ſpectarent, ſeligeret e populo viros cordatos eximia pietate, integritate & æquitate præditos, eoſque inſtitueret leviorum cauſarum Judices: *Quibus auditis, Moyſes fecit omnia quæ ille ſuggeſſerat; & electis viris ſtrenuis de cuncto populo Iſrael, conſtituit eos Principes populi, Tribunos & Centuriones & Quinquagenarios & Decanos, qui judicabant plebem omni tempore: quidquid autem gravius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodo judicantes.*

At licet illi Judices & Præfecti ſuo munere debite fungerentur, nihilominus cum frequentes eſſent iſtius populi adverſus Moſem perduelliones & graves querimoniæ, ille eorum moleſtiæ pertæſus ad Deum converſus ait Numer. 11. v. 14. *Non poſſum ſolus ſuſtinere omnem hunc populum, quia gravis eſt mihi.* Ei autem juſſit Deus ut ſeligeret ſeptuaginta viros ſeniores, ex iis qui jam ſupra populum erant conſtituti, ut pari cum eo divini Spiritus lumine irradiati, in illius muneris & oneris partes venirent, nec in tanti populi regimine ſolus ipſe impoſterum gravaretur. Cui divino mandato cum paruiſſet Moſes, *Deſcendit Dominus per nubem auferens de ſpiritu qui erat in Moyſe, & dans ſeptuaginta viris.* Non quod aliquid detractum aut imminutum fuerit de Moſis ſpiri-

tu & gratiis ei divinitus collaris; nam hac ratione non fuiſſet alleviatum illius onus, nec facilior reddita populi gubernatio; ſed quod talem habuerint ipſi ſpiritum, qualem eis communicaſſet Moſes, ſi ſpiritus illius fuiſſet ſui diffuſivus. Unde videbantur eodem afflati ſpiritu quo imbutus erat Moſes, ac ſi idem fuiſſet ejus ſpiritus; quo ſenſu Lucæ 1. Joannes Baptiſta dicitur Chriſtum præceſſurus *in ſpiritu & virtute Eliæ*, id eſt, ſimili quo erat Elias donatus.

De Senatu Sanhedrim.

AD horum autem ſeptuaginta virorum ſimilitudinem, in Judæorum Republica deinceps inſtitutus eſt celeberrimus ſeniorum Senatus *Sanhedrim*, qui communi conſilio difficultates omnes graviſſimas, maxime quæ ad legis ac Religionis negotium ſpectabant, ſuprema auctoritate definirent. Neque tamen exiſtimandum eſt, vocem hanc *Sanhedrim* iſti ſeniorum conſilio Moſis tempore fuiſſe inditam, cum enim origine ſit Græca, nempe a voce συνέδριον vel συνέδρια quæ cœtum Senatorum & Judicum ſignificat, illam ſuorum Judicum cœtui aptarunt Judæi, poſtquam a Græcis victi, eorum moribus & linguæ aſſueverunt.

Quinam autem fuerint illi ſeptuaginta Judices, & ex qua Tribu ſelecti, Scriptura diſtincte non exprimit; ſed ſolo nomine *Seniorum Iſrael*, eos ubique indigitat Exod. 3. verſ. 16. & 18. verſ. 13. & 24 verſ. 1. 9. 14. & Numer. 11. verſ. 14. 16. nihilominus veriſimile eſt illos fuiſſe ſelectos ex unaquaque Tribu, ut invidiæ & querimoniæ anſa præcluderetur. Illi vero ſelecti Senatores & Judices dicti ſunt *ſeniores*, non quod eſſent aliis ætate provectiores, & grandævi; ſed quod morum integritate, maturitate judicii, & divini cultus zelo ac peritia aliis antecellere viderentur.

Licet autem veriſimile ſit Judices illos ex qualibet Tribu fuiſſe delectos; attamen ex Scriptura colligitur illorum pleroſque ex Tribu Levitica, & præſertim ex ordine ſacerdotali fuiſſe aſſumptos: nam Deuter. 17. verſ. 8. ſtatuit Deus: *Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & lepram, & judicum intra portas tuas videris verba variari, ſurge & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem qui fuerit illo tempore; quæreſque ab eis qui indicabunt tibi judicii veritatem.* Et cap. 19. verſ. 16. *Si ſteterit teſtis mendax contra hominem, accuſans eum prævaricationis, ſtabunt ambo, quorum cauſa eſt, ante Dominum in conſpectu Sacerdotum & Judicum: qui fuerint in diebus illis*. Et cap. 21. verſ. 5. *Quando inventum fuerit in terra.... hominis cadaver occiſi, & ignorabitur cædis reus, egredientur majores natu & Judices tui.... accedentque Sacerdotes filii Levi...., & ad verbum eorum, omne negotium, & quidquid mundum, vel immundum eſt, judicetur.*

In his quidem duobus poſterioribus teſtibus fit tantum mentio Sacerdotum; non quod excludantur alii Judices, ſed ut ſignificetur Sacerdotes in illo judicio præcipuas partes obtinuiſſe. Quo pariter ſenſu Deus per Ezechielem cap. 44. verſ. 24. de Sacerdotibus ait: *Populum meum docebunt quid ſit inter ſanctum & pollutum: & cum fuerit controverſia, ſtabunt in judiciis meis, & judicabunt &c.* Quæ verba non ſunt intelligenda de ſolis controverſiis circa religionem exorientibus, ſed univerſim de omnibus gravioribus cauſis inter populum exortis. Inde eſt quod lib. 2. Paralip. cap. 19. Rex Joſaphat volens reſtituere Senatum Jeroſolymitanum, ut erat antiquitus, *in Jeruſalem quoque conſtituit Joſaphat Levitas & Sacerdotes, & Principes familiarum ex Iſrael, ut judicium & cauſam Domini judicarent habitatoribus ejus &c.*

In quibus verbis tria veniunt obſervanda. I. Senatum illum conflatum fuiſſe ex Levitis, Sacerdotibus & Laicis. II. Novam non fuiſſe hanc Judicum inſtitutionem, ſed ad inſtar illius, quæ olim Deo jubente fuerat ordinata, ut apparet ex textu. III. Judices illos auctoritatem habuiſſe indiviſim ſtatuendi nedum de rebus Eccleſiaſticis, ſed etiam de civilibus & politicis: ait enim eis ibidem Joſaphat verſ. 10. *Omnem cauſam, quæ venerit ad vos fratrum veſtrorum, qui habitant in urbibus ſuis, inter cognationem & cognationem, ubicumque quæſtio eſt de lege, de mandato, de cæremoniis, de juſtificationibus, oſtendite eis &c.*

Unde audiendi non ſunt, qui exiſtimant Judices illos cognoviſſe quidem de omnibus cauſis, non tamen ſingulos de ſingulis, ſed Sacerdotes & Levitas de Eccleſiaſticis & ad Dei cultum & legis obſervantiam ſpectantibus; laicos vero de politicis & ad civilem hominum inſtitutionem ordinatis. Contrarium enim apparet tum ex præfatis verbis regis Joſaphat, qui conſtitutos a ſe Judices indiviſim affatur, eoſque omnibus cauſis definiendis præficit: tum ex præcedentibus textibus, quibus conſtat Sacerdotes & Levitas cognoviſſe tam de homicidio, quam de falſis teſtibus. Idipſum docet Joſephus, ubi agens de Deo legis Auctore ait: *Sacerdotibus in commune quidem res præcipuas diſpenſare permittit: ſummo vero Pontifici, aliorum Sacerdotum Principatum competenter injungit.*

Neque his obſtant quæ rex Joſaphat ſubjicit, verſ. 11. *Amarias autem Sacerdos & Pontifex veſter in his quæ ad Deum pertinent præſidebit: porro Zabadias filius Iſmahel, qui eſt dux in domo Juda, ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent.* In his enim verbis non agitur de munere judiciali, ſed de cura eorum quæ ſpectant, vel a ſacra miniſteria, quibus præ cæteris invigilare debebat ſummus Pontifex; vel ad officiales aulæ Regiæ, quibus præficiebatur Zabadias,

ut

ut eorum quiſque injuncto ſibi munere debite fungeretur: ad quod eos hortatur Rex ſubjiciens, *Habetiſque magiſtros Levitas coram vobis; confortamini & agite diligenter, & erit Dominus vobiſcum in bonis:* ac ſi diceret, bono ac generoſo debetis eſſe animo, utpote cum egregios ſapientia ac virtute præditos habeatis præfectos, ac inſuper plurimos Levitas eruditione & legum peritia celebres, qui in rebus difficillimis, ſi quæ occurrant, ſuo conſilio vobis aderunt, Deumque habebitis in omnibus adjutorem.

De hujus Senatus Præſide.

QUis iſtius Senatus fuerit ordinarius Præſes, an ſummus Pontifex, an laicus aliquis, non ita facile eſt definire. Tempore quidem Chriſti D. certum eſt Pontifices fuiſſe iſtius Senatus Principes, & ſummam rerum judicialium apud illos ſtetiſſe; Annas & Caiphas tunc temporis iſti conſilio præerant; ſiquidem Joan. 11. v. 49. illi conſilium convocarunt ut deliberarent adverſus Jeſum; & Caiphas cum eſſet Pontifex anni illius, hanc protulit ſententiam: *expedit vobis ut unus moriatur pro populo & non tota gens pereat.* Et cum iſtius Senatus mandato apprehenſus eſſet Jeſus, primum deductus eſt ad Annam, qui erat ſocer Caiphæ, & in Pontificatu illius collega, Joan. 18. verſ. 13. *Mane autem facto conſilium inierunt omnes Principes Sacerdotum & ſeniores populi, adverſus Jeſum, ut eum morti traderent &c.* vel ut ait S. Marcus 15. v. 1. *Confeſtim mane conſilium facientes ſummi Sacerdotes, cum ſenioribus, & ſcribis, & univerſo concilio, vincientes Jeſum, duxerunt & tradiderunt Pilato.* Vides ſummos illos Sacerdotes, ſeu Pontifices primas in iſto concilio habuiſſe. Idipſum diſtinctius apparet ex cap. 4 Actuum, ubi Annas & Caiphas aliique Sacerdotes cum ſenioribus in cœtum coeunt adverſus Apoſtolos, eoſque Petrus his verbis affatur, *Principes populi, & ſeniores &c.* Ex quibus conficitur duos ſummos illos Pontifices Annam & Caipham, iſtius Senatus fuiſſe præſides & capita.

Utrum vero dignitas illa penes ſolos Pontifices ſemper ſteterit, non ita conſtat; Moſes enim Maimonides in *iad* titulo *Sanhedrim*, docet Principem illum fuiſſe electum & conſtitutum, qui cæteris ſapientia, id eſt, legis peritia, antecellere videbatur, *Qui ſapientia*, inquit, *præſtabat, conſtituerunt ſuper ſe caput; adeoque is erat conſeſſus ſeu ſynedrii caput, atque idem, quem ſapientes appellitant ubique Principem. Is autem conſtituebatur loco Moſis magiſtri noſtri. Conſtituebant etiam virum in ſeptuaginta reliquis eminentiorem capiti ſecundum, cujus ſedes erat a dextera illius, is vocabatur* AB BETH DIN, *Patrem domus judicii* nominavere. II. Supremum illum Senatus Principatum non fuiſſe conſtanter annexum alicui dignitati vel ſacerdotali vel laicali, ſed eum ad illam auctoritatem fuiſſe promotum, qui ſapientia & legis peritia cæteris præcelleret. III. Alios Senatores paris fuiſſe dignitatis & poteſtatis.

IV. Eos non ſediſſe una aut altera linea, ſed eorum ſedilia compoſita fuiſſe formæ ſemicirculari, quod etiam confirmat Gemara Hieroſolymitana: *Synedrium erat inſtar ſemicirculi; & Princeps ſedebat in medio, ut ita commodius poſſent eum intueri, & vocem ejus audire.* Unde Gemara Babylonica ibid. fol. 37. huic ſeſſioni adaptat illa verba Cantici Canticorum cap. 7. verſ. 2. *Umbilicus tuus crater tornatilis, numquam indigens poculis: venter tuus ſicut acervus tritici vallatus liliis.* Umbilicus, inquit, denotat ſynedrium magnum conſtitutum in umbilico (id eſt in medio) totius orbis. Dicitur autem *crater*; quia ejus figura erat ſemicircularis: venter dicitur *acervus tritici*: ſicut enim triticum hominum nutritioni inſervit, ita ex ſynedrio, multa commoda quilibet percipit: circumſeptus eſt *liliis*, quia ſeptuaginta ſenes in ſemicirculari figura ſedentes, ſynedrium illuſtrant & velut circumſtipant.

Etſi vero ſummus Pontifex illius Senatus ut plurimum eſſet Princeps; nihilominus cum illud conſilium conſtaret ex tribus ordinibus, Sacerdotibus, Levitis & filiis Iſrael, qui neque Sacerdotes erant, neque Levitæ; cumque in Præſidem is deligeretur qui cæteris pietate, æquitate & legum peritia antecellere videbatur; inde fit conſequens illam præſidentiam ſummo Pontificatui non fuiſſe conſtanter annexam. Attamen cum Sacerdotes & Levitæ ratione ſui ſtatus & miniſterii aliis ſcientia & morum candore præſtare tenerentur, inde fiebat ut Senatus ille ex eis potiſſimum componeretur. Hinc quæ ſtatuebantur ab illo Senatu, plerumque in Scriptura ſacra tribuuntur Sacerdotibus & Levitis; quod hi nimirum in illo conſeſſu plures eſſent, & primas partes obtinerent. Unde Joſephus de Rege inſtituendo, refert Moſem dixiſſe, *Is quiſquis fuerit, plus legibus, & Deo, quam ſuæ ſapientiæ tribuat, nihilque præter Pontificis & Senatus ſententiam faciat.*

Quæritur, Unde illi Senatores ſeligerentur.

Reſpondeo, eos fuiſſe ſelectos ex Sacerdotibus Leviticis & Iſraelitis, qui ut mox diximus, morum probitate, legis peritia, & generis nobilitate aliis præfulgebant. Unde, inquit Maimonides, *Accepimus a ſapienti-*

bus

Synadrii: Reliqui vero ſeptuaginta ſedebant coram illis duobus juxta dignitatem ſuam, & quiſque ut ſocium ſuum ſapientia antecelluit, eo proximior erat Principi a ſiniſtra ejus. Sedebant autem velut in dimidiata area circulari, ita ut Princeps & pater ſynedrii cunctos poſſet intueri.

Quibus verbis quatuor ſignificat I. Duos fuiſſe Senatus illius Principes; unum quidem ſupremum quem (inquit Cunæus) Talmudiſtæ appellabant NASSI BECOL MOCOM, id eſt, *Principem in omni loco:* alterum vero ab illo primo ſecundum, quem

bus morem fuiſſe ut e ſynedrio magno mitterent per univerſam terram ſanctam, inquirerentque de quolibet qui ſapiens eſſet, timens peccatum, manſuetus, probatæ indolis in rebus diſcriminandis, atque apud homines gratioſus. Virum ejuſmodi feciſſe in urbe illius Judicem inde illum ad introitum Templi evexiſſe: inde itidem ad oſtium atrii, atque inde demum ad Synedrium magnum. Eadem ſed contractius habet Gemara Babylonica, *inde ſcribebant per omnia loca: qui ſapiens eſt, genere nobilis & hominibus gratioſus fiat Judex in urbe ſua. Inde evehebant eum ad montem Templi, inde ad atrium, atque inde demum ad conclave lapideum.*

Ex his apparet apud Judæos triplicis generis fuiſſe Tribunalia, unum quidem *urbicarium*, quod in ſingulis civitatibus erat conſtitutum juxta hoc divinum mandatum, Deuter. 16. verſ. 18. *Judices & magiſtros conſtitues in omnibus portis tuis.... per ſingulas Tribus, ut judicent populum juſto judicio.* Ubi per *portas*, urbes intelligit, quod earum regionum antiquitus eſſet conſuetudo, ut Judicum tribunalia juxta civitatum portas eſſent conſtituta, ut omnibus intrantibus aut exeuntibus judiciorum æquitas appareret. Unde Deuter. 21. verſ. 18. *Si quis genuerit filium contumacem, qui parentes non audiat, apprehendent eum & ducent ad ſeniores civitatis ejus, & ad portam judicii, dicentque: filius noſter iſte protervus & contumax eſt &c.* Et Joſue 20. v. 4. ubi agitur de homicida involuntario confugiente ad civitates refugii, *Cum ad unam harum confugerit civitatum, ſtabit ante portam civitatis, & loquetur ſenioribus urbis illius ea quæ ſe comprobent innocentem.*

Hinc David agens de viro juſto ad tribunal Judicum evocato ait verſ. 5. *Non confundetur cum loquetur inimicis ſuis in porta;* & Proverb. 22. verſ. 22. *Non facias violentiam pauperi, quia pauper eſt: neque conteras egenum in porta: quia judicabit Dominus cauſam ejus.* Judicium autem ab illis fiebat in porta, ut intrantibus & exeuntibus Judicum æquitas appareret, ut ſupra dictum eſt.

Hi vero Judices in omnibus civitatibus Palæſtinæ, in quibus non extabant ſaltem 120. familiæ, erant tantum numero tres, ut docet Maimonides [a], Joſephus [b] autem ex traductione Rufini, ait illos in iſtis minoribus civitatibus fuiſſe numero ſeptem; *Principes autem*, inquit, *in unaquaque civitate viri ſeptem, qui & virtute & juſtitiæ ſtudio ſint eximii: unicuique vero principatui duo viri miniſtri præbeantur ex tribu Levitarum: in omni autem honore, qui urbibus judicare conſtituti fuerint, habeantur, ita ut illis præſentibus neque blaſphemare, neque aſpere agere liceat aliquibus: ſic utique reſpicientibus pudorem dignorum hominum, tanquam ſi Deum in illis contemnere videantur.*

a In halacha Sanhed. cap. 1.
b Lib. 4. antiq. cap. 8.

Illi vero tres, aut ſeptem Judices non de gravioribus, ſed de levioribus duntaxat cauſis debebant ſtatuere; nempe I. De debitis pecuniariis. II. De furtis. III. De rapinis. IV. De damnis illatis. V. De reſtitutione dupli, quadrupli vel quintupli, prout in lege erat ſancitum.

In majoribus vero & populoſioribus civitatibus erant viginti tres Judices, ut refertur in *tract. Sanhedrin cap. 1. ſect. 6.* Hi vero de gravioribus cauſis judicabant, puta, quinam rei lapidandi eſſent, qui capite plectendi, qui comburendi, quive ſtrangulandi, aut flagellandi. Ab horum vero ſicut & aliorum inferiorum tribunalium ſententia provocare licebat ad maximum Sanhedrin Hieroſolymis conſtitutum.

Erant enim in hac Iſraelitarum urbe capitali tria tribunalia. *Unum* ſeptem virorum, pro levioribus cauſis, ad introitum montis Templi: *Alterum* viginti trium Judicum, pro gravioribus cauſis, juxta atrium Templi.

Tertium vero 71. Senatorum pro rebus maximi momenti in conclavi ſaxeo, ſeu ex lapidibus politis conſtructo, quod partim in ſancto, & partim in atrio Templi conſtitutum erat, ut habet Gemara Babylonica [c] & Hieroſolymitana [d], ſeu ut exponit R. Obadias ad Miſna [e]. *Alterum minorum ſedebat ad introitum Templi, quæ eſt pars Orientalis interior ab antemurali ante atrium fœminarum: alterum ſedebat ſuperius ad dexteram, ubi ſit tranſitus ab atrio fœminarum, ad atrium virorum Iſrael; & demum alterum* (nempe Synedrium maximum) *in conclavi ſaxeo, cujus pars dimidia eſt in ſacro, & dimidia in profano.* Appellabant autem hunc locum *Liskat bagaſith*, hoc eſt, conclave ſaxeum, quod eſſet eleganti contabulatione laqueatum conſtratum.

c Titul. Sanhe. c. 10.
d Folio 19.
e Titul. Sanhed.

Hic autem Senatus maxima pollebat auctoritate; illius enim erat. I. Novas condere leges, quæ univerſos Iſraelitas conſtringerent, dummodo latis a Deo per Moſem legibus non adverſarentur.

II. Statuere nova feſta, propter nova & inſignia beneficia cœlitus accepta, ut feſtum victoriæ Judith, feſtum Sortium, Encæniorum, & alia quæ ab eis fuerunt inſtituta.

III. Magnates quoſque, & cujuſvis ordinis judicare, etiam ipſum ſupremum Pontificem, ſi cujus ipſe criminis accuſaretur reus, ut legitur in Miſna tit. Sanhedrin cap. 1. *Si Pontifex maximus tranſgreſſus fuerit in re aliqua in flagellatione punienda, flagellandus erat in Synedrio ſeptuaginta virorum, ut reliqui flagello puniendi; dignitas tamen ejus & exiſtimatio integra manebat.*

IV. Hoc Concilium cognoſcebat de novo Propheta, an verus eſſet, aut falſus: hinc Joan. 1. v. 19. *Miſerunt Judæi ab Jeroſolymis Sacerdotes & Levitas ad eum* (Joannem Baptiſtam) *ut interrogarent eum, tu quis es?* Judæi vero illi alii non erant, quam Senatores Concilii Sanhedrim: At ſub obtentu inquirendi & animadvertendi in falſos Prophetas, plerumque veros ac legitimos Dei vates interimebant. Unde Chriſtus D. Mat. 23. 37. conqueritur de Jeroſolymitanis, occaſione injuſtitiarum hujus Senatus: *Jeruſalem, Jeruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt!* Hinc Saulus, ut refertur *Actor.* 9. Chriſti Diſcipulorum perſecutor, arbitratus ſe obſequium præſtiturum Deo, *acceſſit ad Principes Sacerdotum, & petiit ab eis epiſtolas in Damaſcum*

ad

Digitized by Google

ad Synagogas: ut ſi quos inveniſſet hujus viæ viros, ac mulieres, vinctos perduceret in Jeruſalem.

Falſus autem Propheta his argumentis detegebatur. I. Si quæ prænuntiabat futura, non evenirent, ut declarat Deus Deuter. 18. verſ. 22. *Quod In nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non evenerit: hoc Dominus non eſt locutus, ſed per tumorem animi ſui, Propheta confinxit, & idcirco non timebis eum.* II. Si Propheta ille non eſſet probæ vitæ, & aliud præter Dei gloriam, ſuamque, & aliorum ſalutem æmularetur; quo argumenro Chriſtus D. veram ſuam a divino Patre miſſionem & delegationem demonſtrat, Joan. 7. 18. *Qui a ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit; qui autem quærit gloriam ejus, qui miſit eum, hic verax eſt, & injuſtitia in illo non eſt.* III. Si quæ nomine Dei ventura prænuntiat, aut præſentia enarrat, miraculis & prodigiis non confirmat: ſic 4. Reg. 1. v. 10. Elias quinquagenario dixit: *Si homo Dei ſum, deſcendat ignis de cœlo, & devoret te, & quinquaginta tuos.* Sic Chriſtus Joan. 5. verſ. 36. *Ipſa opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me, quia Pater miſit me &c.*

V. Decernere an bellum ineundum eſſet adverſus hos, illoſve Judaici populi hoſtes, & utrum penitus delendi eſſent, & expugnandi; dum videlicet nullus aderat Propheta, qui hoc ipſum jubente Deo demonſtraret. Quemadmodum 1. Reg. cap. 25. Samuel Sauli Regi ex parte Dei juſſit, ut funditus exterminaret Amalecitas.

VI. Cum Tribus aliqua deviaret a lege Dei, aut cum altera controverſiam & litem haberet, non ab alio quam ab hoc ſupremo Senatu judicabatur, ut habet Miſna tit. Sanhedrin. *Non judicabant ſceptrum alibi atque in Synedrio ſeptuaginta unius virali*: Ad quæ verba addit Maimonides, *Judicium Tribus hic intelligendum, ſi apoſtaſiæ rea fuerit ea tota, tunc alibi quam in Synedrio magno judicanda non erat &c.* Idem erat Judicium de urbis apoſtaſia. Jubet quidem Deus Deuter. 13. verſ. 15. quod ſi alicujus urbis incolæ a veri Dei cultu ad idololatriam deſciverint, *Statim percuties habitatores urbis illius in ore gladii, & delebis eam, ac omnia quæ in illa ſunt, uſque ad pecora. Quidquid etiam ſuppellectilis fuerit, congregabis in medio platearum ejus, & cum ipſa civitate ſuccendes; ita ut univerſa conſumas Domino Deo tuo, & ſit tumulus ſempiternus. Non ædificabitur amplius &c.* Verum hujus ſupremi Senatus erat decernere, utrum illa exterminanda Civitas, pœnam illam fuiſſet promerita, eſſetque revera idololatriæ rea.

VII. Sunt qui contendunt Reges etiam ab ipſo Senatu fuiſſe judicaodos & arguendos, ſi quidpiam contra legem Dei attentaſſent: ita præ cæteris Eminentiſſ. Baronius: *Erat*, inquit, *ſumma horum auctoritas, ut qui de lege cognoſcerent, & de Propheta, ac ſimul de Regibus judicarent; horum namque judicio Herodes Rex poſtulatus eſt, in quos poſtea crudeliter ſæviit, ut teſtatur Joſephus.* Verum exemplum quod ex Joſepho producit, ejus ſeotentiam non confirmat. Herodes enim nondum erat Rex quando ſtetit coram illo Senatu, ſed tantum Galileæ præpoſitus. Fuit autem poſtulatus, inquit Joſephus, quod inconſulto Senatu Ezeciam inſignem latronem, ejuſque comites viam infeſtantes interfeciſſet, *Contemptis legibus quæ hominem quantumvis ſceleſtum, non ſinunt affici ſupplicio, niſi prius a Synedrio* (ſeu magno, ſeu minori) *fuerit condemnatus.*

Comparuit quidem Herodes, ſed eum cauſæ ſuæ diffideret, acceſſit eum armatorum comitatu ad ſe tuendum idoneo, ita nimirum temperato, ut nec Hircano tum Judæorum Regi, a quo impenſe diligebatur, terrorem incuteret; nec ſi eſſet opus, opportunum deeſſet auxilium, quo a judicii periculo eriperetur.

Res ei ex votis ſucceſſit, ut refert ibidem Joſephus. Herodes enim ſtipatus armato comitatu adeo omnes terruit, ut nec qui ad accuſandum venerant, hiſcere auderent, altumque eſſet in Synedrio ſilentium, atque inopia conſilii. Unus tamen e Synedrii principibus (ut quidam exiſtimant) vir juſtus, & terroribus infractus, exurgens conſtanter ait: Viri judices, tuque Rex, „ nec ipſe
„ unquam vidi quemquam qui ad cauſam
„ apud nos dicendam vocatus ad hunc mo-
„ dum comparuerit, nec vel puto poſſe pro-
„ ferri hujuſmodi quempiam: ſed quiſquis
„ hactenus in hoc Synedrium judicandum
„ ſe præbuerit, humilis venit ac timentis
„ habitu, & captantis miſericordiam, ca-
„ pillis promiſſis, veſteque indutus atra. At
„ bonus iſte Herodes cædis reus, & tam gra-
„ vi obnoxius crimini adſtat huic purpura-
„ tus & crine belle compoſito, cum ſtipa-
„ toribus armatis; ut nempe ſi juxta legem
„ eum condemnemus, nos ipſos trucidet,
„ ipſeque vi legibus illata evadat. At vero
„ Herodem neutiquam tam incuſo quod in-
„ columitatis ſuæ majorem quam legum ha-
„ buerit rationem, quam vos & Regem,
„ qui tantam ei indulſiſtis licentiam. Scito-
„ te tamen potentem eſſe Deum, & quod
„ iſte quem nunc in Hircani gratiam Legi-
„ bus eripitis, & vos aliquando, & ipſum
„ etiam Regem puniet.

Nec vanus fuit vates; nam Herodes regnum adeptus, univerſos Synedrii viros unico excepto Samea, etiam & Hircanum ipſum (ut ait Joſephus) ſuſtulit. Cum itaque tunc temporis Hetodes nondum eſſet regno potitus, ex illius exemplo inferri nequit Reges iſtius Senatus judicio fuiſſe ſubditos.

Etſi vero id exinde deduci nequeat, docet tamen Maimonides, *Reges familiæ Davidicæ & judicabant & judicabantur: etiam teſtimonium adverſus eos præbere licuit. At vero de Regibus Iſrael decrevere ſapientes eos nec judicare, nec judicari, nec teſtimonium præbere, nec in ipſos præberi teſtimonium; quoniam corda eorum ſuperba fuere; nec aliud inde manare præter ſcandalum, atque abolitionem inſtitutorum Legis.*

Alia vero hujus diſcriminis ratio profertur in Gemara Babylonica ad titul. Sanhedrim, quam ſummatim exprimit Abraham Zachuth

in

Digitized by Google

in Sharachide, his verbis: *Cum Rex ex ſervis homicidium patraſſet, fecit ille* (Senatus Princeps) *ut ſiſteretur coram ſe Rex, & ſtaret coram Synedrio, his vero cultus deiicientibus* (ad Regis præſentiam terrore correptis) dixit *Simeon ben Statach, cordium inſpector ſumet de vobis vindictam; & venit Gabriel, & decuſſit eos in terram; adeo ut omnes morerentur, & tunc decrevere ſapientes Regem nec judicare, nec judicari.* Verum hæc narratio Rabbinicum commentum ſapit.

Probabilius itaque dicendum arbitror, nuſquam Reges ſive Judæ, ſive Iſraelis, ſubditos fuiſſe illorum Senatorum judicio. De Regibus Iſraelis res eſt citra controverſiam, cum nullam habuerint partem in iis quæ fiebant in urbe Hieroſolymitana, ubi Senatus ille conſiſtebat. De Regibus autem Juda id manifeſtum fit ex Miſna, ubi legitur: *Nec ipſe* (Rex) *judicatur.* Et ex Gemara Babylonica Rex ipſe judicandus non erat: quod in Davide habetur, *De vultu tuo judicium meum prodeat.* Ad quæ verba R. Jeremias, ut refertur in Dabarim Rabba, addit: *Adeo ut nemini mortalium judicii in Regem exercendi jus competeret, ſed tantum Numini ſanctiſſimo.* Idipſum confirmari poteſt ex his ejuſdem Regis Prophetæ pœnitentis verbis, qui Dei miſericordiam inclamans ait; *Tibi ſoli peccavi.* Ad quæ verba S. Ambroſius ait, *Rex utique erat, nullis ipſe legibus tenebatur; quia liberi ſunt Reges a vinculis delictorum: neque enim ullis ad pœnam vocantur legibus, tuti imperii poteſtate: in hominem ergo non peccavit, cui non tenebatur obnoxius.*

Hæc Senatoria dignitas, cum omnium eſſet ampliſſima, nonniſi ſolemni actu, ſcilicet manuum impoſitione deferebatur. Ita Moſes (ut tradunt Hebræi referente Maimonide) manus impoſuit Joſue, & ſeptuaginta ſenioribus, quos ipſe ſelegerat; *Deſcenditque Dominus per nubem, & locutus eſt ad eum* (Moſem) *auferens de ſpiritu qui erat in Moyſe, & dans ſeptuaginta viris*, Numer. xi. v. 25. Hi vero ſic initiati *alios* deinde ſibi ſucceſſores ſimili ritu in Senatores adſciverunt. Hæc autem manus impoſitio perſeveravit etiam ad tempora Hillelis, qui huius Senatus princeps extitit, quique hanc in Senatoris inſtitutione formulam ſervandam præſcripſit; *Ecce manus tibi impoſita eſt: daturque poteſtas tibi judicia exercendi etiam criminalia.* Addit R. Abraham Zachut R. *Hillel, magni conſilii Præſes compoſuit Intercalationem toti Iſraeli uſque ad tempora Meſſiæ: idque factum eſt ab illo antequam manuum impoſitionis legitimus actus abrogaretur.* Fuit autem abrogata hæc manus impoſitio occaſione Sameæ hominis ambitioſi & truculenti, qui cum eſſet ab Hillele ſecundus Præſes Sanhedrim, adverſus eum inſurrexit, Senatoreſque traduxit in partes, & univerſum pene populum varia in ſtudia pertraxit.

De judiciis & pœnis capitalibus Hæbræorum.

DUm Judæus aliquis cujuſdam criminis apud Judices poſtulabatur, coram Judicum cœtu collocabatur in loco eminentiori, unde ab omnibus videri & audiri poſſet: accuſatores vero, qui plerumque itidem erant teſtes, ſtabant e regione ipſius, qui priuſquam promerent accuſationem, admonebantur a Judicibus, ne homicidio perpetrando ſeſe implicarent; dein accuſabant reum de hoc aut illo crimine: ſeorſim vero & ſi centum eſſent, de corpore delicti, ejuſque circumſtantiis interrogabant: in quibus ſi convenirent omnes, nec reus haberet unde teſtimonia refelleret; colligebantur Judicum ſuffragia: quorum ſi duo ſupra medietatem reum morti adjudicarent, ferebatur a Synedrii principe ſententia capitalis expreſſo ſupplicii genere: ſtatimque Judices ac teſtes manus imponebant ſupra caput ejus, dicentes: *Sanguis tuus ſit ſuper caput tuum.* Atque in hunc modum Judæi Chriſto Domino damnato ad mortem, dixerunt: *Sanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros.*

Damnatus autem educebatur ad locum ſupplicii, non intra, ſed extra urbem; vel, ut loquuntur Hebræi Doctores, extra tria caſtra: urbem enim Jeroſolymam in tria caſtra diſtinguebant, nempe in *atrium*, ſive caſtra Dei: *In montem Sanctuarii*, ſive caſtra Levitica; & in *urbem univerſam*, ſive caſtra Iſraelis, ut colligitur ex Sanhedrim cap. 6. hinc ut refertur Actorum 7. verſ. 57. S. Stephanum damnatum ad mortem Judæi duxerunt extra civitatem, & lapidarunt eum.

Dum autem reus duceretur ad locum ſupplicii, præco anteibat clamans, *Vir iſte: prodit hic* N. N. *Filius* N. N. *lapidandus, aut decollandus, ob culpam hanc, illamve. Teſtes ejus ſunt* N. N. *&* N. N. *Quicumque eum inſontem docere poteſt, accedat, & rationes ſuas exponat.* Si vero aliquis ſe offerret qui ipſum inſontem eſſe aſſereret, reducebatur ad Judices, dummodo in aſſerendis verbis aliquid ſolidi appareret illi Senatori, qui præſens eſſe debebat ſupplicio.

Cum reus decem circiter cubitis a loco ſupplicii abeſſet, edenda ipſi erat confeſſio delicti, ut colligitur ex Joſue 7. verſ. 19. Si enim non confiteretur peccatum commiſſum, exiſtimabant eum nullam habiturum partem in futuro ſæculo. Confeſſo delicto detrahebantur damnati veſtes, velatis ſolum anterioribus in viris; mulieres vero nonniſi modice denudabantur; deinde illi præbebatur poculum vini grano thuris permixti, ut ſopirentur ejus ſenſus, & ſupplicium ipſi minus foret acerbum. Quod utique præceptum exiſtimabant his Proverbiorum verbis cap. 31. verſ. 6. *Date ſiceram mœrentibus, & vinum his qui amaro ſunt animo; bibant, & obliviſcantur egeſtatis ſuæ, & doloris ſui non recordentur amplius.* Hinc ut refert S. Marcus cap. 15. verſ. 23. Judæi Chriſto Domino ad mortem damnato dederunt *vinum myrrhatum*, milites vero ut ipſi illuderent dederunt ei bibendum *acetum cum felle mixtum*, ut refert S. Matth. cap. 27. verſ. 34. Hæc autem ſervabant in omnibus ſuppliciis. Ca-

Digitized by Google

Capitales pœnæ, quibus apud Judæos rei puniebantur, erant quadruplicis generis, ut refertur in Sanhedrim: *Quatuor ſupplicia capitalia Senatui tradita ſunt; lapidatio, occiſio ſeu decollatio, combuſtio, & ſtrangulatio.* Cum autem aliquis erat lapidandus, conſcendebat locum ſupplicii altum gemina hominis longitudine, aderant cum eo duo teſtes illius accuſatores, quorum unus inde detrudebat eum, ut ſupinus concideret. Si hoc caſu moreretur, ſatisfactum erat Judicum ſententiæ: ſin vero, Teſtium alter lapidem ſublatum in pectus ejus proiiciebat: quo icta ſi non expiraret, ab univerſo populo lapidibus obruebatur, ut ſtatuitur Deuter. 21. verſ. 21.

Octodecim a Talmudiſtis proſeruntur crimina, propter quæ reus deberet lapidari, ut videre eſt in Miſna. Verum cum inter illa numerent concumbentes cum maſculis, & beſtiis, aliaque hujus generis criminum monſtra ſolo igne expianda, arbitror eos turpiſſime in his hallucinari.

Comburendi erant concumbentes. I. Cum filia ſua: II. Cum nepte ea filia: III. Cum nepte ex filio: IV. Cum uxoris filia: V. Cum uxoris nepte ex filia ejus: VI. Cum nepte ea filio ejus: VII. Cum ſocru ſua: VIII. Cum ſocrus ſuæ matre: IX. Cum matre ſoceri ſui: X. Filia Sacerdotis adultera, ita Tamuldiſtæ & Maimonides in more Nevochim parte tertia cap. 41. At hoc omnium maximo ſupplicio cenſeo potius fuiſſe afficiendos, qui peccatis contra naturam inquinabantur, ut erant beſtialitas &c.

Qui vero hoc ſupplicio erant perimendi, immergebantur fimo uſque ad genua, tum linteum collo circumdabatur, & in diverſa trahebatur a teſtibus donec os hiſceret; quo aperto, plumbum aut aliud metallum liquefactum in illud infundebatur, ut inteſtina cremaret, hocque ſupplicium vocabatur *combuſtio animæ*. Dein circa defuncti corpus congeſtis lignis & ſtipulis cadaver redigebatur in cineres, dicebaturque *combuſtio corporis*.

Exiſtimat Grotius hoc ſupplicii genus deſumptum eſſe ex morte inflicta Nadab & Abiud filiis Aaronis; qui, ut refertur Levit. cap. 10. v. 2. Igne a Domino immiſſo devorati ſunt, & extincti, quod ignem alienum ſeu profanum ſuis thuribulis appoſuiſſent ut offerrent incenſum. *Egreſſuſque ignis a Domino devoravit eos, & mortui ſunt.* Non enim in cineres redacta ſunt eorum corpora, nam *v.* 4. jubet Moſes filiis patrui Aaronis, ut duorum illorum mortuorum corpora tollerent de conſpectu ſanctuarii, & aſportarent extra caſtra. *Confeſtimque pergentes, tulerunt eos ſicut jacebant, veſtitos lineis tunicis, & ejecerunt foras, ut ſibi fuerat imperatum.* Ex quibus apparet illos non in favillas & cineres fuiſſe redactos: ſed quod flamma divinitus immiſſa eorum penetralia combuſſerit, adeo ut interius, non vero exterius uſti fuerint.

Gladio perimendi erant homicidæ voluntarii, & ad idololatriam publice inducentes; qui pariter interdum lapidabantur.

Strangulabantur. I. Qui rem habuerant cum alteri nupta: II. Qui patrem aut matrem percuſſerant: III. Qui furati fuerant Iſraelitam: IV. Sacerdotes ſuis Principibus inobedientes: V. Pſeudo-Prophetæ: VI. Vaticinantes ex ſtellarum cultu.

His accedebat pœna Talionis ob membrum aliquod corporis abſciſſum. Si enim mors fuerit ſubſecuta, reddere debebat animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede &c. Exod. 21. v. 23. & Deuter. 19. verſ. 21.

Accedebat pariter flagellatio, cujus modus præſcribitur Deuter. 25. verſ. 2. *Sin eum qui peccavit, dignum viderint plagis: proſternent, & coram ſe facient verberari. Pro menſura peccati, erit & plagarum modus: ita duntaxat, ut quadragenarium numerum non excedant: ne fœde laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus.* Hinc S. Paulus enarrans ſibi factas perſecutiones, & plagas: ait, *a Judæis quinquies quadragenas, una minus excepi, ter virgis cæſus ſum* &c.

Numcrant Judæi 207. delictorum genera leviora verberibus & flagellis coercenda. Adiiciunt ſe uti ſolitos ſcutica ex loris tribus, quæ uno ictu tria ſimul verbera inferret, atque tredecim ictibus plagas 39. incuteret; neque poterant plures inferre, quin rei fierent violati hujus præcepti de non excedendo in flagellatione numero quadragenario.

Erant & aliæ præter enumeratas, pœnæ infligendæ (puta incarceratio, cum videlicet aliquis flagellis exceptus, in idem peccatum relapſus, non vapulabat iterum; *ſed*, ut habet Miſna Tit. Sanhedrim cap. 9.) tradebant eum carceri, qui locus erat anguſtus, ſtatura ejus non altior, nec ejuſmodi, ut in eo decumbere poſſet. Ibi dabant ei panem & aquam miſeriæ uſque dum langueſceret, & dein eum hordeo ſatiabant, uſque dum venter ejus rumperetur.

Has autem in judiciis ferendis obſervabant regulas. I. Nulla civilia judicia inchoabant noctu, ſed incœpta interdiu ad noctem uſque protrahebant. Criminalia vero nonniſi mane & jejuni incipiebant & abſolvebant, aut in diem ſequentem ea abſolvenda remittebant, ut tradit Maimonides.

II. Judicia capitalia a paucioribus quam viginti trium viris, qui Synedria minora formabant, exercenda non erant, ſive capitale eſſet judicium hominis, ſive beſtiæ quæ hominem læſerant, aut illius criminis fuerat adminiculum, aut inſtrumentum.

III. Quoniam præceptum erat. Levit. 19. verſ. 15. *Non facies quod iniquum eſt, nec injuſte judicabis: non conſideres perſonam pauperis, nec honores vultum potentis: juſte judica proximo tuo.* Dum lis moveretur pauperem inter & divitem, ſi dives pretioſius eſſet veſtitus, alter vero ſordidius; ne præceptum hoc de juſtitia ex æquo ſervanda violaretur, jubebant ut dives inſtar pauperis vilibus veſtitus in conſilio appareret, aut pauperem æque pretioſis indueret. Unde litigantes pari obſervantia excipiebant; adeo ut uterque ſta-

ſtaret, aut ſederet cujuſcumque eſſet dignitatis aut officii; nec unus altero ſublimiori loco conſiſteret. Dum vero plures in Synedrio aderant litigantes, præferenda erat cauſa humilioris cauſæ ſublimioris. Ita quod pupilli cauſa præferretur cauſæ viduæ; hæc cauſæ conjugati; cauſa Diſcipuli cauſæ ſapientis: cauſa fœminæ cauſæ viri, &c.

IV. Unus litigantium nuſquam audiebatur abſente altero, aut eo qui pro illo reſponderet, & jus illius tutaretur; quo ſpectare dicunt illud Deuter. 1. verſ. 16. *Audite illos, & quod juſtum eſt judicate: ſive civis ſit ille, ſive peregrinus. Nulla erit diſtantia perſonarum, parvum audietis ut magnum: nec accipietis cujuſquam perſonam, quia Dei judicium eſt.*

De judiciis & pœnis Eccleſiaſticis Judæorum.

UT duplicis ſtatus & profeſſionis perſonæ erant apud Judæos, nempe Sacerdotes, & laici; ita duplex erat tribunal, nempe *ſacrum*, & *civile*, ut apparet 1. ex Deuter. cap. 17. verſ. 8. *Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem*, nempe fundendum & non fundendum, hoc eſt, ſitne crimen capitale morte plectendum, necne: vel, utrum homicidium admiſſum ſit voluntarium, an tantum caſuale: ſeu, an homicida puniri debeat, an non, quod maxime ſpectat ad Judices laicos: *& lepram & lepram*; hoc eſt, ſitne vera lepra ob quam quis ex hominum ſocietate debeat eiici, an tantum lepræ quædam falſa indicia, cujus judicium ad ſolos Sacerdotes pertinebat, ut ſtatuitur ibidem. *Et judicum intra portas tuas videris verba variari*. Id eſt, de his inferiores Judices, ſive ſeptem in minoribus urbibus, ſive viginti tres in majoribus, atque Sacerdotes in eis degentes, non convenerint, *Aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus*, nempe ubi fixum erit Domini Tabernaculum & Templum; *Veniesque ad Sacerdotes Levitici generis*, pro cauſis Eccleſiaſticis, *& ad Judicem qui fuerit illo tempore*, pro cauſis capitalibus & forenſibus: *quæresque ab eis qui indicabunt judicii veritatem*. Ex quibus manifeſtum ſit duplex fuiſſe apud Iſraelitas tribunal, Eccleſiaſticum unum; laicum alterum. Idque ibidem confirmatur verſ. 12. *Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio*, in cauſis Eccleſiaſticis; *& decreto Judicis* in forenſibus, *morietur homo ille &c.* Nihilominus utrumque tribunal perſæpe in unum coibat, ut diximus ſupra. Unde Jeremias cap. 26. verſ. 8. damnatur a Sacerdotibus & populo ad mortem, quod vaticinaretur deſtruendam eſſe Jeruſalem propter iniquitates habitantium in ea: at v. 16. liberatur a Principibus Juda, hoc eſt, a Senatu Sanhedrim, cujus Judices verſ. 17. dicuntur *ſeniores terræ* potiſſimum ex tribu Juda ſelecti.

Deus per Ezechielem cap. 44. judicium ſacerdotale & Eccleſiaſticum a politico diverſum declarat his verbis: *Sacerdotes populum meum docebunt, quid ſit inter ſanctum & profanum, & inter mundum & immundum, oſtendent eis, Et cum fuerit controverſia, ſtabunt in judiciis meis, & judicabunt leges meas, & præcepta mea &c.* Omitto cæteros Scripturæ textus idem inſinuantes, nempe apud Judæos extitiſſe tribunal Eccleſiaſticum diſtinctum a politico.

Maxima autem ab hoc tribunali decreta pœna erat *Excommunicatio*: eaque triplex, quas his verbis explicat R. Elias in Tisbi. *Tres*, inquit, *ſunt ſpecies Excommunicationis, ſcilicet Niddui, Cherem, & Schammata.* NIDDUI *conſiſtebat in ſeparatione; quod ſi ita quis non reſipiſceret, devovebant eum per* CHEREM; *et ſi nec tunc reſipiſceret, per* SCHAMMATA. NIDDUI levius erat excommunicationis genus, quo excommunicati a ſocietate tam privata quam publica arcebantur ad modicum tempus, puta per menſem, ſi intra hoc ſpatium reſipiſceret: ſin minus, duplicabantur ad 60. dies, quo tempore nec licitum erat ſe lavare, nec capillos componere, nec etiam cum uxore, filiis, ſuiſque parentibus conferre, niſi interpoſito ſpatio ad minus quatuor cubitorum. In id digitum intendiſſe videtur S. Paulus 2. ad Theſſal. cap. 3. v. 6. dum ſcribit: *Denuntiamus autem vobis fratres in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut ſubſtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non ſecundum traditionem, quam acceperunt a nobis.*

Qui per *Niddui* non emendabatur, incidebat in *cherem* alteram, ſed ſeveriorem excommunicationis ſpeciem, qua reus nedum excludebatur a civili hominum conſortio, ſed etiam a ſacro cœtu; nimirum a Synagoga, & publicis religionis conventibus; ut videre eſt Joan. 9. verſ. 22. & 12. v. 42. &c. Inſuper multis imprecationibus & diris fulminabatur; cujus excommunicationis ſpecimen habetur in Chorinthio illo inceſtuoſo, quem S. Paulus tradidit Sathanæ in interitum carnis, 1. Cor. 5. verſ. 5. illucque ſpectant verba illa toties in ſcripturis occurrentia: *Excindetur ille de populo Dei*; quæ licet diverſimode ab Interpretibus exponantur, mihi tamen magis arridet eorum ſententia, qui illa interpretantur de præciſione per excommunicationem: quo ſenſu accipienda ſunt ea quæ Eſdras lib. 1. cap. 10. verſ. 8. Judæis e captivitate Babylonica reducibus, ut eos ad inſtaurationem murorum civitatis Jeruſalem accenderet, dixit: *Omnis qui non venerit in tribus diebus juxta conſilium Principum & ſeniorum, auferetur univerſa ſubſtantia ejus, & ipſe abjicietur de cœtu tranſmigrationis.*

Tertia excommunicationis ſpecies omnium graviſſima erat *ſchammata*, quæ vox juxta diverſam ex Hebræo derivationem, ſignificat vel *Dominus venit*, ac ſi hac excommunicatione fulminatus committeretur divino judicio brevi puniendus, juxta quam deriva-

vationem nonnulli putant Apoſtolum dixiſſe: *Si quis non amat Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ſit anathema Maranatha:* vox enim *Maranatha* compoſita eſt ex duabus Syriacis, quæ idem denotant ac *Dominus venit.* Qua ſpecie excommunicatus videtur Alexander ille faber ærarius, de quo S. Paulus 2. ad Timoth. 4 v. 14. *Alexander ærarius multa mala mihi oſtendit: reddet illi Dominus ſecundum opera ejus.*

Exiſtimabant alii vocem *ſchammata* idem ſignificare ac *ibi mors*, quaſi mortis reus haberetur, qui ſic eſſet excommunicatus: quo ſenſu volunt Apoſtolum intonaſſe adverſus Eccleſiæ Galatarum perturbatores cap. 5. verſ. 12. *Utinam abſcindantur qui vos conturbant.* Sunt qui vocem illam aliter derivantes, putant illam idem ſignificare, ac *deſolatio erit*, quod excommunicatus orbatus Eccleſiæ ſuffragiis, Deoque odioſus, omnibus calamitatibus nullo protegente ſubjaceat: idque denotat formula hæc qua utebantur Judæi N. N. *diris devotus & maledictus eſto: in illo ſit execratio, in illo anathema.* Ut autem hæc excommunicationis ſententia majorem tum ipſis reis, tum univerſis Judæis terrorem incuteret, ſonantibus buccinis in Synagoga, & per compita eam intonabant.

Neque vero ſolis verbis in excommunicatos fulminabant, ſed inſuper, ut refert Buxtorfius in Synagoga Judaica cap. 47. Si excommunicatus reus eſſet homicidii: I. Per tres annos in exilium pellitur: II. Singulis diebus flagellatur flagellatione Judaica, hoc eſt, accipit 39. plagas, & clamat alta voce: *Ego ſum homicida*: III. Nullæ carnes illi ſunt edendæ: IV. Nullum vinum eſt bibendum: V. Crinis promittendus & barba: VI. Induſia nec alia veſtimenta ſunt abluenda: VII. Non eſt illi lavandum: VIII. Brachium, quo homicidium perpetravit, catena ferrea collo alligatum ferre debet: IX. Paſſim ubique ita debet vagari: X. Quibuſdam hæc imponitur pœna, ne uſpiam pernoctent, ubi pridie pernoctarunt, ſed vagabundi inſtar Caini oberrent: XI. Sunt qui cuti nudæ thoracem ferreum induere debent: XII. Quidam ante ſcholam, in limine januæ jacere & omnium pedibus conculcari debent.

Deinde ſi adulter politice non puniatur, ſevero modo etiam excipitur, I. Hyeme per aliquot dies in aqua frigida ſedere tenetur: ſi omnia gelu adſtricta ſint, glacies aperitur, & illi nudo, ore tenus, quamdiu ovum igne duratur, intus ſedendum eſt. II. Æſtate ſedendum illi eſt abſque omnibus veſtibus in formicarum acervo obturatis tantum naribus & auribus: vel nudus per denſam apium turbam tranſeat oportet. Judæi ſimilibus pœnis Eccleſiaſticis peccatores, ſive pœnitentes afficere ſolent. Plura his ſimilia refert Buxtorfius in Synagoga, ſed fides ſit penes auctorem.

DISQUISITIONES IN LIBRUM NUMERORUM.

QUartus hic Moſaicus liber a primis illius verbis Hebraice dicitur וידבר vajedabber *& locutus eſt:* Græce ἀριθμοὶ, Latine *Numerus*, quod plurimæ in eo fiant enumerationes, uti, Bellatorum *cap.* 1. Levitarum *cap.* 3. Capitum cujoſque familiæ *cap.* 26. Manſionum in deſerto *cap.* 33. Ingenſque Iſraelitarum multitudo varios in ordines ſub ſuis ducibus ac principibus diſtribuatur. Complectitur autem varias Hebræorum peregrinationes, reſque geſtas a ſecundo menſe anni ſecundi poſt eorum egreſſum ex Ægypto, uſque dum perveniſſent ad campeſtria Moabitarum e regione Jerico, ſpatio videlicet circiter 39. annorum.

Quamquam autem majori ex parte plana & aperta videtur illius hiſtorica narratio, nulloque eget Interprete: nonnulla tamen occurrunt ſcitu digniſſima, quæ ſub rudi & ſimplici cortice litteræ maxima involvunt myſteria, & vitæ ad pietatem inſtituendæ egregia documenta complectuntur. Quæ plana ſunt, leviori pede decorremus: quæ abſtruſa & recondita, ſeria meditatione & diſquiſitione, quantum Deus dederit, expendemus.

Hic autem Liber diſtribui poteſt in tres partes: quarum *prima* enarrat ea quæ dicta & acta ſunt, cum Iſraeliticus populus adhuc hæreret ad radices montis Sinai, nempe a primo capite ad verſum 12. decimi capitis, quo referuntur eos moviſſe caſtra, & a deſerto Sin ingreſſos eſſe deſertum Pharan, ubi fuit decima tertia eorum ſtatio. *Secunda pars* refert ea quæ contigerunt ab hac manſione ad trigeſimam tertiam, nempe ad mortem Aaronis, quæ legitur cap. 33. verſ. 38. *Tertia* vero recenſet ea quæ Deus per Moſem ſtatuit, tum circa diſtributionem terræ promiſſionis inter Iſraelitarum Tribus & familias. tum ad aſſignandas urbes Levitis in habitationem, & ſuburbana ad pecorum paſcua: tum ad conſtituendas civitates refugii, in quibus tuti degere poſſent homicidæ involuntarii: tum denique ne per ineunda matrimonia hæreditates ab una Tribu ad aliam transferantur.

DISQUISITIONES IN CAPUT I.

REfertur hoc in capite cenſus & enumeratio omnium Iſraelitarum, qui eſſent ad arma tractanda & bella gerenda comparati, nempe *a vigeſimo anno & ſupra omnium virorum fortium Iſrael:* Excipiuntur autem juvenes & ſenes, quibus ad militares labores idoneæ vires non ſuppeterent. Eximitur pariter Levitica Tribus dicente Deo ad Moſem verſ. 49. *Tribum Levi noli numerare, neque pones ſummam eorum cum filiis Iſrael*: non quod Levitæ a militia arcerentur, ſi vel populi ſalus, vel Dei gloria, & vindicanda religio id poſtularet; illi enim armata manu irruerunt in adoratores vituli aurei, & ex eis occiderunt 23. millia: Phinees Sacerdos cap. 25. hujus libri verſ. 8. arrepto pugione confodit Iſraelitam ſcortantem cum muliere Madianitide, ac propterea ſummum Sacerdotium fuit ei repromiſſum. Quis neſcit Machabæorum Sacerdotum bellicam virtutem & egregia facinora?

Itaque aliarum Tribuum bellatoribus hic idcirco non accenſentur Levitæ, non quod minus eſſent ad bellum idonei; ſed quod ſacris tractandis, gerendiſque divinis miniſteriis eſſent deſtinati, nec proinde eorum manus humano cruore erant polluendæ. Accedit quod hæc recenſio fuerit facta, ut unicuique Tribui deſignaretur locus caſtrametationis circa Tabernaculum fœderis, ſciretur-que quot eſſent bellatores ab una quaque parte. Levitæ vero non in una duntaxat parte debebant conſiſtere, *ſed per gyrum Tabernaculi figere tentoria*, ut ſtatuitur verſ. 53.

Triplex autem facta eſt Iſraelitici populi per Moſem recenſio. *Prima* Exodi 38. verſ. 25. qua numerati ſunt ad arma comparati ſexcenta tria millia quingenti quinquaginta. *Secunda* in hoc capite, in quo totidem recenſentur. *Tertia* in hujus libri cap. 26. Prima initia eſt ut a ſingulis capitibus numeratis ſolveretur dimidius ſiclus argenteus ad conſtructionem Tabernaculi fœderis: Secunda, ut certus conſtaret numerus eorum, qui adverſus impugnandos hoſtes poſſent inſurgere: Tertia, ut ſingulis familiarum capitibus diſtribueretur terra promiſſionis brevi occupanda.

At, *inquies*, qui fieri potuit ut in ſecunda hac recenſione aliquot poſt primam menſibus peracta, tot reperti ſint bellatores, quot in priori, cum interim cæſa fuerint 23. millia

lia

Digitized by Google

lia a Levitis propter adoratum vitulum aureum?

Reſpondent aliqui totidem interfectis fuiſſe ſuffectos qui tempore primi cenſus non fuerant computati, quod nondum annum vigeſimum attigerant, quem in ſecunda hac recenſione abſolverant. At qui textum expenderit, agnoſcet non eſſe opus hac fictione; ſiquidem prima numeratio facta eſt non ante, ſed poſt occiſa illa 23. Idololatrarum millia, poſtque impetratam a Deo veniam, & paucis menſibus ante hanc ſecundam. Unde qui numerati fuerant in priori, potuerunt & in poſteriori recenſeri; aut ſaltem alii in locum defunctorum ſubrogari.

Cum iſta recenſio dicatur ſæpiſſime hoc in capite facta *per generationes & familias ac domos*, petes quid ſit diſcriminis inter has voces *familias*, *domos*, *& generationes?*

Reſpondeo, voce *generationis* deſignari propagationem eorum qui a Patriarcharum filiis, aut eorum proxime nepotibus fuerant prognati: Unde licet Dan unicum habuerit filium; cum tamen hic plures filios genuerit, illius poſterorum, ſicut & aliorum Patriarcharum recenſio dicitur facta *per generationes; familia* vero idem ſignificat ac cognatio, nempe complexum multarum perſonarum quæ eodem ſanguine non longe fuerunt prognatæ; *domus* vero deſignat peculiarem ſocietatem viri ac mulieris una cum filiis ſuis ac domeſticis eodem ſub tecto degentium, aut ſaltem ab ejuſdem capitis ore & voluntate pendentium.

Hic autem prætereundum non eſt, omnes enumeratos dici verſ. 3. *viros fortes*, in quo maxima elucet Dei erga illos Iſraelitas providentia, quod etſi in deſertis degerent, ac plerumque ſub dio; attamen nullus extabat inter eos languidus, ſed omnes vegeti ac viribus præſtarent, quod etiam miratur ac celebrat vates Regius. Pſalm. 104. verſ. 37. *Non erat in Tribubus eorum infirmus.*

DISQUISITIONES
IN CAPUT II.

DEſcribitur hoc in capite Iſraeliticarum Tribuum circa Tabernaculum fœderis caſtrametatio, eo ordine ut ex qualibet mundi parte tres accumberent: nimirum verſus *Orientem* Judas, Iſſachar & Zabulon: verſus *Meridiem* Ruben, Simeon & Gad: ad *Occidentem* Ephraim, Manaſſes & Beniamin: ad *Septentrionem* Dan, & Aſer & Nephthali: *ſinguli per turmas*, *ſigna atque vexilla*, verſ. 2. quibus ſignificatur ſingulis Tribubus ſuum fuiſſe vexillum cui ex eadem Tribu oriundi, ſeſe conjungerent, cum eſſet proficiſcendum aut pugnandum, vel conſiſtendum.

Quod vero & quale fuerit cujuſvis Tribus vexillum, cum Moſes non exprimat, nemo eſt qui certo poſſit definire.

Tradunt Hebræi referente Lyrano noſtro, quod cum in qualibet caſtrorum parte tres Tribus in unum agmen coirent, in quolibet agmine vexillum fuiſſe primipilare, illius videlicet Tribus quæ inter tres dignitate eminebat; ſic vexilla Judæ, Rubenis, Ephraimi, & Danis erant primipilaria, quæ aliæ Tribus, idem cum eis agmen conficientes obſervare tenerentur. Dicunt autem Judæ vexillum ornatum eſſe figura *leonis*, quod Jacobus benedicens filio ſuo Judæ illum leoni aſſimilaverit, Geneſ. 49. verſ. 9. Tribus Ruben in vexillo depictum præferebat *humanum caput*, quod hic aliorum fratrum eſſet primogenitus & veluti Iſraeliticæ familiæ jure nativitatis princeps. Tribus Ephraim a Joſepho propagata geſtabat in vexillo *Bovis* aut *Vaccæ* effigiem, quod per expoſitionem ſomnii Pharaonis de ſeptem vaccis pinguibus, & totidem macilentis promotus fuerat Joſeph ad regimen Ægypti; quodque ejus pulchritudo comparetur ſpeciei primogeniti tauri, Geneſ. 49. Tribus Dan habebat in vexillo *aquilam* quæ arreptum unguibus ſerpentem premebat, quod Jacobus benedicens filio ſuo Dan, eum aſſimilaverit ceraſti latenti in via.

Verum licet iſta quamdam ſpeciem probabilitatis præ ſe ferant, cum de his Scriptura ſileat, cenſerem illa inter Rabinica commenta eſſe reponenda.

Ex his manifeſtum fit Hebræorum caſtra fuiſſe quidem quadrilatera quæ figura caſtrametandi omnium eſt optima, non tamen perfecte quadrata; cum enim ambirent Tabernaculum fœderis cujus longitudo quinquaginta cubitis latitudinem excedebat; oportuit illa caſtra fuiſſe quadrangula, magiſque in longitudinem quam in latitudinem porrecta. Etſi vero illa Tabernaculum ondique cingerent ac tuerentur, illi tamen proxime non adſtabant; ſed paulo remotius, ut darent locum Tribui Leviticæ, cujus erat caſtrametari juxta Tabernaculum, illudque cuſtodire, ac præpedire, ne ſub capitali pœna aliquis ex aliis Tribubus propius ad illud accederet, aut aliquid ex eo tangeret, ut ſtatuitur cap. 1. verſ. 53. *Levitæ per Gyrum Tabernaculi figent tentoria, ne fiat indignatio ſuper multitudinem filiorum Iſrael*. Eorum pariter erat Tabernaculum conſtituere & ſolvere, ut hic dicitur verſ. 17. *Levabitur autem Tabernaculum teſtimonii per officia Levitarum, & turmas eorum; quomodo erigetur, ita & deponetur*. Incedebant autem Levitæ loco tutiſſimo, ſex enim habebant ante ſe Tribus in duas acies diſtinctas; & totidem retro; adeo ut Dominus veluti princeps in armatorum multitudinis medio conſiſteret.

DISQUI-

DISQUISITIONES
IN CAPITA III. & IV.

IN his duobus capitibus I. Recenſet Moſes omnes Leviticas familias: II. Earum diſtinguit miniſteria & officia: III. Earum caſtrametationis locum deſignat. Dicit itaque Patriarcham Levi tres habuiſſe filios, Gerſonem, Caatham & Merarim, quorum quilibet varias deinde in familias excrevit; adeo ut *Gerſonitæ* a triginta annis ad quinquageſimum numerati ſint tria millia ducenti. *Caathitæ*, duo millia ſeptingenti quinquaginta: *Meraritæ*, tria millia ducenti. Numerati vero tantum ſunt qui trigeſimum annum exceſſerant, & nondum quinquageſimum agebant, quoniam ii duntaxat erant apti ad Levitica miniſteria, quæ virilem & robuſtam ætatem requirebant.

Hæc enim triplicis erant generis; I. Namque inferioris ordinis Levitæ, ſeu qui non erant ea ſtirpe ſacerdotali, debebant miniſtrare Sacerdotibus in ſacris peragendis, nempe comparare & adducere victimas; earum detrahere pelles, ſanguinem & viſcera expurgare &c. II. Deferre omnia Tabernaculi vaſa ſacra, ejuſque partes omnes tam interiores, quam exteriores, illud erigere ubi ſtandum erat, & diſſolvere cum eſſet progrediendum. III. Caſtrametari juxta Tabernaculum, & vigilias ac excubias circa illud diu noctuque agere, quæ omnia hominem viribus pollentem exigebant. Longe autem plures erant maſculi e Levitica ſtirpe: nam cap. 3. v. 39. *Omnes Levitæ, quos numeraverunt Moyſes & Aaron... in genere maſculino a menſe uno & ſupra, fuerunt viginti duo millia*. Ex quibus apparet duplicem factam eſſe maſculorum Leviticæ Tribus recenſionem eodem tempore, generalem unam, quæ omnes prorſus tam pueros quam adultos & ætate provectos complecteretur: particularem alteram, quæ ſolos ætatem virilem agentes enumeraret.

Petes, cur Levitarum maſculi numerentur duntaxat viginti duo millia, cum ex recenſione filiorum Gerſonis, Caathi, & Merari conſtet eos eſſe viginti duo millia & trecenti?

Reſpondeo, viginti illa duo Levitarum millia, fuiſſe a Deo ad divinum ſuum cultum expetita loco & vice primogenitorum Hebræorum quæ debebant ipſi devoveri, ut ſtatuitur cap. 3. verſ. 45. his verbis, *Tolle Levitas pro primogenitis filiorum Iſrael, & pecora Levitarum pro pecoribus eorum; eruntque Levitæ mei; Ego Dominus*. Cum autem trecenti illi Levitæ ſupra illa duo millia eſſent etiam primogeniti, adeoque jure ſuæ nativitatis eſſent jam Deo addicti, non poterant hi offerri loco primogenitorum Iſraeliticorum; cum ipſi divino obſequio ratione ſuæ primogenituræ, jam eſſent mancipati. Itaque duo illa Levitarum millia, qui non erant primogeniti, merito aſſumuntur loco totidem primogenitorum Iſraeliticorum.

Quoniam autem hi præter duo millia adhuc eſſent ducenti ſeptuaginta tres, ut legitur *verſ. 46.* jubet Deus *verſ.* 47. ut Moſes a quolibet horum 273. accipiat quinque ſiclos in redemptionem eorum, eamque pecuniæ ſummam tradat Aaroni, ejuſque filiis. Quo docemur nedum laicos, ſed & inferioris ſtatus clericos bonis temporalibus abundantes, teneri ad conferenda ſubſidia neceſſaria ſacris miniſtris, qui eorum vice continuo Deo famulantur.

DISQUISITIONES
IN CAPUT V.

ACtum eſt in duobus præcedentibus capitulis de iis qui vel caſtris ordinandis, vel Tabernaculo cuſtodiendo, inſtruendo, aut ſolvendo, ac deportando deberent inſervire; agitur vero in hoc de iis qui vel ab ipſo Tabernaculo, vel a caſtris ſunt removendi. 1. Leproſi: 2. ſeminifluí: 3. polluti ſeu legaliter immundi ex contactu cadaveris humani, vel animalis ab homine non occiſi.

Hebræi quidam Doctores diſtinguunt tria caſtra, nempe *Dei*, id eſt, Tabernaculum in quo ſpecialiter Deus reſidebat: *Levitarum* juxta Tabernaculum accubantium, & *Iſraelitarum* quatuor in acies ordinatorum: dicunt autem leproſos, morbo utique contagioſo laborantes, ejectos eſſe extra omnia caſtra: ſeminifluos extra duo priora, & immundos extra primum. Verum cum Moſes abſolute pronuntiet huius triplicis ſtatus homines ejiciendos eſſe *extra caſtra*, cenſendum eſt fuiſſe ſegregandos ab aliorum Iſraelitarum cœtu; quod utique confirmatur verſ. 3. ubi hujus mandati ratio profertur, nempe munditia ſervanda a populo, in cujus medio reſidebat Deus, omnis puritatis centrum & fons.

Additur *verſ. 6.* præceptum de reſtitutione facienda proximo propter illatum damnum temporale, injungiturque ut præter ſortem, quintam partem in compenſationem adiiciat. Quod utique intelligendum de damno per negligentiam illato, ut ibidem traditur: nam damnum illatum ex induſtria, graviori mulcta puniendum erat, ut præſcribitur

bitur Exod. 22. Quoniam autem contingere poterat, ut is cui damnum fuerat illatum, e vivis exceſſiſſet, nulluſque occurreret illius hæres, qui ejus loco reſtitutionem exciperet; jubet Deus *verſ.* 8. ut oblato prius ariete in expiationem delicti, cætera reddantur Domino, tradanturque Sacerdoti, in cujus pariter, ſicut & aliorum miniſtrorum uſum cedere debebant, quæ in ſanctuario offerebantur.

DE POTU ZELOTYPIÆ.

NEque vero ſufficiebat providere publicæ paci ac tranquillitati in aſſerendo cuique quod ſuum erat; conveniebat inſuper ut proſpiceretur concordiæ domeſticæ & fidelitati ſervandæ inter conjuges: quamobrem ut exactius vitaretur adulterium, omniſque illius ſuſpicio tolleretur; jubet Deus in hoc capite, ut ſi vir ſpiritu Zelotypiæ concitatus quædam habeat indicia uxorem ſuam cum altero viro coiviſſe, nec id probare poſſit idoneis teſtibus, adducat eam ad Sacerdotem, probandam *aquis amaritudinis* ſeu *potu Zelotypiæ*, qui fieri debebat in hunc modum. I. Maritus Zelotes conveniebat Judices quorum juriſdictioni ſuberat; eiſque exponebat indicia quibus uxorem ſuam ream adulterii ſuſpicabatur; quæ ſi approbarent Judices, maritum & uxorem una cum fidiſſimis comitibus tranſmittebant Jeroſolymam ad ſummum Sacerdotem & maximum Sanhedrim, cujus ſolius erat decernere utrum per *amaras aquas* veritas eſſet exquirenda, necne.

II. Ubi hoc decretum erat, vir & mulier coram ſummo Sacerdote ſiſtebantur prope portam orientalem atrii exterioris Tabernaculi fœderis; vir autem offerebat decimam partem Ephi farinæ hordeaceæ ſine oleo, quod eſt ſymbolum miſericordiæ, qua carebat vir Zelotes, & ſine thure, cujus fragrantia ſignum eſt bonæ famæ, qua deſtituta erat accuſata mulier; ſeu ut habet textus verſ. 15. *Quia ſacrificium Zelotypiæ eſt, & oblatio inveſtigans adulterium.*

III. Sacerdos accepta hac oblatione, mulieris exuebat caput omnibus ornamentis & velis, ut ſi criminis eſſet conſcia, hac humiliatione & confuſione ſtimularetur ad confitendum peccatum: quæ confeſſio ne gravis ipſi videretur, proponebat exemplum Judæ qui coierat cum Thamare, & Rubenis cum concubina patris ſui Jacob, quorum crimina fuerunt propalata & poſteritati per Moſem conſignata. Si confiteretur, ejiciebatur inde velut infamis, & repudiabatur a viro ſine ulla dote, nec poterat deinceps alteri nubere. Si vero conſtanter aſſereret ſe innocentem, Sacerdos reponebat inter ejus manus oblationem a viro factam, adhortans ſi rea eſſet, ne pateretur hanc oblationem offerri Deo criminum vindici, qui hac indigna oblatione magis exacerbatus ſeverius in eam animadverteret. Si vero his ad confeſſionem non flecteretur, Sacerdos acceptam oblationem reponebat coram Domino, & pugillum farinæ incedebant ſuper altare: ad mulierem deinde converſus, eam terrebat denuntiando horrendas pœnas quas eſſet paſſura ſi rea amaras aquas brevi conficiendas hauriret, inter cætera vero ei dicebat, *Si polluta es, det te Dominus in execrationem, & diras in medio populi tui: faciat Dominus corruere femur tuum, & inflari uterum tuum, & ingrediantur aquæ maledictæ in viſcera tua, ut intumeſcat uterus tuus, & corruere faciant femur tuum.*

His dictis, ſi mulier reponeret *amen, amen:* tunc Sacerdos accepta aqua ex labro æneo ad Sacerdotum lotionem deſtinato, ſumptoque pulvere ex pavimento ſacrarii, & in vas aquæ injecto; ſcribebat deinde in mundiſſima membrana maledictionum verba cum iſtius mulieris nomine, eaque aſſumpta ex eo vaſe aqua, ſtatim delebat, & in illud vas effundebat; quibus ſignificaret ſe iſtas omnes imprecationes in illas aquas tranſmittere, iis pariter commixtis quæ amaritudinem adderent, ut abſinthio, felle, idque genus aliis, ut plurimi docent; tametſi Abarbanel in hunc textum, cenſeat hujus aquæ amaritudinem, non aliunde quam ex injecto pulvere & deletæ Scripturæ atramento eſſe repetendam: volunt tamen aliqui nullam in ea aqua fuiſſe revera amaritudinem; ſed dictam eſſe *amaram*, quia maledictionibus Sacerdotis erat onuſta: vel quod futura eſſet mulieri cauſa maximæ amaritudinis.

V. Aquam ſic confectam præbebat Sacerdos mulieri, ut eam hauriret; ſi innocens eſſet mulier & impolluta, aqua hæc fiebat ei ſuaviſſima, augebaturque illius vultus decor, vivaciores emicabant oculi, & tota corporis habitudo evadebat firmior & robuſtior. Sin vero corrupta & adultera, illico facies ejus expalleſcebat, extinguebantur oculi, intumeſcebant viſcera, & totum corpus putreſcens fœtidum afflabat odorem. Unde ſtatim deportabatur extra Tabernaculum ne turpiſſima ſua morte illud inquinaret. Eadem autem hora qua expirabat illa, moriebatur etiam ejus adulter qui fuerat cauſa illius amariſſimæ aquæ potus. Ita tradunt Hebræi Doctores in *Miſna titul. ſota* 41. præcipue Aben-Eſra ad hunc Moſis textum. Qui plura deſiderat, conſulat *Andream Acoluthum* integro libro de aquis amaris, *Joannem Seldenum*, de uxore Hebraica lib. 3. cap. 15. *Paulum Fagium* ad hunc Numer. locum, & alios bene multos, ſed caveat Rabinica commenta.

Addunt Rabbini hanc aquæ amariſſimæ vim deſiiſſe paulo ante Oſeæ Prophetæ tempora, ait enim per eum Deus cap. 4. verſ. 14. *Non viſitabo ſuper filias veſtras cum adulteraverint, quoniam ipſi cum meretricibus converſabantur.* Unde *Miſna tit. ſota* cap. 9. *Poſt quam aucti ſunt adulteri, deſierunt aquæ amaræ:* Seu, ait Abarbanel, *Propterea hoc miraculum tunc deſiit, quando totus populus impuræ indulſerunt veneri, quemadmodum dictum eſt a Rabbinis noſtris fœlicis memoriæ.*

Unde

Digitized by Google

Unde manifeſtum fit illum uteri tumorem, & fœmoris putrefactionem non ab aliqua vi aquæ inſita prodiiſſe; ſed tantum a Deo vindice qui hac pœna teſtabatur. 1. Se fidei conjugalis auctorem eſſe, & tutorem. 2. Se occulta crimina ſicut & publica ac patentia videre ac vindicare. 3. Quantum abhorreat adulterium, & quam grave ſit peccatum. 4. Ut iſto exemplo aliæ mulieres caſtitati ſervandæ ſtuderent.

DISQUISITIONES IN CAPUT VI.

Refert hoc in capite Moſes. I. Ritum voti & conſecrationis Nazaræorum, cum oblationibus quas eos facere oportebat, ſive dum initiarentur, ſive dum propter mortem alicujus in eorum præſentia contingentem polluti, ſuum in gradum reſtituerentur. II. Benedictionis formulam, quam Sacerdotes uſurpare tenebantur dum populo benedicerent.

Nazaræi autem dicti ſunt a voce Hebræa *Nazir* a radice *Nazar*, quæ licet generatim ſignificet *ſeparare*, ſpeciali tamen ſenſu in conjugatione Niphal, idem denotat ac religione & ſanctimoniæ voto ab aliis ſegregari, unde vox *Nazaræus* ſignificat hominem ab hominum communi conſortio ſejunctum, ut uni Deo inſerviat, idque indicant verba hujus capitis verſ. 2. *Vir, ſive mulier, cum fecerint votum ut ſanctificentur, & ſe voluerint Domino conſecrare &c.*

Duplicis autem ſtatus erant Nazaræi, alii *perpetui*, qui per totam vitam ſive Dei juſſu & ordinatione, ut Samſon & S. Joannes Baptiſta; ſive ex parentum voto ut Samuel, ſacro huic inſtituto erant mancipati: alii *temporanei*, qui ad certum duntaxat tempus, quod vovendo ſibi præfixerant, huic vitæ generi ſeſe addixerant, ut S. Paulus & alii Judæi Act. 21. de quibus duntaxat hic eſt ſermo.

Huic vero inſtituto ſeſe mancipabant nedum viri, ſed & mulieres quibus cordi erat Deo liberius inſervire, ut apparet ex textu *Vir ſive mulier &c.* Hinc mater Samſonis videtur Nazaræatui addicta, nam Judic. 13. verſ. 4. & 7. ei prohibitus eſt ab Angelo vini potus uſque ad Samſonis partum, vel etiam uſque ad pueri ablactationem. Joſephus etiam aſſerit a mulieribus Nazaræorum votum potuiſſe emitti; deinde ait, quicumque hoc votum nuncupaſſent, dictos eſſe *Corban*, hoc eſt, *donum Dei*, quod tempore ſui Nazaræatus potiſſimum eſſent Dei obſequio addicti.

Quid autem eo tempore potiſſimum debebant exequi, & a quibus cavere, hoc in capite præſcribitur, I. Abſtinere debebant a vino, & ab eo omni quod inebriare poteſt; nec uvas recentes aut ſiccas comedere; adeo ut etiam acinum eis eſſet interdictum verſ. 3. & 4.

II. Prohibitum eis erat capillos & barbam radere toto ſui Nazaræatus tempore: *Novacula non tranſibit ſuper caput ejus &c. v. 5.* Quibus verbis interdicitur omnis capillorum abraſio; crines enim toto Nazaræatus tempore libere debebant creſcere, ut voto exacto cum victima Deo conſecrarentur: quo ritu volebat Deus Iſraelitas revocari a pravis Ægyptiorum moribus, qui ſolebant detonſos ſuos crines ſuis numinibus adolere, ut docet S. Cyrillus Jeroſolymitanus, cui concinens Theodoretus, ait: *Moris erat apud Gentiles capita puerorum non attondere, ſed potius ſinere capillos promitti, & hos poſtea Dæmonibus dedicare.*

III. Ipſis erat prohibitum intereſſe funeri cujuſcumque, etiam patris & matris verſ. 6. & 7. quo certe purior videbatur eorum ſtatus quam Sacerdotum, qui ſuorum parentum funeribus poterant adeſſe, eaque in re æquabantur ſummo Sacerdoti, cui eadem interdicuntur Levit. 21. verſ. 11. quamobrem hujus interdicti ratio hic additur, verſ. 7. *Quia conſecratio Dei ſui ſuper caput ejus eſt:* habet namque capillos Deo conſecratos. Si vero contingeret aliquem in ejus præſentia mori, polluebatur *caput conſecrationis ejus*, verſ. 9. & illius Nazaræatus de novo erat inchoandus, *quia peccavit ſuper mortuo:* non vero peccato quod redderet eum Deo inſenſum, ſed legali macula: quam ut ablueret, tenebatur eadem præſtare quæ propter cadaveris contactum alii polluti ex præſcripto legis Levit. 4. & 5. exequi tenebantur.

IV. Expleto Nazaræatus promiſſo tempore, debebat Nazaræus ſe præſentem ſiſtere Sacerdoti, qui eum ducebat ad oſtium Tabernaculi vel Templi, ibique accipiebat ab eo 1. Arietem immolandum in hoſtiam pacificam. 2. Caniſtrum panum & azymorum qui conſperſi eſſent oleo, ſimul & lagana abſque fermento, ſed oleo perfuſa una cum libamine vini. 3. Radi debebat ejus cæſaries, & capilli cremari in igne quo abſumebantur hoſtiæ pacificorum. Radebantur itaque Nazaræorum temporalium capilli in ſui Nazaræatus principio & fine; *initio* quidem, ſic S. Paulus *Act.* 18. *verſ.* 18. Fecit ſibi radi capillos, *votum enim habebat*, hoc eſt, voverat ſe Nazaræatum acturum: *in fine* vero, ut hic præcipitur, quod videlicet cæſaries indicium eſſet ſuæ conſecrationis & oblationis Domino, qua depoſita liber erat ab emiſſo ſuo voto, & poterat bibere vinum, ut habetur *verſ.* 20.

Ad benedictionis formulam quod ſpectat, eadem pluries iteratur in ſacris Libris, ſi non eiſdem, ſaltem ſimilibus verbis, præſertim Pſ. 66. v. 1. & 118. v. 135. Ubi regius vates Deum exorat, ut ſuper ſervos ſuos illuminet vultum ſuum, hoc eſt, benignum ac beneficum ſe eis oſtendat. In

In capitibus VII. VIII. IX. & X. nihil occurrit diſquirendum quod expoſitione indigeat. In *ſeptimo* enim referuntur oblata a principibus Tribuum, tam pro ſacris vaſis in Tabernaculo deſervientibus, quam pro victimis immolandis poſt ipſius Tabernaculi, & quæ in illo erant, conſecrationem.

Difficultatem autem non levem ingerunt hæc poſtrema hujus capitis verba: *Cumque ingrederetur Moyſes Tabernaculum fœderis, ut conſuleret oraculum, audiebat vocem loquentis ad ſe de propitiatorio, quod erat ſuper arcam teſtimonii inter duos Cherubim; unde & loquebatur ei*. Quæ pugnare videtur cum his verbis *Exodi* 25. *v.* 22. ubi Deus ſpondet Moſi ſe illum alloquuturum ex propitiatorio, *Loquar*, inquit, *tecum de propitiatorio, de medio Cherubim*. Et Levit. 1. v. 1. *Vocavit autem Moſem, & locutus eſt Dominus ad eum de Tabernaculo teſtimonii*: Tabernaculum autem teſtimonii, ſeu propitiatorium erat intra velum, ſeu aulæum quo Sancta Sanctorum ſeparabatur a cæteris Tabernaculi partibus: Qui autem fieri potuit ut Moſes ingrediens primam partem Tabernaculi, audiret vocem Domini, qui ipſum alloqui debebat in ſacratiori Tabernaculi parte?

Reſpondent Interpretes cum Rabbi Salomone & Lyrano noſtro, quod ſtatim in egreſſu Tabernaculi Moſes audiebat vocem Domini quaſi egredientem de propitiatorio: tametſi vero Domini vox fortis eſſet & magna, ut dicitur *Pſ.* 28. attamen nec extra Tabernaculum, nec ab alio, quam a Moſe audiebatur.

In *octavo* ſtatuitur quo loco ponendum eſſet candelabrum aureum, & quando accendendæ eſſent lucernæ. Deſcribitur inſuper ritus conſecrationis Levitarum quæ a vigeſimo ad quinquageſimum duntaxat annum ſua implere debebant miniſteria, quod intra eam ætatem viribus ad id opus pollerent, dein vero ad ſacrorum vaſorum cuſtodiam deſtinabantur.

In *nono* præſcribitur jam toties declaratum tempus celebrandi Paſchatis, & *a* quibus, quove ritu eſſet peragendum.

Additur ſignum quando movenda vel ſtatuenda eſſent caſtra, nempe ad motum vel quietem columnæ nubis, quæ ubi conſiſtendum erat, recumbebat ſuper Tabernaculum interdiu ſicut umbraculum, noctu vero *quaſi ſpecies ignis*. Dum autem eſſet proficiſcendum, antecedebat caſtra cum arca fœderis portata a quatuor Levitis familiæ Caath: unde verſ. 18. *Ad imperium Domini proficiſcebantur, & ad imperium ejus figebant Tabernaculum*, nempe ad motum, vel conſiſtentiam iſtius columnæ nubis, quæ ad Dei voluntatem movebatur, aut quieſcebat. Hinc *cum elevaretur arca, dicebat Moyſes, ſurge Domine, & diſſipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te a facie tua. Cum autem deponeretur, ajebat: Revertere Domine ad multitudinem exercitus Iſrael.*

In *decimo* tria potiſſimum referuntur. *Primum* confectio duarum tubarum argentearum, quibus clangere oportebat: 1. Dum convocandus erat populus: 2. Dum cum adverſariis eſſet concertandum: 3. Cum agendæ eſſent ſolemnitates & offerenda publica ſacrificia. *Secundum* profectio Iſraelitarum per turmas & ordinem ex monte Sinai juxta cujus radices ſteterant per annum, demptis diebus tredecim. Illuc enim acceſſerant tertia die menſis tertii a ſuo ex Ægypto egreſſu, ut patet Exod. 19. verſ. 1. Diſceſſeront vero die vigeſima menſis ſecundi anni ſecundi, ut hic habetur v. 11.

Unde quatuor notanda ibi fuerunt peracta. 1. Præſcriptæ omnes leges morales, judiciales, & cæremoniales: 2. Fabrefactum & conſecratum Tabernaculum inſtar Templi mobilis. 3. Ibidem inſtituti & conſecrati Sacerdotes & Levitæ. 4. Ordinata caſtra, adeoque ibi ſtabilita Hebræorum Reſpublica, & eorum Eccleſia ſacris inſtitutis adornata. *Tertio* refertur colloquium Moſis cum Hobab filio Raguelis cognato ſuo, eum adhortantis ut cum Iſraelitis proficiſceretur in Chananitidem, parem cum eis optimam ſortem conſecuturus: *Proficiſcimur*, inquit, *ad locum quem Dominus daturus eſt nobis: veni nobiſcum, ut benefaciamus tibi: quia Dominus bona promiſit Iſraeli. Cui ille reſpondit: non vadam tecum, ſed revertar in terram meam, in qua natus ſum. Et ille: noli, inquit, nos relinquere: tu enim noſti, in quibus locis per deſertum caſtra ponere debeamus, & eris ductor noſter. Cumque nobiſcum veneris, quidquid optimum fuerit ex opibus, quas nobis traditurus eſt Dominus, dabimus tibi.*

Ad quæ licet ibi non reſponderit Hobab, certum eſt tamen eum cum Iſraelitis permanſiſſe, ejuſque filios cum illis partem habuiſſe in terra promiſſionis; legitur enim Judic. 4. verſ. 11. *Haber autem Cinæus receſſerat quondam a cæteris Cinæis fratribus ſuis filiis Hobab cognati Moyſis*. Huius Haberis uxor nomine Jahel interfecit Siſaram debellatum a Delbora & Barac Iſraelitarum ducibus, ut refertur *ibid. v.* 17.

Quod autem, ut ſpoponderat Moſes, filii Hobab Cinæorum patris optimam in terra ſancta partem habuerint, colligitur ex 1. *Judic. cap.* 1. *v.* 16. ubi legitur: *Filii autem Cinæi cognati Moyſi, aſcenderunt de civitate palmarum cum filiis Juda, in deſertum ſortis ejus, quod eſt ad meridiem Arad, & habitaverunt cum eo*: Civitas autem palmarum erat Jericho, omnium iſtius regionis partium fertiliſſima.

Non eandem tamen illi Cinæi conſtantem habuerunt habitationem; eorum enim aliqui ſtabant inter Iſraelitas, nonnulli vero inter Amalecitas, ut refertur 1. *Reg. cap.* 15. *v.* 6. Ubi Saul Deo jubente expugnaturus Amalecitas dixit Cinæo; *Abite, recedite, atque deſcendite ab Amalec, ne forte involvam te cum eo... & receſſit Cinæus de medio Amalec.*

Exiſtimat perdoctus Nicolaus Serrarius [a], & cum eo Bolducius [b], Cinæos non fuiſſe familiam aliquam ab aliis diſtinctam, & ab aliquo patre-familias propagatam; ſed nomen Religionis deſignans homines ab aliorum Societate ſejunctos, ut liberius Dei majeſtati inſervirent, & rerum cœleſtium contemplationi vacarent: idque colligere ſe pu-

[a] 1. Judic.
[b] Lib 1. de Eccleſ. ante legem cap. 7.

pu-

putant ex præfato Judicum textu, ubi Cinæi dicuntur aſcendiſſe de civitate palmarum in deſertum. Verum cum ille Cinæorum aſcenſus in deſertum factum fuerit una cum filiis Juda, ut ibi ſimul habitarent, veriſimilis non apparet præfatorum auctorum conjectura: quamobrem cenſeo veritati magis eſſe conſonum Cinæos revera fuiſſe propagatos ab Hobab cognato Moſis, qui erat binominis, dicebaturque *Hobab*, & *Cinæus*, ſicut ejuſdem Moſis alter cognatus appellabatur *Jethro*, & *Raguel*.

Illi autem Cinæi idcirco receſſerunt a civitate palmarum, & cum nonnullis e Tribu Juda perrexerunt in deſertum, forte quia Jerecontina regio, cum eſſet pinguiſſima, invaderetur plerumque ab hoſtibus qui incolas infeſtabant, eorumque facultates diripiebant. Ut autem illi incolæ has incurſiones hoſtiles vitarent, conſultius duxerunt ſecedendum in loca ſolitaria, ut ibi pacatius & tranquillius agerent.

DISQUISITIONES IN CAPUT XI.

Diuturno juxta montem Sinai incolatu peracto, tandem nubecula, quæ eo uſque Tabernaculo incubuerat, illud deſtituens, & ad caſtrorum caput ſeſe offerens, ſignum fuit Iſraelitis illico inde abeundi. Nec mora ſolutis caſtris, & ſublato per partes Tabernaculo, viam carpunt, præeunte arca fœderis, & duce nubecula ei incumbente. Jam per triduum in deſerto Pharan ambulaverant, cum nubecula conſiſtens ibi quieſcendum eſſe, ſignificavit. At neſcii quamdiu ibi hærendum, & quo inde pergendum eſſet, eos tædere cœpit ſuſcepti itineris & laboris. Hinc ſolvuntur in gemitus & ſuſpiria, & memores priſtini victus in Ægypto, quo ventrem infarciebant, manna ut leviſſimum cibum habent faſtidio, ſolidas carnes appetunt, & ad cucumeres, pepones, porros, cepe, & allia Ægypti anhelantes, querulis vocibus adverſus Deum obmurmurant, quod iſtis edulis eos orbaſſet.

Moſes his querimoniis exagitatus, Deum rogat ut illum ab oneroſiſſimo regimine tanti populi eximere dignetur: *Sin aliter*, inquit verſ. 15. *Obſecro ut interficias me, & inveniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis*. Ad iſtas populi & Moſis expoſtulationes, tria exequitur Deus. I. Spondet ſe die ſequenti daturum carnes in tanta copia, ut univerſus populus per menſem integrum eis ad ſaturitatem & nauſeam potiatur; quod ut impleret, venti auſtralis impetu tanta nubes coturnicum advolavit in Caſtra, & terræ ita proxima, ut facile præberet aucupium, & quiſque eam ſibi copiam compararet, quæ per menſem integrum ad ſuavem cibum ſufficeret. II. Moſi jubet Deus, ut ex univerſo populo ſeligat ſeptuaginta ſenes, quos non tam ætate, quam gravitate morum & prudentia noverat aliis antecellere; quatenus eodem, quo ipſe divino Spiritu afflati, veniant ei in partem oneris & ſollicitudinis. III. Ne illa obſtrepentium Iſraelitarum perduellio maneret inulta, neque cauſam præberet alterius prævaricationis, duplici pœna eos ibidem mulctavit, incendio nempe & lue, quibus plurimi perierunt.

Ut autem Deus, quod promiſerat, exequeretur, juſſit ut ventus *arreptas mare coturnices* (deferret) *in caſtra, itinere quantum uno die confici poteſt ex omni parte caſtrorum per circuitum, volabantque in aere duobus cubitis altitudinis ſuper terram* &c. Unde populus facili negotio poterat eas capere. Illa vero coturnicum multitudo advolavit ex Arabico ſinu, inquit Joſephus [a]. Nullibi enim major coturnicum copia quam in Ægypto & confiniis, ut refert Diodorus Siculus [b]. Quin etiam Plinius [c] ſcribit coturnices interdum tanta multitudine ex iis terris mare intermedio advolare, ut plerumque navigantibus ſint in periculo: *Quippe*, ait, *velis ſæpe inſidunt, & hoc ſemper noctu, merguntque navigia*. Habuerunt ergo illi murmuratores Iſraelitæ ex hoc advolatu coturnicum, unde facile ventrem implerent.

[a] *Lib.* 3. *antiq. cap.* 1.

[b] *Lib* 6.

[c] *Lib.* 10. *cap.* 23.

Quæritur autem I. Quinam præcipui fuerint iſtius murmuris & perduellionis Auctores?

Reſpondeo, ex verſ. 4. apparere iſtius murmuris incentores fuiſſe *vulgus promiſcuum*, nempe Ægyptios, qui Iſraelitis ex Ægypto recedentibus ſeſe conjunxerant, ut dictum eſt, *Exod.* 12. *verſ.* 38. quique tandem pertæſi itineris & leviſſimi cibi mannæ cœperunt anhelare ad edulia, quibus ad ſatietatem in Ægypto veſcebantur.

Sunt tamen qui exiſtimant has iſtius vulgi querelas diſtinguendas eſſe ab eo murmure populi, quod refertur *verſ.* 1. idque ſuadent triplici ratione. I. Quod diſtinctum ſit utriuſque murmuris motivum. Primum namque dicitur eſſe *populi, quaſi dolentium, pro labore*. Secundum vero dicitur inceptum a vulgo conquerente de mannæ cibo leviſſimo, & deſiderante carnes, *quis dabit nobis ad veſcendum carnes?* quibus pariter acceſſerunt ſimiles Iſraelitarum querelæ.

II. Diſtincta fuit utriuſque murmuris punitio; nam, ut primum vindicaret, immiſit ignem *qui devoravit extremam partem caſtrorum*; quique ad Moſis preces extinctus eſt: ut puniret vero ſecundum, *percuſſit eum* (populum) *plaga magna nimis*.

III. Locus prioris vindictæ dictus eſt, *Incenſio, eo quod incenſus fuiſſet contra eos ignis Domini*. verſ. 3. at locus poſterioris ſupplicii appellatus eſt *ſepulchra concupiſcentiæ: ibi*

enim

enim ſepeliverunt populum qui deſideraverat. v. 34. videntur igitur res omnino diverſæ. Quod pariter veriſimilius exiſtimo; neque enim inſolitum fuit Hebræis animo leviſſimis ab uno flagitio reſipiſcentes, in aliud paulo poſt relabi.

Dices 1. Qui fieri potuit ut populus ille tanto æſtu carnes appeteret, cum innumera haberet pecora, quæ occidi poterant & manducari?

Reſpondeo 1. Illa pecora tanta non fuiſſe, ut tot hominum millibus alendis ſufficerent. 2. Servata fuiſſe ad ſobolem procreandam. 3. Vulgus illud promiſcuum a quo cœptum eſt murmur, iſtis pecoribus non abundare, maxime cum ab egreſſu ex Ægypto jam annus effluxiſſet.

Dices 2. Cum manna ſaporem omnem juxta cujuſque deſiderium & appetitum exhiberet, ut dicitur *Sapientiæ* 16. *verſ.* 20. cur illi carnes efflagitant, quarum guſtum manna poterat præbere?

Reſpondent aliqui, ſolis juſtis hunc mannæ Saporem ad libitum præſtitum fuiſſe; ab improbis autem & peccato mortali inquinatis guſtatum eſſe Saporem tantum naturalem, qui erat inſtar mellis & *quaſi panis oleati*, ut hic dicitur *verſ.* 8.

At veriſimilius dicendum arbitor, quod licet manna vim haberet cujuſque guſtum, & appetitum explendi; attamen cum cibus eſſet leviſſimus, eaſdemque externas qualitates ſervaret, vulgus illud craſſioribus cibis, qui ventrem implerent aſſuetum, ea peroptabat, non quæ guſtum ſolum, ſed etiam oculos paſcerent, ut familiare eſt guloſis, qui craſſioribus magis ventrem infarcire, quam delicatis cibis guſtum delinire peroptant. Unde aiebant verſ. 6. *Anima noſtra arida eſt, nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri, niſi Man*, quod levius eſt & minutius ut ventrem impleat.

Quæritur II. Qua ratione Moſes dicere potuerit ſibi ſoli impoſitum eſſe onus regendi univerſum populum *verſ.* 11. cum jam antea ex conſilio Jethronis *Exod.* 18. conſtituiſſet millenarios, centenarios, quinquagenarios, decanos & Judices qui minores populi cauſas & lites dirimerent: & inſuper haberet ſeptuaginta ſenes, qui in componendis controverſiis ei adeſſent.

Reſpondeo, quod tametſi Moſes hoc ab illis haberet ſubſidium, nihilominus cum majores cauſæ ad illum referrentur, & inſuper ille ſolus eſſet in iis quæ ad Dei cultum & religionem ſpectarent, eique ſoli incumberent ea quæ univerſum populi cœtum concernebant, dubio procul maxime tanto onere plurimum gravabatur.

Quæritur III. Utrum nil peccarit Moſes, cum Deo ſpondenti ſe daturum carnes Iſraelitis, quibus ad ſatietatem & nauſeam per menſem veſcerentur, *Reſpondit*, verſ. 21. & 22. *ſexcenta millia peditum hujus populi ſunt, & tu dicis: dabo eis eſum carnium menſe integro: numquid ovium & boum multitudo cædetur, ut poſſit ſufficere ad cibum? vel omnes piſces maris in unum congregabuntur, ut eos ſatient?*

Theodoretus [a], in eo crimen agnoſcit; a Qu. 19. diff.
Quia, inquit, *non Propheta ſolum, ſed homo erat*. S. Cyrillus Alexandrinus [b] admittit b Lib. 5. in Joan. cap. 15.
imbecillitatem fidei; æque ac poſtea in Philippo circa paſcendos in deſerto tot millia hominum. S. Aug. [c] dicit iſta verba potius c Qu. 19.
fuiſſe admirantis & quærentis modum quo id fieret, quam dubitantis & diffidentis, quod utique veriſimilius exiſtimo, maxime cum Deus illum non arguat, ſed edoceat rem iſtam divinæ ſuæ omnipotentiæ vim non excedere, dicens: *Numquid manus Domini invalida eſt?*

Quæritur IV. quo ſenſu Deus dixerit Moſi verſ. 17. *Auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis (ſeptuaginta ſenibus) ut ſuſtentent tecum onus populi &c.*

Reſpondeo, ſuperius hoc jam expoſitum fuiſſe, nempe id factum eſſe, non per ſubſtractionem, aut imminutionem gratiarum & donorum quibus Deus Moſem cumulaverat; ſed per infuſionem ſimilis beneficii cœleſtis, quod Theodoretus aſſimilat lucernæ alias accendenti, & Sacerdoti innumeros homines baptizanti, ac Epiſcopo alios conſecranti; non enim minuitur eorum poteſtas & gratia, quamvis eamdem, aut ſimilem aliis conferant. Spiritus autem ille quo Deus ipſos ornavit, fuit præſertim ſpiritus prudentiæ, fortitudinis & prophetiæ. *Prudentiæ* quidem maxime neceſſariæ in populi regimine ut cuique, ſicut decet, conſulatur: *Fortitudinis* ad conſtanter perferendas occurrentes anguſtias, & frangendos adverſantium impetus. *Prophetiæ* vero ad prævidenda futura, & præcavenda quæ eſſent noxia. Hi vero ſeptuaginta viri, alii videntur ab iis, qui non tam delectu, quam fortuito occurrerunt, vel ſeſe obtulerunt Moſi eunti ad colloquium Domini in monte Sina *Exod.* 24. Hi namque fuerunt ſpecialiter a Moſe ſelecti, & a Deo confirmati; in cujus rei teſtimonium donati ſunt ſpiritu prophetico quamdiu vixerunt.

Noluit autem Deus ipſemet hos LXX. ſenes deſignare; ſed eorum electionem commiſit liberæ Moſis voluntati: *Congrega*, inquit, *mihi LXX. viros de ſenibus Iſrael, quos tu noſti quod ſenes populi ſint ac magiſtri: & duces eos ad oſtium Tabernaculi fœderis, facieſque ibi ſtare tecum, ut deſcendam & loquar tibi, & auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis, ut ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graveris.* Hos cum ſelegiſſet Moſes duxit illos ad Tabernaculum, *deſcenditque Dominus per nubem... auferens de ſpiritu qui erat in Moyſe, & dans ſeptuaginta viris: Cumque requieviſſet in eis ſpiritus, prophetaverunt, nec ultra ceſſarunt*: ubi vocem *prophetare* (ait Vatablus) Hebræi exponunt, *cantica & laudes dicere*, juxta illud 1. *Reg. cap.* 10. *v.* 5. ubi de Saule dicetur, quod *obvium habuit gregem prophetarum deſcendentium de excelſo, & ante eos pſalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam, ipſoſque prophetantes.* Quo loco Chaldæus Paraphraſtes habet, *Deo laudes dicentes.*

Contigit autem ut ex illis ſelectis LXX. ſenioribus, ut duo remanſiſſent in caſtris,

quo tempore Moſes alios duxit ad Tabernaculum; ſuper quos tamen idem ſpiritus Domini requievit, & ſimiliter *prophetarunt in caſtris*, verſ. 27. quod cum accepiſſet Joſue, Moſem rogavit ut eos prohiberet: *At ille, quid*, inquit, *æmularis pro me? quis tribuat ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus ſpiritum ſuum?*

Tradunt autem Hebræi x Moſe LXX. ſenibus revelatum & expoſitum eſſe verum divinæ Legis intellectum, quem in monte Sinai a Domino acceperat: ab his vero ſenioribus illam legis expoſitionem per manus commiſſam eſſe aliis ſequentibus LXX. ſenioribus cujuſque Synagogæ Præfectis. Quod etiam docet S. Hilarius, qui in expoſitione *Pſalm.* 2. ſic ſcribit; *Erat antem jam a Moſe antea inſtitutum in omni Synagoga LXX. eſſe Doctores: nam idem Moyſes quamvis V. T. verba in litteris condidißet, tamen ſeparatim quædam ex occultis legis ſecretiora myſteria LXX. ſenioribus, qui Doctores deinceps manerent, intimaverat. Cujus doctrinæ Dominus in Evangeliis etiam meminit dicens (ſuper cathedram Moyſi ſederunt Scribæ ac Phariſæi. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis, facite & ſervate; ſecundum vero facta eorum nolite facere.) Doctrina vero eorum manſit impoſterum, quæ ab ipſo ſcriptore legis accepta, in hoc ſeniorum & numero & officio conſervata eſt.*

Hæc tamen S. Hilarii ſententia eo ſenſu non eſt intelligenda, ac ſi voloerit, in ſingulis Iſraelitarum Synagogis fuiſſe ſeptuaginta ſenes Præfectos & Doctores; hoc enim veritati non eſſet conſonum; quippe cum in ſingulis urbibus eſſent Synagogæ, ſeu congregationes populi ad divinum cultum, in quibus tot Doctores & ſenes non eſſent reperiendi: ſed intelligendus eſt S. Hilarius de maaima Synagoga, hoc eſt, de Concilio Sanhedrim LXX. ſenioribus & Doctoribus conſtante; ita rem exponunt Hebræi Doctores in libro *Aboth*, ubi ſcribitur, *Moſes accepit legem e Sinai, quam tradidit Joſuæ, Joſua ſenibus, & ſenes Prophetis; Prophetæ autem tradiderunt eam viris Synagogæ magnæ.* Ubi per Synagogam magnam, intelligunt Eſdram & ſocios illius qui Moſaicam legem, in captivitate Babylonica diſſipatam, priſtino ſplendori reſtituerunt.

Interea dum Iſraelitæ, exſtructis e coturnicibus dapibus, opipare conviviantur, geniiſque iodulgent, immiſſa in caſtra funeſta lues populum corripit, ingentemque illius ſtragem edit, ut propter indebite concupitas carnes pœnas luat; inde locus *Sepulchra concupiſcentiæ* dictus eſt, quod cibus avidius eapetitus & paſtus interitum plurimis gulonibus adſciviſſet, unde Pſalmiſta 77. *Adbuc eſcæ erant in ore ipſorum; & ira Dei aſcendit ſuper eos; & occidit pingues eorum, & electos Iſrael impedivit.* Hæc autem plaga videtur tantum immiſſa ſub finem menſis, Deus enim promiſerat ſe carnes per menſem illis daturum.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XII.

TRia potiſſimum hoc in capite narrantur: I. Obmurmuratio Mariæ & Aaronis contra fratrem ſuum Moſem propter illius uxorem Æthiopiſſam: II. Dei in Mariam xnimadverſio, quam lepra percuſſit; eam tamen ad Moſis preces ſanitati reſtituit: III. Moſis elogium, ejuſque ſupra cæteros Prophetas commendatio.

Mariam in fratrem ſuum Moſem inſurrexiſſe, & Aaronem fratrem ſoas in partes pertraxiſſe propter Moſis uaorem aperte conſtat ex primo hujus capitis verſu. Quænam autem fuerit hujus iracundiæ cauſa, non ita liquet. Refertur quidem occaſionem iſtius murmuris Moſis uxorem Æthiopiſſam præbuiſſe. At qua ratione illa dicta ſit Æthiopiſſa, cum eſſet filia Raguelis Sacerdotis Madian, non ita facile eſt aperire. Narrat quidem Joſephus uxorem iſtam non fuiſſe Sephoram, ſed Tarbim filiam Regis Æthiopum quam Moſea, cum eſſet Ægypti prorea, uxorem duxit, poſtquam cum Pharaonis exercitu Æthiopes debellaſſet: ſed hanc Joſephi narrationem ut putidum commentum merito ſuggillat & reiicit Theodoretus, additque Sephoram Moſis uxorem idcirco dictam eſſe Æthiopiſſam, quod Madianitis eſſet. Madianitarum autem regio vicina erat, imo quædam pars Æthiopiæ Orientalis. Duplex enim eſt Æthiopia, auſtralis una in Africa ultra Ægyptum longius porrecta; Orientalis altera, quæ Arabiam & Madianitidem complectitur: unde Habacuc cap. 3 Æthiopes & Madianitas conjungit. *Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.* Et 2. Paralip. cap. 14. Zara Æthiopum Rex dicitur bello aggreſſus Aſa Judæorum Regem, ad cujus preces Deua Æthiopes conterruit, eoſque inſecutus Aſa internecione delevit; hi vero Æthiopes non erant Africani, qui longius a Judæa diſtabant, ut ei bellum inferrent, xc ſubinde erant iſtis regionibus vicini, ſicut Arabes & Madianitæ.

Cur aotem iſtius uaoris cauſa Maria & Aaron in fratrem ſuum Moſem inſurrexerint, multiplex profertur ratio: I. Quod Moſes uxorem non ex Iſraelitica gente, ſed alienigenam duaiſſet, quod videbatur indignum Iſraelitici populi duci & legiſlatori: quamobrem eum hortabantur ut illam dimitteret: quod cum renueret dicens nil a ſe niſi Deo revelante factum: repoſuerunt illi: *Nonne ſimiliter nobis eſt loquutus?* nimirum ut ſcire poſſent quid eſſet licitum, quid vetitum. Verum ſi id acerbe tuliſſent Maria & Aaron, tandiu non ſiluiſſent.

II,

Digitized by Google

II. Putant alii Mariam & Aaronem Moſi eaprobraſſe quod prætextu frequentis cum Deo collocutionis, abſtineret ab opere conjugali. Verum illa eaprobratio ſupponit Moſis uxorem ea de re fuiſſe conqueſtam, quod certe ejus pudorem non decebat; nec conveniens fuiſſet Mariæ & Aaroni reſpondere ſe ab actu conjugali non abſtinere licet eis pariter Deus fuiſſet locutus; Aaron enim tunc erat natus 85. annos: Maria vero agebat annum vitæ pene centeſimum; nec eorum modeſtiæ, & ætati conveniebat miſcere hujuſmodi ſermones.

III. Probabilius exiſtimant alii dicentes Sephoram ſeſe ambitioſius extuliſſe ſupra Mariam, propter viri ſui dignitatem, quod frequens haberet cum Deo colloquium, atque ea ratione maritum ſuum etiam Aarone eſſe præſtantiorem: Suadent enim hanc fuiſſe eaprobrationis cauſam, ea, quibus Deus prætulit Moſem in dono & munere prophetandi non ſolum Aaroni & Mariæ, ſed & omnibus aliis Prophetis.

Ad iſtam objurgationem cum non reſponderet Moſes, quia ut refertur verſ. 3. *Erat vir mitiſſimus ſuper omnes homines qui morabantur in terra*; Deus illius cauſam egit. I. Declarando illum eſſe omnibus aliis Prophetis excellentiorem, quod divina ſua arcana diſtinctiori ac ſublimiori modo quam aliis ei revelaret; unde Aaron & Maria de dignitate prophetali perperam cum eo contendebant. II. Percutiendo Mariam lepra in pœnam & vindictam ſuæ objurgationis & ſuperbiæ. III. Mariam a lepra mundando ad Moſis preces.

In Aaronem vero non animadvertit, ait Theodoretus. I. Propter Pontificatus & Sacerdotii dignitatem: *Aaron enim erat radix Sacerdotum & origo*. II. Propter ſacerdotale officium continuo exercendum; leproſi enim arcebantur a ſacris. III. Quod probroſum ac ignominioſum fuiſſet ſummo Pontifici nedum extra ſanctuarii ſepta, ſed & extra caſtra cum aliis leproſis eiici quemadmodum rejecta fuit Maria, tametſi facti pœnitens, ad Moſis preces fuiſſet mundata a lepra, quæ *jam medium carnis ejus devoraverat*, verſ. 12.

DISQUISITIONES IN CAPUT XIV.

DUas jam in ſolitudine Pharan ſtationes fecerant Hebræi, nempe *in ſepulchris concupiſcentiæ*, & *in Haſeroth*, cum inde ſolventes agmen, Chananææ tot votis expetitæ limites attigerunt, tentoria figentes in Cades, ut hic refertur *verſ.* 27. Hæc autem Cades eadem eſt quæ *Cadesbarne* Deuter. 1. v. 19. Duplici nomine appellata, vel per ſyncopen dicta *Cades*; ſed utrum ſit eadem cujus ſit mentio *cap.* 20. *verſ.* 1. & *cap.* 33. *verſ.* 36. Ubi e vivis exceſſit Maria Moſis & Aaronis ſoror, diverſi diverſa ſentiunt. Eandem eſſe putat Abulenſis Præſul dicens Hebræos anno ſecundo citiſſime percurriſſe omnes manſiones a Sina, quæ fuit duodecima, uſque ad Cades quæ fuit 33. atque ibi hæſiſſe ab anno ſecundo poſt exitum ab Ægypto uſque ad quadrageſimum. At veriſimile non eſt Hebræos tantam moram in eodem loco feciſſe, cum Scriptura pluribi afferat eos vagatos & peregrinatos eſſe in deſerto per 40. annos: Deinde *Numer.* 20. *verſ.* 1. trigeſima tertia ſtatione in Cades veniſſe narretur: Denique *Deuter.* 2. *verſ.* 14 Iſraelitæ dicantur per 30. annos in deſerto ambulaſſe: igitur eodem in loco per 38. annos non hæſerunt: ac proinde Cades hic memorata, aut non eadem fuit in qua fixa eſt trigeſima tertia ſtatio; aut Iſraelitæ iterum ad eam acceſſerunt.

Cum autem Chananitidis tantopere exoptatæ limites tangerent, juſſit Deus ut armata manu in eam irrumperent; at illi priuſquam divino parerent imperio, cenſuerunt præmittendos eſſe exploratores, qui terram luſtrarent; quaſi de divinæ promiſſionis eventu eſſent dubii, quod etiam eis exprobrat Moſes Deuteron. cap. 9. verſ. 23. *Quando miſi vos de Cadesbarne, dicens: aſcendite & poſſidete terram quam dedi vobis, & contempſiſtis imperium Domini Dei veſtri, & non credidiſtis ei*, quia noluerunt eo aſcendere, niſi præmiſſis exploratoribus. Illorum tamen votis annuit Deus dicens Moſi ut unum e cujuslibet Tribus principibus tranſmitteret in Chananitidem qui terram explorarent, & ex ea aſportarent, fructus, illius fertilitatis indicia. Illi vero delegati Principes, ii non erant, qui ſuæ cuique Tribui præficiebantur, quique memorantur *cap.* 1. & 7. diverſa ſunt enim horum ab illis nomina: ſed qui ſecundi ab eis Tribum regebant.

Emiſſi exploratores terram per quadraginta dies rimati ſunt, *Pergenteſque uſque ad torrentem botri, abſciderunt palmitem cum uva ſua, quem portaverunt in vecte duo viri*, verſ. 24. Ut argumentum eſſet eximiæ illius terræ ubertatis: ficus pariter & malo granata, alioſque fructus aſportarunt. At dixerunt aliqui prævalidos eſſe incolas & giganteæ ſtaturæ, muratas urbes, oppida ingentibus muris cincta, & innumeros homines armis inſtructos, & ad reſiſtendum oppugnantibus ſtrenue comparatos. His nuntiis Iſraelitæ perterriti, vicem ſuam deflere cœperunt; quod ſub vana ſpe occupandæ terræ fertiliſſimæ, exponerentur truculentis hoſtibus ad internecionem delendi. Eo vero proceſſit eorum conſpiratio, ut abjecto Moſis imperio cogitarent de alio Principe eligendo, qui eos in Ægyptum reduceret.

Huic

Huic peſſimo conſilio pro viribus obſiſtunt Caleb & Joſue, duo ex ſpeculatoribus: terræ ubertatem exaggerant, incolas etſi prægrandes & armatos, divino tamen affulgente auxilio facile deiiciendos, maxime cum ad Iſraelitarum adventum valde perterriti, ſi animoſe impetantur, cito in fugam abibunt. His Moſes & Aaron ſuas adjungunt preces, & ut populus pareat Deo in Chananitidem vocanti adhortantur.

Sed ſurdis canunt auribus: pervicaces enim Hebræi conſpiratione facta in Moſem & Aaronem inſurgunt; eoſque arreptis lapidibus lapidare nituntur. Quamobrem in illos vehementiſſime iratus Deus, proponit omnem hanc multitudinem immiſſa peſtilentia extinguere, facta ſponſione Moſi illum principem conſtitutum iri ſuper gentem Iſraeliticа potentiorem. At Moſes Dei miſericordiam erga perduellem populum inſtanter ſollicitat, obtinetque tandem, ſed non plenariam; nam ut ab infideli & incredulo populo Deus pœnas exigat, jubet ut iter retro converterent & rurſum 38. annos ſine urbe, ſine lare in deſerto agerent, donec extincti eſſent omnes a viginti annis majores natu, qui Chananitidem invadere noluerant. Decem vero exploratores qui hujuſce prævaricationis auctores fuerant, morte præcipiti illico ſuſtulit, ſervatis Calebo & Joſua, ut promiſſa benedicta terra potirentur. His ſuppliciis & comminationibus emendati Hebræi, voluerunt ſequenti die Chananæorum regionem invadere: at ab Amalecitis & Amorræis eos ex inſidiis adorientibus proſtrati ſunt, quod ut dixerat Moſes, Dominus eis non adeſſet, nec cum eis pugnaret.

Hanc autem Iſraelitarum prævaricationem redarguit Deus hic verſ. 22. *Attamen omnes homines qui viderunt majeſtatem meam, & ſigna quæ feci in Ægypto in ſolitudine; & tentaverunt me jam per decem vices, nec obedierunt voci meæ.* Iſtas tentationes Hebræi hoc ordine enumerant, referente clariſſ. Fagio. „ Prima tentatio facta eſt juxta mare
„ rubrum, ſeu caricoſum, cum dicerent, num-
„ quid quia non erant ſepulchra in Ægy-
„ pto, tuliſti nos &c. *Exod.* 14. Altera in
„ Marah contigit, ubi & murmurantes con-
„ tra Moſem dixerunt; quid bibemus? *Exod.*
„ 15. Tertia in deſerto Sin, cum peterent
„ manna, & dicerent, utinam mortui eſſe-
„ mus per manum Domini &c. *Exod.* 16.
„ Quarta fuit inobedientia eorum, cum re-
„ linquerent manna uſque mane, ſicut dicitur:
„ & reſervarunt ex eo uſque mane. *Exod.*
„ 16. Quinta fuit inobedientia eorum, cum
„ quæſierunt manna in ipſo die Sabbati, ſe-
„ cundum quod dicitur, factum eſt autem
„ in die ſeptimo ut egrederentur quidam
„ de populo ad colligendum &c. *Exod.* 16.
„ Sexta in Raphidim accidit ad aquas con-
„ tradictionis *Num.* 20. Septima in Horeb
„ cum facerent vitulum. *Exod.* 23. Octava
„ facta eſt in Tabera, ubi dubitabant num
„ vere Deus eſſet, & murmurabant ſicut
„ patet ex eo quod dicitur, & factum eſt
„ cum populus inique ageret, ſive nauſeam
„ haberet, vel mœrore afficeretur. *Numer.*
„ 11. Nona orta eſt juxta ſepulchra concu-
„ piſcentiæ, cum poſtularent carnes, ut &
„ vulgus collectum quod erat in eo concu-
„ piverunt concupiſcentiam. *Num.* 11. De-
„ cima in deſerto accidit, cum ſcilicet aman-
„ darentur exploratores, juxta id quod dici-
„ tur, & tentaverunt me jam per decem
„ vices, neque audierunt vocem meam. *Nu-*
„ *mer.* Hactenus Hebræi.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XV.

NE tamen de conſequenda terra promiſſionis ſpem omnem deponerent Hebræi, Deus hoc in capite rurſus ſpondet ſe illam eis daturum. Unde præſcribit. I. Quæ ſint offerenda libamenta in ſacrificiis peragendis, dum repromiſſam iſtam terram fuerint adepti: II. De quibus offerendæ primitiæ: III. Quæ victimæ pro expiandis tranſgreſſionibus legis, & peccatis voluntarie aut per ignorantiam, admiſſis: IV. Cum inſcii eſſent Moſes & Aaron qua pœna plectendus eſſet homo deprehenſus die Sabbati colligens ligna, Deus ab eis iſta de re interrogatus jubet ut ab univerſa multitudine lapidaretur: V. Tandem præcipit ut Hebræi ſuis palliolis attexant fimbrias hyacintinas, quatenus ad earum conſpectum memores eſſent mandatorum Dei, eaque executioni demandarent. Cum de Sacrificiis, Libamentis, & Primitiis actum fuerit in Levitico, hic tantum

Quæritur I. Cum Moſes & Aaron eſſent prophetiæ dono illuſtres, qui fieri potuit ut ignorarent quo ſupplicio plectendus eſſet Sabbati violator?

Reſpondeo, Quod etſi Moſes ſpirito prophetico aliis antecelleret, hic tamen ei non erat ita familiaris, ut quovis data occaſione eo poſſet uti; nam, inquit Chriſtus D. Joan, 3. verſ. 8. *Spiritus ubi vult, ſpirat, & neſcis unde veniat, aut quo vadat;* Hinc quoties occurrebat aliquid arduum definiendum, ſolebat Moſes Deum conſulere, & ad ejus reſponſum res ſtatuere. Sciebat quidem pœnam mortis latam eſſe in violatorem Sabbati, ut ipſemet ſcripſit *Exod.* 31. *verſ.* 14. At quo genere mortis plectendus eſſet, ignorabat; cum Deus id non expreſſiſſet. Dubius pariter eſſe potuit utrum illa ligni modica collectio tanta eſſet Sabbati violatio, quæ morte deberet puniri: quamobrem merito cenſuit Deum illa de re eſſe conſulendum.

Quæritur II. Quorſum Deus præceperit Judæis ut ſuis palliolis attexerent fimbrias hyacinthinas?

Reſpon-

Digitized by Google

Reſpondeo, Multis de cauſis id fuiſſe præceptum: I. Ut Populus Iſraeliticus a cæteris Gentibus diſtingueretur externo quodam ſymbolo; quemadmodum interiore nota, nempe circumciſione ab eis erat ſejunctus. Ita docet S. Hieronymus. II. Ut ad aſpectum coloris hyacinthini ſeu ætherei, cogitationes affectus ſuos verſus cœlum dirigerent, ſolique Deo placere & ſtuderent; *Color enim hyacinthinus*, inquit Theodoretus, *cœli colorem imitatur: illos ergo meminiſſe volebat legislatoris, nempe qui omnia quidem repleat, proprie tamen cœlum incolere videatur*. III. Quoniam facile obliviſcebantur mandatorum Dei, ut patet ex mox dicto Sabbati violatore; ne in idem crimen & ſupplicium impingerent, voluit has adiici fimbrias, quatenus ipſas aſpiciendo memores eſſent præceptorum divinæ legis, eaque executioni mandarent. Hinc Chriſtus D. Matth. 23. Phariſæis exprobrat quod, ut viderentur aliis legum obſervantiores, magnificabant fimbrias ſuas: quin etiam addit in hunc locum S. Hieronymus, acutiſſimas in eis ſpinas ligabant, ut videlicet ambulantes & ſedentes interdum pungerentur, & quaſi hac admonitione revocarentur ad officia Domini, & miniſteria ſervitutis ejus.

Has autem fimbrias veſtibus ſuis attextas etiam a Chriſto D. geſtas eſſe argumentum eſt, quod, ait S. Lucas *cap.* 8. *verſ.* 44. Mulier Hemorrhoiſſa *acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti ejus, & continuo ſtetit fluxus ſanguinis ejus*.

DISQUISITIONES
IN CAPITA XVI. & XVII.

His in capitibus refertur quorumdam Iſraelitarum novæ ſeditionis ortus, & eventus adverſus Moſem & Aaronem, quod in ſacris & politicis principatum obtinerent. Putat Aben-Eſra, & cum eo Abulenſis Præſul & alii, hic non eſſe ſervatam hiſtoricæ narrationis & temporum ſeriem, ſed per recapitulationem rerum geſtarum enarrari quæ paulo poſt Aaronis inaugurationem in ſummum Pontificem evenerant, & priuſquam Iſraelitæ recederent a monte Sina; quod utique veriſimile pariter exiſtimo: maxime cum credibile non ſit poſt ſeveram & recentem Dei in Mariam Moſis ſororem animadverſionem, quod adverſus fratrem inſurrexiſſet, alios in idem crimen fuiſſe tam cito prolapſos. Adde quod S. Auguſtinus doceat, genera rerum geſtarum diſtributa eſſe per libros, in quibus non eſt contextus temporum ordo, ſed quædam prætermiſſa reſumuntur & commemorantur.

Plurimis licet divinis teſtimoniis ac prodigiis aperte conſtaret a Deo Moſem eſſe ſelectum, qui numeroſiſſimæ Iſraelitarum multitudini præeſſet, necnon & in ſacris & in politicis in eos obtineret auctoritatem, ac propterea nemini dubium eſſe debuiſſet nonniſi ex divina ordinatione fratrem ſuum Aaronem in ſummum Sacerdotem, ejuſque filios in ſecundi ordinis Sacerdotes conſecraſſe; nihilominus Core eorum conſobrinus ex Iſaat filio Caathi Moſis & Aaronis avi, ægre ferens ſe ſuoſque a Sacerdotio remotos, & in ſimplicem Levitarum ordinem redactos, ambitionis æſtu abreptus, Rubenitarum principes Dathan, Abiron, & Hon in Moſem incitavit; I. Quod ſummum in univerſum populum arripuiſſet principatum, qui Rubenitis jure primogenituræ debebatur: II. Quod Tribui Judæ aſſignatus eſſet prior locus in caſtris, qui Rubenitis competebat; quippe qui eſſent e Jacobi primogenito oriundi: III. Quod Joſephi familiam duas in Tribus diſtribuiſſet, quæ proinde in terræ promiſſionis diſtributione duplicem accepiſſent portionem, quæ potius Rubenitis ut a primogenito prognatis, erat decernenda.

His aliiſque rationibus & motivis irritata Rubenitarum familiarum capita, aſcitis in ſeditionis partes ducentis quinquaginta viris, proceribus Synagogæ; hoc eſt, aliquem in populo magiſtratum gerentibus, qui tamquam patres conſcripti vocari ſolebant ad conſilium publicum; hi, inquam, omnes conſpiratione facta, Moſem & Aaronem adoriuntur, eiſque exprobrant: I. Ambitionem, quod non contenti ſimplici ſua ſorte, primos ſibi principatus & Sacerdotii honores arrogarint: cum non alium quam Deum ipſum habere deberent ducem & principem, utpote qui in medio eorum conſiſteret, *v.* 3. II. Quod ſatis non ducentes eos eduxiſſe ex Ægypto, ubi bonis omnibus affluebant, ut fame illos interficerent in ſolitudine, inſuper dominationem tyrannicam in eos uſurpabant, *verſ.* 13. III. Quod vana ſpe eos lactaſſent fruitum iri terra lacte, & melle manante, ironice ei dicentes: *Revera induxiſti nos in terram quæ fluit rivis lactis & mellis, & dediſti nobis poſſeſſiones agrorum & vinearum?* &c.

Moſes re inopinata commotus, Deo conſulto, improperantibus edixit ut eorum quiſque ſequenti die ad Tabernaculi oſtium cum thuribulis ſacra facturi una cum Aarone convenirent, aliquo viſibili ſigno docendi a Deo, quem eorum in ſacrorum miniſtrum eligeret. Apparuit autem Deus inſigni cum majeſtate & gloria, juſſit ut Core, Dathan & Abiron ſua repeterent Tabernacula, omneſque ab eis recederent; quo facto ſtatim ad Moſis verba terra dehiſcens eos tres una cum Tabernaculis abſorpſit, *verſ.* 33. additur cap. 26. verſ. 10. & 11. *& factum eſt grande miraculum, ut Core pereunte, filii ejus non perirent*. Ducenti vero & quinquaginta viri qui obtulerant incenſum, igne ſubito e Tabernaculo erumpente conſumpti ſunt.

His

His ſuppliciis Iſraelitæ nihilo meliores eſfecti, ſequenti die in factionem conglomerantes petulantibus verbis Moſem & Aaronem quaſi populi ioterſectores adoriuntur, eoque jam ſuroris venerant, ut duces ſuos interemiſſent, niſi hi ad Tabernaculum confugientes conjuratorum impetum declinaſſent. Tantam audaciam inultam non eſt paſſus Deus; nam illico plagam immiſit in indomitum iſtum populum, quam vulgatus Interpres *lucendium*, alii, *peſtem* nominant, qua extincti ſunt quatuordecim millia hominum & ſeptingenti; pluresque periiſſent, niſi Aaron inſtructo thuribulo in caſtra feſtinus deſcendens, & ſtans inter mortuos & viventes oblato thimiamate Deum placaſſet.

Deus autem ut novo miraculo Aaronis Sacerdotium comprobaret, virgas e ſingulis Tribuum principibus cujuſque nomine inſcriptas in Tabernaculum deferri juſſit; admonens ei deſignandum eſſe pontificatum, cujus baculus germinaret, & flores effunderet: poſtero autem die ſola Aaronis virga foliis & amygdalis onuſta apparuit, cæterorumque de pontificatus honore contendentium ambitum coercuit; unde juſſit Deus illam Aaronis virgam ſervari juxta arcam fœderis *in ſignum rebellium filioram Iſrael*, cap. 17. verſ. 10.

DISQUISITIONES IN CAPUT XVIII.

PLurima in hoc capite occurunt notatu digna; quæ ut percipiantur, expoſitione indigent. *Primo* namque Deus confirmat Aaronis ejuſque filiorum Sacerdotium, & quæ ab illis agenda ſint præſcribit his verbis: *Tu, & filii tui, & domus patris tui tecum, portabitis iniquitatem ſanctuarii: & tu & filii tui ſimul ſuſtinebitis peccata Sacerdotii veſtri:* Quorum verborum ſenſus, hic eſt, ait appoſite Vatablus,,, Dabitis pœnas ſi quid peccatum fuerit in cæremoniis ſanctuarii: hoc eſt, vos cuſtodes eſtis ſanctuarii; & neminem, qui non ſit de Tribu veſtra, permittetis miniſtrare in ſanctuario; alioqui vos portabitis perpetratum malum, Similiter tu Aaron & filii tui, quos delegi mihi in Sacerdotes, obſervabitis diligenter ne alii Levitæ uſurpent ſibi ſacerdotale officium ſed illi ſuum, & vos veſtrum exequemini; ne in peccatum corruatis &c.

Secundo, Deus Aaroni, ejuſque in pontificatu ſucceſſoribus tribuit ſupremam auctoritatem tam in Sacerdotes, quam in Levitas: verſ. 2. *Sceptrum*, inquit, *patris tui ſume tecum &c.* Statuitque, ut ſoli Sacerdotes miniſtrent in Tabernaculo; Levitæ vero excubias agant circa Tabernaculum; ita ut nullum alienigenam ſub pœna capitis patiantur ad illud accedere. Prohibet inſuper verſ. 3. ne ipſi Levitæ accedant *ad vaſa ſanctuarii, & ad altare.*

At, *inquies*, quando, tempore peregrinationis, alio erat migrandum, & deportandum Tabernaculum, Levitæ illius partes, & in eo recondita vaſa ſacra tenebantur deferre: igitur ipſis licitum erat ad illa accedere.

Reſpondeo, nuſquam Levitis fuiſſe permiſſum vaſa ſacra tangere, quin prius velis & integumentis a Sacerdotibus fuiſſent cooperta, ut præcipitur *Num.* 4. *verſ.* 13. his verbis: *Cumque involuerint Aaron & filii ejus ſanctuarium, & omnia vaſa ejus in commotione caſtrorum*, (id eſt demigratione) *tunc intrabunt filii Caath, ut portent involuta: & non tangent vaſa ſanctuarii, ne moriantur.* Inde eſt quod hoc cap. 18. *verſ.* 7. Deus Aaroni præcipit, *Tu autem, & filii tui, cuſtodite Sacerdotium veſtrum:* (id eſt officium ſacerdotale) *& omnia quæ ad cultum altaris pertinent, & intra velum ſunt, per Sacerdotes adminiſtrabuntur. Si quis externus acceſſerit* (id eſt non Sacerdos) *morietur.* Utinam ad hæc attenderent novæ legis Sacerdotes, qui ſacrorum altarium ornatum, & cultum etiam laicis committunt!

Tertio, Deus ſignificat Aaroni ſe illi & filiis ejus Sacerdotibus conceſſiſſe omnes oblationes quæ ſolebant offerri; maxime pro peccatis eluendis: *Omnis oblatio, & ſacrificium, & quidquid pro peccato & delicto redditur mihi & cedit in ſancta ſanctorum, tuum erit, & filiorum tuorum:* ubi nomine *ſancta ſanctorum* non intelligitur ſacratior illa pars ſanctuarii, in qua recondita erat arca fœderis; in ea namque nullæ fiebant oblationes, nullaque ſacrificia; nec cuiquam licitum erat in eam ingredi, dum fixum fuit Tabernaculum, niſi ſoli ſummo Pontifici, idque duntaxat ſemel in anno, ſcilicet in feſto expiationis. Sed per *ſanctum ſanctorum*, hic deſignatur illa Tabernaculi pars, quæ alias dicitur *ſanctum*, quæque media erat ſanctum ſanctorum inter & atrium: quæ atrio cum eſſet ſanctior, ſolique Sacerdotes in eam poſſent ingredi, idcirco reſpectu atrii, ad quod omnibus Iſraelitis patebat aditus, dicitur hic ſanctum ſanctorum.

Quarto, jubet Deus oblationes illas comedi in ſanctuario, quod *ſanctum ſanctorum* appellaverat, utque mares tantum ederent ex eis, *Quia* (ait Deus Aaroni) *conſecratum eſt tibi*. De cæteris autem oblatis, ait *verſ.* 11. *Qui mundus eſt in domo tua, veſcetur eis.*

Quinto, addit verſ. 19. *Omnes primitias ſanctuarii, quas offerunt filii Iſrael Domino tibi dedi, & filiis ac filiabus tuis, jure perpetuo. Pactum ſalis eſt ſempiternum coram Domino, tibi ac filiis tuis.* Sponſionem autem hanc vocat *pactum ſalis*, ut ſignificet perpetuum fore Sacerdotium in Aaronis familia, atque illam potituram prædictis oblatio-

tionibus; alludit enim ad vim & naturam ſalia a corruptione & putrefactione præſervantis ea, quæ illo conſperguntur, juxta illud vulgare effatum, *ſole & ſale ſervantur omnia.*

Inſuper adiicit Deus verſ. 20. filios omnes Levi, Sacerdotes, ſeu Levitas nullam partem habituros in diviſione & diſtributione obtinendæ terræ promiſſionis, aliis Iſraeliticis Tribubus facienda; *In terra eorum*, inquit, *nihil poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos: Ego pars & hæreditas tua in medio filiorum Iſrael. Filiis autem Levi dedi omnes decimas Iſraelis in poſſeſſionem:* &c. Cur autem peculiarem Tribum Levi ſacris miniſteriis addictam eſſe voluerit, rationem addit verſ. 22. *Ut non accedant ultra filii Iſrael ad Tabernaculum; nec committant peccatum mortiferum*, ſeſe videlicet ſacris immiſcendo tractandis miniſteriis: quibus verbis familiarum primogenitos omnes excludit, quibus antea jure ſuæ primogenituræ facultas erat offerendi ſacrificia, ut ſæpius ſuperius dictum eſt.

Tandem præcipit Deus Moſi ut Levitis omnibus denuntiet; *Cum acceperitis a filiis Iſrael decimas, quas dedi vobis, primitias earum offerte Domino, id eſt, decimam partem decimæ, ut reputetur vobis in oblationem primitivorum... eas offerte Domino, & date Aaroni*; quibus verbis non ſignificatur decimas illas a Levitis oblatas in ſolius Aaronis, ſeu ſummi Pontificis uſum & proprietatem eſſe conferendas; ſed diſtribuendas univerſo Sacerdotum gregi: ſi enim illæ in ſolius ſummi Sacerdotis uſum ceſſiſſent, ille ditior eſſet; quippe cum centeſimam omnium bonorum Iſraelitarum partem haberet; cæteri vero Sacerdotes eſſent pauperrimi.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XIX.

Refert Moſes in hoc cap. ſibi præceptum a Deo, ut conficiat aquam luſtrationis, cujus aſperſione polluti ex tactu cadaveris, aut alioquovis modo, poſſent mundari. Tradit autem ritum confectionis hujus aquæ luſtralis, & qua ratione fieri debeat illius aſperſio. *Primo* dicit aſſumendam eſſe *vaccam rufam ætatis integræ, in qua nulla ſit macula, nec portaverit jugum:* Quibus verbis tres deſignantur in illa vacca immolanda conditiones. 1. Ut ſit *rufa*, ſeu rubea; rubedo enim apud Hebræos peccatum ſignificabat, juxta illud Iſaiæ 1. v. 18. *Si fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur, & ſi fuerint rubra, quaſi vermiculus, velut lana alba erunt:* Nimirum ut ex hac peccati & inquinationis ſimilitudine & repræſentatione, peccatum elueret, & inquinatos mundaret; contrariiſque remediis medelam afferret. Qua cæremonia præſignabatur Deum aliquando miſſurum filium ſuum *in ſimilitudinem carnis peccati, ut de peccato damnaret peccatum in carne.* 2 Ut ſit *ſine macula*, hoc eſt, nullos habeat pilos nigros aut albos, ſed omnino eſſet rufa; aut, ut volunt aliqui, nullo morbo, ſeu vitio laboraret, & in nullo culpari poſſet. 3. Ut non *portaverit jugum*, nec eſſet laboribus fracta; quo ſignificabatur eos, qui aſſumuntur ad alios mundandos, debere eſſe liberos a jugo peccati.

Secundo, Vacca hæc tradita ſummo Pontifici deducenda erat *extra caſtra, & immolari in conſpectu omnium:* Ut eſſet figura Chriſti aliquando Judæorum Pontificum ſententia & inſtantiis deducendum extra civitatem Jeroſolymam, & crucifigendum in conſpectu Judæorum.

Tertio, Vacca illa occiſa debebat omnino comburi, & illius cineres in vaſa aquæ conjici, ut inde fieret aqua luſtralis, cujus aſperſione mundabantur qui fuerant polluti, ſive ex contactu cadaveris, ſive alia legali inquinatione. Cæteri autem hujus aquæ luſtralis conficiendæ ritus cum jam expoſiti ſint, ubi actum eſt *de luſtrationibus Judæorum*, illuc lector remittitur. Hac autem cæremonia præſignificari voluit Deus Chriſtum aliquando ſacratiſſimi ſui ſanguinis effuſione homines eſſe mundaturum ab omni peccato, juxta illud Joan. 1. v. 7. *Sanguis Jeſu-Chriſti filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Unde Apoſt. ad Hebr. 9. v. 13. & 14. *Si ſanguis Hircorum & Taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis; quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum-Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſerviendum Deo viventi?*

Erat inſuper illa Moſis & Iſraelitarum luſtralis aqua præludium illius aquæ, quam diebus Dominicis, atque in vigiliis Paſchæ & Pentecoſtes benedicit Eccleſia, illamque fidelibus præbet, ipſos ea aſpergit ad corporum & animæ ſalubritatem. Unde in illius aquæ benedictionis formula his utitur verbis; *Ut ſit omnibus ſumentibus ſalus mentis & corporis, ut quidquid ex ea tactum, vel aſperſum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione ſpiritalis nequitiæ.* Hujus autem aquæ benedicendæ ritum ab Apoſtolis traditum conſtanter affirmat Sanctus Alexander Martyr, Romanus Pontifex ejus nomine primus, quem quintum a S. Petro enumerat Concilium Florentinum; tametſi nonnulli ſeptimum recenſeant. Hic *in Epiſt.* 1. *ad omnes Orthodoxos* inter cætera habet; „ Aquam ſale conſperſam populis „ benedicimus, ut ea cuncti aſperſi ſanctificentur, & purificentur. Quod & omnibus Sacerdotibus faciendum eſſe mandamus: nam ſi cinis vitulæ ſanguine aſperſus populum ſanctificabat atque mundabat, multo magis aqua ſale aſperſa, divi-

„ niſque precibus ſacrata; & ſi ſale aſperſo per Elizæum Prophetam ſterilitas aquæ ſanata eſt, quanto magis divinis precibus ſacratus ſal, ſterilitatem rerum aufert humanarum, & coinquinatos ſanctificat, mundat, & purgat, & cætera bona multiplicat, & inſidias Diaboli avertit, & a phantaſmatum verſutiis homines defendit. *Hæc ille.*

Quibus verbis mirandos huius aquæ benedictæ effectus luculenter exponit, I. Quod auferat ſterilitatem, & fœcunditatem conferat. II. Quod coinquinatos ſanctificet, vel vim habeat eluendi peccata venialia, ut communiter docent Theologi, cum ſubtili Doctore, & Angelico, qui ſcribit: „ Ad remiſſionem peccati venialis, non requiritur novæ gratiæ infuſio, ſed ſufficit aliquis actus procedens ex gratia, quo aliquis deteſtatur peccatum veniale, vel explicite, vel ſaltem implicite; ſicut cum aliquis ferventer movetur in Deum. Et ideo triplici ratione aliqua cauſant remiſſionem venialium peccatorum; vel per infuſionem gratiæ; & ſic per Euchariſtiam, & Sacramenta novæ Legis: *Secundo*, in quantum ſunt cum aliquo motu deteſtationis peccatorum: & hoc modo confeſſio generalis, tunſio pectoris & oratio Dominica proſunt ad remiſſionem venialium peccatorum. *Tertio* modo in quantum ſunt cum aliquo motu reverentiæ in Deum & ad res divinas: & hoc modo benedictio Epiſcopalis, aquæ benedictæ aſperſio, quælibet ſacramentalis unctio, oratio in Eccleſia dedicata, & ſimilia operantur ad remiſſionem venialium peccatorum.

Hæc tamen ea ratione non ſunt intelligenda, ac ſi ſola aquæ benedictæ aſperſio vim habeat remittendi peccata, ut loquuntur Theologi, *ex opere operato:* ſed *ex opere operantis*; quatenus nimirum illius aquæ ſumptio, aut aſperſio, mentem excitat ad Dei reverentiam & amorem.

III. Plurimum valet ad abigendos Dæmones, illorumque inſidias & tentationes declinandas, ut docet Hugo Victorinus; qui cum dixiſſet, *Sunt alia, quæ etſi non ſunt neceſſaria ad ſalutem, proficiunt tamen ad ſanctificationem; quia bis exerceri, & gratia amplior acquiri poteſt, ut aqua aſperſionis, & cineris ſuſceptio* addit: „ Hac igitur aqua ſanctificata fideles aſperguntur, & habitacula fidelium illuſtrantur ab illuſione & infeſtatione malignorum ſpirituum; quo effectu aqua benedicta figurari poteſt in ſanguine Agni Paſchalis, qui in poſtibus habitaculorum ad repellendum exterminatorem, Dei mandato, ponebatur. Unde in benedictione ſalis aquæ infundendum hæc proferuntur verba, *Ut efficiaris ſal exorcizatum in ſalutem credentium, & ſis omnibus ſumentibus te ſanitas animæ & corporis. Effugiat atque diſcedat ab eo loco, in quo aſperſum fueris, omnis phantaſia & nequitia, vel verſutia Diabolicæ fraudis, omniſque ſpiritus immundus adjuratus &c.* In benedictione vero ſalis & aquæ hæc proferuntur: *Deus invictæ virtutis auctor, ſuppliciter deprecamur ac petimus, ut hanc creaturam ſalis & aquæ dignanter aſpicias, benignus illuſtres, pietatis tuæ rore ſanctifices, ut ubicumque fuerit aſperſa, per invocationem Sancti nominis tui infeſtatio immundi ſpiritus abigatur, terrorque venenoſi ſerpentis procul pellatur, & præſentia S. Spiritus nobis miſericordiam tuam poſcentibus, ubique adeſſe dignetur.* Hujus aquæ benedictæ ſtupendos effectus ſi quis requirat, conſulat illuſtriſs. Marc. Antonium Marcilium Archiep. Salernitanum in præclaro ſuo libro de fonte luſtrali, ſeu de aquæ benedictæ præſtantia.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XX.

TRia hoc in capite referuntur: I. Mors Mariæ & Aaronis ſummi Pontificis illius fratris, illa in capitis exordio, hæc in fine: II. Legatio Iſraelitarum ad Regem Edom, ut liberum per ſuum regnum in Chananitidem iter eis concederet, quod ſemel & iterum denegavit. III. Nova totius populi adverſus Moſem & Aaronem obmurmuratio, & concitata ſeditio propter aquæ penuriam, *Cur* (inquiunt verſ. 4.) *eduxiſtis Eccleſiam Domini in ſolitudinem, ut nos & noſtra jumenta moriamur &c.* His querimoniis & conviciis etſi laceſſiti Moſes & Aaron, nihilominus ſuis precibus Deum urgent ut ſitientis populi miſereatur, & aquæ fontem aperiat. Juber Deus ut accepta virga, non Aaronis quæ floruerat, ſed ea qua Moſes ipſe tot in Ægypto patrarat prodigia, quæ repoſita fuerat in Tabernaculo; & convocata multitudine ad radicem montis Hor, ubi conſtituta fuerat trigeſima quarta manſio, imperarent ſaxo, ut aquas uberrime profunderet, *Loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas*, verſ. 8.

At Moſes ſolis verbis, ut imperatum fuerat, non contentus, ſaxum virga percuſſit, non uno duntaxat, ſed iterato ictu: quamobrem in utrumque fratrem ſubiratus Deus, dixit: *Quia non credidiſtis mihi, ut ſanctificaretis me coram filiis Iſrael, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis*, verſ. 12. vel, ut ait infra cap. 27. verſ. 14. *Quia offendiſtis me in deſerto Sin, in contradictione multitudinis &c.* Seu, ut habetur Deuteron. cap. 32. verſ. 51. *Quia prævaricati eſtis contra me, in medio filiorum Iſrael, ad aquas contradictionis, & non ſanctificaſtis me inter filios Iſrael &c.* Quæ verba indicant Moſem & Aaronem in hac occaſione nonnihil peccaſſe.

Qua-

Quæres autem I. Quodnam fuerit iſtud peccatum?

Reſpondeo, Quæſtionem hanc omnibus Interpretibus tam Hebræis, quam Chriſtianis crucem figere, nec ab ullo hujus Dei in Moſem & Aaronem iracundiæ rationem ita perſpicuam reddi, quæ exceptionem non admittat. Rabbi Gedaliah productus a Joanne Buxtorfio refert ſe in quodam tractatu collegiſſe viginti octo diverſas hac de re Auctorum ſententias. Rabbi Iſaac Abarbanel decem ipſe profert & refellit; ſed undecima quam ex ſe adjicit, aliis non eſt veriſimilior: ait enim Moſem & Aaronem interdictos eſſe ingreſſu in terram promiſſam propter ſuas prævaricationes, Moſem quidem propter emiſſos exploratores in terram Chanaam, quibus juſſit ut explorarent quales & quanti eſſent illius terræ incolæ? quæ eorum vires? qualis bellicus apparatus? &c. Quæ nec populus petierat, nec Deus permiſerat, ſed duntaxat ut referrent qua via eſſet procedendum, & quæ primum aggrediendæ & expugnandæ civitates. Unde cum populum excluſit ab ingreſſu in terram promiſſionis, quod audiens adeo fortes eſſe illius incolas, recuſaverit illos aggredi; merito, ait, pari pœna plectendus erat Moſes qui iſtius peccati fuerat occaſio. Aaron vero propter adorationem vituli aurei, quem etſi ille non coluerit, aliis tamen idololatrici cultus anſam præbuit.

Verum, etſi Moſes prædicta verba ex ſe adjecerit, optima tamen intentione id præſtitit, nimirum ut populus audiens eſſe fortes & bellicoſos, urbeſque omnibus ad repugnandum inſtructas, agnoſcerent magnitudinem beneficii & protectionis divinæ quæ in debellandis iſtis hoſtibus benigne erat adfutura, quo ſenſu *Deuter. 9. verſ. 1. 2. & 3.* ait: *Audi Iſrael, tu tranſgredieris hodie Jordanem, ut poſſideas nationes maximas & fortiores te, civitates ingentes, & ad cœlum uſque muratas... ſcies ergo hodie quod Dominus Deus tuus ipſe tranſibit ante te, ignis devorans atque conſumens, qui conterat eos & deleat atque diſperdat &c.* Nihil ergo in eo a Moſe peccatum eſt. Ad Aaronem quod ſpectat, revera in fuſione & cultu vituli aurei nonnihil peccavit: At Moſis precibus veniam hujus delicti conſecutus eſt, ut refertur *Deuter. 9. verſ. 20.*

Accedit quod Deus ipſe non aliam ob cauſam dicat Moſem & Aaronem interdicendos eſſe ingreſſu in terram promiſſionis, niſi quod increduli fuerint, nec ipſum glorificaverint ad aquas contradictionis: fruſtra ergo hujus interdicti aliud inquiritur motivum & delictum, quam eorum in fide ceſpitatio, & neglectus Deo tribuendus honor.

Quæres II. Quodnam fuerit iſtius ceſpitationis, & neglectæ Dei gloriæ indicium?

Reſpondeo, illud potiſſimum proferri poſſe quadruplex. I. Quod ſilicem virga percuſſerint, cui tantum nomine Dei imperare debuerant, ut largiſſimas aquas profunderet: dixerat enim Deus *Loquimini ad petram coram eis* (Iſraelitis) *& illa dabit aquas.* Nec refert quod juſſus fuerit Moſes virgam aſſumere; inde enim non ſequitur quod debuerit ea petram verberare; ſed tantum ut virga illa qua tot patrarat prodigia, indicium eſſet certo futuri miraculi, cum ad ejus erectionem abſque ulla percuſſione tot ac tanta jam fuiſſent edita. II. Quod ſemel percuſſiſſe non contentus, ictum iteraverit, veluti hærens dubius de Dei promiſſis; quæ diffidentia non levis videtur in Deum injuria. III. Quod ira abreptus in Iſraeliticum populum efferbuerit dicens, *Audite rebelles & increduli*, &c. Quæ maxima erat contumelia in populum a Deo electum.

IV. Quod probabilius exiſtimo, idcirco arguuntur incredulitatis, & ob eam puniuntur, quod non qua decebat animi firmitate & conſtantia obſtiterint tumultuanti & murmuranti populo, nec eum fuerint hortati ut aquam a Deo peterent, quem toties benignum opitulatorem fuerant experti; ſed quaſi ſibi factam injuriam reputantes, dixerint; *num de petra hac vobis aquam poterimus elicere?* perinde ac ſi dubii fuiſſent de eventu, ut exiſtimant S. Auguſtinus & Theodoretus in hunc textum; hujus autem diffidentiæ cauſam tangit Pſalmiſta *Pſalm.* 105. *verſ.* 32. & 33. dicens Moſem propter hanc populi ſeditionem ita fuiſſe commotum, ut ſibi compos non videretur; *Irritaverunt enim* (inquit) *ad aquas contradictionis & vexatus eſt Moyſes propter eos; quia exacerbaverunt ſpiritum ejus.* Quæ verba indicant vehementiſſimam fuiſſe illam ſeditionem, unde etiam loco nomen inditum eſt *aquæ contradictionis; ubi jurgati ſunt filii Iſrael contra Dominum; & ſanctificatus eſt in eis*: hoc eſt, maxima apud homines facta eſt ipſius gloriæ & honoris acceſſio, tum ob manifeſtatam ipſius paternam bonitatem & clementiam, quod licet tumultuantis populi ingratitudine plurimum offenſus, eis tamen per miraculum aquas conceſſit: tum ob latam in Moſem & Aaronem ſententiam.

Habuit enim Iſraeliticus populus unde Dei ſanctitatem & miſericordiam plurimum celebraret, viſo aquæ per miraculum ingratis conceſſæ profluvio: habuit & unde timeret terribilem illius juſtitiam, cum audivit ſuos duces Deo tantopere acceptos, ob levem culpam ingreſſu in terram benedictionis interdictos; maxime cum paulo poſt eodem in loco Aaron Deo ita ſtatuente e vivis exceſſerit: legitur enim circa hujus capitis finem, Deum juſſiſſe Moſi ut, populo ad montis Hor ima conſiſtente, ipſe cum Aarone ejuſque filio Eleazaro montis verticem conſcenderent, ubi Aaron exutus Pontificalibus indumentis, & Eleazaro his induto, in totius multitudinis conſpectu diem clauſit extremum, ibique ſepultus eſt.

DISQUISITIONES IN CAPUT XXI.

DUm Aaroni vita functo Iſraelitæ ad montis Hor radices conſiſtentes juſta perſolvunt, ejuſque obitum per triginta dies largiſſimis deflent lachrymis, quod optimo parente & ſanctiſſimo Pontifice eſſent orbati, Rex Arad audiens eos regni ſui finibus adeſſe, e meridionali Chananeæ plaga cum ingenti agmine confeſtim erumpens, eorum caſtra invaſit, atque militibus imparatis levi pugna fuſis, ingentem prædam abduxit: at Hebræi facto voto de illis Araditis penitus excidendis, ſi Deus victoriam concederet, manu facta in illos irruunt, omneſque ad unum trucidant, ſubvertunt urbes, & ferro ac igne omnia depopulantur.

Hac inſigni victoria potiti Iſraelitæ, cum apertam haberent viam in Chananitidem, ſperabant tandem finem laborum ſuorum, ſuarumque peregrinationum adeſſe. At cum Dei juſſu ſolviſſent caſtra, & viderent inde non recta via pergendum eſſe in terram toties repromiſſam, ſed repetendam vaſtam ſolitudinem verſus mare rubrum, atque iterum in ſterili & arenoſo deſerto oberrandum; poſt plures tædioſas circuitiones, animo deficientes, in duras diraſque contra Deum & Moſem voces eruperunt, dixeruntque Moſi verſ. 5. *Cur eduxiſti nos de Ægypto ut moreremur in ſolitudine? deeſt panis, non ſunt aquæ, anima noſtra jam nauſeat ſuper cibo iſto leviſſimo.* Deus his querimoniis commotus, quoniam acuerant linguas ſuas ſicut ſerpentes, & criminationibus & improperiis in ſuum ducem & liberatorem inſurgebant, ſerpentes venenatos & noxios in univerſum populum immiſit, qui ſuo virulento complexu, & afflatu igneo illos interficerent.

Illi vero ad ſanam mentem reverſi, Moſem ut ipſis adeſſet obſecrant; Deus autem Moſis precibus ad miſericordiam flexus imperat illi, ut ſerpentem æneum effingat, perticæque imponat, quem qui aſpicerent, ſanarentur, fieretque ut ſerpentis inanimis figura veri & animati morſum venenoſum auferret.

Quæritur I. Unde illi ſerpentes fuerint immiſſi?

Reſpondeo, nonnullos arbitrari eos adductos eſſe ex ipſa Arabiæ ſolitudine talium beſtiarum ferace: vel ex Africa auſtrali quæ venenatis animalibus abundat. Verum exiſtimo hos ignitos ſerpentes non aliunde advectos, ſed in ipſa ſolitudine exiſtentes, nec prius moleſtiam inferentes, Dei juſſu glomeratos in perduellem illum populum irruiſſe: idque ſignificat Moſes *Deuter.* 8. Ubi referens beneficia a Deo Iſraelitis collata, ait verſ. 15. *Ductor tuus fuit in ſolitudine magna atque terribili, in qua erat ſerpens flatu adurens, & ſcorpio ac Dipſas* &c. Erant igitur in ea ſolitudine ſerpentes; ſed Deo protegente nulli nocebant.

Tradunt Hebræi Doctores in *Bemidbar Rabba ſect.* 23. Inter miracula quæ Deus in Iſraelitarum gratiam operatus eſt in deſerto, hoc præſertim referri, quod non permiſerit ſerpentibus ut eos læderent. At cum blaſphemis vocibus Deum provocaſſent, non cohibuit ſerpentum illorum a natura inſitam ſæviendi procliviem, quinimo eos armavit ac ſtimulavit ad ultionem irrogatæ ſibi ab iſtis murmuratoribus injuriæ.

Peter II. Quare ſerpentes illi dicti ſint *igniti?*

Reſpondent Rabbini, idcirco dictos *ardentes & candentes*, quia *ignem accenſum habebant in ore ſuo, & mordentes ejaculabantur in eos ignem, ut viſcera eorum comburerentur*. At veriſimilius eſt eos ſerpentes dictos eſſe ignitos, quod venenum ab eis ejaculatum inſtar ignis adureret, & ſitim inextinguibilem procrearet: tale eſt potiſſimum *Præſteris*, & *Dipſadis* venenum, quo (ait Lucanus) infectus Catonis per deſerta poſt victum Pompeium fugientis vexillifer.

Ecce ſubit virus tacitum, carpitque medullas
Ignis edax, calidaque incendit viſcera tabe . . . .
Ille vel in Tanaim miſſus, Rodanumque, Padumque
Arderet, Nilumque bibens per rura vagantem. &c.

Quæ maxime Dipſadis veneno conveniunt; nam teſtibus *Galeno* lib. de theriaca *Æliano* [a], *Dioſcoride* [b], Dipſas eſt ſpecies viperæ, brevior tamen vipera communi, venenum effundens ita lethiferum, ut qui eo fuerint infecti, vel ſiti moriantur, vel eo uſque bibant, donec medii diſrumpantur.

Cum autem ſerpentum illorum venenoſis morſibus maxima populi multitudo periiſſet: cæteri ejuſdem periculi timore, atque pœnitentia ducti, exorarunt Moſem, ut ſuis precibus mortem imminentem ſubmoveret. Deus autem Moſis orationibus placatus, juſſit ei ut effingeret æneum ſerpentem, eumque ſurſum elatum poneret pro ſigno, ut qui a ſerpentibus percuſſi eum aſpicerent, continuo ſanarentur.

Marshamus de hoc æneo ſerpente a Moſe, Dei juſſu, erecto ſic loquitur, ut inſinuet eum ad inſtar Ægyptiacarum præſtigiarum, ſed ſanctiore quadam arte, formatum eſſe, illius enim verba ſunt: *Fecit Moſes ſerpentem æneum, & poſuit eum ſuper perticam; quem cum percuſſi aſpicerent, ſanabantur.* Sic

Peſtis nigris inſerta medullis
Excantata fuit.

a Lib. 6. cap. 50.
b Lib. ult.

» Ægy-

„ Ægyptii imprimis ob ſerpentum incan-
„ tationem celebrantur. Apud Hebræos,
„ etiam ſerpentes excantandi modus viguiſ-
„ ſe videtur. David [a], quippe Salomon [b]
„ & Jeremias [c] ſerpentum meminerunt,
„ qui incantari reſpuerint. *Ita ille.*

a Pſal. 58. v. 5.
b Eccl. 10. v. 8.
c v. 7.

Non diffiteor quidem Ægyptios olim, *Marſos* ac *Pſyllos*, alioſque Orientis populos aſſuetos eſſe ſerpentes faſcinare, eumque in finem lapides & laminas certis quibuſdam figuris delineatas adhibuiſſe, id enim indicat Arnobius; *Adverſus ictus noxios*, inquit, *& venenatos colubrorum morſus remedia ſæpe conquirimus, & protegimus nos Laminis, Marſis, Pſylliſque vendeatibus.*

Verum nil ſimile occurrit in illo ſerpente æneo, facto non hominis arbitratu, ſed Deo præcipiente, qui cum omnes malas Dæmonis artes diſtricte prohibeat, illaſque ſummopere averſetur; impium eſſet aliquam vim magicam in illo a Moſe fabricato ſerpente aſſerere.

Peter III. Cur potius ſerpentis, quam alterius rei figuram in ſignum conſequendæ ſanitatis conſtitui voluerit Deus?

Reſpondeat Hebræi Doctores, maxime Moſes Gerundenſis & R. Becco id factum, ut ſanatio illa fieret illuſtrior; cum enim, inquiunt, experientia conſtet, eum, qui ſauciatus & morſus eſt ab animante venenato, ad iſtius nominis auditum, aut imaginis aſpectum gravius torqueri; debuiſſent Iſraelitæ a ſerpentibus vulnerati ad eorum imaginis intuitum periculoſius laborare; at ſecus accidit, ut inde majus appareret curationis per remedia contraria beneficium, & celebrior fieret Dei erga ingratum populum miſericordia. Addit R. Kimki medicinæ peritos aſſerere, illum qui ſerpentis morſu ictus ſit, ſi aſpiciat ſerpentis figuram, illico mori: maximum ergo fuit miraculum, contrario remedio Iſraelitas ſanari, & ex veneno parari antidotum.

Adiicio quod cum ſerpens Diaboli fuerit inſtrumentum ad inſinuandum peccatum; at propterea maledictus a Deo, etiam peccati ſymbolum extitit: illius igitur figura Iſraelitis erat in admiſſi per murmurationem criminis repræſentationem, quæ eos ad pœnitentiam provocaret ut veniam & ſanitatem impetrarent.

Peter IV. Qua virtute ſauciatis a ſerpentibus ſerpens ille æneus medelam tribueret?

Reſpondet Auctor libri ſapientiæ, *Cum illis ſupervenit ſæva beſtiarum ira, morſibus perverſorum colubrorum exterminabantur: ſed non in perpetuum ira permanſit: ſed ad correptionem in brevi turbati ſunt, ſignum habentes ſalutis ad commemorationem mandati legis tuæ: qui enim converſus eſt, non per hoc, quod videbat, ſanabatur; ſed per te omnium ſalvatorem.* Valeant ergo nugatores illi qui iſti ſerpenti æneo vim taliſmanicam a ſyderibus acceptam tribuunt: Quaſi vero virtus illa, & ſi extitiſſet, ſeſe potuiſſet effundere in tam ingentem populi multitudinem; fuiſſetque neceſſum illum ſerpentem æneum aſpicere, ut vulnerati ſanarentur?

Peter V. Cur æneus ille ſerpens excelſæ perticæ fuerit affixus?

Reſpondeo, id factum I. Ut eminus ab omnibus videri poſſet. II. Ut celebris eſſet Chriſti D. aliquando in cruce exaltandi figura, ut ipſemet exponit Joann. 3. verſ. 14. *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis* (in cruce) *ut omnis qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Hanc analogiam egregie expendit Theodoretus exponens cur Deus voluerit conferre ſanitatem Iſraelitis per ſerpentem æneum, ait, per eam præſignari ſalutem humano generi conferendam per Chriſti D. paſſionem: *Quemadmodum enim,* inquit, *ſerpens æneus erat imago ſerpentum, non tamen venenum illorum gerebat: ita filius unigenitus corpus quidem habebat humanum, ſed peccatorum macula carebat; & ſicut a ſerpentibus morſi ſerpentem intuentes ſanabantur; ita qui vulnerati ſunt a peccato, paſſioni Salvatoris noſtri ſine ulla dubitatione credentes, mortem ſuperant, & vitam æternam conſequuntur.* Hanc analogiam luculentius exponit Auctor ſermonis de ſerpente æneo, inter Auguſtinianos de tempore alias *num.* 105. nunc rejectus in appendicem *num.* 33.

Peter VI. Quid tandem ſit factum de illo ſerpente æneo?

Reſpondeo, illum ſervatum eſſe uſque ad tempora Ezechiæ Regis qui ut refertur 4. Reg. cap. 18. verſ. 4. *Diſſipavit excelſa, & contrivit ſtatuas, & ſuccidit lucos & confregit ſerpentem æneum quem fecerat Moſes, ſiquidem ad illud tempus filii Iſrael adolebant ei incenſum, vocavitque nomen ejus Noheſtan.* Quæ vox ait R. Salomo contemptum indicat, ac ſi dixiſſet, *nihil utilitatis in eo, quippe cum nihil ſit præter æs.* Voluit autem Deus illum ſervari in perpetuam memoriam miraculoſæ liberationis a venenoſis ſerpentum morſibus. At cum Iſraelitæ ad idololatriam proni, divinos illi honores impenderent, merito cenſuit piiſſimus Rex illum eſſe confringendum, ne amplius eſſet tanti ſceleris occaſio.

Neque his obſtat quod Aſa & Joſaphat, etiam religioſiſſimi Dei cultores, & idolorum exterminatores, hunc ſerpentem intactum reliquerint: fieri enim potuit ut eorum temporibus nondum eo inſaniæ venerint Iſraelitæ, ut illi ſerpenti tamquam numini thus adolerent.

Peter VII. Quis ſit horum verborum ſenſus verſ. 14. *Sicut fecit in mari rubro, ſic faciet in torrentibus Arnon; ſcopuli torrentium inclinati ſunt ut requieſcerent in Ar, & recumberent in finibus Moabitarum?*

Reſpondeo, verba hæc crucem figere Interpretibus, maxime ſi Textum Hebræum & Græcum ſpectes; in his enim nullus pene apparet ſenſus, ſic enim habent Septuaginta in Bibliis Regiis, *Hoc dicitur in libro, bellum Domini, Zoob combuſſi & torrentes Arnon, & torrentes ſtatuit ut habitaret Ar, & adjacet finibus Moab:* obſcura certe & maxime involuta ſententia, cui vulgatus Interpres lucem aliquam ſua verſione attulit, præbuitque indi-

indicia quibus genuinus ſenſus eruatur. Nimirum I. Quod quemadmodum maris rubri fluctus operuerunt Ægyptios qui perſequebantur Iſraelitas; ſic Amorrhæi latitantes in cavernis montium juxta torrentem Arnon, ut Iſraelitas eum tranſilientes invaderent, oppreſſi ſunt a montibus ruentibus in eos: quo ſpectaſſe videtur Pſalmiſta, cum Dei mirabilia in favorem Hebræorum ab Ægypto exeuntium, & ad terram promiſſionis pergentium enarrans, inter cætera ait, *Montes exultaverunt ut arietes, & colles ſicut agni ovium*; hoc eſt, ſubſilierunt & radicitus ſunt evulſi, ut Iſraelitarum hoſtes opprimerent.

Hunc pariter in ſenſum præfata verba exponunt non ſolum Lyranus, Toſtatus, Eugubinus, & alii Chriſtiani Interpretes; ſed & plurimi Doctores Hebræi in *Medraſchim*, ſeu myſticis & allegoricis expoſitionibus, & in Targo Hieroſolymitano, ubi legitur; *Idcirco dicitur in libro legis qui aſſimilatur libro bellorum: ut ſigna & virtutes fecit Dominus populo ſuo filiis Iſraelis, cum ad mare Suph ſtarent, ſic fecit cum eis quando tranſibant torrentes Arnonis. Cum enim tranſirent filii Iſraelis torrentes vel flumina Arnonis, abſconderunt ſe Amorrhæi in ſpeluncis quas habebant juxta torrentem, dicentes, quando tranſituri ſunt filii Iſrael, nos egrediemur ipſis obviam, ut occidamus eos, ſed Dominus totius mundi Deus, qui novit cogitationes cordium, & cui nota ſunt ea quæ ſunt in renibus, ſignum dedit montibus, ut ſtatim capita ſeu cacumina ſua conjungerent inter ſe invicem, & capita heroum illorum contererent, atque torrentes a ſanguine interfectorum emanarent, Iſraelitis ſuper capitibus montium incedentibus* &c. Montes enim revulſi & colliſi viam planam Hebræis præbuerunt. Utut ſit certum eſt iſtis verbis: *Sicut fecit in mari rubro* &c. Significari aliquod grande miraculum in favorem Hebræorum editum; illique comparandum quod in tranſitu maris rubri patratum fuerat; nempe ſicut mare abſorpſit Ægyptios & ſeſe Hebræis tranſmeabile exhibuit; ſic & montes juxta torrentem Arnon, oppreſſis ſuo lapſu Amorrhæis, viam planam ac ſecuram Iſraelitis aperuerunt.

Alius tamen proferri poteſt ſenſus magis litteralis; nempe quod ſicut Deus pugnavit pro Iſraelitis contra Ægyptios, quos extinxit in mari rubro; ita pugnavit pro eiſdem adverſus Amorrhæos in torrente Arnon, eo in loco ubi ſcopuli montium inclinantur, ceu longo jugo protenduntur & deſinunt *in Ar*, urbem Moabitarum; ſiquidem Arnon terminus eſt Moab dividens Moabitas & Amorrhæos, *verſ.* 13.

Hæc ut planiora fiant, attendenda ſunt quæ Moſes recenſet a *verſ.* 21. *ad* 35. nempe inſignem victoriam Iſraelitarum in Amorrhæos & Baſanitas quos penitus exterminarunt. Amorrhæis ex Chananis ſtirpe prognatis imperabat Sehon, cujus Regni metropolis erat Heſebon. Ad eum legatos miſit Moſes qui liberum tranſitum per ejus regionem efflagitarent. Negavit ille, denuntians ut cito ab ejus Regni finibus recederent, alioquin armis abigendi. Nec cunctatus cum ingenti exercitu eis occurrit: prælium non declinant Iſraelitæ, & Dei ope freti audacter irruunt in hoſtes, eos proterunt, & nulli vel ætati vel ſexui parcentes; omnes trucidant, eorumque agris & urbibus potiuntur. Deinde in Baſanitidem regionem Gigantum feracem ingreſſi; Ogus eorum Rex monſtruoſa proceritate terribilis, eis cum formidando exercitu ivit obviam: at Deo protegente & præmonente ne monſtra exhorreſcerent, prælium viriliter ineunt, vincunt, triumphant, & Amorrhæorum reliquias exterminant, ne quis ab illis deinceps eſſet metus.

Inde vero egreſſi, cum præ aquarum inopia ſiti populus laboraret, exoratus Deus per Moſem, oſtendit ei puteum, ſeu locum in quo levi defoſſione reperirent aquarum abundantiam: Unde præ gaudio exultantes Hebræi hoc cecinere canticum: *aſcendat puteus* &c. *verſ.* 17. & 18.

Peter VIII. Quis fuerit ille puteus?

Reſpondeo, nomine *putei* hic largiſſimas aquas indicari, quas Deus per miraculum Iſraelitis ſitientibus in arida ſolitudine præbuit: quænam vero fuerint illæ aquæ, an eædem quas Moſes eduxit ex percuſſa petra in Cades, ad quas iterum Iſraelitæ accedentes ſitim extinxerint; an vero alio per novum miraculum eductæ, non una eſt Interpretum ſententia. Plurimi Hebræi Doctores cum Paraphraſte Chaldæo exiſtimant eaſdem fuiſſe aquas e ſilice in Cades percuſſo erumpentes, & inſtar fluvii aut rivuli per deſertum effluentes; idque probant I. Ex concordia verborum hujus capitis cum præcedenti; nam hic *verſ.* 16. legitur, *Apparuit puteus ſuper quo locutus eſt Dominus ad Moyſem; congrega populum, & dabo ei aquam*: quæ videntur ſynonima cum iſtis capitis 20. verſ. 8. *Tolle virgam, & congrega populum, tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas*. II. Hic *v.* 18. de hoc puteo dicitur, *Quem foderunt principes, & paraverunt duces multitudinis in datore legis, & in baculis ſuis.* Quæ cohærent cum verſ. 11. præcedentis capitis, ubi Moſes comite Aarone *percutiens virga bis ſilicem egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ, ita ut populus biberet & jumenta.* III. Idipſum ſignificare videtur S. Paulus cum in aquis e ſilice *Bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petra* &c. Hoc eſt, fluvio e petra emanante.

Verum quin iſti ſententiæ ſubſcribam, obſtant hæ rationes. I. Quod aquæ e ſilice Moſis virga percuſſo effluentes, dici non poſſint puteales, cum non e profundo, ſed ex montis latere profluxerint. II. Non fuerunt per duces multitudinis, hoc eſt per Tribuum præfectorum baculos expreſſæ, ut fuerunt illæ hic commemoratæ. III. Veriſimile non eſt Iſraelitas tanta lætitia tripudiaſſe, ut canticum canerent ob conceſſas aquas in Cades, dum viderent Aaronem & Moſem ſumma confectos triſtitia ob decretum mortis in eos a Deo fulminatum, imo & interdictum ingreſſum in terram promiſſionis, maxime cum acerbiſſima increpatione ob eorum murmur

pan-

Digitized by Google

paulo antea increpaſſet Moſes appellando eos rebelles, & incredulos. IV. Si ut vult Jonathan paraphraſtes Chaldæus, aqua e ſilice Cades inſtar fluvii erumpens inſecuta fuit Iſraelitas per deſertum, *Aſcendens cum eis in montes altiſſimos, & deſcendens cum eis in valles*, Seu ut addit Targum Hieroſolymitanum, *Pertranſiens tota caſtra Iſraelitarum, & potum præbens eis unicuique ad portam Tabernaculi ſui*. Non erat cur ob aquæ penuriam querulas voces emitterent; nec cur tanto gaudio afficerentur ad conſpectum illius aquæ, ſi illam habuiſſent continuo ſibi paratam. His rationibus inductus dicendum arbitror hujus *putei* nomine, ſignificari maximam aquæ copiam ſub terra non ita profunde latentem, quam indicavit Deus, ita ut terra levi baculorum percuſſione a præfectis Tribuum dehiſcens, largiſſimas aquas Deo ita ordinante profuderit, ad cujus conſpectum ſitibundi Iſraelitæ exultantes canticum cecinerint.

Ad textum Apoſtoli dico illius ſenſum non eſſe, quod Iſraelitas conſecutæ ſint aquæ e petra a Moſe percuſſa erumpentes; ſed quod beneficium iſtud Iſraelitis divinitus conceſſum, præſignabat gratiarum fluenta per Chriſtum venturum humano generi conferenda: Unde addit *petra autem erat Chriſtus*, in quo repoſita erat eorum ſpes & fiducia.

DISQUISITIONES
IN CAPITA XXII. XXIII. & XXIV.

IN his tribus capitulis enarrat Moſes quæ contigerint Balaco Moabitarum Regi, qui cum audiiſſet ab Iſraelitis exterminatos Amorrhæos & Baſanitas, videretque Hebræorum innumerabilem multitudinem ſui regni finibus approximare, ſibi ſuiſque metuens, nec parem ſe exiſtimans qui tantum exercitum tot Regum regionumque exterminatorem poſſet repellere; primum ſollicitavit Madianitas ſibi vicinos, ut junctis viribus ſeſe Hebræis opponerent: Deinde ratus Iſraelitas fore invincibiles, quandiu Deorum maximum propitium & opitulatorem haberent; cenſuit advocandum Balaamum inſignem vatem *filium Beor de Meſopotamia Syriæ*, Deuter. 23. qui Hebræos diris devoveret; quatenus iſtius imprecationibus fulminati, Divina deſtituerentur tutela; ſicque facili negotio vincerentur.

Miſit itaque ad eum ex principibus nuntios qui magnis muneribus eum ſollicitarent, ut ad Regem Balacum Hebræis maledicturus accederet; erat quippe ſama, *quod benedictus ſit, cui benediceret, & maledictus in quem maledicta congereret*, cap. XXII. v. 6. Regiis muneribus illectus Balaamus, & ad pergendum paratus, prius Deum conſulendum cenſuit, a quo reſponſum eſt & vetitum ne iret cum eis, & ne populo, qui benedictus erat, malediceret, Balaam itaque mane conſurgens dimiſit nuncios Balac, indicans eis ſibi a Deo prohibitum pergere ad Regem Balac. Hæc cum ad Balacum retuliſſent nuntii, alios multo nobiliores & cum amplioribus muneribus ad eum delegavit: hic ſurſum interrogato Domino, licentiam obtinuit abeundi.

Mane igitur aſina vectus Regem adibat, cum Angelus ſtricto gladio feſtinanti obſtitit; ad cujus conſpectum aſina territa, mortem declinatura tramitem deſerit. At cum Angelus iterum in anguſto itinere appareret, hæſit pavida, quam cum flagellis ad pergendum urgeret Balaamus, illa ruditu in humanum ſermonem converſo ſeſſoris ſævitiam arguit, quod nuſquam ante hac læſus, adeo dire in eam ſæviret. Hoc inſolito ſermone turbatus Propheta, Angelum illico conſpicit nudo mucrone illi minitantem: quo viſu, ſummo terrore perculſus, licentiam revertendi exorat. At Angelus ei jubet, ut quo inſtituerat, continuo pergat, modo ne quid præter ea quæ ei ſuggereret Deus, proloquatur.

Pergit itaque ad Balacum Balaamus, & ab eo in Regni finibus benigne exceptus, ſequenti die ſummo mane ducitur in montem præcelſum, unde caſtra conſpiceret Iſraelitarum, quibus ut maledicat hortatur Balacus; Ille vero prius ſeptem victimas ad totidem ſacrificia poſtulat: quibus peractis, dum Balacus cum ſuis principibus ſtaret juxta altaria, ille paululum ab illis digreſſus Dominum conſuluit, a quo jubetur ut fauſta Hebræis precaretur: quæ cum audiiſſet Balacus excanduit, illique exprobravit quod ipſius votis non annueret. Regerit Balaamus, Prophetas eſſe Dei Interpretes, nihilque, niſi quod ipſe ſuggeſſerit, poſſe effari.

Balacus exiſtimans Deum, ut quæ colebat numina poſſe mutare ſententiam, Balaamum ſuper duos alios montes deduxit, ac repetitis iiſdem ſeptem ſacrificiis, Balaamum hortatur, ut dira Hebræis apprecetur; at ille divino comitatus Spiritu, multo fœliciora eis exoptat & futura denuntiat, ſignificans Moabitas aliquando ab Hebræis percutiendos & exterminandos. Quibus expletis ſuum in locum reverſus eſt. *cap. 24. verſ. 26.* Poſtea tamen eum ad Madianitas declinaſſe, argumentum eſt, quod infra *cap. 31. v. 8.* eum eis dicatur occiſus.

Peter I. Utrum Balaamus fuerit veri Dei cultor, & Propheta?

Negant ſancti Patres *Cyrillus* [a], *Theodoretus* [b], qui de Balaamo ait: *Ille quidem non verum Deum interrogabat, quem ignorabat reſpondit tamen ei Deus, non is qui rogatus fuerat ſed quem ignorabat*, *Greg. Nyſſenus*, lib. de vita Moſis ſub finem. *Ambroſius* [c], *Auguſtinus* [d], & alii bene multi. Idque inſinua-

tus.

a *Lib. 6. de adorat.*
b *Qu. 40. in Num.*
c *Lib. 6. ep. 37.*
d *Serm. 103. de tempore.*

s Cap. 22. v. 5.

tur. I. Ex eo quod ipſe dicatur *Ariolus* s, quæ vox communiter in Scriptura ſignificae hominem illicitis magiciſque artibus deditum, Quod inſuper confirmatur ex *cap.* 24. *verſ.* 1. II. Magicorum rituum ſectator videtur, dum ſeptem aras, & totidem vitulos, & arietes ad ſacrificia requiſivit, nempe ut hoc ſeptenatio numero ſeptem planetas, aut Angelos eorum rectores coleret, ab eiſque augurium captaret. Cum enim Deus diem ſeptimum ſibi conſecrando, & jubendo ſeptem lucernas in ſanctuario continuo accendi & lucere, aliiſque rebus, aliquid in ſeptenatio numero perfectionis eſſe indicaverit: Sic Satanas Dei æmulator & ſimia, miſeris hominibus ſibi devotis vafre illudens, perſuaſit virtutes & arcana ineſſe ſeptenario numero.

Hinc apud Scriptores prophanos viguit inepta curioſitas, ut ex univerſa natura quærerent huius erroris confirmationem, nempe ſeptem planetas, totidem pleiadas, Septemtriones, totidem circulos, vel Zonas: fœtus vitales nonniſi menſe ſeptimo venire in lucem; multa huiuſmodi congerunt, ut probent numero ſeptenario vim aliquam ineſſe ad res ſuſceptas debite perficiendas: qua erronea perſuaſione ineſcatus Balaamus, voluit ſeptem aras conſtitui, totidemque vitulos ac arietes in victimas aptari.

III. Hæc ſacrificia non videtur vero Deo obtuliſſe; tum quia illa oblata ſunt in montibus idolo Baali dicatis, ut conſtat ex *cap.* 22. *verſ.* 41. Tum quia ſacrificia obtulit nomine Balaci idololatræ: ſi autem extitiſſet veri Dei cultor, dubio procul noviſſet Deum non probare iniquorum, multo minus idololatratum dona.

IV. Eum fuiſſe hominem ſceleſtiſſimum apparet, ex eo quod non ſolum pro muneribus maledicere voluerit Hebræis, a quibus nihil moleſtiæ acceperat; ſed etiam perverſum conſilium dedit Balaco, ut ſimulata cum Hebræis amicitia & pace, ſummitteret Moabitas mulieres circa Iſraelitarum caſtra, quæ, compto capillitio, & vultu ad illecebras efficto, ſui corporis poteſtatem eis facerent, dummodo Baali ſacrificarent, eumque uti Deum venerarentur.

Hinc ſanctus Judas in epiſtola ſua *verſ.* 11. Homines nequiſſimos aſſimilat Balaamo, qui ob iniquam mercedem parati ſunt horrenda quæque perpetrare: & S. Petrus epiſt. 2. *cap.* 2. *verſ.* 15. Pſeudo-Prophetarum mores corruptiſſimos recenſens, ait; *Secuti viam Balaam ex Boſor, qui mercedem iniquitatis amavit; correptionem vero habuit ſuæ veſaniæ, ſubjugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit Prophetæ inſipientiam:* Quibus verbis ſanctus Apoſtolus Balaamum nedum accenſet falſis Prophetis, ſed eum ſtatuit eorum anteſignanum & omnium perditiſſimum.

Oppones, verus ille cenſendus eſt Propheta. I. Qui verum Deum conſulit, remque maximi momenti non aggreditur niſi accepto ejus divino mandato. II. Qui nil contra ejus divinam voluntatem quacumque oblata mercede moliri ſtatuit. III. Qui paratus erat a via reſilire, & domum reverti; ſi Deus voluiſſet. IV. Qui plurima divina arcana futuraque myſteria Dæmonibus impervia enarrat. V. Qui ſpondet venturum Meſſiam, ejuſque dulci præſentia & jucundo aſpectu ſe certo potiturum affirmat. VI. Qui peroptat ſimili eum juſtis & ſanctis hominibus morte defungi; ac iſta omnia præſtitit Balaamus: Nam I. Cum ad eum acceſſerunt legati Balaci rogaturi, ut cum eis pergeret ad imprecandum Iſraelitis; ait: *Manete hic nocte, & reſpondebo quidquid dixerit mihi Dominus; manentibus illis apud Balaam venit Deus ad eum*, cap. 22. verſ. 8. II. Deo prohibente ne rem petitam impleret, ait ad legatos; *Ite in terram veſtram, quia prohibuit me Dominus venire vobiſcum*, verſ. 13. Et cum iterata legatione vehementius a nobilioribus legatis, & majori oblata mercede urgeretur, reſpondit; *Si dederit mihi Balac plenam domum ſuam argenti & auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei, ut vel plus, vel minus loquar*, verſ. 18. III. Paratus erat Deo obſequi, & domum repetere ſi juſſiſſet, *Si diſplicet tibi ut vadam, revertar*, verſ. 34. IV. Deus illi ſua arcana & recondita myſteria revelavit: *Dixit Balaam filius Beor, ... dixit auditor ſermonum Dei, qui novit doctrinam Altiſſimi, & viſiones omnipotentis videt*, cap. 24. v. 15. & 16. V. Prænuntiavit Divini Verbi incarnationem ex gente Judaica, cum ait v. 17. *Orietur ſtella ex Jacob, & conſurget virga de Iſrael* &c. Dixerat antea: *Videbo eum, ſed non modo: intuebor illum ſed non prope.* VI. Peroptat ſimilem cum juſtis habere vitæ exitum; videns enim Iſraelitarum caſtra, eiſque fauſta apprecatus, ait: *Moriatur anima mea morte juſtorum, & fiant noviſſima mea horum ſimilia*, cap. 23. v. 10. Ex quibus omnibus (*inquies*) apparet illum fuiſſe reipſa veri Dei cultorem, & Prophetam.

Reſpondeo, ex iſtis quidem colligi illum fuiſſe prophetico munere & lumine ad tempus a Deo illuſtratum: at propterea non ſequitur eum fuiſſe aſſiduum Dei Prophetam magis quam Sibyllas, quæ licet Dæmonum eſſent cultrices, nihilominus teſte S. Hieronymo, ob virginitatis meritum obtinuerunt divinationis donum: *Quid referam* (inquit) *Sibyllas quarum inſigne virginitatis præmium eſt divinatio;* non ſolum de rebus humanis, ſed & de divinis, nam plurima de Chriſti D. incarnatione, vita & morte non obſcure prædixerunt, ut refert S. Auguſtinus. Quod etiam confirmat teſtimonio Lactantii, quamvis dubia ſint ea vaticinia quæ earum nomine vulgantur. Hinc Balaamus cenſendus non eſt inter veros Prophetas, quorum oraculis Deus Eccleſiam ſuam illuſtravit: quia nec perpetuum vaticinandi munus obtinuit, nec conjunctum cum doctrina qua populos ad religioſe de Deo ſentiendum, & probe pieque vivendum ſollicitaret; uti facere ſolebant veri Prophetæ, quorum inſtitutum erat Dei voluntatem hominibus annuntiare, ut eos vel ad agendam pœnitententiam, qua formidanda ſceleſtis parata ſupplicia declinarent, vel ad rependendas gra-

tia-

tiarum actiones pro acceptis beneficiis; vel ad debite implendam legem, cujus erant Interpretes, ſtimularent. At longe diverſa fuit ratio Balaami & ſimilium, qui nonniſi particulari dono prophetandi præditi ſunt, ut quædam vere prædicerent, in aliis vero hallucinarentur.

At, *inquies*, Balaamum aſſiduum fuiſſe Dei vatem & nonniſi illius nomine & inſtinctu vaticinari ſolitum eſſe, argumentum eſt quod nullum vel Balaco, vel ejus legatis ad petita reſponſum dare voluit, quin prius Dominum conſuluiſſet; idem igitur agere ſolitus erat.

Verum, quem *Domini* appellatione ſignificare voluerit, an Deum præpotentem & Univerſi opificem; anve Dæmonem illius æmulum, non ita liquet: ſolent enim magi & arioli Diabolum nomine *Domini* inſignire: *Deinde* licet Domini nomine verum Deum deſignet, inde non eſt inferendum illum animo ſincero id dixiſſe: magi quippe ſua cum Dæmone commercia, Dei revelationis appellatione ſolent obtegere.

Inſtabis ſi Balaamus non fuiſſet ſolitus cum vero Deo verſari, ejuſque excipere oracula, non ei occurriſſet Deus quoties eum conſulere voluit, uti factum legimus, *cap.* 22. *v.* 8. & *cap.* 23. *verſ.* 4. *&* 16.

Verum etſi non diffiteor Deum, aut Angelum ejus vice, Balaamo ad auguria properanti occurriſſe, & prohibuiſſe ne Hebræis Deo dilectis malediceret; propterea non ſequitur illum a vero Deo oraculum captaſſe; ſolet enim interdum Deus prævertere peſſima impiorum cœpta: Sic 4. *Reg. cap.* 1. *v.* 3. Cum Ochoſias Rex Samariæ periculoſe ægrotaret, miſiſſetque nuntios ad conſulendum Beelzebut Deum Accaron; Angelus a Deo juſſus præcepit Eliæ Prophetæ, ut legatis iſtis occurreret & exprobraret, quod prætermiſſo Iſraelitarum & totius mundi Deo, ſalutem quæreret ab inanibus idolis, quibus opitolandi nulla virtus ineſt: quidni idem erga Balaamum factum?

Repenes, Niſi Balaamus animo ſincero Deum coluiſſet & conſuluiſſet, non ita fuiſſet comparatus ei in omnibus parere, nihilque niſi quod ſuggereret, eloqui, ut teſtatur *cap.* 22. *v.* 13. 34 *&* 38. *&c.*

Reſpondeo, Balaamum primo intuitu ſanctum obediendi ſtudium præ ſe tuliſſe, dum nihil tentare audet, niſi Dei permiſſu, & recuſat pedem movere donec reſponſum acceperit; nec vult ullum proferre verbum, quod non fuerit inſpiratum, etiamſi Balacus domum ipſius auro & argento impleret.

Præclara quidem vox in ſpeciem, & animi fortitudinis ac ſingularis in Deum obſervantiæ ſpecioſus index. Verum larvata ſunt omnia, ut hac obedientiæ jactantia ſibi acquireret ſancti Prophetæ titulum, & honorem. Nam ſi revera paratus erat Deo in omnibus obſequi, cur non conſtanter acquievit his Dei verbis, *Noli ire cum eis, neque maledicas populo, quia benedictus eſt*, cap. 22. v. 12. Cur dimiſſis ad iſta verba prioribus Balaci legatis, alios nobiliores & cum amplioribus muneribus denuo benigne ſuſcipit? Cur non ſtatim eos ablegat, niſi ut ad divini mandati tranſgreſſionem impios ſollicitaret? qua fronte audet denuo Deum interrogare, ex quo ſemel audierat, *noli ire* &c. niſi quia avaritia ſtimulatus conatur Deum inducere ut retractet ſententiam, ſibique eundi licentiam faciat, ne oblatis pretioſis muneribus fruſtretur. Deum itaque levitati & inconſtantiæ putabat obnoxium, quod impium erat & blaſphemum.

At, *inquies*, quod ſecundo poſtulabat, conceſſit Deus: igitur iniqua non erat ejus poſtulatio.

Conceſſit quidem, ſed ad duritiam cordis, ac ſiquis protervum filium, & moribus perditum emancipet, quia ſe regi non patitur. Neque tamen propterea Deus cenſendus eſt mutaſſe conſilium, ſed rem, ut decreverat, implevit. Noluit autem primum abeundi licentiam facere, ut ex Balaami remora Balacus ejuſque populus intelligeret Deum pro nutu cohibere hominum conatus, eoſque nonniſi illo volente & permittente, poſſe quidquam exequi. Accedebat ad divinæ Majeſtatis & potentiæ commendationem, quod iterata legatione poſtulatus Balaamus, attentiores & avidiores haberet oraculorum quæ prolaturus erat, auditores; utque appareret, eum non pro arbitrio, ſed ut motus a divino Spiritu contra Balaci expectationem & voluntatem, verba facere, & invitus licet, eis benedicere, ad quos maledictionibus fulminandos fuerat evocatus. Addit S. Auguſtinus quod Dominus videns ejus cupiditatem captam devictamque muneribus, permiſit eum ire; ut per jumentum quo vehebatur, ejus avaritiam coerceret: hoc ipſo confundens illam dementiam, quod prohibitionem Domini per Angelum factam, tranſgredi aſina non audebat, quam ille cupiditate tranſgredi conaretur.

Ad id vero quod opponitur, a Deo plurima per illum propalata arcana, maxime futuram divini verbi incarnationem, plurimoſque eventus nedum Judaicam gentem, ſed & Ethnicos ſpectantes; Dico, non mirum quod interdum Deus pravis hominibus utatur ad manifeſtanda ſua arcana; id enim agit ut inde manifeſtum fiat prophetiæ donum non eſſe tribuendum Prophetarum meritis; quippe cum etiam impiis interdum concedatur; ſic & Saul inter Prophetas vaticinabatur. 1. *Reg. cap.* 10. 11. 12. Sic Caiphas non proprio genio, ſed a Spiritu-Sancto inductus protulit neceſſum eſſe, ut Chriſtus ad hominum ſalutem moreretur. Unde S. Auguſtinus mox laudatus, *Ne quiſquam glorietur quod ei loquitur Deus, eo modo quo talibus loquendum eſſe novit, quando poteſt hoc & improbis fieri.*

Venturum Chriſtum prænuntiavit: at Dæmones eumdem prædicarunt, Lucæ 4. v. 41. *Exibant autem Dæmonia a multis, clamantia & dicentia: quia tu es Filius Dei; & increpans non ſinebat ea loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum:* non quidem per divinam revelationem eis factam, ſed tum ex Prophetarum vaticiniis, quæ videbant in eo impleri: tum ex miraculis quæ in ſuæ divinitatis teſtimo-

ſtimonium edebat. Balaamus vero id prænnntiavit ex ſpeciali divini Spiritus inſtinctu: hinc cap. 24. verſ. 3. ait, *Dixit Balaam filius Beor, dixit homo, cuius obturatus eſt oculus.* Non quod cæcus eſſet, ut nonnulli perperam exiſtimant; quippe cum viderit Angelum ſibi ſtrictum gladium mortem minitantem, & ex altis montibus conſpexerit Iſraelitarum caſtra: ſed hæc protulit ut ſignificaret, quæ proferebat, eſſe non humano ſed divino lumine accepta: unde addit v. 4. *Dixit auditor ſermonum Dei, qui viſionem omnipotent intuitus eſt*: quo ſignificat non vulgari more ſe videre, ſed quæ profert arcana, eſſe cœlitus accepta; & nonniſi a Deo impulſus eſfari, ſeu ut legitur cap. 24. verſ. 2. *Irruente in ſe Spiritu Dei.*

Quod vero ait cap. 23. verſ. 10. *Moriatur anima mea morte juſtorum* &c. Id non dixit pietatis affectu, ſed impiorum more, qui ſimilem cum juſtis mortem exoptant, quorum vitam non ſectantur. His tamen verbis profitetur immortalitatem animæ, & perpetuam fœliciratem, non quod hæc ipſe pie fuiſſet meditatus: ſed hanc confeſſionem Deus velut extorſit ab homine impio, ut vel invitus, vel non cogitans exclamaret Deum erga ſuos fideles cultores ita eſſe beneficum, ut ne in morte quidem eos deſerat, ejuſque gratia hujus caducæ vitæ fines excedat.

Etſi vero Divini hujus beneficii participem ſe heri profeſſus eſt Balaamus: attamen nonniſi hypocritarum more evanidum concepit vorum: quia nec impias artes ſuas deſeruit, nec ad conſequendum id quod optabat, media neceſſaria, nempe vitæ ſanctimoniam adhibere voluit. Igitur ex nullo capite colligere licet, Balaamum verum Dei fuiſſe cultorem, & ejus divino Spiritu ordinarie fuiſſe afflatum.

Petes II. Quænam fuerint præcipua Balaami vaticiniorum capita?

Reſpondeo, hæc eſſe potiſſima. I. Prædicit Iſraelitarum fœlicem ſortem, quod occupaturi eſſent pinguiſſimas & fertiliſſimas regiones, in quibus propriis ſuis legibus, & ſacris ritibus incumbentes, ſejuncti erunt ab aliis populis, nullumque cum Gentilibus commercium habebunt: *Populus ſolus habitabit, & inter gentes non reputabitur*, cap. 23. verſ. 9.

II. Stupendam eorum multiplicationem, *Quis dinumerare poſſit pulverem Jacob, & noſſe numerum filiorum Iſrael?* v. 10.

III. Eos encomiis celebrat, quod ſint unius veri Dei cultores; *Non eſt idolum in Jacob, nec videtur ſimulacrum in Iſrael, Dominus Deus ejus cum eo eſt*, v. 21.

IV. Prænuntiat bellicam eorum animi fortitudinem, atque victoriam de omnibus adverſariis: *Ecce populus & leæna conſurget, & quaſi leo erigetur, non accubabit donec devoret prædam*, verſ. 24. idem repetit cap. 24. verſ. 9.

V. Prædicit *verſ.* 17. oriundam ſtellam ex Jacob, & virgam conſurgendam ex Iſrael, *Quæ percutiet duces Moab* &c. Quæ verba quamvis nonnulli exponant de Davide qui pietate, ſapientia, & bellica fortitudine efſulſit ut ſtella, ipſeque contrivit duces Moab, & ſubegit Idumæos, 2. *Reg. cap.* 8. Certum eſt tamen illa ſpectare Chriſtum; unde Chaldæus Interpres vertit, *Conſurget Rex de domo Jacob, & ungetur Chriſtus de domo Iſrael* &c. Quod autem is fuerit verus prophetiæ ſenſus, apparet ex eo quod apud Balaami poſteros invaluerit traditio oriundum ex gente Judaica Regem qui mundum univerſum ſuo ſubderet imperio, & cujus nativitatem nova ſtella indicaret; quo vaticinio edocti tres Magi ad aſpectum & ductum ſtellæ in Chriſti nativitate fulgentis, perrexerunt in Judæam, ut illum inquirerent, & adorarent; ut docent *Origenes* a, *S. Leo* b, *S. Gregorius* c.

a *Hom.* 13. 15. 18. *in hunc textum.*
b *Serm.* 4. *de Epiph.*
c *De Chriſti Nativit.*

VI. Prædicit *cap.* 24. exterminatum iri Moabitas *verſ.* 17. Idumæos *v.* 18. Amalecitas, *verſ.* 20. Quinetiam eorum Regem *Agag* qui a Saule captus, per Samuelem trucidatus eſt, 1. *Reg.* 15 Diſtincte nominat, *verſ.* 7. Tandem, *verſ.* 21. & 22. dicit Cinæos ab Aſſyriis in captivitatem abducendos. Quod utique contigit cum Salmanazar Aſſyriorum rex tranſtulit decem Tribus Iſraeliticas in terram Medorum, ut refertur 4. *Reg. cap.* 17.

Jethro in terram Madian remanſerat cum Moſe, & parteio habebat cum ſua familia in caſtris Iſrael. Cum autem occupata & diſtributa eſſet terra promiſſionis: *Filii Cinæi cognati Moyſis aſcenderunt de civitate palmarum cum filiis Juda in deſertum ſortis ejus*, Judic. 1. verſ. 16. At Haber Cinæus cum ſua familia receſſerat a Tribu Juda, & ab aliis Cinæis, & habitaverat in Tribu Nephtali, ut refertur præfato capite *Judic. verſ.* 11. Unde Cinæi cum Nephtalitis commorantes abducti ſunt per Aſſyrios, ut hic prædixerat Balaam.

Niſi forte per *Cinæos*, intelligas omnes poſteros Jethronis, qui Moſe, & Iſraelitis relictis in deſerto, rediit in Madianitidem terram ſuam, *Exod.* 18. Quique *Cinæus* dictus, hoc nomen ſuis poſteris dedit, ut ab aliis Madianitis ſecernerentur, neque enim illi Cinæi, quos Saul 1. *Reg. cap.* 15. *v.* 6. monuit, ut recederent ab Amalecitis, quos erat exterminaturus, ne ſimili cum eis periculo ſubiacerent, cum Iſraelitis habitabant, alias fruſtra moniti fuiſſent, ut declinarent ab Amalecitis, a quibus jam habitatione erant ſejuncti: ſed illi erant Jethronis poſteri, qui Madianitidem incolebant, erantque Amalecitis vicini & confœderati, ſed de iſtis amplius ſupra dictum eſt ad caput x.

VII. Balaamus præmonet Aſſyrios ipſos Regum & Regnorum expoliatores, tandem expugnandos & debellandos eſſe per Romanos. *Venient*, inquit, *in trieribus de Italia, ſuperabunt Aſſyrios, vaſtabuntque Hebræos & ad extremum etiam ipſi peribunt.* Aſſyrios a Romanis per Trajanum bello petitos & ſubjugatos, & Aſſyriam ab eo in provinciam redactam ſcribit Dio, & Caſſiodorus in Chronico. Ab eis pariter Hebræos per Veſpaſianum & Titum vaſtatos omnibus liquet: unde manifeſtum fit ea, quæ prædixerat Balaamus, fuiſſe impleta.

DISQUI-

DISQUISITIONES
IN CAPITA XXV. & XXVI.

Dictum in præcedenti capite a Balaamo experto Dei protectionem firmiſſimum eſſe Hebræis propugnaculum, eoſque fore invincibiles, quamdiu divina tutela niterentur; peſſimum hoc Balaco datum eſſe conſilium, ut ſimulata cum eis pace, mulieres Moabitas, aut Madianitas ad provocandam libidinem comparatas immitteret in eorum caſtra, quæ ſuis blanditiis ad voluptatem illos accenderent; ſui tamen corporis poteſtatem non facerent, priuſquam ejurato veri Dei cultu, venerarentur earum idolum dictum Beelphegor. Res, ut ſuggeſta fuerat, ſucceſſit: ſummiſſæ enim Moabitidæ mulieres ad Hebræorum conſpectum, illos ad convivia, & choreas cum eis ducendas provocant, ad libidinem accenſis ſpondent ſe eorum votis conſenſuras oblato prius earum numini ſacrificio: ſic qui ferro & prælio erant indomabiles, mulierum illecebris ſuccumbunt & pereunt.

Ad iram enim tantum ob piaculum provocatus Deus, jubet Moſi verſ. 4. *Tolle cunctos principes populi, & ſuſpende eos contra ſolem in patibulis, ut avertatur furor meus.* Quæ verba licet nonnulli ſic exponant, ut juſſus ſit convocare principes & rectores Tribuum, quatenus eorum judicio & ſententia, fornicationis & idololatriæ rei necarentur; eorum tamen genuinus ſenſus eſt, extinctos fuiſſe eos populi præfectos, qui iſtius criminis ſuo vel exemplo, vel aſſenſu fuerant auctores. Quod tamen omnes rectores non perierint, apparet ex verſu ſequenti, *Dixit Moſes ad Judices Iſrael, occidat unuſquiſque proximos ſuos qui initiati ſunt Beelphegor ... & occiſi ſunt viginti quatuor millia hominum*, verſ. 9.

Petes I. Quomodo hæc cohæreant cum iis quæ S. Paulus ait 1. *ad Cor. cap.* 10. *v.* 8. qui Chriſtianos adhortans ad fugienda crimina olim ab Iſraelitis patrata, inter cætera ſcribit; *Neque fornicemur, ſicut & quidam ex ipſis fornicati ſunt, & ceciderunt una die viginti tria millia.* Quibus verbis hanc denotat hiſtoriam, non vero adorationem vituli, ut quidam contendunt; quippe cum de illa dixerat verſ. 7. cum autem tantum viginti tria millia eorum, qui ob fornicationem extincti ſunt, commemoret; aut ejus recenſio deficit, aut Moſaica ſuperfluit.

Reſpondeo, a S. Paulo non commemorari eos, qui vel ſuſpenſi ſunt juſſu Dei, vel ſententia Judicum interempti; ſed tantum eos qui immiſſa divinitus lue & plaga perierunt.

Petes II. Quodnam fuerit Idolum Beelphegor?

Reſpondet S. Hieronymus *Priapum* ſignificari: *Beelphegor*, inquit, *latine Priapum vocant, coluntque. Fuit enim ipſe de Lampſaco civitate Helleſponti, de qua pulſus eſt, eumque propter virilis membri magnitudinem, in numerum Deorum ſuorum Græci tranſtulerunt.* Unde ejus idolum nudum repræſentabant eum immani pudendo membro, ut ſuo aſpectu ad libidinem provocaret, præſertim mulierculas, quæ illius erant cultrices. Quamobrem probabile eſt Iſraelitas, non niſi actu venereo & fornicatione, huic idolo fuiſſe initiatos. Dicitur autem *Beelphegor*, quaſi *Dominus Phegor*, quod coleretur in monte *Phogor* appellato, *Baal* enim, *Bel* & *Beel* Dominum ſignificant.

S. Hieronymus exponens illa Numer. verba; *Fornicatus eſt populus cum filiabus Moab* &c. in cap. 9. Oſeæ ſcribit, „ Ipſi autem „ educti de Ægypto fornicati ſunt cum Ma„ dianitis, & ingreſſi ſunt ad Behel-phe„ gor, Idolum Moabitarum, quem nos „ Priapum poſſumus appellare. Denique „ interpretatur Behel-phegor, Idolum ten„ tiginis habens in ore, id eſt, in ſummi„ tate pellem, ut turpitudinem membri virilis oſtenderet. Iſtius Idoli colendi ritum prorſus abſurdum & nefandum exponunt Rabini. Maimonides enim in More Nebochim ſcribit: *Tu vero ſcis quod ſervitium Idoli, quod vocatur Pehor, in temporibus illis erat, ut diſcooperiret ſe homo verſus eum. Et idcirco præceptum eſt Sacerdotibus, ut facerent braccas quibus cooperirent operienda in hora ſacrificii: & præterea non aſcendebant per gradus ad altare ne diſcooperirentur.* Pudet addere quæ de illo nefario & propudioſo cultu ſcribit Salomon Sarchi: *Eo quod*, inquit, *diſtendebant coram illo foramen podicis, & ſtercus offerebant: & hic erat cultus ejus.*

Diodorus refert, quod cum Sacerdotes Ægyptii Apim ſeu bovem introduxiſſent in templum Vulcani, fictitiam illam divinitatem mulieres impudentiſſimo ritu colebant, *Ad Memphim ut Deum ducentes in Vulcani fano locant. His diebus ſolæ mulieres Taurum vident: quæ ante ejus faciem veſtibus ſublatis ei abraſum fæmen oſtentant.* Quæ ſi vera ſint, inde manifeſtum fit quam miſere Diabolus homines dementaverit.

Porro quam execrandum fuerit illud Iſraelitarum crimen ſeſe Moabitis mulierculis immiſcentium, apparet ex eo maxime, quod grande hoc nefas illis etiam diutiſſime poſt exprobrat per Ozeam Prophetam, *cap.* 9. *v.* 10. ubi de Iſraelitis conqueritur his verbis, *Vidi patres eorum: ipſi intraverunt ad Beelphegor, & abalienati ſunt in confuſionem, & facti ſunt abominabiles, ſicut ea quæ dilexerunt.*

Interea, dum propter tot interemptos homines Iſraelitarum caſtra in luctu & planctu verſantur, Zambri Simeonis Tribus Dux, vir indomitæ libidinis, conſpiciente Moſe & numeroſa populi multitudine, ad ſcortum e Madianitis acceſſit. Quem ubi conſpexit Phinees filius Eleazari ſummi Pontificis loco,

Digitized by Google

Aaronis patris ſui vita functi, temeratæ divinæ Legis & Dei offeoſi zelo abreptus, arrepto pugione lupanar ingreditur, & fornicatorem ſcorto incumbenteem aggreſſus, utrumque ſpiculo confodit.

Hoc facioore placarus Deus ſpondet Phinæo perpetuum in ejus familia fore Sacerdotium; jubetque Moſi, ut denuo recenſeret omnes maſculos, qui eſſent ad bella gerenda comparati. Inventi ſunt autem *ſoxcenta millia & mille ſeptingenti triginta*, cap. 26. v. 51. *Inter quos nullus fuit eorum qui ante numerati ſunt a Moyſe & Aarone in deſerto Sinai; prædixerat enim Dominus quod omnes morerentur in ſolitudine*, verſ. 64. & 65. Obſervandum inſuper hunc numerum inferiorem eſſe duobut millibus priori illo ſenſu *cap.* 1. & 2. Numerotum expreſſo.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XXVII.

CUm eo fine recenſiti fuiſſent Iſraelitæ virilit ætatis in præcedenti capite, ut eis divideretur terra promiſſionis brevi occupanda *juxta numerum familiarum in poſſeſſiones ſuas*, verſ. 53. quinque filiæ unius viri ex Tribu Manaſſe nomine Salphaad convenientes Moſem expoſuerunt, quod ſuus pater ob publicam rebellionem & querimoniam adverſus Moſem cum aliit murmurantibus tandem e vivis exceſſiſſer in ſolitudine, nulla relicta virili prole, æquum autem non videri ut illæ nullam haberent partem in diſtriburione terræ promiſſionis, quæ videbatur ſolis maſculis dividenda.

Ea de re interrogatus Deut reſpondit juſtam eſſe poſtulationem; ſancivitque ut *cum homo mortuus fuerit abſque filio, ad filiam ejus tranſibit hæreditas; ſi filiam non habuerit, habebit ſucceſſores fratres ſuos*; & ſic deinceps qui deſuncto erunt ſanguine proximiores.

Hit decretis juſſit Deus Moſi, ut conſcenſo monte Abarim oculis luſtrarer terram promiſſionit, in quam tamen non erat ingreſſurus, quod ad aquat contradictionis rupem alloqui juſſus, anceps animi de eventu, iterato ictu percuſſerit. Sic omnibut ex Ægypto egreſſis, ſoli Joſue, & Caleb repromiſſam illam rertam tranſgreſſo Jordane intrarunt, nex excepti ſunt Moſes & Aaron, ut inde conſtaret, ait, S. Auguſtinus: *Quia nec Sacerdotium quod prius inſtitutum eſt, cujus perſonam gerebat Aaron: nec ipſa lex, cujus perſonam gerebat Moyſes, introducunt populum Dei in terram hæreditatis æterna: ſed Jeſus in quo typus erat Domini Jeſu-Chriſti, id eſt, gratia per fidem, & Aaron quidem ante defunctus eſt, quam in Iſrael in aliquam partem terra promiſſionis intraret: Moyſe autem adhuc vivente capta eſt terra Amorrhæorum, atque poſſeſſa, ſed Jordanem cum eis non eſt tranſire permiſſus, ex aliqua enim parte Lex obſervatur in fide Chriſtiana, ibi enim ſunt etiam præcepta, quæ hodie Chriſtiani obſervare jubemur. Sacerdotium vero illud & ſacrificia nullam partem tenent hodie fidei Chriſtianæ, niſi quod in umbris futurorum acta & tranſacta ſunt.*

Cum autem Moſes vitæ exitum ſibi imminere intelligerer, Deum rogavit ut dignaretur aliquem deſignare, qui ejut loco rector & dux eſſet populi Iſraelitici: Ne, inquit v. 17. *ſit populus Domini ſicut oves abſque paſtore.* Qui reſpondens Dominus ait v. 18. *Tolle Joſue filium Nun, virum in quo eſt ſpiritus, & pone manum tuam ſuper eum. Qui ſtabit coram Eleazaro Sacerdote, & multitudine; & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ.* Quæ poſtrema verba varie exponunt Interpretes LXX. Id intelligunt de ſplendore illo quo irradiabat vultus Moſit ex ipſius colloquio cum Deo; adeo ut Moſes fuerit tanquam Sol, Joſue vero ut Luna quæ a Sole lumen mutuatur. Alii vero vocem Hebraicam *Mehodeka* hic poſitam *laudem*: alii *gloriam* & *honorem*: nonnulli referunt ad poreſtatem & auctoritatem, qua ipſe Moſes pollebat apud plebem: quidam *manſuetudinem* & *humilitatem* intelligunt, quibus potiſſimum fulgebat Moſes; qui, licet familiare colloquium haberet cum Deo, nihilo ſuperbior factus, erga omnes pium & affabilem ſeſe exhibuit.

Jubet inſuper Deut, ut ipſe Joſue Dux populi nihil quidquam aggrediatur, niſi prius conſulto Eleazaro ſummo Sacerdote; & quidquid ille didicerit ab oraculo divino, quod *Urim* hic vocatur, Joſue & univerſus populus illud executioni mandaret.

DISQUISITIONES
IN CAPITA XXVIII. XXIX. & XXX.

PRiuſquam populo ſubduceretur Moſes, vitamque cum morte commutaret, juſſit Deus, ut recenſitis omnibus divinis beneficiit, quæ populus acceperat, eum adhortaretur ad religioſum cultum juxta præſcriptos ritus fideliter impendendum, ſervandaque omnia divina mandata, quorum ſumma & præcipua capita in his tribus capitulit inculcat & repræſentat.

In *vigeſimo octavo* & *nono* ea quæ ſpectant ad ſacrificia offerenda ſingulis diebus mane & veſpere, diebus Sabbati, in Calendis, ſeu noviluniis, necnon diebus feſtivis, & pro expiatione peccatorum, de quibus actum eſt in Levitico.

In *trigeſimo* vero dilucidius explicat, quæ ſpectant ad vota, ſtatuitque a patre filiæ & a marito uxoris votum irritari poſſe eo ipſo die quo illud reſciverit. Si autem per diem integrum illud noverit, nec reclamarit; cenſebitor conſenſiſſe, votumque eſſe ratum ac fideliter implendum. Neque tamen liberum erat marito uxoris votum irritare abſque rationabili cauſa, alias violati voti reus ipſe habebatur, ut additur verſ. 16. *Si autem contradixerit* (ſine legitima cauſa) *poſtquam reſcivit, portabit ipſe iniquitatem ejus*.

Hæc autem intelligenda ſunt de votis, quæ vel uxoris miniſterio & debito, vel familiæ utilitati & tranquillitati eſſent in præjudicium; quod enim uxor citra viri licentiam aliqua vota, puta de hac & illa oratione ſingulis diebus recitanda, emittere potuerit, & implere debuerit, nemo arbitror, inficiabitur.

Petes, Cur voluerit Deus uxoris votum per maritum irritari poſſe?

Reſpondet S. Auguſtinus in Numeros, illud ideo præſcriptum, ut inde appareat fœminam eſſe ſub poteſtate viri, nec eam pro arbitrio de re ſua poſſe ſtatuere, in iis maxime quæ obeſſe poſſunt officio conjugali.

Apparet inſuper quanta Deo cura ſit ſervandæ inter conjuges amicitiæ & pacis vinculi; adeo, ut ſatius duxerit quæ ſibi promiſſa erant, non impleri, quam iſta fieri in conjugalis confœderationis præjudicium.

DISQUISITIONES IN CAPUT XXXI.

UT nullum crimen inultum patitur Deus, impetat Moſi hoc in capite, ut ex qualibet Tribu ſelectis mille viris ad bella ſtrenuis animadvertatur in Madianitas, quorum mulieres Iſraelitas in fornicationem & idololatriam induxerant. Hos armis inſtructos *miſit Moſes cum Phinees filio Eleazari Sacerdotis, vaſa quoque ſancta, & tubas ad clangendum tradidit*. verſ. 6. Itaque animoſe & fœliciter pugnatum, & cæſis quinque Madianitarum Regulis, expugnataque univerſa eorum regione, Balaamus quoque inter ſceleratos verſatus, cum eis trucidatus eſt. Cum autem ſervatæ eſſent mulieres & parvuli, & una cum ampliſſimis ſpoliis ad caſtra traductæ: juſſit Moſes, ut quæ temeratæ erant & virum paſſæ, quæque admiſſi ab Iſraelitis piaculi fuerant auctrices, una cum pueris maſculis trucidarentur; virgines vero & mulieres intactæ ſervarentur ad obſequium & connubium, modo prius ejurata priſtina impia relegione, unius veri Dei cultum, & Hebræorum ritus & legem inducrent.

Deinde diviſa eſt univerſa præda, mediaque pars aſſignata pugnatoribus, altera vero ſingulis populi familiis diſtributa; cum autem turmarum præfecti ſuos recenſuiſſent milites, nullusque Deo protegente deeſſet, nec læſus fuiſſet in bello, in tanti beneficii gratiarum actionem, earumdem centuriones & præfecti obtulerunt Domino quidquid auri inter ſpolia fuerat repertum, cujus ſumma fuit ſexdecim millium ſeptingentorum quinquaginta ſiclorum. Cum autem etiam alia metalla argentum, ac plumbum &c. abſtuliſſent, juſſit Eleazar Pontifex ea igne purgari, cætera vero aqua expiationis luſtrari.

Quæritur I. Quis fuerit iſtius prælii Dux & præfectus?

Communis Interpretum ſententia eſt, iſti exercitui præfuiſſe Phineem, idque ſuadere videntur præfata verba *verſ. 6.* quibus accedit, quod rationi conſentaneum videbatur; ut, qui primus extiterat admiſſi criminis ab Iſraelita cum una Madianitide vindex, idem in Madianitidem gentem ultorum dux exiſteret.

At veriſimilius dicendum arbitror hujus belli ducem fuiſſe Joſue. I. Quod id erat illius muneris & officii, recens enim inſtitutus fuerat populi princeps, qui, ut Deum rogaverat Moſes cap. 27. verſ. 17. *Exiret & intraret ante eos, & educeret eos, vel introduceret*; hoc eſt, qui quoties eſſet præliandum adverſus hoſtes, populum ad arma comparatum educeret e caſtris, & in adverſariorum terram introduceret, ut illis expugnatis, eorum regione potirentur. II. Dum pugnandum fuit contra Amalecitas, *Exod.* 17. voluit Moſes, ut ineundi prælii Dux eſſet Joſue, cum tamen nullam adhuc in populum auctoritatem & præfecturam haberet. Hoc autem munere functum eſſe poſtquam ordinante Deo populi rector inſtitutus eſt, multo videtur credibilius. III. Dum victoribus obviam ivit Moſes cum Eleazaro Pontifice, aliiſque populi præfectis *verſ.* 13. cur eis comes non adfuiſſet Joſue, ſi cum illis ſtetiſſet; maxime cum res bellicæ & ſpoliorum diſtributio ad eum præcipue ſpectarent? Eis autem militibus adjunctus eſt Phinees, tamquam Sacerdotum poſt Eleazarum patrem ſummum Pontificem præfectus; iſtis enim militaribus copiis adjuncti fuerant plurimi Sacerdotes, tum ad deferenda vaſa ſancta; tum ad clangendum tubis, quas eis dederat Moſes. Sacerdotum enim erat ſacris tubis clangere, ut præſcribitur *Num.* 10. *v.* 8. non ſolum in diebus feſtis & ſacrificiorum tempore, ſed & in bello, ut refert Joſephus. Ut autem Sacerdotes illi in officio contine-

ren-

rentur, eis præfectus eſt Phinees tamquam a ſummo Pontifice ſecundus.

Petet II. Quæ fuerint illa ſancta vaſa, quæ Moſes tradidit ad bellum aſportanda?

Reſpondeo, omiſſis aliorum ſententiis, illa non alia fuiſſe, quam Arcam fœderis cum ei adjunctis, nempe Propitiatorio, Cherubinis, & quæ in illa continebantur; nimirum duæ tabulæ fœderis, vas manna plenum, & forte virga Aaronis quæ floruerat. In more namque poſitum erat ad firmum contra hoſtes præſidium ſacram illam arcam deferre; cujus indicium eſt, quod cum renuente Moſe Iſraelitæ nonnulli fuiſſent Amalecitas aggreſſi, & ab eis debellati *Num.* 14. additur *verſ.* 44. ratio cur victi fuerint, nempe *arca autem Domini & Moyſes non receſſerant de caſtris*, hoc eſt, deſtituti erant Dei præſidio, & arcæ fœderis præſentia. Hinc Moſes quoties movenda erant caſtra, & arca tranſportanda, dicere ſolebat: *Surge Domine, & diſſipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te, a facie tua.* Hanc eamdem conſuetudinem arcam illam ad prælia deferendi a poſteris frequentatam apparet ex 1. *Reg. cap.* 4. & 14. & 2. *Reg. cap.* 11.

At, *inquies*, ſi cum iſtis delectis militibus deportata fuiſſet arca, qui fieri potuit, ut Moſes & Eleazarus ſummus Sacerdos remanſerint in caſtris, nec illi fuerint adjuncti comites & cuſtodes?

Reſpondeo, Moſem de victoria ac proinde de arca ſecurum, remanſiſſe in caſtris una cum Eleazaro Pontifice; tum ut in ingentem populi multitudinem in officio & pace continerent; tum quod, cum Moſes ipſe gravaretur ætate, fuiſſet forte impedimentum in expugnandis, & inſequendis hoſtibus victis. Eleazarus vero ſat duxit filio ſuo Phinees vices ſuas committere in arca cuſtodienda.

Inſtabis, diebus ſingulis offerri debebant ſacrificia coram arca mane & veſpere; at illa non poterant fieri niſi in altaribus holocauſtorum & Thymiamatis, quæ extabant in Tabernaculo; igitur aut hæc altaria erant pariter cum arca ad prælium aſportanda, quod factum nullus dixerit; aut dicendum non eſt arcam fuiſſe delatam.

Reſpondeo I. iſta quotidiana ſacrificia non abſolute, ſed conditionate fuiſſe præcepta; nimirum ex hypotheſi, quod fixum eſt Tabernaculum, & arca fœderis in eo quieſceret; neque enim, dum continuo ambulandum erat, poterant ejuſmodi ſacrificia offerri: itaque licite potuerunt omitti, quamdiu arca aberat a Tabernaculo. *Dico ſecundo* illa quotidiana ſacrificia fieri quidem debuiſſe in altari exiſtente in Tabernaculo, ut præceptum eſt *Exodi* 29. *verſ.* 38. At ibi non fit ulla mentio præſentiæ arcæ fœderis, cum ejus conſtructio nondum fuiſſet præſcripta: poterant ergo iſta ſacrificia fieri etiam abſente arca; & forte eorum offerendorum cauſa Eleazarus remanſerat in caſtris.

Petet III. Qui fieri potuit, ut Balaamus, qui *cap.* 24. *v. ultimo*, dicitur reverſus *in locum ſuum*, nempe in Meſopotamiam, unde acceſſerat, hic dicatur cum Madianitis interfectus?

Reſpondet S. Auguſtinus, dubium eſſe, quis ſit iſtorum verborum cap. 24. ſenſus, *Reverſus eſt in locum ſuum?* Poteſt enim, innuit, *in locum ſuum rediiſſe intelligi, quod ab ipſo loco, ubi ſacrificia faciebat, in eum locum reverſus eſt, unde illuc exierat, id eſt, ubi tamquam peregrinus habebat hoſpitium; non enim dictum eſt, in domum ſuam, aut in patriam ſuam, ſed* IN LOCUM SUUM: *habet autem & quiſque peregrinus locum ſuum ubi habitat.* At expoſitio hæc textui & vulgari modo loquendi minus conſentanea videtur; quippe ex textu *cap.* 24. conſtat Balacum Balaamo iratum, quod votis ſuis non reſpondiſſet, benedicendo Hebræos, ad quos maledictione fulminandos fuerat advocatus, eum e ſuo conſpectu abjeciſſe: quis autem in mentem inducat illum intra ſui Regni limites conſiſtere paſſum eſſe?

Veriſimilius itaque dicendum arbitror, revera Balaamum e Moabitarum finibus exiiſſe; ſed priuſquam patriam ſuam repeteret, hæſiſſe apud Madianitas Moabitarum vicinos, & eis confœderatos; ut præſtolaretur eventum illius conſilii, quod Balaco dederat: maxime cum accepiſſet illud executioni fuiſſe mandatum: ſperabat enim populi facinoribus iratum Deum, Hebræorum defenſionem abjectum iri, & inde eos facile vincendos.

Petet IV. cur Eleazarus Pontifex voluerit mundari igne, vel aqua expiationis omnia ſpolia Madianitis erepta, cum idem obſervatum non fuerit erga ſpolia ab aliis hoſtibus deprompta?

Reſpondeo, non aliam mihi videri hujus diſcriminis rationem, quam quia Madianitæ ſpurciſſimi Priapi cultores, infandis libidinibus contaminati, ea, quibus utebantur, ſuo tactu conſpurcaſſent; quamobtem ad majorem infandi illius criminis horrorem incutiendum, cenſuit Pontifex omnia iſta ſpolia eſſe polluta, ac proinde expianda igne, vel aqua.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XXXII.

CUm terra Chanaam, Jacobo ejuſque poſteris in hæreditatem repromiſſa, citra & extra Jordanis fluvium protenderetur, jamque ab Hebræis exterminati eſſent omnes regionum cis Jordanem incolæ, homines Tribuum Ruben & Gad multis pecoribus abundantes, rogarunt Moſem, ut jam occupatam terram alendis animalibus aptiſſimam

Digitized by Google

ſimam eis concedere dignaretur. Hanc peritionem primum ingratam habuit Moſes, eoſque acriter objurgavit, quod quieſcere vellent, dum aliis Tribubus adhoc eſſet adverſus hoſtes præliandum. At facta ab eis ſponſione, quod armati cum aliis tranſirent Jordanem, nec prius ad ſuos reverterentur, quam omnes aliæ familiæ ſua pariter ſorte fruerentur, tandem eorum votis annuit Moſes, eiſque regionem illam aſſignavit in perpetuam poſſeſſionem, quibus adjuncta eſt dimidia pars Tribus Manaſſe.

Petes, utrum Rubenitæ & Gaditæ promiſſa impleverint.

Reſpondeo, illos non niſi ex parte promiſſis ſtetiſſe, nec omnes ad arma comparatos Jordanem tranſmiſiſſe; nam in ultima Tribuum recenſione *cap.* 26. ea Rubenitis erant pugnatorum 43. millia ſeptingenti & tria: Gaditarum 40. millia quingenti: ex Tribu vero Manaſſes quinquaginta duo millia ſeptingenti, quorum ſi dimidia pars adjungantur bellatoribus duarum harum Tribuum, erunt pluſquam centum millia. Attamen bellatores ea his Tribubus ſimul junctis, nonniſi numero quadraginta millia Jordanem tranſmiſerunt, ut refertur Joſue 4. Nec tamen erant propterea culpandi, & violatæ fidei arguendi; neque enim occupatæ ab eis regiones relinquendæ erant abſque præſidio; eratque neceſſum, ut plurimi in ea regione viri bellatores exiſterent, ad mulierum, & inſantium, atque etiam pecorum tutelam.

Petes II. Cur Tribus Manaſſis, quantum ad habitationem, duas in partes fuerit diviſa.

Reſpondeo, id factum, vel quod ingens pariter eis eſſet pecorum numerus, eaque regio eis Jordanem eſſet feraciſſima, vel quod ea regio quæ Rubenitis & Gaditis aſſignabatur, amplior erat, ut tota poſſet a duabus ſolum Tribubus occupari: quamobrem Moſes, ut populi princeps, cujus erat terram occupatam diſtribuere, hos aliis adjunxit, ne regio incolis deſtituta evaderet inculta.

Petes III. Qua ratione hic *verſ.* 41. Jair dicatur *filius Manaſſe filii Joſeph*, cum 1. *Paralip. cap.* 2. *v.* 21. inter Judæ nepotes cenſeatur, nam Judas genuit Phares; hic Heſron, hic Segub, hic Jair.

Reſpondeo, eum idcirco dictum *filium Manaſſes*, quod eſſet procreatus ex filia Machir viri inter Manaſſenſes celeberrimi, ut patet *ex* 2. *Paralip. cap.* 2. *v.* 21. cum autem ea ratione inter Manaſſis nepotes maximo eſſet in honore, ideo conceſſit Moſes, ut eamdem ille cum eis ſortem haberet.

Obſervandum eſt autem hunc Jairum longe diverſum eſſe ab illo, qui inter Judices cenſetur *Judic.* 10. nam inter hunc & illum intercedunt pluſquam trecenti anni. Uterque tamen plures occupavit viculos, quibus nomen ſuum impoſuit.

DISQUISITIONES IN CAPUT XXXIII.

UT perpetuam & diſtinctam majorum ſuorum in deſerto peregrinationis memoriam haberent Hebræi, alteque eis fixa eſſet in animo ſingularis illa Dei providentia erga hunc populum, licet ingratiſſimum, & toties murmurantem, ac divinis mandatis obluctantem, ſingulas ſtationes, quas fecerunt a ſuo e terra Geſſen exitu ad uſque Jordanis alveum, in hoc capite recenſet Moſes, eaſque ſigillatim enumerat. Fuerunt vero caſtrametationes ſeu manſiones illic numero 42. Primo quidem anno confecerunt XIV. aut XV. cæteras vero annis 39. Quibus peregrinati ſunt in deſerto invio & ſterili, utpote arenoſo, ubi nec ſeminari, nec meti potuit; nec flumina, nec fontes occurrebant. At Deus ſingulari ſua providentia manna e cœlo depluente, & aquis per miraculum e ſilice eductis, ingenti illi multitudini proſpicere dignatus eſt.

Mirum dictu, quanto ſtudio, quantave animi attentione hocce caput Judæi hodierni legant & revolvant; ex illis enim majorum ſuorum peregrinationibus & conflictationibus fiduciam habent, ſibi Deum aliquando propitium iri, ſeque revocandos in terram ſuis patribus in perpetuum hæreditatem a Deo repromiſſam. Illorum autem (referente Clariſſ. Fagio) verba ſunt. „ Scriptæ „ ſunt, *inquiunt*, profectiones ad faciendam „ nobis ſpem, quod licet per multas tri„ bulationes & mala tranſeamus, Deus ta„ men conſervabit nos, & educet nos de „ exilio noſtro, ſicut fecit in egreſſu ex Ægy„ pto, ubi affligebantur multis annis ſervi„ tute dura: & Deus miſit eis Salvatores „ ad liberandum ex tribulationibus ſuis; „ ſic quoque & nobis faciet. Tametſi enim „ inſtabiles ſimus, & de monte ad montem „ fugiamus, de Regno ad Regnum, de exilio „ ad exilium, de terra Iſrael extra terram „ Iſrael, de Gallia in Hiſpaniam, de Hiſpania „ in Regnum Iſmaelitarum; nihilominus ta„ men exaudiet nos Deus, qui ſedet ab „ æterno, Sælah, & cuſtodiet nos. Propter „ iniquitates enim noſtras præſens eſt ca„ ptivitas. Verum nos confidimus Domino, „ quod nos educturus, tametſi ſimus indi„ gni, idque propter miſericordiam ſuam.

His enarratis profectionibus & caſtrametationibus addit Moſes *verſ.* 51. *& ſequentibus*, ſibi injunctum a Deo, ut ipſius nomine imperaret Iſraelitis, ut tranſmiſſo Jordane omnes illius regionis incolas interficiant, ne uno quidem in vivis relicto. Ad quod exequendum eos ſtimulat duobus momentis: I. Quod *ſi qui eorum ſuperſint, erunt*, inquit, *vobis quaſi clavi in oculis*, (gallice, ils vous cre-

crevetont les yeux) *& lancea in lateribus; & adverſabuntur vobis in terra habitationis veſtræ*. Alterum motivum quo Deus provocat illos ad iſtam exterminationem, eſt futura ipſius in illos animadverſio & vindicta; *& quidquid illis cogitaveram facere, vobis faciam*. Huius autem ſeveriſſimi edicti alia non occurrit ratio, quam quod illarum Regionum incolæ, ſuis nequiſſimis moribus, & nefario numinum ſuorum cultu terram illam contaminaverant.

Addit ibidem Moſes ſibi imperatum a Deo, ut Iſraelitis ſignificaret, terram occupandam ex æquo diſtribuendam eſſe ſingulis Tribubus: *Pluribus*, inquit, *dabitis latiorem; & paucis anguſtiorem, ſingulis ut ſors ceciderit.*

DISQUISITIONES
IN CAPUT XXXIV.

UT autem ſcirent Iſraelitæ, quos & quarum regionum incolas eſſent deleturi, & terram, ac poſſeſſiones eorum occupaturi, deſcribit Deus in cap. XXXIV. terræ occupandæ terminos juxta quadruplicem mundi partem, Orientalem, Auſtralem, Occidentalem, & Septentrionalem: *Pars meridiana incipiet a ſolitudine Sin, quæ eſt juxta Edom: & habebit terminos contra Orientem mare ſalſiſſimum*. Illa autem pars meridiana (inquit Clariſſ. Fagius poſt Munſterum) protendebatur ab Oriente in Occidentem per varios flexus, & angulos, atque exporrectos arcus. Idcirco appellat *aſcenſum ſcorpionis*, quod videlicet limes rectus haberi non poſſet propter occurrentes montes, convalles, fluvios & paludes; ſicque ſcorpionis inſtar per illius partis terminos gyrandum eſſet. Habuit autem hoc latus Auſtrale conterminas tres terras, nempe Ægyptum, Idumæam, & terram Moab. Ægyptus ſitum tenebat Occidentalem, cui Orientem verſus jungebatur Idumæa. Idumææ vero ab Oriente contermina erat terra Moab. Idumæa & terra Moab extendebantur uſque ad deſertum magnum, in quo Iſraelitæ tanto tempore vagabantur; præſertim cum ipſis Idumæus nollet concedere tranſitum, ſicut nec Rex Moabitarum; quapropter coacti ſunt ab iſtorum regnorum terminis meridiem verſus deflectere, & per Orientale latus uſque ad limitem Aquilonarem gyrare, ubi terram promiſſam ingreſſi ſunt, deletis ſcilicet in latere Orientali Regibus Og & Seon, quorum regna Jordanis interfluens disjungebat a terra Chanaan.

Obſervandum inſuper in hac Regionis ab Iſraelitis occupandæ delineatione fieri mentionem triplicis maris, nempe *maris ſalſiſſimi* verſ. 3. *maris magni* verſ. 5. & 6. & *maris Cenereth* verſ. 11. *Mare ſalſiſſimum* dicitur mare aſphalticum, mortuum, & Sodomicum, in quod exoneratur fluvius, eſtque in angulo conjunctionis plagæ Auſtralis cum Orientali. *Mare magnum* appellant Judæi mare Mediterraneum, quod maximum ſit eorum omnium mariom, quæ Iſraeliticam regionem alluunt. *Mare Cenereth*, eſt lacus magnus quem trajicit Jordanis fluvius, vocaturque in Evangelio *mare Galileæ*, & *mare Tiberiadis*, nam eſt in Galilæa, & ad illius littus urbs Tiberias eſt condita: dicitur etiam *Mare Genezareth*, voce deducta a Cenereth ab urbe ejus nominis quæ extabat in regno Amorrhæorum: tametſi vero tantum eſſet lacus, nihilominus appellatur mare juxta morem Scripturæ, in qua magna aquarum collectio ſolet appellari mare.

Inſuper præſcribit Deus *v.* 17. ut illa terræ promiſſionis occupandæ diſtributio fieret ab Eleazaro ſummo Pontifice, Joſue Iſraelitarum Duce, & a principibus ſingularum Tribuum quos ibi nominat.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XXXV.

ETſi vero Levitica Tribus nullam in hac poſſeſſionum diſtributione partem habuit, utpote cum Deus fuerit illius hæreditas, & portio; attamen cum certam, ſicut & cæteri, habere deberent habitationem, ne vagi ac palabundi huc illucque diſcurrerent, præcipit Deus Moſi, *cap.* 35. ſuo nomine Iſraelitis imperet, *Ut dent Levitis de poſſeſſionibus ſuis, urbes ad habitandum, & ſuburbana earum per circuitum; ut ipſi in oppidis maneant, & ſuburbana ſint pecoribus ac jumentis*: urbes autem illæ & ſuburbana Levitis aſſignanda fuerunt 48. ut ſtatuitur v. 7.

Quæres, utrum Levitæ fuerint earum urbium domini, an ſolum uſufructuarii? Sunt qui putant eas urbes conceſſas fuiſſe Sacerdotibus & Levitis tantum quoad uſum, dominium vero ad alias Tribus ſpectaſſe; hoc nixi fundamento, quod Hebron conceſſa ſit Sacerdotibus, *Joſue* 21. cum tamen in ſortem veniſſet Calebo de Tribu Juda. *Joſue* 14. *verſ.* 13.

Verum contrarium apparet ex *Levit.* 25. *verſ.* 33. *&* 34. ubi urbes & ſuburbana Levitis conceſſa dicuntur *poſſeſſio ſempiterna*. Ad Hebron quod attinet; non illius urbs, ne-

neque ſuburbia, ſed vineæ, agri, & arbores, quæ in illius territorio extabant, ceſſerunt in poſſeſſionem Caleb, ut conſtat ex *Joſue* 21. *verſ.* 12. Hic itaque non erat urbis Hebronis dominus; ſed agrorum adjacentium extra limites pro eorum pecoribus paſcendis.

Additur eodem cap. xxxv. *verſ.* 11. *Decernite quæ urbes eſſe debeant in præſidia fugitivorum, qui nolentes ſanguinem fuderint.* Azylus, ſeu locus perfugii non alius antea erat Judæis, quam Tabernaculum, quamdiu peregrinati ſunt in deſerto, ut conſtat *Exod.* 21. *verſ.* 13. & 14. poſtquam vero obtinuerunt Chananitidem regionem, ſex urbes in azylum deſignatæ ſunt; tres ultra Jordanem, & totidem cis Jordanem, quibus poſtmodum tres aliæ ſunt adjunctæ. Hujus autem deſignationis azyli duæ fuerunt cauſæ; una, ut illuc ſe reciperent homicidæ involuntarii, donec de cauſa ipſorum cognoſceretur, ne ab occiſi parentibus opprimerentur: altera, ut ibi cognita cauſa uſque ad mortem ſummi Pontificis tuto quieſcerent.

Erant autem hæ civitates refugii numero ſex, ut conſtat ex hoc cap. 35. & Deut. 4. verſ. 19. quarum tres erant ultra Jordanem conſtitutæ a Moſe, ut refertur *Deut.* 4. *verſ.* 41. *& ſeq.* tres vero citra Jordanem in ipſa terra Chanaan a Joſue inſtitutæ.

Quæres autem, Quæ fuerit in urbibus refugii ad eas accedentium homicidarum ſecuritas?

Reſpondeo eos I. Immunes fuiſſe ab inſultibus & aggreſſione parentum illius qui fuerat occiſus: permittit enim Deus in hoc capite verſ. 19. ut *propinquus occiſi, homicidam interficiat, ſtatim ut apprehenderit eum.* At dum homicida extabat in aliqua ex urbibus refugii, vetitum erat violentas ei manus inferre, ut hic præſcribitur verſ. 12. *Donec ſtet in conſpectu multitudinis, & cauſa illius judicetur.* II. Qui confugerat, nedum libere vagari poterat per urbem, ſed & per illius territorium, & juriſdictionis limites: *Si interfector extra fines urbium, quæ exulibus deputatæ ſunt, fuerit inventus, & percuſſus ab eo qui ultor eſt ſanguinis: abſque noxa erit, qui eum occiderit*, verſ. 26. & 27.

III. Debebat tempore condicto ſiſtere ſe coram Judicibus Conſilii Sanhedrin; &, ſi, cauſa ventilata cum propinquis occiſi, conſtet eum caſu, & præter voluntatem hominem occidiſſe, *Liberabitur innocens de ultoris manu, & reducetur per ſententiam in urbem, ad quam confugerat, manebitque ibi, donec Sacerdos magnus, qui oleo unctus eſt, moriatur*, verſ. 25. Si vero percuſſor cauſa caderet, eſſetque probatum ad minus duorum teſtium aſſeveratione, illum voluntarie hominem occidiſſe, in ipſorum teſtium præſentia lapidari debebat, vel ab occiſi propinquo, *verſ.* 19. vel a lictore publico *verſ.* 30. & 31.

Quæres III. Cur involuntarii homicidæ ſubſiſtere deberent in urbibus refugii uſque ad mortem ſummi Pontificis?

Reſpondet Theodoretus, hoc ideo præceptum I. Ut eſſet prælibatio quædam & figura ſalutis & libertatis humano generi reſtituendæ per Chriſtum ſummum Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech. Ut inde appareret quantus eſſe debeat horror homicidii, cum etiam interfector innocuus tam diuturno & incerto exilio mulctaretur. III. Ut illo temporis intervallo emolliretur occiſi propinquorum animus, & vindictæ libido deferveſceret. IV. Quia moriente ſummo Pontifice totius gentis capite, quiſque de imminente pariter ſibi morte ſerio cogitare debebat, nec ad alteri vitam auferendam animum applicare.

DISQUISITIONES
IN CAPUT XXXVI.

CUm *cap.* 27. juſſiſſet Deus ut filiabus Salphaad diſtribueretur ea terræ portio quæ eorum patri obtigiſſet, ſi fuiſſet in vivis dum fieret terræ ab Iſraelitis occupatæ diviſio; qui earum filiarum erant proximi parentes & familiarum capita exponunt in hoc capite, quod ſi quinque illæ filiæ nubant viris aliarum Tribuum, hæreditas eis tradita ad alias Tribus erit transferenda; ſicque fiet poſſeſſionum & tribuum permixtio: quamobrem rogarunt ut de his ſtatueretur. Eorum votis annuens Moſes, conſulto prius Domino, legem tulit, ut filiæ Salphaad nuberent tantum ſuæ Tribus hominibus: *Ne commiſceatur poſſeſſio filiorum Iſrael de Tribu in Tribum: omnes enim viri ducent uxores de Tribu & cognatione ſua: & cunctæ fœminæ de eadem Tribu maritos accipient: ut hæreditas permaneat in familiis.*

Non eſt tamen exiſtimandum hanc legem fuiſſe adeo generalem, ut nulli fuerit liberum extra ſeriem ſuæ Tribus virum, aut mulierem aſſumere; David enim ex Tribu Juda uxorem habuit Michol filiam Saul ex Tribu Benjamin; & Jojada ſummus Pontifex uxorem duxit Joſabeth filiam Regis Joram de Tribu Juda, 2. *Paralip. cap.* 22. ſed iſta lex intelligenda erat de non ineundo conjugio inter perſonas diverſæ Tribus, quando periculum erat permiſcendæ hæreditatis; nempe cum ducenda uxor erat unica parentum filia, & eorum facultatum hæres: niſi forte dixeris ab ea communi lege diſpenſatos & exceptos eſſe Reges, & Sacerdotes, quod illi aliena hæreditate non egerent, utpote totius regni poſſeſſores: hi vero poſſidendæ alienæ hæreditati non eſſent idonei, cum Tribus Levi nulla terræ portione præter aſſigna-

ſignatas 48. urbes cum ſuburbiis donata fuerit.

His ita conſtitutis cum, præmonente Deo, ſciret Moſes ſibi mortem immin̄ere, cenſuit, priuſquam e vivis excederet, ſynopſim & recapitulationem edere eorum omnium, quæ vel geſta, vel ſancita fuerant; ut hæc compendio præ manibus habentes Hebræi, memoriæ facilius mandarent, fierentque prorſus inexcuſabiles, ſi illa non exequerentur.

DISQUI-

Digitized by Google

DISQUISITIONES
IN DEUTERONOMIUM.

PRÆFATIO.

QUintus hic Pentateuchi liber ab illius primis verbis appellatur ab Hebræis *Elleh addebarim*, id eſt, *hæc ſunt verba*: a Græcis Δευτερονόμιον: a Latinis *Deuteronomium*, hoc eſt, *ſecunda lex*; non quod ſit a prius ſancitis & conſtitutis diverſa, ſed quod ſit earum repetitio, & jam dictorum inculcatio. Neque enim ſolum prius editæ leges ad Iſraelitici populi informationem hic repetuntur; ſed etiam quæ in tribus prioribus libris geſta recitata ſunt, hic in epitomen redacta exponuntur. *Deuteronomium* enim, (inquit Theodoretus) *continet recapitulationem eorum quæ lege cauta ſunt, & geſta in libris Exodi, Levitici, & Numerorum: notat etiam tempus, & locum ubi, & quando huic Iſraelitarum multitudini doctrinam propoſuit.*

Hæc autem repetenda & inculcanda cenſuit Moſes multis de cauſis. I. Ut informaret numeroſam hanc Hebræorum multitudinem de ſingulari Dei erga illos benevolentia & protectione, deque beneficiis eorum patribus ab illo collatis, tum liberando eos ab Ægyptiaca ſervitute; tum fovendo & protegendo illos per quadraginta annos in vaſta & inculta ſolitudine. Cum enim eorum, qui ex Ægypto exierant, quique teſtes fuerant illorum prodigiorum & miraculorum, quæ in eorum favorem ediderat Deus, nullus jam eſſet ſuperſtes præter Joſue & Caleb; ſed, quotquot aderant, nati eſſent tempore peregrinationis, conveniens fuit iſta divina beneficia illis exponi ab eo, cujus miniſterio fuerant edita, quatenus illorum memores conſtantius ac ferventius divino cultui fierent addicti.

II. Ut perſuaſum haberent leges omnes antea divinitus editas nedum ſpectare eorum majores coram quibus fuerant promulgatæ; ſed & eos qui illarum repetitionem audiebant; ut eas ad poſteros traducerent. Inde, eſt quod infra cap. 29. fœdus prius initum cum Deo renovatur, ut illius perpetuo eſſent memores.

III. Quoniam tranſmiſſo Jordane dividendi erant in duas partes, quarum una, nempe Tribus Ruben & Gad cum dimidia Tribu Manaſſe citra; aliæ vero Tribus ultra fluvium debebant conſiſtere: ne illa manſionum diverſitas, diverſum tandem induceret regimen politicum, & numinis cultum, operæ pretium fuit ante ſeparationem illam, eis omnibus intimare, quod unus idemque eſſet populus ab eodem Iſraele patre prognati, ſub eodem belli duce Joſue militantes, & ejuſdem eorum Patriarchis repromiſſæ terræ benedictæ participes.

IV. Cum Rex aliquando inter Iſraelitas eligendus, teneretur legem deſcribere, in eamque omnibus vitæ ſuæ diebus meditari, ut præſcribitur infra *cap.* 17. *v.* 18. cumque eadem ſingulis ſeptenniis populo eſſet publice legenda in feſto Tabernaculorum, conveniens fuit, ut earum legum fieret enchiridion, quo facilius ſcribi ac legi poſſet & memoriæ mandari.

Neque tamen exiſtimandum eſt Deuteronomium eſſe ſimplicem & nudam prius dictorum & actorum recapitulationem & ſynopſim; plurima namque in hoc libro adiiciuntur, de quibus in præcedentibus altum eſt ſilentium; multæ adiiciuntur novæ leges, multæ fuſius & diſtinctius exponuntur; referunturque variæ rerum geſtarum circumſtantiæ; quæ in earum relatione fuerant prætermiſſæ, ut apparebit in ſequentibus.

Mihi tamen non eſt animus ſingula evolvere capita, ne rem jam actam iterum agere videar; ſed ea dumtaxat expendere, quæ ſacrarum litterarum ſtudioſum, & ad detegenda illius arcana anhelantem remorari poſſent & implicare.

DISQUISITIONES
IN CAPUT I.

TRia hoc in capite exequitur Moſes. I. Deſignat locum. II. Tempus in quibus iſta recenſuit. III Cauſam enarrat cur populus terræ Chananitidis occupandæ proximus, ab illius ingreſſu prohibitus fuerit, & in ſolitudinem per 38. annos, & amplius relegatus. Locum indicat, verſ. 1. *Hæc ſunt verba, quæ locutus eſt Moyſes ad omnem Iſrael*

rael trans Jordanem, in ſolitudine campeſtri contra mare rubrum &c.

Petes I. Cur ait, *Hæc ſunt verba*, quæ prioribus libris dicebantur *mandata & Judicia*, ut conſtat ex poſtremis verbis libri Numerorum.

Reſpondeo, Diſcrimen utriuſque locutionis formulæ in eo conſiſtere, quod in aliis libris Moſes erat interpres Dei legem præſcribentis, & tranſgreſſores punientis titulo principis & Judicis: hic autem Doctorem agit, cuius non eſt imperare & præcipere, ſed erudire & exhortari.

Petes II. Cur Moſes hic loquatur in tertia perſona dicens: *Verba quæ locutus eſt Moſes*; quaſi ab alio, quam ab eo ſcripta?

Reſpondeo, hæc, non obſtare quin cenſeatur huius libri ſcriptor, ut conſtat ex his verbis cap. 31. verſ. 9. *Scripſit itaque Moſes legem hanc, & tradidit eam Sacerdotibus filiis Levi &c.* Loquitur autem in tertia perſona, ad vitandam arrogantiam, & ne ſibi nimium tribuere videatur; ſic etiam facere ſolent ſcriptores tam ſacri, quam prophani: etenim S. Joannes Evangeliſta *cap. 19. verſ. 35.* de ſeipſo ſcribens ait; *Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his &c.* Sic Julius Cæſar, & Joſephus Flavius ſcriptores graviſſimi geſta ſua in tertia perſona enarrant: ſic idem Moſes *Numer. 12. verſ. 3.* de ſe ipſo ait: *Erat Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabantur in terram*; non ad oſtentationem & inanem gloriam; ſed ad exponendam rationem cur ad contumelias & probra in eum ejaculata nihil reponeret.

Petes III. Quomodo hæc vera ſint, *locutus eſt ad omnem Iſrael?* qui enim fieri potuit, ut ab omnibus Iſraelitis audiretur?

Reſpondeo, hæc exponi poſſe tribus modis. I. Quod allocutus ſit omnes Tribuum principes, & præcipua familiarum capita, in quibus univerſus populus repræſentabatur. II. Ad omnem Iſrael ſecundum intentionem & directionem loquentis; cum enim hæc ſervari deberent ab omnibus Iſraelitis tam præſentibus quam futuris, ac propterea hæc fuerint ſcripta & tradita Sacerdotibus, ut juxta arcam repoſita, coram populo legerentur quolibet anno ſeptimo, ut ſtatuitur infra cap. 31. verſ. 26. III. *Ad omnem Iſrael*, ita ut per miraculum Moſis vox ad ſingulos Iſraelitas in caſtris congregatos pervaſerit quemadmodum contigit in prima Apoſtolorum concione, in qua Parthi, Medi, Elamitæ &c. Audierunt nedum loquentium voces, ſed & linguam quam cum lacte ſuxerant, *Act. 2. v.* 8. Idque plurimis deinde viris Apoſtolicis contigit, puta SS. Antonio Paduano, Joanni Capiſtrano, Vincentio Ferrarienſi &c. qui concionantes mediis in agris propter concurrentem auditorum multitudinem, a diſſitis etiam per leucam dicuntur auditi.

Petes IV. Quo ſenſu Moſes ſcripſerit ſe illa dixiſſe *trans Jordanem*, cum hunc fluvium non fuerit prætergreſſus?

Reſpondeo I. Vocem Hebræam עבר *heber* interdum ſignificare *trans*, alias vero *cis*: cum hæ voces comparativæ ſint, & unius reſpectu loca quæ deſignant, dicantur *trans*, alterius vero *cis*; unde locus in quo tunc verſabatur Moſes reſpectu Palæſtinæ & Terræ Sanctæ, quam brevi tempore erant occupaturi, dicebatur *trans Jordanem*; reſpectu vero terræ Moab, erat *cis Jordanem*. II. Cum hæc ſcriberet Moſes, ut ab Iſraelitis aſſidue legerentur, & ſingulis ſeptenniis publice recitarentur, appoſite ſcripſit ſe illa dixiſſe *trans Jordanem*, ne ſi ſcripſiſſet *cis Jordanem*, Hebræi conſiſtentes in Palæſtina, habuiſſent anſam exiſtimandi illum in Chananitidem fuiſſe ingreſſum, contra ea quæ dixerat Deus, quod eam benedictam terram videret quidem; at in illam non intraret. III. (Adiiciunt aliqui) a Moſe quidem ſcriptum *cis*, ſed cum iſta legerentur præſente & imperante Joſue poſt Moſis obitum & occupatam Chananitidem, ab eo adjectum *trans Jordanem*, ut narratio cohæreret tunc præſenti rerum ſtatui. Verum cum hæc conjectura nullo nitatur fundamento, potius in præcedenti ſtandum cenſeo.

Petes. V. Cum mare rubrum longiſſime diſtaret a campeſtribus Moab quomodo ſcribere potuerit Moſes ſe, cum illa diceret, conſiſtere *contra mare rubrum*; vel, ut Hebraice legitur: *e fronte* ſeu *e regione Suph*, quo nomine ſignificatur mare rubrum, ea parte qua Arabes ab Ægyptiis diſterminat?

Reſpondeo, Omiſſis aliorum contortis expoſitionibus, voces illas, *contra mare rubrum*, non referri ad campeſtria Moab, cuius nomen hic tacetur, ubi tunc conſiſtebant Iſraelitæ; neque enim planities illa clauditur montibus Pharan, Tophel, Laban, & Haſeroth, qui hic memorantur, quique ab illa planitie longiſſime abſunt; ſed ad vaſtam illam ſolitudinem, quam hic verſ. 19. *Terribilem* & *maximam* appellat Moſes, in qua per quadraginta pene annos peregrinati fuerant, ſæpiſſime accedentes ad mare rubrum. Quod hic memorat, ut refricet memoriam beneficiorum, quibus extincto Pharaone cum ſuo exercitu, liberati ſunt ab Ægyptiaca ſervitute. In illa autem ſolitudine conſiſtunt illi montes hic recenſiti, maxime mons Horeb, ſeu Sinai; ubi cum per annum ferme integrum hæſiſſent, juſſi ſunt ad terram promiſſionis accedere: ſed propter ſubortum eorum murmur iterum in ſolitudinem ſunt ablegari verſus mare rubrum, ut refertur in hoc cap. verſ. 40.

His adiicere licet Hebræorum expoſitionem, qui præfata Moſis verba hic reddunt, & interpretantur: *Hæc ſunt verba, quæ locutus eſt Moſes cum univerſa Iſrael ex altero latere Jordanis, arguens eos, quod peccaſſent in deſerto, & quod ad iracundiam provocaſſent Deum in planitie e regione maris rubri in Pharan; quod ſcilicet murmuraſſent contra Manna; & in Azeroth, ubi deliquerunt propter carnes; & quod feciſſent vitulum aureum.* Hinc arguunt Hebræi propoſitionem *in*, quando dicitur, *in ſolitudine*, *in planitie*, capiendam pro *propter*, ut ſit ſenſus; propterea quod irritaverunt Deum *in deſerto*, dicentes; *utinam mortui eſſemus &c.* Et propter peccatum, quod commiſerunt *in planitie*,

Digitized by Google

tie, quando initiati ſunt Baal-Peor; & propter peccatum *e regione maris rubri* commiſſum, quando dixerunt, *Numquid ſepulchra non fuerunt in Ægypto, Tophel, Laban, &c.*

Inſuper hic obſervandum eſt deſertum illud vaſtiſſimum & arenoſum in quo per quadraginta annos peregrinati ſunt Iſraelitæ, varia ab adjacentibus locis aliunde cognitis, habuiſſe nomina, dictumque eſſe deſertum *Sinai*, deſertum *Pharan*, deſertum *Cades*, deſertum *Sin*, deſertum *Moab* &c. licet unum idemque fuerit longiſſime protenſum.

Petes VI. Qua ratione Moſes ſcripſerit verſ. 2. *Undecim diebus venimus de Horeb per viam montis Seir uſque ad Cadesbarne?* Conſtat ex libro Numerorum longe plures in iſto trajectu dies fuiſſe inſumptos: nam ad minus per menſem hæſerunt in loco dicto *ſepulchra concupiſcentiæ*: poſtmodum diebus ſeptem ſteterunt in Haſeroth *cap.* 12. quibus impletis venerunt in Cadesbarne *cap.* 13.

Reſpondeo, Moſem iſtis verbis non attendere ad dies in ſtationibus inſumptos, ſed ad eos tantum qui in itinere fluxerunt; vel ut indicaret montem Horeb diſtare tantum a Cadesbarne itinere undecim dierum; in quem ſenſum præfata verba ſic reddit Chaldæus paraphraſtes, *Iter undecim dierum eſt de Horeb per viam montis Seir uſque ad Cadesbarne*: Eadem pene ſunt ſeptuaginta Interterpretum verba. Cætera quæ in hoc capite adjiciuntur, aperte conſtant ex dictis in præcedentium librorum expoſitione.

Petes VII. Quomodo hæc verba verſ. 46. *Sediſtis in Cadesbarne multo tempore* cohæreant cum Dei mandato *Numer.* 14. *verſ.* 45. quo iratus in eos, quod renuiſſent pergere ad occupandam terram promiſſam, juſſit ut die ſequenti repeterent ſolitudinem?

Reſpondeo, Iſraelitas huic divino mandato ſtatim non paruiſſe, quod facti pœnitentes die ſequenti, licet Deo nolente, & Moſe repugnante, irruerint in Amorrhæos; ſed ab eis maxima ſtrage fugati, ingentem planctum excitarunt in caſtris: quam ob cauſam indulſit Deus, ut diutius ibidem morarentur.

DISQUISITIONES IN CAPUT II.

PRoſequitur Moſes recenſionem eorum quæ contigerunt in diuturna illa per 40. annos Iſraelitarum peregrinatione, maxime circuitus juxta montem Seir, & regiones Idumæorum, Moabitarum, & Ammonitarum; quos noluit Deus impugnari, tametſi illi priores earum regionum incolas e ſedibus ſuis diſturbaſſent.

Cum autem hujus capitis initio dicat Moſes, quod ipſe una cum Iſraelitarum multitudine egreſſi e Cadesbarne *circuivimus Montem Seir longo tempore*.

Petes I. Quantum temporis in iſto circuitu impenderint?

Reſpondeo, illum duraſſe circiter per annos 38. ut aperte declarat hic Moſes v. 14. *Tempus autem quo ambulavimus de Cadesbarne uſque ad tranſitum torrentis Zared, triginta & octo annorum fuit.* Non quod toto iſto tempore ita circuierint hunc montem, ut ab eo longius non receſſerint; eorum enim ſtatio in Aſiongaber ab eo monte longe diſtabat: ſed quod illum ſemper, quocumque pergerent, haberent in proſpectu, utpote cum circa Idumæam verſarentur; unde hujus montis verticem poterant aſpicere.

Petes II. Cur prohibuerit Deus Idumæos, Moabitas & Ammonitas impugnari, cum Iſraelitis adeo fuerint infenſi, *Numer.* 20. *verſ.* 20. ut liberum per ſuas regiones eis tranſitum denegarint, quo breviori & faciliori via ad Chananitidem pergerent?

Reſpondeo, hujus prohibitionis rationem ex textu apparere, I. Quod Idumæi prognati eſſent ab Eſau Jacobi Iſraelitarum parentis fratre, qui quod piloſus eſſet, & rufus dictus eſt *Edom* & *Seir*, *Edom* enim rufum & *Seir* piloſum & hirſutum ſignificat. Hinc Deus Idumæos Iſraelitarum fratres hic appellat v. 4. duplici igitur de cauſa noluit Deus illos impugnari. *Primo*, quod eſſent conſanguinei, ne violarentur naturæ jura & fœdera, quæ inter eodem ſanguine prognatos vigere debent, & illibate ſervari. *Secundo*, quod regionem iſtam Eſau ejuſque poſteris in perpetuam poſſeſſionem & hæreditatem conceſſiſſet intuitu meritorum Iſaaci & Abrahami, ut legitur hic *verſ.* 5. & apud Malachiam *cap.* 1. *v.* 3. Idumæi tamen poſtmodum redacti ſunt a Judæis ſub tributum, puta a Davide 2. *Reg.* 8. unde Pſal. 59. *in Idumæam extendam calceamentum meum, mihi alienigenæ ſubditi ſunt.* Servituti pariter ſubjecti fuere a Machabæis *lib.* 1. *cap.* 5.

Similis pene profertur ratio, cur Ammonitæ & Moabitæ intacti permanſerint; nempe quod hic uterque populus originem duceret ex Lothi ebrii cum filiabus concubitu; qui tametſi res fuiſſet illicita & grande nefas, ſaltem ex parte filiarum; attamen Deus attendens ad ſanctitatem ipſius Loth, qui aliunde vir erat piiſſimus, prohibuit expugnari illius poſteros, ut hic dicitur *verſ.* 18. & 19.

Petes III. Cum *Numer. cap.* 20. *v.* 18. & 21. Idumæi audacter reſtiterint Hebræis enixe rogantibus tranſitum per eorum regionem, qua ratione hic v. 4. Deus imperat: *Tranſibitis per terminos filiorum Eſau?*

Reſpondeo, Idumæos gentem bellicoſam primum audacter obſtitiſſe Hebræis, quod viribus ſuis & copioſo exercitui plurimum confiderent: at deinde immiſſo divinitus terrore animis dejecti, petitis acquieviſſe, tranſitum-

Digitized by Google

ſitumque liberum feciſſe, non per mediam regionem, ſed per illius fines & terminos: quam rationem propoſuerat Deus, ſubiiciens præfatis verbis: *Timebunt vos*. Cujus timoris cauſam prodit verſ. 25. *Hodie incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos, qui habitant ſub omni cœlo, ut audito nomine tuo paveant, & in morem parturientium contremiſcant, & dolore teneantur*. Nil itaque mirum, quod Idumæi ad Iſraelitarum adventum conterriti eorum votis annuerint; maxime cum non per mediam eorum regionem, ſed per illius extremitates viam liberam ſupplices exorarent, ſponſione facta quod nullum eis præjudicium inferrent.

Peter III. Quinam fuerint *Horræi* ab Eſau poſteris; *Emim* a Moabitis, & *Zanzomim* ab Ammonitis exterminati, ut illorum regionem invaderent & incolerent, ut hic refertur *verſ*. 10. 12. & 20.

Reſpondeo, *Horræos* incolas fuiſſe illius regionis, quæ ab Eſau poſteris, ex illius nomine Edom, *Idumæa* dicta eſt. Appellati ſunt autem Horræi, forte a monte *Hor* qui in illa regione conſiſtit, cujus fit mentio *Numer*. 20. *verſ*. 25. ubi Aaron mortuus eſt & ſepultus. Eorum principes, illorumque genealogiam recenſet Moſes *Geneſ*. 36. *verſ*. 20. Narrat autem hic quomodo, e ſedibus ſuis ejecti ſint ab Eſau poſteris, qui relicta ſua habitatione illorum regionem, utpote fertiliorem, invaſerunt & incoluerunt.

Emim & *Zumim* ſeu *Zanzomim* nomina ſunt appellativa ſignificantia fortes robuſtos; ſive terribiles ac horrendos, ut exponit S. Hieronymus. *Emah* enim Hebræis indicat terrorem, quem cunctis incutiebant illi, quod eſſent prodigioſæ & maximæ ſtaturæ ac ingentis roboris, unde hic *verſ*. 11. aſſimilantur gigantibus, & *verſ*. 20 eorum habitatio dicitur *terra gigantum*. Horum majores expugnaverat olim Chodorlahomor, ut refertur *Geneſ*. 14. *verſ*. 5. at cum eorum poſteri rurſus invaluiſſent, eos tandem exterminarunt Moabitæ & Ammonitæ.

Peter IV. Quomodo Moſes ſcribere potuerit *verſ*. 12. Horræos ejectos eſſe ab Eſau poſteris, *Sicut fecit Iſrael in terra poſſeſſionis ſuæ, quam dedit illi Dominus*; cum nonniſi poſt Moſis obitum, hac poſſeſſione fuerint potiti?

Reſpondeo, iſta Moſem ſcripſiſſe tum hiſtorico, tum prophetico ſenſu: *hiſtorico* quidem reſpective, ad regna Sehonis regis Amorrhæorum, & Ogis regis Baſam, quæ Iſraelitæ jam occupaverant; *Prophetico* autem, habito reſpectu ad alias regiones trans Jordanem, quas, Deo revelante, noverat brevi occupandas.

Peter V. Quinam fuerint *Cappadoces*, qui verſ. 23. dicuntur Hevæos e ſedibus diſturbaſſe, & his expulſis, eorum terram occupaſſe?

Reſpondeo, Cappadoces illos Hebraice appellari *Caphtorim*, qui Geneſ. 10. v. 14. una cum Philiſtæis orti dicuntur a Meſraimo Chami filio. Hi vero putandi non ſunt illi *Cappadoces*, qui per Aſiam minorem ad Pontem-Euxinum extenduntur, quorum regio paſſim a Geographis *Cappadocia* dicitur: Caphtorim namque, quos & vulgatus *Cappadoces* appellat, eamdem cum Philiſtæis dicuntur terram, ejectis illius incolis poſſediſſe; unde *Jeremiæ* 47. & *Amos* 9. Philiſtæi dicuntur *Cappadocum* reliquiæ, & adveniſſe ex *inſulis Cappadociæ*. Porro Cappadocia a Geographis nominata, non eſt inſularis, ſed continens.

Accedit quod Joſephus hos Cappadoces Aſiaticos dicit eſſe oriundos ex Japheto: non erant igitur cum Philiſtæis prognati a Meſraimo Chami filio, qui Ægyptum occupavit & incoluit. Itaque veriſimile eſt illos *Caphtorim* ſeu *Cappadoces* ortos eſſe ex aliqua earum inſularum, quas ſua gyratione Nilus efformat; nam teſte Dioduro Siculo lib. 1. ubi de Ægypto & Nilo cum dixiſſet hunc fluvium complecti inſulas plurimas, ſed præcipue Meroen longam ſtadiis tribus millibus adjicit: *Tot enim Nilus inſulas continet, ut ferme ſit incredibile; nam præter locum, quem a forma loci appellant Delta, feruntur alias quoque in eo inſulas circiter ſeptingentas eſſe*. Ei concinit Plinius, nec non Juſtinus hiſtoricus lib. 2. ubi ait Nilum tot tantæque magnitudinis inſulas formare, *ut vix eas dierum quinque curſu quis prætermeet, quamvit concitus ibi feratur*. Potuerunt ergo illi Caphtorim, ſeu Cappadoces, una cum Philiſtæis in eorum inſularum aliqua nati, ſuæ habitationis tædio affecti, aliam perquirere, & Hevæos illos feracem terram incolentes invadere & deturbare.

DISQUISITIONES
IN CAPUT III.

Moſes hoc in capite tria in memoriam revocat, I. Debellationem Ogi Baſanitarum regis, qui dicitur ultimus Gigantum. II. Illius occupatæ regionis attributionem in perpetuam poſſeſſionem partim dimidiæ Tribui Manaſſis, partim Tribubus Rubeni & Gadi. III. Confirmationem Joſue in ducem & rectorem Iſraelitici populi loco Moſis paulo poſt morituri.

Peter I. Quis ſit horum verborum ſenſus verſ. 11. *Solus quippe Og Rex Baſan reſtiterat de ſtirpe gigantum*?

Reſpondeo, hæc non abſolute & univerſim eſſe accipienda; ſiquidem Numer. 13. *verſ. ultimo* fit mentio filiorum *Enac de ſtirpe gigantum*, quibus comparati exploratores a Moſe delegati, ſibi videbantur locuſtæ. Inſuper in libris Joſue & Judicum nomi-

minantur adhuc ſuperſtites *Enacim* filii Enac. Quin etiam Davidis tempore Goliath giganteæ ſtaturæ ex Philiſtinorum exercitu inſultabat Iſraelitarum agminibus, & 1. *Paralip. cap.* 20. plures leguntur gigantes a fortiſſimis viris Iſraeliticis proſtrati & occiſi. Itaque præfata verba comparative tantum ſunt accipienda, id eſt, reſpective ad eam regionem Baſanitidem, quæ verſ. 13. *vocatur terra gigantum*, qui tempore Abrahami totam illam regionem occupabant, dicebanturque *Raphaim* Geneſ. 14. quod eſſent prognati a *Rapha* gigante. Duæ quippe celebres in Palæſtina tunc erant gigantum origines & familiæ: una ab *Enac*, trans Jordanem, a quo denominati *Enacim*: altera cis Jordanem a *Rapha*, cujus poſteri dicti ſunt *Raphaim*. Etſi vero extincto Ogo nonnulli adhuc extiterint gigantes dicti *Raphaim*, quales erant illi de quibus eſt ſermo 1. *Paralip.* 20. illi tamen non fuerunt in Baſanitidis regione.

Peter II. Qui fieri potuit ut lectus ferreus Ogi ſtupendæ magnitudinis fuerit *in Rabbath filiorum Ammon* verſ. 11. cum Ammonitæ potiti non fuerint Baſanitide?

Reſpondeo, aliam hujus eventus mihi non occurrere rationem, quam quod Ammonitæ bellum intulerint Baſanitis, & illis devictis, aſportarint lectum illum ſtupendum in monumentum inſignis ſuæ victoriæ, illumque repoſuerint, ut illuſtre ſpolium in ſua metropoli. Rabbath enim erat præcipua urbs Ammonitarum, quam expugnavit Joab; & ex cujus idolo *Melchom* diadema abſtulit, obtulitque Davidi, qui illud capiti ſuo impoſuit, ut legitur 1. *Paralip.* 20. Rem paulo aliter exponit R. Gerundenſis ſcribens, „ Og „ vocatur Rex Amorrhæi, quia regnabat „ ſuper eos; nam ipſemet erat rex Raphaim, „ qui populus erat magnus & altus, tan„ quam Enakim, ſeu gigantes. Dicit ſpon„ dam ejus fuiſſe ferream, quia non fere„ bant eum lignea, ut alios homines. Sedem „ autem habebat in urbe Rabba, cum filii „ Ammon exterminarent & delerent gigan„ tes Raphaim dictos. Capta urbe libera„ tus fuit ipſe ſolus e manu ipſorum. Hoc „ ſignificat Moſes cum ait, tantummodo Og „ remanſit ex reliquiis Raphaim. Et ecce re„ lictus lectus ejus illic in Rabba, quæ nunc „ eſt filiorum Ammon &c. *Sic ille.* Hæc autem recitat Moſes, ut Iſraelitæ in memoriam revocent quantum Deo debeant, quod illius auxilio vicerint tam formidandum gigantem, fuerintque potiti illius regno, ſexaginta fortiſſimis & ampliſſimis urbibus, & innumeris oppidis conſtante. *v.* 4. & 5.

Peter III. Quodnam ſit illud *mare deſerti* memoratum *verſ.* 17.

Reſpondeo illud eſſe, quod aliis nominibus appellatur *mare ſolitudinis*, vel quia aliqua ſui parte alluit vaſtam illam Arabiæ ſolitudinem, ſeu deſertum *Sin*: vel quia regio illa olim amœniſſima *Geneſ.* 13. *verſ.* 10. ex ſubverſione & incendio Sodomæ, & Gomorrhæ fuerit inculta & omnino deſerta. Dicitur etiam *mare mortuum*, tum quod in illo nihil ſit vividum; tum quod piſces ex Jordane in illud influente traducti illico moriantur, ut refert Joſephus. Vulgari nomine a geographis appellatur *lacus Aſphaltites*. Alluit ad Orientem radices montis Phaſga, ex cujus vertice Moſes terram promiſſionis fuit contemplatus.

Peter IV. Quis ſit ille *mons egregius*, quem Moſes hic *verſ.* 25. videre cupiebat?

Reſpondeo, triplicem potiſſimum hac de re eſſe interpretum ſententiam. I. Namque plurimi montem Libanum, qui ſtatim nominatur, ſignificatum volunt; ait enim ibi Moſes: *Videbo terram hanc optimam trans Jordanem, & montem iſtum egregium, & Libanum*; ita ut particula *&* ſit expoſitiva, idemque ſignificet ac *id eſt*. II. Plurimi contendunt id intelligendum eſſe de monte *Moria*, ubi Abrahamus filium Iſaac paratus erat immolare; ubi Jacob vidit ſcalam a terra ad cœlum pertingentem; ubi tandem conſtructum eſt Hieroſolymitanum Templum, qui propterea dictus eſt *Mons Dei*, *Mons ſanctus*.

Verum cum *mons Libani* nihil haberet peculiare, cujus ratione diceretur bonus & egregius; *Moria* vero tantæ non eſſet altitudinis, ut ab homine 120. annorum poſſet conſpici: facilius eorum in ſententiam deſcenderem, qui exiſtimant hic ſignificari montem *Thabor*, in quo Moſes ſpiritu prophetico prævidebat a ſe una cum Elia videndum Chriſtum D. in ſuæ transfigurationis majeſtate radiantem.

DISQUISITIONES IN SEQUENTIA

Deuteronomii Capita uſque ad XXXI.

IN his ſequentibus capitulis tria præſtat Moſes. I. Reperit, diſtinctiuſque exponit jam præſcripta divina mandata, tum erga Dei cultum debite impendendum; tum circa Iſraelitici populi regimen, & juſtam ac pacificam inſtitutionem. II. Hortatur vehementiſſime ad illorum obſervantiam; tum timore pœnæ tranſgreſſoribus infligendæ; tum ſpe ampliſſimæ retributionis & mercedis obſervatoribus concedendæ. III. Quaſdam ſtatuit leges, de quibus in præcedentibus nihil actum fuerat.

IN IV.

DIſtricte prohibet ne unum quidem verbum adjiciatur, aut detrahatur divinis mandatis tam præſcriptis, quam præſcribendis.

II. Hortatur, ut in unius veri Dei cultu & amore conſtantiſſime perſiſtant, abſtineantque ab omni idololatria, & ſimulacro-

rum

rum fabrica. Quod ut obtineat, repræſentat eis ſumma beneficia a Deo conceſſa; maxime quod eos eduxerit de fornace ferrea Ægypti, ut haberet populum hæreditarium *verſ.* 20. Deinde quod jam deleverit plures nationes eis fortiores, ut illarum regionibus & bonis potirentur; tamdem quod Deus zelotes & æmulator ſit; nec ferat impune alterius numinis cultum: ac proinde ſi prævaricentur, ſeveriſſime puniendos denuntiat; veniam tamen conſecutum iri, ſi pœniteant, *Quia Deus miſericors, Dominus Deus tuus eſt.*

III. Tres civitates cis Jordanem aſſignat, ad quas confugientes homicidæ involuntarii ſecuri conſiſtant; unam in unaquaque trium Tribuum Rubenis, Gadis, & dimidiæ Tribus Manaſſis, quibus dederat occupatas regiones Sehon regis Amorrhæorum. Sic dicti, quod Baſanitæ ex Amorrhæis produxiſſent.

Hujus autem occupatæ terræ longitudinem deſcribit verſ. 48. *Ab Aroer uſque ad montem Sion, qui eſt & Hermon*, ubi hic mons *Sion* diverſus eſt ab eo monte Sion juxta Jeruſalem occupato a Davide, ubi arcem & civitatem nomine ſuo condidit: ille enim erat trans, hic citra Jordanem; ille ſcribitur per *Tſade*, hic per *Sin*; ille ſimpliciter dicitur *mons Sion*; hic etiam *Hermon*; a Sidoniis *Saron*; ab Amorrhæis etiam *Sanir* appellatur præcedenti capite *verſ.* 8.

IN V.

PRoponit iterum Moſes divina mandata duabus tabulis lapideis Dei juſſu exarata ſibi fuiſſe tradita in monte *Sinai*, quem hic appellat montem *Horeb*, quod unus idemque eſſet mons duobus verticibus diſtinctus.

Ut autem ad illorum obſervantiam eos ſtimulet, duo adiicit. *Primum*, quod Deus *non cum patribus noſtris iniit pactum, ſed nobiſcum, qui impræſentiarum ſumus, & vivimus.* Quæ verba non ſunt intelligenda de patribus Iſraelitarum illorum, quos tunc alloquebatur; illi quippe patres mortui fuerant in illa longa peregrinatione; præſentes vero fuerant cum divinum hoc pactum fuit initum: ſed de eorum Patriarchis Abrahamo, Iſaaco & Jacobo; qui etiam ſi Deo eſſent acceptiſſimi; attamen cum eis tale fœdus legale non iniit, ſicut contraxit cum Iſraelitis, dum eis legem præſcripſit in monte Sinai.

Unde hic Moſes videtur diſtinguere inter *fœdus legale*, & *fœdus fidei:* hoc fuit Patriarcharum, qui fide ambulantes juſtificati ſunt, *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam.* Legale vero præter fidem opus exigit, nempe mandatorum obſervantiam. Licet autem mortui eſſent omnes illi, qui tunc erant nati ſupra viginti annos, quando lex promulgata eſt: attamen qui eos annos nondum tunc attigerant, & adhuc erant ſuperſtites, fuerant præſentes cum hoc divinum pactum fuit conſtitutum. Unde merito dicit Moſes, *qui impræſentiarum ſumus & vivimus.* Hunc textum paulo aliter exponunt Hebræi; nempe, *Non cum majoribus noſtris, qui mortui ſunt in Ægypto; ſed nobiſcum, qui vivimus.* Atque ita intellexiſſe videtur Chaldæus paraph. qui vertit; *Non cum Patribus noſtris pepigit fœdus iſtud: ſed nobiſcum, qui omnes hodie hic vivimus.*

Alterum motivum addit *verſ.* 5. ut illos ad Decalogi mandata ſervanda provocet; nimirum *Ego ſequeſter & medius fui inter Dominum, & vos in tempore illo.* Unde Apoſtolus *ad Galatas* 3. *verſ.* 19. Moſem appellat *mediatorem*, quod medius Deum inter & populum ſtaret, ut accepta a Deo mandata populo denuntiaret, & populi cauſam coram Deo ageret, illius protectionem & miſericordiam exorando. Id fuſius explicat a *verſu* 24 ad finem capitis, ubi exponit qua ratione populus valde perterritus ad Dei vocem inſtar tonitrui loquentis, ipſum Moſem rogaverit, ut ſolus ipſe ad Deum accederet illius mandata excepturus: *Tu magis accede; & audi cuncta quæ dixerit Dominus Deus noſter tibi: loquerisque ad nos; & nos audientes faciemus ea.* verſ. 27.

IN VI.

ORditur hoc caput Moſes his verbis: *Hæc ſunt præcepta & cæremoniæ atque judicia, quæ mandavit Dominus Deus veſter ut docerem vos.* Quibus tria diſtinguuntur, nimirum *præcepta*, quæ pertinent ad mores; *ſtatuta*, quæ ad ritus & cæremonias; *judicia* vero, quæ ad forum, ut exponit Lyranus noſter ſcribens: „ In hujuſmodi, *inquit*, aliqua ſunt circa mores, & dicuntur *Præcepta*; aliqua circa modum colendi Deum, & dicuntur *Cæremoniæ*; aliqua circa juſtum hominis convictum, & dicuntur *judicia*.

Confirmat iſta R. David Kimki ad hoc caput ſcribens: „ Videtur autem mihi eorum opinio probabilis, qui, quoties iſta conjunguntur, [illegible] exponunt eam legis partem quam moralem vocant; in qua præcipitur quid Deo, quid proximo debeamus: [illegible] vero, ſacros ritus, totamque adeo cæremonialem legem; [illegible] denique, eam partem, quæ ad civilem politiam, & forenſes controverſias pertinet, quam judicialem appellant.

Addit Moſes v. 5. præcipuum ea illis præceptis hoc eſſe: *Diliges Dominum Deum tuum* &c. Jubet inſuper, ut ſacra illa verba ſcriberentur in limine domorum, necnon in chartulis, quæ ſint veluti frontalia & brachiola fronti & brachiis alliganda; quatenus oculis continuo patentia, executioni mandarentur, & ad poſteros traducerentur. Hinc Judæi ritum ſumpſere conficiendi & gerendi ſua philacteria, ſeu chartulas, in quibus deſcriptus eſſet Decalogus, aut ſaltem præfata *verſ.* 5. verba. Et, qui inter eos videri volebant religioſiores, ea geſtabant ampliora, & majori charactere inſcripta: quam

hypo-

Digitized by Google

hypocriſim Chriſtus D. exprobrat Phariſæis *Matth.* 23. *verſ.* 5.

Præfata autem verba verſ. 5. *Diliges Dominum Deum tuum* &c. (ſic referente clariſſ. Fagio) exponunt Hebræi ; „ Ne ſitis „ ſimiles ſervis qui ſerviunt Domino eo pa„ cto, ut recipiant mercedem. Quin potius „ dilige Dominum in toto corde tuo, & „ in tota anima tua, & in tota ſubſtantia „ tua. Meminit autem primum *cordis*; eſt „ enim origo ejus quod facit homo, ſive „ bonum, ſive malum. *In tota anima tua*: „ hoc innuitur, quod oporteat etiam te„ ipſum tradere Deo. Et *in tota ſubſtantia* „ *tua*, id eſt, omnes divitias tuas. Inve„ nias enim hominem, qui plus diligat divi„ tias ſuas, quam corpus ſuum: ideo dicit „ in omni ſubſtantia tua: omnis ſiquidem „ lex comprehenditur in dilectione Domini, „ quæ ſit ex toto corde, & tota anima &c. „ qui autem diligit Regem, is omnes cogi„ tationes dirigit, ut faciat quod placeat „ Regi. Idcirco præcepit Deus fieri ſibi quin„ que memoralia quotidie: dum cubitum „ itur; dum ſurgitur; cum apponuntur The„ phillin, capiti & poſtibus.

IN VII.

Diſtricte prohibet ne Iſraelitæ ineant ſocietatem & connubia cum cæteris, maxime cum Chananæis: nempe, ut terram repromiſſam ingreſſi puros ſe & integros Deo ſervarent; cavendum enim fuit, ne quas ſordes ab iſtius terræ incolis contraherent. Quamobrem voluit omnes Chananæos penitus deleri; ne, ſi qui eſſent reſidui, electum populum ad ſuas impietates, & falſorum Deorum cultum allicerent. Accedit; quod conveniens non erat electum genus Abrahæ miſcere cum prophanis; ne alieni fierent participes hæreditate ejus poſteris repromiſſa.

Inde anſam ſumpſit S. Paulus hortandi fideles 2. *Cor.* 6. *verſ.* 14 ut abſtinerent a connubiis infidelium, *Nolite*, inquit, *jugum ducere cum infidelibus, quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate, aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? quæ autem conventio Chriſti ad Belial*; *aut quæ pars fideli cum infideli?* &c. Itaque quantum fieri poteſt, abſtinendum eſt ab omni cum infidelibus commercio ; ne ſuis illecebris ad errores ſuos nos pelliciant.

Verum quandiu verſamur inter incredulos, commercia, quæ ad communem vitam ſpectant, effugere non poſſumus; alioqui, ait idem Apoſtolus 1. *ad Cor.* 5. exeundum eſſet e mundo: at cum eis matrimonia inire periculoſiſſimum eſt, niſi evidens ſit ſpes converſionis & emendationis.

Jubet inſuper, ut ſeptem nationes terræ promiſſæ incolas omnino diſperdant, ne uno quidem in vivis ſuperſtite.

At, *inquies*, qui fieri potuit ut Deus clementiſſimus tantum ſævitiam populo ſuo imperaverit; ut per ſtrages atrociter graſſando, nulli ſexui & ætati parceret? quid peccaverant tot hominum milliones, ut ſine ulla humanitate & miſericordia trucidarentur?

Reſpondeo, id quidem viſum eſſe Manichæis abſurdum & indignum, quod a Deo optimo juberetur. Verum Deus quidem, ut optimus, eſt beneficiorum largitor; at, ut juſtus debet eſſe criminum vindex & ultor. Quamobrem debuit tandem animadvertere in eos populos, qui ſuis ſceleribus & impio dæmonum cultu regiones illas contaminaverant. Jam ab annis quadringentis, & ab Abrahami ætate potuiſſet ulciſci eorum crimina; ſuſpendit tamen judicium ſuum, & tanto tempore patienter eos tulit, ſi forte reſipiſcerent: quia, inquit Geneſ. 15. v. 16. *Nondum completæ erant iniquitates Amorrhæorum*. At cum Dei patientia & clementia eorum audaciam & peccandi libidinem ac furorem in tantum auxiſſet; ut jam impleta eſſet criminum menſura; nullaque foret ſpes emendationis; cum in dies peccata peccatis adderent; & filii parentibus fierent pejores; æquiſſimum fuit tandem in ſceleratos animadvertere eoſque exterminare, ne alios ſua contagione inficerent. Cum igitur in illos populos juſtiſſima fuit ira Dei; certe Iſraelitæ, quos juſtitiæ ſuæ miniſtros elegerat non debuerunt eis parcere, quos Deus exitio addixerat: præpoſterum enim fuiſſet homines mortales cum Deo certare clementia; & injunctum ſibi divinitus mandatum prætenſæ humanitatis ſpecie non implere.

His adde, quod conveniens erat, ut terra, in qua invocandum erat Dei nomen, & divinus cultus ei impendendus, omnibus inquinamentis purgaretur. Unde *Levit.* 18. *verſ.* 28. cum Deus recenſuiſſet omnes Chananæorum execrationes, quibus terram polluerant, admonet Hebræos, ut ab iſtis caveant; ne illos terra evomat, *Sicut evomuit gentem quæ fuit ante vos*; ac ſi eorum fœtore & corruptione terra gravata, illos amplius ſuſtinere noluerit.

III. Nedum imperat exterminandos eſſe Chananæos; ſed inſuper evertenda eorum templa, idola frangenda, aras deſtruendas, & lucos evertendos: ne Hebræi ad Idololatriam proclives, talibus illecebris a puro Dei cultu alienarentur. Nec ſolum Idola aurea, argentea, aut ærea conflare prohibet, ut figuram mutent; ſed diſtricte vetat, ne conflata illa metalla in ſuos uſus aſſumant, quoniam profanata ſunt. Quibus docet quantum abominetur idola; cum materiam, ex qua fuerant fabricata, pollutam dixerit, & pro anathemate voluerit habendam.

IV. Ut ad iſtorum mandatorum obſervantiam illos provocet Moſes, tria proponit eis in memoriam revocanda. I. Ingentia Dei erga illos beneficia; maxime quod, inquit verſ. 6. *Te elegit Dominus Deus tuus, ut ſis ei populus peculiaris de cunctis populis qui ſunt ſuper terram.* Non quod eſſent aliis populis valentiores & numeroſiores; imo infirmiores erant, & pauciores numero; ſed ex mera gratia & propter fœdus initum cum eorum patribus. II. Repræſentat Dei miſericordiam; maxime erga eum diligentes, &

Digitized by Google

hos, *qui cuſtodiunt præcepta ejus, in mille generationes* v. 9. ſeveramque, ac timendam illius juſtitiam; maxime quod, ait verſ. 10. reddat *odientibus ſe ſtatim, ita ut diſperdat eos, & ultra non differat, protinus reſtituens quod merentur.* III. Spondet quod, ſi divina mandata cuſtodiant, Deus diſperdat eorum adverſarios, *Nulluſque poterit reſiſtere tibi donec conteras eos*, v. 24.

At inquies, Quomodo cohæreant illa verba *verſ.* 10. quibus Deus dicitur ſtatim in prævaricatores animadvertere; cum his, quæ Apoſtolus ait ad Rom. 9. v. 22. *Suſtinuit in multa patientia, vaſa iræ apta in interitum &c.* Hinc David Pſalm. 72. verſ. 2. & Jeremias cap. 12. videntur conqueri de ipſa Dei longanimitate, quod non animadvertat in impios?

Reſpondeo, Omiſſis aliorum expoſitionibus hæc eſſe dicta, non de quibuſcumque iniquis & prævaricatoribus, ſed maxime de Iſraelitis, in quos Deus ſtatim animadvertit; ut conſtat exemplo Datan & Abiron *Exod.* 32. Mariæ ſororis Moſis *Num.* 12. & Iſraelitarum, quoties in Deum & Moſem inſurrexerunt. Quod egregie confirmat Auctor lib. 2. Machabæorum *cap.* 6. *a verſu* 22.

IN VIII.

PRoſequitur adhortationem ad divinorum præceptorum obſervantiam, tum propter Divina ſubſidia illis a Deo præſtita in deſerto; maxime, quod conceſſerit manna in cibum, aquas miraculo eductas in potum, & veſtimenta a corruptione, pedes a læſione ſervaverit, & ab ignitis ſerpentibus ſauciatos ænei ſerpentis beneficio ſanitati reſtituerit: tum propter ingentia beneficia, quæ brevi erant percepturi, fruendo bonis & fructibus terræ pinguiſſimæ. Monetque ut iis referti deliciis ſemper ſint Dei memores, idolorumque cultum abhorreant; alioqui exterminandi, ſicut Gentes, quarum regiones erant poſſeſſuri.

Obſervanda autem ſunt hæc verba v. 1. *Omne mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, cave diligenter ut facias, ut poſſitis vivere.* Quibus verbis populum Iſraeliticum admonet Deus, vitæ conſervationem & diuturnitatem maxime pendere ab obſervantia divinæ Legis; cum enim Deus ſit auctor vitæ, illius pariter eſt conſervator; qui pro ſuo arbitrio illam incolumem ſervat, atque ad ipſam fovendam alimenta neceſſaria ſubminiſtrat, maxime ſuis cultoribus, ſuorumque divinorum mandatorum obſervatoribus. Quamobrem David aiebat Pſal. 35. v. 25. *Junior fui, & non vidi juſtum derelictum, nec ſemen ejus quærens panem.* Ipſe pariter alimentis vim nutritivam tribuit, & aufert pro ſua voluntate; ut indicat illud Pſalmi 104. v. 16. *Et vocavit famem ſuper terram, & omne firmamentum panis contrivit.* Quod confirmat per Iſaiam, cap. 3. v. 1. *Ecce Dominator Dominus exercituum auferet a Jeruſalem, & a Juda validum & fortem; omne robur panis, & omne robur aquæ &c.* Idque indicare voluit in hoc capite Moſes v. 3. ubi Iſraeliticum populum Dei nomine alloquens ait: *Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum manna, quod ignorabas, tu & patres tui; ut oſtenderet tibi, quod non in ſolo pane vivit homo; ſed in omni verbo quod egreditur de ore Dei.* Quibus verbis ſignificat omnem alimentorum vim cœlitus eſſe acceptam; cum ipſum *Man*, tametſi cibus leviſſimus, attamen Deo ita volente, per annos 40. numeroſæ Iſraelitarum multitudini nutriendæ ſatis fuerit. Quamquam præfata verba etiam ſignificent hominis, nedum corpus nutriendum eſſe cibo materiali; ſed etiam ipſius animam reficiendam alimonia cœleſti, nimirum meditatione Verbi Dei; quo ſenſu illa videtur uſurpaſſe Chriſtus D. *Matt.* 4. *v.* 4.

Addit inſuper v. 4. in argumentum ſuæ erga Iſraelitas protectionis & benevolentiæ *Veſtimentum tuum quo operiebaris, nequaquam vetuſtate defecit, & pes tuus non eſt ſubtritus*: in quo Hebræi duplex agnoſcunt grande miraculum; quod ſcilicet per 40. annos non tantum non attrita fuerint Iſraelitarum veſtimenta; ſed & cum ſtatura creverint: adeo ut, quo grandiores fiebant, etiam augerentur veſtes eorum cæteraque illorum indumenta.

IN CAP. IX.

PErgit in hoc cap. Moſes exponere Iſraelitis, quantum Deo debeant, non ſolum pro tot ac tantis acceptis beneficiis; ſed & pro amplioribus, quæ paratus erat illis brevi largiri in occupatione terræ promiſſionis. *Audi Iſrael*, inquit; *tu tranſgredieris hodie Jordanem.* Ubi vox *hodie* non ſic eſt intelligenda, ac ſi eodem die, quo hæc proferebat Moſes, Jordanem eſſent tranſituri; ſed quod nulli ab illis impoſterum faciendi eſſent circuitus, nullæ peregrinationes; at, ubi moverent caſtra, recta profecturi eſſent ad Jordanem, illum brevi tranſituri. Ab illo namque tempore, quo hæc dicebat Moſes, ad Jordanis tranſitum, effluxerunt pene duo menſes. Nam Moſes adhuc per aliquot dies cum eis ſtetit, ut, quæ ex ſequentibus Deut. capitulis referuntur, eis exponeret: illo autem vita functo, luxerunt illum per triginta dies; quibus expletis Joſue miſit exploratores, qui luſtrarent regionem & urbem Jericho. Illi vero a Jericonthinis quæſiti abſconderunt ſe in domo Raab, a qua per muros emiſſi, nonniſi per varios circuitus redierunt ad Joſue. Quibus reverſis, Joſue movit caſtra verſus Jordanem, ibique per tres dies hæſit, ut turmas diſponeret, quatenus ordine ad pugnam comparato Jordanem tranſirent: quæ certe nonniſi per duos circiter menſes potuerunt impleri.

Ut autem conferendi a Deo beneficii in occupatione terræ promiſſionis magnitudinem in-

intelligerent Iſraelitæ, addit Moſes; *Ut poſſideas nationes maximas & fortiores te, civitates ingentes, & ad Cœlum uſque muratas, populum magnum atque ſublimem, filios Enacim, quos ipſe vidiſti, & audiſti. quibus nullus poteſt ex adverſo reſiſtere.* Ut autem eorum formidinem & terrorem perverteret Moſes, adiicit: *Scies ergo hodie, quod Dominus Deus tuus ipſe tranſibit ante te, ignis devorans atque conſumens, qui conterat eos & deleat, atque diſperdat ante faciem tuam velociter, ſicut locutus eſt tibi.*

Ut, inquam, præverteret illorum timorem & inanem jactantiam, quod ſuis viribus & bellica fortitudine tam formidandos hoſtes ſuperaſſent; admonet eos, *verſ.* 24. ne ſuæ virtuti, ſuiſque meritis adſcribant inſignes victorias & jam adeptas, & rurſus obtinendas adverſus gentes prævalidas & giganteæ ſtaturæ, quas Deus propter earum impietatem jam deleverat, & alias erat exterminaturus; neve dicant Iſraelitæ, *Propter juſtitiam meam introduxit me Dominus, ut terram hanc poſſiderem*, v. 4. perſæpe enim graviſſime in Deum deliquerant; adeo ut ita fuerit in eos iratus; ut, niſi Moſes proſtratus coram eo 40. diebus & totidem noctibus ejus miſericordiam exoraſſet, dubio procul ad unum periiſſent omnes, ut teſtatur *verſ.* 25. *& ſequent.* Dicens: *Jacui coram Domino* 40. *diebus ac noctibus, quibus ſuppliciter deprecabar, ne deleret vos, ut fuerat comminatus.* Ad quæ verba nonnulli Interpretes diſquirunt, utrum Moſes in monte coram Deo fuerit duabus quadragenis, an tribus, an autem illa? quæ hic memoratur, ſit cum ſecunda confundenda? Probabilius cenſeo tres eſſe quadragenas diſtinguendas. I. *Exod.* 24. *verſ.* 18. ubi dicitur Moſes aſcendiſſe in montem & fuiſſe ibi 40. diebus & 40. noctibus. II. Quæ memoratur tam hic, quam *Exod.* 32. *verſ.* 30. ubi, poſt interfecta viginti tria millia hominum ob cultum vituli aurei, Moſes ad populum dixit; *Peccaſtis peccatum maximum: aſcendam ad Dominum, ſi quomodo quivero eum deprecari pro ſcelere veſtro.* III. Vero, *Exod.* 34. ubi placatus Dominus jubet Moſi, ut duas iterum conficiat tabulas, in quibus ſcriberet eadem decem præcepta, quæ in prioribus tabulis confractis erant exarata: de hac enim refertur verſ. 28. *Fuit ergo ibi* (Moſes) *cum Domino* 40. *dies &* 40. *noctes: panem non comedit, & aquam non bibit.*

Hanc ſententiam confirmat R. Salomon ſcribens; *Tabulæ priores erant cum benevolentia; etiam poſteriores: ſed medii dies, quibus ibi ſtetit ad precandum pro vobis erant cum ira.* Cui conſonat Lyranus noſter; „ ſicut, „ *inquit*, prima quadragena fuit Moſi con-
„ ſolabilis, quia fuit ante aſcenſum Domi-
„ ni; ita & tertia, quia fuit poſt remiſſio-
„ nem peccati. Secunda autem, quæ fuit
„ intermedia, fuit triſtabilis; quia orabat
„ pro remiſſione peccati, nec erat certus
„ de eventu. Idque non obſcure indicat Moſes *cap. ſeq. v.* 10. ubi cum memoraſſet ſecundum ſuum in montem aſcenſum cum duabus novis tabulis, addit: *Ego autem ſteti in monte, ſicut prius*, 40. *diebus ac noctibus: exaudivitque me Dominus etiam hac vice, & te perdere noluit.* Quibus verbis ſuum aſcenſum, ut deprecaretur Dominum pro populo, indicat fuiſſe diſtinctum ab illo, dum placatus Dominus juſſit, ut duæ tabulæ conficerentur.

IN X.

QUatuor potiſſimum enarrat. I. Quidem denuo dolatas fuiſſe duas tabulas lapideas, in quibus Deus decem ſua mandata iterum exaravit, juſſitque eas in arca teſtimonii recondi. II Quod ordinante Deo deſtinavit Tribum Levi, ut ſacris miniſteriis adeſſet; quodque mortuo Aarone ſummo Pontifice illi ſuffectus ſit ejus filius Eleazar. III. Quod, etſi Deus Dominus ſit, utpote conditor cœli & terræ; ſitque *Deus Deorum, & Dominus Dominantium, Deus magnus, & potens, & terribilis*, verſ. 17. attamen dignatus eſt conglutinari Iſraelitarum patribus, amavit eos, elegitque ſemen eorum poſt eos, *verſ.* 1. IV. Licet Deus omnium curam gerat, viduis tamen, pupillis & peregrinis fovendis invigilat, *Et vos ergo amate peregrinos, quia & ipſi advenæ fuiſtis in terra Ægypti.*

Duplex, eaque gravis difficultas occurrit circa hæc verba verſ. 6. *Filii autem Iſrael moverunt caſtra ex Beroth filiorum Jaacan in Moſera, ubi Aaron mortuus & ſepultus eſt.* Quæritur enim I. Qua ratione dicantur Iſraelitæ tranſiiſſe de Beroth in Moſera, cum *Num.* 33. (ubi refertur ſeries & ordo ſtationum & caſtrametationum) *verſ.* 31. legamus, *Et de Moſeroth caſtrametati ſunt in Benejaacan.* II. Quomodo dicatur Aaron ibi mortuus & ſepultus, qui *Num.* 33. *v.* 38. *& Deuteron.* 32. *verſ.* 50. aſſeritur mortuus ac ſepultus *in monte Hor?*

Ad I. reſpondent plurimi cum Aben-Eſra, non eadem, ſed diverſa eſſe loca utrobique memorata; nec eamdem, ſed diſtinctam referri caſtrametationem. Verum nemini Hebraica verba *Moſera* & *Moſeroth* ſerio ponderanti veniet in mentem illa invicem aliter diſcrepare, quam quia illud eſt ſingularis, hoc pluralis numeri. Quamobrem omiſſis aliorum expoſitionibus minus ſolidis, cenſerem dicendum eadem quidem in utroque textu deſignari loca, ſed diverſas caſtrametationes; cum enim Iſraelitæ per 38. annos illo in vaſtiſſimo deſerto vagati fuerint, fieri potuit ut ad eadem loca ſemel & iterum acceſſerint, mutatis tamen viis: adeo ut prima vice a *Moſeroth* ad *Benejaacan*; altera vero a *Beroth filiorum Jaacan* ad *Moſera*; addita vero fuerit vox *Beroth*, quæ puteos ſignificat; quod in ſecundo ad eundem locum acceſſu ea parte venerint, ubi erant putei illi a filiis Jacan effoſſi.

Sic etiam hunc textum, *Et de Moſeroth caſtrametati ſunt in Benejaacan*, exponit Lyranus, „ Maſeroth autem, *inquit*, eadem

„ eſt manſio cum *Moſera*, ut dicunt He-
„ bræi; & *Beroth* filiorum Jacan cum *Bene-*
„ *Jacan*; quia Hebraice *Benei*, idum eſt quod
„ *filiorum*, & ſubintelligitut *Beroth*.

Ad II. dico montem *Hor* latiſſime pate-re, & ad ejus radices eſſe planitiem Moſera, ſeu Moſeroth, ubi conſiſtentes Iſraelitæ, plurimis diebus luxerunt Aaronem mortuum & ſepultum in montis vertice.

IN XI.

COmmendat exactam divinorum mandatorum obſervantiam, promiſſa bonorum omnium temporalium copia eorum præceptorum obſervatoribus; tranſgreſſoribus vero ſummam indigentiam, & varias calamitates prædicit. *En*, inquit, verſ. 26. *propono in conſpectu veſtro hodie benedictionem, & maledictionem: benedictionem, ſi obedieritis mandatis Domini Dei veſtri; maledictionem ſi non obedieritis &c.* Quod vero dicit ſe illis proponere benedictionem & maledictionem, tantumdem valet, ac ſi teſtatus eſſet, non ſimpliciter ſe docere, quod rectum ſit: ſed paratam eſſe mercedem ſi obediant; ſin minus, pœnam quoque inſtare.

Ut autem maledictionem declinent, recitat ſeveras Dei animadverſiones in Ægyptios, & in Dathanem & Abyronem, quos terra cum ſuis familiis vivos abſorbuit.

Ut autem ad ſui cultum & præceptorum obſervantiam vehementius illos ſtimulet; declarat eis qualis & quam ferax ſit terra in quam brevi ſunt ingreſſuri; atque v. 10. *Terra, ad quam ingrederis poſſidendam, non eſt ſicut terra Ægypti, de qua exiſti, ubi jacto ſemine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ: ſed montuoſa eſt & campeſtris, de Cœlo expectans pluvias, quam Dominus Deus tuus ſemper inviſit, & oculi illius in ea ſunt a principio anni uſque ad finem ejus:*
„ Hoc eſt, *inquit Lyranus*, longe fœcun-
„ dior eſt terra Ægypti, quia ad eam fœ-
„ cundandam non ſufficit pluvia de cœlo
„ deſcendens & ros: ſed requiritur quod
„ cum magno labore aquæ de fluvio Nili
„ per alveos deducantur, ſicut ſolet fieri in
„ hortis, in quorum cultura major labor
„ requiritur, quam in terra campeſtri. *Et*
„ *oculi illius in ea ſunt &c.*„ Ad dandum ro-
„ rem & pluviam ſecundum opportunita-
„ tem temporum, ſuppoſita tamen prædicta
„ conditione.

Hujus autem pinguiſſimæ terræ occupandæ latitudinem & longitudinem ſic declarat verſ. 24. *Omnis locus, quem calcaverit pes veſter, veſter erit; a deſerto, & a Libano, & a flumine magno Euphrate, uſque ad mare occidentale, erunt termini veſtri:* ubi per *mare Occidentale*, mediterraneum intelligit, ad diſtinctionem maris mortui; quod reſpectu terræ promiſſionis, erat orientale. Præmonuimus antea in promiſſionibus Abrahamo factis Iſraelitas hanc terræ amplitudinem non prius occupaſſe, quam temporibus Davidis & Salamonis: ideoque hæc plana ſunt & intellectu facilia.

At difficultatem non levem ingerunt hæc verba verſ. 29. *Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram ad quam pergis habitandam, ponet benedictionem ſuper montem Garizim, maledictionem ſuper montem Hebal.* Et petes quo ſenſu ſint intelligenda?

Reſpondeo, hujus textus expoſitionem eſſe petendam a capitibus 27. & 28. in quibus jubet Moſes, ut Jordane tranſmiſſo, Iſraelitæ conſiſtentes una cum arca fœderis inter montes Garizim & Hebal, non procul ab invicem diſſitos, vel duos diſtinctos ejuſdem montis vertices, ſex Tribus, nempe Simeon, Levi, Judas, Iſſachar, Joſephi, hoc eſt, Ephraim & Manaſſis, quæ hic pro una eademque nomine *Joſephi* ſignificantur, ſtarent in monte Garizim; ſex autem aliæ, nempe Ruben, Gad, Aſer, Zabulon, Dan, & Neptali, in monte Hebal, Sacerdotes autem excelſa voce converſi ad conſiſtentes in monte Hebal, fulminarent omnes maledictiones quæ ſcribuntur *cap.* 27. adverſus contemptores & prævaricatores divinarum legum: deinde vero reſpicientes eos qui ſtarent in monte Garizim, pronuntiarent omnes benedictiones deſcriptas *cap.* 28. & repoſitas iis qui Dei legem religioſe obſervarent. Mons autem Garizim propter ſuam amœnitatem & fontes hinc & inde ſcaturientes, opportunus erat locus excipiendæ benedictionis: Hebal vero ob ariditatem & ſterilitatem, maledictioni fulminandæ conveniebat.

Petes, cur in iſtis tam promiſſis, quam minis, tantum rerum temporalium meminerit Deus?

Reſpondeo, id convenientiſſime factum multis de cauſis. I. Quod populus ille adhuc rudis & agreſtis, utpote in Ægypto pecoribus paſcendis & coquendis lateribus deditus, ſpiritualibus bonis, aut malis alterius vitæ minus movebatur, quam præſentis deliciis, aut calamitatibus corporeis: quamobrem alliciendus fuit ad legis obſervantiam promiſſione bonorum quæ inhiabat, & minis, ac terrore miſeriarum & infirmitatum quas ſummopere timebat. II. Cum nondum vitæ æternæ, & futuræ reſurrectionis, ultimique judicii tam luculenta cognitio obtigiſſet, ſicut nunc affulget per Evangelium, Deus iſtis ſenſibilibus bonis, aut malis teſtari voluit, ſe vel propitium vel offenſum populo, ut eum vehementius ad legis obſervantiam iſtis corporeis ſtimulis incitaret. III. Cum Lex Moſaica Evangelicæ typus eſſet, & quæ in eis erant materialia & corporea, gratiam & beneficia ſpiritualia in nova lege conferenda præſignarent; inde eſt quod præmia temporalia legis cultoribus a Moſe propoſita; ſupplicia vero ejuſdem violatoribus intentata, præfigurabant æternam mercedem, vel pœnam in Evangelica lege probis aut improbis proponendam.

Digitized by Google

IN XII.

POſtquam adhortatus eſt Moſes univerſim ad divinorum mandatorum obſervantiam, jam incipit particulatim exponere quæ maxime erant ſervanda dicitque in hoc capite. I. Exterminanda eſſe omnia idololatriæ veſtigia, nempe aras, lucos, ſimulachra &c. ſubvertenda.

II. Sacrificia vero Deo offerenda non in omni loco, ſed in eo tantum quem ſpecialiter ad ſui cultum elegerit Dominus, nempe ubi arca fœderis requieſceret, *verſ.* 4. 5. & 6.

Petes, cur in uno duntaxat loco, & altari voluerit Deus offerri ſacrificia?

Reſpondeo, illum unicum ſanctuarium & unicum locum ad publicum ſui cultum idcirco elegiſſe. I. Ut ejus cultores diſtinguerentur ab idololatris, qui ſine locorum delectu ſuis falſis numinibus erigebant templa & idola, eaque pro ſua ſuperſtitione multiplicabant. Si autem Judæis liberum fuiſſet Gentilium inſtar pro arbitrio altaria erigere & ſacrificia offerre, facili negotio ad ſuperſtitioſum cultum declinaſſent. II. Ut conſuleret fidelium unitati, præcaveretque in religione diviſiones & ſchiſmata, quæ ex multiplicitate cultus ſolent oriri, dum unus cenſet hoc ritu, alter alio Deum eſſe colendum. Unicum vero illud apud Judæos ſanctuarium fuit illis inſtar vexilli ad colligendum populum ad unitatem fidei & divini cultus, & ne diverſitas in religione obreperet. Cum enim Iſraelitæ ter in anno convenire deberent ad locum, in quo repoſita erat arca fœderis, ibique nedum ſacrificia uni Deo offerre juxta ritum in lege præſcriptum; ſed etiam iſtius legis publicam recitationem & expoſitionem audire, nullus illis de religione diverſa ſentiendi patebat locus.

Tantus vero Iſraelitis tunc temporis inerat ſervandi unius Dei cultus amor & zelus, ut maxima iracundia exarſerint novem Tribus & dimidia Manaſſes contra duas Ruben & Gad, & alteram dimidiam Tribum Manaſſes, quod ad ſuos redeuntes, erexiſſent ingentem cumulum lapidum inſtar altaris, quod cum aliæ Tribus accepiſſent, miſerunt ad eas legatos qui eis dicerent, *Quæ eſt iſta tranſgreſſio? cur reliquiſtis Dominum Deum Iſrael, ædificantes altare ſacrilegum, & a cultu illius recedentes* &c. Joſue 22. verſ. 16. Jamque ad harum Tribuum exterminium novem illæ erant armatæ, niſi illæ ſe purgaſſent, dicentes quod tantum in monumentum fraternæ conjunctionis cumulum illum erexiſſent, non vero ad ſacrificia ibi peragenda.

III. Cum diſſitæ eſſent Tribus, aliæ cis, aliæ trans Jordanem, & unaquæque haberet ſibi neceſſaria, nec alterius ope & commercio egeret ad vitæ ſuſtentationem, unde fieri poterat inter eas animorum divulſio; neceſſum fuit ad illas fraterni amoris vinculo perpetuo uniendas, ut ad unicum ſanctuarium ſimul coeuntes, agnoſcerent ſe eodem Patriarchatum ſanguine procreatos, & ſuorum parentum inſtar, unius veri Dei cultui mancipatos.

At, *inquies*, Tabernaculum & Arca fœderis ante Davidis & Salomonis tempora fixam non habuere ſedem: nam quodammodo peregrinata ſunt, & perſæpe mutarunt locum, quamdiu Iſraelitæ Chananæos expugnarunt, ut illorum regionem invaderent. Deinde diutiſſime ſteterunt in Silo: *Joſue* 18. & *Jud. ultimo:* poſtmodum arca a Philiſtæis capta, & poſt ſeptem menſes reddita, primum quievit in domo Aminadab, dein in domo Obededom; poſtea in monte Sion, tandem in Salomonico templo. Igitur cum toto illo tempore arca certum ac determinatum locum non haberet, licitum erat alibi quam coram arca ſacrificare?

Reſpondeo, præceptum illud de ſacris nonniſi in loco quem Deus elegiſſet, peragendis, non ante obligaſſe, quam dum arca repoſita fuit in Jeruſalem, ſive in monte Sion, ſive in templo Salomonico eadem in civitate conſtituto. Tunc enim demum impletum fuit quod promiſerat Deus de loco ſacro eligendo, ut ſignificat David Pſalm. 121. *Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus. Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis Jeruſalem: illuc enim aſcenderunt Tribus Tribus Domini* &c. Atque huc pertinet quod Pſal. 77. dicit a Deo repulſum tabernaculum Joſeph, & Tribum Ephraim non electam, ſed Tribum Juda, & montem Sion quem dilexit. Hinc Pſal. 131. *Elegit Dominus montem Sion, elegit eum in habitationem ſibi*. Quibus & aliis ſimilibus conſtat arcam non prius certum habuiſſe domicilium, quam dum repoſita fuit in Jeruſalem, ſive in monte Sion, ſive in monte Moria, ubi extructum fuit templum Salomonicum, in quo deinceps oblata ſunt ſacrificia, & ſacra peracta.

Neque tamen exiſtimandum eſt nuſquam, niſi ubi arca eſſet, fuiſſe ſacrificatum; nam Samuel in excelſo immolavit 1. *Reg. cap.* 7. *verſ.* 9. David altare extruxit in Area Ornam Dei juſſu 1. *Reg.* 21. Elias in campo contra pſeudo-Prophetas 3. *Reg.* 18. &c. itaque præfata prohibitio intelligenda eſt de ſacrificiis ordinariis non alibi, quam ubi arca conſiſteret, offerendis.

IV. Jubet Moſes ad eundem locum deferri victimas, decimas & primitias, ibique manducari cum Sacerdotibus & Levitis, quibus ut ſuppeditentur neceſſaria, plurimum hic commendat *verſ.* 19.

V. Permittit, ut cum ſibi repromiſſam terram occupaverint, non teneantur amplius animalia ad eſum paranda, occidere circa Tabernaculum Domini, ut fieri ſolebat antea, quatenus ſanguis & adeps Deo libarentur, ſed liberum facit, ut quiſque in loco ſuo poſſit animalia ad eſum apta occidere & manducare; dummodo illa non fuerint oblata Domino, ſed illis veſcantur tamquam *Capra*, *&* *Cervo*, hoc eſt, tamquam feris ſylveſtribus e quibus non fiebat oblatio. *Hoc ſolum cave*, inquit verſ. 23 *ne ſanguinem comedas, ſanguis enim eorum pro anima eſt:*

eſt: & idcirco non debes animam comedere cum carnibus. Hanc quidem a ſanguine abſtinentiam præceperat Noe & poſteris ſtatim a diluvio *Geneſ. 9.* Verum ut plerique a divinis mandatis & ſincero veri Dei cultu paulo poſt degenerarunt, veriſimile eſt illos pariter promiſcuum cibum ſumpſiſſe, licet ſanguine intinctum. Quamobrem illam legem Iſraelitico populo ſæpiſſime inculcavit maxime *Levit.* 7. verſ. 26. & 27. *cap.* 17. a verſ. 10. ad 14. & 19. verſ. 27. in hoc autem Deuter. capite verſ. 15. 16. & a 20. ad 25. cujus utique præcepti finis fuit, homines a feritate & fundendo humano ſanguine cohibere, ut dictum eſt ad *Geneſ. 9.*

IN XIII.

CUm ad veram religionem ſtabiliendam & propagandam ſat non ſit ea ſtatui, quæ ad verum & ſincerum Dei cultum conducere videntur; ſed inſuper præcavenda ſint illa omnia quæ illius ſtatum everterent, & puritatem labefactarent: idcirco poſtquam Moſes in præcedentibus præſcripſit omnia quæ ad perfectum Dei cultum conferunt, indicat in hoc capite quæ potiſſimum ab eo poſſunt alienare, nimirum 1. larvata pietas: 2. ſanguinis, affinitatis, aut cum amicis vitioſa confœderatio: 3. perverſum multorum peccantium & impiorum exemplum; quibus periculis ut eat obviam Moſes, decernit primo cavendum eſſe a pſeudo-Prophetis, qui ſuis præſtigiis & prædictionibus populum ab avita pietate & religione abducere tentarent; jubetque ut ille quiſquis fuerit, continuo lapidibus obruatur. *Prophetam* autem hic vocat Moſes, eum qui vigilans a Dæmone afflatus, aut dormiens ab eodem per nocturna phantaſmata deluſus, aliquid tanquam a Deo impulſus in religione innovare contenderet, in cujus confirmationem aliquid præter naturæ ordinem moliretur; aut futurum quid prædiceret, quod firmaretur eventu; quæ certe neceſſum eſſet ope Dæmonum fieri, cum Deus non poſſit eſſe falſi auctor & approbator: falſos autem prophetas in erroris confirmationem plura poſſe ſigna & portenta edere docet Chriſtus D, Matth. 24. verſ. 24.

Hæc autem, inquit hic Moſes verſ. 3. interdum fieri permittit Deus. *Quia tentat vos Dominus Deus veſter, ut palam ſint utrum diligatis eum, an non, in toto corde, & in tota anima veſtra;* Gravis ſane tentatio, cum homines larvæ pietatis perfidiam tegentes, nova ingerunt in Eccleſiam dogmata, eaque confirmant ſignis extraordinariis quæ a veris miraculis diſcernere operoſum eſt. Gravior tamen dum quæ prænuntiant futura in ſignum ſuæ divinæ miſſionis, eventu comprobantur. Quis enim vaticinium eventu firmatum contemnet? cum Deus ipſe infra cap. 18. Hoc ſymbolo veros Prophetas a falſis diſcernendos eſſe pronuntiat his verbis. *Propheta autem qui arrogantia depravatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi illi, ut diceret, aut ex nomine alienorum Deorum, interficietur. Quod ſi tacita cogitatione reſponderis: quomodo poſſum intelligere verbum, quod Dominus non eſt locutus? hoc habebis ſignum: quod in nomine Domini Propheta prædixerit, & non evenerit: hæc Dominus non eſt locutus, ſed per tumorem animi ſui Propheta confinxit: & idcirco non timebis eum.* Unde Chriſtus D. Matth. 24. verſ. 11. prædicens graves calamitates quæ hominibus circa mundi finem evenient, inter cætera ait: *Multi Pſeudo-prophetæ ſurgent, & ſeducent multos.*

Itaque hoc inter verum & falſum Prophetam diſcrimen occurrit, quod licet aliquis impoſtor particulari vaticinandi dono interdum ſit præditus: non tamen continuo oracula profert; ſiquidem Balaam & Caiphas ſemel vere prophetarunt, at non fuerunt perpetuo veraces: imo ubi Deus permiſit ut ſemel vera dicerent, efficit deinde ut quæ futura non ſint prænuntient, ut majori dedecore & infamia notentur, dum populus videt illos futiliter eſſe locutos. Itaque ut falſi prophetæ diſtinguantur a veris, examinanda eſt. 1. Eorum vitæ ſanctitas & morum candor. 2. Si prædictiones & ſigna perpetuo invicem cohæreant. 3. Horum ſignorum ſcopus & finis, utrum ad majorem Dei gloriam, & morum puritatem conducant. 4. Quod maxime ſpectandum eſt, utrum prædictiones & ſigna cohæreant cum ſincera Eccleſiæ doctrina & fide a Majoribus accepta, nullumque in Eccleſiam ſchiſma invehant; quod enim ſcindit Eccleſiæ unitatem, religionem evertit.

Quoniam autem, qui nobis affinitate ſanguinis, aut amoris & amicitiæ vinculis connexi plurimum valent, ut nos ad ſua ſenſa pertrahant, fierique poſſet ut ſi quis ex eis aliquo errore faſcinatus, nos eodem imbuere tentaret, & a ſincero Dei cultu abducere: idcirco a *verſ. 6.* jubet Moſes, eum, quiſquis ſit, ſive frater, ſive conjux, ſive amicus, protinus abiici, & nullo habito amoris vinculi reſpectu, denuntiari Judicibus, ut eorum ſententia lapidibus obrutus intereat: more vero in lege præſcripto, denuntiator ille prius, in reum lapidem iniiciat, quia, inquit verſ. 10 *Voluit te abſtrahere a Domino Deo tuo, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo ſervitutis.* Grande quidem ſcelus eſt a vero Deo cognito deficere; ſed gravius divinum ſuum redemptorem vilipendere, & ab ejus amore & reverentia alios abſtrahere. Quamobrem abſolute pronuntiat eum abſque ulla prorſus miſericordia interficiendum.

Si vero malum latius ſerpat, & aliqui perverſi concives ſuos ad impietatem pelliciant, avertantque a Dei cultu, jubet Deus ut univerſus populus armata manu civitatem illam impetant, & ſine ullo ſexus, aut ætatis delectu, omnes illius incolas ad unum perdant; domos vero cum earum univerſa ſupellectili ferro flammiſque ſubvertant. Unde monemur quantum apud nos vigere de-

beat,

beat veræ religionis obſervantia, cum illius vindicandæ cauſa numeroſo noſtrorum etiam popularium cœtui minime ſit parcendum.

IN XIV.

PRrimo, ſevere prohibet Deus, ne Iſraelitæ mores Gentilium ſectentur, eorum maxime funebres ritus. Hi namque, ut dictum eſt ad *Levitic.* ut defunctis ſuis parentarent, ſolebant comam & ſupercilia tondere, carnem ſuam incidere, genas lancinare, & faciem ſtigmatibus fœdare, nedum mœroris, ſed & ſuperſtitionis cauſa, quam ut a populo amandaret Deus, hos nefarios ritus eis interdicit, utpote cum ſint *Filii Dei*, ejuſque peculiaris populus.

Secundo, declarat iterum quæ ſint animalia munda quibus veſci liceat, & a quibus abſtinendum de quibus dictum eſt in Levitico.

Tertio, vetat *verſ.* 21. eſum morticinii; permittit vero illud dare, aut vendere peregrino inter eos commoranti, dummodo non ſit proſelytus Juſtitiæ, & obſervandæ legi adſtrictus. Per *morticinium* vero intelligit cadaver animalis, quod vel fame, vel morbo periit, vel a feris diſcerptum fuit aut laniatum; quia animal illud ea ſpecie mortis quamdam contraxit immunditiem; unde contaminati cenſebantur qui carnem illam edebant. Illius tamen carnis eſum non fuiſſe humanæ vitæ noxium argumentum eſt, quod illam peregrinis vendi permiſerit Deus.

At, inquies, cur id potius permiſſum fuit cæteris, quam Hebræis?

Ratio eſt in promptu, quia Gentibus licitum erat omnibus cibis ad vitam fovendam conducentibus indifferenter veſci, cum nullum ipſis poſitum eſſet ciborum diſcrimen: quin potius quorundam ciborum prohibitio, una erat ea notis, quibus Iſraelitæ ab aliis populis ſecernebantur.

Quarto, jubet ut decimæ omnium fructuum offerantur Domino ab iis qui conſiſtunt in locis vicinis Tabernaculo fœderis: qui vero ab eo longius diſtabant, decimis illis venditis, pretium quiſque deferat ad miniſtros Tabernaculi, tum ut gratias Deo rependat pro acceptis beneficiis: tum ut ibi jucunde epuletur.

Quinto, præcipit ut tertio quovis anno alia ſeponatur decima, non quidem deferenda ad templum ſeu tabernaculum; ſed diſtribuenda tum Levitis, qui in eadem civitate, aut vicis verſantur; tum peregrinis, viduis, & aliis egenis. Quo ſenſu Tobias *cap.* 1. *v.* 7. dicitur miniſtraſſe ſingulis trienniis omnem decimationem.

IN XV.

DEclarat exercendam eſſe erga ære alieno gravatos, aut ſervitutis jugo mancipatos liberalitatem & clementiam. I. Septimo quoque anno remittendo gratis quæ mutuo fuerant accepta & debita ab Iſraelitis; licitum vero ea repetere ab exteris. Utrum vero illo anno ſeptimo ita fuerint remittenda omnia debita, ut nullum ſuperfuerit jus illa repetendi, nullaque impoſterum ea ſolvendi remanſerit obligatio, non conveniunt Interpretes. Communior quidem recentiorum Judæorum ſententia eſt, illa fuiſſe penitus dimiſſa; quod utique probant ex nomine *anni remiſſionis*; Eis concinunt e Chriſtianis, Abulenſis præſul & alii non infimi nominis Scriptores.

Oppoſitum vero docent Magiſter hiſtoriæ ſcholaſticæ, Hugo Cardinalis, & alii bene multi, quibus eo libentius ſubſcribo, quod id indicare videatur textus; nam *verſ.* 9. jubet Deus ne quis prætextu inſtantis anni remiſſionis mutuum petenti commodare detrectet: ridiculum vero fuiſſet aliquid alteri tradere titulo mutui, niſi repoſcere tandem licuiſſet; hoc enim non fuiſſet mutuari, ſed gratis concedere & abſolute donare. Solum ergo voluit Deus illo anno contentiones omnes & lites ceſſare, ne creditores ſuis debitoribus eſſent moleſti; ſed omnes in quiete & tranquillitate annum agerent: quamobrem illum appellat *Sabbatum remiſſionis*, ut ſignificaret quod ſicut in dierum Sabbato feriandum eſt ab omni opere ſervili: ita hoc anno temperandum eſt ab omni exactione. At ſicut elapſo Sabbato licet opera ſervilia reſumere; ita præterito hoc remiſſionis anno ſeptimo, licitum erat mutuo commodata expoſcere. Accedit quod duriſſimum fuiſſet Judæis, maxime tenacibus, & avaritiæ deditis, bona ſua aliis commodare nulla habita ſpe reverſionis; veriſimile autem non eſt Deum in aliis rebus eorum infirmitati & rudi genio indulgentiſſimum, in commodato hoc mutuo adeo ſeverum ſe præbuiſſe. Adde quod (inquit Paulus Burgenſis,) id videretur contra æquitatem & juſtitiam, qua quiſque tenetur reddere alteri quod ſuum eſt: unde Pſal. 36. *Mutuabitur peccator, & non ſolvet.* Nec valet dicere. „ Quod hæc remiſſio intelligitur quoad impotentes ſolvere tan„ tum; tum quia Scriptura indiſtincte loqui„ tur, dicens; *Cui debetur aliquid ab amico* „ *vel proximo ac fratre ſuo, repetere non po*„ *terit, quia annus remiſſionis eſt Domini*, „ non diſtinguens de potente, vel impoten„ te non ſolum in anno ſeptimo, ſed etiam „ in aliis temporibus non erat debitum repe„ tendum: Dicitur enim infra; *Si unus de* „ *fratribus tuis &c. ad paupertatem venerit:* „ *non indurabis cor tuum*, nec contrahes „ manum, ſed aperies eam pauperi, & da„ bis mutuum quo eum indigere perſpexe„ ris. Unde circa hoc aliter videtur dicendum.

Facit etiam pro prædicta ſententia quod infra in eodem capite dicitur: *Cum ibi venditus fuerit frater tuus Hebræus, aut He*„ *bræa, ſex annis ſerviet tibi, in ſeptimo an*-

„ no.

Digitized by Google

„ *ne dimittes eum liberum*. Non enim dimittebatur in anno Sabbatino terræ, ſed poſtquam ſerviiſſet per ſex annos, & ideo reddens rationem, quare Dominus ſervi non deberet graviter ſuſtinere hanc dimiſſionem, dicit; *Quoniam juxta mercedem mercenarii per ſex annos ſervivit tibi*. Ex quo patet quod ſi poſt breve tempus ſervitutis præciperetur liber dimitti, eſſet quid durum & grave: non ergo minus durum eſt totaliter debitum dimittere, quam ſervum emptum liberare. Quia tamen iſta lex remiſſionis debitorum ſic intellecta, ſicut Hebræi intellexerunt, eſt intolerabilis, per quam penitus claudebatur vis ad mutuandum: idcirco Thalmuldici antiqui quoddam fecerunt ſtatutum, per quod lex prædicta totaliter evacuabatur; & ſic impletur dictum Chriſti, Matth. 15. *Irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram*.

II. Jubet tanta miſericordia & liberalitate ſublevandam eſſe proximi egeſtatem, ut nullus inter eos appareat *indigens & mendicus*. Quod utique non contradicit verſ. 11. quo ait, *non deerunt pauperes in terra habitationis tuæ;* His enim verbis ſignificat, ſe non fruſtra juſſiſſe, ut ſublevandæ proximi indigentiæ invigilarent, ſeum ſemper apud eos eſſent futuri, qui eorum beneficentia egerent. Ut autem ad eam liberalitatem eos provocet, ſpondet Deum illorum terræ benedictum iri, ut in centuplum fructificet; unde fiet ut ille tanta affluat bonorum copia; ut poterit multis fœnerari, ipſe vero opus non habebit ab aliquo mutuum accipere, verſ. 6.

III. Præcipit ut populari ſubſidium petenti ſtatim conſerat, nullo habito reſpectu ad annum remiſſionis, quia Deus ſua benedictione pro debitore abunde ſatisfaciet ac providebit.

IV. Jubet *verſ.* 12. *& ſeq.* ut ipſo anno ſeptimo remiſſionis liberi dimittantur ſervi & ancillæ ex Iſraelitis; non tamen vacuis manibus: quoniam, inquit, verſ. 18. *Juxta mercedem mercenarii per ſex annos ſervivit tibi*.

V. Vetat ne quis adhibeat operi primogenitum bovis, neve tondeat primogenita ovium, quia Deo ſunt addicta, debentque illi offerri in victimas, dummodo nulla inficiantur macula, nullove laborent defectu; hoc enim ſi occurrat, non erunt traducenda ad tabernaculum Domini, ſed edentur a poſſeſſoribus in ſuis domibus.

IN XVI.

TRia præcipue jam ſæpius præſcripta revocat in memoriam nempe feſta Paſcharis, Pentecoſtes & Tabernaculorum quotannis celebranda: Agnum Paſchalem non omni loco, ſed ſolum in eo quem elegerit Dominus edendum, cum azymis per ſeptem dies, eliminato procul omni fermento.

I. Jubet *verſ.* 16. ut in tribus præfatis ſolemnitatibus maſculus quiſque rationis compos, viribuſque valens, maxime patres-familias præſentes ſe ſiſtant coram Domino, ubi nempe arca fœderis conſiſtet; idque non manibus vacuis, ſed ut oblationes faciant de bonis ſibi conceſſis, juxta cujuſque facultates.

II. Præcipit *verſ.* 19. *&* 20. ut in unaquaque civitate conſtituantur judices integerrimi, qui non attendant ad ſtatuum ac perſonarum diſcrimen, nec accipiant munera; *Quia munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba juſtorum*. Similia jam præſcripſerat, *Exod.* 28. *v.* 8. & *Levitic.* 19. *v.* 15. Ut inde noverint judices quantum Deo curæ ſit, ut cuique jus dicant, abſque ullo perſonarum reſpectu & delectu; nec ullis promiſſis aut minis ab æquitate deflectant. Nam cum eorum tribunal quaſi ſacrum ſit azylum, quo confugiant quicumque inique ſunt oppreſſi; nihil crudelius erit ſi ab iis vexentur atrocius, a quibus ſolatium erat expectandum. Creantur Judices qui maleficia, & noxas omnes, ac injuſtitias compeſcant: ergo ſi favent improbis, nullum erit frænum quo coerceatur iniquitas, & patrandis atrociſſimis quibuſque ſceleribus laxabitur habena; maxime ſi Judices illi excipiendis muneribus ſint avidi: nam ut avaritia radix eſt omnium malorum, ubi ſemel Judicum animos occupaverit, nulla ab eis expectanda erit juſtitia. Nullum enim magis exitiale venenum eſt ad extinguendam omnem æquitatem, quam ubi Judex muneribus ſe deliniri patitur. Unde merito Deus hic & alibi dicit muneribus excæcari cor ſapientum, & perverti judicium; nullum enim eſt tantæ perſpicaciæ lumen quod non ſuffocent, nec ulla tanta probitas, quam non evertant aut concutiant munera.

III. Vetat *verſ.* 21. ne plantetur lucus neque arbor juxta altare Domini ut facere ſolebant Gentiles circa templa & altaria ſuorum numinum: nempe Dæmonum; qui cum ſint principes tenebrarum, & operum tenebrarum ſuaſores, lucem averſantur, & receſſus ac latebras exquirunt: unde in antris & umbroſis locis fieri ſibi ſacra peroptabant.

IN XVII.

QUatuor continentur maxime notanda. I. Lapidibus obruendum qui a veri Dei cultu declinaverit ad colenda ſimulacra, Solem, Lunam, & cætera aſtra quæ hic verſ. 3. appellantur *militia Cæli*, triplici ratione. 1. Quod ingenti ſint numero, & exercitus inſtar varios in ordines, diſtinctaſque conſtellationes diſtributa. 2. Quod ad Dei nutum & imperium, uti milites ad ſignum ducis, lumen profundant aut abſcondant, faveantque aut noceant hominibus: hinc Debora *Judic.* 5. *v.* 20. gratias Deo re-

pen-

pendens ob victum Siſaram; *De Cœlo dimicatum eſt contra eos: ſtellæ manentes in ordine & curſu ſuo adverſus Siſaram pugnaverunt.* 3. Quod more militum videantur ſemper excubiaa agere, ſuique divini ducis maodatum præſtolari. Unde Baruc 8. v. 34. *Stellæ dederunt lumen in cuſtodiis ſuis, & lætatæ ſunt: vocatæ ſunt, & dixerunt: adſumus.* Angeli quidem *Luc.* 2. dicuntur *multitudo cœleſtis exercitus*: At non de illis, ſed de aſtris hic eſt ſermo.

II. Præſcribitur forma Judicii capitalis, nempe *in ore duorum vel trium teſtium peribit, qui interficietur: nemo occidatur, uno contra ſe dicente teſtimonium.* Quia enim nimia credulitas ſæpe Judicem impelleret ad inſontes damnandos, huic periculo occurrit Deus, verans crimen puniri, niſi firmis teſtimoniis fuerit probatum duorum ad minus teſtium; nimis enim periculoſum eſſet unius duntaxat hominis teſtimonio ſubiici cujuſque vitam: ubi vero duo teſtes ſeorſim examinantur, facile deprehendi poteſt, ſi qua latet falſitas.

Hæc autem divina conſtitutio etiam jure Gentium recepta eſt; cum hoc tamen diſcrimine, quod in lege Cæſarea duo ad minus requitanrur teſtes præter accuſatorem; hujus enim teſtimonium nihil probat: in lege autem divina duo ſufficiebant teſtes, licet uterque eſſet accuſator, ut apparet ex Judicio adverſus Suſannam *Danielis* 13. ubi duo ſenes accuſatores ſimul & teſtes adverſus eam auditi ſunt, & ex illorum teſtimonio ſententia mortis in eam eſt decreta. Inde eſt quod cum ſupra cap. 13. *v.* 9. decernatur ut denuntiator falſi prophetæ primus in eum mittat lapidem, hic ſtatuitur verſ. 7. *Manus teſtium prima interficiet eum &c.*

III. Decernitur quod ſi qua gravis oriatur controverſia inter Judices in civitatibus conſtitutos circa *ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & lepram*; ne illa contentio ſeditiones & jurgia inter cives pariat, recurratur ad ſupremum tribunal conſtitutum ubi requieſceret arca fœderis, maxime *ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem qui fuerit illo tempore... qui indicabunt tibi Judicii veritatem.* verſ. 9. ubi nomine *ſanguinis*, non veniunt intelligendæ lites inter parentes & conſanguineos exortæ; ſed, vel fundendus ſanguis ex capitali adverſus aliquem ſententia: utrum nampe ille plectendus ſit morte, & quo genere ſupplicii perimendus: vel ſanguis in homicidio effuſus, num videlicet homicidium illud voluntarium fuerit, & ſine mora puniri debeat; an involuntarium, & mereatur locum receptua in aliqua ex urbibus refugii.

Nomine *Cauſæ* ſignificantur tum lites pecuniariæ, tum quæ oriuntur ex verborum contumeliis; quarum pœna erat arbitraria, & poterat ab uno maior, ab alio minor irroganda cenſeri. Nomine vero *Lepræ* indicatur illa corporis rabes, quæ illud inficiat & corrumpat: quoniam vero medici ſæpe dubitant quæ ſint veræ iſtius morbi notæ, ſitque, aut non ſit contagio metuenda; idcirco in iſtis definiendis ineſſe poterat Judiciorum gravis diſſentio; quæ ut ſopiretur conveniendi erant Sacerdotes qui in Senatu erant, & eruditiſſimi tum in lege, tum in rebus naturalibus habebantur. Cum enim operam ſuam non ponerent in agris excolendis; quippe qui nullam terræ portionem haberent; eis per tempus licebat iſtis ſtudiis incumbere: hi vero auditis partibus contendentibus, & re examinata, quid de ea cenſerent, deferebant ad Senatum, & ex ejus decreto reſpondebant, quid de re controverſa ſentiendum eſſet. Partes vero litigantes tenebantur acquieſcere Judicum ſententiæ, adeo ut nulla ratione licitum eſſet illi obluctari. Ut decernitur. *v.* 11.

Quoniam vero fieri poterat ut quis contumaciter, quæ a ſupremo Senatu, cui ut plurimum præerat Pontifex, fuerant decreta, ſperneret; idcirco decernitur, verſ. 12. *Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto Judicis, morietur homo ille.* Graviſſimum enim peccatum erat iſta contumacia, quo digitum intendens S. Cyprianus epiſt. 55. *Non aliunde*, inquit, *hæreſes obortæ ſunt & nata ſchiſmata, quam inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos & ad tempus Judex vice Chriſti cogitatur, cui ſi ſecundum magiſteria divina obtemperaret fraternitas univerſa, nemo adverſus Sacerdotem collegam quidquam moveret.* Hanc autem mortis pœnam adverſus perduelles & contumaces, Eccleſia ſanguinem averſata, in excommunicationem commutavit, ut obſervat S. Auguſtinus in hunc librum, *Hoc* inquit, *nunc agit in Eccleſia excommunicatio, quod agebat tunc interfectio.* Et lib. de fide & operibus, cap. 6. *Phinees Sacerdos adulteros ſimul inventos ferro ultore confixit; quod utique degradationibus & excommunicationibus ſignificatum eſt eſſe faciendum hoc tempore:*

IV. Præſcribuntur conditiones eligendi aliquando Regis. 1. ut non aſſumatur ex alienigenis, ſed ex indigenis; quia ex Gentilibus aſſumptus Deos patrios obtrudere conaretur, ſicque potentia regali vi & terroribus oppreſſa ac peſſumdata eſſet vera Religio. 2. *Ut non multiplicet ſibi equos, nec reducat populum in Ægyptum*: In Judæa erat aſinorum copia, & inopia equorum; unde principes & magnates aſinis vehebantur *Judic.* 10. *v.* 4 & 12. *v.* 14. & 1. *Paralip. c.* 27. *v.* 30. Ægyptus vero equis abundabat. 3. *Reg. c.* 10. *v.* 28. unde timendum erat, ne equorum comparandorum amore & deſiderio populus ad Ægyptios declinaret. Hic tamen poteſt etiam ſenſus admitti ut Rex nimiam equorum copiam ſibi non compararet, ne ubi equis abundabit & equitibus, numeroſo exercitu Ægyptum regionem uberrimam aggrediatur; populus vero iſtius terræ ubertate illectus, iterum ibi vellet immorari: Cæterum ne ab optimis quidem Regibus hæc de equorum paucitate lex ſervata fuit, tantum valet etiam adverſus leges principum exemplum & auctoritas.

3. Quod non multiplicet ſibi uxores ingenti numero, ut facere ſolebant Orientales principes Ethnici, qui plura habebant fœminarum mil-

millia, potius ad oſtentationem & pompam, quam ad propriam voluptatem, & ad humani generis multiplicationem. 4. Prohibetur ne Rex electus exquirat *auri & argenti immenſa pondera*, id enim vix fieri poteſt ſine violentis eaactionibus & maxima ſubditorum oppreſſione. Deinde ingentes Regum theſauri plerumque illorum ſuperbia inflant animos, ut regnorum ſuorum limites in vicinorum præjudicium & deprædationem injuſte protendant. Sunt inſuper libidinis & intemperantiæ irritamenta, & quidquid audendi & aggrediendi audaciam accendunt. Voluit igitur Deus hac lege veluti repagulo principum cohiberi animos, ne diteſcendi ſtudio, populi ſanguinem eahauriant, & ne divitiis ſuis nimium inflati ſuperbiant.

His tamen non prohibentur divitiæ a regibus congerendæ, vel ad Dei culmm, vel ad regni proſperitatem & tutelam; David enim plurimas collegit opes ex hoſtium ſpoliis ad templi ædificationem, 1. *Paralip.* 22. & Joſaphat pio Regi ingentes fuerunt divitiæ, 2. *Paralip.* 17. Et Ezechias vir ſanctiſſimus ampliſſimos habuit theſauros, 2. *Paralip.* 32. at eas opes non coacervabant ad oſtentationem & volnptatem; ſed ut ad divinum cultum ſplendidius agendum, majoremque populi ſecuritatem procurandam eas impenderent. Unde tritum apud Hebræos erat effatum *omnes theſauri Iſrael Dei ſunt*. Hinc, qui ampliſſimas habebant opes, eas reponebant in templi ærario, ut refertur 2. *Machab.* 3. *v.* 11.

Tandem ſtatuitur *v.* 18. ut rex ſuam poſt inaugurationem ſtatim deſcriberet Deuteronomii legem, tum ut eam melius calleret; firmius enim hærent memoriæ, quæ a nobis ſcribuntur; tum ut ſacrum Codicem frequentius haberet præ manibus: tradunt enim Hebræi, referente Fagio, regem non debuiſſe hunc Codicem deponere, ſive pergeret ad bellum, ſive ſederet in judicio, ſive adeſſet convivio; ſed tantum cum eſſet decumbendum, vel exonerandus venter. Hunc vero Codicem, non ex quolibet exemplari deſcribere tenebatur, ſed ex eo quem habebant Sacerdotes, utpote qui ſincerior eſſet, & emaculatior. Aliquid vero ex eo diebus ſingulis legere tenebatur *v.* 19. triplicem ob finem 1. *Ut diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba & cæremonias ejus.* 2. *Ne elevetur cor ejus, in ſuperbiam ſuper fratres ſuos.* Hoc eſt, ne faſtu inflati fratres ſuos ſeu ſubditos ejuſdem cum eo humanitatis & religionis deſpiciat atque opprimat. 3. *Ne declinet ad dexteram vel ſiniſtram*, perverſas a lege, quæ rectam viam demonſtrat, exceptiones exquirens, ut genio ſuo indulgeat.

IN XVIII.

TRia præcipue ſtatuuntur. I. Cum Tribus Levitica nullam ex Dei ordinatione deberet habere partem in diſtributione terræ promiſſæ; neceſſum fuit aliunde providere de iis quæ ad illius ſuſtentationem erant neceſſaria. Quapropter in hujus capitis initio decernit Deus bonorum omnium decimas ab Iſraelitis ſolvendas eſſe Sacerdotibus & Levitis, qui inſuper partem haberent in oblationibus & ſacrificiis. Idipſum ſæpius antea ſanxerat; ſed quoniam magnopere intererat, ut præceptum hoc eaecutioni mandaretur; ne id videretur grave, tres profert rationes. I. Quod hæc Tribus nullam habeat partem in hæreditate, ad quam tamen vi ſuæ nativitatis jus cum aliis habebat. 2. Quia Deus eos conſtituerat miniſtros cultus ſui in quos tranſtulerat decimam partem, quam jure veluti regio, & ratione ſui ſupremi dominii, ſibi ut annuum vectigal vendicabat. 3. Quia loco & vice totius populi ſacris intererant, dum alii rebus temporalibus & negotiis ſuis vacarent: dignus autem eſt operarius mercede ſua.

Ne vero Sacerdotes & Levitæ ex oblationibus & ſacrificiis auferant pluſquam par ſit, ut factum legitur a filiis Heli 1. *Reg.* 2. *verſ.* 22. qui eo impietatis & petulantiæ proruperant, ut prædonum inſtar violenter ex oblationibus & victimis raperent quidquid eis libido ſuggerebat; ut huic turpi & ſacrilego quæſtui occurrat Deus, præſcribit quas ex victimis partes ſibi vendicare debeant ſacri miniſtri; nimirum ex quolibet animali oblato duas partes, armum ſcilicet & ventriculum, hebraice *Genas* &c. Rabini enim diſtinguunt pecus in tres partes, nempe caput, pedes, & truncum ſeu corpus. Ex qualibet aliquid Sacerdotibus concedi debebat; de pedibus ſeu cruribus, armus dexter; de capite, utraque maailla cum incluſa lingua, & de corpore ſtomachus, aut ſacculus in quo colligitur lac fœtui neceſſarium.

Cum autem Sacerdotes & Levitæ plures eſſent, quam ut eorum omnium opera ſimul opus eſſet in ſacris miniſteriis: idcirco diſtributi ſunt a Moſe varias in civitates & diſtincta oppida; deinde vero a Davide 1. *Paralip. cap.* 24. diſtinctas in claſſes, ut per vices ſacerdotalia, & levitica munera obirent, ſi quis tamen Sacerdos aut Levita pietatis cauſa vellet ſeſe ſacris miniſteriis continuo obeundis devovere, jubet hic Deus ut fiat particeps beneficiorum omnium quibus potiebantur, qui ſuis vicibus miniſtrare in Tabernaculo, vel Templo tenebantur.

II. *A verſ. 9. ad* 14. Deus cavere jubet, ne Iſraelitæ Chananitidem ingreſſi, ab illius incolis quidquam pravitatis & contagionis contrahant, nedum ab idololatrico eorum cultu, ſed & a perverſis artibus, quibus Dæmon miſeros illos homines faſcinaverat & dementarat. 1. Quidam eorum qui liberos ſuos vel eapiationis & purgationis cauſa traiiciebant per flammas accenſas in altari coram idolo Moloch: vel quod horribilius erat & crudelius, eos comburebant ut victimas, in honorem Deorum illorum quibus ſe addiaerant, 2. Eorum, qui ut ſciendi pluſquam fas eſt, cupidinem explerent, varia uſurpabant divinationum genera, quorum

Digitized by Google

rum quinque potiſſimum ſpecies hic enumerat Moſes. *Primo*, ſomniorum obſervatores, qui ex ſomniis vane & ſuperſtitioſe conjectant futuros eventus, nullam habentes connexionem cum cauſis naturalibus a quibus procedunt. *Secundo*, qui captant auguria, quales ſunt ii qui dicuntur Aſtrologi judiciarii, fanatici nempe illi qui ex vario aſtrorum ſitu rerum eventus ſe detegere hariolantur. *Tertio*, Præſtigiatores, qui oculos ſpectris objectis perſtringuunt ac deludunt. *Quarto*, Incantatores, qui ſuſurris quibuſdam & muſſitationibus ſtupenda quædam operantur: hebraice quidam legunt, *colligens colligationem*; hoc eſt, vel qui Dæmones evocant, vel qui ſuggerunt imaginatios illos conventus, ad quos miſeri homines, a Diabolo faſcinati, ſe deduci exiſtimant, ut ſimul epulentur, choreas agant, & veſanis quibuſque voluptatibus ſeſe ingurgitent. *Quinto*, Pythonem conſulentes, quo nomine ſignificantur, quicumque Dæmonem eliciunt ad danda reſponſa; ſive illa proferat ex Pythonis ventre, ſive ex ore, ſive ex alicujus mortui repræſentatione: cujus impietatis & fallaciæ exemplum habetur 1. *Reg. cap.* 28. *verſ.* 7. de Pythoniſſa quæ Samuelem mortuum Sauli Regi oſtendit, *&* *Actor.* 16. *verſ.* 16. in illo ſpiritu Pythonico quem S. Paulus e mulieris corpore ejecit.

Hos autem Dæmone afflatos, idcirco *Pythonicos* appellarunt Gentiles, quod apud illos celebria eſſent Pythii Apollinis oracula. *Sexta*, tandem damnatur necromantia ſeu fallax vaticinandi ſcientia ex mortuorum reſponſis; quod utique variis modis fiebat ſive dormiendo juxta ſepulchra mortuorum, ut eos loquentes in ſomniis audirent; ſive Dæmonum ope eos evocando; ut ad petita reſponderent: ſive voces e tumulis edendo, quas ipſi mortui, vel potius eorum loco Dæmones efformabant. Sic variis magicis artibus Chananæos Demon ludebat, a quibus imprimis ut Iſraelitæ caveant hic diſtricte præcipit Deus, ne eandem exciſionis pœnam incurrant, quam nòn multo poſt paſſuri erant Chananæi.

III. Quoniam ſæpiſſime dixerat Moſes ſe brevi moriturum, ne quereretur Iſraeliticus populus ſecum durius agi, ſi omnibus vaticiniis deſtitueretur, nullamque ſibi patere viam qua res ignotas & futuras poſſet deprehendere; huic querimoniæ ut occureret Moſes, ſpondet eis a Deo concedendos ſemper Prophetas quos illi in dubiis poſſent conſulere, dummodo ſint divinæ legis fideliſſimi cultores. *Prophetam*, inquit, *de Gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus:* quæ verba nonnulli ad Joſue referunt, alii ad alios qui deinceps Moſi ſucceſſerunt, per quos Deus Iſraelitico populo voluntatem ſuam ſignificavit: quibus, inquiunt, non obſtant hæc verba Deuter. ult. verſ. 10. *Non ſurrexit ultra Propheta in Iſrael ſicut Moyſes*; quia ſimilitudo illa ſpectanda non eſt circa dignitatem perſonæ & opera patrata, ſed circa miniſterium prophetandi, & annuntiandi voluntatem Dei hominibus.

Hunc quidem textum de Chriſto D. exponunt S. Petrus *Act.* 3. *verſ.* 22. & S. Stephanus *Act.* 7. *verſ.* 37. Tertul. a S. Cyprianus b. Quin etiam iſtis verbis ſolum Chriſtum eſſe deſignatum probat Euſebius Cæſarienſis c. Eamdem ſententiam habuiſſe videntur Synagogæ principes, cum legatos miſerunt ad S. Joannem Baptiſtam, ut inquirerent an eſſet ille Propheta quem Moſes prædixerat venturum.

a *Lib.* 4. *contra Mar.* c. 22.
b *Lib. contra Judæos cap.* 17.
c *Lib.* 3. *demon. Evang.* c. 2. *&* *lib.* 9. c. 11.

Exiſtimarem ego cum Lyrano, Abulenſi & aliis, iſtum vaticinium intelligendum quidem de omnibus Prophetis quos ſubinde populo ſuo Doctores addidit Deus: præcipue vero de Chriſto D. qui omnium Prophetarum fuit maximus, & in quem potiſſimum Prophetarum oracula collimarunt.

Quod autem additur *verſ.* 18 Prophetam illum ſuſcitandum de medio Iſraelitarum, futurum ſimilem Moſi, id non eſt intelligendum de omnimoda ſimilitudine, alioqui vaticinium iſtud in Chriſtum non quadtaret; ſed tantum de ſimilitudine typica & analogica: erat enim Chriſtus ſimilis Moſi, ſicut corpus umbræ, veritas figuræ, exemplar imagini: fuit enim Moſes in plurimis typus Chriſti: ſicut enim ille populum Iſraeliticum liberavit a ſervitute Ægyptiaca; ſic Chriſtus humanum genus a Dæmonum captivitate: ſicut Moſes traduxit Hebræos in terram promiſſionis per mare rubrum ſubmerſis Ægyptiis; ſic Chriſtus ad ætetnam fœlicitatem nobis viam pandit per baptiſmum deletis peccatis: ſicut Moſes pavit populum pane cœleſti in deſerto, ſic in hujus vitæ ſolitudine Chriſtus panis vivus qui de Cœlo deſcendit, cibat nos corpore & ſanguine ſuo, atque Evangelica doctrina, quæ eſt Panis vitæ & intellectus.

Addit Moſes, nomine Dei, v. 22. ſignum quo verus propheta diſcerni poſſit a falſo; nimirum *ſi quod prædixerit, & non evenerit, hoc Dominus non eſt locutus; ſed per tumorem animi ſui Propheta confinxit.* At, inquies, etiam veri Prophetæ interdum multa prænuntiant futura, quæ tamen non eveniunt; ſic Iſaias *cap.* 38. Denuntiavit Ezechiæ Regi ægrotanti, *Hæc dicit Dominus: diſpone domui tuæ, quia morieris, & non vives.* Similiter Jonas *cap.* 3. ingreſſus Ninivem juſſu Dei clamavit: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur*, quæ prædictiones non evenerunt. Igitur cum etiam veri Prophetæ interdum futura prænuntient, quæ non eveniunt, præfato ſigno diſcerni non poſſunt a falſis.

Nodum hunc ut ſolvat Lyranus noſter, cum dixiſſet; „ Sciendum quod propheticæ
„ revelatio eſt quædam impreſſio cognitionis
„ divinæ in mente Prophetæ. Futurum au-
„ tem contingens dupliciter diſtinguitur a
„ Deo: uno modo prout intuitus divinæ co-
„ gnitionis fertur circa rem futuram, quam
„ videt ut præſentem; eo quod intuitus di-
„ vinæ cognitionis menſuratur æternitate,
„ quæ complectitur omne tempus: Et quod
„ ſic præcognoſcitur futurum, infallibiliter
„ evenit. Alio modo ſecundum ordinem &
„ diſpoſitionem cauſæ ad effectum qui ſe-

Digitized by Google

„ queretur naturaliter, niſi præpediretue
„ divinitus: *Addit* hoc modo fuit de Pro-
„ phetis prædictis: infirmitas enim Ezechiæ
„ erat diſpoſitio ad mortem; & malitia Ni-
„ nivitarum meruerat civitatis ſubverſio-
„ nem: tamen propter preces Ezechiæ, &
„ pœnitentiam Ninivitarum, facta eſt mu-
„ tatio cauſarum; & conſequenter effe-
„ ctuum. Talis autem prophetia vocatur
„ a Doctoribus, *Prophetia comminationis*,
„ quia ſubintelligitur conditio; nempe quod
„ Ninive ſubverteretur, niſi Ninivitæ pœ-
„ niterent; & quod Ezechias moreretur,
„ niſi per preces devotas prolongationem
„ vitæ impetraret, & ſic factum eſt: Ex
„ quibus patet quod Iſaias & Jonas falſum
„ non prædixerunt.

At, inquies; cum uterque Propheta nomine Dei ſua vaticinia abſolute pronuntiarint, ut futura; qua ratione diſcerni poterit res prædicta ſub conditione, ab illa quæ abſolute eventura eſt?

Reſpondet Lyranus, quod „ quando pro-
„ nunciatum a vero Propheta non eſt ven-
„ turum, propter mutationem cauſæ; hoc
„ conſequenter revelatur ipſi Prophetæ ſicut
„ Iſaiæ poſt denuntiationem mortis Ezechiæ
„ dictum fuit a Domino: *Vade, & dic Eze-*
„ *chiæ: Hæc dicit Dominus Deus: audivi ora-*
„ *tionem tuam, & vidi lacrymas tuas, ecce*
„ *ego adiiciam ſuper dies tuos* xv. *annos*. „
„ Et eodem modo ipſi Jonæ fuit revelata
„ miſeratio Domini ſuper Ninivitas propter
„ eorum pœnitentiam, quod non fit falſis
„ prophetis. Alio etiam modo diſtinguitur
„ per mutationem cauſæ effectus futuri, ſicut
„ pœnitentia Ninivitarum fuit omnibus no-
„ ta. Ex quo poterat conveniens videri ſub-
„ verſio civitatis pro tunc revocata, & ſi-
„ militer de fletu & precibus Ezechiæ; at
„ idem non evenit falſis prophetis. *Ita Lyranus.*

IN CAP. XIX.

QUatuor ſtatuuntur in hoc capite. I. Tres civitates refugii, æqualiter diſtantes, conſtituendæ trans Jordanem, ſicut *cap.* 4. *v.* 21. tres jam fuerant conſtitutæ cis Jordanem. Sunt tamen qui exiſtimant trans Jordanem, quod amplior eſſet regio, ſex fuiſſe conſtitutas, eo quod hic *verſ.* 9 adiiciatur. *Addes ibi tres alias civitates, & ſupradictarum trium urbium numerum duplicabis.* Verum probabilius dicendum arbitror, hæc eſſe dicta reſpective ad tres illas civitates cis Jordanem jam conſtitutas; ex Hebræorum enim doctorum ſcriptis & traditione conſtat, ſex tantummodo civitates fuiſſe deſignatas, ad quas poterant confugere qui hominem præter voluntatem occiderant; ut dictum eſt ad *cap.* 35. *Numer.*

II. Deſignantur indicia quibus deprehendi poſſit homicidium illud fuiſſe involuntarium; nempe ſi nullum inter eos odium prius interceſſerit, nullæ contentiones, & rixæ.

III. Præſcribitur unicum teſtem non eſſe ſufficientem ad ferendam capitalem ſententiam, *Sed in ore duorum aut trium teſtium ſtabit omne verbum.*

IV. Conferendum eſſe teſtem accuſatorem cum accuſato, ut certius accuſationis veritas conſtet; ſi autem Judices, exploratione facta, deprehenderint teſtem ſeu accuſatorem falſa dixiſſe, *reddent ei, ſicut fratri ſuo facere cogitavit*, *v.* 19. quibus verbis præſcribitur pœna quæ dicitur *talionis*.

V. *Verſ.* 14. Prohibet transferendos eſſe præfixos a majoribus cujuſque poſſeſſioni terminos: qui enim terminum fraudulenter avellit, hoc uno ſceleris convictus eſt, quod Dominum legitimum ex quieta agri ſui poſſeſſione deturbare contendit. Gravius vero peccat, qui metas agri ſui cum alterius diſpendio longius producit; crimen enim multiplicat, & falſitati furtum adiicit: fures enim cenſentur non modo qui pecuniam, aut alia proximi bona invadunt, ſed & qui fundos alienos injuſte occupant.

VI. Jubet eodem loco haberi falſos teſtes ut homicidas, eoſque pœna talionis puniendos imperat a *verſ.* 10. *ad finem* capitis. Eorum autem examen fieri mandat non tantum a Judicibus, ſed etiam a Sacerdotibus tanquam *Deo præſente*: Qua circumſtantia ſignificat non audiendos teſtes, niſi prius diligentiſſima de illis fiat inquiſitio, ne error, aut falſitas in judicium obrepat.

IN XX.

PRoponuntur conditiones ineundi belli adverſus Gentiles conſiſtentes extra limites Chananitidis & terræ promiſſionis. I. Ut Sacerdos ſive ſummus, ſive alius ab eo delegatus, in capite exercitus conſiſtens hortetur omnes, ut ſpem ac fiduciam in Deum reponant; ſintque perſuaſi, quod qui ſubmerſit Pharaonem & exercitum ejus in mari rubro, totque mirabilia in eorum gratiam edidit, glorioſam de ſuis hoſtibus victoriam ſubminiſtrabit.

II. Ut belli duces ab exercitu remittant quatuor hominum genera ineundo certamini minus idonea. 1. Eum qui domum ædificatam non dedicavit, Hebraice; non *initiavit eam*, ſive ſolemni convivio, ſive ſua inhabitione. 2. Eum qui *plantavit vineam, & necdum fecit eam eſſe communem*, Hebraice *necdum profanavit eam*; hoc eſt, nondum ejus fructum uſualem habuit; quod utique non fiebat niſi quinto anno ab illius plantatione; nam ut præſcribitur *Lev.* 19. *v* 23. Fructus trium primorum annorum cenſebantur immundi, nec licebat eos tangi, tum quod idolis ſolerent a Gentilibus offerri; tum quod eſſent adhuc rudes & immaturi: quarto autem anno debebant conſecrari Domino, ſicque non niſi quinto licebat eis veſci, & in

communem uſum illos aſſumi. 3. Eos qui virginem deſponderant, & necdum eam tetigerant, nec in domum induxerant, ne forte illius cauſa vitæ ſuæ conſulentes, minus ſtrenue pugnarent. 4. Qui erant meticuloſi, ne periculum ſibi ab hoſtibus imminere videntes, fugiendo turbarent ordines aliiſque certamen detrectandi fierent occaſio. Hi vero in bello libere adverſus cæteros ſuſcepri tenebantur ad exercitum deferre cibaria, & ad ducum imperium in omnibus famulari. In bello autem neceſſario, ſeu dum reſiſtendum erat hoſtibus aggredientibus, nullus erat a certamine liber.

III. Jubet in legitimis bellis obviandum eſſe ſævitiei, & abſtinendum a cædibus quoad fieri poterit. Quamobrem præcipit, cum ad oppugnandam urbem venerint, ante omnem militarem expeditionem hortentur cives, ut deditione facta pacem redimant. Quod ſi fecerint, abſtinendum erit a cædibus & hoſtili incurſione, ſolumque eis imponendum erit tributum. Hanc æquitatem naturaliter inditam, aut ab hac divina conſtitutione acceptam ſervarunt etiam Gentes; nec juſtum eſſe bellum cenſuerunt, abſque ſolemni indictione: unde præclarum illud Ciceronis dictum, *Non ſunt ſuſcipienda bella, niſi ut ſine injuria in pace vivatur*. Hinc apparet quantum Deus ab humani ſanguinis effuſione abhorreat, cum etiam inter hoſtiles impetus clementiam ſervandam eſſe ſuadeat.

Si vero cives illi oblatas pacis & deditionis conditiones pertracte reſpuant, permittit *verſ.* 12. ut urbe capta omnes in ea viros perimant, ſervatis parvulis & mulieribus quorum ſane minus æqua, nimiſque ſevera videretur occiſio; cum etiam Gentes naturali ductu perſuaſum habeant victis parcendum eſſe, eoſque qui armis poſitis victoria clementiam exorant, eſſe recipiendos: At meminiſſe juvat hæc ſpectare duntaxat infideles idolorum cultu multiſque criminibus pollutos, ac proinde vita prorſus indignos, quibus eo minus parcendum eſſet, quod pacem oblatam reſpuiſſent.

Adiici tamen poteſt Deum Judæis hæc indulſiſſe ad duritiam cordis, qui cum pro ſua ad ferociam proclivie vix paſſi fuiſſent ſe coerceri intra clementiæ terminos erga ſibi obſiſtentes, qui forte plurimos eorum in urbis oppugnatione interfecerant, illorum furori frænum iniici voluit Deus, prohibendo ne in captæ urbis vaſtatione mulieres & pueros trucidarent, ut fieri ſolet in direptione urbium, ubi nulli parcitur ſexui, vel ætati. Hæc tamen exceptio non erat intelligenda de urbibus & populis intra terræ promiſſæ terminos conſiſtentibus, nempe Hebræis, Amorrhæis, Chananæis, Phereſæis & Jebuſæis. Nam verſ. 16. legitur, *de his autem civitatibus quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittes vivere*.

IV. Prohibetur ne, dum aliquam civitatem oppugnabunt, exſcindant arbores, *de quibus veſci poteſt*, neve regionem devaſtent; *Quoniam lignum eſt, & non homo, nec poteſt bellantium contra te augere numerum*. verſ. 19. Permittitur tamen arbores infructuoſas cædere ad bellicas machinas fabricandas: quibus verbis militum furorem in bellis nocendi licentiam frænat Deus; docetque quod licet jus bellicum rapinis & deprædationibus viam aperire videatur, proſpiciendum tamen eſſe humani generis utilitati, cavendumque ne terra vaſtata fiat ſterilis, neve frugiferæ arbores conſuetum hominibus alimentum denegent: quamobrem vetat Deus illas exſcindi, ne armorum procella, quæ non debet eſſe diuturna, terram ornatu & fructu ſuo in multos annos denudet.

IN XXI.

QUatuor hoc in capite ſtatuuntur. I. Quid agendum ſit invento hominis cadavere in agro, (homicida latente & ignoto) ab incolis proximioris civitatis, & qualiter inquirendum quæ proximior ſit illa civitas; qua comperta, tria ab illius incolis præſtanda erant. 1. Seniores aſſumere debebant jugi expertem vitulam, quo magis ad vivum repræſentaretur civium innocentia, & compenſatio innoxii ſanguinis. 2. Advocatis Sacerdotibus & Levitis eam deducere debebant in vallem ſaxoſam & incultam, ut ab agris cultis tolleretur immunditia, nec illi iſtius vitulæ ſanguine polluerentur. 3. Lavare debebant manus ſuas, ut teſtarentur ſe puros & immunes ab effuſo humano ſanguine, his adjectis verbis, *Manus noſtræ non effuderunt ſanguinem hunc. Propitius eſto populo tuo Iſrael, quem redemiſti, Domine*. &c. 4. Vitulam illam mactare debebant; non quidem in ſacrificium, quia fas non erat illud alibi, quam in ſanctuario peragere: ſed in effuſi humani ſanguinis expiationem & quamdam ſatisfactionem. Aderant quidem huic mactationi Sacerdotes & Levitæ: at non ut ſacrificuli, ſed ut Judices & teſtes omnia ſecundum legis ordinationem fuiſſe peracta. Apparet inde quantopere homicidia abominetur Deus, cum populus ſcelus hoc, etiam ab ignoto perpetratum, tanta cæremonia debeat expiare.

II. Traditur qualiter mulier alienigena in bello capta aſſumi poſſit in uxorem; nempe ut 1. Inducatur in domum, quatenus ex illius convictu & familiari converſatione dignoſci poſſit, utrum digna ſit quæ in uxorem aſſumatur; anve ſincere Judaicam religionem velit amplecti: nam *Exod.* 34. *verſ.* 16. prohibetur Iſraelitis ne ducant alienigenas, niſi prius idololatria ejurata, veri Dei cultum velint amplecti.

2. Ut radat cæſariem, tum ut totum id deponeret, cujus pars, cum junior eſſet, fuerat idolis conſecrata; ſolebant enim Ethnici puerorum ſuorum crines abſcindere, & in ſuorum numinum honorem cremare; tum, ut abraſis capillis ſignificaret mœrorem ob amiſſos parentes, ſubditur enim verſ. 13. *Flebit patrem & matrem uno menſe*. Crinium enim abſciſſio ſignum erat ingentis triſtitiæ

apud

Digitized by Google

apud veteres, unde in charorum morte comam abſcindere ſolebant, ut dictum eſt ad Levitic. Tum maxime, ut depoſita coma velut præcipuo mulierum ornatu, minus appareret pulchra, minuſque futuri conjugis libidinem ad amplexus accenderet ante præſcriptum tempus.

3. *Ut circumcideret ungues*, Hebraice *faciet ungues*, ſeu ut nonnulli vertunt, *componet ungues*, forte quod ſolitæ eſſent mulieres in latis unguibus numinum, aut amaſiorum nomina, aut ſymbola inſculpere: vel quod apud eas gentes ungues lati, & longi ad decorem conducere viderentur: vel tamdem ut doceretur deponendam eſſe animi feritatem: quia mulieres, belluarum inſtar, in adverſarias inſilire ſolent dentibus & unguibus.

Additur ut deponat veſtes, illas nempe pretioſas, cum quibus capta eſt: ſolebant enim mulieres in urbium vaſtatione pretioſis veſtibus & monilibus indui, ut ſic hoſtium amorem aut excitarent, aut allicerent ad commiſerationem. Has autem a Judæo deſponſanda mulier capta deponere debebat; tum ut Judaicas indueret; tum ut per menſem amiſſos parentes, ſuamque deperditam libertatem in veſte lugubri deflere poſſet. Uno verbo voluit Deus mulierem in bello captam, non prius poſſe in uxorem duci ab Iſraelita, quin prius capillos raſerit, præſciderit ungues, priora depoſuerit veſtimenta, & amiſſos parentes toto menſe luxerit: tum ut hac mora temperaretur in Iſraelita libidinis fervor: tum ut mulier integro illo menſe pararet ſe ad novam religionem profitendam.

Quoniam vero contingere poterat ut vir, expleta libidine, mulierem illam haberet minus gratam; ne quid gravioris moleſtiæ illi inferret, jubet Deus, *verſ.* 14. ut eam vir dimittat liberam, quatenus conceſſa libertas aliquod eſſet amiſſæ pudicitiæ ſolatium.

III. Statuitur quod ſi homo ex duabus uxoribus duos pluresve ſuſceperit filios; primogenitum quidem ea minus dilecta, alios vero ea maxime grata, penes eum non ſit ea magis dilecta ſuſceptum filium, primogenitum conſtituere; ſed ſervanda jura primogenituræ illi qui ex priori uxore, licet jam minus grata, natus eſt. Jus autem illud fuit duplex portio in paterna hæreditate ut *v.* 17. exprimitur. Hac vero lege Deus ire voluit obviam Iſraelitarum injuſtitiæ, quibus cum ad duritiam cordis conceſſiſſet uxorum pluralitatem, fieri poterat ut maritus qui faſtidio prioris uxoris ſecundam duxerat, in hanc animo propenſior, & ejus blanditiis delinitus, illius filiis tribueret quæ ex priori conjuge ſuſceptis liberis jure naturæ debebantur. Non tamen propterea auferebatur a patre auctoritas exhæredandi primogeniti, dum juſta aderat cauſa, ſicut exemplo ſuo nos docuit Jacob. *Geneſ.* 49. *verſ.* 9 cum Ruben abdicavit, quod paternum thorum polluiſſet.

IV. Decernitur a *verſ.* 18. *ad* 21. quod ſi quis filius adeo intractabili fuerit ingenio, ut patris, vel matris imperium reſpuat, ſuaque ita obfirmetur in procacitate, ut nulla ſit ſpes emendationis: pater & mater *apprehendent eum, & ducent ad ſeniores civitatis illius & ad portam Judicii.* Ibique accuſaretur a parentibus: ille vero ſi non eſſet ſibi male conſcius, ſe a crimine objecto purgaret: ſin minus, a Judicibus damnatus lapidaretur ab univerſo populo, *Ut auferatis malum de medio veſtri, & univerſus Iſrael audiens pertimeſcat:* Quibus verbis duplex indicatur hujus ſupplicii finis. 1. Ut terra ſceleribus purgetur, quibus quodammodo polluitur. 2. Ut ſimilis pœnæ incurrendæ & horrore, & timore omnes liberi ad debitum parentibus honorem, & obſequium impendendum provocarentur.

V. Tandem præcipitur ut ſuſpenſi cadaver eodem ſuſpenſionis die ſepeliatur, *quia maledictus a Deo eſt, qui pendet in ligno.* &c.

Quibus verbis non indicatur a Judæis reos ſuſpendio ſolito necari; ſed quod propter blaſphemiam aut Idololatriam lapidatos elevarent in patibulum tota die expoſitos conſpectui & execrationi. omnium aſtantium. Referunt autem Rabini eos ſic interemptos ſuſpendi ſolitos in hunc modum: *Poſtquam* inquiunt, *lapidaverint eos, demittunt ſtipitem in terram, e quo protenditur lignum, & conjunctis manibus duabus, ſuſpendunt eos verſus occaſum Solis, & ſolvunt eos paulo poſt & lignum in quo ſuſpenſi fuerunt, ſepelietur cum eis.*

Fabulantur Judæi ante ſepulturam cadaveris animam in quietem ſuam venire non poſſe, nec ab Angelis duci in thalamum Dei: ſed interim vexari & affligi a turmis Dæmonum. Hauſerant fortaſſis commentum hoc ab Ethnicis exiſtimantibus animas non admitti in campos Eliſæos, donec earum corpora terræ fuiſſent mandata. Quam erroneam exiſtimationem deſcribit Virgilius, ubi Æneæ inquirenti cur tot animæ volitarent & oberrarent circa ſtygiam paludem; reſpondet Sybilla;

Hæc omnis, quam cernis, inops, inhumataque turba eſt:
Portitor ille Charon: hi, quos vehit unda, ſepulti.
Nec ripas datur horrendas, ne rauca fluenta
Tranſportare prius, quam ſedibus oſſa quierunt,
Centum errant annos, volitantque hæc littora circum:
Tum demum admiſſi ſtagna exoptata reviſunt.

At alios ob fines voluit Deus ſuſpenſorum cadavera eodem die terræ mandari. I. Quod cum cæteris reſurgere debeant; ſepultura enim humano generi deſtinata eſt in Reſurrectionis pignus & ſymbolum. II. Ut conſuleretur vivorum incolumitati; ſi enim cadavera diutius in patibulo perſtitiſſent, fœtore ſuo, ſuaque corruptione infeciſſent aerem qui hominibus eſſet noxius. III. Ut inde conſtaret quam maledictum ſit illud cadaver, quod ne quidem per diem integrum

„ di-

dignum eſſet ab hominibus conſpici, ſed ab eorum viſu ſubduci deberet.

Deus non vetat quidem ſuſpendi ſceleratos, quin potius teſtimonio ſuo idipſum approbat; ſolum hortatur Iſraelitas ut ab omni atrocitate abhorreant. Quamvis autem pœnam non improbet, attamen dicit ſe abominari in ligno ſuſpenſos, non quod eos averſetur, niſi diſperata ſit eorum ſalus, quia ad illum converti noluerint, ſed vocat illos *maledictos*, quia maledictionis nota eſt ſuſpenſio. Hunc locum Chriſto D. adaptat S. Paulus *ad Galat.* 3. *verſ.* 13. ut doceat illum pro nobis factum eſſe maledictum, ut nos a maledictione ſolveret. Cum enim ratione peccati originalis univerſum genus humanum maledictioni ſubjaceret; non alia occurrebat liberationis ratio, quam ſi Chriſtus ſeſe noſtrum in locum ſubſtitueret, noſtraſque vices obiret, & debitas pro nobis lueret pœnas, ut a Deo benediceremur. Quemadmodum 2. *ad Cor.* 5. *verſ.* 21. de eo dicitur, *Qui noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia Dei in ipſo.*

Chriſtus autem potius elegit ſupplicium Crucis, quam aliud quodcumque genus mortis a Judæis inferri ſolitum, quadruplici potiſſimum de cauſa. 1. Quia mors illa eſt acerbiſſima. 2. Quia ignominioſiſſima, utpote cum ſuſpenſus in ligno haberetur, ut a Deo maledictus. 3. Quia non a Judæis, ſed a Gentilibus inferebatur; tum quod Crucifixio Judæis non eſſet uſitata, ſed vigeret duntaxat apud Romanos, a quibus Chriſtus damnatus eſt ad mortem, nempe a Pilato Romanorum in Judæa Præſide: tum quod tunc Judæis non licebat quemquam morti adjudicare. Unde cum Pilatus eis urgentibus, ut Chriſtus damnaretur ad mortem, dixiſſet, *Accipite eum vos & crucifigite*, reſponderunt, *nobis non licet occidere quemquam*. 4. Tandem idcirco Chriſtus Crucifixionem aliis ſuppliciis prætulit, quia ſignificabatur eam fieri pro ſalute omnium credentium, quod repræſentabatur expanſione manuum; idque Chriſtus ſignificavit, dum Joann. 12. 32. ait, *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipſum.*

IN XXII.

PLurima hic ſuppeditantur argumenta adverſus Manichæorum impietatem & blaſphemiam, qui cum ſtatuerent duo ſuprema rerum omnium principia, bonum unum, malum alterum; hunc fabulantur veteris legis & teſtamenti auctorem, qui nonniſi ſevera & a ratione & humanitate aliena præſcripſerit; cujus contrarium aperte conſtat ex hoc potiſſimum capite. In eo namque ſtatuitur. I. Ut ſi quis pecudem aliquam errantem, aut jacentem invenerit, eam ducat in domum, reddendam Domino ſtatim atque fuerit poſtulata: quo præcepto nos admonet Deus quantum nobis curæ eſſe debeat proximi utilitas, ut ultro, citroque ſimus ad eum auxiliandum propenſi, quoad facultas & opportunitas feret: alioqui reus erit furti, qui ſua negligentia damnum intulerit proximo, quia nonniſi per eum ſtetit, quin ſalva res eſſet, quam ſciens & volens perire ſinit.

II. Jubet Deus, ut ſiquis in nido pullos cum matre deprehendat, ſervatis ſibi pullis, matrem ſinat avolare; crudelitatis enim quoddam genus eſſet, cum pullis necare matrem.

III. Quia Palæſtini non ſolebant tecta, noſtro more, ſupina erigere, ſed plana conſtituere ad deambulationem & auram captandam, jubet Deus in illius tecti circuitu peribolum conſtrui; ne quis deambulando incaute decidat. Quod ut executioni mandetur, ſeveram adiicit denuntiationem, nempe domum ſanguine contaminari, ſi quis ex tecto, cancellis, vel aliis clauſuris non munito, deciderit. Hinc apparet quantum unuſquiſque ſollicitus eſſe debeat de ſervanda proximi vita.

IV. Vetat ne una cum plantata vinea, ſemen aliarum frugum adiiciatur; ne terræ fœcunditas exhauriatur, fiatque dein colonis inutilis & ingrata.

V. Inculcat ea quæ dixerat *Levit.* 19. nempe ne quis aret in bove & aſino: tum quod bos animal ſit mundum, aſinus vero immundum; unde utriuſque conjunctio minus deceret: tum quod bos viribus aſino prævaleat, quo fieret ut aſinus infirmior ſuccumberet.

VI. Providet virginum pudicitiæ & innocentiæ, quæ in conjuges a viris aſſumptæ infamarentur ab eis non fuiſſe integras, ſed pollutas, priuſquam nuberent; non enim raro contingit, ut libidinoſis poſt evaporatos concupiſcentiæ motus obrepat faſtidium, omniaque excogitent, ut ab uxoria onere ſe liberent, & cum iſtius probro & infamia eam repudiandi prætextum quærant. Quamobrem neceſſe fuit modum præſcribi, quo tuta eſſet puellæ integritas contra calumnias impii & injuſti mariti. Æquum pariter fuit probo viro ſuccurri, ne ſcortum, a quo deceptus eſſet, in ſinu ſuo fovere cogeretur.

Unde a *verſ.* 13. *ad* 21. duo hic ſtatuuntur: *Primum* ut linteum vel pannus albus in nuptiali lectulo conjugatis prima congreſſus nocte tunc ſubſterni ſolitus, in quo exceptus eſſet cruor & ſanguis virginitatis puellæ index, traderetur ipſius parentibus coram teſtibus, ad filiæ virginitatem comprobandam adverſus mariti calumnias. Quas ſi his non obſtantibus effunderet, ille a parentibus Virginis evocaretur coram Judicibus, & oſtenſo hoc virginitatis indicio, mulctaretur triplici pœna. 1. Verberibus læderetur, quod falſum crimen confinxit. 2. Centum argenteos ſolveret patri puellæ. 3. Ne unquam illam repudiare poſſet, cujus ratio profertur v. 19. *Quod diffamaverit Virginem Iſrael.*

Nec eſt quod obiicias hac ratione male conſultum fuiſſe ſecuritati miſeræ fœminæ, dum tyrannico ingrati conjugis imperio in perpetuum addiceretur.

Reſpon-

Reſpondeo enim id ita recte præſcriptum, quod non alia ratione conſuli poſſet illius honori: ſi enim fœmina e viri conſortio fuiſſet educta, ſuſpicio extitiſſet eam revera ante connubium fuiſſe temeratam & pollutam habuiſſetque vir quod intendebat ſicque laxata eſſet viris habena ſuas dimittendi uxores, cum earum & dedecore & infamia; quod utique fuiſſet prorſus iniquu n. Nec obſtat permiſſum fuiſſe libellum repudii nam mulier repudiata dimittebatur cum honore adeo ut alteri nubere poſſet: ſecus autem fuiſſet, ſi ut polluta, eſſet a viro rejecta.

IN XXIII.

PLurima ſtatuuntur quæ religionem & humanitatem ſpectant. I. Quinam arcendi ab Eccleſia ad decimam generationem. 1. *Eunuchi*, Nimirum qui vel fractos habent teſticulos, aut pudenda amputata. 2. *Manzeri*, id eſt, ex damnato coitu nati, puta ex inceſtu contra quem capitale ſupplicium decretum eſt. Ubi obſervandum eſt ſpurios ſeu Manzeros, apud Hebræos fuiſſe triplices: primi erant de quibus non ambigitur; ſecundi, qui incerti; tertii quos Scribæ judicant Manzeros. *Primi* ſunt, qui illegitime ſunt nati ex inceſtu. Ex *ſecundorum* numero eſt, natus ex muliere quæ alterum duxit maritum, putans primum mortuum, cum adhuc viveret. Hunc boni viri non excludebant ab Eccleſia Domini; ſed Scribæ, in leviculis rebus ſcrupuloſi arcebant eum a Synagoga Domini; ne, ſi paſſim omnes admitterentur, fieret aliquando ut unus certus, & de quo nulla eſſet ambiguitas, etiam reciperetur. *Tertii* erant *Ammonitæ* & *Moabitæ*, tum quod nati eſſent ex coitu Lothi cum filiabus: tum quod negaverint panem & aquam Iſraelitis, utrumque ſo'uta pecunia emendum exorantibus; & quod evocaverint Balaam ad maledicendum populo: quæ tamen prohibitio intelligitur duntaxat de maribus, non vero de mulieribus; nam Ruth Moabitis nupſit Booſo ex tribu Juda; tametſi illa eſſet natione Moabitis.

Idumæi vero inter Judæos recepti, poterant admitti in Eccleſiam poſt tertiam generationem. Nomine autem *Eccleſia* hic non intelligitur templum, quia in eo pars erat in quam etiam Ethnici poterant ingredi; neque adſcriptio inter populum Judaicum, quia recipiendi erant quicumque fieri volebant proſelyti ſive domicilii, ſive Juſtitiæ, & *Exod.* 12. ſtatuitur ut peregrinus & advena qui Circumciſionem admitteret, fieri poſſet particeps Paſchalis Victimæ. Itaque nomine *Eccleſia* hic ſignificatur adſcriptio inter populum Judaicum, quantum ad omnia illius jura & privilegia, perinde ac ſi quis ex Patriarcharum ſemine eſſet prognatus: etſi enim proſelyti accenſebantur populo Judaico, non tamen ſtatim gaudebant omnibus illius privilegiis, ſed habebantur veluti mancipia; neque illi omnes ſupra memorati poterant in uxores aſſumere Iſraelitas; quæ tamen exceptio ſolos viros ſpectabat.

II. Nocturna pollutione contaminatus exire debebat extra caſtra, non militaria, ſeu extra omnem locum ubi Iſraelitæ caſtrametabantur, hoc enim fuiſſet nimis oneroſum; ſed extra caſtra ſancta, ſeu extra ſanctuarium, & locum ubi Levitæ ſua figebant tabernacula. Quo pariter ſenſu arbitror intelligenda verba verſ. 12. *Habebis locum extra caſtra, ad quem egrediaris ad requiſita naturæ*; idque ſuadetur ex his quæ adiiciuntur verſ. 14. *Dominus enim Deus tuus ambulat in medio caſtrorum*; hoc eſt, reſidet in tabernaculo in medio caſtrorum conſtituto; ac proinde ſacer hic locus non debet excrementorum vicinitate pollui.

III. Ut demonſtret Dominus ſe miſerorum curam agere, eiſque opitulari, prohibet ne ſervus ab hero crudeli fugiens, ei reddatur; maxime ſi ab Ethnicis & exteris ad Iſraelitas confugiat, eo animo ut eorum religionem profiteatur, aut ſaltem ut ab idolorum cultu ſeſe abſtineat, fiatque proſelytus domicilii; arbitror enim hunc eſſe ſenſum horum verborum verſ. 15. & 16. *Non trades ſervum Domino ſuo, qui ad te confugerit: habitabit tecum in loco, qui ei placuerit, & in una urbium tuarum requieſcet: ne contriſtes eum*. Poſſunt nihilominus iſta verba etiam intelligi de ſervis Iſraelitarum, qui non alicujus admiſſi criminis cauſa, ſed tantum ob nimiam dominorum tueulentiam fugerent ab eorum conſpectu: quos benigne Deus vult excipi ab eis ad quos confugerint, nimirum ut humanitatem ſectandam populo ſuo Deus perſuadeat.

IV. Diſtricte vetat *verſ.* 17. ne ſit aliqua *meretrix e filiabus Iſrael*, *nec ſcortator de filiis Iſrael*. Uoi nomine *meretricis* eam intelligit, quæ ad flagitium expoſita ſit & parata; prohibet itaque ne puellis extra conjugium liceat viros admittere. Per *ſcortatorem* vero eum deſignat qui infandis libidinibus cum expoſitis mulierculis ſe polluit; quos e populo ſancto arcendos eſſe jubet, ne impuritate ſua alios contaminent; quibus affine eſt illud, Levit. 19. v. 29. *Ne proſtituas filiam tuam, ne contaminetur terra, & impleatur piaculo.*

V. Vetat ne res meretricio quæſtu comparatæ, & pretium canis offerantur Domino, de quibus actum eſt in Levitico.

Quibus conſulitur reverentiæ ſervandæ altari, in quo res viles & ex turpitudine comparatæ non debent offerri: idque cedebat in dedecus & ignominiam meretricis, dum res ab illa oblatæ, tametſi ad Dei cultum, debebant repudiari. Idem dicendum de pretio canis, qui cum ſit animal immundum, vile, & impudicum; abominanda cenſebatur hoſtia illius pretio empta.

VI. Statuit *non fænerandum fratri*, id eſt Iſraelitæ, *ad uſuram; ſed alieno*: Id eſt, alterius nationis a Judaica: Ex quo textu Judæi etiam hodierni inferunt ſibi licitum eſſe fœnerari Chriſtianis ad uſuram, quamquam uſura, ut res ex natura ſua peſſima,

di-

diſtricte prohibeatur *Pſal.* 14. *Ezechiel.* 18. *& alibi ſæpe*. Sunt qui exiſtimant uſuram Judæis eſſe conceſſam duntaxat reſpectu ſeptem Gentium quas erant expugnaturi, & quarum omnes facultates, jure ſui in res omnes ſupremi dominii, Deus illis conceſſerat. S. Ambroſius putat per *alienum*, intelligendas eſſe Gentes hoſtiles; *Cui enim*, inquit, *inferuntur arma, huic legitime indicantur uſuræ; nam ubi jus belli, ibi etiam uſura jus viget*.

Potius ego dicendum arbitror, id populo rudi & bonis temporalibus addicto permiſſum fuiſſe ad duritiam cordis, ſicut capite ſequenti libellum repudii: nimirum ut humaniores eſſent erga ſuos fratres, hoc eſt, veri Dei cultores ex eodem Iſraelitico ſanguine prognatos, quam erga exteros Dæmonum cultui mancipatos; minus enim malum eſt ſævire in impium, quam in religioſum Dei cultorem. Unde præfatis verbis toleratur minus malum, ut atrocius caveatur.

Porro quia nunc diruta eſt maceria qua olim diſcernebantur Judæi a Gentilibus, & in Chriſto lapide angulari ex utroque jam facta eſt una Dei domus, unuſque ſub illo divino paſtore grex, & unum ovile; ratio noſtra longe diverſa eſt, omnes enim ſumus fratres in Chriſto: quin etiam nobis injunctum eſt mutuum dare, & nihil præter ſortem accipere, Luc. 6. v. 35. *Mutuum date, nihil inde ſperantes*: Ideoque fœneratores univerſim a Davide Pſ. 15. v. 5. & ab Ezech. 18. verſ. 13. in totum damnantur. Quin etiam Plato dicit, in republica bene compoſita fœneratores non eſſe admittendos: & Cato rogatus quid de iſtis hominibus ſentiret, reſpondit, *quid hominem occidere?* Quibus ſignificabat quæſtum facere ex uſuris, idem eſſe ac hominem jugulare. Huic ſpectant ſimilia præcepta Exod. 22 verſ. 25. Levitic. 25. verſ. 35. & ſequentibus, de quibus dictum eſt ſupra.

VII. Præcipitur ut qui Deo vovit aliquid, ſtatim exequatur: quia, inquit verſ. 21. *Requiret illud Dominus Deus tuus, & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*.

VIII. Tandem conceditur, ut qui tempore vindemiæ, & meſſis in vineam aut ſata fuerit ingreſſus, poſſit & racemos & ſpicas evellere, quantum explendæ fami aut ſiti fuerit neceſſarium, dummodo nihil foras efferat.

IN XXIV.

PRovidet Deus uaorum ſecuritati, Hebræorum valetudini, pauperom indigentiæ, & ſervandæ innocentium juſtitiæ.

I. Inquam, providet ſecuritati uxorum ne ſcilicet interficiantur, aut dire & atrociter tractentur a ſuis viris eas odio habentibus, his nimirum permittendo, ut dato libello repudii, illas libere dimittant: Neque tamen pro libito poterat quis hunc repudii libellum conſignare, ſed ob *aliquam fœditatem* antea latentem, *verſ.* 1. vel in corpore, vel in moribus. *In corpore* quidem, puta ſi quo morbo contagioſo laboret, nempe lepra, epilepſia &c. *In moribus*, ut ſi fuerit contumax, impia, venefica, rerum domeſticarum omnino negligens, alieni thori avida &c. His enim & ſimilibus de cauſis licitum erat illam dimittere. Tradunt autem Hebræi ejuſmodi cauſas fuiſſe approbandas a Judicibus illius loci, ut occurreretur virorum perverſæ voluntati, qui alterius amore abrepti, eos corporis aut animæ defectus ſuis uxoribus falſo poſſent affingere.

Utrum autem per illius dati libelli conſignationem ſolveretur matrimonii vinculum, diſſentiunt Interpretes. Affirmantem partem uti probabiliorem amplector: tum quod mulier dimiſſa poſſet alteri viro nubere, *verſ.* 2. quod utique non fuiſſet licitum, ſi vinculum illud perſeveraſſet; nam, inquit Apoſtolus *ad Rom.* 8 *verſ.* 3. ſi vivente viro conjuge rem habeat cum altero, vocabitur adultera. Tum quod a ſecundo viro vel per mortem, vel per libelli repudium libera, *Non poſſet prior maritus recipere eam in uxorem*, Quod utique licitum fuiſſet, ſi adhuc matrimonii vinculum perſeveraſſet. Neque his obſtat ratio ſubjecta, cur non poſſit prior maritus eam rurſum accipere, *Quia polluta eſt, & abominabilis facta coram Domino*. verſ 4. Hæc enim abominatio non reſpicit illius conjunctionem cum altero viro, alioqui hæc non fuiſſet permiſſa: ſed quod fœdum eſſet mulierem ab alio cognitam, & contaminatam, ſuum in thorum admittere: Quamobrem exiſtimo Deum hæc permittendo etiam diſpenſaſſe in illo matrimonii vinculo *propter duritiam cordis*, ait Chriſtus D. Matth. 19. ubi hanc dandi libelli repudii facultatem revocat, & improbat.

II. *Verſ.* 5. prohibet ne recens conjugatus intra annum compellatur ad bellum procedere, ſed domi ſuæ maneat ot lætetur cum uxore ſua, hoc eſt, ut totius anni conſuetudine foveatur amor viri & fœminæ, & ita ſtabiliatur mutua fides, ut nihil eis de alterutrius impudicitia ſit timendum. Periculum enim erat, ne ſi maritus paulo poſt uxorem ductam diſcederet, mulier nuper virum experta, nimiom proclivis eſſet ad alterius amorem & deſiderium: ne pariter vir inter vitiorum incentiva quæ in bello frequenter occurrunt, vetito concubitu pollueretur.

III. *Verſ.* 7. animadvertit in plagiarios, qui unum ex Iſraelitis ſeductum & adductum, vendiderit alienigenis, decernitque illum eadem, quæ in homicidas, pœna plectendum: & merito quidem; cum enim ſervitus grave ſit jugum, miſerrimaque fuerit tunc ſervorum conditio, dimidium vitæ fuit libertas; atque ea privari, fuit homicidii genus. Accedit quod grande piaculum ſit hominem a fidelium cœtu ſubducere, & profanis gentibus addicere.

IV. Conſulit hominom valetudini *verſ.* 8. dum admonet cavendum eſſet ne quis incurrat *plagam lepræ*, hoc eſt, ne propter

Digitized by Google

ſuam in Sacerdotes inobedientiam Deum provocet ad infligendam ei lepram, ſicut ea punivit Mariam propter illius in fratrem ſuum Moſem inobedientiam & ſeditionem. *Num.* 12.

V. Providet pauperum egeſtati *verſ.* 10. prohibendo ne creditor in pignus accipiat ea quæ ad victum comparandum ſunt neceſſaria; aut ſi acceperit, continuo reddat: ne agricolæ poſt meſſem & vindemiam, quæ reſidua fuerint recolligant; ſed relinquant ea pauperibus.

VI. Tandem vetat ne vel pater pro filio, vel filius pro patre reus morte afficiatur; *ſed unuſquiſque pro peccato ſuo moriatur.* verſ. 16. hoc enim jus ſibi reſervat, ut parentum crimina viſitet in tertiam & quartam generationem. Permiſit tamen hac non obſtante lege, ut in majorem ab Achan admiſſi furti deteſtationem, una cum ipſo filii ejus publice cremarentur. *Joſue* 7.

IN XXV.

VAriæ præſcribuntur leges æquitatis ſervandæ. I. In reorum ſuppliciis & flagellatione, nimirum ut *pro menſura peccati, ſit & plagarum modus: ita duntaxat ut quadragenarium numerum non excedant, ne fœde laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus.* Verſ. 2. & 3. quibus verbis docet in infligendis pœnis Judices eſſe debere circumſpectos & moderatos, ut pro delictorum reatu ſupplicium gravius aut levius ſtatuatur. Fit enim non raro ut Judices alioqui non mali, in delicta, non ſecus ac in ſcelera excandeſcant: quorum ſeveritatem & fervorem ut temperaret Deus, non præfigit quidem ſupplicii modum; ſed tantum vetat, ne Judices in decernenda flagellatione plagas ultra quadraginta infligi jubeant: cujus ratio adducitur, ne dehoneſtetur corpus ſtigmatibus, & reddatur difforme: vel ne flagellatus dedecore & ignominia in perpetuum notatus, animum dejiciat. Ne vero legem hanc temerarent Judæi poſteriores, cenſuerunt in flagellandis reis non amplius quam triginta novem ictus infligendos eſſe, quod utique jam invaluerat ætate S. Pauli, ſiquidem 2. *ad Cor.* 12. *v.* 24. dicit ſe a Judæis quinquies, quadraginta plagis affectum, una minus, ſed de his amplius actum in Levitico.

II. Non *alligandum os bovis triturantis*, quæ verba etſi juxta litteralem ſenſum primo ſignificant curam eſſe habendam de pecudibus, ut fructuum ex agris quos araverunt ſint etiam participes, altiori tamen & præcipuo ſenſu ſignificatur ſubſidia neceſſaria conferenda eſſe ſacris miniſtris, uti præfata verba uſurpat Apoſtolus 1. *ad Cor.* 9. *v.* 9. ubi cum illa hunc in finem laudaſſet; addit, *Numquid de bobus cura eſt Deo?* non quod inficiatur Deum ex providentia curam gerere de pecudibus, quippe cum Chriſtus D. aſſerat eum etiam invigilare decori liliorum & fœni agri, ſed quod illa verba nobiliorem habeant ſignificationem, ſpectentque Dei miniſtros, quibus eſt providendum, neque ad id expectanda eſt eorum efflagitatio; ſed illorum occurrendum eſt indigentiæ, ſicut occurritur neceſſitati pecudum, etſi alimenta non requirant.

III. Decernitur ut fratre mortuo abſque liberis, alter frater, tametſi conjugatus, ducat illius uxorem, ut ea primogenitus defuncti nomen & familiam inſtauret; quod ſi detrectaverit ille, liberum erit mulieri coram Judicibus ſpuere in illius faciem, & detrahere ei calceum, *& vocabitur nomen illius in Iſrael domus diſcalceati.* verſ. 10. quod utique ſumma erat ignominia; quippe indicium erat hominem hunc relegi in ſortem & ſtatum mancipiorum, qui ſolebant diſcalceati incedere.

Maimonides in *tract. affinitatum*, dicit has in executione ſervandas eſſe conditiones. 1. Si uterque frater tam vivus quam vita functus habitaverint in eadem civitate vel villa; eodemque tempore, & utriuſque poſſeſſio in uno fuerit loco. Et hoc colligunt ex eo quod dicitur, *Si habitaverint fratres pariter* &c. 2. Si diſceſſerit alter frater ſine liberis. 3. Cum defunctus adhuc habuerit duos vel tres fratres, tenetur major relictam ducere in uxorem. 4. Si defunctus nullum habuerit fratrem, ſed poſt mortem ejus illi natus fuerit frater non tenetur relictam ducere in uxorem. 5. Qui primus ea ex naſcitur filius, non generantis, ſed defuncti fratris filius cenſebitur, ſuccedetque in locum ejus. 6. Mulier relicta poſt mortem mariti expectare debet tribus menſibus antequam nubat, ut certo comprobetur illam a priori marito non gravidam factam. 7. Si frater ſuperſtes illam omnino ducere noluerit, nec ad id per Judices potuerit inclinari, ſervabitur ritus ille qui hic deſcribitur, nempe quod mulier accedat, ſpuatque in faciem ejus &c.

IV. Præcipitur abſcindendam eſſe manum mulieris illius quæ ut virum ſuum cum altero fortiore prœliantem eriperet, ejus verenda apprehendiſſet; tum quod id indecorum erat mulieri; tum quod ea parte læſa homo generationi fiebat ineptus.

V. *Verſ.* 13. *& ſequentibus* prohibentur libræ fallaces, & pondera inæqualia, ut maxime adverſantia hominum ſocietati; corrupta enim vendendi & emendi æquitate diſſipatur hominum ſocietas, & mutua confidentia; quippe ponderis & menſuræ inæqualitate alios fallit, parum differt ab eo qui nummos adulterinos ſupponit. Quare inter falſarios & fures numerantur, qui menſuras publice probatas imminuunt: ac in duplum quidem legibus Romanis damnantur: immo Adriani decreto in inſulas debent relegari, ut videre eſt apud Modeſt. l. penult. *ad legem Cornel. de falſ.* Licet vero ea de re humanæ leges ſilerent, Deus tamen hujus criminis reos ad ſuum tribunal evocat; ſignificans iniquitatem iſtam, rem eſſe coram ipſo prorſus execrandam. Hic iterum eandem reperit Salomon *Proverb.* 20. *v.* 16. quo melius eam in omnium cordibus defigat, *Pondus*

dus & pondus, inquit, *menſura, & menſura: utrumque abominabile eſt apud Deum;* unde etiam eos excommunicatione fulminat Eccleſia.

IN XXVI.

TRia ab Iſraelitico populo requirebat Deus, ut ſe ſuaque omnia Dei eſſe profiterentur. 1. Cenſum in ſingula capita quoties fieret populi recenſio, ut præſcribitur *Exod.* 30. *v.* 12. nempe ut hic cenſus ſymbolum eſſet manumiſſionis & libertatis, quam Dei beneficio ex Ægyptiaca ſervitute fuerant conſecuti. 2. *Primitias* omnium plantarum ac fructuum, ut teſtarentur terram quam colebant, vectigalem eſſe Deo, nec alio titulo ſe illius eſſe poſſeſſores, quam precario; atque directum illius imperium & proprietatem penes Deum manere. Huc ergo tendebat primitiarum oblatio, ut Iſraelitæ quotannis renovarent Chananitidis regionis ſuis patribus conceſſæ memoriam, & victum ſuum Deo acceptum referrent. 3. Decimas omnium frugum & animalium in ſubſidium eorum qui pro univerſo populo ſacris miniſteriis inſerviebant.

Ritum offerendi primitias in hoc capite expreſſum declaratus eſt in Levitico, titulo *de primitiis*: de Decimis vero etiam ſæpenumero actum fuit.

Hic tamen inſuper obſervandum eſt decimas diſtingui poſſe triplicis generis, nimirum Leviticas, Sacerdotales, & Subſidiarias. *Leviticæ* præſtabantur ab univerſo populo in uſum Tribus Leviticæ; quæ cum in diſtributione terræ promiſſionis nullam partem habuerit, in illius ſubſidium Deus voluit decimas omnium terræ fructuum ei perſolvi. *Numer.* 18. *verſ.* 20. *& ſequentibus*, & alibi ſæpe. *Sacerdotales* impendebantur a Levitis, qui decimam partem acceptarum decimarum tenebantur perſolvere Sacerdotibus filiis Aaron, ut ibidem ſtatuitur verſ. 26. 27. & 28. *Subſidiariæ* vero debebant erogari ſingulis trienniis, nedum Levitis qui erant in eis locis, ubi fruges colligebantur; ſed etiam viduis, pupillis, egenis, & cæteris indigentibus, ut præcipitur *Levit.* 19. *verſ.* 24. *Deuter.* 14. *verſ.* 28. & in hoc capite *verſ.* 12. unde quolibet triennio poſt perſolutam decimam annuam omnium proventuum Levitis debitam, tenebantur Iſraelitæ reſiduorum fructuum decimam partem ſeponere pauperum ſubſidiis erogandam. III. Omnes illæ decimæ habebantur ut res ſacræ, neque licitum erat, ex eis quidquam in profanos uſus impendi: quapropter qui eas ſolvebat, profitebatur nullam ex eis partem in re lugubri, nec in defunctorum exequiis, nec in profanos & communes uſus a ſe fuiſſe inſumptam, ut hic præcipitur *verſ.* 14.

IV. Decimæ illæ, & primitiæ erant exſolvendæ *de cunctis frugibus*. Hic verſ. 2. erant autem in illa regione fertiliſſima plurimi fructus & fruges: ſupra *cap.* 8. *v.* 8. numerantur præter hordeum, frumentum & vineas, ficus, malogranata, oleum & mel, de quibus omnibus primitiæ ac decimæ debebant perſolvi. *Matth.* 23. *verſ.* 23. referuntur decimationes menthæ, anethi, cymini, quas Chriſtus D. non improbat, ut nonnulli exiſtimant; ſed dicit non propterea prætermittendam eſſe divinorum mandatorum obſervantiam; unde concludit, *Hæc oportuit facere, & illa non omittere*: Hoc eſt, imprimis ſervanda ſunt præcepta Decalogi, & decimationes illæ etiam impendendæ.

IN XXVII.

PRoferuntur ea quæ Iſraelitæ, tranſmiſſo Jordane, debebant exequi. I. Deſcribendus Decalogus in ingentibus lapidibus calce levigatis. II. Erigendum altare de lapidibus impolitis, in eoque immolandæ victimæ. III. Proferendæ benedictiones e monte Garizim in eos qui Dei legem & mandata ſervarent; maledictiones vero in monte Hebal in illos qui utrumque ſpernerent & temerarent.

Petes I. Utrum totum Deuteronomium debuerit deſcribi?

Reſpondeo, prætermiſſis variis Interpretum ea de re ſententiis, veriſimilius mihi videri totum Deuteronomium fuiſſe deſcribendum; idque apparet I. Ex hujus capitis *verſ.* 2. *&* 3. ubi præcipitur erigendos eſſe ingentes lapides, & inſculpenda in eis *verba legis hujus*, hoc eſt, iterum repetitæ; idem diſtinctius conſtat ex *cap.* 8. *Joſue*, ubi quæ hic ſunt præcepta, referuntur executioni mandata, *v.* autem 32. legitur, *Et ſcripſit ſuper lapides Deuteronomium legis Moyſi, quod ille digeſſerat coram filiis Iſrael.* Quibus verbis indicatur totum Deuteronomium fuiſſe deſcriptum, illud enim totum velut omnium legum recapitulationem & Synopſim digeſſerat Moſes coram Iſraelitis.

At, inquies, Deuteronomii liber amplior eſt, ut in paucis lapidibus totus poſſit exarari. Deinde hæc inſcriptio longioris fuiſſet moræ, quam quæ ducenda eſſet in eo loco, cum Iſraelitæ tranſmiſſo Jordane ad occupandam terram promiſſionis maturare deberent.

Reſpondeo, Moſem occurriſſe priori difficultati, dicendo ingentes lapides ad id eſſe aſſumendos, eoſque invicem calce levigandos, nimirum ut ſimul juncti ampliſſimam in molem, forte quadrilaterem, aſſurgerent, ut in quolibet latere fieret inſcriptio.

Ad ſecundum dico, ad id plures adhiberi potuiſſe ſcriptores, qui operi ſucceſſive diu noctuque incumberent; quod certe intra paucos dies potuit abſolvi. Adde quod fieri potuit, ut dum numeroſiſſimi illius populi major pars ad impugnandos & exterminandos Chananæos procederet, aliqui in monte Hebal conſiſterent ad hanc ſcriptionem implendam: illis enim ab inimicis nullus erat metus, cum omnes Chananæi ab Iſraelitis duce Joſue profligarentur.

Petes II. Cur Deus voluerit altare conſtrui & victimas propitiatorias & Euchariſticas offerri potius in monte Hebal, e quo fulminatæ maledictiones in violatores legis, quam in monte Garizim, e quo bene apprecatum eſt divinæ legis cultoribus?

Reſpondeo, id videri factum multis de cauſis. I. Quia mons Hebal altero erat excelſior; decebat autem inſignia iſta monumenta, tum altare, tum lapides Deuteronomio inſcriptos ſtatui in ſublimiori loco, ut omnibus magis eſſent conſpicua. II. Quia conveniens erat ut unde procedebant maledictiones, ibidem adeſſet locus reconciliationis & propitiationis in altari. III. Quia prævidebat Deus in monte Garizim a Samaritanis ſchiſmaticis & idololatris aliquando erigendum templum & altare oppoſitum Hieroſolymitano templo; quamobrem noluit ibi ſacratum ſibi altare conſtitui, ne errandi fieret occaſio; neve primus locus in ea regione ſibi ſacer, ſuperſtitioſo & idololatrico cultu contaminaretur.

Quæres III. Cur Deus qui *verſ.* 2. juſſerat in monte Hebal erigi ingentem molem lapidum ſectorum, & calce linitorum, *verſ.* 5. imperet eodem in loco erigendum altare *ex lapidibus quos ferrum non tetigit, & de ſaxis informibus & impolitis?*

Reſpondeo, molem lapidum confici debuiſſe ex lapidibus politis, quod in eis deſcribendum erat Deuteronomium ad futuram & perpetuam rei memoriam: ſecus autem de illo altari momentaneo; quod diu ſubſiſtere non debuit, ne poſteris eſſet in offendiculum, quo averterentur a ſanctuario. Notum enim eſt quantum valeant ad alliciendos vulgi animos monumenta pietatis a majoribus frequentata; tametſi dein ſuperſtitioſo plebejo cultu temerata & idcirco ab Eccleſia interdicta. Noluit ergo Deus hujus altaris aliquam eſſe ſpeciem, nec illius lapides calce obliniri, ne diu perſeveraret, fieretque ſchiſmatici cultus occaſio; ſed tantum ad uſum præſentem illud aptari voluit ex ſaxis, & informi lapidum cumulo, ut facile corrueret.

IN XXVIII.

IN præcedenti capite declaravit Moſes quæ maledictiones a Levitis eſſent fulminandæ in monte Hebal adverſus Idololatras, parentum contemptores, tranſlatores terminorum &c. In hoc vero præſcribit quæ ſint benedictiones proferendæ ab eiſdem Levitis in monte Garizim erga divinæ legis cultores. Cum autem Iſraelitæ diu verſati fuiſſent in Ægypto inter latomos & opifices, proindeque craſſioris eſſent genii, nec ad ſpiritalia bona, ſed maxime ad temporalia inhiarent; cumque ſoleant homines imprimis deſiderare proſperitatem domus ſuæ, quæ maxime conſiſtit in abundantia bonorum temporalium, in tranquillitate, & fœcunditate prolis; idcirco Moſes orditur largiendas benedictiones ab his verbis, *Benedictus tu in civitate, benedictus in agro, Benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ* &c.

Spondet inſuper ſummam tranquillitatem & ſecuritatem ab inimicis: *Dabit Dominus inimicos tuos, qui conſurgunt adverſum te corruentes in conſpectu tuo: per unam viam venient contra te, & per ſeptem fugient a facie tua.... ſi cuſtodieris mandata Domini Dei tui.*

Quod ut exequantur ferventius, denuntiat illis varias calamitates divinæ Legis tranſgreſſoribus eventuras, tum in temporalium bonorum jactura: tum in propriis illorum perſonis. *Quod ſi*, inquit, *audire nolueris vocem Dei tui, ut cuſtodias & facias omnia mandata ejus ... maledictus eris in civitate, maledictus in agro &c.* Quin etiam zelo divino abreptus Moſes plurima illis duriſſima imprecatur: *Percutiat te Dominus egeſtate, febri, & frigore, ardore & æſtu, & aere corrupto, ac rubigine, & perſequatur donec pereas. Sit cœlum, quod ſupra te eſt, æneum: & terra, quam calcas, ferrea: det Dominus imbrem terræ tuæ pulverem, & de cœlo deſcendat ſuper te cinis, donec conteraris &c.* Quæ certe indicia ſunt animi vehementiſſime commoti, & pro Dei gloria atque Iſraelitarum ſalute zelantiſſimi.

IN XXIX.

CUm Iſraelitæ, jam ex parte potiti eſſent terra promiſſionis, occupatis regnis Seonis & Ogis Regum Amorrhæorum & Baſam, ac prope diem tranſituri eſſent Jordanem, ut univerſam Chananitidem poſſiderent; cenſuit Moſes univerſos eſſe convocandos, ut ex animo renovarent jam a quadraginta circiter annis ab eorum patribus initum fœdus cum Deo, quo Deus promiſerat ſe illis continuo adfuturum benignum opitulatorem, & protectorem, illi vero divinæ legis cultores & obſervatores fideliſſimos. Ut vero ſtent promiſſis, duobus eos argumentis provocat; primo repræſentatione acceptorum beneficiorum: ſecundo terrore infligendorum ſuppliciorum in prævaricantes.

Imprimis vero eis exprobrat ſtuporem & ſocordiam, quod tot ſignis & portentis in eorum gratiam editis, non fuerint excitati ad divinæ Legis obſervantiam, ſed continuo in murmurationes & ſeditiones irrepſerint; non ſecus ac ebrius vini fumo dormiens, qui audito clamore, pauliſper attollit caput, & oculos aperit, mox vero in ſoporem revolvitur; cauſam addit hujus eorum ſocordiæ verſ. 4. *Non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures quæ poſſunt audire, uſque in præſentem diem.* Non quod Deus illis denegaverit gratias, quibus tot beneficia perſpicerent: ſed quod tanta erat eorum pravitas, ut cœleſti lumini malitiæ & ingratitudinis ſuæ tenebras & velum opponerent.

Ut

Ut itaque eos tandem e gravi illo ſopore excitet, repræſentat divina beneficia quibus Deus illos per annos quadraginta proſecutus eſt. Non tamen omnia recenſet. Sed tria potiſſimum. 1. Quod vetuſtate non fuerint attritæ eorum veſtes. 2. Quod divinitus paſti fuerint, cum nulla ea terræ cultura & proventu alimenta ſuppeterent. 3. Quod Reges qui primi ad eorum impediendum in Chananitidem ingreſſum, armati occurrerant, profligati ſint a Deo, qui etiam in ſtatione pacifica ipſos jam cœperit locare.

Quoniam autem formidine pœnæ plus forte moverentur, quam beneficiorum recordatione, addit, *verſ.* 18. *ad finem capitis*, quod ſi contempto Dei cultu, & ſpreta divina lege ad idololatriam convertantur, Deus tanta iracundia in eos animadvertet. 1. *Ut furor ejus fumet*, hoc eſt, facile pœnitentia non flectetur, ſed in eos omnem iram ſuam effundet. 2. Illorum terram ſterilitate feriet, adeo ut ſale & ſulphure videatur inſperſa, ſicut Sodomitis contigit. 3. Eos nedum e ſuo populo abdicabit, ſed & ſuis e ſedibus eiiciet. 4. Minatur ſe daturum eos in anathemata, ut cunctis Gentibus fiant in contemptum & opprobrium.

IN XXX.

NE tamen ſi delinquere contingat, omnem veniæ conſequendæ ſpem abiiciant, ſpondet in hoc capite quod ſi admiſſi delicti ex corde pœniteant, & in animo vere contrito divinam exorent miſericordiam, Deum habebunt propitium; qui eos in priſtinum florentem ſtatum reſtituet, dummodo ſincere illius mandata ſervanda ſibi proponant. Quod utique operoſum non erit, cum divinæ legis notitia & obſervatio divina cooperante gratia ſit facillima, ut aperte declarat *verſ.* 11. *& ſequent.* maxime ex eo quod illud divinum mandatum *non ſupra te eſt, nec procul poſitum... ſed juxta te eſt ſermo valde, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum.*

Tria itaque in hoc capite præcipue docet Moſes. I. Quod etſi ob peccatorum atrocitatem plurimum iraſcatur Deus, & duriſſime in ſceleratos animadvertat; attamen deſperatione abiiciendus non eſt animus, cum affulgeat ſpes veniæ, ſi vere pœniteant. II. Sinceræ pœnitentiæ argumentum eſſe obſervantiam mandatorum Dei; *Si tamen*, inquit verſ. 10. *audieris vocem Domini Dei tui, & cuſtodieris præcepta ejus &c.* III. Hanc obſervantiam non eſſe difficilem, cum mandatum divinum clare ac diſtincte ſit propoſitum; nec humanas vires affulgente Dei gratia ullatenus tranſcendat.

IV. Inde colligit penes eos ſtare, ut ſibi Dei benedictionem aut maledictionem accerſant; benedictionem, ſi legem obſervent; maledictionem, ſi prævaricentur. *Conſidera*, inquit verſ. 15. *quod hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam & bonum: & e contrario mortem & malum, ut diligas Dominum Deum &c.* Ut autem gravior appareret eorum cæcitas & perfidia ſi legem contempſerint, addit v. 19. *Teſtes invoco hodie cœlum & terram, quod propoſuerim vobis vitam & mortem benedictionem & maledictionem: elige ergo vitam, ut & tu vivas, & ſemen tuum.* Ubi per *cœlum & terram* multi ſignificari volunt cœli & terræ incolas, nempe angelos & homines, quod, inquiunt, res vita & ratione carentes non poſſint teſtari. Verum exiſtimo verba illa eſſe litteraliter accipienda, ut ſit ſenſus, tantam fore Iſraelitarum malitiam, ſi legem non ſervent poſt tot accepta, totque promiſſa divina beneficia, ut adverſus eorum ingratitudinem & perfidiam res etiam inanimatæ paratæ ſint teſtimonium proferre, quo ſimili ſenſu Sapientiæ. 5. verſ. 21. dicitur. *Pugnabit cum illo orbis terrarum contra inſenſatos.*

IN XXXI.

QUatuor in hoc capite veniunt notanda. I. Prænuntiatio mortis Moſis brevi futuræ, quia jam natus erat centum & viginti annos, & inſuper interdictus ei fuerat Jordanis tranſitus, & in Chananitidem ingreſſus. II. Adhortatio ad populum, & ad Joſuam, ut conſtanter & animoſe Chananæos expugnent, maxime cum habituri ſint Deum ducem & auxiliatorem, ſicut eis adfuerat in expugnatione Sehonis Regis Amorrhæorum, & Ogis Regis Baſan. III. Deſcriptum a Moſe Deuteronomium & traditum Sacerdotibus, ut illud reponerent ad latus arcæ fœderis *verſ.* 26. illudque legerent univerſo populo ſingulis ſeptenniis, ſcilicet in anno remiſſionis, in feſto Tabernaculorum.

Nec tamen exiſtimandum eſt legem hanc totis ſeptem annis recluſam jacuiſſe, nullamque illius toto illo tempore factam fuiſſe lectionem & expoſitionem; illius enim memoria facile evanuiſſet, & frigida ac inutilis fuiſſet illius lectio & auditio in tanta multitudine, ſi in illo ſeptennii decurſu ne verbum quidem illius lectum fuiſſet & expoſitum iſti populo. Adde quod erant apud Judæos legis Doctores, quorum munus erat nedum legem populo palam exponere, ſed & ad illius obſervationem hortari. Solemnis autem illa legis promulgatio, quæ anno remiſſionis fiebat, illuc ſpectavit, ut cum eo anno vacaret populus, nihilque obſtaret negotii quominus ad ſanctuarium conveniret, audita nova legis lectione, ſuam renovaret de illa ſervanda obteſtationem, novumque cum Deo fœdus iniret.

Addit Moſes *verſ.* 9. deſcriptam illam legem, traditam fuiſſe non ſolum Sacerdotibus, ſed etiam *ſenioribus Iſrael*, qui nimirum præerant populo, quique licet non haberent legis docendæ provinciam, Sacerdotibus tamen in ea cuſtodienda ſunt additi,

ut

ut illius doctrinam & obſervantiam aſſererent, nec authoritate ſua paterentur eam deſpectui haberi. Conſtat enim experientia quanta ſit plebis protervia ad repudiandos ſacros Doctores, dum adverſus illius pravos mores & corruptelas inſurgunt; unde neceſſum eſt, ut qui præſunt, illam compeſcant petulantiam, & in pietatis ſtudio contineant ſubditos, qui alioqui ad impietatem nimis eſſent proclives.

IV. Cum prævideret Deus Iſraelitas poſt Moſis mortem, & ingreſſum in terram Chanaan a ſuo cultu receſſuros, & declinaturos ad idola, idcirco, *verſ.* 19. jubet Moſi, ut ſcribat Canticum, illudque deſcribendum tradat populo, *Ut memoriter teneant, & ore decantent, & ſit mihi* (inquit) *carmen iſtud in teſtimonio inter filios Iſrael*, eorum ſcilicet ingratitudinis & impietatis qui poſt accepta divinitus tot beneficia, totque experta flagella ob iteratas prævaricationes in eo Cantico memoratas; nihilominus neglecto Dei cultu ad inanes Deos colendos irrepſerint.

Petes, quomodo Moſes *verſ.* 2. ſe caducum eſſe & fractis viribus dicat, *Centum* inquit, *annorum & viginti ſum hodie, non poſſum ultra egredi & ingredi*: cum *cap. ult. verſ.* 7. dicatur integris ſenſibus viguiſſe uſque ad mortem? *Non caligavit oculus ejus, nec dentes ejus moti ſunt.*

Reſpondeo, illum iſta hic dixiſſe, non quod præ ſenio eſſet inutilis, ac ſi caligaſſent oculi, vel totis membris eſſet tremulus, ſed quia illius ætas non ferebat, ut diutius tam oneroſum populi regimen gereret. Fuerat quidem divinum & cœleſte beneficium, quod inter tot tantaſque conflictationes, & laborioſiſſimam innumeri ac petulantis populi adminiſtrationem ſanus ac vegetus eo uſque perſeveraſſet: ſed quia jam ad deſignatam a Deo curſus ſui metam pervenerat, brevi moriturus, ait, *Non poſſum ultra egredi & ingredi*; ac ſi diceret, vobis jam ſum inutilis, maxime cum Dominus dixerit mihi, *non tranſibis Jordanem iſtum*; nimirum ut præverteret illorum ingentem mœrorem de illius abſentia, utpote qui jam illis nihil poſſet prodeſſe, aliumque habituri eſſent ducem ac rectorem, qui illos in terram repromiſſam introduceret. Hinc *vocavit Joſue & dixit ei coram omni Iſrael: confortare & eſto robuſtus: tu enim introduces populum iſtum in terram &c....* Quibus verbis in eum tranſtulit omnem ſuam in iſtum populum auctoritatem & juriſdictionem.

Quoniam autem ad tantum onus ſuſtinendum ſe prorſus imparem exiſtimabat Joſue, utpote qui perſæpe audierat Moſem ſub tam ingentis populi regiminis pondere gementem & conquerentem; ut ipſi animum adjiciat Moſes, addit; *Dominus qui ductor veſter eſt, ipſe erit tecum, nec derelinquet te; noli timere, nec paveas.* Hanc ſponſionem ut confirmaret Deus, juſſit Moſi ut ſecum duceret Joſue in Tabernaculum: *Apparuitque ibi Dominus in columna nubis, quæ ſtetit in introitu Tabernaculi*, Moſenque alloquens ei rurſum denuntiat mortem proximam, & prædicit poſt illius interitum, futuram Iſraelitarum prævaricationem; quamvis ut præverteret Moſes, convocatis omnium Tribuum Majoribus natu, & Doctis in eorum præſentia ſolemne Canticum cecinit, quod refertur in capite ſequenti.

IN XXXII.

Continetur integrum Canticum, juſſu & inſpiratione Dei a Moſe conſcriptum, in quo non modo acriter invehitur in vitia populi, ſed quanta poteſt vehementia perverſam illius naturam, mores praviſſimos, horrendam ingratitudinem & in Dei cultu perpetuam inconſtantiam exagitat. Magnifice vero præfatur, cœlum & terram in teſtes dictorum advocando; ut ſi contingeret populum negligere canticum hoc memoriæ mandare, & ore proferre: ut Deus præcedenti capite juſſerat; cœlum & terram eorum perverſitatis aut ſocordiæ teſtes haberet, ut cenſerentur indigni quos vel cœlum benignis influxibus foveret, vel terra ſuſtentaret & aleret.

Orditur itaque a celebrandis Dei præcellentiis. 1. Ab infinita illius ſapientia, bonitate & potentia, quibus fit ut perfecta ſint ejus opera. 2. A ſumma illius æquitate & juſtitia in præmiandis bonis, & malis puniendis. 3. Ab illius fidelitate in implendis ſuis promiſſis. Idcirco autem Deum his elogiis celebrat, quo magis appareat ſtupenda populi ſocordia & amentia; dum ſciens & volens omni bonorum plenitudine ſe privavit, qua frui licebat, ſi Deo adhæſiſſet; & relicto fonte aquarum viventium fodit ſibi ciſternas diſſipatas, ut Deus ipſe per Jeremiam *cap.* 2. conqueritur. Quamobrem Moſes, iſtis præmiſſis, libere invehitur in iſtius populi perfidiam, eumque appellat *gentem pravam & perverſam, & populum ſtultum & inſipientem*, quod ſe innumeris vitiis inquinaverit, maxime horrenda in Deum amantiſſimum patrem, & beneficum ducem ac protectorem ingratitudine & contumelia.

Deinde recenſet beneficia omnia quibus Deus populum iſtum in vaſta & arida ſolitudine agentem cumulavit; maxime quod illi fuerit dux itineris, divinis ſuis documentis & legibus inſtruxerit; & ſicut pupillam oculi ab omni offendiculo præſervaverit: atque ut aquila non modo pullos ſuos fovet expanſis alis, ſed eas pro materno affectu provocat ad volandum; ſic Deus per columnam nubis fuit illis in umbraculum per diem, ſuiſque multiplicibus beneficiis excitavit ad erigendos animos, ut eum ſuper omnia diligerent & colerent.

At eo deteſtabilior fuit eorum perfidia, quod quo amplior erat erga illos Dei benignitas, & munificentia; eo magis ſuis murmurationibus & idololatriis in eum inſurrexerunt: quod grande crimen ita Deum ad iram provocavit, ut maximam eorum partem

Digitized by Google

ſem deleverit. Plurima deinde recenſet eorum crimina, variaque refert ſupplicia quibus eorum impietatem & ingratitudinem caſtigavit; quæ omnia, cum facili negotio percipiantur, ab eis recenſendis abſtinere libet.

IN XXXIII.

CUm Moſes nedum Iſraelitici populi dux, legislator, doctor, & ad Deum mediator extitiſſet, ſed etiam paterno eos proſecutus eſſet affectu, perſuaſus ſe morti proximum, paternam ultimamque benedictionem eis voluit impendere, ut hoc veluti condimento leniret amaritudinem exprobrationum quas emiſerat in cantico; dum perpetuæ Dei in Iſraelitas gratiæ & protectionis ſpem ingerit, & ſuæ erga illos benevolentiæ ad mortem uſque teſtimonium præbet.

Quamobrem convocatis Tribuum principibus & majoribus, ſingulis bene apprecatur, & ſpiritu prophetico denuntiat quæ eorum nepotibus accidere debeant: imprimis vero commemorat qualiter Deus Iſraelitas ſibi devinxerit in populum, eiſque legem in monte Sinai præſcripſerit; *Dominus*, inquit, *de Sinai venit, & de Seir ortus eſt nobis, apparuit de monte Pharan, & cum eo ſanctorum millia, in dextera ejus ignea Lex:* in quibus verbis tria veniunt obſervanda.

I. Montem Sinai non procul a montibus Seir, & Pharan conſiſtere; in his autem montibus Deus magnificentiam & clementiam in Iſraelitas demonſtravit. Nam in *Sinai* apparuit cum ingenti Angelorum cœtu, qui per *millia Sanctorum* hic intelliguntur; ſuaque dextera tradidit *igneam legem*, hoc eſt medios inter ignes, inter tonitrua & fulgura. In monte *Seir*, imperavit Moſi ut æneum ſerpentem fabricaret, ad cujus intuitum a ſerpentibus vulnerati ſanabantur *Num.* 21. 9. & In monte *Pharan*, Moſem alloquens promiſit coturnices, quibus populus ad ſatietatem reficeretur *Num.* 11. *verſ.* 30. II. Deus dicitur ortus *de monte Seir*, & apparuiſſe *de monte Pharan*, quia Judæis ad radices montis Sinai conſiſtentibus viſus eſt divinæ majeſtatis ſplendor progrediens e vertice montium illorum, & paulatim accedens ad montem Sinai, in quo magis illuxit & diutius hæſit.

Ad benedictiones autem quod ſpectat, cum illæ affines ſint iis quas Jacobus morti proximus filiis ſuis duodecim Tribuum capitibus largitus eſt, hæque cum illis majori ex parte ſint expoſitæ, hic duntaxat quædam ſunt notanda.

I. In benedictione Ruben confirmari ea quæ Jacob de illo dixerat; *Effuſus es ſicut aqua, non creſcas, quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum ejus.* Quoniam autem ambigi potuiſſet, utrum aliquando Rubeni poſteritas eſſet extinguenda, an vero tantum minuenda numero, precatur Moſes; *vivat Ruben, & non moriatur, & ſit parvus in numero.* Hoc eſt, Tribus hæc una cum aliis perſeveret, vivatque feliciter; ita tamen ut non ſit valde numeroſa, neque cum aliis in multitudine populi conferatur. Sunt tamen qui contrario ſenſu illa verba exponant, nempe ut negatio vocis, *moriatur*, præpoſita, duabus æquivaleat, referaturque ad poſteriora verba, ut ſit hic ſenſus, *neque ſit parvus numero.* vel, ut apud ſeptuaginta legitur, *ſit multus in numero.* Verum hæc expoſitio directe opponitur imprecationi Jacobi Patriarchæ: quamobrem hæc ſeptuaginta Interpretum verſio, mendo videtur obnoxia. *Judæ* apprecatur, ut bellum gerens adverſus Dei, & Judaici populi hoſtes, victor ſemper exiſtat; Deumque ſupplex exorat, ut ad bellum procedentis ejus preces exaudiat, illumque ſalvum & incolumem reducat ad populum ſuum.

Leviticam Tribum commendat multis gloriæ titulis. I. Quod *perfectio & doctrina* ei ſit data, Hebraice *Urim* & *Thumim*; gemmæ ſcilicet in Rationali pontificali; quibus ſignificat dignitatem ſacerdotalem & pontificalem illi Tribui fuiſſe conceſſam. II. Quod legis expoſitio ab ea petenda ſit; ſiquidem hæc præ cæteris Tribubus divino cultui, & obſervantiæ mandatorum addicta eſt. Quod ſignificat his verbis verſ. 10. *Judicia tua o Jacob, & legem tuam o Iſrael!* quibus affine eſt illud Malachiæ; *labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & de ore ejus legem requirent.* III. Quod fuerit ſemper zelantiſſima gloriæ Dei exercituum, adeo ut in adoratores vituli conflatilis inſurgentes, maximam eorum ſtragem ediderint; parati etiam patres, fratres, & quoslibet ſibi proximos trucidare, ſi tanti ſceleris fuiſſent participes. IV. Quod Sacerdotes ejus Tribus alumni, ſint conciliatores Dei cum hominibus, qui ſuis precibus & ſacrificiis divinam in peccatores iracundiam emolliant & miſericordiam ac clementiam ſollicitent; uti fecit Aaron *Numer.* 16. dum aſſumpto thuribulo & thymiamate, medius ſtetit inter populum & torrentem ignis e tabernaculo erumpentem ad reorum exterminium, *Ponent thymiama in furore tuo, & holocauſtum ſuper altare tuum*, verſ. 10. V. Precatur Deum ut Tribum illam ſua virtute corroboret, ejuſque adverſarios exterminet, *verſ.* 11.

Quibus elogiis Tribum ſuam plurimum quidem celebrat Moſes, non ut gratificaretur ſuis fratribus, neque ut ſibi nimium indulgeret; ſed ut commendaret Sacerdotium & ſacra miniſteria ad quæ peragenda Tribum Leviticam conduxerat Deus. Hinc apparet imprecationem Jacobi adverſum Simeonem & Levi, pœnam duntaxat fuiſſe ad tempus irrogatam; quippe cum Tribum illam ſibi poſtea conſecraverit Deus, ut ſacris miniſteriis adeſſet, & per eam divinæ gratiæ ad alias diffluerent; quod fieri vix poterat, niſi expuncto priori probro. Niſi enim Levitica Tribus purgata fuiſſet dedecore, quo in ſuo parente fuerat aſperſa, Sacerdotium non tantæ fuiſſet apud Iſraelitas exiſtimationis, plurimumque detractum eſſet divino cultui. Non alio igitur ſpectat hæc a Mo-

ſe

ſe ſuæ Tribus commendatio, quam ne vileſceret ſacri miniſterii dignitas, cujus contemptu peſſumdaretur Religio. Sic Chriſtus D. S. Petrum in Apoſtolatus gradum reſtituere volens, triplicisque ejus abnegationis dedecus abſtergere, toties eum præfecit ſuis ovibus paſcendis & regendis. *Joan.* 21. v. 17.

Ut Benjamin chariſſimus fuit Jacobo, quod in ſenectute ſua ex dilectiſſima Rachele genuiſſet eum; ita prænuntiat Moſes ejus Tribum fore Deo gratiſſimam, multiſque beneficiis cumulandam. I. Quod terram pinguiſſimam habitura eſſet in ſortem, nempe regionem Jerichuntinam & Hyeroſolymitanam. II. Quod primus Iſraelitarum Rex illa Tribu eſſet aſſumendus; Saul enim erat Benjamita. II. Quod *Dominus habitabit confidenter in eo; quaſi in thalamo tota die morabitur*. Quia templum in eo loco, qui ad Benjaminitam ſortem ſpectabat, fuit conſtructum: Jeruſalem enim ad utramque Tribum Benjamin, & Judam attinebat: pars Auſtralis in qua erat mons Sion, erat Tribus Judæ: Septentrionalis vero ſpectabat ad Benjamin; cum autem mons Moria in quo templum locatum eſt, fuerit huic vicinior; ideo Dominus dicitur in ea Tribu requieviſſe *inter humeros ejus*, quia templum in illo monte conſtructum eminebat; ſicut caput ſuper humeros. Hæc enim verba non ad Benjamin, ſed ad Deum referenda ſunt.

Duas Tribus e Joſepho exortas, nempe Manaſſe & Ephraim celebrat ex beneficiis a Deo acceptis. I. Quod occupaturæ eſſent regionem uberrimam tum ex benigno aſtrorum influxu, tum ex nativa terræ fœcunditate, quæ his verbis declarat. *De benedictione Domini terræ ejus, de pomis cæli & rore, atque abyſſo ſubjacente &c.* Hoc eſt, fertilitatem iſtius terræ plurimum juvat aſpectus *cæli*; optimus *ros* diffluens: & *abyſſus* quæ cubat ſub illo ſolo ſalubribus vaporibus montes & colles alluens. II Quod Joſephe ſpeciali Dei benedictione fuerit illuſtratus, quia Nazaræus erat: quo autem ſenſu hoc nomine fuerit appellatus, dictum eſt exponendo benedictiones a Patriarcha Jacobo filiis ſuis datas, ubi Joſephus ſimili titulo condecoratur. III. Quod Tribus illæ tantæ ſint numero, totque viris fortiſſimis abundent, ut merito aſſimilentur *primogenito tauri*, & *cornibus Rhinocerotis*; quæ maxime quadrant in Joſuam populi ducem e Tribu Ephraim oriundum; qui duplex habebat cornu dextrum & ſiniſtrum ſibi maxime in certaminibus inhæſentium, nempe *multitudines Ephraim*, & plura *millia Manaſſe*.

Zabulonis Tribum prædicit fore ditiſſimam ex mercibus hinc inde comportatis, *lætare Zabulon in exitu tuo*, ubi per *exitum* ſignificat varias navigationes mercaturæ cauſa; cum enim hæc Tribus loca mari Genezareth vicina, & non procul a mari mediterraneo incoleret, maxime dedita fuit mercibus hinc & inde comportandis, unde ingentes ſibi theſauros comparavit. His affinis eſt illa Jacobi prædictio Geneſ. 49. *Zabulon in littore maris habitabit, & in ſtatione navium pertingens uſque ad Sidonem*.

Iſſachar e contrario commendat a quiete & tranquillitate, prædicitque Tribum illam ſua ſorte contentam accumulandis divitiis tempus & operam non impenſuram; ſed, vel agris colendis, vel doctrinæ & ſcientiæ comparandæ totam ſe addicturam: imprimis vero legis arcanis evolvendis, aliiſque exponendis vacabant, unde additur, *vocabunt populos ad montem* domus Domini, ut legem ejus audiant: *Ibi immolabunt victimas Juſtitiæ*. Tametſi vero rebus mundialibus minus eſſent occupati, nihilominus ditefcebant plurimum & affluentia quam illis maria ſuppeditabant, *inundationem maris quaſi lac ſugent, & theſauros abſconditos arenarum*. His autem ingentes opes vocat *inundationes maris*, vel quod eas mare ad eorum littus effundebat, nempe gemmas, uniones, corallum &c. Vel quod exteras merces navibus advectas excipiebat, eaſque frumento, fructibus, aliiſque rebus apud ſe natis commutabat. Habebat pariter *theſauros abſconditos arenarum*, nempe auri, argentique fodinis vel apud ſe, vel hæc ab exteris adſportata, & ex locis arenoſis collecta.

Gad commendatur a fortitudine bellica, & amplitudine loci quem Tribus illa habuit in ſortem, nempe regna Sehonis & Og una cum Tribu Ruben *quaſi leo requievit*, quia viribus ſuis fidens, hoſtibus ſemel proſtratis ſecure quieſcebat. Licet autem non magna videatur prærogativa exerceri continuis bellis, hoc tamen Gaditis erat ſolatium, quod auxiliante Deo ſemper futuri eſſent victores, & ingentem prædam ex hoſtibus reportaturi. *Vidit principatum ſuum*. Quia dominationem & poſſeſſionem ſuam obtinuit, priuſquam aliæ Tribus ſua portione donarentur; eamque præ cæteris habuit prærogativam, *quod in parte ſua doctor & rector eſſet repoſitus*; nempe Moſes populi doctor & rector, qui prænuntiat ſe intra poſſeſſionem Gad eſſe ſepeliendum, uti exponit etiam Chaldæus paraphraſtes, *quoniam ibi, in hereditate ſua ſcriba magnus & princeps Iſrael ſepultus eſt*.

Neque his obſtat quod capite ſequenti, Moſes dicatur ſepultus *in terra Moab*, cap. vero 2. v. 9. ſupra prohibeatur Iſraelitis ne terram Moab tarum occuparent. Verum quidem fuit ne invaderent regionem illam, quam tunc temporis Moabitæ poſſidebant, non vero illam quam iſtis ejectis, Amorrhæi obtinuerant. Quæ ſequuntur in illa benedictione ſpectant ad Moſen, *qui fuit cum principibus populi* rector Iſraelitarum; *& fecit juſtitias, & judicium cum Iſrael*. Quanquam hæc etiam poſſint optime quadrare in Tribum Gad, quæ armata manu cum aliis Tribubus proceſſit trans Jordanem ad Chananitidem occupandam, uti Moſi promiſerant, *Numer.* 32 nec prius ad ſuos redierunt, quam aliæ Tribus ſuam pariter ſortem obtinuiſſent: qua ratione dici poſſunt *feciſſe juſtitiam, & judiciam* cum Iſrael, non tantum quia æquum erat ſtare promiſſis, & bellare cum fratribus, ipſiſque eſſe adjutores ad poſſeſſiones obtinendas; ſed etiam cum Deus ſtatuiſſet vindictam, exequi de profa-

nis

nis & impiis gentibus, omnes Tribus elegerat judicii ſui miniſtros.

Dan aſſimilatur *Catulo leonis*, qui ex inſidiis irruit in prædam, ut ſignificetur hanc Tribum fore fortem, bellicoſam, & rapinis addictam. Unde ſua ſorte non contenta, aliam quæſivit ſedem, occupavitque urbem prius dictam Lais, cui nomen ſuum Dan impoſuit; quæ quidem urbs poſtmodum *Cæſarea Philippi*, & deinde *Paneæ* dicta eſt. In ea vero regione non procul ab urbe duo ſcaturiunt fontes *Ior* & *Dan* appellati, quorum rivuli prope illam urbem coeuntes, Jordanis fluvium efficiunt. Quoniam autem horum fontium aquæ per ſubterraneos meatus erumpunt ex lacu *Phiala* dicto, & exiſtente in terra Baſan trans Jordanem (ut experientia conſtat, ex eo quod ſi quis in lacum iſtum lignum aut aliquid ſupernatatile inicit, illud poſtmodum in fontibus Jordanis appareat) idcirco addit Moſes, *Dan fluet largiter de Baſan*, nempe fluvius Jordanis Baſanitarum regione.

Tribum Nephtali ornat tribus elogiis. I. Quod *abundantia perfruetur*. II. Quod *plena erit benedictionibus Domini*. III. Quod *mare & meridiem poſſidebit*. Prædicit itaque Tribum hanc præ cæteris terræ fructibus fore abundantem; quod regio, quam erat conſecutura, pinguior & amœnior eſſet, in eaque fructus nedum citius matureſcerent, ſed & ſuaviores & delicatiores eſſent; non ſolum ex terræ fertilitate & benigno aſtrorum influxu, ſed maxime ex ſpeciali Dei benedictione, ut dictum eſt *Geneſ.* 49.

Quod autem ait illam poſſeſſuram *mare & meridiem*, non ita planum eſt; cum nec Oceano fuerit vicina, nec meridionalem, ſed aquilonarem terræ ſanctæ partem occupaverit; nam Emath, una ex Nephtalinis urbibus, *Joſue*, 19. Erat juxta Libanum, qui terræ promiſſionis erat pars Aquilonaris. Hinc 2. *Paralip. cap.* 7, *v.* 28. & *Amos* 6. *verſ. ult.* ubi terræ ſanctæ longitudo deſcribitur ab Aquilone in auſtrum, Emath opponitur Ægypti torrenti, quem conſtat fuiſſe Palæſtinæ meridionalem partem.

Ut nodus hic ſolvatur, cenſerem idcirco hanc Tribum dici poſſediſſe *mare, & meridiem*, non quod in terræ ſanctæ delineatione has partes occuparet: ſed quod cum plurimis & ſuaviſſimis fructibus abundaret, eorum commutatione, ſi quid ei deeſſet ad ſatietatem, facili negotio comparare poterat a Tribu Aſer, quæ Tyrum & Sydonem, celebres maris portus, attingebat, in quibus exterarum mercium copia erat maxima. Ad meridiem vero erat vicina Tribui Zabulonis, quæ per frequentes ſuas navigationes exteris bonis & mercibus affluebat. His adde quod, quæ in Tribubus Judæ, Benjamini & Ephraimi auſtralibus erant exquiſita, poterat accipere per Jordanem, qui longo tractu Nephtalinam regionem alluebat.

Ad Aſer tandem converſus Moſes, ei plurima fauſta prædicit & apprecatur. I. Quod prolem decore & pulchritudine præcellentem eſſet editurus, quo fiet ut illius juvenes & virgines ab aliis Tribubus in conjuges exoptentur; *Benedictus in filiis Aſer, ſit placens fratribus ſuis*. II. Tanta erit olei abundantia in ea regione quam occupabit, *ut tingat in oleo pedem ſuum*; id eſt, poterit, ſi velit, in oleo tingere & lavare pedes ſuos. Erunt pariter ibi tot æris & ferri fodinæ, *ut ferrum & æs calceamentum ejus*, id eſt, quocumque pedes inferet, ferrum & æs calcabit. Aut, ut volunt aliqui, calceamenta ſua æreis & ferreis clavis ſuffigere poterit ad diuturniorem illorum uſum. III. Hoc inſuper habebit hæc Tribus in benedictione ſua, quod *ſicut dies juventutis ſuæ, ita & ſenectus ſua*, id eſt, tam ſuavis illi & vegeta futura eſt ſenectus, ut vix differat a diebus illius juventutis: vel Tribus hæc temporum ſucceſſu non minuetur, ſed quo diutius durabit, eo fiet valentior.

Petes, cur Tribus Simeonis in his benedictionibus Moſaicis partem non habuerit?

Reſpondet Theodoretus id forte contigiſſe, quod Simeon primarius auctor fuerit inſidiarum & machinationum adverſus Joſephum; cujus rei indicium eſt, inquit, quod Joſephus jam Ægypti prorex & fratribus ignotus, aliis dimiſſis cum pecunia & frumento, Simeonem voluerit retineri, vinciri, & incarcerari. Exiſtimarem ego hanc Tribum idcirco in benedictionibus fuiſſe prætermiſſam, quod nullam certam & diſtinctam habitura eſſet in terra promiſſa diſtributionem: ſed per alias Tribus eſſet diſpergenda, ut prænuntiaverat Jacobus. Neque his obſtat, quod idem prænuntiatum erat de Tribu Levitica, quæ tamen hic ſpeciali benedictione donatur. Hæc enim non ratione ſui Patriarchæ Levi benedictionem accepit, ſed intuitu meritorum Moſis & Aaronis, atque ſpecialis ſuæ deſtinationis ad ſacra miniſteria obeunda.

Tandem Moſes univerſo Iſraelitarum cœtui benedicens, prænuntiat eos fore fœlices & fortunatos, quod habeant auxiliatorem & protectorem Deum, qui cœlum inhabitat, nubes movet, cuncta etiam inferiora dirigit, & omnipotenti ſua virtute ſuſtinet.

IN CAPUT XXXIV.

IN hoc ultimo Pentateuchi & Deuteronomii capite refertur. I. Quod completa adhortatione ad populum, & Tribuum benedictione, Moſes, jubente Domino, aſcendit in montem *Nebo*, ibique oculis luſtravit univerſam terram promiſſionis ultra Jordanem, & mortuus eſt natus annos 120. Hic autem mirari licet quanta alacritate Moſes ad mortem perrexerit: dum enim in hunc montem aſcendit, non eum latebat eventus, nempe ibi eo die eſſe moriendum: ſed quia vocatus ad mortem a Deo, ſponte occurrit. Mortem naturali ductu ita fugiunt omnes, ut rari ſint, qui voluntarie ad eam properent: egregium ergo fuit in Moſe fidei & obedientiæ ſpecimen, ad mortem non mi-

nus libenter procedere, quam ſi ad lætum hoſpitium & convivium fuiſſet invitatus; maxime cum tunc non abundaret gratia Chriſti D. ut in nova Lege, nec adhuc Chriſtus reſurrectione ſua, futuræ reſurrectionis fidem & ſpem confirmaſſet. Inde apparet ſanctos viros etiam veteris Teſtamenti ſeſe Deo ita conſecraſſe, ut ejus arbitrio vivere & mori eſſent parati.

II. In eodem monte ſepultus eſt per miniſterium Angelorum; tametſi quidam Hebræorum exiſtiment Moſem a ſeipſo ſepultum eſſe, ita ut ingreſſus ſpeluncam, illius introitum obturaverit, & ibi efflaverit animam. Verum in textu legitur *mortuus eſt... jubente Domino, & ſepelivit eum*, nempe Dominus &c.

III. Quod ſepulchrum ejus fuerit ignotum, ne Judæi ad idololatriam proni, divinos illi honores impenderent, quem tot prodigiis & beneficiis inſignem, vere divinum agnoſcebant. *Qui enim* (inquit Theodoretus) *inanimata pro Diis habuerant; & imaginem vituli, Deum appellaverant, magis profecto eum ut Deum venerati fuiſſent, cujus miniſterio tanta fuiſſent adepti.*

IV. Quod ejus obitum per triginta dies defleverint, ut factum fuerat in Aaronis morte: his vero peractis, Joſue cœpit exercere præfecturam ſibi a Deo per Moſem injunctam, & loco ac vice Moſis Iſraelitico populo præeſſe. Concluditur autem hoc caput celebri Moſis encomio; nempe quod nullus ultra ſurrexerit Propheta ei comparandus, qui cum Deo facie ad faciem fuerit collocutus, torque ac tanta, ut ille, prodigia & miracula ediderit.

Peter I. Cur potius Joſue quam Moſes populum introduxerit in terram promiſſionis?

Reſpondet Theodoretus mox laudatus, per Moſem repræſentari legem, eamque illius nomine appellari: ſic Chriſtus D. Lucæ 16. *Habent Moyſem, & Prophetas*; ubi nomine *Moſis*, legem intelligit: ſicut & Apoſtolus, cum ait 2. ad Corinth. 3. „ *Uſque in hodiernum diem quando legitur Moyſes*. Sicut
„ enim Iſaiam appellamus, non prophetam
„ tantum, ſed etiam librum illius, & Jeremiam ac Ezechielem, non homines tantum, ſed etiam eorum libros, & Apoſtolum, non ſolum ipſum veritatis præconem, ſed & illius librum: Sic *Lex*, cognominatur *Moyſes*, quod illius fuerit promulgator & interpres: Jeſus autem filius Nave, typum gerit Salvatoris univerſæ terræ. Quemadmodum igitur Moyſes eduxit populum ab Ægypto, Joſue vero ipſum in terram promiſſionis introduxit, ita lex ab impietate liberat credentes, Evangelica autem gratia introducit
„ eos in regnum Cœlorum. *Sic pene ad verbum* Theodoretus.

Peter II. Quis hoc poſtremum caput ſcripſerit?

Reſpondeo, id non ita facile poſſe ſtatui. Moſem hæc de ſe ſcripſiſſe ſpiritu prophetico velle videntur Philo [a] & Joſephus [b] quibus ſubſcribit Origenes [c] aliique recentiores. Verum ex textu apparet auctorem hujus capitis non prophetam, ſed hiſtoricum agere. Tametſi vero ex præcedentibus libris conſtet Moſem plura de ſeipſo, ut ſolent hiſtorici in tertia perſona referre, etiam ad ſuam laudem & commendationem; attamen veriſimile non eſt ab illo hæc ſcripta eſſe, *non cognovit homo ſepulchrum ejus, uſque in præſentem diem*; hæc enim denotant non modicam interceſſiſſe temporis moram a Moſis morte & ſepultura ad id tempus, quo hæc ſcriptis mandabantur; quo etiam argumento colligitur, ea non fuiſſe ſcripta a Joſue, qui Moſi proxime ſucceſſit; niſi forte hæc adjecerit circa vitæ ſuæ terminum.

Putant aliqui hoc capitulum ea parte ſcriptum eſſe ab Eſdra, dum ſacros libros in captivitate Babylonica hinc inde diſperſos in unum codicem reſtituit, nonnullis adjectis ad pleniorem & faciliorem rerum intelligentiam; quod utique non improbabile exiſtimo. Hic enim ætate ſua vere ſcribere potuit, nemini mortalium *uſque in præſentem diem* innotuiſſe Moſis ſepulchrum; & cum omnes Prophetæ, quorum oracula extabant, Eſdram præceſſiſſent, & poſtremi tunc temporis. ut Malachias & Nehemias florerent; merito dicere valuit. *Non ſurrexit ultra Propheta in Iſrael, ſicut Moyſes*, nullus enim Prophetarum qui eo uſque inclaruerant, Moſi fuit æquiparandus. Attamen illa Moſis præcellentia univerſim accipienda non eſt; ſiquidem conſtat illum fuiſſe multo inferiorem Chriſto D. ut egregie probat S. Paulus Ep. ad Hebræos cap. 3, ubi Chriſtum D. præfert Moſi tanquam filium ac Dominum famulo domus, & amplioris gloriæ dignum habitum, quanto ampliorem honorem ſupra domum, habet, qui fabricavit illam.

Si quis egregia Moſis encomia legere cupiat, conſulat *Eccleſiaſticum* cap. 45. *Philonem* libris de vita Moſis, *Joſephum* 4. antiquit. cap. ult. *Clementem Alexand.* 1. ſtrom. *Ambroſ.* lib. 1. de Abel cap. 2. *Nyſſenum* de vita Moſis. *Auguſtinum* lib. 22 contra Fauſtum cap. 19. *Baſilium* homil. 1. in Hexam. *Euſebium* lib. 9. de præparat. Evang. cap. 3. & 4. ubi producit plures Auctores ethnicos Moſis laudes & Encomia celebrantes.

[a] *Lib. de vita Moſis.*
[b] *4. antiqu. cap. ultim.*
[c] *Lib. 2. contra Celſum.*

FINIS.

Digitized by Google